AZIONALE
VITT. EMANUELE
8
32 - G
11
ROMA

Digitized by Google

SCHOLA
ÆGIDIANA

Digitized by Google

8.42.G.11

THEOLOGIA
EXANTIQUATA
IVXTA ORTHODOXAM
BEATISSIMI ECCLESIÆ MAGISTRI
AUGUSTINI
DOCTRINAM
A DOCTORE FVNDATISSIMO

B. ÆGIDIO COLVMNA

Ord. Eremit. eiuſdem S.P; S.R.E.Card; Aquitaniæ Primate, & Archiepiſcopo Bituricenſi expoſitam.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Additis Quæſtionibus noſtro tempore exortis, & Recentiorum Ordine congruentius diſpoſito.

AVCTORE

F. FRIDERICO NICOLAO GAVARDI
MEDIOLANENSI

Eiuſdem Ordinis Sacræ Theologiæ Doctore, & Regij S.P.Auguſtini Maioris Neapolis Collegij Regente.

LIBRI II. SENTENTIARVM

TOMVS II.

HIC LIBER EST CONTUS JESU MARIAE FR. EREM. EXCAL. S. AUG.

Hic Liber Jesù Mariæ de Urbe Ordinis S. Augustini est Conventus F.F. Eremit. Discalc. Cong.nis Italiæ et Germaniæ

NEAPOLI

In Officina Typographica Camilli Cavalli 1690.

SVPERIORVM FACVLTATE.

Hic Liber
est Conventus et Bibliothecę
Jesu Marię de Urbe
F.F. Erem: Discalc: S. Augustini
Congreg: Italię

BEATISSIMO PATRI

ALEXANDRO VIII.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

ORbis Catholici faſces; Beatiſsime Pater Opt. Max; Regnique iura Cœleſtis Sanctitati Veſtræ collata humanis, quibus antea ornabaris Inſignijs, ingeſſerunt Diuina, vt qui hominum genus iam in terris exceſſeras, in Cœlis quoque poteſtate præcelleres. Populorum Optimus Paſtor, Regumque Regnator Maximus ſummam in omnes exerces clementia potentiam, Dei adinſtar, cuius vices adminiſtras, & le-

ges,

ges, quarum (ſi Diuinæ non eſſent) Te Iudice augeretur auctoritas ; tantam ſiquidem adeptus iam eras Sapientiam , vt non niſi Diuinæ aſsiſtentiam valeres admittere . Hæreticæ prauitatis ſemper Vindex acerrimus Fidei integritatem viſus es continuò ſeruare ; nunc Sapientiæ aſſociatum eſt Magiſterium , vt poteſtate exequereris , quod antea præſtabas ſuffragio ; Hæc baſis , qua inconcuſsò regitur PETRI SEDES ; & quam tuebaris , cùm PETRVS eſſes nomine , non dignitate , dignitatem adeptus nunc vindicas . Et licèt PETRI nomen reliqueris, cùm PETRI perſonam , poteſtatemque induiſti , ALEXANDER tamen , vt PETRI gladium geſtares intrepidè , nuncupari elegiſti ; quia mundum regere debebas inuictè . Sic PETRI munus , & ALEXANDRI robur coniungens , nec Orbi deerit Fides , quia PETRVS nunquam deficiet ; nec Fidei Orbis , quoniam præeſt Orbi , Fideique ALEXANDER . Inter maxima Beatiſsimi Prædeceſſoris INNOCENTII elogia connumerandus eſt AEQVVS SVCCESSOR zelo ſeruandę Eccleſiæ, tuendæque Fidei non diſpar : Hoc ille ſummè optauit, meruit, ergo obtinuit . Viuum itaque Sanctiſsimi Pontificis es argumentum , Sanctiſsime Pater Opt.

Max;

Max; ſed & ille Sanctitati Tuæ Fidem rependit , & vices ita , vt in vno alter , in vtroque vnus , & PETRVS perſeueret in omni . Et quanuis Eccleſiæ regendæ fuerint Pontifices Optimi Maximi ſemper ſuffecti ; Eccleſia nanque Romana aut Sanctos recipit, aut Sanctos efficit ; peſsimis tamen hiſce temporibus ſeruati ſunt meliores , qui vel humana benignè indulgendo ſeruarent Diuina , vel intrepidè ſuſtinendo Diuina tuerentur humana ; vt Eccleſia inter irrequietos rixantium animorum tumultus ſecura quieſcat Fidem illibatè ſeruando , erroneiſque repreſſis ſententijs mores ad Fidei dogmata , Canoneſque edocendo. Quamobrem Beatiſsime Pater Opt. Max. Tomum hunc, in quo agitur de Chriſtianę vitæ inſtitutis , de virtutibus, quibus vitia vitantur , de Diuina Gratia , qua mores formantur, de Fide, quæ eſt ſalutis exordium, de Eccleſia , ac de Veſtra in ipſam ſuprema potentia , demum de Spe , & Charitate, quibus Eccleſia militans in Triumphantis ſocietatem dirigitur, Sanctitati Veſtrę non offerre non valui; Supremo etenim Eccleſiæ Magiſtro omnia , quæ in Eccleſia diſcuntur, ſunt referenda, Summo Fidei, morumque Iudici controuerſias grauiores debent omnes referre parati , ſique reprobanda, improbare, probata conſtanter tueri,

ri,

ri , & ambigua infallibili ALEXANDRI gladio diſſoluenda exhibere.

S. V.

Ad pedes
F. Fridericus Nicolaus Ganardi Auguſtinianus.

Digitized by Google

INDEX QVÆSTIONVM.

DE PASSIONIBVS.

Quæſt. Vnica.

Art.I. Quid, & quotuplex ſit paſſio? 1.
Art.II. De amore, & odio. 7.
Art.III. De deſiderio, & abominatione. 10.
Art.IV. De delectatione, & triſtitia. 11.
Art.V. De ſpe, & deſperatione. 14.
Art.VI. De audacia, & timore. 15.
Art.VII. De ira, & manſuetudine. 16.

Quæſt.II. De Habitibus.

Art.I. An quid, & quotuplex ſit habitus? 18.
Art.II. In quo conſiſtat ratio habitus? 21.
Art.III. An, & quomodò habitus concurrat ad actum? 26.
Art.IV. An, & quomodò habitus naturales producantur ex actibus? 29.
Art.V. An per actus ſupernaturales elicitos ab habitibus ſupernaturalibus infuſis poſſit produci alter habitus diſtinctus naturalis, vel ſupernaturalis? 34.
Art.VI. Quomodò corrumpantur habitus acquiſiti? 35.
Art.VII. Quomodò habitus augeantur, & minuantur? 38.
Art.VIII. Quodnam ſit ſubiectum habituū? 41.

DE VIRTVTIBVS.

Quæſt.III. De Virtutibus in communi.

Art.I. Affertur definitio virtutis. 45.
§.1. An virtus ſit qualitas, & habitus? 47.
§.2. An virtus poſſit etiam elicere actus malos? 49.
Art.II. Aſſignantur variæ diuiſiones virtutis. 53.
Art.III. Quodnam ſit ſubiectum virtutum? 56.
Art.IV. An virtus actiuè concurrat? 63.
Art.V. An, & quomodò virtus conſiſtat in medio? 64.
Art.VI. An virtutes morales ſint connexæ? 68.
Art.VII. An virtutes infidelium ſint vitia? 72.
Art.VIII. An dentur virtutes morales infuſæ? 79.
§.1. De dignitate, & duratione virtutum moralium? 84.

Quæſt.IV. De virtutibus moralibus in particulari.

Art.I. Quid ſit prudentia, quot eius partes integrales ſubiectiuè, & potentiales, ac vitia oppoſita? 85.
Art.II. De iuſtitia, eius partibus, & vitijs oppoſitis. 87.
Art.III. De fortitudine, eius partibus, & vitijs oppoſitis. 92.
Art IV. De temperantia, & vitijs oppoſitis. 96.

Quæſt. I. De Donis, Beatitudinibus, & Fructibus Spiritus Sancti.

Art.I. An dona Spiritus S. rectè aſſignentur? 98.
Art.II. Quot, & quid ſint Beatitudines? 103.
Art.III. Quot ſint fructus Spiritus Sancti? 104.

DE VITIIS, ET PECCATIS.

Quæſt.I. De oppoſitione, definitione, & diuiſione peccatorum.

Art.I. An, & quomodò peccata opponantur virtutibus? 105.
Art.II. An omne vitium ſit contra naturam? 110.
Art.III. An de ratione peccati ſit eſſe contra legem Dei? 114.
Art.IV. Afferuntur definitiones peccati. 117.
Art.V. Afferuntur ſpecies peccatorum. 120.
Art.VI. A quo ſumatur diſtinctio ſpecifica peccatorum? 121.
Art.VII. Quodnam ſubiectum peccatorum? 126.

Quæſt.II. De peccato originali.

Art.I. An detur peccatum originale? 118.
Art.II. An peccatum originale habeat rationem culpæ, & voluntarij? 132.
Art. III. Quomodò omnes in Adam peccauerint? 134.
§.1. Afferuntur quædam corollaria. 139.
Art.IV. In quo conſiſtat eſſentia peccati originalis? 145.
§.1. An Beatiſs. P. Aug. conſtituerit peccatum originale in reatu? 146.
§.2. Reſoluitur articulus. 148.
§.3. Afferuntur duo corollaria. 155.
Art.V. Qua pœna puniantur paruuli decedentes cum peccato originali? 158.

Quæſt.III. De peccato veniali, & mortali.

Art.I. An ſit, & quid ſit peccatum veniale? 166.
§.1. Soluuntur aliquot quæſita. 169.
§.2. An Adam potuerit priùs peccare venialiter? 173.
§.3. An peccatum veniale in damnato puniatur pœna æterna? 176.
Art.II. An perueniens ad vſum rationis teneatur ſub mortali ſe conuertere in Deum? 178.
Art.III. An peccatum mortale habeat malitiam infinitam? 180.
Art.IV. Quo actu compleatur peccatum mortale? 181.
§.1. An vnum peccatum poſſit eſſe pœna alterius peccati? 184.
Art.V. De pœnis, & loco pœnarum peccati mortalis. 186.
§.1. De Purgatorio. ibid.
§.2. De Inferno. 187.
§.3. Quomodò ſpiritus crucientur igne? 188.

Quæſt. IV. De peccato omiſſionis, & commiſſionis.

Art.I. An omiſſio pura poſſit eſſe peccatū? 192.
Art.II. An opus incompatibile cum obſeruantia præcepti vitietur ab omiſſione? 195.
Art.III. Afferuntur aliquot quæſita. 198.
Art.IV. Quo tempore omiſſio imputetur ad culpam? 201.

Art

Art.V. An peccatum omiſſionis, & commiſſionis ex eodem motiuo poſsint eſſe eiuſdem ſpeciei in genere moris? 204.
Art.VI. An peccatum commiſſionis conſiſtat in priuatiuo? 206.
Quæſt.V. De peccato habituali.
Art.I. In quo conſiſtat peccatum habituale? 212.
Art.II. An Deus poſſit producere habitum vitioſum? 217.
§.1. An potentia peccandi ſit à Deo? 219.
Quæſt.VI. De peccatis in Spiritum Sanctum.
Art.I. Quid, & quotuplex ſit peccatum in Spiritum Sanctum? 220.
Quæſt.VII. De comparatione peccatorum inter ſe.
Art.I. An omnia peccata ſint inæqualis grauitatis, & vnde ſumatur eorum inæqualitas? 222.
Art.II. An peccatum grauius ex ſua ſpecie poſſit eſſe leuius peccato leuiori ſecundum ſuam ſpeciem? 224.
§.1. De ſcandalo. 226.
DE IVSTITIA, ET IVRE.
Quæſt.I. De Iuſtitia.
Art.I. An Iuſtitia legalis ſit virtus ſpecialis? 227.
Art.II. Soluuntur aliquot dubia. 231.
§.1. De Iniuſtitia. 234.
Art.III. An iudicium ſit actus Iuſtitiæ? 236.
§.1. Soluuntur aliquot quæſita. 237.
Art.IV. Quid ſit dominium, vſus, vſusfructus, habitatio, & ſeruitus? 240.
§.1. De diuiſione, & translatione dominij. 243.
Art.V. De reſtitutione. 247.
§.1. De reſtitutione famæ, & honoris. 250.
§.2. De eo qui tenetur reſtituere. 252.
§.3. Cui reſtitutio fieri debeat? 255.
§.4. De cauſis excuſantibus, & ordine reſtitutionis. 256.
Quæſt.II. De Iure.
Art.I. An ius ſit obiectum iuſtitiæ, & quotuplex ſit? 257.
Art.II. Quid, & quotuplex ſit lex? 259.
§.1. An lex ſit actus intellectus? 260.
§.2. Afferuntur aliquot quæſita. 262.
Art.III. De lege naturali. 265.
§.1. An ſit, & quid ſit lex æterna? ibid.
§.2. In quo conſiſtat lex naturalis. 266.
§.3. Afferuntur aliquot quæſita. 268.
§.4. An occiſio inuaſoris ſit de iure naturę. 270.
Art.IV. De veteri lege. 277.
§.1. De duratione legis veteris. 279.
Art.V. De lege noua ſeu Euangelica. 282.
Art.VI. De Iure gentium. 284.
Art.VII. De lege humana, Eccleſiaſtia, & ciuili. 285.
§.1. An lex humana poſſit in actus internos? ibid.
§.2. An leges humanæ habeant vim obligandi ad culpam? 287.
§.3. De lege pœnali. 290.
§.4. De legum humanarum mutatione, & interpretatione. 291.
Art.VIII. De conſuetudine, & priuilegijs? ibid.
DE GRATIA.
Quæſt.I. De ſignificatione, & diuiſione gratiæ.
Art.I. Quid ſignificetur nomine gratiæ? 293.
Art.II. De diuiſione gratiæ. 295.
Quæſt.II. De gratia actuali.
Art.I. In quo conſiſtat gratia actualis? 298.
§.1. Quid ſenſerint Pelagiani, Semipelagiani, Caluiniſtæ, & Lutherani? 299.
§.2. Expeditur articulus. 301.
Art.II. In quo conſiſtat vis gratiæ actualis? 303.
Art.III. An gratia ſit neceſſaria ad cognoſcendas veritates naturales? 306.
Art.IV. An ſine gratia poſſit fieri aliquod opus bonum morale ordinis naturalis? 310.
Art.V. An ſine gratia poſſimus diligere ſuper omnia Deum, vt Authorem naturæ? 314.
Art.VI. An ſine gratia poſſimus vrgente tentatione vitare peccata? 317.
Art.VII. An ſine gratia poſſimus implere legem Dei? 319.
Art.VIII. An ad euitanda omnia venialia requiratur priuilegium ſpeciale? 322.
Art.IX. An gratiæ habituali iuſtificanti debeatur gratia actualis, qua ſupernaturaliter operemur? 325.
Art.X. An ad perſeuerandum requiratur auxilium ſpeciale? 327.
Quæſt.III. De gratia habituali.
Art.I. An gratia habitualis ſit qualitas intrinſecè recepta in eſſentia animæ, tanquam in ſubiecto? 331.
Art.II. In quo conſiſtat gratia habitualis? 335.
§.1. Afferuntur nonnulla corollaria. 338.
Art.III. An ſolus Deus ſit cauſa principalis gratiæ habitualis? 342.
Art.IV. An, qualis, & quæ diſpoſitio requiratur ad gratiam habitualem? 346.
Art.V. An ſine peculiari reuelatione poſſit quis eſſe certus de ſua iuſtificatione? 350.
Quæſt.IV. De Iuſtificatione impij.
Art. I. In quo formaliter conſiſtat iuſtificatio? 351.
§.1. Reijciuntur errores Caluini. ibid.
§.2. Reſoluitur articulus. 355.
Art.II. An actus contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia habeat vim iuſtificandi? 360.
Art.III. An de potentia Dei abſoluta peccata remitti poſsint per ſolam condonationem extrinſecam abſque gratia? 364.
Art.IV. An gratia habitualis, & peccatum poſſint ſimul eſſe? 368.
Art.V. An ſine diſpoſitionibus poſsit Deus infundere gratiam? 371.
Quæſt.V. De merito.
Art.I. An, quid, quotuplex, & quas conditiones exigat meritum? 375.
Art.II. An, & quomodo poſſimus mereri vitam æternam. 378.

Art.

Art.III. An, & quomodo actus virtutum ſint meritorij vitæ æternæ? 383.
Art.IV. An poſſit quis ſibi, vel alteri mereri primam gratiam? 387.
Art.V. An poſſimus mereri augmentum gratiæ? 389.
Art.VI. An poſsimus mereri perſeuerantiam finalem? 390.

DE FIDE, SPE, ET CHARITATE.

DE FIDE.

Quæſt.I. De habitu fidei.

Art.I. De ſignificatione, & definitione fidei. 393.
Art.II. An certum ſit dari habitum fidei? 396.
Art.III. An fides ſit adeo vera, vt ei falſitas nequeat ſubeſſe. 398.
§.1. An Deus poſſit infundere habitum erroris? 404.
§.2. An Deus poſſit patrare miraculum in conteſtationem falſæ ſectæ? 407.
Art.IV. An fides ſit adeo certa, vt ſit incompoſſibilis cum oppinione, & dubietate? 410.
Art.V. An fides ita ſit obſcura, vt nequeat eſſe ſimul cum ſcientia? 414.
§.1. An euidentia atteſtationis poſsit ſtare ſimul cum fide? 418.
§.2. An euidentia credibilitatis ſit neceſſaria ad credendum? 421.
§.3. Aſſignantur motiua credibilitatis. 424.
Art. VI. Quid, & quotuplex ſit fides informis? 426.
Art.VII. Soluuntur aliquot dubia. 429.
Art.VIII. De infidelitate, & ſpeciebus. 431.

Quæſt.II. De actu fidei.

Art.I. An ad actum fidei internum requiratur pia affectio voluntatis? 436.
Art.II. A quo ſit pia affectio, an ſit ſupernaturalis? 440.
Art.III. An fides explicita in Chriſtum ſemper fuerit neceſſitate medij neceſſaria ad ſalutem? 443.
§.1. An, & quæ ſint credenda neceſſitate præcepti? 450.
Art.IV. An confeſſio externa ſit actus elicitus à fide? 451.
Art.V. Quando obliget externa confeſſio? 452.

Quæſt.III. De obiecto fidei.

Art.1. Quodnam ſit obiectũ materiale fidei? 454.
Art.II. Quænam ſit ratio extranea obiecto ſpecificans fidem? 457.
Art.III. An quod vltimo reſoluatur aſſenſus fidei? 459.
Art.IV. Soluuntur aliquot quæſita. 464.

Quæſt.IV. De Hierarchia Eccleſiæ militantis. 467.

Art.I. An ſolus Pontifex Romanus habeat primatum ſeu ſupremam poteſtatem in Eccleſia? 468.
Art.II. In quo conſiſtat Eccleſiæ primatus? 476.
Art.III. An Papa ſit ſuper Concilium? 480.
Art.IV. An ſola Papæ poteſtas ſit infallibilis? 488
Art.V. An Papa ſit ſupra canones? 493.
Art.VI. An habeat poteſtatẽ in temporalia? 497.
Art.VII. Quid ſit Regalia? 504.
Art.VIII. An de fide ſit credendus. 505.

DE SPE.

Quæſt. Vnica.

Art.I. De habitu ſpei. 507.
Art.II. De actibus ſpei. 509.
§.1. Quid, & quotuplex ſit timor? ibid.
§.2. De præſumptione, & deſperatione. 510.
Art.III. De obiecto ſpei. 512.

DE CHARITATE.

Quæſt.I. De habitu Charitatis.

Art.I. Reſoluuntur quædam de habitu charitatis. 516.
Art.II. An charitas ſit amicitia cum Deo. 519.
Art.III. De augmento, & decremento charitatis. 520.

Quæſt.II. De actu charitatis.

Art.I. Quomodò teneamur amare Deum ſuper omnia? 522.
Art.II. An actus charitatis viæ, & patriæ ſint eiuſdem ſpeciei? 524.

Quæſt III. De obiecto charitatis.

Art.I. Quid, & quotuplex ſit obiectum? 525.

Errata	Correcta.
Fol.21.31. derur	determinet
470.13. dicuntur ad Deum	dicuntur ad eum
473.28. alios Apoſtolos, & Diſcipulos	alijs Apoſtolis, & Diſcipulis.
497. adſtantes	adſtantibus
479.15. laudant	laudati
481.1. repræſentatas	repræſentata
482.11. aliquo	aliquis
492.24. alicui	alicuius
497.2. fregiſſe	fidem fregiſſet
501.18. integritatis	integritati
504.1. nationem	notionem

TOmum quartum Theologiæ exantiquatæ R.P.M.Friderici Nicolai Gauardi Mediolan. iuſſu P.V. Reuerendiſs. attentè perlegi, & non abſimilem alijs reperi; ideo in lucem emitti debere cenſeo.

Mag.F.Petrus de Garate Aug.

TOmum quartum Theologiæ exantiquatæ ab eximio, & eruditiſſimo P.M.F.Fiderico Nicolao Gauardi Mediolanenſi mirè elaboratum iuſſu P.V. Reuerendiſs. ſedulò euolui, nec in eo quidquã, aut orthodoxæ fidei, aut bonis moribus repugnans deprehendi; imò totum reperi, quod eſt optimũ. Quare vt in commune bonum lucis vſura potiatur digniſsimum cenſeo.

F.Benedictus Saccardus Ne p. S.Th. Mag. & S.Officij in Regno Conſultor.

Mag.F.Fulgentius Traualloni à Monte Elparo Georginas totius Ord.FF.Erem. S.P.N. Auguſt.Prior Gen.

CVm quartus Tomus Theologiæ Scholaſticæ iuxta Doctrinam Beatiſs.P.Aug.,& Fund.Doct.Aegidij à R.P.M.Friderico Nicolao Gauardi Mediolan. Noſtri Collegij S. Auguſtini Maioris Neap. Regentre elucubratus per viros à Nobis ad id deputatos, recognitus, probatus, publicaq; luce dignus habitus ſit, præſentium tenore, noſtriq; muneris auctoritate facultatem, quantum ad Nos ſpectat, ipſum imprimendi concedimus, & impertimur. Dat.Romæ die 2.Octob.1690.

F.Fulgentius Traualloni Prior Gen.Ind.

Noſtri muneris affixo ſigillo. *Mag.Nicolaus Serani Secr.*

Eminentiſsimo, e Reuerendiſſimo Signore

F. Federico Nicola Gauardi Agoſtiniano da Milano Reggente nel Conuento di S. Agoſtino di Napoli vmiliſſimo ſeruo di V.E. deſiderando proſeguire la ſtampa della ſua Theologia, che ſarà il 4. Tomo. Vmilmente ſupplica la buontà di V.E.degnarſi di deputargli Reuiſore, ehe della gratia &c.

Neapoli die 8. Iulij 1690.

Fuit prouiſum coram Eminentiſs.Dom.Cardinali Pignatello Archiep.Neap., quod R.P.Dominicus Antonius Coragius è Soc.Ieſu videat, & in ſcriptis referat eidem Eminentiſs.Domino.

Sebaſtianus Periſſius Vic.Gen.

Eminentiſsime Domine

QVartus Theologicus Tomus *De Paſſionibus, Virtutibus &c.* numeris omnibus abſolutum Adm.R. P.Magiſtri,F.Friderici Nicolai Gauardi,Moderatoris Studiorum in maiore Cœnobio Neapolitano S.Auguſtini mihi ab E.V. committitur Panegyri, an Cenſuræ? Certè caſtigatiſſimum Opus, omnigena ſapientia opulentum, à me accuratè luſtratum,mirabundo ſupercilio ſuſpexi. Litterarium Orbem implet. Intricatiſſima difficultatum inuolucra nequaquam abſcindit; at mirabili felicitate diſſoluit. Prodeat ergo reuiſum opus non è prælo ad prælium, ſed ad palmam, & plauſum. Verùm, vt imperanti E.V. morem geram, cenſorium calamum libenter aſſumo. Reuocaui librum ad libram, totumq; inoffenſo pede percurri. Singula ſanctis moribus, atq; Orthodoxæ Religioni conſentiunt. Publica itaq; luce digniſſimum eſt opus hoc; quin immo tantum eſt,vt non ſemel, atq, iterum, ſed millies ſub prælo ſudare debeat,expectato tamen ſemper benigniſſimo E.V, conſenſu. E Collegio Neap. Soc.Ieſu die 6. Octob.1690. *Humillimus famulus*

E. V. *Dominicus Ant.Coragius Soc.Ieſu.*

Neap. die 12.Octob.1690. Fuit prouiſum coram Eminentiſs. Dom. Card. Pignatello Archiep.Neapolitano; quòd ſtante retroſcripta relatione Domini Reuiſoris Imprimatur.

Sebaſtianus Periſſius Vic.Gen.

Eccellentiſsimo Signore

CAmillo Cauallo ſupplicando eſpone à V.E., come deſidera ſtampare vn Opera di Teologia del P.Maeſtro Gauardi Agoſtiniano, che però ſupplica V.E. rimettere la reuiſione di quella à chi li piacerà, e lo riceuerà da V.E. vt Deus.

Reu.P.M.Vincentius Biſogni videat, & in ſcriptis referat.

Carillo Reg. Soria Reg. Gaeta Reg. Moles Reg. Miraballus Reg. Iacca Reg.

Prouiſum per S.E.Neap. die 8. menſis Auguſti 1690. Maſtellonus.

Excellentiſſime Domine

TOmum quartum Theologiæ exantiquatæ ſuper poſteriorem partem Libri Secundi ſententiarum ab Adm.Reu.P.Magiſtro F.Friderico Nicolao Gauardi Mediolanenſe in hoc Regio S Auguſtini Neap.Conuentu Studiorum Profeſſo ſolertiſſimè, & ad lucernam Cleanthis elucubratum, iuſſu E.T., nedum perlegi,ſed ſedulò expendi; in quo nihil, quod morum integritati efficere, nihil, quod Politicum Regimen inuertere, aut Regiæ Maieſtatis Iuribus derogare poſſit, deprehendi; quare operæ pretium erit, Typis committi, ſi ita ſenſerit E.T. Ex eod.Conuentu die 9. Septemb.1690.

Humill.Seruus F.Vincentius Biſognus Neap. Ord.Erem.S.Aug.S.T.M.

IMPRIMATVR, verum in publicatione ſeruetur Reg.Pragmatica.

Carillo Reg. Soria Reg. Gaeta Reg. Moles Reg. Miraballus Reg. Iacca Reg.

Prouiſum per S.E. Neap.die 6.menſis Octobris 1690. Athanaſius.

DE

DE PASSIONIBVS.

SI cor hominis eſt, quaſi nauis, qua per ambiguos fluentium, ac refluentium cogitationum, & affectuum gurgites vehitur anima (inquit *Beatiſs. P. Aug. in pſ. 34. conc. 1.*) Si cor hominis, inquam, eſt quaſi nauis, qua vel afflatu Diuini Spiritus anima in altum attollitur; vel tentationum exuperantium impetu in præceps deijcitur; profectò gemini appetitus, inter quos cor æſtuat medium, ceu ſcilla cenſendi ſunt, & charibdis. In his frementium paſſionum vortices externorum ſenſuum excreſcentia inflati alluere hanc animæ ſedem, & rationem, quæ potior eſt animæ portio, reſorbere moliuntur. Horribilis tempeſtas illico exoritur. Repulſo Diuinæ gratiæ fauonio vitiorum exibilant Boreæ; Cælum mentis turbatur; furunt cupidinum flammæ; triſtium exurgunt phantaſiarum nubes; coruſcant irarum fulgura, ſpes erigit, ſed vt altius paret exitium; deprimit deſperatio, ſed vt profundius fodiat naufragium. Nulla tabula, quæ ſaluet, inſpicitur; quia cor in profundo naufragatur culparum. Nulla ſpes relinquitur vitæ; Cælum enim minatur, aquæ præfocant, deglutit abyſſus. Secura igitur eſt animæ mors, cùm certum eſt cordis naufragium. At ſi rectè inſtituantur, certis frænentur legibus, imbuanturque virtutum ſenſibus eruditæ paſſiones; cor addiſcit nedum non timere naufragium; ſed tranquillo Cælo, amico mari, fauente vento, ſecundo curſu ad portum ſalutis appellere. Si mentis dominium obtemperanter ſuſcipiant, ac ſupremæ illius Rectricis ſe ſubijciant imperio; nulla animæ Regnum perturbatione concutitur, nulla nubes ſerenitatem obtenebrat, nullus turbo tranquillitati minatur, nulla vis vitæ machinatur, nullus impetus quietem proſcribit, nullum tempus æternitati præſcribit. Quinimò ſi moderatè regantur, nedum non obſunt, ſed proſunt; vitam non auferunt, ſed afferunt; bonum non remouent, ſed promouent; non ſupplicium, ſed præmium; non malefica, ſed benefica eorum perhibentur officia. Etenim concupiſcere ſine libidine hæc bona; odiſſe ſine turbatione peruerſa; triſtari de malis rationi difformibus; aggredi fortia, quæ virtutes impediunt; timere periclitanti, ne pereat; iraſci peccanti, vt pæniteat, laudabilia virtutum ſunt opera, quæ exercent paſsiones; non turbulenti affectus effectus, quæ ſenſum, rationemque peruertunt. Hoc vnum *Stoicos* refellendos eſſe conuincit, qui paſsiones in ſapientem Virum putarunt non cadere; ſapiens enim non eſt, qui non ſtatuit rectæ vitæ ſiſtemma; nec rectam vitam inſtituit, qui paſsiones iniecto fræno non regit ad cohibendum vtrumque appetitum, ſeruandumque in omnibus iuſtitiæ æquilibrium. Hunc tomum igitur, in quo de vita morali tractatur, à paſsionibus eſt exordiendus; vt earum motus per virtutes, de quibus ſermo ſuccedet, debitum dirigantur in finem.

QVAEST. VNICA.

De Paſſionibus.

QVAE de paſsionibus occurrunt dicenda, narranda, & explicanda ſunt potiùs, quàm diſputanda; quia ferè nihil controuerſiæ *inter Theologos* habent; ideoque à pleriſque omittuntur; cùm ad *Rethores, Ethicoſque* pertineant. Ne tamen aliquid ſcitu dignum prætereamus, neue in rebus facilibus longas inſtituendo quæſtiones facilitatem ipſam reddamus prolixitate difficilem; ideo breui calamo hæc percurremus.

ART. I.

Quid, & quotuplex ſit Paſsio?

1 SOlùm de paſsionibus ſenſitiuis, quæ fundantur in appetitu ſenſitiuo, & cõmunes ſunt omnibus animalibus, *hìc* agimus; dari enim etiam paſsiones ſpirituales fundatas in appetitu rationali, ſeu intellectuali, qui eſt voluntas, fortè non eſt dubitandum (*Fund. Doct. locis inf. cit.*) nam Dæmones, & animæ ſeparatæ timent, odio habent, triſtantur, deſperant &c.

2 Appetitus autem ſenſitiuus duplex eſt; vnus, qui dicitur *concupiſcibilis*; alter *iraſcibilis* appellatur; & vterque in omnibus viuentibus ſenſu præditis reperitur; in homine verò, in quo non ſolùm eſt vita ſenſitiua, ſed etiam intellectiua, quia homo nedum viuit vita plantæ, & vita animalium, ſed etiam vita ſpiritus, cùm habeat animam rationalem, qua habet eſſe cum lapidibus, viuere cum plantis, ſentire cum animalibus, & intelligere cum Angelis; vt loquitur *D. Greg.* ideo præter duplicem appetitum ſenſitiuum in illo reperitur etiam appetitus rationalis, qui dicitur voluntas; in quo non communicat cum brutis. Rationem huius affert *Fund. Doct. de Regim. Princ. p. 2. c. 2.* In hoc differt appetitus ſenſitiuus ab inclinatione naturali, quam habent res inanimatæ; quòd ille ſequitur formam apprehenſam per cognitionem; ex eo namque quòd canis videat cibum, mouetur ad illum appetendum; iſte verò ſequitur formam adeptam

abſque vlla cognitione; ſic lapis ex eo, quòd habeat formam grauitatis, inclinat ſemper ad centrum, quamuis centrum non cognoſcat; ſed in homine eſt duplex cognitio, ſcilicet ſpiritualis, & ſenſitiua; ergo in ipſo eſt duplex appetitus ſequens duplicem formam apprehenſam per duplicem cognitionem; vnus formaliter ſpiritualis, qui eſt voluntas; & alter formaliter ſenſitiuus, qui poteſt appellari ſenſualitas.

3 Quòd autem appetitus ſenſitiuus ſit duplex, nempe concupiſcibilis, & iraſcibilis, ſic probat *Fund. Doct. ibid.* Auctor naturæ dedit rebus inanimatis duplicem potentiam inclinatiuam ad id, in quo quieſcunt, & conſeruantur; nam dedit igni leuitatem, per quam inclinat ad tendendum ſurſum in ſuam ſphæram; & dedit calorem, per quem ſe tuetur à contrarijs machinantibus illius deſtructionem, & prohibentibus, ne tendat in ſuum centrum; ergo multò magis dedit duplicem potentiam animalibus ſenſu præditis, quæ ſunt perfectiora rebus inanimatis; aliter non habuiſset æqualem prouidentiam in entibus perfectioribus, quam habet in imperfectioribus, & ſic non eſſet agens vniuerſaliſsimè prouidens; ſed concupiſcibilis eſt potentia, per quam animalia tendunt in bonum ſenſibile, in quo putant quieſcere; & iraſcibilis eſt potentia, per quam reſiſtunt contrarijs, quæ nituntur prohibere conſecutionem talis boni ſenſibilis; ergo mentibus ſenſu vigentibus datur duplex appetitus, ſcilicet iraſcibilis, & concupiſcibilis.

4 Conf. Natura fruſtra dediſſet rebus inclinationem in bonum, niſi contuliſſet potentiam ſuperantem impedientia conſecutionem actualem boni; illa enim inclinatio non reduceretur in actum, niſi vincerentur impedimenta; ſed inclinatio in bonum in agentibus ſenſitiuis eſt concupiſcibilis; & potentia ſuperans impedientia conſecutionem boni eſt iraſcibilis; ergo natura dedit agentibus ſenſitiuis concupiſcibilem, & iraſcibilem; ideoque in illis duplex eſt appetitus ſenſitiuus.

5 Aliam rationem affert *Fund. Doct. ibid. p. 3. c. 1.* ex parte obiecti ipſius appetitus ſenſitiui, quæ ſic efformatur. Bonum, & malum ſenſibile, in quod tendit appetitus ſenſitiuus proſequendo, aut fugiendo, poteſt conſiderari vel abſolutè, & ſecundùm ſe; vel quatenus arduum, & difficile; ſed circa bonum, & malum ſecundùm ſe abſolutè ſumptum eſt concupiſcibilis; & circa bonum, & malum, quatenus arduum, & difficile, eſt iraſcibilis; ergo datur appetitus concupiſcibilis, & iraſcibilis. Maior eſt certa; conſtat enim dari aliqua bona ſenſibilia, quæ non niſi cum magna difficultate obtinentur; vt acquiſitio Regnorum inimicis validè illa propugnantibus; & alia, quæ habentur ſine difficultate; vt acquiſitio ciborum facta ab habentibus nummos. Minor etiam patet; quia nomine concupiſcibilis intelligimus inclinationem in bonum ſecundùm ſe, & fugam à malo abſolutè accepto; & nomine iraſcibilis intelligimus potentiam tendentem in bonum, & fugientem à malo, quatenus arduitate implicato.

6 Dices. Appetitus rationalis habet tendere in bonum ſecundùm ſe, & quatenus difficile; ſicut idem intellectus habet tendere in verum abſolutè ſumptum; & quatenus difficile; ergo idem appetitus realiter indiuiſus habet tendere in bonum ſecundùm ſe: & quatenus arduum; ideoque appetitus ſenſitiuus non eſt duplex realiter.

Reſp. *Aliqui* putant intereſſe, an appetitus ſenſitiuus ſit duplex realiter, vel tantùm virtualiter. Sed hoc difficultatem eludit, nec apertè oſtendit, quid in hoc ſit ſequendum: cùm tamen *omnes DD.* abſolutè aſſerant appetitum ſenſitiuum duplicem eſſe; quod non niſi diſtortè explicari poſſet de duplicitate virtuali. Neg. igitur conſ. cum *Fund. Doct. vbi ſ. p. 2. c. 2;* nam voluntas, & intellectus ſunt potentiæ vniuerſaliſſimæ tendentes in ens, *vt ſic*; potentia autem quò vniuerſalior eſt, eò eſt magis vna, & ad plura magis extenditur; vniuerſale enim ſonat *vnum verſum in plura*; atque adeò vna realiter potentia volitiua tendit in bonum abſolutè. & quatenus arduum; & ſic de intellectu. At verò appetitus ſenſitiuus cùm ſit minùs vniuerſalis, ideo non habet vnitatem, ſed pluralitatem; atque adeo idem nequit extendi ad bonum ſenſibile abſolutè, & quatenus arduum. Sic eadem potentia viſiua nequit extendi ad coloratum, & ſonorum; ad quæ tamen extenditur ſenſus communis, qui eſt vniuerſalior. Ita à pari.

7 Paſsiones autem ſenſitiuas ſubiectari in appetitu ſenſitiuo compertum eſt *apud omnes*; nam vt docet *Fund. Doct. vbi ſ. p. 2. c. 2;* paſsiones ſubiectantur in eo, quod eſt dirigibile, & moderabile per rationem; quia reddunt nos dignos laude, vel vituperio; & præmio, ſi moderentur, vel pœna, ſi relaxentur effrenæ; ſed ſolus appetitus ſenſitiuus eſt dirigibilis, & moderabilis per rationem; quia eſt rationalis per participationem *iuxta Phil. 1. Eth. c. 13;* quatenus ſecundùm ſe eſt aptus natus obedire rationi; nam potentiæ ſenſitiuæ cognoſcitiuæ non ſunt dirigibiles à ratione, vt oculus non eſt dirigibilis, vt bene videat, & ſic de reliquis; nec potentiæ vegetatiuæ; quia ratio nequit facere bonam, vel malam nutritionem, generationem, & augmentationem; vt *inf.* dicemus; ergo paſſiones ſenſitiuæ ſubiectantur in appetitu; atqui nequeunt ſubiectari in appetitu intellectiuo; quia ſubiectum, & forma debent eſſe eiuſdem generis; & ideo nullum accidens ſenſibile poteſt ſubiectari in ente merè ſpirituali; ergo ſubiectantur in appetitu ſenſitiuo.

8 Organum autem appetitus ſenſitiui eſt cor,

cor., quod à concupiſcibili, & iraſcibili, veluti à duas fornacibus, inflãmatur, et vritur; vt vnuſquiſque in ſe ipſo poteſt experiri. *Hoc ſupp.*

9 Inquirimus in præſenti, quænam ſit definitio, & numerus paſſionum?

10 Quoad 1. *Beatiſs. P. Aug. lib. 9. de Ciuit. Dei c. 4.* ſic definit paſſionem; *Motus animę, quos Græci pathi appellant; ex Latinis quidam, vt Cic. 3. Tuſcul; perturbationes dixerunt: alij affectiones; alij affectus; alij expreſſius paſſiones vocauerunt.* Paſſio igitur, vt explicat *Fund. Doct;* eſt *animi motus, vel affectio, qua tendimus in bonum, vel fugimus à malo.* Quòd ſi talis motus ſit conformis rectæ rationi, tunc paſſio eſt moderata, & bona; ſi verò ſit difformis, eſt immoderata, & mala; & in hoc ſecundo ſenſu ſolùm acceperunt *Stoici* paſſionem, quando dixerunt eſſe *animi perturbationem à mente auerſam;* tunc enim definierunt ſolùm paſſionem immoderatam non autem moderatam; vt obſeruat *Beatiſs P. vbi ſ. lib. 14. c. 9.*

11 Moderatio autem paſſionis fit hoc modo. Quotieſcunque ſenſus deficit in cognitione ſenſibilium, tunc corrigitur à ratione, quæ etiam ad ſenſibilia, quatenus intelligibilia, extenditur; quoties verò ratio deficit in cognitione rerum naturalium, ad quas ſolùm extenditur; tunc corrigitur à fide Diuina, quæ ad ſupernaturalia terminatur; fides autem infallibilitatem habet à Spiritu S. reuelante; & ſic tunc paſſio eſt moderata, quando eſt conformis rectæ rationi; ratio autem eſt recta, quando eſt conformis fidei Diuinæ, cui nequit falſum ſubeſſe.

12 Dicitur etiam ratio æquare paſſiones; quia tunc paſſio eſt immoderata, quando excedit, vel deficit à modo, quo debemus proſequi hæc bona ſenſibilia; ſcilicet vel appetendo, vt non debemus, vel non appetendo, vt debemus, æquatur autem paſſio à ratione; cùm æqualiter appetit, vt debet; & non appetit, vt non debet; ſic enim in quadam mediocritate ſtatuitur: quapropter dicitur hominem prudentem, & moderatum eſſe ſemper in omnibus ſibi æqualem; quia ſemper habet paſſiones æquatas.

13 Ex quo colligitur paſſiones non eſſe naturaliter malas; nam tunc ſunt malæ, quando ſunt difformes rationi; vt cùm quis odit opera bona; tunc ſunt bonæ, quando ſunt rationi conformes; vt cùm quis odit vitia. Quapropter in ſtatu innocentiæ ſemper vergebant ad bonum, quia non erant rebelles, & turbulentæ, ſed perfectè ſubditæ rationis imperio. Præterea paſſiones ſenſitiuæ fuerunt in Chriſto Domino; habuit enim deſiderium cibi, cùm eſurijt in deſerto; potus in cruce; habuit timorem, & triſtitiam in horto, cùm dixit: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem;* propter quod ait *Beatiſs. P. lib. 14. vbi ſ.* quòd Chriſtus Dominus habuit omnes affectus humanos, quia fuit verus homo; & habuit verum corpus, & verum animum, ideoque veras corporis, & animi affectiones; & tamen in illo nullus fuit ad peccatum affectus, quia adhibuit illas affectiones, quando recta ratio dictabat illas eſſe adhibendas, atque adeo *peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius;* verba autem *Beatiſs. Patris* ſunt hæc: *Quamobrem etiam ipſe Dominus in forma ſerui viſam agere dignatus humanam, ſed nullum habens omnino peccatum, adhibuit eos, vbi adhibendos eſſe iudicauit; neque enim, in quo erat verum hominis corpus, & verus hominis animus, falſus erat humanus affectus.* Idē habet *in ſuppl. cont. Iul;* vt videbitur *in tract. de Peccatis.* Tum quia à Deo nequit eſſe aliquod moraliter malum, vel vergens, & inclinans ad malum morale; habetur enim *Iac. 1 Deus intentator malorum eſt; & Gen. 1. Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona; & Eccl. 7. Fecit Deus hominem rectum;* homo autem vergens in malum non eſt rectus, ſed decliuis à rectitudine, quia declinat à bonitate ad malitiam, quæ eſt obliquum bonitatis; aliter non poſſe ſaluari, quomodo Deus non ſit cauſa peccati; ſed omnis res naturalis eſt à Deo, quia Deus eſt Auctor totius naturæ; & ſi aliquam naturam non produceret, totus naturæ ordo ab illo non eſſet; & ideo nec gubernaretur; & ſic non eſſet vniuerſaliſſima cauſa, nec vniuerſaliſſimus prouiſor; ergo nulla res naturalis poteſt eſſe moraliter mala, vel vergens, & inclinans ad malum morale; atqui paſſiones ſunt naturales animi, & corporis affectiones; ergo paſſiones non ſunt naturaliter malæ.

Dices. *Rom 7.* habetur: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ;* ſed lex membrorum repugnans legi mentis eſt moraliter mala, quia deuiat à ratione; & iſta lex nihil aliud poteſt eſſe, niſi concupiſcentia carnis, & peccati, quæ eſt naturalis, quia naſcitur in nobis; ergo paſſiones ſunt naturaliter malæ. 2. *Gen. 8. Senſus, & cogitatio humani cordis prona ſunt ad malum ab adoleſcentia ſua; & Sap. 12. Naturalis malitia eorum; & Matt. 26. Caro autem infirma;* ergo eſt dabilis qualitas naturalis inclinans ad malum. 3. *Beatiſs. P. in Suppl. cont. Iul. lib. 2. c. 71.* redarguit hæreticum, quia fatetur malum eſſe peccatum, & non eſſe malam cōcupiſcentiam peccati.

Reſp. vno verbo iſta omnia verificari de paſſionibus infectis ex contagione carnis peccati; poſtquam enim caro infecta fuit per peccatum originale, paſſiones exiſtentes in carne infecta, inſurgunt contra rationem, rebellant, & ad malum inclinant; vnde inclinatio ad malum eſt à peccato, cuius eſt effectus; non ab ipſa paſſione naturali, quæ prout ſubdita rationis imperio, ſemper vergit ad bonum. Poteſt ergo conſiderari concupiſcentia vel vt maculata peccato, & vt rebellis rationi; & ſic eſt prona ad peccatum; & quia naſcimur in peccato originali, ideo in hoc ſenſu dici poteſt naturalis inclinatio ad peccatum, quoniam naſcitur nobiſcum; non tamen dici-

dicitur naturalis, quia ſit aliqua entitas naturalis, aut effectus Dei, cùm ſit defectus innocentiæ originalis, ſeu perfectæ ſubiectionis paſſionum ad rationem; vel poteſt conſiderari concupiſcentia ſecundùm ſuam entitatem præcisè, & vt obediens rationi, & ſic vergit ad bonum, & bona eſt. *Sed de hoc fuſiùs in tract. de Peccatis.*

15 Quoad 2. circa numerum paſſionum *noſtra Schola* diſcrepat ab alijs, & ideo inſtituenda eſt controuerſia.

16 Prima ſententia vult paſſiones eſſe tantùm vndecim, etenim ab earum numero manſuetudinem reijcit eo, quia manſuetudo inter virtutes collocatur. *Ita Med. 1. 2 q. 23: & ferè omnes Thomiſtæ*, qui agunt de hac re. *Greg. Val. ibid. diſp. 3. q. 1. punct. 2; Auerſa 1. 2 q. 22. ſect. 2, Eſparza hic lib. 7. q. 2. art 9*; quamuis poſtea *q. 41.* probet ex profeſsò manſuetudinem eſſe veram paſſionem poſitiuam oppoſitam iræ; non autem conſiſtere in negatiuo; *& alij.*

17 Noſtra ſententia docet paſsiones ſenſitiuas eſſe duodecim, quarum primæ ſex ſpectãt ad concupiſcibilem; ſcilicet amor, odium, deſiderium, abominatio, delectatio, & triſtitia; & reliquæ ſex ad iraſcibilem; ſcilicet ſpes, deſperatio, timor, audacia, ira, & manſuetudo, ſeu lenitas. *Ita Fund. Doct. lib. 1. de Regim. Princ. c. 1.* Addit, quòd licèt omnes iſtę paſsiones ſint principales; attamen principaliores ſunt quatuor; ſcilicet ſpes, timor, gaudium, & triſtitia; & reliquæ octo ſunt quaſi annexæ. *Ita ibid. c. 9*; vbi aſſerit hanc eſſe ſententiam *omnium antiquorum.* Tandem docet, quòd vltra has paſsiones principales dantur aliæ ſex minùs principales, quæ reducuntur ad illas, & enumerantur *à Phil. 2. Reth. à c. 6. ad 11*; ſcilicet zelus, gratia, nemeſis, miſericordia, inuidia, & verecundia, ſeu erubeſcentia. *Ita ibid. c. 10.*

18 Vnica concl. Paſsiones ſenſitiuæ principales ſunt duodecim, quatuor principaliores, & octo quaſi annexæ; & minùs principales ſunt ſex.

Prob. 1. pars concl. *ex Phil. 4. Eth. c. 5*; vbi aſſerit, quòd licèt manſuetudo propter penuriam vocabulorum numeretur inter virtutes; attamen *propriè nominare videtur paſſionem oppoſitam iræ*; ergo ſuperaddendo manſuetudinem vndecim paſsionibus *ab Aduerſarijs* admiſsis completur numerus duodenarius illarum. Formatur autẽ ſic ratio. Quælibet paſsio tendens in bonum habet paſsionem oppoſitam fugientẽ à malo; vt patet diſcurrenti per omnes, nam amor, quo tendimus in bonum ſenſibile, habet odium oppoſitum, quo ſugimus à malo ſenſibili; ſic deſiderium habet abominationem, quæ illi opponitur; delectatio triſtitiam, ſeu dolorem; ſpes deſperationem; timor audaciam; ſed iræ, aut excandeſcentiæ, quæ eſt exceſſus iræ, opponitur manſuetudo, ſeu lenitas, aut mititudo, à qua denominamur mites; iracundus enim, & manſuetus, ſeu mitis opponuntur; ergo vltra iram debet admitti paſsio manſuetudinis, ſeu lenitatis; & ideo ſunt duodecim paſsiones. Tum quia in tantùm vltra audaciam datur timor, qui eſt paſſio illi oppoſita, in quantùm poteſt concipi malum futurum arduum, vt ſuperabile per propriam virtutem, & ideo datur audacia, & poteſt concipi, vt ſuperans virtutem aggreſsiuam illius, & ſic datur timor; ſed etiam malum, vt vindicabile, poteſt concipi, vt ſuperabile à virtute vindicatiua, & ideo datur ira; & poteſt concipi, vt ſuperans virtutem vindicatiuam, & ſic eſt mãſuetudo; ergo duodecim ſunt paſsiones. Præterea ſi non daretur paſsio oppoſita iræ, ſequeretur, quòd virtus moderans iram non conſiſteret in medio, ſed eſſet extremum, medium enim eſt inter duo extrema, ſed conſ. eſt falſum communiter, ergo & ant.

19 Conf. Manſuetudo competit etiam brutis; nam propriè dicitur de agnis; vnde ad explicandam manſuetudinem Chriſti Domini aſſumitur *in Scriptura* ſimilitudo agni, nam *Ierem. 11. Quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam*; præterea ſi manſuetudo iuxta nominis ethimologiam ſignificat *aſſuefactionem ad manus*; hæc propriè competit animalibus, & præcipuè agnis, qui non detrectant, ſed patiuntur ſe duci; ergo manſuetudo propriè loquendo eſt paſſio animalis, & ideo ſenſitiua; nam in animalibus nequit eſſe virtus, quia virtus eſt habitus electiuus ſecundùm rationem; bruta autem carent ratione; & ſic erunt duodecim paſſiones ſenſitiuæ. Præterea manſuetudo poteſt eſſe bona, & mala; vt dicemus *art. 7. n. 18.* ſed virtus nequit eſſe mala; ergo manſuetudo non eſt virtus. *Vid. loc. cit.*

20 Prob. 2. *à Fund. Doct.* ſic. Paſſiones vel ſunt circa bonum, & malum ſecundùm ſe, & abſolutè ſumptum, & ſic pertinent ad concupiſcibilem; vel circa bonum, & malum, quatenus difficile, & arduum, & ſic pertinent ad iraſcibilem. Si primum; vel ſunt circa bonum, vt primò apprehenſum; & ſic habetur amor, vel prout appetendo tendimus in ipſum, & ſic eſt deſiderium; vel vt quietamur in poſſeſſione illius; & ſic eſt delectatio, ſeu gaudium. Vel ſunt circa malum, quatenus primò apprehenſum diſplicet nobis; & ſic eſt odium; vel quatenus fugimus ab ipſo; & ſic eſt abominatio; vel quatenus eo adepto dolemus, & triſtamur; & ſic eſt triſtitia, ſeu dolor; ergo ſunt ſex paſſiones ſpectantes ad concupiſcibilem. Si ſunt circa bonum arduum; vel in illud tendimus; & ſic eſt ſpes; vel fugimus ab ipſo; & ſic eſt deſperatio. Si ſunt circa malum arduum; vel illud malum eſt futurum; & illud vel aggredimur; & ſic eſt audacia, vel ab eo fugimus, & ſic eſt timor. Vel illud malum eſt præſens; & impatienter inſurgimus ad illud vindicandum, & ſic eſt ira; vel patienter ſubſtinemus, & à vindicta abſtinemus; & ſic eſt manſuetudo; ergo ſex quoque ſunt paſſiones pertinentes ad iraſcibilẽ; ſed nullo alio modo poteſt variari affectus hu-

ma-

manus, qui modus non ſit reducibilis ad aliquẽ ex his duodecim; ergo tantùm duodecim ſunt paſſiones ſenſitiuæ principales, idèſt quæ ad alias non reducuntur. Ex hoc patet rationem diſtributionis paſſionum allatam *ab Aduerſaryſ* eſſe inſufficientẽ, & inadæquatã, & ideo nõ cõcludere.

21 Dices. 1. Manſuetudo eſt virtus; ergo nequit eſſe paſſio, quæ contradiſtinguitur à virtute. 2. Circa malum, vt eſt præſens, non datur, niſi triſtitia, quæ eſt paſſio concupiſcibilis; nam malum, quanuis ſit arduum, vt futurum; attamẽ quando eſt præſens, non eſt arduum; quia iam ſuperata eſt omnis arduitas; ergo circa malum arduum præſens nulla datur paſsio; & ideo manſuetudo non eſt paſſio.

Reſp. ad 1. iam *ſupra* fuiſſe diſſolutum à *Phil*; ait enim *Fund. Doct. vbi ſup. c. 1.* nomen manſuetudinis eſſe æquiuocum, & commune virtuti, ac paſſioni, & hoc propter penuriam vocabulorum. Sicut enim hoc nomen *Taurus* ſignificat animal quadrupes, & aquatile, quæ ſunt genere diuerſa; ita hoc nomen *Manſuetudo* poteſt ſignificare virtutem, & paſſionem, quæ genere diſtinguũtur. Diſt. ergo ant. Mãſuetudo eſt virtus tantùm, neg; virtus, & paſsio, conc. Ad 2. dicitur, quòd ſicut ira, licèt ſit de malo arduo præſenti, attamen eſt paſsio iraſcibilis *per Aduerſarios*; ita mãſuetudo. Si autem dicatur *cum Val.*, quòd licèt ira ſit de malo arduo præſenti, excitat tamen appetitum ad vindictam, quæ eſt futura; reſp., quòd ita manſuetudo, licèt ſit circa malum præſens; attamen excitat appetitum ad ſubſtinendum patienter illud malum vſque ad finem, & ideo eſt de futuro. Præterea falſum eſt, quòd dum malum eſt præſens, ſit abſolutum à difficultate; nam datur aliquod malum præſens, quod poteſt faciliter euitari; & datur malum, quod non ſine magna difficultate poſſumus euadere, & ideo licèt ſit ſuperata difficultas in adeptione illius mali, attamen non eſt ſuperata in illius euaſinne, quando iam eſt præſens.

22 Prob. 2. pars concl. tripliciter .1. Omnes aliæ paſsiones ordinantur ad ſpem, gaudium, timorem, & triſtitiam; ergo ſpes, gaudium, timor, & triſtitia ſunt paſſiones principaliores. Prob. ant. Vel aliæ paſſiones ſunt reſpectu boni futuri, vt futurum eſt, & ſic eſt amor, qui tranſit ad deſiderium, & deſiderium tranſit ad ſpem, & *hic* appetitus circa bonum futurum, vt futurum eſt, vltimò ſiſtit. Vel ſumuntur circa bonum, vt præſens, & ſic vltimò terminatur appetitus ad delectationem, ſeu gaudium, & ideo aliæ paſſiones, quæ ſunt reſpectu boni, ordinantur ad ſpem, & delectationem. Vel ſunt reſpectu mali futuri, vt futurum eſt, & ſic odium ordinatur ad abominationem, & abominatio ad timorem, & *hic* ſiſtit ratio mali futuri. Vel procedunt ad malum præſens, vt præſens, & ſic vltimò terminantur ad triſtitiam; ergo paſsiones circa malum ordinantur ad timorem, & triſtitiam. 2. Omnis paſsio, vel eſt de bono, & malo futuro, vel de præſenti, ſi de bono futuro, eſt ſpes; ſi verò de præſenti, eſt gaudium. Si de malo futuro, eſt timor; ſi de præſenti, eſt triſtitia; ergo omnes aliæ paſſiones ordinantur ad ſpem, delectationem, timorem, & triſtitiam. 3. Illæ ſunt principaliores paſſiones appetitus concupiſcibilis, quæ magis reſpiciunt bonum, vel malum, & illæ ſunt principaliores poſſiones iraſcibilis, quæ maiorem inueniunt arduitatem; ſed concupiſcibilis maximè reſpicit bonum iam adeptum, quod eſt maximum bonum, quàm bonum futurum, & circa bonum iam adeptum eſt delectatio, & maximè fugit à malo iam conſecuto, quod magis affligit, quàm malum futurum, & circa malum iam conſecutum eſt triſtitia; iraſcibilis verò maiorem inuenit arduitatem in bono arduo futuro, quàm in præſenti, & circa bonum futurum eſt ſpes, & maiorem inuenit arduitatem in malo futuro, quàm in præſenti, & circa malum arduum futurum eſt timor; ergo delectatio, triſtitia, ſpes, & timor ſunt paſſiones principaliores.

23 Non tamen aliæ octo paſſiones ſunt minùs principales, quia non reducuntur, vt ſpecies, ad iſtas quatuor; ſed omnes ſunt ſpecies æquè differentes diuidentes paſſionem, *vt ſic*; ſicut enim licèt homo ſit principalius animal inter omnia animalia, quia cetera animalia ordinatur ad hominem, propter quem facta ſunt; non tamen cætera animalia ſunt minùs principaliter animalia; quia minùs principale eſſentialiter dependet à magis principali; ſicut accidens eſt minùs principaliter ens, quàm ſubſtantia; quia dependet in eſſe à ſubſtantia; cetera autem animalia non dependent ab homine in eſſe; & ideo non ſunt minùs principaliter animalia; nam minùs principale eſt, quod reducitur ad aliud, tanquam ſpecies illius, & hoc eſt minùs principale logicè acceptum; ſicut illud, quod dependet in eſſe, dicitur minùs principale phyſicè; cetera autem animalia non ſunt ſpecies hominis, nec homo eſt genus ad illa. Ita dicendum in caſu.

Prob. 3. pars concl. & i; quòd zelus, gratia, &c. ſint veræ paſſiones, experientia rorum eſt; videmus enim plures homines zelotypos, beneficos aliquibus, & non alijs; indignantes proſperitatibus aliorum, miſericordes, inuidos, & verecundos, et id etiam apparet in animalibus, vt canis videns Dominum ſuum blandientem alteri cani, latratibus, et ſaltibus ſuam oſtendit inuidiam; ſic ſequens fæminam tempore conceptionis mordet alios canes ex zelotypia &c. 2. Quòd ſint paſſiones minùs principales ſic prob. Iſtæ ſex paſſiones reducuntur ad prædictas duodecim; ergo ſunt minùs principales; quia minùs principale eſt illud, quod reducitur ad aliud, tanquam inferius ad ſuperius. Prob. ant. Zelus, et gratia, vt eſt paſſio ſenſitiua, reducuntur ad amorem; nam zelus, prout eſt circa bona corpora-

lia,

lia, ſic enim tantummodò eſt paſſio (quia prout eſt circa bona ſpiritualia, eſt virtuoſus; eſt enim triſtitia de bonis honorabilibus, non quia inſunt alteri, ſed quia non inſunt ſibi, vt habet *Phil. 2. Reth. c. 11.*) zelus, inquam, definitur *amor intenſus rerum corporalium non patiens conſortium in re amata*; nam quia aliquæ res corporales, cum habentur ab vno, nequeunt etiam ab altero poſſideri (de rebus enim corporalibus, quæ poſſunt à pluribus poſſideri, non eſt zelus; vt nullus zelo afficitur, quòd alter videat lucem) ideo amor aliquarum rerum corporalium non patitur conſortium alterius; at verò res ſpirituales, cùm poſſint à pluribus poſsideri; ideo amor illorum patitur conſortium plurium, nec eſſet amor verè virtuoſus, niſi vellet eas virtutes eſſe pluribus communes, atque adeo verus virtuoſus omnes vellet eſſe præditos virtute, ergo zelus reducitur ad amorem. Sic gratia pariter definitur *animi motus, per quem aliquis inclinatur ad conferenda beneficia*; inclinatio autem ad beneficia eſt ex amore, quia in tantùm quis beneficia confert alicui, in quantum illum diligit; ergo pariter reducitur ad amorem. Verecundia autem reducitur ad timorem; nam bona, quæ timemus amittere, ſunt duplicis generis; nempe vel interiora, vt vita, & ſic eſt timor; quapropter timens ſemper remanet pallidus in externo colore, quia ſanguis recurrit ad interiora; vel ſunt exteriora, vt honor, & gloria, et ſic eſt verecundia; et tunc ſanguis fluit ad exteriora; et ideo facies apparet rubea; ergo verecundia reducitur ad timorem. Tandem miſericordia, inuidia, et nemeſis reducuntur ad triſtitiam; nam aliquis poteſt triſtari de malo, vel de bono alterius. Si de malo, maximè quando credit illud malum indignè ſufferri ab altero, ſic eſt miſericordia, quæ 2. *Reth. c. 8.* definitur *triſtitia quędam ſuper apparenti malo corruptiuo, vel contriſtatiuo eius, qui indignè patitur illud malum.* Si de bono, vel quia nollet illud bonum poſſideri ab altero; et ſic eſt inuidia, quæ definitur *triſtitia quædam ſuper appetenti actione aliquorum bonorum circa ſimiles, non vt aliquid ſibi, ſed propter illos*; hinc inuidia potiſſimè eſt circa ſimiles; vt Fabri inuident Fabris &c. Et quamuis inuidia ſumpta pro actuali triſtitia bonorum proximè ſit vnum ex ſeptem peccatis capitalibus; ſumpta tamen pro affectione ſenſibili, qua inclinatur concupiſcibilis ad triſtandum de bonis ſenſibilibus proximi, eſt paſſio reducta ad triſtitiam, Vel quia iudicat indignè illum proſperari illis bonis; et ſic eſt nemesis; ergo miſericordia, inuidia, et nemeſis reducuntur ad triſtitiam.

25 Dices. Superiùs dictum eſt paſſiones non eſſe malas moraliter; ſed inuidia eſt moraliter mala; ergo non eſt paſſio.

Reſp. *Fund. Doct.* diſt. ma. Paſſiones, quæ conſiſtunt in medio, vt ſunt paſſiones principales, de quibus tunc loquebamur, conc; quæ cōſiſtunt in extremo, vt eſt inuidia, de quibus tunc non loquebamur, neg. Inuidia ergo eſt paſſio, quæ conſiſtit in extremo, ſeu in exceſſu, et ideo eſt moraliter mala.

26 Quæres, quem ordinem prioritatis, et poſterioritatis ſeruent inter ſe paſſiones principales?

Reſp; quòd licèt ſuperiùs *n. 22.* deſcriptus ſit ordo particularis, quem vna paſſio habet ad aliquas alias, *hìc* tamen oſtendendus eſt ordo totius collectionis paſſionum; quia alius eſt ordo partium, et alius ordò totius; nam v.g. in exercitu ſi conſiderentur tres acies tantùm, vna habet rationem prioris, alia poſterioris, & altera extremi; ſi tamen omnes tres acies comparentur ad totum exercitum, neutra poteſt eſſe extrema.

27 Reſp. ergo *Fund. Doct. hìc c. 2*; quòd paſſiones poſſunt ſumi, vel binæ, & binæ, vel ſingillatim. Si binæ, & binæ, amor, et odium ſunt ſimpliciter primæ, deinde deſiderium, et abominatio; deinde ſpes, et deſperatio: deinde audacia, et timor: deinde ira, et manſuetudo: et tandem delectatio, et triſtitia. Ratio huius eſt: quia qui afficitur aliqua paſſione, vel afficitur, quia amat; vel quia odio habet; ideo amor, et odium ſunt paſſiones ſimpliciter primæ. Ex eo autem, quòd amat, inſurgit deſiderium, quod propterea dicitur inniti amori; ſicut ex eo, quod odit, inſurgit abominatio, quæ ab odio originem ducit: et ſic poſt amorem, et odium ſequuntur deſiderium, et abominatio. Ex eo, quòd deſiderat, inſurgit ſpes habendi illud, quod ambit: et ex eo, quòd abominatur tanquam nimis arduum, inſurgit deſperatio: et ita poſt deſiderium, et abominationem eſt ſpes, et deſperatio. Ex eo, quòd ſperat illud bonum arduum conſequi, tanquam poſsibile, inſurgit audacia: et ex eo, quòd deſperat, inſurgit timor. Timor autem, et audacia, quæ ſunt de malo futuro, præcedunt iram, et manſuetudinē, quæ ſunt de malo præſenti: tandem omnis paſſio circa bonum vltimò terminatur ad delectationem: et circa malum ad triſtitiam: nam quicunque afficitur aliqua paſſione, vltimò vel delectatur, vel triſtatur.

28 Si autem vna paſſio ſumatur reſpectu alterius paſſionis ſibi oppoſitæ; amor eſt prior odio, quia amor tendit in bonum: odium verò in malum; nam appetitus primò, et per ſe tendit in bonum, ſecundariò in malum, quod eſt priuatio, et obliquitas boni; prius autem eſt rectum, quàm obliquum; et forma, quàm priuatio; tum quia nihil odiſſemus, niſi aliquid amaremus, et ideo odium ex amore deſcendit. Ob eandem rationem deſiderium eſt prius abominatione, et ſpes deſperatione; quia deſiderium, et ſpes ſunt circa bonum: abominatio verò, et deſperatio circa malum. Sic timor eſt prior audacia, quia fugere à malo eſt bonum: malum autem aggredi eſt malum. Ira præcedit manſuetudinem; quia manſuetudo eſt minima inter paſſiones ſenſitiuas,

uas,

uas, et ideo dicitur multùm deficere à ratione paſsionis, quia per ipſam cor non inflammatur, ſicut per alias paſſiones. Tandem delectatio præcedit triſtitiam, quia ſimiliter delectatio eſt circa bonum: et triſtitia circa malum.

A R T. II.

De amore, & odio.

1 QVamuis agere de paſsionibus in particulari ſpectet potiùs ad Rethores, quàm ad Theologos, quapropter *Fund. Doct. de Regim. Princ. lib. 1. p. 3. c. 1.* in fine aſſerit ſe *in libris Reth.* de illis locutum fuiſſe diffuſiùs, attamen quia earum notitia multam affert lucem ad inueſtigandam naturam virtutum, & vitiorum, de quibus acturi ſumus, idcirco eas nec omninò debemus omittere, ne claritas dicendorum deficiat; nec prolixè pertractare, ne alienam miſceamus materiam.

2 Solent ioquiri cauſæ, effectus, & remedia amoris, nec non modus ipſum moderandi, ac frænandi, ne immoderatè feratur in hæc bona ſenſibilia. Igitur.

3 Quoad 1. dicendum, quòd ſi ſumatur amor pro recta inclinatione, & propenſione in bonum, prima cauſa illius eſt Deus; nam qui creauit naturas, dedit quoque naturales inclinationes earum naturaliter conſequentes ad illas iuxta illud: *Qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe*; hinc *Beatiſs. P. de Gen. ad lit. lib. 3. c. 13.* docet Deum, cùm benedixit animalibus, amorem dediſſe, vt haberent affectum ad prolem. Diximus *pro recta inclinatione in bonum*; nam ſi loquamur de amore inordinato, qui deficit à prima regula bonitatis, prima cauſa illius eſt voluntas creata, quæ ſola poteſt deficere, & ideo eſt prima cauſa defectus; Deus nanque, cùm ſit ipſa regula bonitatis, nequit ab illa deficere, quia à ſe ipſo deficeret.

4 Secunda cauſa amoris, eſt bonum ſenſibile, quod efficienter cauſat in appetitu ſenſitiuo actum amoris, vt qualitas eſt, per quam veluti per pondus, vt loquitur *Beatiſs. P. lib. 1. Conf. c. 1.*; inclinat, et trahit in ſe ipſum; nam ſicut de voluntate diximus *to. 3. in tract. de Act. hum. q. 3. art. 2*; appetitus eſt de genere potentiarum paſſiuarum, quæ actuantur, et mouentur ab obiectis propter rationes *ibid.* adductas, quæ generaliter probant de omni potentia immanenter agente.

5 Tertia cauſa eſt ſimilitudo in affectibus, genio, alijſque qualitatibus tum animi, tum corporis: videmus enim, quòd contrariæ opiniones, et affectiones generant rixas, et amicitias diſſoluunt: vt *Adam* videndo *Euam*, quam ex eius coſta fecerat Deus *adiutorium ſimile ſibi*, ſtatim illius amore adeo captus remanſit, vt etiam ad tranſgrediendum præceptum, ne illi diſplicerct, conſenſerit. Ratio huius eſt; ſi nanque vnuſquiſque amat ſe ipſum, quia bonus eſt ſibi: nequit non amare ſimilem ſibi, cùm ſibi ſimilis ſit veluti alter ipſe, vel vnus cum ipſo, quia ſimilitudo eſt quædam vnio. Huc reducitur ſimpathia, et antipathia, quæ vnigeneam, et diuerſigeneam humorum, ac affectionum harmoniam important: ſed hæc *ad Philoſophos*. Ceterùm hæc cauſa reducitur ad ſecundam; nunquam enim poteſt aliquod obiectum amari, niſi producat in appetitu actum amoris, vt qualitas eſt: vnde in tantùm amamus ſimpathicos, quia præſentantur appetitui, vt obiecta habentia qualitates vnigeneas, quæ magis mouent, quia magis placent: nam ſi non præſententur, non amantur; incognitum enim amari non poteſt.

Aliqui, vt Med. hic q. 27. art. 2; vult cognitionem eſſe cauſam amoris per ſe.

Sed hæc opinio *in 2. Phyſ.* refellitur; vbi oſtenditur cognitionem eſſe tantùm conditionē neceſſariò requiſitam ad rationem finalizandi, ſeu cauſandi in voluntate actum amoris, et tendentiæ in bonum: ipſam autem bonitatem eſse rationem formalem cauſatiuam illius: quod dicendum eſt pariter de appetitu ſenſitiuo, qui eodem modo ſe habet, ac intellectiuus; cùm vterque ſit potentia immanenter agens, et habeat cundum modum agendi.

Quoad 2. dicimus primum effectum amoris eſse vnire amantem cum obiecto amato, imò efficere idem cum illo, aut ipſum in illud tranſformare. Et quanuis etiam intellectus habeat vnire cum obiecto; attamen vnio intellectus eſt tantùm aſsimilatiua: vnio autem voluntatis eſt transformatiua, quæ eſt maior, et potior: idcirco amans dicitur poni extra ſe, et viuere tantùm in re amata: et in hoc ſenſu vnio dicitur effectus tantùm amoris. *Vid. Fund Doct. Quodl. 5. q. 5.*, vbi de hoc fusè diſcurrit. Hinc *Beatiſs. P. lib. 4. Conf. c. 6.* deſcribens dolorem, quo affectus fuerat morte cuiuſdam amici à teneris annis ſumma ſibi familiaritate coniuncti ait: *Nam ego ſenſi animam meam, & animam illius vnam fuiſse animam in duobus corporibus: & ideo mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius viuere: & ideo fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multùm amaueram.*

Alter effectus amoris eſt reciprocatio: ex eo enim, quòd quis amet alterum, amando adgenerat reamorem in illo: ſic *Sponſa Cant. c. 2. Dilectus meus mihi, & ego illi.*

Alius effectus amoris eſt extaſis; de qua *Beatiſs. P. in pſ. 30.* ait: *Extaſis vocabulum Græcum eſt, latinè dicitur exceſſus, qui fit duobus modis: vel pauore terrenorum: vel mente rapta ad ſuperna, & inferiorum oblita*: cùm enim amor habeat ponere amantem in re amata, ideo efficit, vt ſit extra ipſum, et extaſim patiatur. Extaſis tamen magis propriè dicitur de amore intellectuali, quàm de amore ſenſibili, de quo *hic* loquimur, quia amor intellectualis abſtrahit amantem

ab

ab omni re ſenſibili, & ſopit omnes ſenſus; amor autem, ſenſitiuus licèt abſtrahat ab omni alio obiecto, & operatione; non tamen abſtrahit ſimpliciter ab omni operatione, & obiecto ſenſibili, quia non abſtrahit à ſe ipſo,& à ſuo obiecto; ipſe enim, & obiectum ſunt ſenſibilia. Dicitur ergo extaſis ſecundùm quid, non ſimpliciter illa, quam patitur amans ſenſitiuus; at verò illa, qua afficitur amans intellectualis, eſt extaſis ſimpliciter, quia eſt abſtractio ab omni re inferiori ad ſuperiora; vt loquitur *Beatiſs. P. vbiſ.* Non quæcunque tamen abſtractio à ſenſibus extaſis eſt;vt patet in dormientibus, aut aliquo graui morbo correptis; aut abreptitijs oppreſſis à Dæmone; ſed illa tantùm, quam patitur quis ob vehementiam amoris totus defixus in obiectum, quod amat. Differt autem extaſis à raptu; quòd illa poteſt eſſe ſine corporis eleuatione; hic autem cũ tanto impetu fit in anima amantis, vt trahat ſecum animam, & corpus, quod animæ vnitur; quod à ſolo Deo poteſt præſtari; vt fuit raptus. *D. Pauli & aliorum* SS; vt *in faſtis Eccleſiaſticis*.

10 An autem extaſis pertineat ad intellectum, vel voluntatem; dicendum pertinere præſuppoſitiuè ad intellectum, & formaliter ad voluntatem, nam extaſis fit per amorem, qui formaliter eſt actus voluntatis;quia tamen voluntas ſemper ſequitur indiſſociabiliter intellectum;ideo ſi voluntas eſt rapta, etiam intellectus, ſeu mens præſuppoſitiuè rapi debet; aliter voluntas rapta eſſet cæca; quæ tamen eſt maximè illuminata; & in extaſi plura videt, quæ non videt in ſenſibus.

11 Alter effectus eſt zelus;ex eo enim,quòd amor intenditur, conatur repellere omne id, quod prohibet conſecutionem rei amatæ. Zelus autem alius eſt amoris concupiſcentiæ, quo quis intensè amans bonum ſuum nititur repellere impedientia poſſeſſionem illius; alius amoris amicitiæ, quo quis vult repellere impedientia bonũ amici.

12 Tandem effectus amoris ſunt languor;vt illud *Cant. 2. Præ amore langueo*; defectus ſpiritus iuxta illud *pſ. 76. Deficit ſpiritus meus*;feruor animæ &c.

13 Modus autem moderandi amorem (inquit *Fund. Doct. vbiſ. c. 3.*) eſt, vt magis ametur bonum publicum, quàm priuatum; quia bonum publicum eſt maius bonum, quàm priuatum; & in bono publico eſt bonitas Dei, quæ eſt maior õni bono creato. Et hoc maximè decet Principes & Prælatos;in hoc enim diſtinguuntur à Tyrannis, qui principaliter intendunt bonum propriũ, & ex conſequenti bonum commune; in quantùm ſcilicet ex bono communi conſurgit bonum priuatum. Reges autem, & Prælati intendunt principaliter bonum commune, & ex conſequenti priuatum; in quantùm continetur in bono cõmuni. Quamuis autem hæc bona ſenſibilia facta ſint propter hominem; attamen propter peccata homo amiſit ius illis vtendi, ſicut ſibi placet; & ideo debet illa moderatè amare, quantùm ſcilicet exigit neceſſitas vitæ.

14 Præterea debemus cogitare, quòd Deus, qui ſummè nos diligit, tam ingratè offenditur. 2. Alienare ſtatim cogitationem à re peruersè dilecta; hoc enim eſt *allidere paruulos ad petram*; idèſt conuertere cogitationẽ ad paſſionem Chriſti Domini, qui eſt petra, qua franguntur omnes malæ cogitationes; vt habetur *pſ. 136. 3.* Ponderare mala, quæ ex illo amore deſcendent, ſiue æterna, ſiue temporalia. 4. Conuertere mentem ad alia obiecta amabilia, quæ non ſunt peccaminoſa.

15 Odium, quod opponitur amori, definitur *diſſonantia ad id, quod eſt ſibi diſconueniens, & nociuum*; ſicut autem id, quod eſt ſibi conueniẽs, eſt bonum ſibi; ita illud, quod eſt diſconueniens, eſt malum; vnde odium ſemper eſt auerſio, ſeu fuga à malo

16 Sicut autem amor diuiditur in amorem ſimplicis beneuolentiæ, concupiſcentiæ, & amicitiæ; ita odium, quod opponitur amori, *cùm oppoſitorum ſit eadem ratio*, diuidi poteſt in odium, quod opponitur amori beneuolentiæ, quod eſt auerſio à malo, prout malum eſt in ſe ipſo; ſicut amor beneuolentiæ eſt tendentia in bonum, prout eſt bonum in ſe; & in odium, quod opponitur amori concupiſcentiæ; & eſt auerſio à malo, quod eſt ſui læſiuum; & in odium inimicitiæ, quod opponitur amori amicitiæ; & eſt tendentia in malum, quod optat inimico. Ex hoc patet *Med; Val, Eſparz; & alios* inſufficienter, & inadæquatè odium diuidere.

17 Solet *hic* fieri difficultas, quomodò odiũ inimicitiæ habeat verã rationem odij; nam odiũ per hoc formaliter diſtinguitur ab amore; quòd amor conſiſtit in tendentia poſitiua, ſeu proſecutione, quæ explicatur per *velle*; odium verò conſiſtit in auerſione, ſeu fuga à malo, quæ explicatur per *nolle*; odium autem inimicitiæ conſiſtit in proſecutione, ſeu tendentia in malũ, quod volumus inimico?

Reſp. facilem eſſe ſolutionem; nam quamuis velle malum inimico ſit tendentia poſitiua quantùm ad modum ſignificandi; quia explicatur per verbum *velle*, quod eſt poſitiuum; attamen quoad rem explicatam eſt auerſio negatiua; nam odio habere inimicum eſt velle malum inimico vſque ad exterminium, vt *inf.*; velle autem malum inimico vſque ad exterminium eſt nolle inimicum viuere, & ideo eſt auerſio ab illo. Sicut quando nolumus malum amico, eſt actus amoris; quia licèt per *nolle* explicetur auerſio à malo, quod nolumus amico; attamen quia ſecundùm rem ſignificatam eſt idem, ac velle bene ſe habere amicum, ideo eſt actus poſitiuus amoris. Ratio huius eſt, quia vt docet *Beatiſs. P. in ſuppl. cont. Iul. lib. 1. c. 114; & lib. de nat. Boni c. 4.*; *Omne malum in aliqua natura eſt, quæ bona eſt*; ideo ſimul cum auerſione à malo coniuncta

eſt

eſt proſecutio in bonum, & è contra. Tum quia velle malum inimico eſt actus poſitiuus negationem importans; non enim eſt ſuſpenſio actus; ideo poteſt explicari negatiuè, & poſitiuè. Cùm autem dicitur, quòd tendentia poſitiua eſt actus amoris, diſt. Tendentia poſitiua in bonum, conc; io malum, neg.

18 Cauſa odij eſt ſolum malum ſiue ſit apparens, ſiue reale; ſiue phyſicum, ſiue morale. Ratio eſt; nam odiſſe eſt deficere ab amore; eſt enim ſe auertere, & fugere, quod eſt deficere à proſequi, & tendere; ſed ſolum malum eſt id, à quo poſſumus deficere, quia bonum, vt bonum reduplicatiuè ſumptum, eſt obiectum proſecutionis; tum quia ſolum malum eſt defectus; eſt enim carentia bonitatis; ergo ſolum malum eſt cauſa odij.

19 Sed *hìc* excitantur duæ difficultates. 1. An Deus poſſit odio haberi à creatura? 2. An creatura poſſit odiſſe ſuum eſſe?

20 Videtur. 1. ex vna parte, quòd Deus nequeat odio haberi; nam *D. Dion. 4. de Diuin. nomin.* ait: *Omnibus amabile, & diligibile eſt primum bonum, & pulcrum*; Deus autem eſt prima bonitas, & pulcritudo. Præterea *Apoc. 1.* dicitur Deus *Alpha, & Omega, principium, & finis*; ergo omnia terminantur ad Deum, ſed odium auertit à Deo; ergo nullus poteſt odiſſe Deum. Inſuper dictum eſt *to. 3. de Ang. q. 7. art. 3.* creaturam intellectualem neceſſariò amare Deum; *& Beatiſs. P. ibid. cit.* docet: *Omnia mihi dicunt, vt te amem*; cum amore autem incomponibile eſt odium erga idē obiectum. Ratio etiam id probat; nam Deus eſt ſummè bonus, omnis boni bonum; & nulla ratio mali eſt in eo; ergo eſt ſolùm amabilis, non odibilis.

21 Ex oppoſito *pſ. 138.* habetur: *Nonne, qui oderunt te, Domine, oderam? & pſ. 73. Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper; & Io. 15.* ait Chriſtus Dominus: *Qui me odit, & Patrem meum odit*; ſuper quod *Beatiſs. P.* ait damnatos odiſse Deum tanquam vltorem iniuſtum; & poſtquam *ſerm. 2. de ſerm. Domini in Monte* dixerat: *Nullius ferè conſcientia Deum poteſt odiſſe*, *lib. 1. Retract. c. 19.* ait: *Multi ſunt, de quibus ſcriptum eſt: Superbia eorum, qui te oderunt &c.*

22 Dicendum eſt Deum intuitiuè cognitum non poſſe odio haberi, quia nulla eſt in Deo ratio mali, cùm ſit in eo omnis ratio boni. Eſt communis hæc ſententia *inter Theologos*. Addimus, quòd ſi Deus abſtractiuè cognoſcatur, vt eſt in ſe (nam quando cognoſcitur per creaturas, poteſt cognoſci conformiter ad id, quod eſt in ſe) nec tunc poteſt odio haberi propter eandem rationem, quia ſcilicet in Deo nulla eſt ratio mali; & in hoc ſenſu intelliguntur *auctoritates allatæ* pro prima parte. Si verò cognoſcatur per effectus creatos difformiter ad id, quod eſt in ſe; tunc poteſt apparere malus, ſed mendaciter; & ſic poteſt odio haberi; & in hoc ſenſu intelligendi ſunt *textus allati* ex oppoſito. Ex quo habetur Deum in ſe ipſo, & verè non niſi ſummè amabilem, ac diligibilem eſſe.

23 Videtur 2. creaturam poſſe appetere nō eſſe, & odiſſe ſuum eſſe. Hoc probat *D. Hier.* in illud *Hierem. Maledicta dies, in qua natus ſum*; & afferens eundem textum *in Iob.* ait: *Huic teſtimonio coaptamus, quòd ſcilicet melius ſit non eſſe, quam viuere in ſupplicijs &c; Et in Euang. legimus: Melius ei fuerat, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Eandem ſententiam ſequitur *Orig.* explicans *eundem Euang. textum.*

24 In contrarium eſt *Beatiſs. P. Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 7. & 8.* dicens: *Conſidera quàm magnum bonum ſit ipſum eſſe, quod etiam beati, & miſeri volunt.*

25 Dicendum *cum Fund. Doct. in 3. diſt. 14. p. 1. q. 1. art. 4. §. Tertiò hoc*; quòd velle non eſse ſtat dupliciter. 1. per ſe. 2. per accidens, ſcilicet ratione miſeriæ annexæ ſuo eſse. Igitur creatura nequit appetere non eſse per ſe, ſed tantùm per accidens; & probat 1. ex *Beatiſs. P. lib. 11. de Ciu. Dei c. 26.* docente: *Qui miſeri ſunt, volunt interire, cùm ſe miſeros eſſe ſentiant; non autem vt ſe ipſos deleant, ſed miſeriam potiùs auferri volunt*; vnde volunt potiùs non eſse miſeros, quàm non eſse. Ratio primi eſt. Nullus poteſt amare directè, & per ſe non eſse præciſè ſumptum, quia non eſse ſic acceptum nullam dicit rationem boni, & amor eſt tantùm de bono; non eſse enim præciſè ſumptum dicit puram negationem exiſtentiæ, à qua ſumitur bonitas formalis, vt diximus *to. 1. de Bon. art. 1. n. 1.*; ergo nullus directè, & per ſe poteſt odiſse ſuum eſse præciſè acceptum, quia eſse præciſè acceptum dicit perfectionem, & bonitatem oppoſitam non eſse; odium autem eſt de malo, non de bono. Ratio ſecundi eſt, & confirmat primum. In tantùm damnati odio habent eſse, in quantùm illud eſse ſtat ſub miſeria, & ſumma afflictione, quæ mala eſt; & in tantùm appetunt non eſse; in quantùm non eſse ſtat ſub priuatione miſeriæ, & ſummæ afflictionis, qua deſiderant carere; carere autem ſumma miſeria, & afflictione bonum eſt, vt habet *Phil. 5. Phyſ.* quia ipſa miſeria, & afflictio mala eſt; ergo odio habent eſse tantùm indirectè, & per accidens; non autem per ſe, & directè, *ſed propter quod vnumquodque tale, & illud magis*; ergo ſi odio habent eſse propter euitandas miſerias, & afflictiones illi coniunctas, multò magis odio habent ipſas miſerias, quàm ipſum eſse. Tum quia vnuſquiſque neceſsariò vult eſse beatus; ſed in non eſse præciſè ſumpto nulla eſt beatitudo, imò eſt carentia beatitudinis, quæ fundatur in eſse; in carentia autem miſeriæ eſt aliqua beatitudo; quia carentia miſeriæ eſt oppoſitum miſeriæ, & oppoſitum miſeriæ eſt beatitudo, ergo nullus vult non eſse præciſè per ſe, & directè, ſed tantùm per accidens, & indirectè; & ideo nullus per ſe odit eſse; quia odiſſe eſse

eſt velle non eſse.

26 Sic intel ligendus eſt *D.Hier*; & ille *textus Iudæ*; nam licèr non eſse ſub miſeria, quod eſt quoddam eſse accidentale aduenieus eſse ſubſtantiali, ſicut eſse album, eſse nigrum &c; ſit melius, quàm eſse ſub miſeria, quod eſt pariter eſse accidentale; attamen non eſse ſubſtantiale non eſt melius eſse ſubſtantiali, aut accidentali, ideo tantùm in ſenſu allato *ille textus* verificatur.

27 Cauſæ, & effectus odij oppoſito modo ſe babent, ac cauſæ, & effectus amoris, ideoq; Dęmon eſt cauſa extrinſeca inducens ad odium; & malum vel reale, vel apparens eſt cauſa effectiua; ſic diſſimilitudo, ac diſsonantia genij, contrariæ affectiones &c; maximéque mouēt ad odiū ira, detractio, & calumnia, vt habet *Phil.2.Reth. c.4.* Effectus autem eſt deunire ab obiecto odio habito, inductio odio habiri ad odium reciprocum, congelatio, et reſtrictio cordis, induratio &c.

28 Modus autem moderandi odium eſt odio principaliter habere malum publicum; viria, quæ offendunt Deum; & ſubuertunt communitates, & cetera, quæ diximus de amore.

Quæres; an in Deo ſit odium?

29 Reſp. odium, quod eſt paſſio ſenſibilis, non eſſe in Deo formaliter, ſed taotùm metaphoricè; quia Deus non eſt aliqua paſſione afficibilis. Si autem loquamur de odio oppoſito amori ſpirituali, prout eſt auerſio à malo culpæ; eſt in illo iuxta *pſ.118. Iniquos odio habui*; non autem eſt in illo, prout odium eſt vſque ad exterminium: quia Deus non exterminat peccata, ſed permittit.

A R T. III.

De deſiderio, & abominatione.

1 DEſiderium, ſeu cupidiras, quod etiam concupiſcentia dicirur à nomine appetitus concupiſcibilis, in quo ſubiectatur latiori ſignificatione appetitus quoque denominatur. Sumitur etiam frequentiſſimè *in Scripturis* pro praua inclinatione ad malum, quæ dicitur etiam *fomes peccati*, aut *lex membrorum*, aut *peccatum habitans in carne*, *iuxta Apoſt. Rom.7*; propter quod non pauca *hic* habetur vocabulorum confuſio, & æquiuocatio. Propter hoc deſiderium, ſeu concupiſcentia ſumpta ſecundùm latam ſignificationem dicitur etiam amor; in quo ſenſu, vt notat *D.Tho.q.30.ar.2.ad* 2; loquitur *Beatiſs. P.lib.83.qq. q.33*; *& noſter Greg. in 1.diſt.1.q.2. art.2. concl.1*; & ſic vindicatur a calumnia *Caiet*; *& Med*; qui non aduerterunt in *Sacris Scripturis* non ſemel quencunque amorem inordinatum vocari concupiſcentiam; vt *1.Io.2.* amor carnalis dicitur *concupiſcentia carnis*. Sumpta tamen pro deſiderio definitur *tendentia in bonum futurum nondum obtentum, poſſibile tamen obtineri.*

2 Differt autem deſiderium, ſeu concupiſcentia ab amore; quòd amor præſcindit à conſecutione, vel non conſecutione obiecti; concupiſcentia verò dicit motum, & tendentiam in obiectum abſens, conſequendum tamen. Ratio affertur *à Fund. Doct. de Regim. Princ. lib. 1.p.3. c.4.* Ita ſe habet forma grauitatis, ſeu ponderis in rebus corporeis inanimaris, ſicut amor in rebus intellectiuis; & ita ſe habet motus deorſum in rebus grauibus, ſicut deſiderium, ſeu concupiſcentia in amantibus; nam ſicut per formã grauitatis corpus inclinatur deorſum; ita per amorem, quaſi per quoddam pondus iuxta illud *Beatiſs. Patris*: *Amor meus pondus meum*; anima inclinatur in obiectum amatum; & ſicut corpus per motum actu tendit deorſum; ita anima per deſiderium, ſeu concupiſcentiam actu mouetur in obiectum amatum; ſed motus in corporibus differt à forma grauitatis, quæ eſt principium illius; ergo deſiderium differt ab amore, qui eſt radix deſiderij; vt ſuperiùs habitum eſt.

3 Dices Beati quanuis poſſideant Deum; attamen ipſum deſiderant iuxta illud: *In quem deſiderant Angeli proſpicere*; ergo falſum eſt deſiderium eſſe de re non poſſeſſa.

Reſp. hoc eſſe explicandum *in ſeq. art. n.23.*

4 Concupiſcentia, *vt ſic* 1. diuiditur in concupiſcentiam ſpiritus, qua appetimus bona animi; & concupiſcentiam carnis, qua appetimus bona carnis; nam *ex Apoſt. ad Gal.5.* habetur: *Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum; ſpiritus autem aduerſus carnem; hac enim ſibi inuicem aduerſantur.*

5 Concupiſcentia carnis ſubdiuidltur in naturalem, qua appetimus bona, quæ ſunt neceſſaria ad vitam tuendam; vt cibus, potus, veſtis &c; & præternaturalem, qua appetimus bona, quæ ſunt præter id, quod exigit natura; vt multas opes, dignitates, voluptates &c.

6 Tandem concupiſceotia alia eſt, qua appetimus finem; & alia qua appetimus media ad finem; & quia *finis ex Phil. 1. Polit. appetitur in infinitum; ea autem, quę ſunt ad finem, appetuntur ſecundùm modum, & menſuram ipſius finis*; vt quia medicus intendit ſanitatem, tanquam finem, debet illam intendere, quantùm poteſt, maiorē; at verò quia intendit potiones, tanquam media conducentia ad ſanitatem; ideo illas non intendit maiores, aliter exterminaret ægrotum; ideo concupiſcentia debet intendere finem, quantùm poteſt; media verò debet intendere ad menſuram ipſius finis.

7 Dices. Concupiſcentia finis eſt naturalis; ſed concupiſcentia naturalis eſt finita; quia ea, quæ pertinent ad conſeruationem naturæ, habere debent menſuram, & modum; non enim appetere debemus cibum infinitum &c; ergo falſum eſt, quòd debeamus appetere finem in infinitum.

Reſp. diſt. mi. Concupiſcentia naturalis mediorum eſt finita, conc; finis, neg.

8 Cau-

8 Cauſæ, & effectus concupiſcentiæ ſunt illæ, quas attulimus de amore.

9 Modus autem moderandi concupiſcentiam habetur ex dictis; nam ſi finis concupiſcitur in infinitum; & media ad menſuram finis; ideo conſeruatio vitæ debet ſemper intendi in infinitum; bona autem media, quæ conducunt ad finem, vt diuitiæ, cibus &c; debent intendi ad menſuram finis; idẽſt prout conducunt ad conſeruationem vitæ, & non plus.

10 Abominatio, quæ concupiſcentiæ, ſeu deſiderio opponitur definitur *auerſio ſeu fuga actualis à malo cõtriſtatiuo ſecũdũ ſe accepto.* Per primas particulas differt ab odio, quod importat declinationem à malo abſolutè ſumpto; ſicut enim amor importat inclinationem per modum ponderis, non per modum actualis tendentiæ in bonum; ita odium importat declinationem à malo per modum ponderis declinantis in oppoſitum, non per modum actualis auerſionis, & fugæ; & ſicut deſiderium importat actualem tendentiam, in motum bonum, ita abominatio, quæ illi opponitur, importat oppoſitum tendentiæ, & motus actualis, qui explicatur per auerſionem, & fugam actualem. Per alias particulas diſtinguitur abominatio à timore, qui eſt de malo, prout arduo; abominatio autem eſt de malo abſolutè ſumpto.

11 Cetera, quæ abominationi conueniunt, oppoſito modo dicuntur, ac ea, quæ diximus de concupiſcentia, ſeu deſiderio; *oppoſitorum* enim *eſt eadem ratio*; ideo *hic* non ſunt inaniter repetenda.

ART. IV.

De delectatione, & triſtitia.

1 Delectatio ſic poteſt definiri: *Eſt motus, quo fertur animus in bonum ſibi conueniens iam adeptum.* Colligitur hæc definitio ex *Fund. Doct. de Regim. Princ. p.3.c.8; & in lib. Reth; & ex Phil. 1. Reth. c.10.* Dicitur *motus*, quia omnis paſſio eſt motus, & ideo motus ſtat loco generis. Dicitur: *Quo fertur animus*; vt excludantur motus, quibus res inanimatæ feruntur in obiecta ſibi conuenientia; delectari enim conuenit ſolùm rebus cognitione præditis; vnde delectatio ſemper debet eſſe cum cognitione. Dicitur *In bonum ſibi conueniens*; quia de obiecto diſconuenienti eſt potiùs triſtitia; ideo proportionatum ſenſibile delectat; vehemens autem affligit; vt lux attemperata delectat oculos; lux autem vehemens, vt eſt lux Solis, extorquet lacrimas. Dicitur tandem: *iam adeptum*, vt diſtinguatur ab amore, qui præſcindit à præſentia, vel abſentia obiecti; & à deſiderio, quod eſt de obiecto non poſſeſſo.

2 Dices 1. Phil. 10. Eth. c. 4. ait delectationẽ eſſe finem operationis; ſed in fine non eſt motus; quia *habito fine ceſſat motus*; propterea *Theologi* definire ſolent delectationem *quietem in bono adepto*; ergo delectatio non eſt motus, qui opponitur quieti 2. Delectamur etiam bonis præteritis ad memoriam redactis; imò etiam futuris in ſpe exiſtentibus iuxta illud *Apoſt. Rom. 12. Spe gaudentes*; ergo malè dicitur, quòd delectatio ſit de obiecto præſenti iam adepto.

Reſp. ad 1; quòd duplex eſt motus appetitus; vnus externus, quo mediantibus potentijs exterioribus tendit ad actualem conſecutionem finis non habiti; & hic motus ceſſat fine iam adepto. Alter internus, quo tendit in obiectum adeptum illi ſe per nouam intentionem coniungendo; & hic non ceſſat habito fine. Delectatio ergo dicitur quies primo modo, & motus in ſecundo ſenſu. Ad 2. dicitur, quòd adeptio, ſeu poſſeſſio duplex eſt; alia ſecundùm rem; alia ſecundùm apprehenſionem, qua apprehendimus obiectũ, ac ſi eſſet præſens. Delectatio igitur poteſt eſſe de obiecto iam adepto vtroque modo.

3 Aliqua alia, quæ de delectatione dicuntur, & tanguntur à *Fund. Doct. vbiſ.* explicanda ſunt.

4 Dicitur 1, quòd delectatio *perficit operationem*; nam qui delectatur in aliqua actione, perfectiori modo operatur. Ex hoc habetur, quòd delectatio ſemper ſequitur aliquam operationẽ; circa quod poteſt eſſe difficultas; an ſequatur tantùm cognitionem, in hoc enim diſtinguitur delectatio à ſimplici appetitu rerum inanimatarum, vt *ſup.* dictum eſt; an verò ſequatur actionem appetitus?

Reſp. delectationem ſequi nedum cognitionem, quia de eo, quod non cognoſcimus, nõ delectamur, niſi de bono adepto ab appetitu. Tum quia delectatio ſupponit amorem, ex quo deſcendit; vt *ſup.* dictum eſt. Tum quia delectatio eſt de bono iam conſecuto ab appetitu; conſecutio autem boni eſt actio appetitus; ergo delectatio ſemper ſequitur ne dum cognitionẽ, ſed etiam actionem appetitus.

5 Dices *cum Caiet.* Delectamur etiam de eſſe, de vita, alijſque rebus, quas non conſequimur per operationem appetitus; ergo non ſequitur ſemper operationem appetitus.

Reſp. nos delectari de eſſe, & de vita, quia eſſe, & vitam priùs amamus; & ad hunc amorem ſequitur delectatio; quòd ſi quis deſideret non eſſe, & non viuere, non delectatur; & quanuis per operationem appetitus non conſequamur eſſe, & vitam in eſſe phyſico; attamen illud conſequimur in eſſe boni apprehenſi, & amati.

6 Dicitur 2. delectationem eſſe de bono congruo, & conuenienti; controuertitur autem, an obiectum cauſet delectationem ſub ratione bonitatis, vel ſub ratione conuenientiæ? *Scotus* vult relationem conuenientiæ eſſe tantùm conditionem *ſine qua non*; *Caiet.* verò vult conuenientiam eſſe rationem formalem cauſatiuam delectationis.

7 Sed hæc lis dirimitur ex dictis *to. 1. de Bonit. art. 2*; vbi oſtendimus bonitatem eſſe relatiuã *ſecundùm dici*; & ideo formaliter importare conuenientiam ad appetitum; vnde ſi conuenientia formaliter ſpectat ad bonitatem, & bonitas formaliter cauſat delectationem, etiam conuenientia illam formaliter cauſat; quare conuenientia, & bonitas non debent diuidi; nam bonus cibus infirmo non eſt bonus, quia illi non conuenit.

8 Dicitur 3. delectationem eſſe motum, quo fertur in bonum &c. Sed hic dubitatur; an delectatio ſit actio, ſeu operatio actiua; an verò pura paſſio? Difficultas autem procedit etiam de delectatione voluntatis.

9 *Scot. in 3. diſt. 15.* vult delectationem, & triſtitiam eſſe puras paſſiones voluntatis; amorem autem, & odium eſſe operationes. *Med.* verò *hic q. 31. concl. 1. & 2.* ſubſtinet delectationem, & triſtitiam eſſe actiones à voluntate elicitas; non tamen propriè loquendo eſſe volitionem, aut nolitionem.

10 Sed dicendum delectationem ſenſibilem eſſe puram paſſionem explicatam per modum actionis; delectationem autem ſpiritualem eſſe actionem voluntatis, quæ eſt ſpecies volitionis. Ratio primi eſt, nam ſentire eſt purum pati; & ideo omnis ſenſatio eſt pura paſſio, vt docet *Fund. Doct. Quodl. 3. q. 13*; quia ſenſus non eſt reflexiuus, aliter ſentiret ſe ipſum; & ſic oculus videret ſe videre, & auris audiret ſuam auditionem; in tantùm enim intellectus intelligit ſuam intellectionem; & voluntas amat ſuum amorem; in quantùm ſunt potentiæ reflexiuæ; & in tantùm ſunt potentiæ reflexiuæ; in quantùm recepto ab obiecto actu intellectionis, & volitionis; vt qualitas eſt, illum reflectunt in obiectum; hoc nanque eſt reflectere; ergo delectatio ſenſibilis, ſicut quæcunque alia ſenſatio propriè non eſt actio, ſed paſſio explicata per modum actionis; quia explicatur per modum tendentiæ in obiectum. Sed de hoc *in lib. de an.*

11 Ratio ſecundi eſt; quia delectatio ſpiritualis eſt motus, quo voluntas fertur in bonum adeptum; ſed motus, ſeu tendentia voluntatis in obiectum eſt actio, quia voluntas eſt potentia reflexiua; & in tantùm dicitur reflexiua; in quantùm recepto actu volitionis ab obiecto, illum reijcit in ipſum ſe monendo, & tendendo in illud; nomine autem actionis voluntatis, & intellectus non intelligimus, niſi motum, & tendentiam in obiectum; ergo delectatio ſpiritualis eſt actio propria ipſius voluntatis.

12 Ratio tertij eſt, nam omnis actio voluntatis vel eſt volitio, vel nolitio; ſicut omnis actio intellectus eſt intellectio; volitio enim denominatur à voluntate, ſicut intellectio ab intellectu; & ſicut ſunt variæ ſpecies intellectionis; alia enim eſt comprehenſio, alia viſio &c; ita ſunt variæ ſpecies volitionis; alia enim eſt amor, alia deſiderium, alia delectatio; & ideo ſicut amor eſt volitio, ita dicendum de delectatione; & ſicut odium, abominatio, triſtitia, et alij actus negatiuè explicati sũt veræ nolitiones, ſic amor, deſiderium, delectatio &c. ſunt veræ volitiones, nomine enim volitionis intelligitur actus voluntatis affirmatiuè explicatus, ſeu per modum tendentiæ, et proſecutionis, et nomine nolitionis ſignificatur actus voluntatis negatiuè explicatus per modum fugæ, et auerſionis, ſed delectatio eſt actio voluntatis explicata per modum tendentiæ, et proſecutionis, ergo eſt vera nolitio. *Vid. to. 2. de Trin. q. 2. art. 4.*, vbi oſtenſum eſt dictionem, per quam producitur Verbum, eſſe veram intellectionem.

13 Dicit *Scot.* Triſtitia non eſt actus voluntatis, ergo neque delectatio, quia *oppoſitorum eſt eadem ratio*. Prob. ant. 1. Si triſtitia eſſet actus voluntatis, vel eſſet volitio, vel nolitio? Non primum, quia triſtitia eſt fuga, et auerſio à malo. Non ſecundum, aliter in Deo daretur triſtitia, quia in ipſo datur nolitio. 2. Aliquis ſummè nolens poteſt triſtari, quia poteſt euenire illi aliquod generans in illo triſtitiam, ergo non eſt à voluntate. 3. Triſtari non eſt ſub dominio voluntatis, quia licèt ſit in voluntate, attamen non eſt à voluntate, cùm naſcatur nolentibus nobis. Propter has rationes ſubſtinet *Med.* delectationem, et triſtitiam eſſe actiones voluntatis, non tamen eſſe propriè volitionem, et nolitionem, et id probat, quia fruitio eſt actio voluntatis, et tamen non eſt volitio, ergo à pari.

Reſp. ad 1. neg. ant. Ad 1. prob. dicitur triſtitiam eſſe ſpeciem nolitionis, neg. tamen eſſe in Deo, quia odium *per Scotum* eſt nolitio, et tamen non eſt in Deo formaliter, vnde in Deo non ſunt omnes ſpecies nolitionis, quia aliquæ dicunt imperfectionem, vt triſtitia, quæ pugnat cum eius beatitudine. Igitur cum dicitur: In Deo eſt nolitio, diſt. Omnis nolitio, neg; aliqua, conc. Ad 2. diſt. ant. Aliquis ſummè nolens poteſt triſtari, neg., triſtatur enim volens; ſummè nolens euentum obiecti contriſtantis, conc., et ſic patet ad 3., nam licèt euentus obiecti contriſtatiui non ſit in noſtra poteſtate, attamen triſtari eſt in noſtra poteſtate, vnde Sapientes non triſtantur de obiectis contriſtatiuis. Ad *Med.* dicitur, quòd fruitio eſt volitio, quia eſt tendentia in bonum poſſeſſum, ſicut dictum eſt de delectatione.

14 Quæres, an delectatio ſenſibilis moueat magis, quàm ſpiritualis?

Reſp. affirmatiuè, quia obiectum delectationis ſenſibilis eſt magis cognitum, et magis poſſidetur, ideo magis amatum, quapropter delectationes ſenſibiles ſunt vehementiores, et ideo vocantur radices omnium malorum.

15 Dicitur 4. delectationem eſſe de bono, et ideo quæritur, an omnis delectatio ſit bona, vel mala?

16 *Eudoxus, & alij antiqui apud Fund. Doct. vbiſ.* voluerunt omnem delectationem eſſe bo-

nam,

nam; quia omnes appetunt delectari; quod autem appetitur, bonum eſt; nam bonum, & appetibile conuertuntur. Alij autem ſentiebant omnem delectationem eſſe fugiendam; & ideo eſſe malam.

17 Reſp. *cum Fund. Doct.* quòd bonum aliud eſt apparens; aliud realiter tale. Bonum apparens eſt illud, quod re ipſa non eſt bonum, apparet tamen, vt bonum; v.g. potio vini videtur ægroto bona, & conueniens ad reacquirendam ſanitatem; re ipſa tamen non eſt bona, & conducens, ſed potiùs mala, & conducens ad interitum. Bonum realiter tale eſt illud, quod in ſe ipſo verè eſt bonum, & tale, quale apparet. Inſuper bonum realiter tale aliud eſt bonum ſimpliciter, quod in quocunque ponatur, ſemper eſt bonum; vt ſunt bona intelligibilia, & ſpiritualia; aliud eſt bonum ſecundùm quid, quod non eſt bonum in ſe ipſo, quatenus tamen conducit ad bonum ſimpliciter, induit rationem bonitatis; vt ſunt bona ſenſibilia, quæ quatenus conducunt ad bona intelligibilia, ſunt bona; in ſe ipſis tamen ſunt bona, & conuenientia tantùm brutis, non hominibus; vnde qui ſenſibilia tantùm ſectantur, mores brutorum, & vitam pecudum agere dicuntur.

18 Igitur delectationes, quæ ſunt erga bona intelligibilia, ſunt ſimpliciter bonæ; vnde delectari de actibus virtutum ſemper eſt bonum, & laudabile ſimpliciter; at verò delectationes, quæ ſunt erga bona ſenſibilia, quatenus ordinantur ad bona intelligibilia, ſunt bonæ tantùm ſecundùm quid; tandem delectationes, quæ ordinantur ſolùm ad bona ſenſibilia præciſè abſque vllo moderamine, & ordinatione ad bona intelligibilia, ſunt ſimpliciter malæ, & vituperabiles.

19 Ex hoc habetur poſſe habere ſanum ſenſum *Phil. apud Fund. Doct. vbiſ.* dicentem: *Abſque delectatione aliqua nullus viuere poteſt*; idèſt ſine delectatione virtuoſa. Item per hoc euertitur doctrina *antiquorum Philoſophorum*; nam delectationes erga bonum apparens non ſunt bonæ, quia illud bonum eſt realiter malum; *& aliorum*; nam delectationes ſequentes actus ſimpliciter bonos ſunt ſimpliciter bonæ; bonum enim eſt delectari de actibus virtutum; nã ſi bonum eſt facere perfectos actus virtutum; bonum eſt delectari de illis, cùm delectatio illos perficiat, vt *ſup.* dictum eſt.

20 Sed petes; an delectatio differat à gaudio, & lætitia?

Reſp. differre, ſicut differunt ſuppoſitum, & perſona, nam delectatio communiter dicitur de natura ſpirituali, & corporali; gaudium autem, & lætitia dici ſolent tantùm de natura ſpirituali.

21 Ex his habetur cauſas delectationis eſſe operationes, ad quas conſequitur; & bona delectabilia, à quibus cauſantur.

22 Primus autem effectus delectationis eſt dilatare cor *iuxta Iſaia 60. Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum*; & à dilatatione cordis dicta eſt delectatio *cordis* quaſi *cordis lætitia*.

23 Secundus effectus eſt afferre ſitim, & deſiderium; quod tripliciter poteſt intelligi. 1. Quando res, de qua capitur delectatio, non eſt tantæ bonitatis, vt expleat, & ſatiet totum appetitum; vt ſunt bona creata, quæ *Io. 4.* ſignificantur nomine *aquæ*; de qua dicitur: *Qui biberit ex hac aqua ſitiet iterum*; ſuper quod *Beat. Aug. tract. 15.* ait: *Etenim aqua in puteo voluptas ſæculi eſt*. Et paulò poſt: *Ergo de hac aqua qui biberit, iterum (inquit) ſitiet*. 2. Quando operatio, ad quam ſequitur delectatio, eſt imperfecta; licèt res, de qua capitur delectatio, ſit perfectè ſatiatiua; & ita eſt delectatio, quam in hac vita capimus de Deo obſcurè cognito *iuxta illud Eccli. 24. Qui bibunt me, adhuc ſitient*. 3. Dicitur delectatio afferre ſitim, idèſt tollere nauſeam, & faſtidium, ſed cum continua cordis lætitia guſtare dulcedinem operationis, & obiecti delectantis; quod explicatur nomine *ſitientium*; quia ſitientes maiorem capiunt delectationem in potu, quã non ſitientes; non autem quòd hæc ſitis ſit de re non habita; & ſic intelligitur illud *1. Pet. 1. In quem deſiderant Angeli proſpicere*.

24 Tertius effectus eſt afferre faſtidium; quod contingit, quando excedit modum operationis; vt cùm quis nimium comedit. Sed hic effectus conuenit ſolùm delectationibus ſenſitiuis.

25 Quartus eſt impedire cognitionem alterius rei diſtinctæ ab obiecto, quod delectat; quia delectatio ita abſorbet animum, vt non relinquat ipſum adeo liberum, & expeditum ad cogitandum de alijs rebus. Hoc quoque potiùs intelligendum eſt de delectationibus corporeis, quæ obruunt mentem; non de ſpiritualibus, quæ non aggrauant.

26 Vltimus effectus eſt perficere operationem, ad quam ſequitur delectatio, vt *ſup.* dictum eſt.

27 Habetur etiam ex dictis modus moderandi paſſionem delectationis; nam ſi delectationes intelligibiles, & virtuoſæ conueniunt hominibus; & delectationes ſenſibiles conueniunt beſtijs; hominibus autem, prout contradiſtinguuntur à brutis, non conueniunt, niſi quatenus conducunt ad delectationes intelligibiles, & virtuoſas; hinc homines debent ſimpliciter delectari ſolùm de bonis intelligibilibus, & ſecundùm quid de rebus ſenſibilibus, non autem ſimpliciter; deteſtabile enim eſt, quòd homines habeant mores beſtiales, & vitam degant brutorum: & quia bona intelligibilia ſunt opera virtutum, quæ dicuntur intelligibilia, quia ſunt actus intellectus; ideo maximè de operibus virtutum delectari debemus.

28 Triſtitia eſt *dolor de malo præſenti*. Particula, *dolor* ſtat loco generis, quia in plus ſe habet

bet dolor, quàm triſtitia; nam *SS. Martyres* non triſtabantur, ſed gaudebant de ſuis doloribus ſpe cæleſtium recreati iuxta illud *Rom.* 12. *Spe gaudentes in tribulatione patientes*; per alias particulas differt triſtitia ab abominatione, quæ eſt de malo futuro.

29 Dicitur autem triſtitia contrariari delectationi. 1. ſecundùm rationes communes; quia delectatio ſecundùm ſuum conceptum importat animi gaudium, triſtitia verò dolorem. 2. Secundùm rationem *affinitatis*; quia qui delectatur de aliquo bono, triſtatur de malo oppoſito illi bono, vnde triſtitia de malo oppoſito eſt affinis, ſeu coniuncta delectationi de bono propoſito. 3. Secundùm rationes diſparatas, quando ſunt reſpectu diuerſorum obiectorum. 4. Secundùm candē rationem ſpecificatiuā, et idem obiectum. Triſtitia, et delectatio primis tribus modis acceptæ ſunt compatibiles, et ſtant ſimul, quarto modo autem ſunt incompatibiles.

30 Diuiditur triſtitia iiſdem modis, ac delectatio, & ideo alia eſt ſenſibilis, alia ſpiritualis &c. Præterea diuiditur in zelum ſpiritualem, ſeu anxiatatem, miſericordiam, inuidiam, et nemeſim, vt dictum eſt *art.* 1. *n.* 24. *Aliqui* addunt accidiam, quæ premit membra vſque ad corporem; et pænitentiam, quæ eſt dolor de malo præterito. Zelus autem ſenſitiuus non eſt ſpecies triſtitiæ, vt dictum eſt *loc. cit.*

31 Cauſæ triſtitiæ multe ſunt. 1. Amor boni, quod quis non aſſequitur, eſt cauſa triſtitiæ, vt docet *Beatiſs. P. de Ciu. Dei lib.* 14. *c.* 7. dicens: *Amor boni eſt cauſa triſtitiæ*. 2. Impotentia ad ſuperandas difficultates, quæ impediunt conſecutionem boni deſiderati, cauſat triſtitiam, hinc habet *idem Beatiſs.* P. *de Nat. boni c.* 20. *Voluntas reſiſtendi maiori poteſtati in animo efficit dolorem*. 3. Ira, et deſperatio cauſant triſtitiam, quoties quis nequit complere vindictam, aut nequit aſſequi bonum, quod ſperauerat. 4. Dilatio conſecutionis boni *iuxta Prou.* 13. *Spes, quæ differtur, affligit animam*. 5. Reminiſcentia mali patrati. 6. Calamitates, labores, ægritudines corporis, humores melanconici, et cetera huiuſmodi, quæ proueniunt ex praua corporis, vel animi diſpoſitione.

32 Effectus triſtitiæ pariter varij ſunt. 1. Si triſtitia fuerit maxima, impedit omnem operationem præſertim intellectus, et voluntatis, ſi autem fuerit modica, acuit mentem ad quærendum modum euitandi illud malum, de quo triſtamur. 2. Obnubilat mentem. 3. Inducit ſomnum, refrigeratur enim cerebrum. 3. Parit odium omnium rerum, imò et ipſiuſmet contriſtati. 4. Gignit ſuſpiciones. 5. Exiccat corpus, et contrahit cor etc.

33 Remedia triſtitiæ ſunt. 1. Depulſio mali, a quo triſtamur. 2. Auerſio mentis ad res lepidas, et iucundas. 3. Cogitare horum malorum, et bonorum inconſtantiam, et quod ſæpe ex magno malo emergit maximum bonum. 4. Sufferre malum præſens in pænam peccatorum. 5. Reflectere triſtitiam non minuere malum, ſed augere. 6. Concipere ſpem ſe fore alleuiandum. 6. Conſiderare incommoda, & moleſtias, quæ ex triſtitia oriuntur &c.

34 *Fund.* tamen *Doct. vbiſ.* remedia moderantia triſtitiam ad tria tantùm reducit, *ex Phil.* 9. *Eth. c.* 4; ſcilicet ad virtutes, amicos, & conſiderationem veritatis. Virtus quidem eſt remedium triſtitiæ; quia cùm virtute præditus pacem habeat in ſe ipſo; habet enim ſenſus obedientes rationi; ſicut vitioſus, cùm habeat ſenſus tumultuantes, pace in ſe ipſo non fruitur; & pax interna valdè delectet; ideo virtus eſt remedium triſtitiæ. Quòd ſi iuxta *Senecam*: *Sapiens ſe ipſo fælix eſt*; virtute pollens à propria felicitate alleuiatur à quacunque triſtitia. Inſuper videndo amicos condolere de malis, quæ patimur, adgeneratur in nobis amor erga illos; ex quo amore ſumimus delectationem, quo triſtitia minuitur. Tandem conſiderando veritatem minuitur triſtitia; nam licèt de turpibus ſit dolendum, quia bonis æternis nos priuant; de bonis tamen fortunæ non eſt dolendum, quia hæc bona ſunt modica, & ſubduntur temporum vicibus. Addit *Fund. Doct.* aſſignari etiam remedia corporalia; vt ſomnus, balneum, cibi humidi, recreationes &c.

ART. V.

De Spe, & deſperatione.

1 Poſtquam egimus de paſſionibus ſpectantibus ad concupiſcibilem, ſequitur agendum de illis, quæ pertinent ad iraſcibilem. Quoniam autem inter iſtas primum locum obtinet ſpes, cui opponitur deſperatio; ideo priùs agendum eſt de vtraque. Non loquimur autem de Spe Diuina, quæ eſt virtus Theologica, de qua ſuo loco tractabitur; neque de ſpe intellectuali, quæ competit ſubſtantijs ſpiritualibus; ſed de ſpe ſenſitiua, quæ eſt paſſio appetitus ſenſitiui, & conuenit etiam animalibus ratione carentibus.

2 Spes definitur *motus appetitus in bonum arduum futurum poſſibile*. Dicitur *in bonum*, quia de malo non eſt ſpes, ſed timor. Dicitur *arduum*; & in hoc differt ſpes ab amore, & deſiderio, quæ ſunt circa bonum, quod eſt facile obtentu. Dicitur *futurum* de bono enim præſenti iam adepto non eſt ſpes, ſed gaudium, ſeu delectatio, vt *ſup.* dictum eſt. Dicitur tandem *poſſibile*; quia circa id, quod iudicatur impoſsibile, non eſt ſpes, ſed deſperatio. *Ita Fund. Doct. de Regim. Princ. p.* 3. *c.* 5.

3 Dices 1. Id; quod eſt futurum, non eſt ens reale, ſed rationis; quod eſt à parte; ſed paſsio appetitus ſenſitiui nequit tendere in ens rationis, vt ſupponimus *ex Logica*, ergo ſpes, quæ eſt paſſio ſenſitiua, nequit habere pro obiecto bo-

bonum futurum. 2. Senſus non habet pro obiecto, niſi ens actu exiſtens; phantaſmata enim materialia, quibus mediantibus agunt ſenſus, licèt præſcindant à materia, non tamen præſcindunt à conditionibus materiæ, quæ ſunt *hic*, *& nunc*; ideò exiſtentia, & præſentia; ſed bonum futurum non eſt exiſtens; ergo ſpes ſenſitiua nequit habere pro obiecto bonum futurum.

Reſp. aliud eſſe, quòd obiectum ſenſus debeat eſſe actu exiſtens; & aliud, quòd eius adeptio, conſecutio, & poſſeſſio ſit futura; nam quando canis ſperat conſequi panem; quamuis panis, quē ſperat, debeat eſſe exiſtens; attamen poteſt eſſe non adeptus. Vnde quando dicitur obiectum ſpei eſſe bonum futurum, intelligitur futurum quantùm ad conſecutionem actualem, nō autem quātùm ad exiſtentiam obiecti. Sic etiam ſpes Theologica tendit in Deum, qui non eſt futurus quantùm ad exiſtentiam; non enim eſſet Deus, cùm Deus *ſit id, quod eſt*; ſed quantùm ad actualem poſſeſſionem illius. Ad 1. igitur neg. ſupp. ma. Item futurum eſt ens reale in ſuis cauſis, idèſt in potentia facientis exiſtens; licèt non ſit exiſtens extra ſuas cauſas. Ad 2. diſt. mi. Bonum futurum quoad conſecutionem nō eſt exiſtens, neg; quoad exiſtentiam, conc. Item dicitur animalia ob ſpeciem alicuius boni ſenſibilis alias poſſeſſi conſeruatam in memoria, & obuerſantem phantaſiæ poſſe ſperare aliud bonum ſimile quamuis actu non ſit, & ob id qui ſemel guſtauit aliquod obiectum, fortiùs inhiat ad illud, vel ſimile poſsidendum.

4 Cauſæ ſpei ſunt bonum futurum arduum apprehenſum, vt poſsibile; ac omnia illa, quę reddunt bonum poſsibile, vt diuitiæ, nobilitas, fortitudo, nimius quoque calor ſanguinis; ideo ait *Phil. 2. Reth*; quòd *iuuenes ſunt bonę ſpei*; quia vt docet *Fund. Doct. vbiſ*; ob inexperientiam, & nimium calorem ſanguinis agunt negotia, quæ nequeunt perficere. Idem de ebrijs.

5 Effectus verò ſunt reddere actionem expeditam, ſpernere impedientia &c.

6 Modus moderandi hanc paſsionem eſt ſperare principaliter bonum publicum, in quo continetur bonum Diuinum; per prudentiam, quæ eſt de futuris, conſiliari, an illud bonum ſit aſſequibile; ac magnanimè aggredi impedientia.

7 Deſperatio ſpei oppoſita eſt *fuga, ſeu auerſio à bono arduo iudicato, vt impoſſibili*

8 Dices. Deſperatio conſiſtit in fuga; ſed hæc eſt ſolùm à malo; ergo deſperatio non conſiſtit in fuga à bono.

Reſp. diſt. mi. Fuga eſt ſolùm à malo formaliter ſumpto, conc; materialiter, neg. Quamuis ergo deſperatio ſit fuga à bono; nihilominùs quia fugit ab eo, vt impoſſibili, & impoſsibile ſit malum; nam bonum eſt ægro poſſe conſequi ſalutem; & malum non poſſe eam conſequi; Ideo deſperatio eſt fuga à malo formaliter ſumpto.

9 Cauſæ, & effectus deſperationis ſumuntur per oppoſitionem ad cauſas, & effectus ſpei, de quibus *ſup.* diximus.

10 Modus moderandi hanc paſſionem eſt per humilitatem conſiderare proprias vires, non ſperare non ſperanda &c.

ART. VI.

De audacia, & timore.

1 Hoc nomen *audacia* ſolet, vt plurimum, accipi in malam partem; ſumitur enim, prout eſt effectus temeritatis, quæ eſt exceſſus fortitudinis; actus autem fortitudinis ſolet nominari *audentia*. *Hìc* tamen *audacia* ſumitur, prout ſignificat paſſionem naturalem, quæ definitur *motus in bonum arduum futurum poſſibile neglecto malo, quod illud difficultat*.

2 Sed difficultas eſt, quomodò audacia tendat in bonum; ſi *art. 1. n. 20. Fund. Doct.* diximus tendere in malum illud aggrediendo? Additur, quòd ſi audacia habet pro obiecto malum, quomodò poteſt in illud tendere, cùm erga malum ſit fuga, auerſio, & receſſus; ſicut circa bonum eſt tendentia, proſecutio, & acceſſus?

3 Reſp. hæc ſolui ex dictis. Ad 1. dicitur, quòd licèt audacia habeat pro obiecto bonum, quod aggreditur conſequendum; attamen quia periculum imminens, ſeu difficultas illud circunſtans impedit conſecutionem illius boni; & omne impediens bonum eſt malum, quia eſt oppoſitum bono; ideo audacia, quæ aggreditur bonum quatenus arduum, & periculoſum arduitate contempta, dicitur tendere in bonum, quatenus malum; & quoniam audacia in hoc differt à deſiderio, quòd illa tendit in bonum, quatenus arduum; ratio autem ardui eſt quædam ratio mali, vt dictum eſt; ideo audacia licèt tendat in bonum neglecto malo; attamen potiùs denominatur à malo, quàm à bono; quia per rationem mali differt à deſiderio, & per rationem boni conuenit cum illo; quamuis ratio mali ſe habeat quaſi de materiali; & ratio boni de formali. Sicut quamuis homo formaliter conſtituatur per animam, quæ eſt incorporea; tamen à corpore, quod materialiter ſe habet ad hominem (eſt enim materia illius) denominatur corporeus; quia per corpus differt ab Angelo; & ſic materia aliquando induit rationem formæ, cuius eſt denominare. Itaque cùm dicitur: Denominatio eſt à forma, diſt. Denominatio ſpecifica, conc; generica, neg; nam genus ſumitur à materia, & differentia à forma; ideoque denominatio generica ſumenda eſt ab eo, quod habet rationem materiæ; ſpecifica verò ab eo, quod habet rationem formæ. Ad 2. dicitur audaciam propriè tendere in bonum proſequendo, in malum verò deſtruendo; ſed cùm malum deſtruit, illud ſeparat à ſe ipſa; ergo audacia circa malum ſe habet propriè auerſiuè; dicitur tamen poſitiuè tendere, quia tendit in bonum, cui eſt coniunctum malum

& ſic

& ſic per accidens ratione alterius; per ſe autẽ auertit ab illo.

4 Audacia habet eaſdem cauſas, quas habet ſpes; quia ſequitur ad ſpem, & ab illa oritur. Effectus autem ſunt calefacere cor, efficere citam operationem &c. Præterea audacia facit hominem promptiorem in principio, & remiſſum in fine; quia refrigeratur cor, & audacia remittitur.

5 Modus autem moderandi audaciam eſt aggredi ea bona, quæ prudenter iudicantur conſequibilia, & præcipuè quæ ſpectant ad bonum publicum; & non aggredi illa, quæ non iudicantur poſſibilia, & quæ non multùm, vel nihil conducunt ad bonum publicum, vel ad bona animi; qui enim nihil ardui aggreditur, puſillanimis eſt; qui verò plus aggreditur, quàm poſſit conſequi, præſumptuoſus. *Ita Fund. Doct. vbi ſup. c. 6.*

6 Timor ſenſitiuus (de hoc enim ſolùm *hic* loquimur; nam de timore ſpirituali alibi erit ſermo) definitur *ex Beatiſ. P. Aug. lib. 14. de Ciu. Dei c. 6. diſſenſus ab eo, quod accidere nolumus; & lib. 83. qq q. p. 33.* ait eſſe *futuri, & imminentis mali.* Igitur timor, quem *Stoici* vocant cautionem *teſt. Beatiſs. P. de Ciu. vbi ſ. c. 8. Eſt quadam diſſenſio, ſeu fuga, aut auerſio à malo futuro imminenti.* Dicitur imminens malum; quia malum, quod timetur, non debet eſſe procul, & multo tempore diſtare; nam licèt quiſque ſciat ſe moriturum, mortem tamen non timet, quia cogitat non eſſe vicinam, at verò lethali febre correptus, cùm dubitet eſſe propinquam, mortis habet timorem. Additur, quòd timor debet eſſe ſemper coniunctus cum ſpe euadendi illud malum, quapropter *Phil. 2. Reth. c. 5.* ait eos, qui damnati ſunt ad ſupplicium, & quibus nulla ſupereſt ſpes mortẽ euadendi, non timere, ſed potiùs triſtari, quia mortem habent, tanquam præſentem.

7 Cauſæ timoris ſunt. 1. Amor boni contrarij ei malo, quod timetur, vt docet *Beatiſs. P. lib. 83. qq. vbi ſ.* 2. Impotentia ad ſuperandum malum. 3. Remorſus conſcientiæ, nam *conſcientia læſa facit hominem timidum.* 4. Indiſpoſitiones corporis, frigiditas, debilitas &c.

8 Effectus timoris ſunt duplicis generis; nã vel timor eſt immoderatus; & ſic quatuor illius effectus enumerantur *à Fund. Doct. vbi ſ.* ſcilicet reddere hominem immobilem, & contractum; reddere inconſiliatiuum; tremulum, & inoperatiuum. Ratio eſt; nam cùm quis timet, ſanguis ſtatim ad interiora retrahitur; & ſic membra exteriora ob defectum ſanguinis immobilia, & contracta redduntur. Præterea cùm quis timet, ſtatim hebeſcit, & veluti ad agoniam deducitur; & ideo ignorat, quid facere debet; nec recordatur conſilij; imò ſi ei detur, ob hebetudinem mentis illud non apprehendit, ac propterea timor reddit hominem inconſiliatiuum. Deinde progrediente calore ad interiora, ſtatim membra, & nerui frigeſiunt; quapropter non valentes nerui ſubſtinere membra, accidit tremor. Membra autem, quæ principaliùs fiunt tremula, ait *Phil. 27. Problem. q. 6.* ſunt manus, labium inferius, & arteria vocalis; & ideo vox tremit, tandem homo obſtupefactus non operatur; & ideo redditur inoperatiuus. Addi poteſt pallor faciei ex retractione ſanguinis proueniens.

9 Si autem calor ſit moderatus, acuit rationem ad excogitandum conſilium, vt euitetur tale malum; atque adeo reddit hominem conſiliatiuum; reddit operationem perfectiorem; quia facit animum ad illam magis intendere, & ideo facit hominem magis operatiuum; & ſic de reliquis effectibus, qui ſunt contrarij effectibus timoris immoderati.

10 Remedia autem ad minuendum timorem ſunt eadem, quæ attulimus ad moderandũ amorem, & deſiderium; cùm enim timor ex amore, & deſiderio deſcendat; ideo ijſdem moderatur remedijs. 2. Valde moderatur timorem excogitatio exercitij virtutis patientiæ ad perferendum malum, quod timetur. 3. Cogitatio ſatisfactionis delictorum recipiendo illud malum in pœnam eorum; & præcipuè reflectendo melius eſſe peccata puniri malo temporaneo, quàm æterno.

ART. VII.

De ira, & manſuetudine.

1 IRa ſecundùm nominis ethimologiam dicitur *ab ire extra ſe*; quia iratus fertur in inimicum ad vleiſcendam iniuriam; quapropter cùm iram deponit, dicitur redire ad ſe.

2 Definitur ira *à Fund. Doct. de Regim. Princ. lib. 1 p. 3. c. 7. appetitus pęnæ ad vindictam.* Aliæ definitiones traduntur, *vt à Cic. eſt appetitus puniendi eum, à quo iniuria offenſi ſumus.* Vel per effectus; *vt ira eſt accenſio ſanguinis circa cor cum appetitu vindictæ.* Omnes tamen iſtæ definitiones, & aliæ, quæ tradi ſolent, in idem recidunt; explicant enim vindictam, quæ iram conſtituit, & ſpecificat. Vt autem ratio formalis iræ clariùs explicetur, oſtendenda eſt differentia, quæ reperitur inter iram, & odium.

3 Ex dictis *art. 1.* conſtat odium, & iram differre; quòd odium eſt appetitus mali ſecundùm ſe, & abſolutè; eſt enim paſſio appetitus concupiſcibilis, qui reſpicit bonum, & malum abſolutè, & ſecundùm ſe; ira verò eſt appetitus mali relatiuè ad vindictam.

4 Ab hac differentia principali oriuntur octo differentiæ, quas *Fund. Doct. vbi ſ.* colligit *ex Phil. 2. Reth. c. 2.*

5 Prima differentia eſt; quòd ira eſt de ijs, quæ ſunt ad ſe ipſum, vel quæ pertinent ad ſe ipſum; nullus enim vult vlciſci, niſi eum, qui ipſum læſit, vel amicos, & conſanguineos in rebus, aut in honore. Odium autem poteſt eſſe de pertinentibus, & non pertinentibus ad ipſum; poſſumus enim odiſſe gentem ignotam eo, quòd ſciamus eſſe malam, quamuis ab illa offenſi non ſimus.

6 Se-

6 Secunda eſt; quia ira ſemper eſt circa ſingulares perſonas, ſolùm enim perſonæ ſingulares poſſunt nos offendere; commune nanq; vt commune, præſcindendo à perſonis particularibus, nullam iniuriam poteſt inferre. Odium verò poteſt eſſe in communi; quia poſsumus odiſse furem, vt fur eſt, abſque eo, quòd cogitemus de tali, vel alio fure. Et quanuis ab vna tota communitate poſſit infligi alicui iniuria; attamen non infligitur, niſi à perſonis ſingularibus illius communitatis; quia homo in communi abſtrahendo ab hoc, vel illo homine nullam actionem poteſt habere, cùm *actiones ſint ſingularium*; & ideo nequit iniuriari, quod conſiſtit in actione. At verò fur, *vt ſic*, abſtrahendo ab hoc, vel illo homine poteſt eſſe obiectum odij, quia eſse furem eſt malum etiam abſtrahendo ab hac, vel illa perſona; at verò eſſe hominem in comuni non eſt iniurioſum, niſi contractè ad hanc, vel illam perſonam.

7 Tertia eſt; quòd odium, cùm ſit appetitus mali ſimpliciter, eſt inſatiabile, & ideo dicitur eſſe vſque ad exterminium; nam non extinguitur, niſi extincta perſona, quæ odio habetur. Sed ira eſt ſatiabilis, cùm enim non ſit appetitus mali ſimpliciter; ſed per ordinem ad vindictam; ideo cùm competens vindicta facta eſt, ſatiatur ira, & placatur iratus.

8 Quarta eſt; quod ira appetit contriſtare inimicum; odium verò appetit nocere, & damnum inferre.

9 Quinta eſt; quòd ira vult ſentiri ab inimico; appetit enim, quòd inimicus cognoſcat illam vindictam ab irato factam fuiſſe ob iniuriam illatam; Odium autem abſolutè vult malum abſque eo, quòd inimicus ſciat, vnde illi tale malum obuenerit.

10 Sexta eſt; quòd ira ſemper eſt ſimul cum triſtitia; iratus enim angitur, vſquedum ſequatur vindicta. Odium verò non ſemper eſt cum triſtitia; odiẽs enim omnes fures vniuerſaliter poteſt eſſe ſine triſtitia.

11 Septima eſt; quòd iræ eſt annexa miſericordia; nam cùm ſatiatur, miſeretur, ſi plura mala inferantur inimico; odium autem eſt ſine miſericordia, quia nunquam ſatiatur.

Octaua eſt; quòd ira vult inimicum tantùm pati; ſed odium vult exterminari, & interimi.

12 *Beatiſs. P. Aug. in Regula* nobis tradita; *& de ſerm. Domini in monte lib. 2. c. 30.*, *& ſæpe alibi* docet iram, & odium differre, ſicut feſtucam, & trabem; ira feſtuca eſt, quia eſt appetitus mali, qui ſtatim moritur exortus; odium verò trabs, quia eſt ira inueterata, quæ nunquam extinguitur; vnde quia ira creſcit in odium; odium eſt extremum iræ; & ira odij initium.

13 Ex his colligi poteſt, quantò peius, & grauius ira ſit odium.

14 Ira (inquit *Fund. Doct.*) alia præcedit rationem, & eſt inordinata, & cauenda; quia non ſubditur recto rationis regimini, accendit ſanguinem circa cor; ex qua accenſione redditur corpus intemperatum, atque adeo impeditur rectus vſus rationis. Alia ſequitur rationem, & rectum ipſius dictamen; & hæc eſt ordinata, & ſequenda, eſt enim organum rationis, & virtutis; quapropter dicitur. 3. *Eth. virtus immittere furori*; poſtquam enim ratio rectè iudicauit, quid ſit agendum; tunc aſſumenda eſt ira, tanquam ancilla virtutis, & rationis; vt per eam fortiùs, & viriliùs exequamur, quod ratio dictat eſſe faciendum. Igitur ira ſequens rationem non eſt mala, ſed bona; quapropter *Beatiſs. P. lib. 9. de Ciu. Dei c. 3.* inquit: *Iraſci peccanti, vt corrigatur, neſcio, vtrum quiſquam ſana conſideratione reprehendat.*

15 Cauſæ iræ poſſunt eſſe omnes aliæ paſſiones, ex eo enim, quòd amemus aliquod bonum, iraſcimur cuilibet impedienti tale bonum; & ſic de reliquis. Præterea plures aliæ cauſæ afferuntur *à Phil. 2. Reth. c. 2.*, quæ tamen poſſunt reduci ad vnam, veluti generalem, ſcilicet ad contemptum, & paucipenſionem propriæ exiſtimationis, & excellentiæ; & ideo quantò dignior, & excellentior eſt perſona; tantò crebriùs, & faciliùs iraſcitur.

16 Effectus iræ immoderatæ ſunt accenſio ſanguinis circa cor; & offuſcatio rationis, vt dictum eſt; item voluptas quædam propter ſpem vltionis. Ex accenſione ſanguinis oritur palpitatio cordis, tremor corporis, præpeditio linguæ, inflammatio faciei, vibrationes oculorum, emiſſio clamoris incompti, & alia ſigna, quæ imaginem inſanientis præſeferunt. Quapropter legitur *de Marco Aurelio Imp.* præcepiſſe, vt iraſcentium oculis anteponeretur ſpeculum, *vt in eo turpitudinem iræ videntes iram illico dimitterent.*

17 Modus autem compeſcendi immoderatum iræ feruorem eſt. 1. Ratione appetitum iraſcibilem frænare, ne prorumpat in verba, aut facta. 2. Cogitare iniuriam illatam non eſſe tantæ grauitatis, aut non eſse animo offendendi propriam exiſtimationem ſibi irrogatam, ſed caſualiter, aut alio fine euenifse. 3. Cogitare, quòd poſtea nos pænitebit iratos fuiſse, quia pacato corde, & ſerenata mente videbimus adeo grauem iniuriā non eſse, quemadmodū putabamus. 4. Cogitare iniuriam potiùs recidere in dedecus iniuriantis, quàm in contemptū iniuriati; imò cedere in eius gloriam, & decus; ſicut enim à peruerſis hominibus laudari homines probos indecorum eſſet, ita iniuriari, & contemni eſt eis decorum; vt fertur reſpondiſſe *Franciſcum Mariam Vrbini Ducem* cuidam petenti veniam eo, quòd de eo oblocutus fuiſſet, de quo non poterat, niſi bene loqui; quibus verbis cùm ſe audiret laudari, cenſuit potiùs iniuriari, ſicut iniuria ſibi antea illata laudari putauerat. 5. Reflectere, quòd *Semper & infirmi eſt animi, exiguique voluptas vltio*; vt cecinit *Satiricus*,

& quòd maiorem gloriam, ac exiſtimationem ſibi pariat non iraſcendo, quàm fuerit ſibi ab iniuriante detracta. 6. Vitare homines iracundos. 7. Humiliter ſentire de ſe ipſo. 8. Et principaliter quòd remittendo iniuriam acceptam ab homine, Deus remittit offenſas ei factas à nobis.

18 Manſuetudo, ſeu lenitas, quæ eſt iræ contraria, & *Græcè* dicitur *praotis*, definitur à *Fund. Doct. vbi ſ. c. 1. & p. 2. c. 3. motus animi, quo retrahimur à vindicta ob malum nobis illatum.* Diuiditur, ſicut iſta, in immoderatam, & moderatam. Immoderata eſt, quæ abſtinet ab ira, quãdo recta ratio dictat eſſe iraſcendum; & hæc eſt quædam fatuitas, & hebetudo. Moderata eſt, quando recta ratio dictat eſſe abſtinendum ab ira; ex quo magis apparet manſuetudinem ſignificare propriè paſſionem, quanuis ob penuriam vocabulorum trãsferatur ad ſignificãdum etiam virtutem mediam inter iram, & manſuetudinem; vt probatum eſt *art. 1.*, nam virtus determinatè eſt ad bonum; manſuetudo autem poteſt eſſe ad bonum, & malum; vt dictum eſt.

19 Cauſæ manſuetudinis ſunt conſiderare plus nocumenti ſibi inferre, qui facit iniuriam, quàm qui illam recipit; humiliter ſentire de ſe ipſo; reuoluere turpitudinem iræ; & præcipuè cogitare imitandam eſse manſuetudinem Dei; *qui Solem ſuum faciat oriri ſuper bonos, & malos*; & Chriſti Domini, qui pro nobis tanquam agnus ad occiſionem ductus eſt.

Effectus ſunt reddere vitam in hac vita tranquillam; animam ſerenam, mentem imperturbatam &c.

20 Modus autem moderandi hanc paſſionem, vt in fatuitatem nõ declinet, eſt conſiderare mala ſibi illata, quæ publicum bonum ſubuertunt; vt v.g. contemptum obedientiæ præſtandæ ſuo Prælato, qui neceſsariò eſt vindicandus; læſionem iuſtitiæ, ſine qua humana ſocietas conſeruari non poteſt; publicam inhonorationem ipſius Dei, quæ totaliter tolleret cultum Diuinum; & alia ſimilia, quæ tolerari, & inuindicata relinqui non debent; vt maxima mala, quæ inde orirentur, arceantur; & in his, ac ſimilibus caſibus iraſci virtuoſum eſt; ira enim moderatur à zelo religionis, iuſtitiæ, vel alterius virtutis; et manſuetudo ſeruat medium, quia iraſcitur citra condignum vindictæ, nec plectit delictũ iuxta menſuram grauitatis; ideoq; ad exceſſum non tendit; nec omnino abſtinet à vindicta, ac propterea in defectum, qui eſt fatuitas, non ruit. *Vid. Beatiſs. P. de Ciu. Dei lib. 14. c. 6., & ſeq.*, vbi plura de paſſionibus tractat.

QVAEST. II.

De Habitibus.

Quoties de habitibus diſcurrendum nobis occurrit, ſemper in hunc locum diſtulimus; nunc neceſse eſt pro modulo noſtro explicare, quid hac in re cenſeamus. Rés non parum difficilis, & inſufficienter (ni inſufficientia noſtra nos fallat) vſque nunc declarata, vt ex dicendis patebit. Quanuis autem de habitibus in communi *hic* ſermo eſse debeat, attamen quia eorum diuiſiones nequeunt afferri, niſi ad eos in ſpeciali aliquando deſcendamus, & cùm ad perfectè noſcendam naturam generis plurimùm cõferat cognitio ſpeciei, ideo aliquid de habitibus in ſpeciali, tranſeunter tamen, dicemus.

ART. I.

An quid, & quotuplex ſit habitus?

1 Dari habitus in rerum natura probat *Beatiſs. P lib. 14. de Trin. c. 7. ſic. Fieri poſſe, vt nouerit homo aliquid, quod non cogitat, quando aliunde, non inde cogitat. Duarum ergo, vel plurium diſciplinarum peritus, quando vnam cogitat, aliam, vel alias, etiamſi non cogitat, nouit tamen.* Et paulò poſt. *Rectiſſimè verò dicimus. Iſte, quem perſpicis de Geometria diſputantem, etiam perfectus eſt muſicus; nam & meminit diſciplinæ eius, & intelligit eam, & diligit, ſed quanuis eam nouerit, & amet; nunc illam non cogitat, quoniam Geometriam, de qua diſputat, cogitat. Hinc admonemur eſſe nobis in abdito mentis quarundam rerum quaſdam notitias, & tunc quodammodo procedere in medium, atque in conſpectu mentis veluti apertiùs conſtitui, quando cogitantur.* Ex quo ſic. Quando aliquis muſicus actu non cogitat muſicam, valet dicere, quòd eſt perfectus muſicus, ſed nequit eſſe perfectus muſicus, niſi habeat artem muſicæ, à qua perficitur; ergo etiam, quando actu non cogitat muſicam, habet artem muſicæ; atqui tunc non habet actualem cogitationem muſicæ; ergo habet ſolùm perfectionem habitualem; & per conſequens datur habitus muſicæ. Tum quia experientia conſtat ex frequentatione actuum gigni in nobis facilitatem ad illos eliciendos, quæ facilitas antecedenter non erat in nobis; ſed nomine habitus acquiſiti intelligimus hanc facilitatem; ergo datur habitus. Tum quia dantur plura obiecta, quæ non niſi cum difficultate poſſunt attingi; ergo debent dari habitus, quibus faciliter attingantur; ſecus natura, ſeu Auctor naturæ defeciſſet in neceſſarijs.

2 Dices. Si darentur habitus, ſequeretur, quòd in actibus virtuoſis eſſet minùs meritum, quia eſſet minor difficultas; ergo non dantur habitus, aliter tollerent meritum.

Reſp. neg. ſeq., nam habitus dicit facilitatem ex parte operantis, non autem ex parte obiecti; difficultas autem ex parte obiecti auget meritum; quod non minuit facilitas, et promptitudo ex parte operantis, ſed potiùs auget, quia auget perfectionem actus, habens enim habitum perfectiùs operatur, et ideo auget meritum actus; et maior promptitudo operantis influit intenſionem actus meritorij.

3 Quoad 2. *Beatiſs. P. Aug. lib. 83. qq. q. 73.* deſcribens varios modos, quibus accipitur hoc nomen habitus, ait: *Multis modis habitum dicimus. Vel habitum animi, ſicut eſt cuiuſcunque diſciplinæ perceptio vſu roborata, atque firmata. Vel habitum corporis, ſecundùm quem dicimus alium alio eſſe ſucculentiorem, & validiorem, qua magis propriè habitudo dici ſolet. Vel habitum eorum, quę membris noſtris accommodantur extrinſecus; ſecundùm quem dicimus veſtitum, calceatum, armatum; & ſi quid eiuſmodi eſt. In quibus omnibus generibus (ſiquidem nomen hoc dictum eſt ab illo verbo, quod eſt habere) manifeſtum eſt in ea re dici habitum, quæ accidit alicui, vt ita eam poſſit etiam non habere; nam & doctrina accidit animo; & ſuccus, ac robur corpori, & veſtis, atque arma non dubium eſt, quia accidunt membris noſtris ita, vt & imperitus poſſit eſſe animus, ſi ei doctrina non accideret; & exile, atque languidum corpus ſine ſucco viſcerum, & robore; & nudus ſine veſte, & inermis ſine armis; & pede nudo, ſine calciamentis eſſe homo poteſt. Habitus ergo in ea re dicitur, quæ nobis, vt habeatur, accidit.* Deinde ſubdit horum habituum alios nos mutare, non tamen ipſos in ſe ipſis mutari, vt ſapientia; alios mutari in ſe ipſis, & nos mutare; vt cibus accidens corpori; alios mutari tantùm in ſe ipſis, non tamen nos mutare, vt veſtis, quæ induta habet aliam figuram, quam non habebat complicata; & hoc tertio modo ait intelligendum eſſe illud *Apoſt. ad Philipp. 2. Habitu inuentus, vt homo*; quia Verbum Diuinum ita aſſumpſit naturam humanam, vt ſine ſui mutatione ipſam commutarit in melius.

4 Ex hac doctrina habetur habitum tripliciter ſumi. 1. prout eſt habitio alicuius rei adiacentis, v.g. veſtis; quæ habitio eſt media inter habentem, & rem habitam; & ſic ſumitur prædicamentaliter. 2. Prout dicit poſſeſſionem cuiuſcunque rei; vt habere pecunias, vxorem &c; & ſic ſumitur poſtprædicamentaliter. 3. Pro habilitate adiuuante potentiam naturalem ad aliquam operationem; & ſic ſumitur ſpecificè pro prima ſpecie qualitatis. In præſenti ſumitur hoc tertio modo tantùm.

5 Habetur inſuper habitus corporis, vt ſanitatem, ægritudinem &c; potiùs appellandas eſſe habitudines corporis, quàm habitus; & ideo à *Phil.*, *& Medicis* latè habitus vocari; nam habitus, prout *hìc* de eo loquimur, *à Gręcis* appellatur *exia*, vel *ſcheſia*; vt obſeruat *Beatiſs. P. vbiſ.*, quod ſignificat *promptitudinem ad agendum ex frequentatis actibus collectam* teſte *noſtro Ambroſio Calepino*; ſanitas autem, & ægritudo non ſunt adiuuantes ad aliquam operationem determinatam in ſpecie, vt patet; nec inducuntur ſemper ex frequentatis actibus; quia vnica potione poſſunt induci, & poſſunt dici habitudines corporis, quatenus diu durant in corpore, & illud diſponunt bene, vel malè; quamuis aliquando ex frequentatis actionibus poſſint induci; habitus autem ſemper inducitur ex frequentatis actibus, quia ſic definitur; definitio autem eſt eſſentia; & ſicut res nequit vnquam eſſe ſine ſua eſſentia, quia eſſet ſine ſe ipſa; ita habitus nequit vnquam eſſe ſine frequentatione actuum; & ideo nomen habitus, prout *hìc* de eo loquimur, ſtrictè vſurpatur ſolùm pro promptitudine animi ad operandum ex actuum frequentatione acquiſita, latè verò dicitur etiam de habitudine corporis.

6 Tandem habetur habitum ſignificare qualitatem aduenientem, & ſic contradiſtingui à qualitatibus naturaliter inſitis, vt ſunt potentiæ, ſine quibus anima eſſe non poteſt, vt diſertè probat *Fund. Doct. in 2. diſt. 3. p. 2. q. 2. in reſol. art. 2.*, quia qualitas aduenìens non eſt ad ſimpliciter, ſed tantùm ad faciliter, & delectabiliter; facilitas enim in agendo delectationem importat; ſicut difficultas triſtitiam; et ideo *Phil. 2. Eth. c. 3.* ait *delectationem, & triſtitiam eſſe ſignum generati habitus*: qualitas autem naturaliter ingenita eſt ad ſimpliciter: quia ſine intellectu nullo modo poſsumus intelligere; poſsumus tamen ſcire ſine habitu ſcientiæ. Igitur habitus propriè loquendo ſignificat qualitatem accidentaliter aduenientem, quia ſubiectum ſine illa eſse poteſt. Ex quo patet malè diuidi *ab Aliquibus* habitum in naturaliter inſitum, ſeu ingenitum, acquiſitum, et infuſum, primum enim membrum huius diuiſionis, ſcilicet habitus naturaliter inſitus, non datur.

Obijc. *Val. hìc diſp. 4. q. 3. punct. 1.* In nobis datur habitus primorum principiorum, et ſyndereſis, qui ſunt naturaliter inſiti iuxta illud *Rom. 2. Gentes, quæ legem non nouerunt, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt*; ergo ruit allata doctrina.

Reſp. neg. ant., nam iſti habitus primò generantur in nobis, quia ex cognitione principiorum, quæ primò cognoſcuntur, generatur in nobis notitia, quæ faciliter roboratur: neque *textus allatus* aliquid obtinet: ſenſus enim eſt, quòd vis naturalis intellectus poteſt acquirere notitiam eorum, quæ ſunt legis; non autem quòd iſta notitia ſit nobis indita à Deo; ſed ſolùm, quòd ſit indita vis naturalis ad illam acquirendam. Iſti autem habitus diſtinguuntur realiter à potentia intellectiua, quia ei accidunt, ſicut alij habitus enumerati *à Phil*; quidquid dicat idem *Val., & alij pauci. Vid. Fund. Doct. in 2. diſt. 39. q. 2. art. 3. in fine corp.*, vbi ait, quòd ſi nomine ſynderesis intelligatur lumen rationis, eſt potentia naturaliter inſita; ſi autem intelligatur inclinatio ad malum cauendum, eſt habitus aggeneratus ex notitia habita per ſolum lumen rationis; vnde in primo ſenſu quandoque dicitur habitus connaturalis; tunc autem non ſumitur ſynderesis formaliter, ſed cauſaliter; vt locuti ſumus *to. 3. de Act. hum. q. 6. art. 1. n. 3.*

7 Habitus multipliciter definitur, quæ definitiones in idem redeunt. *Phil.5. Met c.2.* ait; quòd *habitus eſt diſpoſitio, qua diſpoſitum bene, vel malè diſponitur ſecundū ſe, aut in ordine ad aliud.* Sed hæc definitio eſt nimis generica, quia conuenit nedum habitibus animi, de quibus tantùm *hîc* loquimur, ſed etiam habitibus corporis; et ideo dicitur: *Qua diſpoſitum diſponitur ſecundùm ſe*; quæ verba conueniunt habitibus corporis; ſanitas enim, et ægritudo ſunt diſpoſitiones corporis ſecundùm ſe; non enim per ſe primò ordinantur ad operationem, ſed tantùm indirectè, materialiter, et ſecundariò, quatenus ſcilicet afficiunt naturam, quæ eſt principium operationum. Per alia verba: *Vel in ordine ad aliud*; ſignificantur habitus animi, qui principaliter, et per ſe ordinantur ad operationem, et materialiter ordinantur ad perficiendum ſubiectum; dantur enim ad faciliter, et delectabiliter operandum. Ex quo patet *Io. à S.Tho. hîc; & Compl. in Log.* æquinocè loqui, cùm dicunt habitum primariò eſſe in ordine ad ſe, et ex conſequenti ad operationem; primum enim conuenit habitibus corporis, qui non ſunt eſſentialiter operatiui, ſecundum verò habitibus animi, qui, cùm ſpecificentur per actus, ideo ad illos primariò ordinantur, ſpecificatiuum enim primariò reſpicitur à re ſpecificata.

8 Aliam definitionem tradit *idem Phil 7. Phyſ.c.3.* dicens: *Habitus eſt diſpoſitio perfecti ad optimum.* Illa autem particula *diſpoſitio* non ſumitur, prout ſignificat qualitatem faciliter mobilem à ſubiecto, quæ diſtingui ſolet aliquo modo ab habitu; ſed ſumitur genericè; quatenus nempe nedum per diſpoſitionem, ſed etiam per habitum diſponitur potentia ad operandum. Sed hæc definitio conuenit ſolùm habitui bono, non verò omni habitui, etiam vitioſo. Sic eſt illa definitio, quam *ſup.* tradidimus *ex Beatiſs.P.*, ſcilicet *animi affectio vſu roborata, atque firmata*; et illa quæ communiter circumfertur; nimirum *facilitas ex frequentatis actibus acquiſita*, et illa, quam tradit *Sua in met.diſp.44.ſect.1.n.6*, vbi ait, quòd eſt *qualitas permanens, non ingenita, per ſe primò ordinata ad operationem, non tribuens tamen potentiæ primam facultatem operandi, ſed adiuuās, & facilitans illam*, de qua quidquid dicat *noſter Gibb.* illæ enim, et aliæ ſimiles conueniunt ſolis habitibus acquiſitis, non autem infuſis.

9 Habitus igitur genericè ſumptus, prout præſcindit à bono, vel malo; acquiſito, vel infuſo, definitur *à Beatiſs.P.Aug.lib.Categ.c.12. Animi affectio longo tempore perſeuerans*; diſpoſitio verò definitur *mutabilis mentis impulſio, vel cupiditas leuis, qua breui tempore deletur*; quæ definitiones ſunt idem, ac illæ, quibus definitur habitus *qualitas faciliter mobilis à ſubiecto*. Nomine *affectionis* intelligitur qualitas adueniens, non ingenita, vt *ſup.* explicatum eſt *ex eodem.* Dicitur *longo tempore perſeuerans*; vt diſtinguatur à diſpoſitione, quæ citò deletur. Hoc autem ita intelligendum eſt, vt notat *ibid. Santiſs.P, niſi fortè languor corporis, aut caſu iniecta debilitas eum amputauerit*; vnde ſufficit ad rationem habitus, quòd ex ſua natura ſit habilis perſeuerare, quanuis ex aliquo accidente deleatur.

10 *Phil.2.Eth.c.5.* tradit aliam definitionem habitus, *vt ſic*, dicens: *Habitus eſt, quo bene, vel malè circa affectus nos habemus*; quæ definitio cōprehendit habitus bonos, & malos, vt patet. Sed hæc definitio, quia datur per differentias diuiſiuas ipſius generis, quod eſt habitus, *vt ſic*, non eſt potiſſima; ſicut ſi quis definiret animal, *vt ſic*, per ſuas differentias dicendo: *Animal eſt illud, quod eſt rationale, vel irrationale*; ita bene non definiret, ſicut præſcindendo à differentijs, cùm dicitur: *Animal eſt principium ſentiendi*. Definitio ergo *Beatiſs.P.* quæ ita præſcindit, eſt melior, quàm definitio *Phil.* Tum quia quanuis hæc definitio *Phil* conueniat habitibus acquiſitis qui, vt docet *Fund. Doct. vbiſ.* ſunt potiùs circa modum actus; vt nempe faciliter, & delectabiliter fiat; quàm circa entitatem ipſius actus, qui poteſt produci ab ipſa potentia etiam ſine habitu, non tamen æquè bene; & ideo habitus datur ad bene agendum; attamen non poteſt conuenire habitibus ſupernaturalibus infuſis, qui dantur ad ſimpliciter agendum, vt *inf.* & ideo hæc definitio non eſt definitio habitus, *vt ſic*, ſed tantùm habitus acquiſiti.

11 Tandem *Com. 3. de an.* definit habitum eſſe, *quo quis agit, cùm voluerit*; quam definitionem magis declaratam tradidit *Beatiſs. P. lib. de Bono Coniug.c.21* docens: *Ipſe eſt enim habitus, quo aliquid agitur, cùm opus eſt; cùm autem non agitur, poteſt agi, ſed non eſt opus*. Quibus verbis oſtendit habitum eſſe qualitatem animo affixam, qua poteſt agi opus, ad quod illa qualitas animum diſponit; & perſeuerantem etiam, quando non agit, quia cùm non agit, per illam qualitatem animo inſidentem eſt potens agere. Hæc definitio eſt per effectus ipſius habitus; ideoque eſt à poſteriori. Ex ipſa tamen colligitur habitum ordinari ad operationem.

12 Obijc. Habitus opinatiuus faciliter remouetur ab intellectu; fundatur enim ſuper rationes apparentes, infirmas, & debiles, quæ facillimè confutantur; ergo habitus non eſt qualitas difficulter mobilis à ſubiecto. 2. Habitus charitatis tollitur per quodlibet peccatum; & fides per actum infidelitatis; ergo non bene definitur qualitas perſeuerans.

Reſp.ad 1. *noſter Gibb.hîc dub.2.n.13. cum Io.à S.Tho; & Sot.* habitus opinionis, erroris, & vitij non eſſe habitus propriè dictos ob rationem allatam; ſed tantùm intra ſphæram diſpoſitionis habere maiorem firmitatem, & immobilitatem accidentalem.

13 Sed hæc reſponſio eſt contra communē ſenſum *SS. PP.* docentium dari peccatores verè ha-

habituatos in vitijs, qui non niſi cum magna difficultate poſſunt ab illis diuelli; imo aliquos eorum ita eſſe induratos, vt *de Pharaone* legitur *Exod. 8. Induratum eſt cor Pharaonis*; & excæcatos, quemadmodum de *Iudæis* dicitur *Sap. 2. Excæcauit enim illos malitia eorum*; vt nec etiam cū aliquali difficultate flecti ad veritatem, & illuminati vi miraculorum potuerint. Igitur falſum eſt, quòd illi, qui falſo fundamento nituntur, facillimè poſſint conuinci; quia licèt fundamentum ſit debile, imò nullius roboris; attamen ita tenaciter illi adhærent, vt nulla vi queant auelli; ideoque habituatos eſſe verè, & propriè fatendum eſt. Eſt pariter hæc reſponſio *contra Theologos* communiter docentes habitum diuidi in bonum, & malum. Quòd ſi habitus malus habet fundamentum infirmius, quia eſt totaliter falſum, & nulla veritatis firmitate fulcitur; ideoque faciliùs euincitur; à fortiori habitus opinatiuus erit verus habitus; quia habet fundamentum, quod poteſt eſse verum; nam opinio eſt de eo, quod poteſt eſse verum, & falſum, de eo nanque, quod eſt falſum, eſt error, non opinio. Ad arg. igitur neg. ant; ad prob. infert. dicitur, quòd licèt habitus opinatiuus ex parte rei opinatæ ſit faciliter mobilis; quia fundatur ſuper rationes incertas, & debiles; attamen ex parte opinantis eſt ita firmus, & fortis; vt difficulter ſit mobilis. Ad 2. dicitur, quòd licèt habitus ſupernaturales non ſint habitus ſimpliciter, ſed tātùm ſecundùm quid; quia dantur ad ſimpliciter, & ad faciliter ſimul, non verò ſolùm ad faciliter; attamen non tolluntur faciliter ab anima; quia non peccat eadem facilitate habens habitum charitatis, ac non habens iuxta illud *1. Io. 3. Qui natus eſt ex Deo, non peccat, quia ſemen Dei manet in illo*; idèſt gratia, & charitas.

14 Quoad 3. habitus diuiditur in per ſe acquiſitum, & per ſe infuſum. Acquiſitus *eſt facilitas ſeu qualitas facilitans ad operandum ex frequentatis actibus acquiſita*. Infuſus eſt *qualitas ſupernaturalis à Deo in nobis producta ſupra exigentiam naturæ*. Hinc habitus acquiſitus dicitur naturalis; infuſus verò ſupernaturalis.

15 Not. tamen, quòd licèt habitus naturalis poſſit à Deo infundi; vt fuerunt infuſæ *Adamo* omnes ſcientiæ naturales; attamen dicitur acquiſitus ſecundùm aptitudinem; quia aptus natus eſt acquiri per actus naturales; quamuis à Deo etiam poſſit infundi; cùm autem à Deo infunditur, dicitur ſecundùm entitatem naturalis, & ſupernaturalis quoad modum; productio enim illius eſt ſuper ordinem, curſumque naturæ.

16 Hæc autem eſt alia differentia inter habitum acquiſitum, & infuſum; quòd ille datur tantùm ad ſecundùm quid, ſcilicet ad faciliùs; quapropter dicitur concurrere potiùs ad modū actus, nempe ad hoc, vt actus fiat faciliter, & delectabiliter; quàm ad ſubſtantiam ipſius actus; nam ſubſtantia actus poteſt produci à potentia etiam ſine habitu, licèt non ita faciliter, & delectabiliter; vt *inf.* dicemus *cum Fund. Doct.* Ille verò datur ad ſimpliciter, & ad faciliter ſimul, & delectabiliter, dicitur enim *Sap 8. Attingit ergo à fine vſque ad finem fortiter*; quibus verbis deſcribitur gratia Dei efficacia ſimpliciter neceſſaria ad actionē; & *diſponit omnia ſuauiter*; quibus inſinuatur facilitas, & delectabilitas; quapropter *to. 1. de Inuiſib. Dei q. 1. art* 1. diximus habitus ſupernaturales eſſe potētias ſimpliciter; & habere modum habitus, quia nedū dantur ad ſimpliciter eliciendum actum, ſed etiam ad faciliter, & delectabiliter eliciendum.

17 Sed dices. Poteſt infundi gratia actualis, ſeu actus dilectionis Dei abſque gratia habituali, & voluntas illo actu, vt qualitas eſt, informata, poteſt prorumpere in actum ſecundum, vt diximus *to. 2. de Scient. Dei q. 4. art. 1. §. 1. & 3*; ergo ad actus ſupernaturales non eſt neceſſarius ſimpliciter habitus ſupernaturalis infuſus; quia ſine ipſo poſſunt haberi.

Reſp. hoc fuiſſe diſſolutum *to. 3. de Beat. q. 2. art. 6*, dilectio enim Dei, & alij actus ſupernaturales poſſunt intelligi dupliciter, vt dictum eſt *to. 2. vbi ſ. ex Beatiſ. P. Aug*, nam vel ſunt imperfecti, & quaſi diſpoſitiui ſaltem de congruo ad actus perfectos, qui ſunt meritorij vitæ æternæ; vel ſunt perfecti, & meritorij vitæ ęternæ. Ad actus imperfectos non eſt neceſſarius habitus ſupernaturalis, à quo exeunt actus perfecti, ſic adultus, antequam recipiat habitum charitatis, poteſt recipere actum imperfectum amoris Dei, quo diſponitur ad recipiendum habitum charitatis; et ita dicendum de omnibus actibus præcedentibus actum contritionis, qui eſt perfectus, et exit ab habitu charitatis. Ad actus autem perfectos neceſsarius eſt ſimpliciter habitus ſupernaturalis infuſus, vt *ſuo loco* dicemus.

18 Habitus inſuper diuiditur in intellectualem, et moralem. Intellectualis eſt ille, qui per actus intellectus acquiritur. Moralis, qui producitur per actus voluntatis.

19 Præterea diuiditur in bonum, et malum, vt *ſup.* dictum eſt. Tandem in practicum, et ſpeculatiuum, ſed de hoc *ad Logicos*.

ART. II.

In quo conſiſtat ratio habitus?

1 Quamuis *hic* principaliter loquamur de habitibus acquiſitis, attamen ex dicendis apparebit etiam, quid ſit dicendum de infuſis.

2 Prima ſententia vult habitus intellectuales eſſe idem, quòd ſpecies intelligibiles, prout per actus iteratos magis intenſas, & ordinatas. Ita *Arriag. de an. diſp 9 ſect. 1 ſubſect 1. & hic diſp. 32. ſect. Hurt. de an. d ſp 6 ſect. 2; Sonc 5. Met. q. 9. Lugo* [...] *de Fide. Oused. de an. contr. 14. punct.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

funct.2. & alij.

3 Secunda vult habitum conſiſtere in quadam qualitate ſpecificè diſtincta à diſpoſitione; ſed non explicat, quid ſit illa qualitas, & ideo inſufficienter loquitur. *Ita Caiet; Io: à S.Tho. Lorc; Val, Fonſec; Tolet; Rub, Conimbr; Lorin; Sot; & alij*, quos referunt, & ſequuntur *Compl. in Log. diſp. 15. q. 3. & noſter Gibb. hìc diſp. 33. dub. 2. n. 2.* quamuis *n. 3.* aſſerat noſtram ſententiam mox afferendam poſſe *iuxta D.Tho.* rectè defendi.

4 Noſtra tandem docet habitum diſtingui realiter à ſpeciebus intelligibilibus; identificari tamen realiter cum diſpoſitione, à qua non differt, niſi tanquam imperfectum à perfecto; ſicut differunt puer, & vir; quapropter nihil aliud eſſe, quàm ipſum actum illius potentiæ, qui, vt qualitas eſt, ipſam informat, & diſponit ad agendum; & ſi non ſit firmiter radicatus in ipſa potentia, ſed faciliter mobilis, & volubilis, eſt diſpoſitio; ſi autem iteratione actuum, vſu, & conſuetudine ſit radicatus firmiter, & roboratus, habitus nuncupatur *Ita* expreſsè *Beatiſs. P. inſ. & Fund. Doct. Quodl. 3. q. 9*, vbi ait. *Tunc illa qualitas, quæ priùs inchoata erat diſpoſitio, quia erat facilè mobilis, poſtea roborata, & perfecta erit habitus, quia erit difficilè mobilis*. Et prope finem: *Qualitas autem introducta ſub eſſe remiſſo non eſt habitus, ſed fit habitus; & eſt idem eſſentialiter cũ habitu, vnde & Simplicius in Cõmento ſuper Prædicamenta vult, quòd diſpoſitio, & habitus non differunt nec ſpecie, nec numero, ſed ſolùm differunt temporis diuturnitate, illud enim idem, quod imperfectum eſt diſpoſitio, poſtea perfectum eſt habitus, vnde ait Simplicius, quòd habitus, & diſpoſitiones non oportet intelligere, vt duas ſpecies diſtinctas ſpecificis differentijs, ſicut homo, & bos diſtinguuntur, ſed ſicut homo genitus ad eſſe ab eo, qui in perfecta ætate eſt, diſtinguitur. Ergo habitus, & diſpoſitio differunt, non tamen differunt ſpecie, ſed differunt, ſicut imperfectum, & perfectum, ſicut puer, & vir, nec etiam differunt numero, nam & idem Simplicius dicit, quòd neque numero ab inuicem differunt, ſicut Sortes à Platone, ſed tempore differunt, ſicut tempus præſens ab alio diuturno, & magis manſiuo*. Hanc ſententiam ſequitur *noſtra Schola*, et quoad 1. partem traditur etiam à *Thomiſtis Caiet. Capr. &c. à Sonc. Sua. noſtro Gibb. vbiſ. dub. 5.* Quoad 2. partem traditur à *Sua, Vaſq. Sala, & alijs*. Tertia pars traditur à *Fund. Doct. vbiſ.* & eſt conformis ijs, quæ diximus *to. 1. de Inuiſib. q. 1. art. 6. & to. 2. de ſcient. q. 4. art. 1. §. 3. & to. 3. de Beat. q. 2. art. 3. & pluries alibi*.

5 Not. *ex Fund. Doct. vbiſ.* quòd ex ijs, quæ videmus in corporalibus, poſſumus philoſophari de ijs, quæ eueniunt in moralibus. In corporalibus ergo, in quibus eſt aliqua contrarietas, & reſiſtentia, non introducitur qualitas diſponens in inſtanti, ſed in tempore, ideo enim aer illuminatur in inſtanti, quia in aere non eſt aliqua forma poſitiua luci contraria, eique reſiſtens, at verò in lignum viride, et frigidum, quia in eo reperitur humiditas, quæ contrariatur ſiccitati, et frigiditas, quæ contrariatur calori, non introducitur in inſtanti calor, qui eſt qualitas diſponens lignum ad formam ignis, ſed ſtatim, ac illi applicatus eſt ignis, remittitur forma contraria, nempe frigiditas, quoad vnum gradum, deinde quoad ſecundum, et ſic de reliquis, et poſtea remiſſa in ſummo frigiditate introducitur forma caloris, quæ aliquandiu manet in ligno; non tamen manet diu, quia non eſt adhuc firmiter radicata, & roborata. Tandem per continuationem, aut repetitionem calefactionum forma caloris radicatur, et roboratur in ligno ita, vt diu perſeueret in illo. Igitur per primos gradus calefactionis non introducitur forma caloris in lignum; cùm autem remiſſa eſt forma contraria, tunc introducitur, ſed parum durat, quia non eſt radicata, cùm autem eſt radicata, diu perſeuerat in illo. Remiſſio autem qualitatis contrariæ poteſt appellari præparatio præambula ad diſpoſitionem, quæ eſt forma caloris, forma verò caloris primò introducta eſt diſpoſitio, quæ poteſt eſſe faciliter, vel difficulter mobilis à ligno, ſi ſit, vel non ſit radicata, et roborata.

6 Cùm igitur in nobis ſit triplex difficultas, quæ contrariatur habitibus, quia ſi loquamur de habitibus bonis, eſt difficultas ex parte appetitus ſenſitiui, qui inclinatur ad delectabilia, præterea eſt difficultas ex conſuetudine, quia à pueritia aſſuefimus delectabilibus, vt dulcedini lactis, et ex conſuetudine habitus vitioſi. Si autem ſermo ſit de habitibus vitioſis, eſt difficultas ex parte rationis inclinantis in oppoſitum, & ſicut intellectus vel voluntas in acquiſitione habitus boni difficultatem patitur, quia vnitur appetitui ſenſitiuo trahenti in oppoſitum; ita è contra appetitus ſenſitiuus, quia vnitur intellectui inclinanti in oppoſitum, difficultatem experitur in acquiſitione habitus mali. Ideo in acquiſitione habitus priùs remittitur ipſa difficultas oppoſita; & poſtea introducitur qualitas, quæ quia non eſt radicata, & roborata; idcircò habet modum diſpoſitionis; cùm autem eſt roborata, fit habitus; ex qua concludit *Fund. Doct.*, quòd quædam diſpoſitio, ſcilicet per quam remittitur difficultas, nec eſt habitus, nec fit habitus; quia non eſt qualitas introducta; quædam verò non eſt habitus, ſed fit habitus; & eſt illa qualitas introducta, quæ radicatione fit habitus, quædam verò eſt habitus; quia per habitum diſponitur ſubiectum ad bene, vel malè agendum.

7 Addimus quòd ſicut in corporalibus qualitas, quæ introducitur, & per continuationem, vel repetitionem actionis roboratur; eſt ipſa actio paſſiuè recepta, quæ, vt qualitas, diſponit ſubiectum recipiens; ita in moralibus qualitas diſponens, & poſtea roborata per continuationẽ, vel per repetitionem actuum eſt ipſa actio potentiæ recepta, vt qualitas eſt, in ipſa potentia.

8 Vni-

Digitized by Google

8 Vnica concl. Habitus intellectualis non conſiſtit in ipſis ſpeciebus intelligibilibus; neque in aliqua qualitate ſpecifica diſtincta à diſpoſitione; ſed in ipſo actu potentiæ recepto, vt qualitas eſt, in ipſa potentia; qui actus per continuationem, vel repetitionem fit habitus eo, quia magis radicatur, & roboratur in ipſa potentia.

Prob. 1. pars concl. 1. *ex Beatiſſ. P. Ang. de Trin. lib. 14. c. 6.* docente: *Mens igitur, quando cogitatione ſe conſpicit, intelligit ſe, & recognoſcit; gignit ergo intellectum hunc, & cognitionem ſuam &c. Nec ſanè gignit iſtam notitiam ſuam mens, quando cogitando intellectum ſe conſpicit, tanquã ſibi ante incognita fuerit; ſed ita ſibi nota erat, quemadmodum nota ſunt res, quæ memoria continentur, etiam ſi nõ cogitentur; quando dicimus hominem noſſe literas; etiam cùm de alijs rebus, non de literis cogitat; & c. 7.* concludit: *Hinc admonemur eſſe nobis in abdito mentis quarundam rerũ quaſdã notitias, & tunc quodammodo procedere in medium; atque in conſpectu mentis velut apertiùs conſtitui, quando cogitantur.* Ex quibus ſic. Habitus intellectualis, quo promptè, & expeditè cognoſcimus res, eſt notitia rerum antecedenter cognitarum perſeuerãs in abdito mentis receſſu; eſt enim id, quo faciliter cognoſcimus res aliàs cognitas; ſed notitia rei non eſt ſpecies, quia ſpecies eſt ipſa res, prout in memoria cõtinetur; & ſi notitia rei eſſet ipſa res, eſſet notitia ſui, & ſic notitia notitiæ; tũ quia *ex ſpecie, & intellectu paritur notitia, tanquã proles vtriuſque ex eodem lib. 9. de Trin. c. 12;* idem autem nequit parere ſe ipſum; ergo habitus intellectualis non eſt ſpecies intelligibilis.

9 Conf. 1. Habitus eſt qualitas acquiſita per actus; ſic enim definitur habitus acquiſitus, de quo *hìc* loquimur; ſed ſpecies non eſt qualitas acquiſita per actus; quia ſpecies ſupponitur ad actus, cùm ex intellectu, & ſpecie producatur actus; ergo ſpecies non eſt habitus.

10 Conf. 2. euertendo euaſionem *Arriagæ.* Habitus ex communi conceptu *Philoſophorum* eſt qualitas ſuperaddita; eſt enim ſpecies qualitatis; ſed intenſio, & ordinatio ſpecierum non eſt qualitas ſuperaddita; quia intenſio importat ſolùm maiorem radicationem in ſubiecto; quæ radicatio non importat nouam qualitatem, ſed ſolùm maiorem firmitatem qualitatis iã introductæ per remotionem contrarij; tum quia intenſio ſpecierum fit ex maiori illuſtratione phantaſmatum materialium; vnde qui habet maius lumen rationis, & phantaſmata calidiora, & ſpiritualiora, habet ſpecies magis intenſas; nullus autem dixit habitũ gigni ex maiori illuſtratione phãtaſmatũ; quia & ſi phantaſmata ſint minùs illuſtrata, attamẽ ex frequẽtatione actuum generatur habitus; & ordinatio eſt relatio, quæ communiter definitur *ordo vnius ad aliud*; ergo habitus non eſt intenſio, aut ordinatio ſpecierum.

11 Prob. 2. *ex Fund. Doct. in 2. diſt. 3. p. 2. q. 2. art. 2. in reſol. Prima via.* Habitus nequit eſſe repræſentatiuus alterius rei à ſe ipſo diſtinctæ; ergo non eſt ſpecies. Prob. ant. Habitus eſt vna ſpecies qualitatis ab alijs ſpecificè diſtincta; & ab alijs nouẽ prædicamẽtis genericè diuerſa; ſed vna ſpecies nequit eſſe repræſentatiua alterius ſpeciei, quia non eſt ei ſimilis, ſed diſſimilis; hinc forma canis nequit repræſentare leonem, quia canis non eſt ſimilis leonis; aliter canis eſſet imago leonis, propterea ſpecies leonis repreſentat leonem, quia eſt eiuſdem rationis cum illo in eſſe intentionali; deriuantur enim ab eadem idæa exiſtente in mente Dei; cui idææ aſſimilatur tam ſpecies repræſentatiua leonis, quàm forma ipſius leonis; duæ autem ſpecies diuerſæ ſpecificè nequeũt eſſe ab eadem idæa, aliter nõ eſſent diuerſæ, ſed ſimiles; ergo habitus nequit eſſe alterius rei à ſe ipſo diſtinctæ. Conſ. patet; quia ſpecies eſt imago repræſentatiua illius rei, cuius eſt ſpecies.

12 Dices. Etiam ſpecies eſt determinata ſpecies qualitatis, ergo ratio ruit.

Reſp. *Fund. Doct. ibid.* diſt. ant. Eſt determinata ſpecies qualitatis formaliter, neg; nam ſpecies formaliter eſt imago repræſentatiua rei; materialiter, quatenus recipitur in accidente, conc.

13 Prob. 3. *ex eod. ibid. Secunda via.* Habitus acquiſitus non datur ad ſimpliciter, ſed ad faciliùs ita, vt cum difficultate põſſit quis agere ſine habitu id, quod faciliter agit cum habitu; ſed ſpecies datur ad ſimpliciter ita, vt ſine illa intellectus nequeat intelligere; quia nequit intelligere obiectum, quod illi non repræſentetur, vt eſt manifeſtum; ergo ſpecies non ſunt habitus.

14 Tum quia habitus vtitur ſpeciebus ad ſuos actus; vt habitus artis vtitur his, nõn illis idæis ad efformandam hanc picturam; alijſque ad aliam; ſed idem nequit vti ſe ipſo; ergo habitus non eſt ſpecies.

15 Tandem habitus ſupernaturales intellectuales non ſunt ſpecies; nam lumen gloriæ, quod habet modum habitus intellectualis, non eſt Diuina eſſentia, quæ habet rationem ſpeciei; ergo idem dicendum eſt de habitibus naturalibus.

16 Prob. 2. pars concl. 1. *ex Beatiſs. P. Aug. lib. Categ. c. 12. de Qualit.* docente: *Habitus ergo, & affectio* (ſeu diſpoſitio) *videri poteſt; ab hac nanque incipit; & ſi ipſa permanſerit, habitus naſcitur. Affectio autem habitus videri non poteſt; ſi enim ad habitum peruenerit, vocabulum proprium non tenebit.* Ex quibus ſic. Habitus poteſt denominari affectio, ſeu diſpoſitio, quia habitus incipit ab affectione, ſeu diſpoſitione, quæ ſi permanſerit diu in ſubiecto, fit habitus; diſpoſitio autem, ſi diu permanſerit, nequit denominari habitus, quia ſtatim deperdit nomen diſpoſitionis; ergo habitus, & diſpoſitio non diſtinguuntur ſpecie; nam ſi ſpecie diſtinguerentur, ſuccedente habitu, non ſolùm deperderetur nomen

di-

diſpoſitionis, ſed deperderetur res denominata per tale nomen.

17 Conf. Vna ſpecies nequit incipere eſſe ab alia ſpecie; vt canis à leone, & ſic de ceteris; neque vna ſpecies permanendo poteſt fieri altera ſpecies; cùm potiùs ex deſtructione indiuidui alicuius ſpeciei poſſet naſci aliud indiuiduũ alterius ſpeciei; vt ex putrefactione vnius floris, poſſet naſci flos alterius ſpeciei; ſed habitus incipit à diſpoſitione; & diſpoſitio diu permanens fit habitus; ergo habitus, & diſpoſitio ſpecie non diſtinguuntur.

18 Prob. 2. à *Fund. Doct. Quodl. vbi ſ 1. ex Simplic. in Com. ſuper Prędicam.* aſſerente: *Habitus, & diſpoſitio non differunt nec ſpecie, nec numero, ſed temporis diuturnitate.* 2. Ratione ſuperiùs ailata. Ita ſe habet habitus, & diſpoſitio in moralibus, ſicut qualitas intenſa, & remiſſa in corporalibus; ſed qualitas intenſa, & remiſſa non differunt ſpecie, nec numero; ergo habitus, & diſpoſitio non differunt ſpecie, aut numero. Prob. ma. Qualitas intenſa dicit eſſe radicatum, & roboratum, atque adeo diu permanens in ſubiecto; & qualitas remiſſa dicit eſſe citò ſeparabile à ſubiecto; ſed habitus dicit eſſe roboratũ, & diu permanens in ſubiecto; diſpoſitio autem dicit eſſe citò ſeparabile à ſubiecto; ergo ita ſe habet habitus & diſpoſitio in moralibus; ſicut qualitas intẽſa, & remiſſa in corporalibus. Prob. mi. Quando calor remiſſus v. g. intenditur in ligno, non introducitur nouus calor ſpecie diſtinctus, quia ſic non eſſet calor, nam quod ſpecie diſtinguitur à calore, nõ eſt calor; ſicut quod ſpecie diſtinguitur ab homine, nõ eſt homo; eſt enim calor ſpecies athoma, ſicut homo; neque introducitur calor diſtinctus numero; quia diſtinctio numerica, attenditur penes diuerſa ſubiecta; eſt autem idem ſubiectum, vt ſupponimus; nam non eſt dubium, quòd diſpoſitio, quæ eſt in vno ſubiecto, diſtinguitur ab habitu; qui eſt in alio ſubiecto; ergo qualitas intenſa, & remiſſa non diſtinguuntur ſpecie, nec numero.

19 Conf. 1. Citò deſinere eſſe, & diu eſſe non ſunt differentiæ eſſentiales diuerſificantes rem ſpecie, vel numero; ſed ſunt modi accidentales, qui poſſunt competere vni, & eidem rei ſpecie, & numero; vt homo, qui mortuus eſt ſtatim natus, ſi diu vixiſſet, non fuiſſe ſpecie, vel numero diſtinctus; ſed habitus, & diſpoſitio diſunt ſolùm citò deſinere, & diu perſeuerare in ſubiecto; ergo non diſtinguuntur ſpecie, vel numero.

20 Conf. 2. Si lumen gloriæ, quo *D. Paulus* illuſtratus fuit in raptu, fuiſſet à Deo firmatum in illo; tunc idem lumen, quod fuit per modum diſpoſitionis, fuiſſet per modum habitus; ergo habitus, & diſpoſitio ſunt vna, & eadem res.

31 Prob. etiam hoc ex *Phil. in C. de Qualit;* vbi ait: *Vna ſpecies qualitatis eſt habitus, & diſpoſitio;* ergo non differunt ſpecie; aliter non eſſent vna ſpecies, ſed duplex.

22 Tandem potentia, & impotentia; quæ ſunt altera ſpecies qualitatis, non differunt ſpecie, vel numero; nam impotentia dicit ſupra potentiam ſolam imbecillitatem; vnde potentia viſiua, quæ in iuuene eſt fortis, & vigoroſa, cùm in ſenectute ſit impotens, & imbecilla, non fit alia potentia viſiua ſpecie, vel numero; ergo à pari de habitu, & diſpoſitione, quia habitus ſimiliter dicit firmitatem in eſſe, ſicut potentia dicit firmitatem in operari; & diſpoſitio dicit infirmitatẽ in eſſe, ſicut impotẽtia infirmitatẽ in operari, res autẽ *ſicut ſe habet ad eſſe, ita ad operari.*

23 Prob. 3. pars concl. eodem modo: & 1. auctoritate; nam diſpoſitio eſt notitia, ſeu cognitio rei faciliter mobilis ab intellectu; et habitus eſt notitia difficulter mobilis; vt dictum eſt *ex Beatiſs. P. Aug.* ſed notitia eſt actus intellectus, ergo habitus eſt actus intellectus firmiter radicatus in illo. 2. ratione. Potentia immanenter agens determinatur ad agendum per actum, vt qualitas eſt, et fit in actu primo potens agere, ſine qua qualitate potentia nequit agere; ſed diſpoſitio, & habitus eſt qualitas determinans potentiam ad agendum conſtituens in actu primo ipſam potentem agere, ſine qua qualitate potentia nequit agere, nam licèt potentia poſſit agere ſine habitu, vel ſine diſpoſitione diſiunctiuè; nequit tamen agere ſine vtraque collectiuè; ergo habitus eſt actus potentiæ, vt qualitas informans ipſam potentiam firmiter in illa radicatam, & roborata.

24 Prob. 2. Ita ſe habet habitus, & diſpoſitio, ſicut qualitas intenſa, & remiſſa, vt *ſup.* dictum eſt, ſed qualitas intenſa, & remiſſa nihil aliud eſt, quàm actio paſſiuè recepta, vt qualitas informans ſubiectum; nam calor intenſus, vel remiſſus in ligno nihil aliud eſt, quàm calefactio actio paſſiuè recepta mobiliter, vel immobiliter in ligno ipſum informans, vt qualitas eſt; ergo habitus, et diſpoſitio eſt actus potentiæ informans, vt qualitas eſt, ipſam potentiam.

25 Prob. 3. Habitus eſt principium, quo agit potentia, vt *inf.* ſed actus, vt qualitas eſt, eſt principium, quo agit potentia; eſt enim illi ratio agendi, ergo habitus eſt actus, vt qualitas eſt, informans potentiam.

26 Denique prob. euertendo rationem, qua poſſet hæc pars impugnari. Si actus, vt qualitas, non eſſet habitus, maximè quia habitus eſt principium actus, et actus eſt effectus habitus, idem autem nequit eſſe principium ſui, quia principium realiter diſtinguitur à ſuo effectu, ſed hæc ratio nulla eſt, quia non implicat, quòd eadem qualitas ſecundùm diuerſas rationes ſit principium *quo* ſui, licèt repugnet, quòd ſit principium *quod*, nam principium *quo* eſt ſolùm ratio agendi, non autem eſt id, quod agit; ſic calor, receptus in igne habet rationem qualitatis, prout informat ignem, et eſt ratio, ſeu principium *quo*

actio-

actionis calefactiuæ, quæ prout actiuè ſumitur, eſt in igne; ſicut paſſiuè ſumpta eſt in ligno, quod calefit; & actio calefactiua actiuè ſumpta eſt idem realiter, ac calor, qui eſt qualitas informans lignum; aliter cùm actio calefactiua ſit idem, ac calor cum ordine ad agens, quia actio dicit rem, ſeu qualitatem ſub ordine ad agens, vt dicitur *in Logica*; ſicut duo calores realiter diſtincti eſſent in igne, quando ignis agit; nec ſciremus, à quo produceretur ille ſecundus calor; ergo idem actus, prout qualitas eſt, habet rationem principij *quo* ſui ipſius, prout actio eſt; & ideo poteſt habere rationem habitus reſpectu ſui. *Vid. to. 2. de Trin. q. 2. art. 1.*

27 Dices. Si hæc ratio valeret, ſequeretur, quòd viſio beata, vt qualitas eſt, eſſet habitus, quia vt qualitas eſt, eſſet immobilis, & eſt principium ſui, prout actio eſt; & idem dicendum de amore beatifico; & ſic eſſent ſuperflui habitus luminis gloriæ, & charitatis, quod vſque nunc nullus dixit.

Reſp. hoc *ſup.* fuiſſe ſolutum; nam quamuis poſſit concedi, quòd viſio, & amor beatificus, vt qualitates inamiſſibiliter informantes potentias, habeant rationem habitus; attamen non ſunt ſuperflui habitus luminis gloriæ, & charitatis; quia habitus ſupernaturales ſimpliciter ſunt potentiæ, & habent ſolùm modum habitus; potentiæ autem requiruntur ſimpliciter ad productionem actus; ideoque nedum non ſunt ſuperflui, ſed neceſſariò exacti.

28 Replic. 1. Actus, vt qualitas eſt, non cauſatur ab actibus, vt actiones ſunt; quia potiùs eſt cauſa actionum, ergo non eſt habitus. 2. Plures habitus ſunt ſimul in eadem potentia, in qua tamen nequeunt ſimul eſſe plures actiones, ergo habitus non eſt actus. 3. Si entitas habitus eſſet idem, ac entitas actus, habens habitum haberet actum, quod falſum eſt, quia dormiens habet habitum, & tamen non habet actum; ergo non eſt habitus.

Reſp. ad 1., quòd actus, vt qualitas eſt præciſè, non cauſatur ab actibus, ſed ab obiectis, attamen vt qualitas roborata, & firmata in potentia, cauſatur ab actibus, & quia habitus habet rationem qualitatis, vt firmatæ in potentia, ideo cauſatur ab actibus ſub hac ratione. Ad 2. diſt. 2. pars ant. Nequeunt ſimul eſſe plures actiones, vt actiones ſunt, in actu exercito, conc., vt qualitates ſunt in actu ſignato, neg., manifeſtum enim eſt plures qualitates ſpecie diuerſas eſſe ſimul in eodem ſubiecto. Ad 3. diſt. Habens habitum haberet actum, vt qualitas eſt firmiter inhærens potentiæ, conc., vt actio vitalis poſita in exercitio, neg.

29 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. Per actus iteratos intellectus acquiruntur ſpecies adeo claræ, vt abſque qualitate diſtincta facilitetur intellectus ad eliciendos actus; ergo ſuperflua eſt qualitas diſtincta. Prob. ant. Actus elapſi relinquunt ſpecies, & veſtigia; quibus tollitur omnis difficultas ad operandum, ergo per illas facilitatur intellectus ad eliciendos ſuos actus.

Reſp. neg. ant. Ad prob. neg. ant., nam adhuc poſitis ſpeciebus clariſſimis poteſt ſtare difficultas, vt *ſup.* dictum eſt. Tum quia adhuc poſita ſpecie neceſſe eſt intellectum intrinſecè actuari per aliquem actum conſtituentem ipſum in actu primo potentem operari; de ſe enim eſt potentia purè paſſiua, quæ nequit ſe ipſa operari; quia, *agens in tantùm agit, in quantùm actu eſt ſecundùm Phil.*, ipſa autem ſpecies ſe tenet ex parte obiecti illud repræſentando; non ex parte intellectus ipſum informando; quapropter Diuina, eſſentia in intellectu Beatorum gerit vicem ſpeciei, & non informat; igitur ſi informat, vt ſpecies creata, hoc eſt, quia eſt accidens; & informat, vt accidens, non vt ſpecies; & ideo non vt forma propria intellectus; quia ſolùm, vt ſpecies, eſt forma propria intellectus; nam prout accidēs, eſt quid communiſſimum omnibus ſubiectis; ergo præter ſpeciem dandus eſt actus, quo conſtituatur potentia in actu primo potens agere; hic autem actus, ſi ſit facilè mobilis, eſt diſpoſitio; ſi verò difficulter, eſt habitus. Tum propter rationes aſſignatas in probationibus concluſionis *ſup.* allatas.

30 Obijc. 2. Species ſufficienter determināt potentiam ad hoc, vel illud obiectum; ergo ſuperfluunt habitus. 2. Quotieſcunque duæ cauſæ partiales concurrunt ad aliquem effectum; tunc aucta virtute alterutrius facilitatur altera ad efficiendum; ſed ſpecies, & intellectus ſunt huiuſmodi; ergo aucta virtute ſpecierum facilitatur intellectus ad agendum. 3. Habilitas, quam acquirunt bruta ad agendum, non eſt habitus, ergo neque illa, quam acquirit intellectus; & ideo habitus non conſiſtit in actu facilitante ipſum intellectum diſtincto à ſpeciebus, ſed in ipſis ſpeciebus.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Species determinant intellectum per modum formæ extrinſecæ ſe tenentis ex parte obiecti, conc., per modum actus intrinſeci informantis potentiam ſe tenentis ex parte potentiæ, quatenus illam conſtituit in actu primo, neg. Ad 2. neg. mi., nam intellectus, & ſpecies ſunt duæ cauſæ totales ſubordinatæ, vt diximus de lumine *to. 1. de Inuiſib. Dei q. 2. art. 4.* Ad 3. neg. conſ., cùm enim bruta ob defectum libertatis nequeant bene, vel malè agere; neceſſariò enim agunt; ideo in illis non ſunt propriè habitus; at verò ſecus eſt in homine, qui eſt præditus libertate. *Sed de hoc inf.*

31 Iſtæ, & aliæ obiectiones tollunt virtutem proximam ad agendum; nam quamuis cauſa particularis ſubordinata detur cauſam vniuerſalem, adhuc requiritur in vtraque virtus proxima, per quam conſtituatur in actu primo. Sic quamuis cauſa vniuerſalis ſit maximæ virtutis, attamen adhuc requiritur virtus proxima

ma cauſæ particularis. Species ergo clarior producit in intellectu actu efficaciorem, quo intellectus magis clarè tendit in obiectum; non tamen tollit difficultatem immediatè, ſed mediante actuum repetitione.

32 Obijc.3. *noſter Gibb.* cont.2. part. concl. Illa, quæ habent diuerſas differentias ſpecificas eſſentiales, differunt ſpecie, ſed habitus, & diſpoſitio ſunt huiuſmodi; ergo differunt ſpecie. Ma. conſtat; ideo nanque canis, & homo differunt ſpecie, quia habent diuerſas differentias ſpecificas eſſenriales. Prob. mi. Eſſe faciliter, & difficulrer mobile ſunt diuerſæ differentiæ ſpecificæ eſsentiales; quia deſumuntur ex obiectis ſpecificatiuis; in tantùm enim habitus primorum principiorum, qui verſatur circa principia ſpeculabilia, & ſynderesis, quæ eſt habitus practicus verſans circa principia agibilia, habent firmitatem, & immobilitatem, in quantùm eorum principia, à quibus ſpecificantur, ſunt immutabilia; ſunt enim nota naturæ lumine; adeoque neceſſitant intellectum ad illis aſſentiendum; ſed habitus, & diſpoſitio differunt per eſſe difficulrer, & faciliter mobile; ergo habent diuerſas differentias ſpecificas eſſentiales.

Reſp., quòd ſi hoc arg. probaret, conuinceret habitum eſſe ſimpliciter, non autem ſolùm faciliter immobilem; imò probaret etiam ipſam diſpoſitionem, quæ eſt faciliter mobilis, eſſe immobilem ſimpliciter; nam certum eſt, quòd obiectum ſcientiæ, ſiue habeatur per modum habitus, ſiue per modum diſpoſitionis, ſemper habet pro obiecto aliquod ſimpliciter immutabile, & neceſſarium; alirer non eſſet ſcientia, quæ eſt de rebus immutabilibus, & neceſſarijs, ergo ſi habitus, & diſpoſitio traherent immobilitatem, & mobilitatem a ſuis obiectis formalibus ſpecificatiuis, eſsent ſimpliciter immobiles, ſunt autem ſimpliciter mobiles, habitus quidem difficulter, & diſpoſirio faciliter, ergo aliunde deſumunt mobilitatem difficilem, & facilem; & ideo à ſubiecto, quod tranſmutationi ſubijcitur, eſt deſumenda, atqui id, quod competit habitui ratione ſubiecti, illi competit accidentaliter, & materialiter, ſicut id, quod ei competit ratione obiecti formalis, competir formaliter eſsentialiter, ergo eſse difficulter, & faciliter mobile ſunt differentiæ accidentales.

33 Dicirur ergo, & magis roboratur concl; quod mobilitas, & immobilitas duplex eſt; alia per ordinem ad eſsentiam, quæ ſumitur per ordinem ad ſuum ſpecificatiuum formale, & in hoc ſenſu tam habitus, quàm diſpoſitio ſunt ſimpliciter immutabiles. Alia per ordinem ad exiſtentiam, quæ ſumitur per ordinem ad ſubiectum, habitus enim, & diſpoſitio ſunt qualitates, qualitas autem, & omne accidens exiſtit per exiſtentiam ſubiecti; & ideo mobilitas, & immobilitas ſecundùm exiſtentiam ſumitur per ordinem ad ſubiectum; omne autem accidens à ſubiecto non trahit, niſi differentiam accidentalem; vt cùm diuiditur albedo dicendo: *Alia lactis, alia parietis*; ergo facilis, & difficilis mobilitas à ſubiecto non conuenit, niſi accidentaliter qualitati, quæ eſt diſpoſirio, & conſuetudine fit habitus. Hinc definitur habitus per ordinem ad ſubiectum, reſpectu cuius eſt difficulter mobilis; non autem per ordinem ab obiectum, reſpectu cuius eſt ſimpliciter immutabilis; habet enim obiectum firmum, ſtabile, neceſſarium, & immutabile ſimpliciter; quia obiectum eſt ſpecificatiuum ipſius; & ſpecificatiuum cuiuſcunque rei eſt immutabile, neceſſarium, ſtabile, & firmum; nam eſſentiæ rerum *ſunt ſimpliciter inuariabiles*; ergo facilis, & difficilis mobilitas non ſunt differentiæ eſſentiales deſumptæ à ſubiectis, à quibus habetur mutabilitas, non immutabilitas.

34 Collig. ex dictis habitum eſſe vnam ſimplicem qualitatem, non autem eſſe vnum aggregatum ex pluribus qualitatibus ſimul vnitis; nam ſi habitus non eſt, niſi illa entitas actus magis intenſa, radicata, & roborata; ſicut calor intenſus non eſt aggregatum ex pluribus caloribus numero diſtinctis; quia plura accidentia ſolò numero diuerſa nequeunt eſſe in eodem ſubiecto; ita habitus non eſt aliquod aggregatum ex pluribus qualitatibus, ſeu actibus; ſecus plura accidentia ſolo numero diſtincta eſſent in eodem ſubiecto; ſed eſt vna tantùm ſimplex qualitas roborata, firmata, & intenſa in eadem potentia.

A R T. III.

An, & quomodò habitus concurrat ad actum?

1 HAEc difficulras procedit ſolùm de habitibus acquiſitis; nam cùm habitus infuſi habeant rationem potentiæ, & modum habitus tantummodo; cùmq; potentiæ ſimpliciter concurrant effectiuè ad actus; certum eſt habitus effectiuè ſimpliciter efficere entitatem actuum.

2 Prima ſententia vult habitus non concurrere effectiuè ad actus, ſed tantùm determinare, & perficere potentias per ordinem ad obiectum, ita tamen, vt ſolæ potentiæ influant in productionem actuum. Tribuitur *Scot. in 1. diſt. 17 q. 2. art. 1.*

3 Secunda ſententia opinatur concurrere ſolùm diſpoſitiuè, quatenus ſcilicet homini habituato faciliùs, & conuenientiùs repræſentatur obiectum; nullo modo autem concurrere per ſe ad ſubſtantiam actus, aut ad malitiam, & bonitatem actus, aut ad intenſionem illius; ſed tantùm concurrere per accidens, quatenus ſcilicet diſponit. *Ita Dur. in 3. diſt. 23. q. 3., & 4., Palud. ibid. q. 2., & alij pauci.*

4 Tertia ſententia docet habitum concurrere effectiuè per ſe ad productionē actus, ſed diuiſa eſt; nā *aliqui* volunt concurrere per ſe ad productionē entitatis ipſius actus; vt *Caiet; Capr; Io à S.*

Tho;

Tho. & *omnes Thomiſtæ*; quibus adduntur *Sua., Fonſ., Val., Ripald., Ariag., Ouied., & noſter Gibb. hîc diſp.33.dub.7.* Alij verò volunt concurrere tantùm ad modum actus, ſeu ad facilitatem. *Ita* videtur docere *Fund. Doct. in 2.diſt.3.p.2.q.2.art.2. §. ſecunda via*, vbi ait: *Nam habitus non videtur (ſimpliciter loquendo) ordinatus ad actum ſecundùm ſe, & vt eſt aliquid in genere, ſed ſolùm ad modum agendi, vt quia ſecundùm Com. habitus eſt, quo quis poteſt agere, cùm vult; hoc enim ſonat habitus, vt habilitat, & expeditiuam, ac facilè reddat potentiam ad agendum, ideo dicitur habitus eſſe, quo quis poteſt agere, cùm vult; quia habentes habitum ſecundùm eorum velle expeditè, & faciliter in actum exire poſſunt. Etiam ſecundùm hunc modum loquitur Phil. 2.Eth.c.3., cùm ait, quòd ſignum generati habitus eſt delectationem, & triſtitiam fieri in opere; nam omne difficile videtur quandam triſtitiam annexam habere; omne autem facile è contrario delectationem. Ante enim quàm quis acquirat habitum liberalitatis, poteſt opera liberalitatis facere, ſed difficile eſt ei agere huiuſmodi opera &c.* Hanc ſententiam ſequuntur *Vaſq., hîc diſp. 23.c.2.n.10., Monteſin. ibid. diſp.30.n.17., & alij.* Vt autem hoc explicetur.

5 Not; quòd habitus duo importat; vnum de materiali; & aliud de formali. De materiali importat qualitatem, quæ eſt communis habitui, & diſpoſitioni. De formali importat facilitatem, per quam diſtinguitur à diſpoſitione. Igitur ſi conſideretur habitus quoad vtrunque, dicimus concurrere ad producendam entitatem actus, & modum actus; quia talis qualitas eſt perfectio intellectus conſtituens ipſum in actu primo potentem agere; & ideo eſt intellectui ratio, ſeu principium *quo* agendi; & ſine ipſa intellectus nullo modo poteſt agere; implicat enim, quòd ſine actu primo tranſeat ad actum ſecundum; & ideo talis qualitas eſt ſimpliciter neceſſaria ad actionem; quamuis quòd talis qualitas ſit habituata, vel permanenter radicata in intellectu, ſe habeat ſolùm ſecundùm quid; quia abſque eo, quòd talis qualitas ſit habituata, poteſt intellectus, cum illa tamen qualitate non habituata, agere. Quare diligenter not. eſt; quòd quando dicitur ſine habitu poſſe potentiam agere, & ideo habitum eſſe ad faciliùs, non ad ſimpliciter; intelligendum eſt de habitu, non ſecundùm id, quod materialiter importat; quia ſine qualitate, quæ eſt actus primus, & eſt ratio ad agendum, nequit potentia agere vllo modo. Si autem conſideretur ſolùm ſecundùm id, quod formaliter importat; dicimus ſolùm concurrere ad modum actus, ſeu ad intenſionem, & facilitatem actus; non verò ad entitatem; quia formalitas, quam importat habitus, eſt tantùm modus, vt ſtatim videbimus; & in hoc ſenſu intelligendus eſt *Fund. Doct.*, qui conſtantiſſimè docet potentiam immanenter agentem debere actuari ab obiecto producente in illa ipſam actionem, quæ vt qualitas eſt, actuat, & conſtituit potentiam in actu primo potentem agere, & poſtea vt refertur ab ipſa potentia in obiectum, eſt actus ſecundus immanens in ipſa potentia; vt vidimus *loc. ſup. cit.* Sic ergo intellecta noſtra ſententia.

6 Vnica concl. Habitus ſecundùm id, quod formaliter importat, concurrit tantùm ad modum actus, non ad entitatem, ad quam ſolùm concurrit effectiuè ſecundùm id, quod materialiter importat eo modo, quo dictum eſt.

Prob. 1. ex *Beatiſs. P. Aug. lib. de Bono coniug. c.21.* docente *Habitus eſt id, quo agimus, cùm opus eſt*; quod habet etiam *Auerroes lib.3. de an. t.18.* dicens: *Habitus eſt, quo quis agit, cùm vult.* Hoc autem ita eſt intelligendum, vt explicat *Fund. Doct. vbi ſ.*, vt habens habitum poſſit agere, cùm opus eſt, & cùm vult; quia nulla præpeditur difficultate ad agendum, ſed eſt omnino expeditus, & ideo delectabiliter operatur, vt ait *Phil.*, ex quo ſic formatur ratio *Fũd. Doct.* Quod concurrit tantùm ad faciliter, non ad ſimpliciter, concurrit tantùm ad modum, non ad entitatem actus; ſed habitus eſt huiuſmodi, ergo concurrit tantùm ad modum, non ad entitatẽ actus. Prob. ma. Quod concurrit tantùm ad faciliter, non ad ſimpliciter, ita concurrit, vt etiam præciſo tali concurſu habeatur entitas producta, ad quam concurrit; aliter ſi non haberetur entitas, iam concurreret ad ſimpliciter, non ad faciliter; nam concurrere ad ſimpliciter eſt ita, vt ſine illo entitas haberi non poſſit; ſed quod ita concurrit, vt etiam præciſo tali concurſu habeatur entitas producta, licèt non cum tanta facilitate, concurrit ſolùm ad modum, non ad entitatem actus; quia quod ita concurrit, vt etiam præciſo tali concurſu poſſit haberi entitas producta, licèt non cum tanta facilitate, concurrit ſolùm vincendo, & ſuperando difficultates, quæ ſunt modi circunſtantes ipſum actum, & ipſum impedientes; ergo quod concurrit tantũ ad faciliter, non ad ſimpliciter, concurrit tantùm ad modum, non ad entitatem actus. Mi. patet; nam qui cum habitu liberalitatis facit opera liberalia, poteſt etiam illa facere, ſine tali habitu, quamuis cum maiori difficultate; ſic qui pulſat citharam cum habitu citharizandi, poteſt etiam illam pulſare ſine tali habitu, quamuis cum magna difficultate; vt experientia notum eſt.

7 Prob. 2. ex doctrina *eiuſdem Fund. Doct.* allata *in ſup. art.* Modus virtutis agentis nequit concurrere ad producendum, niſi modum ipſius actionis; ſed habitus de formali importat ſolùm modum virtutis potentiæ; ergo nequit concurrere, niſi ad modum ipſius actionis. Prob. ma. Modus non eſt entitas, ſed obliquitas entitatis, & ſi eſt entitas, vt *aliqui* volunt; eſt quædam entitatcula parua, & modica; ſed non ens nequit producere ens, quia communicaret eſſe, quod non habet; quod eſt contra commune principium: *Nemo dat, quod non habet*, & obliquum ne-

nequit cauſare rectum; aliter obliquum eſſet index ſui, & recti, quia cauſa eſt index effectus, cùm per illam cognoſcatur effectus; quod pariter deſtruit aliud principium: *Rectum eſt index ſui, & obliqui*; & entitacula minima nequit producere entitatem magnam; ut formica leonem: aliter eſſet falſum aliud principium: *Cauſa nequit eſſe ignobilior effectu*; ergo modus virtutis agentis nequit concurrere, niſi ad modum ipſius actionis. Prob. mi. Habitus, & diſpoſitio non important aliam entitatem determinatam ſupra qualitatem, quæ eſt illis communis; ut probatum eſt *in ſup. art.*, nam eſſe mobile, & eſſe permanens ſupra qualitatem, quæ mouetur, vel permanet, non important aliquam qualitatem; quia illa qualitas, vel moueretur, vel permaneret; & ſic importaret aliam qualitatem, per quam moveretur, vel permaneret; & ita in infinitum; vel moueretur, aut permaneret per ſe ipſam; & ſic non eſſet ratio; cur prima qualitas illis communis non poſſet per ſe ipſam permanere, adeoque fruſtranea eſſet alia qualitas, per quam moueretur, vel permaneret; ergo habitus, & diſpoſitio important ſolùm diuerſos modos eſſendi; nam vltra entitatem non datur, niſi modus.

8 Conf. 1. Intenſio, & remiſſio qualitatis non concurrit, niſi ad intenſionem, & remiſſionem actus producti ab illa qualitate; quia cauſa vniuoca, & effectus debent commenſurari, & eſſe eiuſdem rationis; ſed habitus, & diſpoſitio dicunt intenſionem, & remiſſionem qualitatis; quia dicunt maiorem, & minorem radicationem eiuſdem qualitatis in potentia; ergo non concurrunt, niſi ad intenſionem, & remiſſionem actus. *Vid. ſup. art.*

9 Conf. 2. Facilitati potentiæ debet correſpondere facilitas actus, qui eſt terminus illius; nam principio debet correſpondere terminus præcipuè, ſi ſint uniuoca; ſed habitus importat facilitatem potentiæ; quia ſic definitur; ergo habitui debet correſpondere facilitas actus tanquam terminus ſpecificatiuus illius; atqui nulla res poteſt tendere extra ſuum ſpecificatiuum adæquatum; ergo habitus nequit tendere, niſi in facilitatem actus; ſed hæc eſt modus ipſius actus, quia non eſt qualitas diſtincta ab actu; ut dictum eſt; ergo habitus non concurrit effectiuè, niſi ad modum actus. Sed hæc magis patebunt ex ſolutione obiectionum.

10 Obijc. 1. *Dur.* Actus producitur à potentia ſine habitu; ergo non pendet ab habitu per ſe, tanquam à cauſa. 2. Potentia ex ſe ipſa eſt determinata ad producendum actum in ſingulari; ergo non indiget habitu, vt determinetur; & ideo habitus non concurrit ad productionem actus. 3. Habitus non concurrit ad producendam bonitatem, vel malitiam actus; quia bonitas, & malitia nihil aliud eſt, quàm relatio convenientiæ; & diſconvenientiæ actus ad naturam; ſed habitus non cõcurrit ad producendam entitatem actus; ergo neque ad bonitatem, & malitiam illius. 4. Quod poteſt efficere intenſionem actus, poteſt quoque efficere entitatem actus per ſe; niſi in ſubiecto ſit prævalens reſiſtentia; ſed habitus nequit per ſe efficere entitatem actus; ergo neque intenſionem. Prob. ma; nam intenſio actus eſt eiuſdem eſſentiæ, & rationis, cuius eſt ipſe actus; ergo quod poteſt vnum, poteſt & aliud. Tum quia intenſio actus intellectus pendet à lumine intellectus; quia conſiſtit in maiori firmitate, & euidentia; ergo non pendet ab habitu. Tum quia vel concurreret intendendo potentiam, & hoc non; quia potentia non ſuſcipit magis, & minus. Vel concurreret tanquam cauſa partialis eiuſdem rationis, & hoc non; quia potentia, & habitus eſſent cauſæ æquè immediatę, quod eſt *contra Phil.*, vel tanquam cauſæ ſubordinatæ diverſæ rationis; & hoc non, quia potentia ſine habitu non poſſet agere; ergo nullo modo concurrit. 5. Facilitas ſe tenet ſolùm ex parte potentiæ; nam poſſunt dari duo actus eiuſdem rationis æquè faciles, & tamen ille, qui dicitur ab habitu, faciliter elicitur; alter verò ſine habitu difficulter; ergo neque concurrit ad facilitatem actus.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Producitur faciliter, æquè intensè, neg; difficulter, & remiſsè, conc. Preterea non valet: *Aliqua animalia producuntur tantùm à Sole abſque conſortio cauſæ particularis; ergo nequeunt produci cum conſortio cuius particularis*; non valet, inquam, vt patet de araneis, alijſque animalibus imperfectis, quę fiunt tum ex putri, tum per propagationem. Ad 2. eodem modo. Eſt determinata ad producendum cum eadem facilitate, & intenſione, neg; cum difficultate, & remiſsè, conc. Sic ad 3. Non concurrit cum eadem facilitate &c. Ad 4. diſt. ma. Quod poteſt efficere, *vt quod*, intenſionem actus; poteſt per ſe producere actum, conc., *vt quo*, ſubdiſt. Si ſit modus virtutis productivæ, neg; ſi ſit ipſa virtus, conc. Si autem *his per ſe* ſit idem, ac ſe ſolo; neque nam lumen cum oculo prodicit viſionem, non tamen poteſt ſe ſolo videre. Ad aliud dicitur ad ant. intenſionem cognitionis nedum pendere à lumine, et nedum conſiſtere in maiori euidentia; ſed etiam pendere à maiori radicatione virtutis agendi in potentia, quæ radicatio eſt habitus; et in radicatione etiam conſiſtere; vt patet de intenſione caloris; et ratio eſt; quia quando plures cauſæ concurrunt ad productionem effectus intendibilis; tunc intenſio illius pendet ab intenſione illarum; ſic autem eſt actus intellectus. Ad aliud dicitur non concurrere ad intendendam potentiam; neque vt cauſam partialem; ſed vt modum virtutis ſubordinatæ, ſine quo nequit produci actus cum eadem facilitate, et intenſione, quanuis poſsit produci ſine facilitate, et remiſsè. Ad 5. neg. ant. Ad prob. inſert. dicitur non poſſe

ne-

negari actus in ſe ipſis difficilts, vt ſunt actus egregij, heroici; & vniuerſaliter illi, quibus repugnat, & non inclinatur potentia; vt ſunt actus virtutum reſpectu appetitus ſenſiriui. Duo ergo actus omnino ſimiles ſunt faciles reſpectu habitus; & ſunt difficiles reſpectu potentiæ ſine habitu. Sicut duo actus æquè delectabiles, & boni reſpectu vnius; & reſpectu alterius triſtatiui, & mali; non tamen ex hoc infertur triſtabilitatẽ, & malitiam, delectabilitatem, & bonitatem ſe tenere tantùm ex parte potentiæ, non ex parte actus. Ita à pari; quo euincitur etiam Val; cui placet modus *Dur.* explicandi facilitatem.

11 Obijc. 2. *Val.* Habitus eſt perfectio potentiæ, per ordinem ad operationem; ergo per ſe concurrit ad entitatem operationis. 2. *Phil. 6. Eth. c.4.* diuidit habitum in actiuum, & factiuum; *& Beatiſs. P. vbi ſup.* ait *habitum eſſe id, quo agimus.*

Reſp. ad 1. diſt. ant. Per ordinem ad operationem, prout intenſam, conc; ſimpliciter, neg. Ad 2. dicitur eos loqui de habitu complexè ſecundùm id, quod importat materialiter, non verò incomplexè ſecundũm id, quod tantũ importat formaliter.

12 Obijc. 3. *noſter Gibb.* Entitas actus egreditur à potentia determinata per habitum; ergo eſt effectus ipſius habitus; quia entitas effectus non poteſt dici procedere ab aliqua cauſa influẽte ſolùm in aliquod accidens, aut modum ipſius effectus; ſi enim aliqua cauſa concurrens ad generationem hominis produceret ſolùm accidens hominis, homo non eſſet effectus illius cauſæ. Tum quia ex eo, quòd intellectio egrediatur ab intellectu determinato per ſpeciem, eſt effectus ſpeciei; ergo à pari. Tum quia opus artificioſum eſt effectus inſtrumenti ſeparati; ergo multò magis eſt effectus artis, quæ eſt habitus. Tandem id, quod facit, vt potentia agat maiori conatu, eſt cauſa ipſius actus potentiæ; ſed habitus eſt huiuſmodi; ergo eſt cauſa entitatis actus.

Reſp. ad 1. diſt. ant. eodem modo. Egreditur à potentia determinata per babitum complexè ſumptum quantùm ad entitatem, conc; incomplexè, neg; Ad prob. inſert dicitur, quòd licèt calor concurrat ad generationem ignis ſolùm producendo calorem, qui eſt diſpoſitio ad formam ignis, attamen ignis dicitur procedere à calore; & ideo falſum aſſumitur. Ad 2. neg. conſ. quia ſpecies importat de formali entitatem obiecti in eſſe intelligibili; habitus verò ſolùm modum; & ſic ad 3; inſtrumentum enim quantùm ad entitatem influit in entitatem actus, & quantùm ad modum influit in modum actus. Ad 4. conc. de cauſis partialibus, de cauſis autem totalibus, ſi ſumantur ſolùm quantùm ad entitatem, conc; ſi quantum ad modum, neg; ſic ſoluuntur ferè omnes difficultates vnica reſponſione.

13 Obijc. 4. *Gonet.* Potentia, & habitus indiuiſè concurrunt ad actum, quatenus efficiunt vnicum principium adæquatum ipſius actus; ergo indiuiſè producunt omnes rationes, quæ ſunt in actu 2. Stat potentiam habere habitum, & tamen producere actum minùs intenſum; quia habitu vtimur, quando, & quomodò volumus; ergo habitus non concurrit ad ſolam intenſionem actus.

Reſp. ad 1. eodem modo. Si habitus ſumatur complexè, conc; quia ſic importat entitatem; ſi formaliter tantùm, neg; ſic enim importat ſolùm modum, & ideo ſolùm ad modum actus poteſt concurrere, Ad 2. diſt. ant. Stat potentiam habere habitum, & producere actum minùs intenſum vtendo ipſo habitu neg; non vtendo habitu, conc.

ART. IV.

An, & quomodò habitus naturales producantur ex actibus?

1 RESolutio hnius difficultatis haberi poteſt ex dictis *in duobus ſuperioribus art,* quapropter conformiter ad ea, quæ *ibid.* diximus, in præſenti eſt loquendum.

2 Prima ſententia vult actus non eſſe cauſam habitus; ſed eſſe tantùm diſpoſitionem, qua diſponitur potentia, non quidem ad habitus producendos, ſed tantùm ad illos recipiendos; atque adeo cauſam productiuam habituum eſſe ſolam potentiam; actus verò eſſe tantum diſpoſitiones non receptiuas, quia habitus recipiuntur in ſola potentia, non in actibus, ſed merè diſpoſitiuas paſſiuè. *Ita Dur. in 3. diſt. 33. q.2.*

3 Secunda docet habitus acquiſitos verè produci ex actibus. *Ita communiter omnes cum Phil.* Eam docet *Fund. Doct. Quodl. 3. q. 9; & in 2. diſt. 3. p. 2. q. 2. art. 2. & plures alibi.* Idem tradunt *Thomiſtæ cum S. Tho.* quos ſequuntur *Sua; Vaſq. Hurt. Onied. Ariag. Val. & alij communiter.* Sed diuiſa eſt in explicatione modi, quo habitus producuntur.

4 *Aliqui* volunt per quenlibet actum produci particulam habitus, quæ multiplicatis actibus paulatim accipit ſtatum, & firmitatem; vnde illa particula ſtatim, ac eſt producta; habet modum diſpoſitionis, firmata poſtea per actus, fit habitus. *Ita Sua. in Met. Sect. 9 n. 12. Vaſq hic diſp. 79. c. 8. Ariag. Hurt. Onied. apud noſtrum Gibb. hic*; qui aſſerit hanc ſententiam docere *omnes Auctores*, qui volunt habitum, & diſpoſitionem ſpecie non diſtingui, ſed ſe habere ſolùm ſicut imperfectum, & perfectum; quod tamen falſum eſt; nam nos hanc ſententiam tenemus; & tamen alium modum explicandi productionem habituũ *cum Fund. Doct.* afferemus; vt *inf.*

5 Alij volunt quòd licèt loquendo de habitibus intellectus certis, & euidentibus, vt eſt habitus ſcientiæ, per quenliber actum producatur particula ipſius habitus; attamen loquendo de

habi-

Digitized by Google

habitibus certis appetitus intellectiui, & ſenſitiui; dicunt per priores actus non produci entitatem habitus, ſed tantùm quaſdam diſpoſitiones eſſentialiter ab habitu diſtinctas, quarum virtute interueniente vltimo actu ablata omni reſiſtentia producitur habitus; ſicut *gutta cauat lapidem, non bis, ſed ſæpe cadendo*; quatenus primæ guttæ ita diſponunt, vt vltima gutta virtute præcedentium guttarum tandem cauitatem inducat. *Ita Thomiſtæ; Val. hic, & alij noſter Gibb. hic diſp. 34. dub.* qui teſtantur hanc eſſe communem *omnium Thomiſtarum, & noſter Argent. in 3. diſt. 23.* docet per primum actu produci habitũ ſcientiæ: quando autem eſt ablata reſiſtentia, tunc introducitur entitas habitus, quæ tamen non obtinet nomen habitus, quia non eſt roborata; cùm autem roboratur per ſubſequentes actus, tunc nomen habitus obtinet.

6 Nos tamen *cum Fund. Doct. Quodl. 3. vbiſ.* ſubſtinemus per primos actus non produci habitum, ſed tolli reſiſtentiam, & contrarietatem; ſicut per primos gradus caloris remittitur frigus in ligno; & quando frigus eſt remiſſum in ſummo, tunc introducitur forma caloris; quæ quia non eſt roborata, non habet firmitatem; roboratur autem per continuationem, ſeu repetitionem calefactionum. Hæc doctrina eſt *Beatiſs. P. Aug.*, vt vidimus *in ſuperioribus art; pro cuius explic.*

7 Not. certum eſſe *in noſtra Schola*; quòd ſi loquamur de habitu materialiter ſumpto, prout ſcilicet importat qualitatem informantem, & conſtituentem noſtrum intellectum in actu primo potentem proximè intelligere, quæ quidem qualitas eſt communis habitui, & diſpoſitioni, vt ſuperiùs dictum eſt; nec habitus producitur ex actibus, nec actus ex habitu; quia vna, & eadem qualitas eſt actus, & habitus, & hæc qualitas effectiuè producitur ab obiecto, vt *alibi* pluries probatum eſt. Difficultas igitur eſt de habitu ſecundùm id, quod formaliter importat, ſcilicet prout importat ſtabilem radicationem eiuſdem qualitatis, & difficultatem mobilitatis à ſubiecto. Et exemplum caloris *ex Fund. Doct.* ſuperiùs adductum maximè iuuat ad hanc rem declarandam; quando enim per continuationem, vel per repetitionem calefactionum roboratur, & firmatur calor in ſubiecto, tunc non producitur noua entitas caloris, ſed iam producta ſolummodò intenditur, & roboratur in ſubiecto. Quærere igitur, an habitus producatur ex actibus, eſt idem, ac quærere, an difficultas mobilitatis, quæ aduenit qualitati introductæ in potentia, oriatur ex exercitio actualis tẽdentiæ ſæpiùs repetito eiuſdem qualitatis in obiectum; v.g. an actus ſcientificus Philoſophiæ, ut eſt qualitas informans intellectum efficienter producta ab obiecto, reddatur difficulter mobilis ex eo, quòd illa eadem qualitas referatur pluries in corpus mobile, quod eſt obiectum Philoſophiæ ita, vt illa qualitas, quæ primò eſt mobilis, & faciliter amiſſibilis, exercitio ſui pluries iterato reddatur difficuliter mobilis, & ſtabiliter roboretur. Ex eo nanque, quòd obiectum durat diu in proſpectu mentis, vel repetitis vicibus pluries occurrit; intenditur, firmatur, & roboratur entitas illius qualitatis eo prorſus modo, quo calor receptus in ligno ex eo, quòd diu duret ignis in illius proportionata diſtantia, vel pluries illi admoueatur, dicitur intendi, firmari, & roborari in illo ita, ut diu duret in illo, & tam faciliter non deperdatur.

8 Ex hoc patet *Auctores* inſufficienter explicare modum huius difficultatis; imò ſuppoſita hac noſtra ſententia, quæ optimè probatur ex ijs, quæ videmus in corporalibus, illos ſemper procedere ex falſo ſuppoſito; ſupponunt enim entitatẽ habitus eſſe diuerſam ab entitate actus; quod ſuppoſitum conuincitur falſitatis ex eo, quòd actio calefactiua paſſiuè conſiderata eſt idẽ omnino, ac entitas caloris introducta in lignum, quæ eſt qualitas diſponens ipſum lignum, illudque informans; & ſicuti hæc qualitas vna, & eadem eſt in gradu remiſſo, & in gradu intenſo; vt ſupponimus *ex Phyſ.* ita eadem qualitas radicata, & non radicata eſt habitus, & diſpoſitio.

9 Vt autem hoc magis appareat, rememoranda eſt explicatio actionis, quam tradidimus *tom. 3. in Hexam. art. 11.* Igitur actio ſiue tranſiens, ſiue immanens non eſt aliqua entitas, quæ migret ab agente in paſſum; quia nequit *accidens migrare de ſubiecto in ſubiectum*; vt docet *cum Phil.* experientia, aliter ſi calor migraret ab igne in lignum, ignis priuaretur calore, vel ſaltem minueretur eius calor; quia particula caloris ei deficeret; & ſic poſſet toties agere, quouſque eius calor omnino extingueretur; quod eſt contra experientiam, & rationem. *Vid. vbiſ.* Approximato igitur igne ipſi ligno primò remouentur qualitates contrariæ ipſi igni, quæ ſunt frigiditas, & humiditas; quibus qualitatibus remiſſis in ſummo educitur de potentia paſſiua ipſius ligni forma caloris, ad præſentiam tamen ipſius ignis approximati; quæ præſentia quò magis durat, eo magis roboratur, & intenditur calor in ligno abſque eo, quòd aliquid ab igne tranſeat in lignum ita, vt ille calor intenſus magis duret; & ſi remoueatur ignis à ligno; tunc in ligno manet facilitas ad iterum concipiendũ calorem.

10 Ita philoſophandum eſt de actionibus immanentibus, nam præſente obiecto manifeſtato, & poſito in debita diſtantia alicuius potentiæ; ſtatim remouentur difficultates contrariæ, quæ ſunt in ipſa potentia, de quibus ſatis dictum eſt *art. 2. n. 6.*, poſtea educitur de potentia paſſiua eiuſdem potentiæ entitas actionis; per quam entitatem ipſa potentia actiuè tendit in ſuum obiectum ipſum percipiendo, & at-

tin-

Digitized by Google

tingendo; hæc autem entitas à diuturna præſentia, & approximatione ipſius obiecti, vel à repetitione præſentiæ, & approximationis ita firmatur, & roboratur in ipſa potentia, ut fiat difficulter mobilis ab ipſa; & ita induit rationem habitus; & ſi remoueatur obiectum à potentia; tunc in ipſa manet facilitas ad iterum concipiendum tale obiectum. Hoc eſt, quod docet *Beatiſs. Pat.* docens habitum fieri *uſu*, idèſt exercitio; *& conſuetudine roborari*; idèſt repetitione eiuſdem exercitij; exercitium autem potentiæ nihil aliud eſt, quàm tendentia ipſius in ſuum obiectum. Hanc doctrinam affert *Fund. Doct. Quodl. 3. vbiſ.*

11 Dices. Actio tranſiens differt ab immanente; quòd illa tranſit ab agente in paſſum; hæc verò manet in ipſo agente; ergo falſum eſt non migrare aliquid ab agente in paſſum.

Sed contra eſt; nam differentia actionis tranſeuntis,& immanentis conſiſtit in hoc;quòd producta efficienter ab obiecto in potentia immanenter agente ipſa qualitate, tunc potentia producit ipſam qualitatem, vt actio vitalis eſt, quia per ipſam actiuè tendit in ſuum obiectum; & quia entitas actionis vitalis manet in ipſa potentia, ideo dicitur actio vitalis immanens. At verò eadem qualitas reſpectu obiecti, quod effectiuè in genere cauſæ efficientis illam producit, dicitur actio tranſiens, quia non recipitur in ipſo obiecto, ſed in ipſa potentia, quæ eſt aliquid extra obiectum; atque adeo etiam actio in ipſa recepta eſt aliquid extra obiectum; & in hoc ſenſu tranſit in alienam materiam, idèſt recipitur in aliquo extra ipſam cauſam efficientem; quia nulla forma poteſt migrare de ſubiecto in ſubiectum; vt dictum eſt; ſecus aliqualiter tranſmigratio *Pythagoræ* poſſet admitti;nam ſi poſſet migrare forma accidentalis,quæ magis dependet à ſubiecto, poſſet argui etiam poſſe migrare formam ſubſtantialem, quæ minùs dependet. Vnde actio vitalis reſpectu obiecti, quod illam producit, vt qualitas eſt, non eſt immanens, ſed tranſiens, quia eſt extra illud; reſpectu verò potentiæ illam elicientis, vt actio vitalis eſt, quia manet in illa, non eſt tranſiens,ſed immanens. Neque implicat eandem actionem reſpectu diuerſorum eſſe immanentem, & tranſeuntem; actum enim eſt,quòd actio libera creaturæ eſt à Deo,reſpectu cuius eſt tranſiens,quia eſt extra Deum; & reſpectu creaturæ eſt immanens. *His not.*

12 Vnica concl. Habitus producitur ex frequentatione actuum tanquam ex cauſa formali; effectiuè autem producitur ab obiecto.

Prob. 1. pars concl. t. *ex Beatiſs. P. lib. Categ.* docente; quòd *habitus eſt animi affectio vſu, & conſuetudine roborata, atque firmata*; ſed uſus, & conſuetudo dicit frequentationem actuum; ille enim, qui ſemel, vel bis in aliquam actionem prorupit, non dicitur aſſuetus tali actioni; hinc habitus communiter definitur *facilitas ex frequentatis actibus acquiſita*; ergo habitus producitur ex frequentatione actuum,non verò per unicum actum.

13 Prob. 2. *ex Fund. Doct.* Quotieſcunque aliqua forma inducitur in aliquod ſubiectum habens qualitates contrarias qualitatibus ipſius formæ introducendæ; tunc priùs remittuntur, & expelluntur qualitates contrariæ, quàm introducatur ipſa forma; ſed habitus eſt forma inducta in potentiam habentem inclinationes cõtrarias, ob quas potentia difficultatem experitur in agendo; ergo non introducitur per primos actus; & ideo ex frequentatione plurium actuum. Mi. patet ex dictis *art. 2. n. 6.* Prob. ma. Si priùs non remitterentur qualitates contrariæ, alteratio non eſſet in tempore, ſed in inſtanti; & ſic intenſio non fieret per gradus, ſed tota ſimul; & ita in eodem inſtanti eſſent ſimul in eodem ſubiecto duæ qualitates contrariæ; quia qualitates contrariæ non eſſent priùs expulſæ; vbi autem non eſt priùs, eſt ſimultas, quæ opponitur prioritati; vt dicitur *in Poſtprædicamentis*; ſed hæc ſunt contra communem ſenſum *Philoſophorum*, contra rationem, & experientiam; ergo quando forma inducitur in ſubiectum habens qualitates contrarias, tunc priùs remittuntur, & expelluntur qualitates contrariæ, quàm introducatur ipſa forma; ſed remiſſio,& expulſio qualitatum contrariarum non fit in inſtanti, ſed in tempore; nam intenſio, quæ opponitur remiſſioni, fit in tempore per plures gradus; ergo remiſſio non fit, niſi per plures gradus; atqui gradus remiſſionis correſpondet actibus, quibus expellitur difficultas potentiæ, ſicut gradus intenſionis correſpondent actibus, quibus radicatur habitus in potentia; quemadmodum enim per plures gradus intenſionis magis radicatur, & ſtabilitur qualitas in ſubiecto; ita per plures actus magis radicatur, & ſtabilitur habitus in potentia; ergo habitus non generatur, niſi ex multiplicatione actuum, & frequentatione.

14 Dices. Poteſt ignis per vnicam actionem continuam tandiu calefacere ignem, quandiu inducatur calor intenſus, ergo potuit potentia tandiu durare in aliquo actu,quandiu per illum actum expellatur omnis difficultas, & inducatur habitus, & ideo per vnicum actum poteſt generari habitus.

Reſp. neg. conſ. nam potentiæ immanentes faciliter rapiuntur ab vna actione in aliam ab obiectis, quæ illis præſentantur, & offeruntur à potentijs cognoſcitiuis; & ideo nequeunt ita durare in aliqua actione propter violentiam,quã patiuntur ab obiectis illas trahentibus ad alias actiones;ſicut durat ignis;qui quia eſt determinatus ad illam tãtùm actionem;ideo ad aliã diſtrahi non poteſt. Si tamen duraret, introduceretur habitus; quia tunc ille actus æquiualeret pluribus.

15 Prob.

15 Prob.3. Vel per primum actum introduceretur particula eſſentiæ ipſius habitus, vel particula exiſtentiæ? Non primum; quia eſſentiæ rerum ſunt indiuiſibiles, & ideo aut tota eſſentia introducitur, aut nihil; aliter indiuiſibile diuideretur in partes. Non ſecundum; quia omne accidens exiſtit per exiſtentiam ſubiecti; ergo habitus non introducit in ſubiectum exiſtentiam, ſed illam potiùs recipit à ſubiecto. *Vid. in lib. de Gen. & Corrupt.*

16 Prob.4. *cont. Dur.* Experientia conſtat habitus nō produci, niſi ex multiplicatione actuum; ergo ſola potentia non eſt cauſa productiua habituum. Tum quia idem nequit agere in ſe ipſū; quia nequit ſimul eſſe agens, & patiens; nam prout agens, debet eſſe in actu ſecundùm illam formam, ſecundùm quam agit; & ideo ignis calefaciens eſt actu calidus; & prout patiens, debet eſſe in potentia ad recipiendam illam formā, ſecundùm quam patitur; & ideo debet eſſe ſub priuatione illius formæ; priuatio autem, & forma nequeunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto; ergo ſola potentia nequit eſſe cauſa productiua habitus in ſe ipſa.

17 Prob.2. pars concl. ex dictis. Actus multiplicati recepti in potentia ſe habent, ſicut gradus caloris recepti in ligno; ſed gradus caloris recepti in ligno non ſunt cauſa efficiens intenſionis caloris; quia intenſio non eſt calor realiter diſtinctus à calore intendente recepto in ligno, aliter duo accidētia ſolo numero diſtincta eſſent naturaliter in eodem ſubiecto; ergo actus multiplicati non ſunt cauſa effectiua productiua habitus, ſed tantùm cauſa, ſeu ratio formalis. Tum quia cauſa efficiens productiua caloris intenſi eſt ignis externus approximatus ligno; ergo cauſa efficiens productiua habitus eſt ipſum obiectum approximatum, ſeu poſitum in debita diſtantia ante ipſam potentiam. Tum quia habitus, vt qualitas eſt, non diſtinguitur ab actu, vt ſuperiùs oſtenſum eſt; ſed actus, vt qualitas eſt, effectiuè producitur ab obiecto; vt ſæpiùs probatum eſt; ergo & habitus.

18 Obijc.1. *Dur.* Actus eſt quid imperfectius habitu, quia actus eſt in ſpecie diſpoſitionis, quæ eſt imperfectior habitu; ergo habitus nequit produci per actus, quia repugnat effectum eſſe nobiliorem ſua cauſa. 2. Si habitus produceretur per actus; ſequeretur, quòd potentia mediante actu ageret in ſe ipſam, & ſic idem eſſet agens, & patiens, quod repugnat. 3. Alteratio non eſt per ſe ad primam ſpeciem qualitatis, vt habet *Phil. 7. Phiſ.* ergo habitus nō producitur per maiorem intenſionem actus.

Reſp. ad 1. neg. conſ. Ad prob. inſert. diſt. Repugnat effectum eſſe nobiliorem ſua cauſa efficiente, *vt quod*, conc; ſua cauſa, ſeu ratione formali, quæ ſe habet, ut *quo*; neg; nam actio, quæ eſt via, eſt imperfectior effectu, qui eſt terminus, & eſt cauſa illius *vt quo*; non *ut quod*. *Vid. Fund. Doct. in 3. diſt. 33. q. 2. art. 2.* Ad 2. diſt. ſeq. Sequeretur, quòd potentia ageret in ſe ipſam producendo actum, vt qualitas eſt, neg; ſic enim actus producitur ab obiecto; producendo actum, vt actio vitalis eſt, conc; hoc autem non repugnat, quia ſic non producit aliquam nouam entitatem, ſed tantùm modum, ſeu determinationem entitatis; producere autem modum in ſe ipſo non eſt inconueniens. Ad 3. diſt. ant. Alteratio phyſica, & ſenſibilis, conc; & hoc ſolùm intendit *Phil. vbiſ.* inſenſibilis, & Metaphyſica, neg.

19 Obijc.2. Vel primus actus inducit totam eſſentiam habitus; vel non? Si primum; ergo habitus generatur per unicum actum. Si ſecundum; vel primus actus facit aliquid ſpectans ad habitum; & ſic per quenlibet actum inducitur particula habitus; vel facit aliud quid diuerſum ad habitu; & hoc non; quia illud, quod facit, nequit eſſe diuerſum ſpecie; cùm illi actus ſint eiuſdem ſpeciei; nec diuerſū numero; quia plura accidentia ſolo numero diuerſa nequeunt eſſe in eodem ſubiecto. Vel tandem nihil facit; & ſic habitus non produceretur ex illo; ſed tantùm ex actu ſequenti, & ideo per unicum actum produceretur; idem enim dicendum eſſet de omnibus actibus; per quos non produceretur eſſentia habitus.

Reſp. *Fund. Doct. Quodl. 3. vbiſ.* ad arg; quòd primus actus non inducit eſſentiam habitus; ſed ſolùm remittit difficultatem potentiæ; & ſic dicendum de aliis actibus ſequentibus, uſquedum difficultas, & reſiſtentia potentiæ eſt in ſummo remiſſa, tunc autem introducitur qualitas, quæ habet modum diſpoſitionis, & poſtea replicatione aliorum actuum fit habitus.

20 Inſt. Per quenlibet actum inducitur qualitas in potentiam; ipſe enim actus eſt qualitas in potentia, per quam qualitatem potentia conſtituitur in actu primo potens operari, ut paſſim docet *Fund. Doct.*, ergo per quenlibet actum inducitur qualitas, quæ poſtea fit habitus.

Reſp. per quenlibet actum induci qualitatem vel remittentem difficultatem potentiæ; quę qualitas, quia non manet, ſed deſinit, ideo non eſt entitas diſpoſitionis, vel habitus; quando autem inducitur entitas, quæ manet, licèt ſit faciliter mobilis, fit habitus. Igitur ſi entitas actuum priorum non manet, manifeſtum eſt non eſſe entitatem diſpoſitionis, vel habitus, quæ ſubſequitur, nam nullus diceret, quòd entitas formæ præcedentis, quæ deſtruitur, ſit entitas formæ ſubſequentis, quæ generatur.

21 Obijc.3. Si habitus produceretur ex actuum multiplicatione, fieret ex actibus præteritis, qui non ſunt; ſed conſ. eſt falſum; implicat enim cauſam cauſare, quando non eſt; quia cauſare eſt dare eſſe; nequit autem dare eſſe, quando non habet eſſe, quia *nemo dat, quod*

non

non habet; ergo habitus non producitur ex multiplicatione actuum.

Reſp. *Fund. Doct. ibid.* diſt. ma. Fieret ex actibus, qui non ſunt formaliter in ſeipſis, conc; qui non ſunt virtualiter in actibus ſuccedentibus neg., ad effectum autem ſufficit, quòd cauſa habeat eſſe vel in ſe ipſa formaliter, vel virtualiter in alio. Vel neg. ma., quamuis enim habitus fiat ex pluribus actibus ſucceſſiuis; attamen non fit ex actibus, qui non ſunt, aut quando non ſunt, ſed quando ſunt; quia quilibet actus, quando eſt, vel remittit difficultatem potentiæ, vel inducit entitatem qualitatis; vel illam intendit, & reddit difficultet mobilem; vnde quamuis in habitu non ſint diuerſæ entitates productæ à diuerſis actibus; ſunt tamen diuerſi gradus remiſſionis, & intenſionis producti à diuerſis actibus, quando ſunt; non autem quando non ſunt.

22 Obijc. 4. *Gibb. cum Thomiſtis*. In tantùm habitus opinionis, & erroris nequeunt per vnicum actum acquiri; in quantùm datur indifferentia, & reſiſtentia intellectus propter formidinem partis oppoſitæ; quæ reſiſtentia debet vinci paulatim, recurrendo ſcilicet ad motiua extrinſeca, vt ſunt congruentiæ, auctoritates, exempla &c; & in tantùm habitus voluntatis nequeunt acquiri vnico actu; in quantùm adeſt reſiſtentia libertatis, & appetitus ſenſitiui; nec non difficultas intellectus in cognoſcendis bonis ſpiritualibus; ſed quilibet actus ſcientificus vincit reſiſtentiam intellectus, quia facit ipſum ſtatim aſſentiri firmiter, & ſtabiliter ſuo obiecto; ergo habitus ſcientiæ poteſt acquiri per vnicum actum; non autem habitus opinionis, & erroris, ſicut nec habitus appetitus rationalis, & ſenſitiui.

Reſp. retorq. arg. In tantùm habitus opinionis, & erroris, & habitus vtriuſque appetitus nequeunt produci per vnicum actum; in quantùm intellectus eſt indeterminatus, & appetitus eſt ad oppoſita; ſed etiam reſpectu actus ſcientifici intellectus eſt indeterminatus, cùm ſit potentia rationalis, quæ eſſentialiter eſt ad oppoſita; in hoc enim potentia rationalis diſtinguitur à potentia materiali, quæ eſt determinata ad vnum; ergo neque habitus ſcientiæ poteſt acquiri per vnicum actum. Item ita ſe habet actus incertus ad habitum opinatiuum, ſicut actus certus ad habitum ſcientificum; ſed actus incertus, vt primò acquiſitus, non facit habitum; ergo neque actus certus. Præterea quamuis intellectus aſſentiatur firmiter ſuis principijs cognitis terminis; attamen quantùm debet laborare in cognitione terminorum; & quantùm laborat in acquiſitione vnius demonſtrationis conſiderando, an ſit in debita forma, an illatio rectè deducatur, an in terminis illius lateat aliqua æquiuocatio, vel alia fallacia; hoc ſuadet experientia; & ideo difficultatem in acquiſitione demonſtrationũ vnuſquiſque poteſt in ſe ipſo experiri; quæ difficultas non poteſt vinci, niſi per plures actus. Inſuper quia intellectus vnitur ſenſibus, qui ſemper inclinant in malum, & ideo in falſum; vt diximus *art. 2. n. 6.*, ſemper intellectus difficultatem patitur, & reſiſtentiam ad tendendum in verum.

23 Tandem *Aduerſarij* æquiuocant de firmitate, & ſtabilitate; nam aliud eſt intellectum firmiter adhærere obiecto per actum ſcientificum; & aliud eſt talem actum firmiter adhærere intellectui, qui eſt ſubiectum illius. Per primam adhæſionem, quamuis firmam, non conſtituitur habitus; quia habitus opinionis non habet talem firmitatem; ergo ſolùm conſtituitur per firmam adhæſionem ſubiecto; quapropter definitur *qualitas difficulter mobilis à ſubiecto*; hinc licet actus ſcientificus habeat firmam adhæſionem ſuo obiecto; quia tamen non inhæret firmiter intellectui ſtatim, ac eſt acquiſitus; quoties enim ſcientiarum ſtudioſi debent rememorare demonſtrationes, quas didicerunt, vt faciliter demonſtrent; ideo actus ſcientificus non habet rationem habitus, imò nec diſpoſitionis, cùm primò acquiritur, quia non manet, vt diximus ſuperiùs.

24 Cùm autem ſubiungunt habitum ſcientiæ requirere per accidens, ſcilicet ex parte ſubiecti, quod dependet à ſenſibus, ſeipſos potiùs oppugnant, quàm ſuam ſententiam propugnent; nam quilibet habitus virtuoſus ſubiectatus in potentia volitiua ex natura ſua reſpectu ſui obiecti eſt firmus, & immutabilis, vt habitus iuſtitiæ; non enim debent multiplicari actus iuſtitiæ ad hoc, vt primus actus ſit iuſtus, & ſit ad obiectum iuſtum; & ſi ponatur in ſubiecto non habente contrarietatem, ex natura ſua petit retineri in illo ſubiecto, non minùs, ac habitus ſcientiæ; & tamen habitus iuſtitiæ non acquiritur per primum actum, vt arbitrantur *Aduerſarij*; ergo multiplicatio actuum requiritur ad acquiſitionem habitus ſolùm ex parte ſubiecti, & ſe habet per ſe ad rationem habitus, non verò per accidens; ſicut multiplicatio graduum calefactionis ſe habet per ſe, non per accidens, ad intenſionem caloris ex parte ipſius ſubiecti, quod caleſit.

25 Quæres; an per actus ſupernaturales poſſit produci habitus ſupernaturalis?

Reſp. neg., nam habitus ſupernaturales habent ſimpliciter rationem potentiæ, et modum habitus, vt diximus; potentia autem nequit produci per ſuos actus, vt patet.

26 Dices. Habitus importat intenſionem qualitatis in ſubiecto, ſed actus ſupernaturales intendunt ſuos habitus; ergo eos gignunt.

Reſp. diſt. mi. Actus ſupernaturales intendunt phyſicè ſuos habitus, neg., moraliter, et meritoriè, vt *inf.* dicemus *in tract. de grat.*, conc., *hic* autem loquimur de productione phyſica habituum, non de morali.

A R T. V.

An per actus ſupernaturales elicitos ab habitibus ſupernaturalibus infuſis poſſit produci alter habitus diſtinctus naturalis, vel ſupernaturalis?

1 PRima ſententia vult per actus ſupernaturales elicitos ab habitus ſupernaturalibus produci habitum ſupernaturalem dantem tantùm faciliter operari. *Ita duplex Hurt. Ariag., Lug. apud noſtrum Gibb.*

2 Secunda vult produci habitum naturalem. *Ita Mal. Ban; Azor., apud eundem.*

3 Noſtra tamen ſententia docet nullũ habitũ produci. Ita *Fund. Doct. in 2. diſt. 27. q. 1. art. 3. dub. 1. lat., noſter Gibb. hic diſp. 35. dub. 2.*, apud quē *Sua., Vaſq., Gran., Lorc., Torres, Sal., Salm., & alij: vt Val., Med. &c.*

4 Vnica concl. Per actus ſupernaturales nullus habitus producitur.

5 Prob. ſic. Vel habitus, qui produceretur per actus ſupernaturales, eſſet ſupernaturalis, vel naturalis? Non primum; aliter dicentur duo habitus eiuſdem ſpeciei, v.g. duo habitus charitatis, in eodem ſubiecto; quod repugnat. Tum quia habitus, quo faciliùs elicimus actus, eſt perfectior habitu, quo difficiliùs illos elicimus, ergo ille habitus ſupernaturalis acquiſitus eſſet magis perfectus, quàm habitus infuſus, quod eſt abſurdum. Tum quia ſi ille habitus ſupernaturalis acquiſitus nõ eſſet perfectior habitu infuſo, rectè deduceretur, quòd multò magis habitus infuſus tribuat facilitatem potentiæ, quàm tribuat acquiſitus; & ideo ſuperfluit acquiſitus. Tum quia habitus ſupernaturalis infuſus tribuit etiam facilitatem potentiæ; aliter non eſſet verè, & propriè habitus; ergo ſuperfluit alter habitus ſupernaturalis acquiſitus. Tandem quia habitus ſupernaturales ſunt ſimpliciter dona Dei, quæ ita ſunt à Deo, vt non poſſint eſſe ex nobis; ergo nequeunt acquiri per actus noſtros; dona enim ſunt ſolùm à voluntate donatoris. Non ſecundum; quia habitus naturalis nullo modo poteſt elicere actum ſupernaturalem; nam ex eo, quòd aliquis beatus habeat clarius lumen naturale, non ſequitur, quòd videat Deum faciliùs, aut intenſiùs; quia lumen naturale nullo modo influit in viſionem ſupernaturalem. Tum quia opera ſupernaturalia promptiùs, & robuſtiùs elicita ſunt magis perfecta, & nobilia, quàm opera elicita difficulter, & minùs robuſtè; ergo ſi habitus naturalis redderet opera ſupernaturalia magis prompta, & robuſta, ſequeretur, quòd natura perficeret, & nobilitaret opera gratiæ; & ideo vbi deficeret gratia, proficeret natura; quod eſt abſurdum, & falſum; nam potiùs gratia perficit naturam. Tum quia habitus productus per actus eſt eiuſdem ordinis, & ſpeciei cum actibus; imò eſt eadem entitas actus, & habitus; vt *ſup.* oſtenſum eſt, ergo per actus ſupernaturales nequit produci habitus naturalis. Tum quia habitus naturalis facilitat potentiam; ergo multò magis eã facilitat habitus ſupernaturalis; qui eſt perfectior habitu naturali, & ideo ſuperfluus eſt habitus naturalis. Tum quia ille habitus naturalis haberet pro obiecto aliquod naturale, à quo ſpecificaretur; ergo non eſſet ratio eliciendi, niſi actus naturales, qui ſunt erga obiecta naturalia, & per ordinem ad illos facilitaret potentiã, non autem per ordinem ad actus ſupernaturales, qui ſunt tantùm circa obiecta ſupernaturalia.

6 Tandem habitus productus per actus eſt perfectior actibus, quibus producitur; vel ſaltem potentia cum tali habitu poteſt producere actum perfectiorem, quàm ſit actus, quo productus eſt ille habitus; vt actibus temperantiæ producitur habitus, quo producuntur actus, qui ſunt perfectiores, quàm actus producti ſine habitu temperantiæ; ſed actibus ſupernaturalibus nequit produci habitus perfectior; nam ſi ille habitus eſſet ſupernaturalis, adhuc eſſet imperfectior; quia eſſet acquiſitus; & habitus acquiſitus nequit eſſe perfectior habitu infuſo; ergo ex actibus ſupernaturalibus nequit generari habitus ſiue naturalis, ſiue ſupernaturalis.

7 Obijc. 1. Experientia docet hominem iuſtum exercitio actuum virtutum acquirere facilitatem exercendi tales actus, quam ab initio infuſionis non habebat; ergo ex actibus ſupernaturalibus gignitur habitus. Prob. ant. 1. Habitus infuſus datur ad ſimpliciter, non ad faciliter; ergo illa facilitas non eſt ab habitu infuſo. 2. In initio infuſionis habituum ſupernaturalium homo iuſtus experitur difficultatem, quam progreſſu exercitij non patitur; ergo hæc facilitas non prouenit ab habitu infuſo, ſed acquiſito.

Reſp. hominem iuſtum exercitio actuum ſupernaturalium acquirere maiorem facilitatem exercendi tales actus, quam priùs non habebat; non quia acquirat nouum habitum, ſed quia habitus infuſus augetur à Deo efficienter; & ab illis actibus augetur moraliter meritoriè de congruo, non de condigno; vt videbimus *inf.* Diſt. ergo ant. Experientia docet hominem iuſtum exercitio actuum acquirere facilitatem ſimpliciter, neg., ſecundùm quid, ſeu maiorem facilitatem, conc. Ad 1. prob. neg. ant., nam habitus infuſus datur ad ſimpliciter, & ad faciliter, ideoq; habet rationem potentiæ, & habitus. Ad 2. diſt. ant. Experitur difficultatem ſimpliciter, neg., ſecundùm quid; idèſt nõ experitur tantã facilitatẽ, cõc.

8 Inſt. Per actum vnius virtutis v.g. iuſtitiæ augentur meritoriè aliæ virtutes; & tamen non augetur facilitas ad exercendos actus aliarum virtutum; ergo ex eo, quòd per actus ſupernaturales augeatur meritoriè habitus ſupernaturalis, non ſequitur, quòd per illos generetur facilitas ad illos exercendos.

Reſp. neg. ant., promptiùs enim exit in actum, qui pollet intenſiori habitu; & quamuis pro eo tunc non experiamur talem facilitatem,

quia

quia non eſt præſens occaſio ; attamen ſi occaſio ſe ſe offerat, facilitatem etiam in alijs actibus poſſumus experiri.

9 Obijc. 2. Actus ſupernaturales non ſunt minoris efficaciæ, quàm naturales; ſed actus naturales producunt habitus; ergo & ſupernaturales. Prob. ma. Actus ſupernaturales ſunt perfectiores ſecundùm entitatem, quàm naturales; ergo & ſecundùm efficaciam; nam *operari ſequitur ad eſſe.*

Reſp. diſt. ma. Actus ſupernaturales non ſunt minoris efficaciæ, quàm naturales reſpectu ſuorum obiectorum, conc., reſpectu habituum ex illis deriuantium, neg. ſupp., nam talem efficaciam non habent; vt dictum eſt. Ad prob. diſt. conſ. eodem modo; & ad id, quod ſubditur, dicitur operari ſequi ad eſſe; non tamen ad eſſe ſequi omne operari. Ad actus ergo naturales ſequitur operari, per quod producitur habitus naturalis; quia potentia naturalis mediantibus actibus naturalibus poteſt producere habitus naturales; at verò ad actus ſupernaturales non ſequitur operari, per quod producitur habitus ſupernaturalis; quia potentia naturalis, etiam prout informata habitu ſupernaturali, nequit producere alium habitum; ex quo ſic magis prob. concl.

10 Potentia naturalis cum habitu naturali nequit producere alium habitum, quo faciliùs eliciat actus naturales deriuantes à primo habitu; ergo multò minùs potentia cum habitu ſupernaturali poteſt producere alium habitum; aliter daretur proceſſus in infinitum.

11 Obijc. 3. In homine poſt peccatum adhuc remanet facilitas exercẽdi actus ſupernaturales, quam habebat in ſtatu gratiæ; ſed hæc facilitas nequit tribui actibus infuſis, quibus per peccatum ſpoliatur; ergo in illo remanet habitus acquiſitus.

Reſp. diſt. mi. Hæc facilitas nequit tribui formaliter actibus infuſis, conc; nam tales actus non ſunt formaliter in peccatore; veluti efficienter, neg; nam talis facilitas oritur à remotione reſiſtentiæ, & contrarietatis ad exercendos tales actus, quæ remotio fuit facta per habitus infuſos. Sicutí ex eo, quòd calor fuerit intenſus in ligno, remoto calore remanet facilitas ad hoc, vt denuo intendatur calor, quia eſt remota humiditas, & ex parte remiſſa frigiditas. Vel dicitur; quòd habens habitum ſupernaturalem non ſemper operatur ex motiuo Diuino, ſed aliquando etiam ex motiuo humano naturali, & ex frequentatione actuum naturalium gignitur hagnitur habitus naturalis, qui manet etiam deperdito habitu ſupernaturali. Vnde ad ma. diſt. Remanet facilitas ad exercendos actus naturales genita ex frequentatione actuum ſupernaturaliũ, conc; ad exercẽdos actus ſupernaturales genita ex frequentatione actuũ ſupernaturaliũ neg; nam ſine habitu ſupernaturali nequeunt elici actus ſupernaturales perfecti; aliter habitus ſupernaturales non eſſent ad ſimpliciter, ſed ad ſecundùm quid; quia ſine illis poſſent haberi actus ſupernaturales perfecti.

12 Obijc. 4. Actus ſupernaturales eminenter continent efficientiam actuum naturalium; quia ſunt illis perfectiores; vt anima rationalis poteſt elicere actus animæ vegetatiuæ, & ſenſitiuæ; quia eſt illis perfectior, & ideo illas eminenter continet; ſed actus naturales poſſunt producere habitum naturalem; ergo & ſupernaturales.

Reſp. diſt. ma. Continent efficientiam actuũ naturalium, quia altiori modo tendunt in obiecta referendo illa ad ordinem Diuinum, conc; quia formaliter poſſunt efficere, quidquid efficiunt actus naturales, neg; Angelus enim, quia eſt perfectior homine, poteſt altiori modo cognoſcere, quàm cognoſcat homo; non tamen poteſt formaliter intelligere dependenter à ſenſibus, vt intelligit homo; nec poteſt facere alias operationes hominis, vt generare &c; quia nõ habet formaliter potentias hominis, vt generatiuam &c; anima rationalis verò habet exercere operationes vegetatiuæ, & ſenſitiuæ; quia habet formaliter potentias operatiuas illarum. Igitur ex maiori perfectione non deducitur, niſi quòd actus ſupernaturales altiori modo poſſint tendere in ſua obiecta, non autem quòd poſſint efficere, quidquid efficiunt actus naturales.

ART. VI.

Quomodò corrumpantur habitus acquiſiti?

1 NON eſt difficultas de habitibus infuſis, qui cùm non pendeant in fieri ab actibus, aut à ſubiecto; quia non educuntur de potentia paſſiua illius, ſed creantur, & infunduntur à Deo, ideo neque pendent in conſeruari; adeoque remanet, quòd deſtruantur ſolùm per actus oppoſitos; vt habitus Fidei per actum infidelitatis &c. Eſt igitur difficultas tantùm de habitibus acquiſitis.

2 Neque loquimur *hìc* de habitibus corporis, qui impropriè habitus dicuntur; conſtat enim hos deſtrui ex ipſius corporis alteratione, cùm enim pendeant ex primarum qualitatum æquilibrio; idcirco ex illarum intemperie tolluntur. Reducitur ergo difficultas ad habitus animi.

3 Prima ſententia vult habitus virtutum, & vitiorum non deſtrui, aut minui ex ſola alteratione corporis. *Ita Sua. diſp.* 44. *Met. ſect.* 12. *n.* 15.

4 Secunda vult, quòd licèt habitus morales exiſtentes in appetitu ſenſitiuo, prout ſubsũt imperio rationis deſtruantur per alterationem phyſicam omnino euertentem iudicium rationis; habitus tamen exiſtentes in intellectu, & voluntate non deſtruuntur, quia in ſui inhærentia non dependent ab organis corporis. *Ita plures Recentes.*

5 Tertia opinatur habitum deſtrui per ſolum habitum contrarium; non verò per actus cõtrarios. *Ita Gabr. in 3. diſt. 35. q. 1. art. 3. dub. 6. apud Val. hic.*

6 Quarta vult habitum per ſe non deſtrui per deſiſtentiam ab actuali exercitio ipſius; ſed tantùm per accidens, quatenus per deſiſtentiam ab exercitio datur locus actibus contrarijs deſtruentibus ipſum habitum. Refertur *D. Tho. hic q. 53. art. 3., Io à S. Tho., Vaſq., Monteſin., Lorc., Gran. apud noſtrum Gibb. hic diſp. 34. dub. 3.*, qui illos ſequitur, *Val. hic diſp. 4. q. 5. punct. 2. dubit. 1; & alij.*

7 Noſtra tandem ſententia docet habitus quoſcunque deſtrui per grauem alterationem corporis; per actus, & habitus contrarios; & magis per diuturnam deſiſtentiam ab actuali exercitio actus. *Ita Fund. Doct. in 1. diſt. 17. p. 2. princ. 2. q. 1. Reſp.*, vbi ait: *Habitus, ex quibus fit, ab his augetur & corrumpitur; & ad 1. ibid. Si actus remiſſus minuit habitum, hoc non eſt, niſi in quantùm agendo actum remiſſum ceſſamus ab actione intenſa; vnde plus diſponimur ad diminutionem habitus non agendo, quàm agendo remiſſè; quia in actu remiſſo eſt aliqua ſimilitudo habitus, quæ non eſt, cùm ceſſamus ab actu. Quòd autem ceſſatio ab actu minuat habitum, hoc non eſt, niſi quia ille habitus principaliter eſt ex actibus cauſatus. Et in 2. diſt. 21. q. 1. art. 3. §. octaua via: & alibi.*

8 Vnica concl. Habitus naturalis acquiſitus deſtruitur per grauem alterationem ſubiecti; per actus, & habitus contrarios; & per deſiſtentiam diuturnam ab actuali exercitio. Diximus per grauem alterationem ſubiecti; quia ſi alteratio ſit leuis, & parui momenti, minuitur, non deſtruitur habitus.

Prob. 1. *ex Beatiſs. P. Aug lib. categ. c. 12. de Qualit.* docente: *Habitus affectio eſt animi longo tempore perſeuerans; vt eſt virtus, & diſciplina, quæ perſeueratione ſui, & perpetuitate temporis æſtimantur; niſi fortè eas languor corporis aliquis, aut caſu iniecta debilitas amputauerit.* Vbi loquitur de omni virtute, & diſciplina in genere, quæ reſidet nedum in appetitu ſenſitiuo, ſed etiam in intellectu, & voluntate.

Formatur autem ratio ſic, Quotieſcunque aliqua qualitas inducitur in aliquod ſubiectum contra naturalem inclinationem illius; tunc deſtruitur nedum per grauem alterationem ſubiecti; ſed etiam per actum, & qualitatem contrariam, nec non per deſiſtentiam ab exercitio actus, quo inducta eſt illa qualitas: ſed habitus eſt qualitas inducta in ſubiectum contra naturalem inclinationem illius; ergo deſtruitur nedum per grauem alterationem ſubiecti, ſed etiam per actum, & habitum contrarium; nec non per deſiſtentiam ab exercitio actus. Prob. 1. pars ma. Quotieſcunque aliqua qualitas inducitur in aliquod ſubiectum contra naturalem inclinationẽ illius; tunc illud ſubiectum, ſi aliter alteretur, ſuſcipit diuerſas qualitates contrariantes illi qualitati; & machinantes illius deſtructioni, vt patet de ligno calefacto, quod ſi denuò alteretur per frigiditatem contrariantem calori, illum naturaliter expellit; ergo qualitas inducta per grauem alterationem ſubiecti deſtruitur. Prob. 2. pars, Qualitas, et actio, qua qualitas inducitur, important eandem entitatem; vt probatum eſt *art. 2. n. 18.*, ſed qualitas inducta deſtruitur per qualitatem contrariam; vt patet; ergo & per actum, qui inducit in ſubiectum qualitatem contrariam; imò qui entitatiuè eſt ipſa qualitas contraria. Prob. 3. pars. Quotieſcunque aliqua qualitas inducitur in aliquod ſubiectum contra naturalem inclinationem illius; tunc illud ſubiectum vi ſuæ naturalis inclinationis contrariantis illi qualitati, illam nititur naturaliter expellere; & ſi qualitas inducta per continuationem, vel frequentationem actionis non reprimat naturalem inclinationem ſubiecti ſibi contrariantis, & machinantis ſuæ deſtructioni tunc ſubiectum tandem illam expellit; vt conſtat de aqua calefacta, quæ ſi per continuationem actionis calefactiuæ non manuteneatur calor, & reprimatur vis naturalis aquæ illi contraria, remoto igne ex ſe ipſa tandem expellit calorem; ergo qualitas inducta deſtruitur per deſiſtentiam ab exercitio actionis reprimentis contrariam inclinationem. Mi. patet ex dictis *art. 2. n. 6.*

9 Conf. *ex Fund. Doct. Quodl. 3. q. 9.* Ex his, quæ videmus in corporalibus, debemus philoſophari de ſpiritualibus, quæ non videntur; *omnis enim noſtra cognitio ortum habet à ſenſu*; & ideo à ſenſibilibus debemus arguere ad inſenſibilia; ſed in corporalibus videmus qualitatem ab extrinſeco inductam deſtrui per grauem alterationem ſubiecti; per actum, & qualitatem contrariam; nec non per deſiſtentiam ab actione, qua inducitur, & intenditur talis qualitas; ergo idem dicendum eſt de qualitatibus ſpiritualibus ab extrinſeco inductis; vt ſunt habitus, de quibus eſt ſermo.

10 Probantur vlteriùs ſingulæ partes concl. diuiſim. Prima ſic. Habitus vel ſubiectantur in appetitu ſenſitiuo; vel in potentijs ſpiritualibus; vt *inf.*, ſed appetitus ſenſitiuus, vtpotè corporeus, alteratur ad alterationem corporis; alterato autem ſubiecto alterantur omnia accidentia in ipſo recepta, quæ ſequuntur naturam illius, & potentiæ ſpirituales, licèt non ſint corporeæ; attamen in operando pro hoc ſtatu dependent à corpore, quia dependent à phantaſmatibus corporeis, & ideo ſi grauiter alteretur corpus, neceſſe eſt alterari phantaſmata, & alteratis phantaſmatibus alterantur ſpecies intelligibiles, quæ mouentur, & illuſtrantur à phantaſmatibus, alteratis autem ſpeciebus alterantur actus informantes potentias ſpirituales, prout ſunt qualitates, & ideo prout ſunt habitus, quia actus, & habitus ſunt eadem qualitas; vt ſuperiùs diximus;

mus; ergo ex graui alteratione corporis deſtruuntur habitus; quia ſicut alteratio corporis poteſt eſſe tanta, vt alteret omnino phantaſiam; ita alteratio phantaſiæ poteſt eſſe talis, vt omnino alteret ſpecies, & alteratio ſpecierum alteret habitus.

11 Prob. 2. pars *ex eod. Fund. Doct. vbiſ.* Quanuis actio contraria non inducat ſtatim qualitatem contrariam; attamen remittit, & minuit qualitatem actu exiſtentem in ſubiecto; vt quanuis calefactio non inducat ſtatim formam caloris in aquam propter reſiſtentiam illius; attamen remittit, & minuit frigiditatem, vt patet experientia, ſed remiſſio, et diminutio qualitatis actu exiſtentis eſt inchoatiuè deſtructio illius; ergo habitus præexiſtens deſtruitur nedum per habitum, ſed etiam per actum oppoſitum.

12 Prob. 3. pars. Experientia conſtat per ſolam deſiſtentiam ab exercitio habitum deperdi; hinc *Picus Mirandulanus* teſtatur, quòd negotiorum ſuorum cauſa coactus abdicare ſe ſtudijs vnius anni ſpatio, poſt quod tempus ad illa rediens maximam ſenſit difficultatem, quæ nequit ſtare ſimul cum habitu, qui eſſentialiter eſt facilitas; & experimur præſertim ſcientias ſpeculatiuas eſſe facillimæ euanitionis ad differentiam habituum, qui ſubiectantur in potentijs ſenſitiuis, quæ, cùm verſentur circa obiecta ſenſibilia, faciliter ab iſtis refricantur eorum habitus; ideoque non adeo facilè euaneſcunt, & pereunt; ergo habitus deſtruuntur per ſolam deſiſtentiam ab actu. Tum quia in tantùm non deſtrueretur habitus per ſolam deſiſtentiam ab actu; in quantùm non adeſſet vis contraria machinãs deſtructionem illius; nam deſiſtentia importat meram priuationem, vt patet; ſed hoc eſt falſum; nam licèt non adſit actus contrarius, eſt tamen vis naturalis potentiæ inclinantis in deſtructionem illius, vt conſtat de aqua calefacta abijciente calorem, etiamſi non adſit efficiens extrinſecum agens in illam; ergo per ſolam deſiſtentiam deſtruitur habitus. Hinc concludit *Fund. Doct. in 2. vbiſ;* quòd ad expellendum habitum vitioſum efficacius remedium eſt non cogitare de illo obiecto; nam quoties cogitamus de illo, vt odium concipiamus, occurrunt plura motiua excitantia ad amorem; & ſic non concipitur odium. Tandem *Phil. 2. Eth. c. 3.* ait: *Habitus ex ijſdem actibus augeri, quibus generantur. Quòd ſi non ita fiat, corrumpi; & 6. Eth. c. 5. Quòd multas amicitias inappellatio diſſoluit; & lib. de longitud. & breuit. vitæ c. 2. Scientia corrumpitur in nobis per obliuionem; & per deceptionem; & per errorem contrarium.* Nec valet reſponſio *Aduerſariorum;* ſcilicet corrumpi per obliuionem, quatenus datur facilis locus actibus erroneis, qui ſunt contrarij. Non valet, inquam; nam *Phil.* aſſignat tres modos corruptionis ſciẽtiæ, quorum quilibet per ſe ſumptus illam deſtruit, atque diſſoluit; aliter non ſola inappellatio, ſeu non communicatio cum amicis, ſed vlteriùs requireretur actus inimicitiæ, qui contrariatur amicitiæ, vt illam diſſolueret; quod eſt manifeſtè falſum.

13 Tum quia illa deſiſtentia diſſolueret habitum, quatenus daret locum, vel actui contrario, vel diſparato? Non primum; quia poteſt dari caſus; quòd quis nec cogitet de actu cõtrario; & tamen deſtruatur habitus. Non ſecundum; quia habitus deſtruitur ſolùm per actum oppoſitum, cum quo nequit ſtare; cum actu autem diſparato poteſt ſtare; aliter acquirens habitum alicuius ſcientiæ ammitteret habitum alterius; ergo deſiſtentia occaſione actuum non deſtruit habitum.

14 Obijc. 1. Habitus intellectuales inhærent potentiç ſpirituali, quæ incorruptibilis eſt; ergo non deſtruuntur ex alteratione etiã graui ipſius corporis; ideo enim intellectus non deſtruitur per alterationem corporis, quia ſubiectatur in anima, quæ eſt incorruptibilis.

Reſp. diſt. ant. Inhærent potentiæ ſpirituali dependenter à phantaſmatibus corporeis, quibus mediantibus introducuntur, & conſeruantur, conc; independenter, neg; ant; & conſ; ad cuius prob. inſert. dicitur intellectum eſſe proprietatem fluentem ab anima, & ideo non deſtrui, niſi ad deſtructionem animæ, habitus verò ſunt accidentia aduenientia ab extrinſecis phantaſmatibus corporeis, à quibus ſolùm conſeruantur, ideoque deſtruuntur ex alteratione ipſorum.

15 Obijc. 2. Habitui ſolus habitus, non actus, eſt contrarius; ergo habitus deſtruitur ſolùm per habitum, non per actum contrarium; quodlibet enim ſolùm deſtruitur per ſuum oppoſitum.

Reſp. diſt. ant. Habitui non eſt contrarius actus perfecto modo, conc; imperfecto modo, neg; cùm enim actus ſit inchoatio imperfecta ipſius habitus, qui perficitur per actuum replicationem; ideo ſi habitus oppoſitus contrariatur habitui præexiſtenti, etiam actus, qui eſt inchoatio imperfecta habitus oppoſiti, contrariatur habitui, quanuis imperfecto modo.

16 Obijc. 3. Ceſſatio ab actu non eſt contraria habitui; aliter quando quis dormit amitteret omnes habitus; ergo per ſolam ceſſationem ab actu non tollitur actus. 2. Si per otium tolleretur habitus, maximè, quia frequentatio actuum conſeruat habitum; ſed hoc eſt falſum; quia habitus ſufficienter conſeruantur à cauſa prima; vel ab ipſa potentia; ergo falſum eſt & id quod ſequitur.

Reſp. ad 1. diſt. conſ. Per ſolam ceſſationem ab actu non tollitur habitus ſuppoſita cõtrarietate, & reſiſtentia ſubiecti, neg; præciſa tali contrarietate, conc. Ad 2. neg. mi., ad cuius prob. inſert. dicitur, quòd ſicuti calor intenſus

Google

tus non conſeruatur ſecundùm ordinem rerum, quem videmus, à ſola cauſa prima; ita dicendum eſt de habitu, qui eſt qualitas intenſa. Ad aliud dicitur, quòd potentia potiùs nititur in deſtructionem habitus, quàm in conſeruationē, quia habet contrariam inclinationem, vt dictum eſt.

17 Inſt. Si per ſolam ceſſationem ab actu deſtrueretur habitus, ſequeretur, quòd diu dormiens, vel per aliquod tempus vacans alteri rei, deperderet, vel minueret habitum; ſed conſ. eſt contra experientiam; ergo & ant.

Reſp. quòd quotieſcunque tempus otij non eſt notabile, non deperditur habitus, quando eſt ſummè intenſus; nec minuitur, quia illa intenſio non adeo faciliter vincitur à reſiſtentia contraria; vt patet de ligno ſum nè calido, quod non tam facilè infrigidatur; præſertim ſi non adſit agens frigidum extrinſecum; ita à pari.

18 Quæres 1, an cùm introducitur primus gradus remiſſionis, introducatur ſimul habitus oppoſitus ita; vt duo habitus oppoſiti ſtent ſimul in gradibus remiſsis?

Reſp. *cum Fund. Doct. vbiſ.* negatiuè: nam vt dictum eſt *art.* 2; habitus oppoſitus non introducitur, niſi cùm remiſſa eſt contrarietas in ſummo; aliter alteratio fieret in inſtanti, non in tempore. *Vid. vbiſ.*

19 Quæres 2, an per actum oppoſitum minùs intenſum, quàm ſit ipſe habitus, diminuatur, vel corrumpatur habitus?

Reſp. quòd ſicut per calorem minùs intenſum remittitur frigus intenſum, donec ſit remiſſum in ſummo; & tunc introducitur calor; ita per actum oppoſitum minùs intenſum remittitur habitus magis intenſus, donec ſit remiſſus in ſummo; & tunc introducitur entitas habitus per modum diſpoſitionis, quæ poſtea frequentatione actuum fit habitus; & ideo duo habitus oppoſiti non ſunt ſimul.

20 Quæres 3, an per actus diſparatos deſtruatur habitus?

Reſp. quòd ſi illi actus diu frequententur, & nunquam interpolet actus habitus; tunc deſtruitur habitus, quia tunc datur deſiſtentia ab actu; quæ, ſi ſit diuturna, deſtruit habitum, vt dictum eſt.

21 Quæres 4, an habitus primorum principiorum ſpeculabilium, & practicorum deſtrui poſſint?

Reſp. ex dictis *to.3. de Act. hum.q.6.art.1. §.1.n.3.cum Fund. Doct.in 2.diſt.39.p.2.art.1.ad 2*; vbi ait: *Syntereſis non dicit habitum quocunque modo, ſed dicit quendam habitum connaturalem; & ideo non tollitur, vel non impeditur, niſi fiat immutatio in natura, ſicut in dementibus; quod etiam in habitu principiorum ſpeculabilium veritatem habet, quod per obliuionem non tollitur.* Immutatio autem ſufficit, quòd fiat in organo phantaſtico; vt explicat *art.3.in fine corp.*

22 Dices. Habitus primorum principiorum eſt proprietas naturaliter inſita; vt diximus *to.3. vbiſ.*, ergo nullo modo deſtrui poteſt.

Reſp. *Fund. Doct. art.3. vbiſ.*, quòd habitus primorum principiorum vel poteſt ſumi, prout importat lumen rationis, quo cognoſcimus principia; & ſic eſt proprietas; vel prout importat notitiam aggeneratam ex lumine rationis; & ſic importat habitum acquiſitum, qui poteſt extingui eo modo, quo dictum eſt *loc.cit.,& art.1.n.6.*

ART. VII.

Quomodò habitus augeantur, & minuantur?

1 POſtquam egimus de productione, & deſtructione habituum, ſequitur agendum de eorum incremento, & decremento.

2 Supp. ex dictis *in ſuper art.* habitus intendi, & remitti non quidem per additionem gradus eſſentialis ad gradum eſſentialem; quia *eſſentia rerum ſunt, ſicuti numeri*; vt habet *Phil.8. Met.t.10*, propter quod *Beatiſs. P. lib. Categ. c. 12.* ait *qualitates ipſas non poſſe magis, & minus ſuſcipere*; quia *prudentia non eſt prudentior prudentia, neq; albedo eſt albior albedine*; aliter eſſētię rerū non eſſent indiuiſibiles, & immutabiles; ſed intendi, & remitti per additionem gradus ipſius eſſe ad gradum eſſe, ſeu per maiorem, vel minorem radicationem habitus in ſubiecto; quæ radicatio ſit per expulſionem contrarij; vt docet *Fund. Doct. Quodl. 2.q.14; & locis cit. in Phyſ. & l. de Gen. & corrupt*; id enim, quod *ibid.* dicitur de qualitate, *ut ſic*, dicendum eſt *hic* de habitu, qui eſt ſpecies qualitatis; qua propter *idem Beatiſs. P. vbiſ.* docet ſubiecta qualia recipere magis, & minus; quia nix eſt magis alba, quàm paries; & idem lignum modò eſt magis calidum, modò minùs & c; non ob aliud, niſi quia magis participat de eſſe caloris, quod ſit per expulſionem, & remiſsionem frigoris. *Sed de hoc fusè in lib. de Gen. & Corrup.* Idem videtur aſſerere *Caiet. apud. Val. hic diſp.4.q.4.punct.2*, licèt magis confusè, aſſerens qualitates non ſuſcipere intenſionem; & remiſsionem ſecundùm rationem ſpecificam, idèſt eſſentialem; ſed tantùm ſecundùm rationem indiuidualem, idèſt exiſtentiam; cùm enim indiuidualitas ſumatur, vel implicet exiſtentiam; ideo idem videtur eſſe ſecundùm gradum indiuidualitatis, ac ſecundùm eſſe; quanuis poſtea explicet maius eſſe indiuiduale fieri per additionem nouæ perfectionis realis de nouo aduenientis; in quo diſcrepant à nobis.

3 Ex hoc patet habitum poſſe creſcere, & decreſcere intenſiuè, quod eſt proprium ſolius qualitatis.

4 Verum notat *Fund. Doct. in 1. diſt. 17. p. 2. princ.1.q.2.§.Ideo not*; quòd habitus poteſt comparari vel ad ſubiectum, quod afficit; vel ad obiectum, quod reſpicit. Si comparetur primo modo, habet creſcere, & decreſcere tantùm in-

intenſiuè; ſi autem ſecundo modo, habet augeri, & diminui extenſiuè; nam habitus ita conſideratus induit modum quantitatis, cuius proprium eſt extendi; & ideo de illo propriè dicitur augmentum, & diminutio, quæ propriè de ſola quantitate dicuntur. Illæ ergo ſolæ qualitates, quæ eſſentialiter reſpiciunt aliquod obiectum, à quo ſpecificantur, induunt modum quantitatis, quatenus extenduntur ad plura, vel pauciora obiecta; quod non verificatur de albedine, &c; quæ non reſpiciunt eſſentialiter obiecta ſpecificantia, vt patet.

5 Ex quo deducitur quoque habitus augeri, & minui poſſe extenſiuè.

6 Dubitatur modo, an per quenlibet actum augeatur, vel minuatur habitus; & difficultas eſt de habitu acquiſito; nam de habitu infuſo, *in tract. de charit.* erit ſermo.

7 Prima ſententia vult habitum augeri nedum per actus ipſo intenſiores, ſed etiam per æquè intenſos, & per remiſſiores. Referuntur *Scot.*, *Gabr.*, *Vaſq. Tanner. Ariag*; *vt videre eſt apud noſtrum Gibb. hìc diſp. 34. dub. 2. n. 3.*, *Dur. in 1. diſt. 17. q. 8. n. 8.* qui cenſet per quenlibet actum etiam remiſſum augeri habitum; cui ſubſcribit *Val.*

8 Secunda ſententia docet habitum augeri ſolùm per actus intenſiores; per remiſsiores verò diminui. *Ita Fund. Doct. vbiſ. q. 3. in fine corp.*, *Gibb; & ex alÿs omnes Thomiſtæ communiter, Sua; & alÿ.*

9 Vnica concl. Habitus intenduntur, & augentur ſolùm per actus intenſiores, non per æquè, vel minùs intenſos; per remiſſiones autem diminuuntur.

Prob. 1. pars concl. *ex Beatiſs. P. Aug. vbiſ. c. 13.* docente: *Hæc duo autem facere, & pati multi dixerunt non poſſe; niſi ÿs, quæ fuerint contraria, peruenire; id enim, quod dulce eſt, dulce non facit, niſi id, quod dulce ſit, dulce non fuerit; nam ſi id, quod patitur, dulce fuerit per naturam ſui, alterius dulcedinem quà recipiat, non habebit. Neceſſe eſt ergo dulce non eſſe id, quod patitur, vt dulcedinem recipiat alienam; ac propterea cùm quod facit, dulce eſt; & quod patitur, dulce non eſt, neceſſariò dicuntur videri contraria.* Et paulò poſt concludit hanc ſententiã his verbis: *Clares ergo facere, & pati genere eſſe ſimilia, contraria qualitate.* Hanc ſententiam tradit *Phil. lib. 1. de Gen. c. 7. t. 48.* dicens: *Quod ſimile eſt, & omni ex parte nullam prorſus habet differentiam, nihil à ſimili pati rationi conſentaneum eſt.* Idèſt quod eſt ſimile nedum in ratione generica, ſed etiam in ratione ſpecifica; vt duo calores in eodem gradu; qui conueniunt in ratione generica qualitatis, & in ratione ſpecifica caloris omnino ſunt ſimiles, nequeunt habere rationem agentis, & paſſi; & *Fund. Doct. vbiſ.* docet: *Nam cùm ſemper agens ſit tale in actu, quale eſt patiens in potentia, quod debat de calido facere magis calidum, non ſolùm ſufficit ipſum eſſe calidum: ſed oportet ipſum habere plus de actu calid:tatis, ad quam actualitatem, quod debet magis calefieri, debet eſſe in potentia.* Formatur autem hæc ratio ſic. Agens, & patiens ita ſe debent habere; vt agens actu habeat illam formam, quam debet inducere; & patiens ſit in potentia paſsiua ad recipiendam illam formam, quæ ab agente in ipſum inducitur, ſed actus intenſior eſt in actu ſecundùm unum gradum, ad quem habitus eſt in potentia paſsiuâ; actus autem æquè intenſus, aut remiſsior non eſt in actu ſecundùm unum gradũ, ad quem habitus ſit in potentia; ergo habitus augetur tantùm per actus intenſiones, non per æquè, vel minùs intenſos. Prob. ma; nam ſicut *nemo dat, quod non habet*, & ideo agens, quod non habet formam, nequit illam dare paſſo; ita nemo recipit, quod habet; aliter produceretur productũ, non producibile. Prob. mi. Actus intenſior v.g., vt quinq; poteſt inducere in habitũ intenſum, vt quatuor, quintum gradum, quia actus eſt in actu ſecundùm quintum gradùm caloris, ad quem habitus eſt in potentia; at verò actus intenſus, ut quatuor, nequit inducere quintum gradum, quia illum non habet; quod à fortiori dicendum eſt de actu minùs intenſo.

10 Conf. 1. Si actus poſſet agere in habitũ æquè intenſum, non poſſet aſsignari, qoodnam eſſet agens, & quodnam patiens; quia non eſſet ratio, cur vnum, & non aliud ageret; & ſic cur vnum, & non aliud pateretur; nam ratio, cur vnum agat., eſt; quia eſt præſtantius alio; & in tantùm eſt præſtantius, in quantùm actu habet illam formam, quam debet inducere; æquè autem eſſent præſtantes, quia æquè haberent actu eandem formam; & ideo non eſſet ratio, cur potiùs vnum, quàm aliud ageret; & ſic ſi actus minùs intenſus poſſet agere in habitum magis intenſum, patiens eſſet præſtantius agente; & ideo eſſet potiùs agens, quàm patiens; ergo habitus nequit intendi per actum æquè, vel minùs intenſum.

11 Conf. 2. Agens debet ſibi ſubijcere paſſum, quod debet eſſe ſubiectum receptiuum actionis agentis; ſed habitus æquè, vel magis intenſus non eſt ſubiectus actui, quia vel eſt illi æqualis, vel eſt ſuperior in perfectione; ergo habitus nequit augeri per actum æquè, vel minùs intenſum.

12 Explic. magis. Si lignum calidum, vt quatuor, applicetur manui calidæ, vt duo; tunc experimur manum magis calefieri à ligno, non lignum à manu; quia calor ignis eſt præſtantior calore ipſius manus, & ideo ſibi ſubijcit ipſam manum à ſe ipſo magis calefaciendam; ergo à pari.

13 Conf. 3. Idem actus intenſus, vt quatuor, etianſi ſemper perſeueraret in actuali exercitio, nunquam poſſet intendere habitum, vt quinque; quapropter actus charitatis in beatis, licèt ſemper

per duret, nunquam tamen poteſt augere habitum charitatis; aliter effectus eſſet perfectior ſua cauſa; ergo neque multiplicatio eiuſdem actus poteſt magis intendere habitum; multiplicatio nanque eſt quædam interrupta continuatio; imò eſt imperfectior continuatione; quia ſemper eſſe dicit maiorem perfectionem, quàm eſſe interruptim, nam ſemper eſſe dicit firmitatem in eſſe; interruptim eſſe dicit inſtabilitatem ipſius eſſe; inſtabilitas autem eſt imperfectio, vt patet; ergo ſi continuatio actus ſemper perſeuerans in exercitio nequit augere habitum; multò minùs multiplicatio eiuſdem actus hoc poterit preſtare.

14 Vrgetur ampliùs. Nulla cauſa poteſt producere effectum ſe ipſa perfectiorem; ſed quintus gradus v.g. intenſionis habitus eſt magis perfectus, quàm primi quatuor; nam quintus gradus caloris eſt magis perfectus, quàm primi quatuor, quia magis facit calidum ſubiectum, quàm primi quatuor; magis enim approximat ad formam ignis; ergo quintus gradus intenſionis habitus nequit eſſe ab actu intenſo, vt quatuor, vel vt duo.

15 Præterea in tantùm duo lumina ſimul poſita in aliqua domo magis illuminant domum; in quantùm ſimul poſita faciunt vnum agens totale magis forte, & actiuum; at verò vnum lumen ſucceſsiuè poſitum poſt aliud non magis illuminat, ac illuminabat primum, dummodò ſint æqualis virtutis; ſi autem poneretur aliud lumen magis intenſum, magis illuminaret; ſicut ſi poneretur minùs intenſum, minùs illuminaret; ergo actus æquè, vel minùs intenſus non auget habitum; & ideo ſoli actus intenſiores habitum intendunt, & augent.

16 Prob. 2. pars concl. *ex Fund. Doct. vbi ſ.* docentis *Minùs calidum non augmentabit in calore, ſed magis minuet; ita cùm actus remiſsè progreditur ab habitu, magis facere videtur, quòd habitus minuatur, quàm quòd creſcat.* Ratio autem eſt, Effectus commenſuratur cum actione, & actio cum potentia; hæc enim tria dicũt ordinem commenſurationis inter ſe, quia relatiuè ſpecificantur; ergo actus minor habitum facit minorem.

17 Conf. Effectus, qui pendet in fieri, & conſeruari ab aliqua actione, ſicut creſcit ad augmentum actionis; ita minuitur ad decrementum illius; ſed habitus eſt effectus pendens in fieri, & conſeruari ab actibus; vt dictum eſt *in ſup. art*; ergo ſicut creſcit ad augmentum actus; ita minuitur ad diminutionem illius.

18 Prob. 3. Sicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter; ita ſecundùm quid ad ſecundùm quid; ſed deſiſtentia ab actu ſimpliciter tollit habitum ſimpliciter, vt oſtenſum eſt *vbi ſ*; ergo deſiſtentia ab actu ſecundùm quid tollit actum ſecundũ quid; atqui eliciens actum minùs intenſum deſiſtit ab actu ſecundùm quid; quia deſiſtit à totalitate actus ſecundùm aliquum gradum; ergo tollit habitum ſecundùm aliquem gradum, quod eſt illum minuere, vt de ſe notum eſt *Vid. alia rationes allata in ſup. art*; faciliter enim accommodantur ad probandam hanc partem noſtræ ſententiæ.

19 Tandem tunc actus eſt minùs intenſus, quando obiectum minùs intensè agit in potentiam conſeruando qualitatem habitus à ſe efficienter productam eo modò, quo calefactio eſt minùs, quando ignis minùs intensè agit in lignũ, vel in aquam conſeruando calorem à ſe ipſo in illa productum; ſed quando cauſa efficiens minùs intensè agit conſeruando ſuum effectum, minuitur effectus; nam quando ignis minùs intensè agit in aquam, aqua ebullitionem deperdit, & diminuit calorem vi naturalis reſiſtentiæ, quam habet; ergo actus minùs intenſus diminuit habitum ratione naturalis inclinationis, qua potentia in oppoſitum vergit.

20 Obijc. 1. Actus cauſat habitum perfectiorem ſe ipſo; ergo allata doctrina non valet.

Reſp. iam explicatum fuiſſe *art. 4. n. 18.* ad 1. quomodò intelligendum ſit actum cauſare habitum intenſiorem ſe ipſo; dicitur enim habitus perfectior, quia eſt in termino, & actus in via; non quia habitus ſit intenſior actu. *Vid. vbi ſ.* & hæc doctrina eſt *Fund. Doct. in 2. diſt. 27. q. 1. art. 3. dub. 1. lat. 5. ſed dices, & ſeq*; vbi querens, quomodò per actus imperfectos poſſit generari habitus, & poſtea per habitum produci actum perfectum, reſpondet hoc fieri in virtute luminis naturalis, quod ſimul cum habitu elicit perfectiorem actum.

21 Obijc. 2. Actus tantùm, *vt quo*, ſeu tanquam inſtrumentum cauſat ipſum habitum; ergo in virtute principalis agentis poterit cauſare effectum præſtantiorem ſe ipſo; hoc enim conuenit inſtrumento, vt inſtrumentum eſt.

Reſp. actum cauſare habitum tanquam rationem formalem entitatiuè indiſtinctam ab ipſo habitu, ſicut albedo cauſat eſſe album; & ideo ſicut minus album nequit cauſare eſſe magis album; ita à pari; vnde actus propriè non eſt inſtrumentum, quod reducitur ad cauſam efficientem, licèt à lumine eleuetur; ſicut quanuis intellectus eleuetur à lumine gloriæ; non eſt tamen inſtrumentum luminis.

22 Obijc. 3. Experientia conſtat, quòd ſi quis pluribus actibus remiſſis ſæpe repetitis feratur in aliquod obiectum, acquirit maiorem facilitatem, quàm antea non habebat; ergo actus remitti intendunt habitum.

Reſp. quòd quanuis illi actus videantur remiſſi, ſunt tamen intenſiores habitu; & colligitur ex eo, quòd poſt illos actus feruidiùs tendit in obiectum.

23 Obijc. 4. Habitus ſupernaturales infuſi non diminuuntur per actus remiſſiores; quia ſi u.g. habitus charitatis minueretur, deberet minui per id, per quod deſtruitur; per id autem,

per

per quod deſtruitur, non minuitur; quia deſtruitur per peccatum mortale; & per peccatum mortale non minuitur, nam quod minuitur, non tollitur omnino, ſed tantū ſecundùm quid; peccatum autem mortale tollit habitum charitatis omnino;& ideo illam non minuit. Nec poteſt minui per peccatum veniale propter eandem rationem; aliter peccatum veniale poſſet ex integro deſtruere charitatem, quia quod diminuit, adeo poteſt minuere; vt tandē poſſit deſtruere; ergo neque habitus naturalis acquiſitus diminuitur per actus remiſſiores.

Reſp. *Fund. Doct. in 1. diſt. 17. p. 2. princ. 2. q. 2: ad* 1. neg. conſ. & diſparitas eſt; quia habitus ſupernaturalis infuſus nō producitur ex actibus, nec per illos conſeruatur; & ideo nec per ceſſationem illorum diminuitur, aut corrumpitur; at verò habitus naturalis acquiſitus producitur, & conſeruatur per actus; & ideo per diminutionem illorum minuitur, ſicut per ceſſationem diuturnam deſtruitur. *Sed de hoc de Pecc.*

24 Inſt. Actus ſupernaturales augent habitus infuſos; ergo et illos diminuūt; quia *oppoſitorum eſt eadem ratio*; & ideo potens producere, poteſt etiam deſtruere.

Reſp; quòd hoc valeret, ſi actus ſupernaturales augerent phyſicè, nō tantùm moraliter meritoriè actus; vt ſuperiùs diximus. Diſt. igitur ant. Augēt phyſicè, neg; moraliter, conc; & neg. conſ. ad cuius prob. dicitur valere de agente phyſico, non morali; vt de ſe patet.

25 Obijc. 5. Actus remiſſior nō diſponit ad deſtructionem; quia actus remiſſus, antequam producatur habitus, diſponit ad productionem habitus, & ideo nequit diſponere ad deſtructionem; ergo actus remiſſus non diminuit; quia, quod diminuit, deſtruit.

Reſp. *Val.* actum remiſſum diſponere per accidens ad deſtructionem habitus, quatenus tribuit locum paſſionibus, & actibus contrarijs, vt inſurgant, & habitum deſtruant. Addimus, quòd actus remiſſus diſponit potentiam etiam ad deſiſtendum omnino ab actu; per quam deſiſtentiam etiam deſtruitur habitus, vt *ſup.* dictum eſt.

ART. VIII.

Quodnam ſit ſubiectum habituum?

1 Duplex diſſidium eſt *inter DD.* circa ſubiectum habituum, & vtrunque *in præſenti* eſt diſſoluendum.

2 Prima ſententia putat habitus verè eſſe in membris corporeis, & in potentia locomotiua in corpore exiſtente. *Ita Scot. in 3. diſt. 33. q. 1. in reſp. ad arg., & Gabr. in 3. diſt. 23. q. 1. art. 3. dub. 3. propoſit. 2.*

3 Secunda putat habitus ſubiectari tantùm in intellectu, non in voluntate; ait enim totam facilitatem, quam experimur in volendo, conſiſtere formaliter in cognitione vehementi, inten-

ſa, practica, & experimentali ipſius obiecti, & in negatione cognitionis retrahentis ab illo obiecto; radicaliter verò conſiſtere in ordinatione ſpecierum experientia acquiſitarum. *Ita Ouied. de an. contr. 14. punct. 3. §. 2., 3., & 4.*, vbi refert etiam *Lug.*, & *quidam alius* refertur *ab Ariag. hic diſp. 32. ſect. 2. n.* 11.

4 Noſtra tandem docet habitus non recipi in corpore, vel in ſenſibus, ſed tantùm in potentijs rationalibus, quæ ſunt ad oppoſitum; & ideo ſolùm in intellectu, voluntate, & appetitu concupiſcibili, & iraſcibili. *Ita Fund. Doct. diſt. 27. q. 1. art. 1. ad* 3., vbi ait in potentijs naturalibus non eſſe habitus, quia *non ſunt in oppoſita; ſed potentia rationales propter liberum arbitrium ſunt in oppoſita*; ideo in illis habitus collocantur. Idem docent *communiter alij Theologi* exceptis, *qui ſupra.*

5 Not. *ex Fund. Doct. in 2. diſt. 24. p. 2. q. 1. art. 3. §. Reſpondeo*; quòd potentiæ aliæ ſunt rationales, aliæ irrationales, rationales ſunt illæ, quæ ſunt in oppoſitum, idēſt ita tendunt in hoc, vt poſſint etiam tendere in oppoſitum huius; irrationales verò ſunt determinatæ ad vnum; quia nequeunt tendere in oppoſitum. Rationales dicuntur tendere in oppoſitum; quia præſente obiecto poſſunt tendere in illud per modum diſſenſus, & aſſenſus, affirmationis, & negationis, vel proſecutionis, & fugæ, quæ tendentiæ opponuntur. Irrationales dicuntur determinatæ ad vnum; quia nequeunt tendere in ſuum obiectum ſibi præſens per modum negationis, & affirmationis, vel proſecutionis, & fugæ; vnde poteſt quidem intellectus tendens in ſuum obiectum illi aſſentiri, vel diſſentiri, et affirmare eſſe bonum, vel malum; et voluntas poteſt rendere per modum proſecutionis, vel fugæ, ſeu volitionis, vel nolitionis; at verò potentia nutritiua nequit tendere in cibum ſibi præſentem per modum negationis, ſeu non nutritionis; ſic potentia viſiua nequit tendere in coloratum ſibi præſens per nō viſionem; quia ipſa tendentia determinatè, et eſſentialiter eſt viſio; tendentia autem intellectus, et voluntatis non eſt determinatè tantùm affirmatio, vel volitio, ſed poteſt eſſe negatio, et nolitio; ideo potentiæ rationales ſunt in oppoſitum; irrationales verò ad vnum tantùm.

6 Potentiæ autem rationales *ex Phil. 2. Eth. c. vlt.* aliæ ſunt rationales per eſſentiam, vt intellectus, qui eſt eſſentialiter ratio, et voluntas; quæ eſſentialiter eſt appetitus ſequens rationē. Rationales per participationem ſunt appetitus concupiſcibilis, et iraſcibilis, qui participant rationem, quia ex ſua natura apti nati ſunt obedire rationi; ſi enim ratio dictet concupiſcibili, vt non tendat in bonum ſibi præſens, poteſt non tendere; at verò nutritiua nequit non tendere in cibum ſibi præſentem non nutriendo, et pulſatiua cordis nequit non pulſare, etiamſi ratio dictet non eſſe pulſandum; et ſic dicitur de alijs

potentijs naturalibus, quæ ſunt augmentatiua, & generatiua. Vbi not., quòd pulſatiua vocatur etiam *Zodiacum* idêſt vitalis; *zoe* enim in *græco* idem eſt, ac vita; & *Zodiacum* idem eſt, ac *vitale*, quia motus cordis, quo pulſat, & mouet omnia membra, eſt vita omnium membrorum.

7 Licèt autem potentiæ irrationales poſſint ſubiacere rationi indirectè, quatenus ſubiacent actibus exterioribus; quia eſt in noſtra poteſtate manducare, vel non manducare, ex quo pendet nutritio, motus cordis, generatio, & augmentatio; attamen directè non obediunt rationi, quia præſente cibo nequeunt non nutrire &c; ſicut præſente obiecto delectabili poteſt concupiſcibilis illud non concupiſcere.

8 Habitus ergo ponuntur ſolùm in potentijs rationalibus per eſſentiam, vel per participationem; quapropter *Fund. Doct. Quodlib. 4 q. 18.* docet habitus, qui verſantur circa paſſiones moderandas, eſſe in appetitu ſenſitiuo; qui verò verſantur, vt inueniant medium, eſſe in voluntate; & *in Opuſc. lib. de Parad. c. 7.* ait concupiſcibilem eſſe ſubiectum temperantiæ; iraſcibilem fortitudinis, voluntatē iuſtitiæ, & intellectum prudentiæ. Ratio huius eſt; nam cùm habitus ponatur ſolùm ad ſuperandam difficultatem, quam habet potentia in productione ſuorum actuum, & potentia, quæ eſt determinata ad vnum, careat hac difficultate; in tantùm enim potentia difficulter producit aliquem actum, in quantùm habet inclinationem in oppoſitum; vt v.g. in tantùm concupiſcibilis expetitur difficultatem in producendo actum temperantiæ, inquantùm inclinat in obiectum, à quo allicitur ad producendum actum intemperantiæ, ob quam inclinationē magnam ſentit difficultatem in eliciendo actum temperantiæ; ſed ſolæ potentiæ rationales ſunt ad oppoſitum; & potentiæ naturales ſunt tantùm ad vnum; ergo habitus ponuntur ſolum in potentijs rationalibus, quæ ſunt ad oppoſitum; non autem in naturalibus, quæ ſunt ad vnum tantùm. *His not.*

9 Vnica concl. Habitus non ſubiectantur in membris corporis, aut ſenſibus, qui ſunt determinati ad vnum, ſed ſolùm in intellectu, & voluntate, & in vtroque appetitu ſenſitiuo.

Prob. 1. *ex Beatiſs. P. Aug. lib. Categ. c. 12.* docente. *Hoc profectò, quòd diſciplina in ea parte animæ, quæ rationalis* (per eſſentiam ſupple) *dicitur, tantummodò verſatur; virtus verò omnes animæ partes* (ſcilicet intellectiuam, & ſenſitiuam) *amplectitur, omnemq; animam ſuo imperio gubernat, et regit; vt & iracundiam* (ſcilicet iraſcibilē) *domet; & cupiditates* (nempe concupiſcibilem) *animo amoueat*. Quibus verbis diſtinguit diſciplinas, quæ ſunt habitus intellectuales, quos ait ſubiectari in intellectu tantùm; & virtutes morales, quas ait ſubiectari etiam in appetitu ſenſitiuo concupiſcibili, & iraſcibili; qui regitur, & gubernatur imperio rationis. Formatur autem ſic ratio. Habitus ſubiectantur in illis potentijs tantùm, quæ habent obedire rationi, & ab ea gubernari in ſuis actibus, vt bene, & laudabiliter fiant; ſed ſolus intellectus, voluntas, & appetitus concupiſcibilis, & iraſcibilis habent obedire rationi, & ab ea gubernari in ſuis actibus, vt bene, & laudabiliter fiant; non autem ita ſe habent membra corporis, aut ſenſus; quia illæ ſolùm potentiæ habent obedire rationi, quæ poſſunt facere oppoſitum; nam de neceſſarijs non eſt obedientia; ergo habitus ſubiectantur ſolùm in intellectu, voluntate, & appetitu concupiſcibili, & iraſcibili. Hoc totum ſatis *ſup.* explicatum eſt.

10 Conf. Habitus datur tantùm ad ſuperandam difficultatem potentiæ; ſed ſola potentia, quæ eſt in oppoſitum, habet difficultatem ad actum; quia retrahitur ad partem oppoſitam; vt dictum eſt; ergo habitus eſt ſolùm in potentia, quæ eſt in oppoſitum; ſed membra corporis, & ſenſus apprehenſiui non ſunt in oppoſitum; quia ſunt potentiæ materiales determinatæ ad vnum; ergo habitus non ſunt in membris corporis, aut in ſenſibus apprehenſiuis; ſed tantùm in intellectu, voluntate, & appetitu ſenſitiuo. Ma. patet; quia habitus definitur *facilitas ex frequentatis actibus acquiſita*. Prob. mi. Tunc potentia experitur difficultatem ad producendum aliquem actum, quando retrahitur ad oppoſitum illius; quando enim non habet, à quo retrahatur à productione actus, tunc faciliter ſe mouet ad illum producendum; vt oculus, quia non habet retractiuum ad oppoſitum viſionis; ideo faciliter videt, adeoque ex frequentatione viſionum non acquirit habitum videndi, qui eſſet omnino ſuperfluus, quia nulla eſt in oculo difficultas uincenda per habitum, & per conſequens ſola potentia ſibi ſufficit ad faciliter uidendum; ſed potentia, quæ retrahitur in oppoſitum, eſt ad oppoſitum; eſt enim indifferens, & indeterminata ad hoc, & ad oppoſitum huius; nam potentia determinata ad vnum nequit trahi in oppoſitum illius, quia nequit in oppoſitum tendere, aliter non eſſet ad unum determinata, ſed indifferens ad utrunque, ergo ſola potentia, quæ eſt in oppoſitum, habet difficultatem ad actum.

11 Prob. 2. Quamuis potentia locomotiua, membra corporis, & ſenſus indirectè ſubduntur rationi, ut docet *Fund. Doct. vbi ſ.*, attamen non ſubduntur directè, quia poſſumus utique mouere, & non mouere membra ex imperio rationis, attamen non ſubduntur directè, quia non ſunt in oppoſitum; nam ſuppoſito motu rationis, nō poſſunt non moueri; appetitus autem etiam ſuppoſito motu rationis, poteſt reluctari; ergo ſola potentia, quæ eſt in oppoſitum, indiget habitu.

12 Præterea impugnatur 2. ſent. ſic. Hæc ſētentia deſtruit uirtutes cardinales, & alias virtutes morales; ergo eſt reijcienda. Prob. ant. Iuſtitia eſt uirtus cardinalis, quæ communiter definitur *conſtans voluntas tribuendi cuiq; quod ſuū eſt*

vo-

ſoluntas autem, ſiue ſumatur pro potentia, ſiue pro actu perſeuerante in potentia, vt *hic* accipi debet, nequit formaliter conſiſtere in ordinatione ſpecierum, niſi cum magna confuſione potentiarum animæ; non enim voluntas, aut actus voluntatis poteſt ſubiectari in intellectu, in quo tamen ſubiectantur ſpecies. Ita fortitudo, quæ eſt altera virtus, nequit conſiſtere in ordinatione ſpecierum ad obiecta ardua aggredienda; poteſt enim quis habere ſpecies ſic ordinatas, & tamen carere habitu fortitudinis; & idem dicendum de temperantia, quod magis apparebit *in q.ſeq.* Præterea communis *ſent.SS.PP.* eſt quatuor eſſe virtutes Cardinales; ſed ex diuerſa ordinatione ſpecierum non haberetur hic numerus; quia ſpecies diuerſimodè ordinatæ non ſunt, niſi vna entitas cũ diuerſa ordinatione; & ſicut vnus pater ordinatus ad quatuor filios non eſt quatuor patres; ſic virtutes Cardinales non eſſent, niſi vna entitas; & ideo vna virtus entitatiuè cũ quadruplici ordinatione; ergo hæc ſententia deſtruit nedum eſſentiam, quia deſtruit definitionem, ſed etiam numerum virtutum cardinalium; & ſic dicendum de alijs virtutibus.

13 Conf. Habitus vitioſi oppoſiti habitibus virtuoſis non ſubiectantur in intellecta, nec conſiſtunt formaliter in ordinatione ſpecierum; ergo neque habitus virtuoſi, quibus opponuntur; *oppoſita* enim *habent fieri circa idem ſubiectum*. Prob. ant. Habitus vitioſus recipitur in eo ſubiecto, quod per illum vitiatur, & deprauatur; quia infectio ſubiecti habetur tantùm ex receptione qualitatis inficientis; ſed habitus intemperantiæ v.g. vitiat, & deprauat concupiſcibilem, & habitus iniuſtitiæ voluntatem, ſicut habitus imprudentiæ intellectum; ergo habitus vitioſus non recipitur in intellectu, quapropter dici ſolet, quòd peccans ex malitia, vel ex conſuetudine habet deprauatam voluntatem, & appetitũ ſenſitiuum. *Vid.* rationes allatas *art.2. n.16. ad* 18., quæ improbant hanc ſent.

14 Obijc.1. Ex frequenti exercitio citharizandi acquiritur magna facilitas in digitis, in quibus erat magna difficultas; ergo aliquis habitus ſubiectatur in membris corporis. Prob ant. *ex Fund. Doct. in* 2.*diſt.*27.*q.*1.*art.*1.*§ ſi ergo*, vbi ait: *Ex frequenti citharizari habilitatur manus ad citharizandum, ſic ex frequenti agere ſecundùm aliquam virtutem, vel ſecundùm aliquod vitium habilitatur illa potentia ſecundùm illos actus, & generatur in ipſa potentia quidam habitus inclinans ad illos habitus.*

Reſp. neg. ant; habitus enim citharizandi generatur in intellectu; quia habitus eſt quædã regula faciliter dirigens actum; patet autem, quòd regula dirigens digitos eſt in intellectu; in ipſis autem digitis generatur ſolùm quædam ſolutio neruorum, ſeu aptitudo, quæ non eſt habitus. Ad prob. dicitur, quòd *Fund. Doct.* nihil aliud intendit, quàm quòd ſicut ex frequen-

motione digitorum videmus generari quandam agilitatem in manu, quæ non eſt habitus citharizandi; ita ex frequenti agere ipſius potentiæ generatur in ipſa habitus facilitans ad actionem. Hinc *diſt.*28.*q.*1.*art.*3.*dub.*1.*lat.*§. *Sed dices* ait: *Vt dolabra, vbi non eſt forma artis, regulata ab artifice inducit formam artis; ſic & in propoſito.* Digiti ergo, in quibus non eſt habitus citharizandi, regulati ab intellectu inducunt in ipſum, tanquam inſtrumentum ipſius habitum citharizandi.

15 Inſt. Poſſunt dari duo homines pares potentijs, & exercitio actuum, & vnus alio poteſt faciliùs exercere ſuas operationes; ergo facilitas eſt ſolùm in membris.

Reſp. quòd ſicuti ſi ſint duo artifices pares ingenio, & exercitio, quorum vnus habeat dolabram magis acutam, quàm alter, ille faciliùs dolabit, quàm iſte, non tamen habitus eſt in dolabra. Requiritur ergo diſpoſitio membrorum, tanquam inſtrumentum, non tanquam ſubiectũ habituum.

16 Obijc.2. Licèt potentia ſit ad vnum; attamen poteſt iuuari, vt faciliùs operetur, ſed habitus eſt illud, quod adiuuat potentiam ad faciliter operandum, ergo etiam in potentia ad unũ determinata, vt ſunt ſenſus interni, & externi, poteſt dari habitus; ac propterea ſubiectum habituum non eſt ſolus intellectus, voluntas, & appetitus ſenſitiuus.

Reſp. diſt. mi. Habitus eſt id, quod adiuuat, & determinat ad faciliter operandum potentiam indifferentem, quæ poteſt bene, & laudabiliter, vel malè, & vituperabiliter operari, conc. quod adiuuat potentiam neceſſariam ex ſua natura determinatam ad vnum, & ideo quæ nequit laudabiliter, vel vituperabiliter operari; *in neceſſarijs enim neque meremur, neque demeremur*; propterea quod nullus diceret, quòd claudus natus mereatur vituperium eo, quia nequit rectè ambulare, neg.

17 Obijc.3. Optimè poſſumus intelligere voluntatem facilitari ad eliciendos omnes ſuos actus per duplicem facilitatem, formalem unam, quæ conſiſtit in cognitionibus ipſius intellectus inuitantibus, ſuadentibus, & trahentibus ipſam voluntatem ad producendos ſuos actus, necnon in negatione omnium cognitionum diſſuadentium, & retrahentium voluntatem à ſuis actibus; radicalem alteram, quæ conſiſtit in ordinatione ſpecierum acquiſitarum per experientiam actuũ præteritorum; ſed hæc duplex facilitas exiſtit ſolùm in intellectu, non in voluntate, vt eſt manifeſtum; nam actus intellectus, cùm ſint immanentes, ſubiectantur in eodem intellectu, à quo eliciuntur; & ſpecies recipiuntur in memoria, (quæ propterea à *Phil.* appellatur locus ſpecierum, quia in illa recipiuntur, & conſeruantur; ergo nullus habitus ſubiectatur in voluntate.

Reſp. neg. ant; habitus enim facilitat potentiam, in qua recipitur; non autem potentiam, in qua non recipitur, vt dictum eſt; & ideo quamuis ponantur ſpecies, & cognitiones prædictæ inuitantes, & retrahentes, adhuc poteſt voluntas habere difficultatem, quia poteſt habere inclinationem contrariam, quæ non vincitur; niſi in ipſa ponatur habitus illam ſuauiter trahens ad illos actus. Præterea ſicut non ſufficiunt cognitiones, & ſpecies prædictæ in intellectu ad hoc, vt iraſcibilis faciliretur ad fortiter aggrediendа obiecta ardua; & concupiſcibilis ad fugienda delectabilia, ſed neceſſariò admittendi ſunt habitus intrinſecè recepti in ipſo appetitu; ita à pari de voluntate.

18 Obijc. 4. Si facilitas voluntatis prouenirет ab habitu intrinſeco, voluntas ſemper haberet eandem facilitatem, quandiu durat habitus; ſed hoc eſt falſum; aliquando enim voluntas experitur facilitatem, quando vehementer proponitur ei obiectum ab intellectu; ergo in voluntate non eſt habitus, ſed tantùm in intellectu.

Reſp. diſt. ma. Semper ſentiret eandem facilitatem præſuppoſita eadem intenſione cognitionis obiecti, conc; ſecus, neg; nam cùm voluntas ſit potentia cæca ſequens ductum rationis; ideo eſſentialiter præſupponit actum cognitionis, tanquam conditionem, *ſine qua non* poteſt tendere in ſuum obiectum; ab illa tamen conditione requiſita ad facilitatem nō facilitatur formaliter, ſed tantùm præſuppoſitiuè; facilitatur autem formaliter ab habitu.

19 Obijc. 5. Voluntas ante omnē actum ſentit ſe facilem in proſecutione obiecti, quod ei proponitur, vt magis conueniens, quàm diſconueniens; ſed illa facilitas non prouenit ab habitu intrinſecè afficiente voluntatem; quia ante omnem actum nullus poteſt dari habitus, qui tantùm generatur ex actibus; ergo nullus habitus eſt in voluntate.

Reſp. idem arg. fieri poſſe *cont. Ouied.*, nam intellectus ante omnem actum ſentit ſe facilem in aſſentiendo obiecto, quod ei proponitur, vt magis verum, quàm falſum; ergo in intellectu nullus datur habitus. Neg. ergo ma; niſi enim vincatur inclinatio voluntatis in oppoſitum, voluntas non ſentit ſe facilem.

20 Obijc. 6. Aliquando voluntas exercitio actuum redditur difficilior ad illos eliciendos, vt cùm in primo actu percipit magnam voluptatem, quæ voluptas ſemper minoratur in actibus ſubſequentibus; ſed in iſto caſu non generatur habitus difficultatis, qui implicat in terminis; ergo falſum eſt ex frequentatione actuum voluntatis generari habitum in voluntate.

Reſp. etiam poſſe retorqueri *in Aduerſarios* de actibus intellectus, quibus acquiruntur ſpecies; ſi enim iſti minorentur, ſemper maior difficultas reſultat in intellectu. Dicitur ergo ad arg., quòd ex actibus minùs intenſis non generatur, ſed deſtruitur habitus, *vt ſup.* diximus.

21 Obijc. 8. Per ſolam cognitionem intenſam voluntas fit facilis ad tendendum in obiectum; quia per cognitionem intenſam voluntas magis trahitur, quàm per minùs intenſam; & quò magis trahitur, eò faciliùs tendit; ergo idem.

Reſp. neg. ant., ſicut enim obiectum propoſitum intellectui cum maiori euidentia facit, vt intellectus faciliùs tendat in illud; & tamen nullus diceret obiectum eſſe habitum intellectus; ita à pari. Cognitio ergo, & obiectum magis intenſum effectiuè concurrunt ad facilitatem voluntatis, quatenus producunt in illa actum intenſum, ex cuius repetitione generatur habitus, qui eſt forma formaliter facilitans ipſam voluntatem; obiectum autem ſe habet, vt cauſa efficiens, *à qua*; cognitio verò, vt cauſa, *ad quam*.

DE

DE VIRTVTIBVS.

PRetioſiores mentis diuitiæ, quæ non ſubiacent temporis vicibus, nec ſortis ſubeunt pericula, nec inconſtantiæ obnoxiæ ſunt caſibus, ſunt veræ virtutes, quæ *à Viro* dicuntur, quia ipſæ ſolæ Viros efficiunt. Saluberrima ſunt mortis antidota; virus enim peccati, à quo mortalitas producta traducitur, extinguunt; ac venenatis vitiorum halitibus, quos ex infectæ carnis contagio contrahunt ſpiritus, cæleſti arte medentur. Sola virtus mori neſcia vitam ſeruat; ſi etenim mors effectus peccati, aut pænalitas eſt; virtus, quæ vitium, quod mortis eſt radix, eradicat, mortem quoq; à vitio exortam euellit. Huius ſæculi diuitiæ hic oriuntur, & occidunt; huius ſtatus dignitates non ſtant, ſed pereunt, cùm parent; at virtus, etſi acquiratur in tempore, tempus ipſum præteriens æternitati adæquatur. Pernicioſa miſeriarum cataſtrophes vitiorum pediſſequa non ſequitur virtutem, quæ vitia implacabili bello perſequitur. Felicitatem ſtatuit virtus inter ærumnas, pacem inter ſeditioſos ſenſuum tumultus, nec terrenas ſentit moleſtias, quia ſpe cæleſtium rapitur abſorpta. Humanas exuit curas; imò hominem ipſum ſoluere, ac ſuperioris conditionis naturam ignoto mirabilis magiæ magiſterio videtur inducere; dum inter pænoſos paſsionum conflictus patiendi legem diſſoluit; delet temporalitatis iura, atque mundanarum varietatum in fluctibus portum interfigit quietis. Volet tempus, virtus ſtat; pereat corpus, non commoritur; premat Cçlum, non deijcitur; trahat mundus, non diripitur. Virtutis pretium non habet, quo commutetur; quia mechanica non eſt. Nobilitas ſine virtute ignobilis eſt; animi enim obſcuritas ſanguinis claritatem obumbrat; ſicut ſanguinis vilitatem celſitudo extollit virtutum. Dignitas ſine virtute contemptibilis eſt; non enim exornat virtutem, ſed à virtute exornatur; vnde non virtutis, ſed dignitatis infelicitas eſt; quòd virtus ſine dignitate reſplendeat; & dignitas ſine virtute vileſcat ludibrij potiùs, quàm laudis argumentum præſeferens. Quamobrem ſola immortalitas virtutis eſt præmium; virtus enim inamiſſibilis eſt; adeoq; ſi præmio non remuneraretur perpetuo, debita aliquando fraudaretur mercede. Imò ſi virtus ſolius Dei ſubiacet dominio; Deus enim *Dominus virtutum* propria nuncupatione appellatur, quam ſe dignam poteſt exigere, niſi à ſolo Deo coronam? Has vmbras illuſtres quidem, ſed vanidas, non quærit; ad perpetua ſolùm anhelat; & quo demiſſiori *hic* viuit in ſtatu, eò altius erigit ſuæ dignitatis faſtigium; ſuæ nanque celſitudinis eſt ſola baſis humilitas, hinc gaudet deijci temporalitatis preſſuris, vt præmio immortalitatis fruatur; optat fugaci temporis motu eius meritum creſcere, vt momento æternitatis immobili eius gloria augeatur. De Virtutibus itaque eſt agendum, vt earum cognitio ad acquiſitionem inſtauret affectum.

QVAEST. III.

De Virtutibus.

POſt exactam paſſionum, habituũque notitiam, de virtutibus moralibus, quæ ſunt habitus moderantes paſſiones, earumque actiones dirigentes in Deum, vt in omnium finem, eſt agendum. Primò autem de ijs, quæ communiter omni virtuti conueniunt; deinde de ſingulis in particulari diſcutremus.

ART. I.

Affertur definitio virtutis.

1 VIrtus dupliciter ſumi ſolet; ſcilicet prout eſt vis actiua ad operandum, & in hoc ſenſu accidentia dicuntur virtutes ſubſtantiæ, quæ mediantibus accidentibus operatur; & prout eſt vis dirigens mentem; vt bene, & laudabiliter operetur. *Hìc* ſermo eſt de virtute in hac ſecunda acceptione. Quanuis autem virtus aliquando ſumatur pro actu externo, ſeu effectu virtutis, vt *Marc. 6. Non poterat ibi vllam virtutem facere*; ideſt excellentem operationem; & *Beatiſs. P. lib. 2. de lib. arb. c. 19.* docet *Virtutem eſſe bonum vſum liberi arb:* & *Phil. lib. de Cal. t. 16.* ait *virtutem eſſe vltimum potentiæ*; quod interpretatur de actu virtutis; *hic* tamen nos loquimur de virtute, prout eſt principium ipſius actus.

2 Virtutem ab *areti* dixere *Greci*, quod *Latini* artem dicunt, vt docet *Beatiſs. P. Aug. lib. 4. de Ciu. Dei c. 21.*, vbi ait: *Ars quippe ipſa benè, rectèque viuendi virtus à Veteribus definita eſt; vnde ab eo, quod Græcè areti dicitur virtus, nomen artis Latinos traduxiſſe putarunt.* Hinc *Plato in Memnone*, vt habetur *ibid. in Com.* eiuſdem *capitis*, definiens virtutem acquiſitam inquit: *Nec minùs eſt ars habitus, quo & rectè, & bene viuendo ſumus imbuti, & rectè, beneq; viuimus.* Dicta fuit autem virtus *ab Antiquis* nedum ars, ſed etiam ſcientia bene viuendi, imò etiam prudentia; quia ſicut ars tradit præcepta bene operandi; & ſcientia regulas bene cognoſcendi; & prudentia bene agendi, ita virtus docet modum bene viuendi.

3 Congruenter ad hæc *idem Beatiſs. P. lib. 15. de Ciu Dei c. 22.* definit virtutem dicens: *Virtus*

tus

tus eſt, qua viuitur bene, *& lib.2. de lib. arb. c.* 18., *& ſeq.* poſtquam diſtinxit tres ſpecies bonorum; ſcilicet bona minima, ſine quibus rectè viuere poſſumus, vt ſunt ſenſus corporis; quia ſine oculis poteſt quis rectè viuere; & bona media, ſine quibus rectè nullus viuere poteſt, quanuis ijs viuere poſſit & malè; vt ſunt potentiæ animæ, quæ obediunt rationi, vel ſunt ipſa ratio; & bona ſumma, ſeu magna, quibus rectè viuitur, non tamen malè; vt ſunt virtutes, ait: *Virtutibus nemo malè vtitur*; *& lib. 1. de morib. Eccl. Cath. cont. Manich. c.6.* ait: *Aut igitur virtus eſt præter animam, aut ſi non placet vocare virtutem, niſi habitum ipſum, & quaſi ſapientis animę qualitatem, qua niſi in anima eſſe non poteſt*.

Ex his *Mag. in 2. diſt. 27.* formauit hanc definitionem virtutis: *Virtus eſt (ſicut ait Aug.) bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, & qua nullus malè vtitur*. Addit *Mag. Quam Deus ſolus in homine operatur*; quibus verbis aſſerit virtutem à ſolo Deo infundi; & hoc probat *ex Beatiſs. P. in pſ.118.* vbi ſuper illud: *Feci iudicium, & iuſtitiam*; ait: *Iuſtitia magna virtus animi eſt, quam non facit in homine, niſi Deus*.

5 Ceterùm *Fund. Doct. in 3. diſt.9.p.4.q.4. art.2. §. Ex his* exponens hanc definitionem ait, quòd virtus *eſt bona qualitas mentis, vel à Deo infuſa quantùm ad virtutes infuſas; vel ex operibus generata quantùm ad virtutes ex actibus acquiſitas*. Quòd autem præter virtutes infuſas dentur etiam virtutes acquiſitæ, docet *Beatiſs. P.* innumeris in locis; *& lib.1. de Morib. Eccl. vbiſ.* poſt verba ſuperiùs allata immediatè ſubiungit: *Oportet, vt aliquid aliud ſequatur anima, vt ei virtus poteſt innaſci*; virtutem autem innaſci eſt virtutem generari, vt patet. Vt ergo definitio formata à *Mag.* ex verbis *Beatiſs. P.* verificetur vniuerſaliter de omni virtute tam infuſa, quã acquiſita, not; quòd virtus duo importat, ſcilicet entitatem accidentalem, quæ eſt qualitas; & ordinationem in finem ſupernaturalem, quæ habetur per charitatem. Si loquamur primo modo, tunc virtus, vel eſt infuſa, cùm à Deo illa entitas accidentalis producitur in nobis ſine nobis; vel eſt acquiſita; cùm per noſtros actus à nobis producitur; & in hoc ſenſu definitio *Mag.* non intelligitur generaliter de virtute acquiſita, & infuſa. Si autem loquamur ſecundo modo; tunc omnis virtus ſiue acquiſita, ſiue infuſa eſt à Deo ſine nobis; quia charitas per quã virtus infuſa, & acquiſita ordinatur in Deum, eſt à ſolo Deo ſine nobis; & in hoc ſenſu intelligitur generaliter de omni virtute. De hoc *inf. art. 8.*

6 Hanc definitionem explicat *Fund. Doct. in 2. diſt.27. primis dubijs duodecim*, vbi ait eſſe magis commendabilem, quàm aliæ definitiones; quia datur per omne genus cauſæ. Eam ſequitur *etiam D. Tho., & omnes illius Diſcipuli; ac omnes alij cum Mag.* Explicatur autem ſic. Dicitur *Bona*; per quod virtus differt à vitio. Dicitur *qualitas*, non habitus; quia virtus, cùm primò acquiritur, non habetur per modum habitus, quia tunc eſt faciliter mobilis; ſed habetur per modum diſpoſitionis, imò nequit acquiri per modum habitus, niſi priùs habeatur per modum diſpoſitionis, vnde quia *qualitas* eſt communis habitui, & diſpoſitioni, vt dictum eſt *in ſup. q. art.2.*, ideo ad definiendam virtutem, prout præſcindit ab habitu, & diſpoſitione, ponitur *qualitas*, quæ eſt genus proximum ad illam ſic acceptam; ex quo patet definiri virtutem per genus proximum, non per remotum, vt aiunt *Conet, Gibb., & alij recentes*; quanuis enim habitus ſit genus proximum ad vitium, & virtutem acceptam, prout habitus eſt, non eſt tamen genus ad vitium, & virtutem acceptam, vt præſcindit ad habitu, & diſpoſitione; quia habitus ſic potiùs eſt ſpecies; cùm ſit minùs communis; habitus enim, & diſpoſitio quodammodò diuidunt qualitatem mentis, quæ diuiditur in habitum, & diſpoſitionem; & ideo qualitas eſt genus proximum ad virtutem, vt præſcindit ab habitu, & diſpoſitione; & ſic loquendo de virtute, vt ita præſcindit, non aptiùs, ſed ineptè poneretur *habitus* loco qualitatis. Dicitur *mentis*; idèſt rationis, quæ vel eſt talis per eſſentiam, vel per participationem; vt diximus *in ſup. q. art.8. n.6.* Dicitur, *qua rectè viuitur*; quia virtus ordinatur ad operationem, vt *inf.* Dicitur tandem, qua *nemo malè vtitur*; ad differentiam potentiarum, quæ cùm ſint bona media, poſſunt ad malum, & ad bonum tendere; & ad differentiam habituum, qui ſunt incerti, vt ſunt habitus opinatiui, fides humana &c; qui poſſunt in verum, & falſum; bonum, & malum inclinare. Diximus hanc definitionem eſſe per quatuor cauſas; nam per illa verba: *Bona qualitas*, deſignatur cauſa formalis; per illud *mentis* cauſa materialis; per illa *bene viuitur, & nemo malè vtitur*, cauſa finalis; per illa *ex actibus generata, vel à Deo infuſa* deſignatur cauſa efficiens;

7 Præter allatam definitionem afferuntur etiam tres aliæ *ex Phil.* Definitur enim *2. Eth. c.6. Virtus eſt habitus, qui bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit*. In hac definitione definitur virtus ſolummodo, prout eſt habitus, non autem prout haberi poteſt per modum diſpoſitionis; & traditur per ordinem ad cauſam materialem, quæ eſt ſubiectum, in quo virtus recipitur, & quod ab ea denominatur bonum; ac per ordinem ad ſuum effectum, qui eſt opus bonum. Hanc definitionem tradit *Fund. Doct. in 3. diſt.9.p.1.q.1.art.2.§. His autem*. Hæc definitio poteſt quodammodò naturaliter adaptari omnibus virtutibus; nam licèt virtutes intellectuales habeant pro obiecto verum, quod conuertitur cum bono; & ordinantur ad bonum finem; ideo bonum faciunt habentem, & opus

eius

eius bonum reddunt; nihilominus hæc definitio formaliter ſumpta conuenit ſolùm virtutibus moralibus, quæ habent pro obiecto formali bonum.

8 Præterea *ibid.* definitur virtus moralis *habitus electiuus in mediocritate conſiſtens, vt recta ratio indicabit*; quam pariter definitionem tradit *Fund. Doct. vbiſ. & in Ep. ad Rom. c. 12. lect. 39. §. Circa primum* prope finem; *& Quodl. 3. q. 9.* Hæc definitio, vt *ibid.* notat *Fund. Doct.*, conuenit ſolùm virtutibus moralibus, non intellectualibus, quæ non ſunt electiuæ, cùm electio ſit actus voluntatis; nec Theologicis, quæ circa obiectum primarium non conſiſtunt in medietate, vt *inf. art. 5. n. 13.*

9 Inſuper 3. *Phyſ. c. 3.* definitur *diſpoſitio perfecti ad optimum*; idèſt diſpoſitio potentiæ perfectæ per habitum virtutis ad actum, qui eſt optimum, quia eſt vltimum complementum potentiæ. Vel meliùs *cum Fund. Doct. in 2. diſt. 27. q. 1. art. 3.* dicitur *ad optimum*; idèſt ad Deum, qui eſt finis, in quo quieſcunt omnes virtutes. Hæc quoque poteſt conuenire omnibus virtutibus, vt diximus de prima.

10 Tandem dicitur *vltimum potentiæ*; quod poteſt intelligi de operatione virtutis, vt diximus; & de vltima perfectione ipſius potentiæ per ordinem ad operationem perfectam.

11 Obijc. 1. cont. 1. definitionem. Illa definitio conuenit etiam donis Spiritus S.; ergo non eſt bona 2. Conuenit etiam continentiæ, & perſeuerantiæ, quæ ſunt in voluntate, & non ſunt virtutes, ergo idem 3. Conuenit etiam ſynderesi, quæ pariter non eſt virtus. 4. Poteſt quis malè vti virtutibus, quia poteſt vti religione ad orandum Deum ob vanam gloriam; hinc *Beatiſs. P. in Reg.* ait *ſuperbiam inſidiari bonis operibus; & Phil. 2. Eth. c. 4.* ait multa fieri iuſta, & temperata, non tamen iuſtè, & temperatè. 5. Multi mali habent ſcientias; ergo idem.

Reſp. ad 1. omiſſa reſp; qua dicitur definiri virtutes per rationem communem ipſis, & donis Spiritus S.; ſic enim non eſſet definitio propria, neg. ant; nam dona Spiritus S. nō ſunt qualitates mentis, prout mens eſt actiuè impulſiua in operationem, vt eſt virtus, ſed prout mens in operationem impellitur à Spiritu S. Ad 2. ait *Fund. Doct. lib. 1. de Regim. Princ. p. 2. c. 3*; quòd licèt continentia, & perſeuerantia non ſint virtutes ſtrictè loquendo, quia virtus facit opus delectabiliter; continens autem difficulter ob bellum, quod ei mouet ſenſus; ſunt tamen virtutes diſpoſitiuè; & ideo definitio virtutis latè ſumpta eis conuenit. Ad 3. dicitur, quòd ſicuti intellectus primorum principiorum ſpeculabilium non eſt virtus ſpecialis, quia tradit generaliter omnibus virtutibus ſpeculatiuis principia; ita dicendum de ſynderesi, quæ eſt habitus primorum principiorum moralium. Ad 4. neg. ant. *Ad Beatiſs. P.* dicitur ſuperbiam inſidiari bonis operibus; non quia idem opus ſit ſimul bonum, & malum, ſed quia impedit, ne fiat opus bonum, & ex virtute. *Ad Phil.* dicitur nos poſſe malè vti obiecto virtutis, non actu. Ad 5. dicitur, quòd cùm virtus ſit habitus electiuus ſecundùm rectam rationem, ideo ſcientiæ abutentes ſuis actibus non ſunt veræ virtutes, vt *inf.*

12 Obijc. 2. Virtus dicit puram relationem ad prudentiam, vel ad naturam rationalem; ergo non eſt qualitas, vel habitus.

Reſp. hoc eſſe diſſoluendum in *ſeq.* §.

§. I.

An virtus ſit qualitas, & habitus?

13 S*Cot. in 1. diſt. 17. q. 2; & Quodl. 18. §. De primo; Maior in 1. q. 8. art. 1; & in 3. diſt. 33. q. 2. n. 8; Dur. ibid. q. 2. n. 9; Ariag; & alij* relati *à noſtro Gibb. hìc diſp. 36. dub. 1. n. 4.* putant virtutem non eſſe in genere qualitatis, ſed relationis prædicamentalis opinantes formaliter conſtitui per relationem conformitatis ad rationem, aut coniunctionis cum prudentia, & ideo virtutem non eſſe habitum formaliter, ſed materialiter; & accidere habitui, ſicut habitus accidit potentiæ; & albedo, ac nigredo parieti; & ideo eundem habitum, qui eſt virtus, poſſe tranſire in vitium, & actum bonum migrare in malum, & è contra. Hoc probabile putant *Vaſq; Sal; & Gaſpar. Hurt.*

14 Noſtra ſententia docet virtutem eſſe qualitatem, & habitum eſſentialiter. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 27. q 1. art. 1; & dub. 3; & 4. lit. & communiter omnes alij DD.* Loquimur autem de virtute, prout eſt in nobis, & prout eſt difficilè mobilis à ſubiecto, quia prout eſt faciliter mobilis, eſt diſpoſitio, non habitus.

15 Ratio dubitandi eſt 1. *Phil 7. phyſ. t. 17.* ait: *Virtus autem omnis, & vitium ad aliquid ſunt.* 2. Idem actus, prout eſt qualitas, poteſt eſſe bonus, & malus, vt diximus *to. 3. de Act. hum. q. 5. art. 5*; & ideo bonitas, & malitia accidunt actui, vt qualitas eſt, tanquam differentiæ accidentales, ſicut albedo, & nigredo parietis; ſed habitus dicit eandem entitatem, quam dicit actus; ergo virtus importat qualitatem ſolùm accidentaliter 3. Habitus virtuoſus poteſt fieri vitioſus, ſicut actus bonus poteſt fieri malus, vt offerre ſacrificia ante Chriſti mortem erat actus elicitus ab habitu religionis, & poſt mortem eſt à vitio ſuperſtitionis; ergo virtus ſolùm accidentaliter importat habitum.

16 Not; quòd virtus moralis, cùm ſit terminus complexus, duo eſſentialiter importat; vnum de materiali, aliud de formali. De materiali importat entitatem phyſicam, ſupra quam fundatur moralitas, quæ eſt in aliqua entitate; & iſta entitas dicitur bona, vel mala à moralitate. De formali dicit ipſam moralitatem.

17 Quamuis autem moralitas, vt moralitas,

tas, importat ſolam relationem conformitatis ad principia moralia, & ad obiectum, finem, & circunſtantias eo modo, quo diximus *vbiſ*; quia in hac acceptione non poteſt importare nouam entitatem, quæ, vt ſupra diximus, eſſet phyſica, non moralis; attamen quia virtus moralis non dicit præcisè ſolam rationem moralitatis; ideo quanuis moralitas præcisè accepta non dicat aliquam qualitatem, ſed relationem conformitatis ad dictamen rationis accidentaliter aduenientem entitati phyſicæ, ſupra quam fundatur; nihilominus hoc complexum *virtus moralis* importat eſſentialiter qualitatem cum modo relatiuo ad dictamen rationis; ſicuti ſi conſideretur albedo incomplexè, importat quidem aliquod accidentaliter conueniens ſubſtantiæ; attamen hoc complexum, *paries albus*, importat nedum albedinem, quæ eſt accidens, ſed etiam ſubſtantiam parietis, quæ ſubſternitur albedini; & licèt ſubſtantia parietis incomplexè ſumpta poſſit migrare de albedine ad nigredinẽ; attamen ſubſtantia alba complexè accepta nequit migrare ad nigredinem; quia implicat, quòd albedo fiat nigredo; & ideo quòd album complexè remanendo album fiat nigrum. Ita virtus moralis inclinans ad bene operandum iuxta dictamen rectæ rationis nequit migrare in vitium inclinans ad operandum difformiter ad rectam rationem; quanuis illa qualitas, quæ ſubſternitur rectæ inclinationi ad operandum, poſſit migrare ad peruerſam inclinationem; vt diximus de actu morali *to. 3. vbiſ. art. 5.*

18 Sicut ergo diximus *to. 1. q. 4. proem. art. 1.* Theologiæ habitum formaliter non manere in diſcredente vnum articulum, quia mutatur modus relatiuus ad obiectum ſpecificatiuum formale, quod eſt Deus auctoritatiuè reuelans; manere tamen materialiter, quia manet entitas phyſica, qua tendit in veritates reuelatas, quæ entitas continuatione actuum tendentium in obiectum, quatenus ex proprio genio credibile, fit habitus vitioſus; non quòd idem habitus ſit communis actui virtuoſo, & vitioſo; ita virtus religionis nequit in vitium conuerti; quanuis entitas phyſica ſubſtrata virtuti religionis poſſit deperdere ordinem ad cultum Diuinum, & ſic amittere rationem virtutis; & acquirere ordinationem ad propriam exiſtimationem, & ſic fieri hypocriſis.

19 Quando igitur quæritur, an virtus ſit eſſentialiter qualitas, & habitus; hoc non intelligitur formaliter ſpecificè ita, vt ratio formalis ſpecificatiua virtutis ſit qualitas, & habitus; ſed intelligitur eſſentialiter materialiter genericè ita, vt ratio qualitatis, & habitus genericè ſumpti ſit quid contractum à ratione formali conſtitutiua virtutis eo prorſus modò, quo compoſitum phyſicum importat eſſentialiter materiam, & Petrus ſedens importat eſſentialiter corpus; & paries albus concretè importat eſſentialiter ſubſtantiam parietis. *His not.*

20 Vnica concl. Virtus eſt eſſentialiter qualitas, & habitus.

Prob. 1. *ex Beatiſs. P. locis cit*; vbi ait *virtutẽ eſſe habitum, & quaſi ſapientis animæ qualitatem; & virtutes ſunt, quibus bene viuitur, & nemo male vtitur*; ex quibus ſic. Virtus eſt id, quo quiſque rectè viuit; & quo nemo malè vtitur; ſed id, quo quiſq; rectè viuit, & quo nemo malè vtitur, eſt eſſentialiter qualitas, quæ, ſi ſit firmiter radicata in ſubiecto, eſt habitus; ergo virtus eſt eſſẽtialiter qualitas, & habitus. Ma. patet; quia hic eſt communis conceptus virtutis; quæ propterea ſic definitur *à Philoſophis, & à SS. PP*; qui nomine virtutis communiter intelligunt principium, *quo* vitæ moralis rectè inſtituendæ. Prob. mi. Id, quo quiſque rectè viuit; & quo nemo malè vtitur, nequit eſſe ipſa ſubſtantia; quia ſubſtantia eſt radix bonæ, & malæ operationis; vtraque enim ab illa procedit, tanquam à principio *quod* radicali, & principali; tum quia virtus acquiritur in tempore, cum ſubſtantia autem naſcimur; item nequit eſſe ipſa potentia, quæ pariter eſt principium *quo* bonæ, & malæ operationis, & ideo ipſa bene, & malè vtimur; tum quia potentiæ ſunt innatæ ſimul cum ſubſtantia; item nequit eſſe quantitas molis, quæ non eſt principium operationis vitalis; tandem nequit eſſe relatio, quæ nullius eſt actiuitatis, quia nullius eſt entitatis, cùm non habeat, niſi eſſe ſubiecti; ergo remanet, quòd ſit qualitas, quæ, ſi ſit radicata, habet rationem habitus.

21 Conf. 1. Id, quo bene viuimus, eſt id, quo bene operamur; nam bona, & recta vita in actu ſecundo conſiſtit in bona, & recta operatione; ſed virtus eſt id, quo bene viuimus; ergo virtus eſt id, quo bene operamur; atqui relatio non eſt id, quo bene operamur, ſed eſt aliquid conſequens ad operationẽ, quæ eſt fundamentum illius, vel ratio illam fundandi; ergo relatio non eſt virtus, ſed quid conſequens ad operationem virtutis.

22 Conf. 2. Virtutes ſupernaturales non ſunt puræ relationes prædicamentales, quia ſũt principia actuum ſupernaturalium, qui ſunt de genere qualitatis; relatio autem nequit eſſe principium productiuum qualitatis, quia res fundata nequit producere ſuum fundamentum, quod præſupponitur ad rem fundatam; tum quia relatio nullius eſt actiuitatis; ergo neque virtutes naturales; nam virtutes naturales non ſunt qualitates eo, quia ſunt ſupernaturales, ſupernaturalitas enim, & naturalitas addunt ſupra rem purum modum, & *iuxta Scotum* ordinem ad agens; ideo virtutes ſupernaturales ſunt qualitates; quia ſunt virtutes; ergo idem dicendum de virtutibus naturalibus. Tum quia ſi virtutes, quatenus ſupernaturales, importarent entitatem ſupernaturalem, ſequeretur, quòd etiam virtutes morales, quatenus naturales, importarent enti-

entitatem naturale, eadem enim eſt ratio de vtriſque.

23 Prob. 3. conuellendo aliam rationem *Aduerſariorum*. Quanuis albedo abſtractè ſumpta non importet eſſentialiter ſubſtantiam, quæ illi ſubſternitur; quia ſic accepta dicit ſolam formã, quæ poteſt adeſſe, & abeſſe à ſubiecto; & ideo quę illi merè accidentaliter conuenit; attamen album in concreto importat eſſentialiter nedum albedinem, ſed etiam ſubſtantiam, quia dicit concretum compoſitum ex ſubſtantia, & albedine, ergo à pari quanuis moralitas abſtractè ſumpta non importet qualitatẽ, & habitum, qui illi ſubſternitur; quia poteſt adeſse, & abeſse à qualitate, et habitu; attamen virtus moralis, prout facit concretum compoſitum ex virtute, & moralitate, importat nedum relationem, ſed etiam qualitatẽ, & habitum, in quibus fundatur.

24 Prob. 4. confutando aliam rationem. In tantũ virtus non eſt habitus, & qualitas, in quãtùm qualitas, & habitus ſunt indifferẽtes ad bonitatem, per quam conſtituitur virtus; & ad malitiam, per quam conſtituitur vitium, ſed hoc eſt falſum; & hoc etiam admiſso nõ ſequitur virtutem non importare eſsentialiter qualitatem, & habitum, ergo hoc non obſtante virtus eſt habitus, & qualitas. Prob. 1. pars mi. Habitus ſupernaturales ſunt determinati ad bene operandum; & ſic habitus naturales, v.g. habitus citharizandi eſt determinatus ad bene citharizandum, nam ad malè citharizandum, ſufficit ſola potentia; & ſic de habitu pingendi, ſculpendi &c. ergo falſum eſt habitus eſse indifferentes ad bene, vel malè operandum, dantur enim ad bene operandum, vt de ſe cõſtat. Prob. 2. pars mi. Quanuis materia de ſe ſit indifferens ad hanc, vel illam formã; attamen tale compoſitum ex materia, et forma importat eſsentialiter vtranque, materiã quidẽ, tanquam partem determinabilem, & formam, tanquam partem determinantem, & ſic animal quanuis ſit indifferẽs ad rationale, & irrationale; attamen bono importat nedum rationalitatem, per quam formaliter conſtituitur, ſed etiã animalitatem, quæ conſtituitur per rationalitatem, ergo à pari.

25 Dices. Idem habitus Grammaticæ eſt circa ſermonem congruum, & incongruum, ergo idem habitus eſt indifferens ad bonũ, & malum.

Reſp. *Fund. Doct. vbiſ. dub. lit. 3. Grammaticam* eſse circa ſermonem congruum proſequendo, & circa ſermonem incongruum fugiendo; ſic idẽ habitus bonus eſt circa bonum proſequendo, & ex eo, quòd proſequatur bonũ, fugit à malo, quapropter dicitur determinatus ad bonũ proſecutiuè tantùm.

26 Tandem prob. Per illud, in quo plura ſpecificè diuerſa conueniunt inter ſe, non conſtituuntur formaliter ſpecificè, ſed virtutes morales diuerſificantur ſpecificè, in ordine autem ad prudentiam, ac ad naturam rationalem conueniunt inter ſe, ergo virtutes morales per ordinem ad prudentiam, & ad naturam rationalem non conſtituuntur formaliter ſpecificè. Ma. patet; quia ſolum diſtinctiuum ſpecificum eſt conſtitutiuum formale ſpecificum eorum, quæ ſpecie diſtinguuntur. Mi. etiam conſtat; quia omnes virtutes morales dicunt ordinem ad principia moralia, à quibus regulantur, quæ principia *per Aduerſarios ſunt* prudentia, & natura rationalis.

27 Conf. Omnis res conſtituitur formaliter per ſuum ſpecificatiuum, ſed ſpecificatiuum virtutis eſt ordo, ſeu modus relatiuus, quem dicit ad ſuum obiectum, & ad finem; in tantùm enim iuſtitia v.g. conſtituitur in ſpecie talis virtutis diſtinctæ à qualibet alia; in quantùm ordinatur ad bonum alienum tribuendum ei, qui habet ius ad illud per ordinem ad Deum hoc præcipientẽ; ergo virtus conſtituitur formaliter per ordinem, ſeu modum relatiuum ad ſuum obiectum, & finem, atqui modus relatiuus non eſt relatio prædicamentalis, ſed tranſcendentalis, qui eſt relatio ſecundùm dici, non ſecundùm eſſe, aliter omnis potentia, vt viſiua, auditiua &c., quæ conſtituitur per talem ordinem, eſſet pura relatio; quod eſt inauditum *in Scholis*; ergo virtus, quæ conſtituitur per modum relatiuum ad ſuum obiectum, & finem, non importat puram relationem prædicamentalem ad principia moralia; ſed eſſentialiter importat qualitatem cum modo relatiuo. Sicut autem nullus diceret, quòd voluntas ex eo, quòd importet relationem ad intellectum illam dirigentem, conſtituatur formaliter per talem relationem; conſtituitur enim per modum relatiuum ad ſuum obiectum; ita à pari.

28 Ad 1. rationem dubitandi dicitur virtutem eſſe relatiuum ſecundùm dici, quod eſt abſolutum ſecundùm eſſe; vt dictum eſt de potentijs. Ad 2. dicitur, quòd licèt entitas materialis habitus poſſit ſuſcipere bonitatem, & malitiam; attamen habitus formaliter ſumptus, quia non dicit puram entitatem præciſam, ſed entitatem cum modo relatiuo, a quo determinatur ad bonum, ideo habitus formaliter, & concretè ſumptus nõ eſt indifferens ad bonitatem, & malitiam. Ad 3. ſimiliter diſt. ant. Idem habitus formaliter, et cõcretè ſumptus poteſt fieri de bono malus, neg., eadem entitas materialis habitus, conc. Ad prob. inſert. dicitur, quòd offerre ſacrificia legalia poſt mortem Chriſti Domini non eſt actus religionis, ſed ſuperſtitionis.

§. 2.

An virtus poſſit etiam elicere actus malos?

29 ADuerſarij *cit. in ſup. §. n. 13.* aiunt virtutem poſſe influere etiam in actus malos; imò etiam virtutes Theologicas, de quibus *to. 3. de Act. hum. q. 5. art. 5. §. 1., & ibid.* dictis addimus *B. P. Aug. cont. Iul. lib. 4. c. 3. Fides Chriſti, quę per fidem operatur, ſemper eſt bona.*

 30 *Alij*

30 *Alij* verò, qui nobiſcum fuerunt *in ſup.* §., quamuis *hic* etiam nobiſcum aſſerant poſſe quempiam malè vti materialiter virtutibus; attamen perperam explicant illud materialiter; nā aſſerunt poſſe malè vti virtutibus intellectualibus excepta prudentia; quia poteſt vti ſcientia propter inanem gloriam; cùm enim rectitudo virtutum intellectualium ſit purè phyſica,& tantùm in ordine ad verum; ideo ex proprio genere non determinatur ad vſum moraliter bonum; adeoque eis non repugnat ex imperio voluntatis prauè ordinari; non enim illis repugnat malitia moralis, ſed falſitas. *Ita noſter Gibb. hic diſp. 36.dub.2.§.1.n.4;* vbi aſſerit hoc ſentire *communiter Doctores.*

31 Noſtra tamen ſententia docet, quòd licèt quis poſſit malè vti materialiter obiectiuè, quatenus poſſunt eſſe materia, circa quam verſatur actus malus; vt quis conſiderans ſe alios ſapientia antecellere, poteſt ſuperbire & inaniter gloriari; & hoc non ſolùm verificari de virtutibus intellectualibus, ſed etiam de ipſa prudentia,quæ eſt virtus media inter intellectuales, & morales; nec non de virtutibus moralibus; imò non ſolùm naturalibus, ſed etiam ſupernaturalibus; attamen nemo poteſt malè vti virtutibus effectiuè;vt v.g. elicere actum ſcientiæ,prout eſt vera virtus,ob prauum finem; hoc enim non eſt vti obiectiuè, & materialiter, tanquam materia *circa quam*; vt intelligendi ſunt *Doctores antiqui*; ſed eſt vti materialiter effectiuè; quatenus ſcientia coniunctionem habet, cum praua ordinatione voluntatis, in quo ſenſu explicant *materialiter*; ſicut *muſicus dicit materialiter ædificare* ex coniunctione,quam habet *muſica cum architectura*; à qua praua inclinatione motus intellectus prorumpere in actum ſcientiæ, & ſapientiæ;ad quem actum imperatum à voluntate, & prauè ordinatum effectiuè concurrunt virtutes;& in hoc maximè hallucinantur *Recentes* rem ſic explicantes. Noſtram tamen ſententiam, vt à nobis explicatam docet *Fund. Doct. in 2. diſt.27. dub.7. lit.* aſſerens: *Materialiter tamen virtutes poſſunt eſſe materia elationis; nam cùm quis in conſpectu ſuo materialiter, & obiectiuè conſiderat de virtutibus, ex quibus videt ſe excellentiorem alijs, poteſt eſſe,quòd inde in ſuperbiam ſurgat; pro cuius maiori explic.*

32 Not. aliud eſſe,quòd voluntas mala poſſit imperare actum virtutis, & cogere illam potentiam, in qua reſidet virtus ad eliciendum mediante habitu virtutis actum virtuoſum per ordinem ad prauum finem, quem ſibi præfixit ipſa voluntas;& aliud, quòd voluntas poſſit gloriari de actibus virtutis aliàs elicitis,vel eliciendis, & elationem ſui concipere. In primo ſenſu actus virtutis eſſet malus formaliter; in ſecundo autem actus virtutis eſſet tantùm obiectum, ſeu materia, circa quam verſaretur voluntas mala, inordinatè illam appetens; & in hoc ſenſu tantùm aſſerunt *Fund. Doct.* & *antiqui DD.* poſſe voluntatem abuti virtutibus materialiter obiectiuè; non autem formaliter effectiuè. *Hoc ſupp.*

33 Vnica concl. Virtus nequit formaliter influere, niſi in actus bonos.

Prob. 1. *ex Beatiſs. P. lib. 2. de lib. arb. c. 19.*, vbi poſtquam dixerat in homine eſſe vitam beatam, quæ eſt magnum, & primum bonum, repetens definitionem uirtutis ſubdit: *In eo ſunt etiam virtutes omnes, quibus malè vti nemo poteſt*; & ſtatim exemplificat de ſapientia, quæ procul dubio eſt uirtus intellectualis, & de prudentia,quæ eſt uirtus media dicens: *Nam hæc quamuis magna in homine, & prima ſint,propria tamen eſſe vniuſcuiuſq; hominis, non communia, ſatis intelligitur, veritate enim, atq; ſapientia, quæ communis eſt omnibus, omnes ſapientes, & beati fiunt inhærendo illi, beatitudine autem alterius hominis non fit alter beatus, quia & cùm eum imitatur, vt ſit, inde appetit beatus fieri, vnde illum factum videt, illa ſcilicet incommutabili, communiq; veritate. Neque prudentia cuiuſquam fit prudens alius, aut fortis fortitudine, aut temperans temperantia, aut iuſtus iuſtitia hominis alterius quiſquam efficitur, ſed coaptando animum illis incommutabilibus regulis, luminibuſque virtutum, quæ incorruptibiliter viuunt in ipſa veritate, ſapientiaq; communi, quibus & ille coaptauit, & fixit animum, quem iſtis virtutibus præditum ſibi ad imitandum propoſuit.* Ex quibus patet ſapientiam, et prudentiam collocari inter uirtutes, quibus aſſeruerat neminem poſſe malè uti. Hoc tradit etiam *Phil. 1. Reth.*, ubi ait, quòd exceptis uirtutibus, quibus non poſſumus malè uti, alijs bonis poſſumus bene, et malè uti; ut fortitudine corporis, ingenio, & alijs dotibus naturalibus.

34 Primam autem rationem huius tradit *in Regula* nobis præſcripta *c. 5.* dicens: *Alia quippe quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant; ſuperbia verò etiam bonis operibus inſidiatur, vt pereant.* Idèſt iniquitas, ſeu uitium, aut praua inclinatio eſt principium, quo fiunt mala opera; ſuperbia uerò inſidiatur etiam operibus bonis,ut deperdantur; quod dupliciter poteſt intelligi, 1. Ita, ut illa opera ſint præſuppoſitiuè facta, & ſint ſolummodò obiectum ſuperbiæ, quæ propterea illis inſidiatur, quia cùm ſuperbia ſit peccatum mortale, quòd habet mortificare omnia opera bona antecedentia; ideo inſidiatur bonis operibus jam factis, ut pereant, & deperdantur. 2. Ita,ut illa opera effectiuè fiant ex motiuo ſuperbiæ; & ſic ſuperbia illis inſidiatur efficiendo eſſe opera mortua,& mala ex fine. Ex quibus ſic. Superbia deſtruit bonitatem actuū, quos non cauſat,et ad quos tantummodo terminatur, tanquam ad obiectum, ergo multò magis deſtruit bonitatem actuum, quos cauſat motiuè. Ant. patet ex dictis, nam ſuperbia, & quæcunque alia inclinatio mortaliter prima nequit ſtare ſimul cū actibus bonis. Prob. conſ. In tātum ſu-

ſuperbia deſtruit opera bona, quæ non cauſat, in quantum nequit ſtare ſimul cum illis; ſed multò minùs poteſt ſtare ſimul cum operibus, ad quæ effectiuè concurrit; quia magis vnitur cum operibus, quæ efficit, quàm cum illis, quæ non efficit; nam cum operibus, quæ efficit, vnitur formaliter per ſuum actum; actus enim v.g. liberalitatis ex motiuo ſuperbiæ nedum eſt actus liberalitatis, ſed etiam ipſius ſuperbiæ, quia eſt etiam motiuè à ſuperbia; cum operibus autem, quæ non efficit, vnitur tantùm terminatiuè, quatenus ad illa terminatur, vt viſio ad parietem; ergo multò magis deſtruit bonitatem actuum, quos cauſat; nam quò maior eſt vnio contrariorum, eò potior eſt deſtructio.

35 Prob. 2. præcipuè de virtutibus intellectualibus *ex Fund. Doct. in* 1. *diſt.* 15. *p.* 2. *princ.* 1. *q.* 2. §. *Reſpondeo*; vbi habet: *Nam politica virtus, quę perficit intellectum, nunquam eſt ſine virtutibus, quæ perficiunt appetitum. Huius ratio haberi poteſt ex eo, quod dicitur* 7. *Eth., quòd malitia eſt corruptiua principij: eſt enim omnis malus ignorans, vt ſcribitur* 3. *Eth.* Et paulò poſt. *Nam à fine ſumitur omnis ratio agendi, & quia mali indicant eſſe finem, quod non eſt finis, de neceſſitate conſequitur eos error. Et ſicut prudentia eſt connexa virtutibus perficientibus appetitum eò, quòd malitia eſt corruptiua principij, ſiue cognitionis finis, & reddit hominem ignorantem; ita virtutes aliæ ſunt connexa prudentia eo, quòd prudentia eſt regula agendorum. Et inf. Sap.* 1. *In maleuolam animam non intrabit ſapientia, non habitabit in corpore ſubdito peccatis*; hinc *Apoſt.* 1. *Cor.* 8. ait: *Scientia inflat, charitas verò ædificat.* Ex quo ſic. Veritas, vt ordinata ad creaturam, tanquam ad vltimum terminum, non eſt veritas, ſed falſitas; quia creatura, ſicut non eſt primum principium, & prima regula veritatis; ita nec eſt vltimus terminus illius; ſed veritas intellectualis ordinata ad vanam gloriam ordinatur ad creaturam, tanquam ad vltimum terminum; ſicut bonitas moralis ſic ordinata ordinatur ad creaturam, tanquam ad vltimum terminum; nam veritas, & bonitas ordinata ad vanam gloriam deordinant à Deo, quia ad Deum ordinatur ſolùm veritas, & bonitas ordinata ad humilitatem; & ideo nequit ad illum ordinari eius oppoſitum; ergo veritas intellectualis ordinata ad vanam gloriam non eſt veritas, ſed falſitas; atqui virtutes intellectuales determinantur ſolùm ad actus veros, quia ad actus falſos datur habitus erroris; hinc docet *Beatiſs. P., & Phil.*, quòd virtus eſt veluti altera natura; quia eſt ad unum determinata, ſicut natura; ergo virtutes intellectuales nequeunt ordinari ad malum uſum; & ideo non poſſumus illis abuti.

35 Vrgetur magis. Virtutes ſiue intellectuales, ſiue morales ſunt determinatæ, & limitatæ ad eliciendos ſolùm actus bonos morales, ergo non poſſumus illis malè uti. Prob. 1. pars ant. Virtutes intellectuales determinant intellectum ad rectam operationem ordinatam ad ueritatem ſuorum obiectorum; ſunt enim formæ intellectus; & ſicut forma ſubſtantialis determinat materiam, quæ ſecundum ſe eſt indifferens, ad talem ſpeciem; ita virtutes, quæ ſunt formæ intellectus, qui ſecundùm ſe eſt potentia indifferens ad veritatem, vel falſitatem; & ad rectitudinem, vel obliquitatem ſuarum operationum, determinant ad rectam operationem ordinatam ad veritatem ſuorum obiectorum; aliter ſi virtutes eſſent indifferentes ad veritatem, vel falſitatem; rectitudinem, vel obliquitatem, vel non diſtinguerentur ab ipſo intellectu, qui importat eſſentialiter talem indifferentiam; ſicut ſi daretur in materia aliquod indifferens ad omnem formã, non diſtingueretur eſſentialiter ab ipſa materia, quæ ſecundùm ſuam eſſentiam importat talem indifferentiam; vel ad nihil inſeruirent; quia præciſis virtutibus intellectus habet potentiam indifferentem ad veritatem, & falſitatem, ac ad rectitudinem, & obliquitatem ſuarum operationũ; tum quia ſi alij habitus determinãt potentiam ad rectam operationem; habitus enim citharizandi, v.g. datur ſolùm ad rectè citharizandum, vt conſt. à fortiori hoc dicendum eſt de virtutibus intellectualibus; ſed recta operatio ordinata ad veritatem eſt moraliter bona; recta namq; operatio eſt ex electione; non enim neceſſariò acquirimus virtutes intellectuales, ſed liberè; & operatio facta ex electione eſt regulata à prudẽtia, quę eſt ratio regulans omnes actiones liberas; per ordinem autem ad prudentiam ſumitur bonitas moralis *per Scotum*; ergo virtutes intellectuales ſunt determinatę ad eliciendos ſolos actus moraliter bonos. Et ex hoc patet 2. pars maior; nam virtus moralis definitur *habitus electiuus in mediocritate conſiſtens*; ſed electio regulatur à prudentia, quæ nequit declinare ad malum, ſic enim deficeret à ratione prudentiæ, & eſſet imprudentia, ergo neque virtus moralis poteſt ad malum declinare. Tum quia ſicut prudentia eſt connexa virtutibus moralibus perficientibus appetitum; quia *malitia eſt corruptiua principij*; ita virtutes intellectuales connectuntur prudentiæ, quia prudentia eſt regula omnium actionum, quæ fiunt ab agente intellectuali; ergo non poſſumus malè vti virtutibus ſiue intellectualibus, ſiue moralibus.

37 Tandem ſi virtutibus vti malè poſſemus, & bene, ſequeretur, quòd virtutes non eſſent magna bona, ſed media; quia ſolis bonis medijs malè, & benè vti poſſumus; bonis autem magnis bene tantùm vti valemus, vt docet *Beatiſs. P. de lib. arb. vbiſ.*, ſed bona media ſunt potentiæ, ergo virtutes eſſent potentiæ. Tum quia ſi virtutibus bene, & malè vti poſſemus, non darentur habitus vitioſi oppoſiti virtutibus, quia virtus poſſet exercere actus bonos, & malos, ſed hoc dici nequit, ergo neque iſtud. *Vid. to.* 3. *de Act. hum. q.* 5. *art.* 5., & §. 1., & 2.

38 Dices, Ex hac doctrina ſequeretur virtutes intellectuales eſſe virtutes morales, quia elicerent actum moraliter bonum, qui nequit eſſe, niſi à virtute morali; hoc autem eſt falſum; aliter virtutes non diuiderentur in intellectuales, & morales; membra enim diuidentia debent ſe inuicem excludere, vt aiunt *Logiculi*.

Reſp. neg. ſeq; virtutes enim intellectuales eliciunt actum verum formaliter, qui nequit eſſe talis, niſi etiam ſit bonus materialiter.

39 Obijc. 1. *Fund. Doct. de Regim. Princ. lib. 1. p. 2. c. 2.* ait: *Nam prudentia non eſt, niſi in hominibus bonis, ſicut nec virtutes morales; praui enim homines etſi poſſunt eſſe ſcientes, aſtuti, & verſipelles, prudentes tamen eſſe non poſſunt*, & *in 2. diſt. 15. 2 bis. Licèt igitur homines mali aliquam induſtriam, vel verſutiam habere poſsint, vel aliquam ſcientiam ſpeculatiuam: prudentiam tamen, quæ eſt regula agendorum, habere non poſſunt*; ergo poſſumus malè vti virtutibus ſpeculatiuis. 2. Virtutes intellectuales determinant ſolùm ad verum, non ab bonum; quia habent pro obiecto veritatem, non bonitatem; ergo poſſunt ſimul ſtare cum malitia morali; nam adhuc poſita malitia morali ſaluatur ſpecificatiuum formale ſcientiæ; & ſaluato ſpecificatiuo formali ipſius rei ſaluatur formaliter ipſa res; ergo poſſumus malè vti virtutibus intellectualibus.

Reſp. ad 1. ſcientiam in prauis hominibus non eſſe virtutem, ſed aſtutiam, verſutiam, & fraudulentiam; vt habet *B. Doct.* verbis allatis. *Ideo in 2. diſt. 27. q. 1. art. 3. ad 3.* ait; *quòd virtutes intellectuales, vt ſcientia, & actus, habent mali ſine gratia; ſed non ſunt vera virtutes, niſi ordinentur ad Deum.* Ad 2. eodem modo diſt. ant. Virtutes intellectuales determinant ſolùm ad veritatem, formaliter, conc; materialiter, neg; Ad prob. inſert. dicitur, quòd licèt ſpecificatiuum formale ſcientiæ, quatenus ſcientia eſt, ſit veritas; attamen hoc ſpecificatiuum formale nequit eſſe verum niſi etiam ſit materialiter bonum, quia verum, & bonum conuertuntur.

49 Obijc. 2. Poteſt quis ex inani gloria elicere actus temperantiæ, & alterius virtutis; ergo virtus poteſt effectiuè concurrere ad actus malos.

Reſp. illos actus non eſſe actus virtutis, ſed potentiæ inclinantis in malum; cuius ſignum eſt; quòd illos actus non elicit delectabiliter, ſed cum triſtitia; habet enim repugnantem voluntatem, quæ illos non eliceret, niſi moueretur à fine inanis gloriæ.

Inſt. *cum Arriag.* Repetitione actuum virtutis non ſolùm afficitur quis circa obiectum formale, ſed etiam circa obiecta materialia; ergo etiam ablata bonitate, quæ eſt obiectum formale virtutis, adhuc remanet facilitas ad tendendum in obiecta materialia; vt qui aſſuetus fuit faciliter exercere opera ex virtute liberalitatis, illa etiam faciliter exercet ex inani gloria; ſed illa facilitas nequit eſſe habitus vitioſus, quia habitus non acquiritur, niſi pluribus actibus; ergo eſt habitus virtutis.

Reſp. diſt. ant. Non ſolùm afficitur circa obiectum formale, ſed etiam circa obiecta, prout ſubſunt obiecto formali, conc; prout non ſubſunt obiecto formali, neg. Ad conſ. dicitur, quòd ablata virtute inducitur triſtitia, à qua retardatur voluntas ad exercenda illa opera, & ideo non remanet facilitas, nec delectabilitas, quam virtus importat. Vel dicitur *cum Fund. Doct. in 2. diſt. 27. vbiſ. dub. 7. lit*; quòd virtus concurrat per accidens ad actus malos; ſicut calor per accidens habet infrigidare, quatenus aperit poros, per quos ſubintrat frigus; ſic virtus concurrit ad actus malos, quatenus reddit potentiam expeditam ad producendos tales actus remouendo impedimenta; quæ remotio impedimentorum remanet etiam poſt deſtructionem virtutis, & ideo faciliter potentia elicit illos actus etiam ex prauo motiuo.

42 Obijc. 3. *cum eodem.* Virtus moralis ita eſt determinata ad bonum; ſicut intellectualis ad verum; ſed hæc concurrit ad actus falſos; nam ex vna præmiſſa vera, & ſcientifica; & ex altera falſa oritur aſſenſus concluſionis falſus; quia concluſio ſequitur debiliorem partem; ad aſſenſum autem concluſionis effectiuè concurrit vtraque præmiſſa; & ideo etiam præmiſsa ſcientifica concurrit ad actum falſum; ergo & virtus moralis concurrit ad actus malos.

Reſp. neg. mi. Ad prob. inſert. dicitur unam præmiſsam non cauſare aſsenſum concluſionis, niſi quatenus coniungitur cum altera præmiſsa; ex vtraque enim integratur cauſa concluſionis; vnde cùm præmiſsa ſcientifica, & certa ſecundùm ſe verè non coniungatur cum præmiſsa falſa; quia *non eſt conuentio lucis ad tenebas*; ideo illa præmiſsa, quanuis vera ſecundùm ſe; attamen non concurrit, vt vera, ſed vt falſa. Idem diceretur de præmiſsa de fide, & falſa.

43 Obijc. 4. Poteſt prudentia concurrere ad actum ſaltem ſpeculatiuè falſum; vt in caſibus ex ignorantia inuincibili ortis; v.g. cùm quis exiſtens in bello videns hominem veſtitum inſignibus exercitus inimici ex dictamine prudentiæ judicantis illum eſse occidendum, tanquam inimicum, illum occidit; & tamen ille eſt Pater, qui nec eſt inimicus, nec occidendus; & idem dicitur de accedente ad mulierem non ſuam inuincibiliter iudicante eſse ſuam: ergo virtus poteſt concurrere ad actum malum.

Reſp. neg. conſ; nam ille actus in caſibus allatis non eſt malus moraliter, quia ignorantia inuincibilis excuſat à peccato; & ideo etiam falſitas inuincibilis excuſat à malitia; unde ſicuti ſola ignorantia vincibilis, ita ſola falſitas, aut error vincibilis malitiam inducit in actum.

44 Obijc. 5. Idem habitus reſpicit bonum, & malum; vt Grammatica ſermonem congruum,

& incongrua; ſed virtus eſt habitus; ergo reſpicit bonum, et malum.

Reſp. *Fund. Doct. in 2. vbi ſ. dub. 3. lit.* diſt. ma. Idem habitus reſpicit bonum per modum proſecutionis, & malum per modum fugæ, conc., vtrunque per modum proſecutionis, neg. Virtus ergo reſpicit malum, a quo auertit; & bonum, ad quod inclinat; cùm autem per virtutem fugimus à malo, non abutimur, ſic bene vtimur virtute.

A R T. II.

Aſſignantur variæ diuiſiones virtutum.

1 Explicata definitione virtutis, *vt ſic* procedimus ad declarandas illius diuiſiones; ex quibus deueniemus in notitiam virtutum in ſpeciali. Et ſuppoſita diuiſione virtutis in ſupernaturales Theologicas, quæ ſunt fides, ſpes, charitas, de quibus ſuo loco; & morales, de quibus *hic* agimus.

2 Virtus 1. diuiditur in heroicam, quæ vocatur etiam Diuina, & communem. *Ita Fund. Doct. in Ep. ad Rom. c. 1. lect. 5.* circa initium, *& Quodl. 3. q. 9., & de Regim. Princ. lib. 1. p. 2. c. 4.* Heroica eſt illa, quæ facit hominem bonum ſupra modum communem hominum; & facit ipſum tranſcendere ſtatum proprium ipſius; quapropter pollentes hac virtute *Semideos* appellare cõſueuit antiquitas. Dicitur etiam ſuperuirtus, ſeu exceſſus virtutis. Denominatur autem heroica ab *Heros* eò, quòd habeat ſub perfecto dominio omnes paſſiones. Vitium oppoſitum virtuti heroicæ eſt beſtialitas, quæ facit hominem malum infra ſtatum communem hominum malorum; vt refert *Fund. Doct. Quodl. cit.* de quibuſdam hominibus habitantibus *circa Pontum*, qui, cùm eis naſcebatur filius, ipſum mactabant, & illius carnibus conuiuium parabant amicis; & aliquando etiam, cùm filium non habebant, à vicinis mutuabant, ſpondentes filium naſciturum ſe reddituros; & de quadam muliere refert *Phil. apud eundem Fund. Doct. ibid.*, quòd cùm ſterilis eſſet, omnes mulieres prægnantes aggrediebatur, ventroq; earum reſciſſo pueros eorum comedebat. Communis eſt, quæ facit hominem bonum iuxta ſtatum ordinarium hominum; vt ſunt omnes virtutes in gradu ordinario conſideratæ. De hac diuiſione agit *Phil. 7. Eth. c. 1.* Sed hæc eſt diuiſio virtutis latè ſumptæ; *vt inf.*

3 Diuiditur 2. in intellectualem, moralem, et mediam. *Ita Fund. Doct. Quodl. 4. q. 18. & lib. 1. de Regim. Princ. p. 2. c. 2., & ſæpe alibi, & Phil. 1. Eth. c. 13.* Intellectualis eſt, quæ inclinat potentiam intellectiuam ad aſſenſum verum per ordinem ad bonum finem, vt *ſuperiùs* dictum eſt; et per hoc excludũtur opinio, ſuſpicio, dubietas, fides humana, et alij habitus intellectus, quibus poteſt falſũ ſubeſſe, et ideo nõ ſunt virtutes, ſed potiùs diſpoſitiones ad virtutes. Iſtæ autem ſubdiuidi ſolent in habitum primorum principiorum, ſapientiam, ſcientiam, prudentiam, et artem; et iſtæ in ſuas ſpecies; vt habitus primorum principiorum in habitum principiorum ſpeculabiliũ, et practicorum, qui eſt ſynderesis; ſapientia in Diuinam, quæ eſt Theologia; et humanam, quæ eſt metaphyſica; ſcientia in philoſophiam, et mathematicam, et hæc in ſuas ſpecies; ars in ſeptem artes liberales, et ſeptem ſeruiles; *ſed de his ad Phyſicos.* Moralis eſt illa, quæ ſubiectatur in appetitu rationali, vel ſenſitiuo, et ordinatur ad bonos mores; vt iuſtitia, temperantia &c.

Media eſt illa, quæ reſidet in intellectu practico; vt prudentia, & eius ſpecies, quæ licèt fundetur in intellectu, attamen non eſt ſimpliciter intellectualis, quia fundatur in intellectu practico, & eſt regula omnium virtutum moralium; & ideo eſt media inter virtutes intellectuales, quæ fundantur in intellectu ſpeculatiuo; & morales, quæ fundantur in appetitu rationali, et ſenſitiuo.

4 Quæres; an virtutes intellectuales ſint virtutes ſimpliciter?

Reſp. *noſter Gibb. hic diſp. 38. dub. 1. num. 2.* virtutes intellectuales eſſe virtutes tantùm ſecundùm quid, non ſimpliciter; et ait hanc eſſe communem *Theologorum* ſententiam; quam probat dupliciter. 1. Quia virtutes intellectuales ſecundùm ſe non faciunt habentem ſimpliciter bonum; non enim dicitur ſimpliciter bonus homo ex eo, quòd ſit Philoſophus; ſed tantùm dicitur ſecundùm quid bonus; ſcilicet bonus Philoſophus. 2. Quia non reddunt actum ſimpliciter bonum bonitate morali; vnde licèt actibus virtutum intellectualium repugnet falſitas; non tamen repugnat malitia moralis, quia poſſumus illis abuti. 3. Ex *Gonet hic diſp. 2. art. 1.* Illa eſt virtus ſecundùm quid, quæ tribuit potentiæ modum bene operandi, non tamen bonum vſum per ordinem ad bonum honeſtum; huiuſmodi autem eſt virtus intellectualis.

5 Ceterùm dicendum videtur eſſe virtutes ſimpliciter; quia eis ſimpliciter conuenit prima, et potior definitio virtutis; ſcilicet: *Eſt bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, & nemo malè vtitur*; vt explicatum eſt *in ſup. art. §. 2. n. 27. & 41.* Tum quia ſicut virtutes morales ſunt virtutes ſimpliciter ex eo, quòd faciant habentem bonum bonitate morali, et opus eius moraliter bonum, ita virtutes intellectuales ſunt virtutes ſimpliciter ex eo, quòd faciant habentem rectum rectitudine intellectuali, et actus eius intellectualiter rectos. Tum quia ſicut virtus moralis eſt ſimpliciter virtus, quanuis non faciat habentem bonum bonitate intellectuali, temperantia enim v.g. facit hominem moraliter bonum, non tamen facit bonum Philoſophum, aut bonum mathematicum, aut Theologum, ita quanuis virtus intellectualis non faciat habentem bonum bonitate morali, attamen eſt virtus ſimpliciter in-

intellectualis ; quia facit habentem bonum bonitate intellectuali. Tum quia ſicut virtutibus moralibus abuti non poſſumus effectiuè, ſed tantùm obiectiuè, ita de virtutibus intellectualibus, vt *ſup.* probatum eſt.

6 Ad rationes autem in contrarium dicitur ad 1; quòd illa definitio formaliter conuenit ſolis virtutibus moralibus, licèt poſſit appropriari etiam virtutibus intellectualibus, ſi *ly bonum* ſumatur, prout idem eſt, ac *rectum. Vid. in ſup. art. n.7.* Ad 2. neg; quòd virtutibus intellectualibus poſſimus effectiuè malè vti; vt dictum eſt. Ad 3. neg. aſſumpt; nam virtus, quæ tribuit modum bene operandi, non tamen per ordinem ad bonum honeſtum formaliter tanquam ad obiectum, eſt virtus intellectualis, vnde aſſumitur idem ad idem. Igitur quia virtus intellectualis non eſt formaliter ad bonum honeſtum, tanquã ad obiectum, ideo non eſt moralis; non tamen per hoc ſequitur nõ eſſe virtutem ſimpliciter; eſt enim ad finem ſimpliciter bonum, à quo deſumitur ratio virtutis ſimpliciter.

7 Diuiditur 3. virtus moralis in duodecim virtutes; quarum quatuor ſunt cardinales, & principales; & reliquæ eis dicuntur annexæ. Cardinales ſunt prudentia, iuſtitia, fortitudo, & temperantia; annexæ verò ſunt honoris amatiua, quæ *Gracè* dicitur *Philotomia*, magnanimitas, liberalitas, magnificentia, manſuetudo, veritas, ſeu ingenuitas, affabilitas, & eutrapelia. *Ita Fund. Doct. l. b. 1. de Regim. Princ. p. 2. c. 3., & ſeq;* & colligitur hæc diuiſio *ex Phil. 2. Eth. c. 7.* Ratio huius diuiſionis eſt. Virtus moralis verſatur circa ea, quæ ſunt in noſtra poteſtate; verſatur enim circa ea, quæ poſſunt bene, vel malè fieri à nobis; & ideo circa ea, intra quæ poſſumus ponere medium illa rectificans, quod medium eſt virtus moralis, quæ definitur *habitus in medietate conſiſtens*; ſed ea, quæ ſunt in noſtra poteſtate, intra quæ poſſumus ponere medium, ſunt tantùm tria; intra quæ poſſumus ponere tantùm duodecim media; ergo tantùm duodecim ſunt virtutes morales. Ma. patet. Prob. mi. Ea, quæ ſunt in noſtra poteſtate, ſunt tantùm ratio, paſſiones, & operationes exteriores; ſed illud, quod rectificat rationem, eſt prudentia; illud verò, quod rectificat, & æquat operationes exteriores, eſt iuſtitia; & illud, quod rectificat paſſiones, ſunt aliæ decem virtutes enumeratæ; nam vel paſſiones ſurgunt ex malo, vel ex bono? Si ex malo, vel ex malo futuro; vt audacia, quæ malum non aggrediendum aggreditur; & timor, qui malum fugit non fugiendum; & ſic inter has duas paſſiones eſt fortitudo, quæ moderatur timorem, ne fugiat non fugiendum; & audaciam, ne aggrediatur non aggrediendum; quilibet enim conſiderans ſuas vires cognoſcit, an poſſit vincere, & ſuperare illud malum, vel non; & ſic per virtutem fortitudinis aggreditur, quod eſt aggrediendum; & non aggreditur, quod non eſt aggrediendum. Vel ſurgunt ex malo præſenti vindicando, vel non vindicando; vt ira, & lenitas; & inter iſtas eſt manſuetudo, quæ moderatur iram, quando non eſt iraſcendum; & moderatur lenitatem, quando non eſt tacendum. Si paſſiones ſurgunt ex bono; vel ex bono in ſe, & abſolutè; vel ex bono comparatiuè, prout communicamus cum alijs? Si primum; vel ex bono delectabili, & ſic eſt temperantia; vel ex bono vtili; & hoc dupliciter; vel illud bonum vtile eſt mediocre; & ſic eſt liberalitas, quæ eſt circa mediocres ſumptus; vel eſt bonum magnum, & arduum; & ſic eſt magnificentia, quæ eſt circa magnos ſumptus; vel ex bono honeſto; quod pariter, vel eſt mediocre, & ſic eſt honoris amatiua; vel eſt magnum; & ſic eſt magnanimitas, quæ eſt circa magnos honores. Si ex bono comparatiuè, prout communicamus cum alijs; vel prout cum alijs communicamus verbis, & factis per ordinem ad veritatem; & ſic ſumitur veritas, ſeu veracitas, aut ingenuitas; *hìc* enim ſumitur veritas, prout contradiſtinguitur à duplicitate, hypocriſi, & iactantia; & non facit hominem apertum, ingenuum, & ſincerum; qui verbis, & factis exteriùs ſe oſtendit, qualis re vera eſt interiùs. Vel prout communicamus verbis, & factis in ijs, quæ faciunt ad conuerſationem vitæ; & ſic eſt affabilitas, quæ contradiſtinguitur ab adulatione. Vel tandem communicamus in verbis, & actionibus, quæ animum relaxant, & recreant; & ſic eſt eutrapelia; qua quis moderatè ſe vertit ad ludicra, quando oportet; vt non ſit hiſtrio, & mimus, qui in omnibus velit ludere; nec agreſtis, & rudis, qui nunquam velit iocosè diſcutere, vel ludere; *Eutrapelus* enim *Grecè* idem eſt, ac *bene ſe vertens*, vt ludat, vel non ludat, quando expedit; vnde *Eutrapelia* idem eſt, ac bona verſio; ſed præter iſtas non eſt excogitabilis alia virtus, quæ ad iſtas non reducatur, & non ſit ſpecies iſtarum; ergo ſunt duodecim virtutes morales.

8 Prob. 2. eadem diuiſio *à Fund. Doct. vbiſ.* Omnis virtus moralis tendit in bonum rationis; eſt enim *habitus electiuus ſecundùm rationem*; ſed in bonum rationis non tendit, niſi quatenus ipsã rationem perficit; & ſic eſt prudentia, quæ perficit intellectum, in quo fundatur; vel quia efficit ipſum bonum exteriùs à ratione præſcriptũ; & ſic eſt iuſtitia, quæ habet æquare bona exteriora, & efficere illa bona exteriora æquè, ac ratio dictat; vel quia bonum cuſtodit, & conſeruat; & ſic ſunt alię decem virtutes enumeratæ; quę moderando paſſiones efficiunt, ne homo abducatur à bono rationis; & ita illud cuſtodire, & conſeruare dicuntur; ergo ſunt duodecim virtutes morales.

9 Ex his autem duodecim virtutibus (inquit *Fund. Doct.*) vna, nempe prudentia, eſt in intellectu; altera, nempe iuſtitia, eſt in volun-

tate;

Digitized by Google

tate; quatuor, nempe fortitudo, manſuetudo, magnanimitas, & magnificentia ſunt in iraſcibili; & ſunt circa bonum, & malum arduum; reliquæ ſex, ſcilicet temperantia, liberalitas, honoris amativa, veracitas, affabilitas, & eutrapelia ſunt in concupiſcibili; quia ſunt circa bonum, & malum præſcindens ab arduitate.

10 Quatuor autem ex his duodecim virtutibus ſunt cardinales, ſeu principales; ſcilicet prudentia, iuſtitia, fortitudo, & temperantia; & reliquæ octo dicuntur annexæ, ſicut dictum eſt *q. de Paſſionibus art.1. Ita Fund. Doct. de Regim. Princ. vbiſ. c. 5.* Primæ quatuor autem dicuntur cardinales; quia ſicut cardini innititur oſtium, per quod domum ingredimur; ita illis quatuor virtutibus innituntur aliæ virtutes annexæ, quibus ad vitam beatam progredimur; & ſicut (inquit *Fund. Doct. in 1. diſt. 1. princ. 1. q. 2. in corp.*) cardo, quo innititur oſtium, quietem non importat; ita virtutes morales cardinales, cùm habeant pro obiecto bonum creatum, quod eſt mobile, in illo non quieſcunt; in quo diſtinguuntur à virtutibus Theologicis, quæ habent pro obiecto Deum, in quo, cùm ſit ſimpliciter immobilis, vltimatè quieſcunt.

11 Triplici autem ratione probat *Fund. Doct.* ſolas quatuor allatas virtutes eſſe cardinales, & reliquas annexas. Prima eſt. Omnis virtus vel rectificat rationem, vel æquat operationes; vel moderatur paſſiones; ſed virtus principaliter rectificans rationem eſt prudentia, quæ eſt regula vniuerſaliter dirigens mentem in omni actione; & æquans operationes exteriores eſt iuſtitia; cuius ſolius eſt proprium æqualitatem inducere; & virtus moderans paſſiones vel moderatur, ne impellant nos ad id, quod ratio vetat, ſcilicet ad hæc bona delectabilia ſenſibilia prohibita; & hæc eſt temperantia, vel ne nos retrahant ab eo, quod ratio dictat eſſe ſequendum; ſcilicet à bono arduo, quod eſt conforme rationi; & hæc eſt fortitudo; ergo iſtæ quatuor ſolùm ſunt virtutes cardinales, ſeu principales.

12 Secunda ratio eſt. Virtutes morales ſubiectantur in intellectu, voluntate, concupiſcibili, & iraſcibili; vt *inf.* dicemus; ſed prudentia eſt principalior virtus, & cardo aliarum, quæ ſunt in intellectu, cùm ſit regula illarum, ſic iuſtitia earum, quæ ſunt in voluntate; temperantia illarum, quæ ſunt in concupiſcibili; & fortitudo in iraſcibili; vt *inf.* magis patebit; ergo quatuor dumtaxat ſunt virtutes cardinales.

13 Tertia eſt. Illæ ſunt virtutes cardinales principales, quæ concurrunt ad actus aliarum virtutum; ſed quatuor aſſignatæ ſunt huiuſmodi; nam ad hoc, vt aliquis actus ſit virtuoſus, neceſſe eſt, vt fiat prudenter, iuſtè, temperatè, & fortiter; non eſt autem neceſſe, vt fiat manſuetè, magnanimiter &c., ergo quatuor ſolùm ſunt virtutes cardinales, & principales.

14 Dices. Etiam magnanimitas principalitatem habet ſuper alias virtutes; quapropter *Phil. 4. Eth. c. 3.* ait, quòd magnanimitas eſt quidam ornatus omnium aliarum virtutum, ſic & magnificentia importat principalitatem ſupra liberalitatem; ergo non ſunt tantùm quatuor virtutes principales.

Reſp. *Fund. Doct. de Regim. Princ. vbiſ.*, diſt. ant. Magnanimitas, et magnificentia habent quandam principalitatē ſecundùm quid, et modalem, quia verſantur circa ſua obiecta modo altiori, conc., principalitatem vniuerſalitatis, et ſimpliciter, neg., non enim concurrunt ad actus omnium aliarum virtutum; ſed hoc magis *inf.* patebit.

15 Has quatuor virtutes cardinales figuratè deſcribit in quatuor fluminibus, qui de Paradiſi terreſtris exeunt ſinu. *B. P. Aug. li. 13. de Ciu. Dei c. 21.* dicens: *Nemo itaque prohibet intelligi paradiſum vitam bonorum, quatuor eius flumina quatuor virtutes prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atq; iuſtitiã; & ligna eius omnes vtiles diſciplinas; & lignorum fructus mores piorum, & lignum vitę ipſam bonorum omnium matrem ſapientiam, & lignum ſcientia boni, & mali tranſgreſſi mandati experimentum.* Hoc fuſiùs explicat *lib. 2. de Gen. cont. Manich. c. 20.* dicens: *Flumen autē, quod procedebat ex Eden, idèſt ex delicijs & voluptate, & epulis, quod flumen à Propheta ſignificatur in pſalmis, cùm dicit: Torrente voluptatis tua potabis eos, hoc eſt enim Eden, quod latinè voluptas dicitur, diuiditur in quatuor partes, & quatuor virtutes ſignificat, prudentiam, fortitudinem, temperantiã, iuſtitiam,* Et paulò poſt: *Quod etiam ipſorum* nominum interpretatio docet, ſi quis hebræam linguam, uel Syram *conſideret.* Et deinde. *Prudentia ergo, qua ſignificat ipſam contemplationem veritatis ab omni ore humano alienam, quia eſt ineffabilis, quam ſi eloqui velis, parturis eam potiùs, quàm paris, qu a ibi audiuit, & Apoſtolus ineffabilia verba, qua non licet homini loqui. Hac ergo prudentia terram circumit* (ſicut Fluuius *Phiſon*, quem ſuperiùs dixerat eſſe Gangem, ſicut *Geon* Nilum) *qua habet aurum, & carbunculum, & lapidem praſinum, idèſt diſciplinam viuendi, qua ab omnibus terrenis ſordibus quaſi decocta niteſcit; ſicut aurum optimum, & verum, quod nulla falſitas vincit, ſicut carbunculi fulgor nocte non vincitur, & vitam aternam, qua viriditate lapidis praſini ſignificatur propter vigorem, qui non areſcit. Fluuius autem ille* (idèſt Geon, ſeu Nilus) *qui circumit terram ęthiopiam multùm calidam, atque feruentem, ſignificat fortitudinem calore actionis alacrem, atque impigram. Tertius autem Fluuius Tigris vadit contra Aſſirios, & ſignificat temperantiam, qua reſiſtit libidini multum aduerſanti conſilijs prudentia, vnde plerunque in Scripturis Aſſirij Aduerſariorum loco ponuntur. Quartus Fluuius non dictum eſt, contra quod vadat, aut quam terram circumeat, iuſtitia enim ad omnes partes anima pertinet, quia ipſe ordo, &* æqui-

ęquitas animę eſt; qua ſibi iſta tria concorditer copulantur, prima prudentia, ſecunda fortitudo, tertia temperantia, & in iſta tota copulatione, atque ordinatione perſiciunt iuſtitiam. Quibus verbis ſublimiſſimè explicat naturam, ordinem, & effectus harum quatuor virtutũ ita, vt nihil doctius, aut profundius addi queat. *Vid. Fund. Doct. in Opuſc. de Paradiſo c.7.*, vbi hanc rem eleganter pertractat.

16 Præter duodecim aſſignatas, quæ ſunt virtutes propriè loquendo, quibus diſponitur mens ad bonos actus, affert *Fund. Doct. vbiſ. c.41 & 34.* alias diſpoſitiones, quæ ſolùm latè loquendo dicuntur virtutes, ſed propriè vel ſunt ancillantes virtuti, vel diſpoſitiones ad virtutem, vel ſuperuirtutes, vnde bonæ diſpoſitiones, ſeu qualitates mentis diuiduntur in eas, quæ propriè ſunt virtutes, vt ſunt duodecim allatæ, et in eas, quæ ſunt ancillantes virtuti; et in eas, quę nec ſunt virtutes, nec ancillantes virtuti, ſed diſpoſitiones præparatiuæ ad virtutem; et in eas, quæ nec ſunt virtutes, nec ancillantes virtuti, nec diſpoſitiones præparantes ad virtutem, ſed ſunt ſuperuirtutes. Diſpoſitiones ancillantes virtuti ſunt eubulia, et Syneſis. Eubulia eſt illa, *ad quam ſpectat dare conſilium mundum, & lucidum*, ut habet *Fund Doct. in Cant. c.4. lect.9.* Super illud *Cypri cum Nardo* ſiue eſt *qualitas bene conſiliatiua*, ut habet *hic c.34.* Syneſis eſt illa, *ad quam ſpectat proferre iudicium certum, & rectum*, ſeu *eſt bene iudicatiua*, iſtæ autem, quanuis largè loquendo *à Phil. 6. Eth.* appellentur virtutes, attamen ſunt potiùs ancillantes virtuti, nam de ratione virtutis eſt primò ſcire, deinde eligere, et tandem firmè, et immobiliter operari, ut dicitur *6 Eth.*, ſed licèt Eubulia, et Syneſis rectè conſulant, et iudicent, qualiter opus eſt agendum, attamen prudentia eſt illa, quæ operatur, et dirigit opus, ergo Eubulia, et Syneſis ſunt potiùs ancillantes virtuti prudentiæ, quàm virtutes. Diſpoſitiones præparantes ſolùm ad virtutes ſunt continentia, & perſeuerantia; nam licèt continens non ſequatur paſſiones, ſed contra illas ſe teneat, hoc enim ſonat *continere*, idèſt contra paſſiones fortes repugnantes ſe tenere; quoniam autem quando eſt pugna contra paſſiones fortes, non ſentit delectationem, ſed triſtitiam in victoria; ideo continentia non eſt virtus, cui eſt delectabile operari; diſponit tamen ad virtutem, quia diſponit ad delectabiliter operandum. Sic perſeuerantia non eſt virtus, nam perſeuerare dicitur etiam ille, qui non cadit, etiamſi non tentetur; hoc autem præſtant etiam non virtuoſi, qui non tentati non cadunt; perſeuerando tamen diſponuntur ad ſtandum, etiam cùm tentatione impetuntur; ergo continentia, & perſeuerantia ſunt meræ diſpoſitiones ad virtutem. Tandem virtus heroica eſt potiùs ſuperuirtus, quàm virtus; hinc *Phil. 7. Eth. c.1.* ait; quòd hæc virtus eſt *quid honorabilius virtute*; nam heroica dicit potiùs ſummum virtutis, quàm virtutem diſtinctam, vt *ſup.* dictum eſt; ergo aliquæ bonæ diſpoſitiones ſunt potiùs ſuperuirtutes, quàm virtutes.

17 Diuiditur tandem virtus moralis in infuſam, & acquiſitam. Infuſa eſt quæ à ſolo Deo infunditur nobis non cooperantibus; acquiſita eſt, quæ à nobis per noſtros actus acquiritur; vtraque tamen eſt naturalis ſecũdùm entitatem, vt *inf. art.8.*

ART. III.

Quodnam ſit ſubiectum virtutum?

1 CErtum eſt 1. ſubiectum virtutum intellectualium eſſe intellectum, in quo fundantur, tanquam rationes agendi. Dubium eſt de virtutibus moralibus enumeratis *in ſup. art.* Quanuis autem prudentia ſit vnus ex quinque habitibus intellectus, & ideo non ſit virtus moralis; quia virtus moralis ordinatur ad bonum honeſtum, quod eſt obiectum voluntatis; attamen quia prudentia eſt regula virtutum, & actionum moralium; ſequitur ad imperium voluntatis; & non reperitur, niſi in hominibus bonis; dicitur enim *6. Eth. c.12. Impoſſibile eſt prudentem eſſe non exiſtentem bonum*; ideo connumeratur inter virtutes morales.

2 Certum eſt 2. virtutes morales non ſubiectari in membris corporis, vel in potentijs naturalibus determinatis ad vnum tantùm; vt probauimus *q. de Habitib. art. 8.* Reſtringitur ergo difficultas ad ſolos appetitus rationales, vel per eſſentiam, vt eſt voluntas; vel per participationem, vt ſunt appetitus concupiſcibilis, & iraſcibilis; quia vt docet *Beatiſs. P. lib.11. de Gen. ad lit. c.* ; & ex illo *Fund. Doct. in 2. diſt.24. p.2. q.1. art.3. dub.1. lat. §. Prima via*, iſti etiam præſente obiecto ſibi proportionato poſſunt in illud tendere, & non tendere reluctando rationi; quapropter dicuntur ſubdi imperio tantùm politico rationis; & dicuntur apti nati obedire rationi; quod tamen non contingit in brutis, in quibus non eſt ratio; potentiæ verò determinatę ad vnũ, quanuis ſubdantur imperio voluntatis, attamen deſpoticè ſubduntur; quia præſente obiecto in illud non poſſunt non tendere. Sicut autem ex eo, quòd appetitus ita tendat in ſuum obiectum, vt poſſit non tendere, quia eſt inclinatio etiã in oppoſitũ, à qua retrahitur ad tendendũ in obiectum ſibi propoſitum; propter quod datur virtus iuuans appetitum, vt faciliter, & delectabiliter tendat; ita quia potentiæ determinatæ non habent inclinationem ad oppoſitum (ſecus non eſſent ad vnum determinatæ) ideo non patiuntur difficultatem; & per conſequens in ipſis non datur virtus ad ſuperandam difficultatem. *Vid. vbiſ.*

3 Loquimur autem *hic* ſolùm de virtutibus moralibus enumeratis *in ſup. art.*; nam de Theo-

logicis

logis ſermo erit ſuo loco.

4 Not., quod *Auctores* diuidere ſolent virtutes morales in eas, quæ ſunt ab bonum alieni ſuppoſiti; vt iuſtitia, & eius ſpecies, & in illas, quæ ſunt ad bonum proprij ſuppoſiti; vt ceteræ virtutes; nam iuſtitia ordinatur ad reddendum bonum ei, cuius eſt; aliæ verò virtutes ordinantur ad moderandas proprias paſſiones, quæ ſunt in ſuo proprio ſuppoſito. Seu *cum Fund. Doct. Quodl. 4. q. 18.* diuiduntur virtutes in eas, quæ inueniunt medium in rebus, in quibus ponunt æqualitatem; vt iuſtitia; & in eas, quæ inueniunt medium inter paſſiones, quas moderantur; vt temperantia &c.

5 Prima ſententia vult omnes virtutes morales ſubiectari in voluntate; in appetitu autem ſenſitiuo ſubiectari quidem quoſdam habitus, quibus inclinatur ad obediendum volutati; hos tamen habitus non eſſe virtutes propriè dictas. *Ita D. Bon. in 3. diſt. 33. art. 1. q. 1; Scot. ibid. p. 1. art. 3; Henr. Quodl. 4. q. 32; Vaſq. hic diſp. 87; Fonſ. Sua; Ariag. Ouied; apud quem alij.*

6 Secunda vult in voluntate ſubiectari virtutes, quæ ordinantur ad attingendum bonum alieni ſuppoſiti; vt ſunt ſpecies iuſtitiæ; illas verò, quæ ordinantur ad bonum proprij ſuppoſiti, ſubiectari in appetitu ſenſitiuo tantùm. *Ita Capr; Hiſpal; Caiet; Aluar; Ferrar; Ban; Greg. Martinez, Salm; Philipp. à SS. Trin; Gonet hic diſp. 3. art. 3. §. 1. concl. 3;* vbi ait hanc eſſe *communem ſententiam Thomiſtarum.*

7 Tertia vult eſſe in voluntate ſimul, & in appetitu ſenſitiuo; virtutes tamen, quæ ſunt in voluntate, eſſe formaliter diuerſas à virtutibus, quæ ſunt in appetitu ſenſitiuo; quia illæ reſpiciunt ſuum obiectum, vt eſt quoddam bonum rationis; iſtæ verò, vt eſt bonum ſenſibile. *Ita Val. hic diſp. 5. q. 2. punct. 2; Gran. diſp. 7. sect. 2; Tanner. diſp. 3. q. 3. dub. 2, noſter Gibb. hic diſp. 37. dub. 2. n* 8; *apud quem Lorc; Med; Io. à S. Tho. & Monteſin.*

8 Noſtra tandem docet prudentiam eſſe in intellectu practico; iuſtitiam in voluntate; in iraſcibili autem fortitudinem, manſuetudinem, magnanimitatem, & magnificentiam; in concupiſcibili verò temperantiam, liberalitatem, honoris amatiuam, veritatem, ſeu ingenuitatem, affabilitatem, & eutrapeliam. *Ita Fund. Doct. de Regim. Princ. lib. 1. p. 2. c. 3.* in fine; vbi ait: *Patet ergo, quòd cùm quatuor potentiæ animæ ſuſceptibiles virtutum, de quibus loquimur; duodecim ſunt huiuſmodi virtutes, quia vna eſt in intellectu, & vna in voluntate, quatuor in iraſcibili, & ſex in concupiſcibili. In intellectu eſt prudentia, in voluntate iuſtitia, in iraſcibili eſt fortitudo, manſuetudo, magnanimitas, & magnificētia; quæ ſic accipiūtur; quia fortitudo, & māſuetudo ſunt circa paſſiones ortas ex malis, vt fortitudo eſt circa paſſiones ortas ex malis futuris, māſuetudo circa paſſiones ortas ex malis præſentibus; magnificentia verò, & magnanimitas ſūt circa bona ardua, aliter tamen, & aliter, quia magnificentia eſt circa magna bona vtilia, vt circa magnos ſūptus; magnanimitas verò eſt circa magna bona honeſta, vt circa magnos honores. In concupiſcibili autem ſunt ſex virtutes, videlicet tēperantia, liberalitas, honoris amatiua, veritas, affabilitas, & eutrapelia, quæ ſic accipiuntur; quia tres harum, vt temperantia, liberalitas, & honoris amatiua ſumuntur ſecundùm bonum hominis in ſe; alia verò tres ſecundùm bona hominis in ordine ad aliud, nam bona hominis tria ſunt, quædam enim ſunt delectabilia, circa quæ eſt temperantia, quædā vtilia, circa quæ eſt liberalitas, quædam honeſta, circa quæ eſt honoris amatiua. Sic etiam bona in ordine ad alium ſimpliciter poſſunt conſiderari, vel vt deſeruiunt nobis ad manifeſtationem, & ſic eſt veritas, vel ad vitam, & ſic eſt affabilitas, vel ad ludum* (& animi recreationem) *& ſic eſt eutrapelia.* Prudentiam eſſe in intellectu practico probat *Quodl. 2. q. 19;* iuſtitiam verò eſſe in voluntate, & virtutes, quæ verſantur circa moderandas paſſiones, eſſe in appetitu ſenſitiuo, probat *Quodl. 4. q. 18., & in Opuſc. de Paradiſo c. 7.* Addit *c. 25.* in fine *humilitatem magis eſſe in appetitu intellectiuo, quàm in ſenſitiuo.* Ex quo colligitur falſum eſſe aliquas virtutes, quæ ordinantur ad bonum proprium, non eſſe in voluntate. Hanc ſententiam ſequitur *noſtra Schola*, & plures *ex exteris*, tanquam magis veritati conformem; *pro cuius explicatione, & deciſione.*

9 Aduert., quòd licèt voluntas circa bonum in vniuerſum, quod eſt vltimus finis naturalis ipſius hominis, in quem voluntas fertur, vt natura, & ideo determinatè ad vnum, non indigeat virtute ad tendendum in illud, quia virtus, cùm ſit habitus electiuus, eſt rantùm circa media, circa quæ eſt electio, & libertas, & in hoc ſenſu *Io. à S. Tho.*, *& noſter Gibb.* volunt locutum fuiſſe *D. Tho. hic p. 1. art. 5;* cùm dixit: *Ad bonum naturaliter ſe habet voluntas ex actione ipſius potentiæ, cùm ſit obiectum propriè voluntatis;* obiectum enim adæquatum voluntatis eſt bonū, vt *ſic*, quod eſt bonum in vniuerſum. Vnde malè arguit *Gonet cum alijs Thomiſtis*, æquiuocè enim ſumit *ly naturaliter*, prout ſignificat bonum ordinis naturalis, ſiue ſit vtile, ſiue ſit honeſtum, in quo ſenſu non debet accipi; ſed debet ſumi, vt eſt idem, ac *determinatè ad vnum*, ſeu neceſſariò neceſſitate ſpecificationis; voluntas enim neceſſitatur neceſſitate ſpecificationis à bono, vt *ſic*, vt *alibi* diximus. Quamuis ergo ſupradictæ virtutes ſint in appetitu ſenſitiuo, & non in voluntate, in qua ex illis eſt ſola iuſtitia; attamen non ſequitur, quòd in voluntate non ſint aliæ virtutes præter iuſtitiam diuerſæ ab aſſignatis; vt *inferiùs* patebit.

10 Vnica concl. Prudentia eſt in intellectu practico, iuſtitia in voluntate; temperantia autem, liberalitas, Philotomia, ſeu honoris amatiua,

ua, veritas, affabilitas,& eutrapelia ſunt tantùm in appetitu concupiſcibili; fortitudo verò, manſuetudo, magnanimitas, & magnificentia ſunt tantùm in appetitu iraſcibili, non in voluntate, in qua tamen præter iuſtitiam ſunt aliæ virtutes, quæ ordinantur ad bonum proprij ſuppoſiti.

Prob. 1. *ex Beatiſs. P. lib. Categ. c. 12.* docente: *Hoc profectò, quòd diſciplina in ea parte animæ, qua rationalis dicitur, tantummodò verſatur; virtus verò omnes animæ partes amplectitur, omnemque animam ſuo imperio gubernat, & regit, vt & iracundiam domet, & cupiditates animo amoueat; & lib. 14. de Ciu. Dei c. 19.* docet animæ partes eſſe tres, ſcilicet iraſcibilem, quam *Philoſophi*, qui propriùs acceſſerunt veritati, ſtatuerunt in corde; concupiſcibilem, quam poſuerunt ſub medio ſepto in iecore, & ſplene; & rationem, quam collocarunt in cerebro, tanquam in arce, ordinatricem, & moderatricem operum; ait igitur: *Hinc eſt, quòd & illi Philoſophi, qui veritati propriùs acceſſerunt, iram, atque libidinem vitioſas animi partes eſſe confeſſi ſunt eo, quòd turbidè, atque inordinatè mouerentur ad ea etiam, quæ ſapientia perpetrari non vetat; ac per hoc opus habere moderatrice mente, atque ratione. Quàm partem animæ tertiam, velut in arce quadam ad iſtas regendas perhibent collocatam, vt illa imperante iſtis ſeruientibus poſſit in homine iuſtitia ex omni animi parte conſeruari.* Iſti autem *Philoſophi* fuerunt *Platonici, & Pythagorici*, qui fuerunt veraciores, quàm *Cynici*, qui docuerunt actus libidinis cum vxore palam fieri pudendum non eſſe more beſtiarum; quod aliquando egiſſe *Diogenem*, vt ſuã ſectam promoueret, teſtatur *c. 20. ſeq.* Ex quibus ſic. In hoc diſtinguuntur diſciplinæ, ſeu virtutes intellectuales à virtutibus moralibus, quòd illæ reſident tantùm in intellectu; iſtæ verò ſubiectantur in ea parte animæ, quam regunt, & moderantur, ſed prudentia regit, & moderatur intellectum practicum; iuſtitia voluntatem; temperantia, liberalitas, honoris amatiua, veritas, affabilitas,& eutrapelia concupiſcibilem; & fortitudo, manſuetudo, magnanimitas,& magnificentia iraſcibilem; ergo prudentia eſt in intellectu practico; iuſtitia in voluntate; ſex ſequentes in concupiſcibili; & quatuor poſtremæ in iraſcibili. Prob. ma. Virtutes intellectuales, quæ dirigunt intellectum, ne erret in cognoſcendo, collocantur in intellectu; ergo virtutes morales, quæ regunt, & moderantur aliquam animæ partem, in illa debent ſubiectari. Prob. mi. Prudentia facit, vt intellectus dictet, quid ſit agendum, & non agendum; iuſtitia, vt voluntas velit cuique tribuere, quod ſuum eſt; temperantia moderatur delectationes corporeas, & inſenſibilitates delectationibus oppoſitas; liberalitas auaritiam, & prodigalitatem; honoris amatiua moderatur deſiderium, & fugam operum honorabilium mediocrium, veritas moderatur nimiam deſpectionem, ſeu deriſionem ſui, & iactantiam; affabilitas moderatur adulationes, & ruſticitatẽ; eutrapelia moderatur ſcurrilitatem, & ruditatem; & *hæc* omnia ſpectant ad concupiſcibilem; vt dictum eſt *de Paſſionibus, & inf.* magis patebit; fortitudo autem moderatur audaciam,& timorem; manſuetudo iram,& lenitatem; magnanimitas præſumptionem, quæ reducitur ad audaciam; & puſillanimitatem, quæ reducitur ad timorem,& magnificentia paucificentias,& conſumptiones; quæ reducuntur ad ſpem, & deſperationem; quæ ſunt paſſiones exiſtentes in iraſcibili; ergo idem.

11 Prob. 2. 1. pars concl. *ex Fund. Doct. Quodl. 2. q. 19.* duplici ratione. 1. Ad prudentiam ſpectat bene conſiliari quantùm ad actiones totius vitæ; vt dicitur *6. Eth. c. 6.*, conſiliari autem eſt proprium intellectus, qui habet etiam futura proſpicere; voluntas autem, cùm ſit cæca, non habet videre,& appetitus ſenſitiui non poſſunt verſari circa actiones totius vitæ; quia cùm ſint potentiæ materiales non tendunt, niſi in obiecta exiſtentia *hìc,& nunc*; tum quia ſunt potentiæ ſpeciales, cùm ſint inferiores intellectu, & voluntate; & ideo nequeunt tendere vniuerſaliter in omnes actiones; tandem quia ſi voluntas, quæ eſt appetitus ſpiritualis, nequit conſiliari, quia eſt cæca; multò minùs hoc poterit appetitus ſenſitiuus, qui eſt materialis; ergo prudentia eſt ſolùm in intellectu, qui ſolus eſt conſiliarius. 2. Ad prudentiam ſpectat dirigere in finem; in hoc enim differunt virtutes intellectuales à prudentia, quæ connumeratur inter virtutes morales; quòd illarum finis eſt verum, ſiſtunt enim in contemplatione veritatis; iſtarum verò eſt bonum, ſed dirigere in finem eſt proprium intellectus, cuius eſt dirigere voluntatem, quæ habet pro obiecto finem; ergo prudentia ſpectat ad intellectum.

12 Prob. 2. pars *ex eod. Quodl. 4. q. 18.* Iuſtitia vel eſt legalis, vel æqualis; vt *inf.*; ſed iuſtitia legalis conſiſtit in volitione, quà quis vult implere legem exercendo omnia opera virtutum à legibus præcepta; & æqualis conſiſtit in volitione cõſtante, qua volumus tribuere vnicuique, quod ſuum eſt; quapropter hæc definitur *à Legiſperitis: Perpetua, & conſtans voluntas tribuendi vnicuique, quod ſuum eſt*; ergo iuſtitia conſiſtit in volitione; atqui volitio eſt in voluntate ſubiectiuè, cùm ſit actus immanens illius; ergo & iuſtitia. 2. Iuſtitia eſt virtus illius potentiæ, quæ habet dominium in res, quæ æquantur; & quæ decernit illas æquandas eſſe; ſed potentia habens dominium,& decernens eſt ſola voluntas; ergo iuſtitia eſt virtus ſolius voluntatis.

13 Prob. 3. pars. 1. Reliquæ decem virtutes habent pro obiecto bona ſenſibilia; vt patet ex dictis,& *inf.* magis conſtabit; ergo ſunt ſubiectiuè tantùm in illis potentijs, quæ habent pro obiecto bona ſenſibilia; ſicut enim virtutes intellectuales, quia habent pro obiecto verum ſpeciale, ſunt in intellectu, qui vniuerſaliter tendit

in

in omne verum; ſunt enim virtutes veluti partes determinatæ, & ſpeciales ipſius potentiæ; ita virtutes morales, quæ habent pro obiecto bonū ſenſibile, ſunt tantùm in illis potentijs, quæ habent pro obiecto aliquod ſenſibile; atqui ſolus appetitus ſenſitiuus eſt huiuſmodi; nam licèt etiam ſenſus externi,& interni cognoſcitiui tendant in obiectum ſenſibile; attamen quia non obediunt rationi; vt diximus; ergo reliquæ decem virtutes ſubiectantur in appetitu ſenſitiuo; ſed primæ ſex tendunt in bonum ſenſibile ſecundùm ſe; & quatuor poſtremæ, prout arduū eſt, ergo primæ ſex ſubiectantur in concupiſcibili, qui tendit in bonum ſecundùm ſe; & quatuor poſtremæ in iraſcibili, qui tendit in bonum, quatenus arduum. 2. Potentiæ, à quibus immediatè eliciuntur actus harum decem virtutum, ſunt appetitus ſenſitiui; actus enim temperantię v.g. eſt actus concupiſcibilis moderatè tendentis in hæc bona ſenſibilia delectabilia; & actus fortitudinis eſt actus iraſcibilis aggredientis bonum ſenſibile, quod iudicatur eſſe aggrediendum; & ſic de reliquis; ſed virtutes ſubiectantur in potentijs, à quibus immediatè eliciuntur actus illarum; nam quamuis homo, anima, & Intellectus intelligant; attamen virtutes intellectuales ſubiectantur in intellectu, qui immediatè elicit actus virtuoſos; non autem in anima, aut in eſſentia hominis; ergo illæ decem virtutes ſubiectantur in appetitibus ſenſitiuis. 3. Virtutes ſubiectantur in illa potentia, quæ ſentit difficultatem in eliciendis actibus virtuoſis; virtutes enim dantur ad ſuperandam difficultatem potentiæ;& ad hoc, vt potentia delectabiliter eliciat actus virtuoſos; ſed potentia ſentiens difficultatem in eliciendis actibus virtuoſis eſt appetitus ſenſitiuus, qui, vtpotè poſt peccatum originale rebellis rationi, repugnat actibus bonis à ratione imperatis; tum quia voluntas ſentit difficultatem propter appetitum ſenſitiuum inclinantem in oppoſitum; & ideo difficultas eſt in appetitu ſenſitiuo formaliter, & tantùm participatiuè in voluntate;ergo illæ decem virtutes ſubiectantur in appetitu ſenſitiuo. 4. Habitus vitioſi ſubiectantur in appetitu ſenſitiuo; nam appetitus ſenſitiuus ex frequentatione actuum malorum fit pronus in malum, ſed virtutes ſubiectantur in eodem, in quo ſubiectantur habitus vitioſi, quibus opponuntur; *oppoſita enim habent fieri circa idem*; ergo virtutes ſubiectantur in appetitu ſenſitiuo. 5. Virtutes ſubiectantur in illis potentijs, quæ habent tendere in bonum, & malum; dantur enim virtutes ad hoc; vt potentiæ tendant in bonum, & abſtineant à malo; ſed appetitus ſenſitiuus eſt huiuſmodi; quamuis enim non ſit formaliter liber, eſt tamen liber participatiuè, quatenus aptus natus eſt obedire rationi, ergo prædictæ virtutes ſubiectantur in appetitu ſenſitiuo. Tandem habitus exiſtentes in appetitu ſenſitiuo conformes rectæ rationi ſunt principia actuum, quibus inſtituitur recta vita moralis, & laudem merentur, ſed huiuſmodi actus ſunt actus virtutum; quibus bene viuimus; idèſt bene, & laudabiliter operamur; ergo habitus exiſtentes in appetitu ſenſitiuo, à quibus exeunt illi actus, ſunt veræ virtutes. Prob. etiam auctoritate *Phil. 1. Eth. c. vlt., & 3. Eth. c. 10.*, vbi vocat virtutes habitus exiſtentes in appetitu ſenſitiuo; ſed hoc non poteſt intelligi, niſi de decem virtutibus enumeratis, quia aliæ virtutes exiſtunt in intellectu, vel voluntate, vt dictum eſt.

14 Prob. 4. pars concl. Voluntas inclinata ab appetitu ſenſitiuo affecto aliquo habitu ad actum eiuſdem appetitus nullam ſentit difficultatem ad decernendum illum actum, imò maximam facilitatem, & pronitatem experitur; mouetur enim nedum ab ipſo appetitu affecto habitu virtutis, ſed etiam ab ipſo intellectu affecto ab habitu prudentiæ dictantis illum actum eſſe decernendum, & ab his duobus habitibus ſufficienter determinatur, vt diximus *to. 3. p. 3.*, ergo præter virtutem exiſtentem in appetitu ſenſitiuo ſuperflua eſt alia virtus exiſtens in voluntate; virtus enim ponitur ad hoc, vt voluntas faciliterur, inclinetur, & determinetur ad actus honeſtos. 2. Potentia ſuperior non ſentit difficultatem, quam ſentit potentia inferior erga obiectum inferius; quo enim ſuperior eſt vis ad agendum, eo faciliùs ſequitur actio; ſed voluntas eſt potentia ſuperior appetitu ſenſitiuo; quia illa eſt ſpiritualis, iſta materialis, ergo voluntas non ſentit difficultatem, quam ſentit appetitus ſenſitiuus circa hæc bona ſenſitiua, quæ ſunt obiecta virtutum reſidentium in appetitu ſenſitiuo; atqui virtus ponitur tantùm ad ſuperandam difficultatem potentiæ; ergo vltra virtutes exiſtentes in appetitu ſenſitiuo non dantur aliæ virtutes conſimiles in voluntate. 3. Virtus datur ſolùm vel ad eliciendum actum excedentem naturalem efficaciam potentiæ, vt virtutes ſupernaturales, vel ad ſuperandam contrariam affectionem ipſius potentiæ, ſed actus illarum decem virtutum non excedunt naturalem efficaciam voluntatis, quia ſunt in ordine inferiori; ſunt enim ſenſitiui; voluntas autem eſt ſpiritualis,& poſita virtute in appetitu ſenſitiuo, rectoque dictamine in intellectu nulla eſt contraria affectio voluntatis, quæ non poteſt affici, niſi ab intellectu, vel à ſenſibus ſibi præſentantibus diuerſa obiecta motiua; ergo præter virtutes exiſtentes in appetitu ſenſitiuo non ſunt dandæ aliæ conſimiles in voluntate circa eoſdem actus appetitus ſenſitiui. 4. Virtus ponitur ſolùm in potentia immediatè eliciente actum; vt *ſup.* dictum eſt; ſed voluntas elicit actus illarum decem virtutum ſolummodò mediante appetitu ſenſitiuo; ergo in voluntate non ponitur virtus conſimilis vltra virtutem reſidentem in appetitu ſenſitiuo moderans ipſam voluntatem adhoc, ut ordinatè tendat in hæc bona ſenſibilia.

15 Prob. 5. pars concl. 1. In voluntate datur humilitas, quia in ea datur ſuperbia, quæ eſt amor propriæ excellentiæ; & ideo in illa dari debet humilitas, quę illi opponitur; & ipſam voluntatem moderatur, ne in ſuperbias, aut in deiectiones prorumpat; ergo præter iuſtitiam dantur aliæ virtus etiam erga bonum proprij ſuppoſiti. Præterea datur ſtudioſitas, quæ moderatur curioſitatem, & incuriam circa ea, quæ ſpectant ad proprium ſtatum. Item datur miſericordia, quæ eſt erga bonum proximi. 2. Euertendo rationem oppoſitam. Ideo in voluntate non dantur illæ decem virtutes exiſtentes in appetitu ſenſitiuo; quia voluntas eſt proportionata ad bonum proprium ſibi naturale; & in tantùm datur iuſtitia, quia licèt ſit proportionata ad bonum naturale alienum quoad ſpeciem, eſt tamen improportionata quoad indiuiduum; voluntas enim hoc ipſo, quod eſt radicata in tali indiuiduo, determinatur ſolùm ad bona illius indiuidui; ſed hoc eſt falſum, quia voluntas quantùm ad actus liberos ſibi proprios eſt indifferēs, & ideo indeterminata; poteſt enim illos elicere, & non elicere; ergo hac ratione probatur etiam quoad actus proprios indigere virtute; ſi aliunde hæc virtus non exiſtat in appetitu ſenſitiuo, à quo determinetur. Tum quia intellectus eſt proportionatus quoad ſpeciem, & quoad indiuiduum nedum quoad veritates ſibi proprias, ſed etiam quoad veritates alienas; ergo & voluntas; ſed hoc non obſtante ponuntur in intellectu virtutes nedum quoad veritates alienas, ſed etiam quoad proprias; ergo idem dicendum de voluntate. Tum quia quælibet potentia ſine habitu virtutis naturalis poteſt elicere actum illius virtutis, quamuis cum difficultate; virtus enim naturalis acquiritur ex actibus; qui propterea debent præcedere virtutem, & ideo debent elici à potentia nuda; ergo voluntas ſine habitu virtutis verſantis circa bona alieni ſuppoſiti poteſt elicere actum illius virtutis, quamuis difficulter; exercendo enim actus iuſtitiæ efficimur iuſti, id eſt gignitur in nobis virtus iuſtitię; ergo voluntas etiam præciſo habitu virtutis eſt proportionata ad eliciendos actus circa bona alieni ſuppoſiti; quia potētia inquit elicere actū improportionatū nec faciliter, nec difficulter; cū proportio potentiæ cum actu, & actus cum obiecto ſit neceſſaria ſimpliciter, vt *alibi* dictum eſt; aliter potentia ageret vltra id, quod poteſt; & poſſet in id, in quod non poſſet; ergo hæc ſententia nullo nititur fundamento.

16 Obijc. 1. *Scot.* cont. 3. part. concl. Virtus *ex Phil.* 1. *Polit.* maximè requiritur in principio imperante; ſed hoc eſt ſola voluntas; ergo virtus eſt in ſola voluntate. 2. *Beatiſs. P. lib. 1. de morib. Eccl. c. 15.* ait *virtutes omnes morales eſſe quendam rectum amorem*; ſed amor eſt in voluntate; ergo & virtutes morales. 3. Experientia docet nos habere difficultatem circa bonum proprium, & alienum, vt illud velimus; ergo dandæ ſunt in voluntate virtutes ipſam facilitantes. 4. Virtus eſt tantùm in illa potētia, quæ eſt propria hominis, vt homo eſt; ſed appetitus eſt communis brutis; ergo virtus non eſt in appetitu. 5. Virtus eſt habitus electiuus; ſed electio eſt actus voluntatis; ergo & virtus.

Reſp. ad 1. virtutem maximè requiri in principio imperante, quia in ipſo requiritur virtus legalis, qua volumus exercere opera virtutem, & implere legem præcipientem actus omnium virtutum; vnde *ly maximè* non eſt idem, ac *tantùm*, vt prætendit *Scotus*; ſed eſt idem, ac *principaliter*; vt patet ex ſignificatione vocabuli; vnde ſenſus eſt; quòd virtus, quæ eſt in principio imperante, eſt maxima inter omnes virtutes, quæ ſunt in appetitu ſenſitiuo; quia illa imperat actus omnium virtutum; iſtæ autem exequuntur. Ad 2. dicitur *Beatiſs. Patrem* loqui de virtutibus, quatenus ſunt formatæ per charitatem; ſic enim non habent eſſe, *niſi ſummum amorem Dei* (inquit ipſe *ibid.*) vnde nihil aliud concluditur, quàm formam omnium virtutum eſſe amorem Dei, qui exiſtit in voluntate. Virtutes autem ſic conſideramus ſecundùm formā, in qua conueniunt inter ſe; at verò ſi conſiderentur ſecundùm ſuam entitatem, in qua differunt, non ſunt amor, & ideo non ſunt in voluntate; vt ſatis conſtat per *eundem Beatiſs. P. vbiſ.* Ad 3. diſt. ant. Habemus difficultatem, vt velimus præciſis virtutibus exiſtentibus in appetitu ſenſitiuo, conc; poſitis virtutibus in appetitu, à quibus inclinatur voluntas ad volendum, neg. Ad 4. diſt. mi. Appetitus, vt ſeparatus à ratione, eſt communis brutis, conc; vt coniunctus cum ratione, & ideo ut participialiter rationalis, neg. Ad 5. eodem modo diſt. ma. Virtus eſt habitus electiuus vel formaliter; uel participialiter, conc; quapropter dixit *Phil.* 2. *Eth. c.* 5. *virtutem eſſe electionem, vel certè non ſine electione*; formaliter tantùm, neg; aliter prudentia, quæ non eſt in voluntate, non eſſet virtus; quod non admittit *Aduerſarius*.

17 Obijc. 2. Virtus moralis debet habere pro ſubiecto potentiam liberam; quia eſt principium actus liberi moralis; ſed appetitus ſenſitiuus non eſt potentia libera; quia libertas reſidet in voluntate; vt diximus *to. 3. de Act. hum. q. 5. art.* 5. §. 3; ergo non eſt obiectum virtutis moralis. 2. Illa potentia ſolùm eſt obiectum virtutis moralis, quæ poteſt attingere bonum honeſtum, quod eſt obiectum virtutis; ſed appetitus ſenſitiuus non eſt huiuſmodi; quia tendit in bonum ſenſibile, quod ſæpe eſt contrarium bono honeſto; ergo non eſt obiectum virtutis moralis. 3. Regula virtutis moralis eſt prudentia; ſed appetitus ſenſitiuus non regulatur per prudentiā; quia regulatur per apprehenſionem ſenſus; ergo non eſt obiectum virtutis moralis.

Reſp.

Reſp. ad 1. *cum Fund. Doct. diſt. 24. vbiſ.* diſt. ma. Virtus moralis debet habere pro ſubiecto potentiam formaliter liberam, vel aptam natam obedire libero rationis imperio, conc; tantùm formaliter liberã, neg. Propter hoc in ſenſibus, & membris corporis non ponitur virtus; quia non ſunt apta nata obedire rationis imperio; & quã-uis ſint extrinſecè liberi imperatiuè; attamen nõ ſunt liberi libertate obedientiæ, ſed purę ſubie-ctionis deſpoticę; & ideo non ſunt virtuoſi; ſicut ſunt virtuoſi motus appetitus, quia ſunt liberi libertate obedientiæ; quanuis non ſint formaliter intrinſeci liberi libertate dominii; hæc enim libertas reſidet ſolùm in voluntate, quæ ſola eſt domina in regno animæ; & in hoc ſenſu locuti ſumus *to. 3. vbiſ.* quod magis explicabitur *inf. de pecc. q. 1. art. 7*; libertas autem obedientiæ reſidet intrinſecè in appetito ſenſitiuo; qui poteſt obedire, & non obedire rationi imperanti; quod non poſſunt pręſtare ſenſus, membra, & aliæ potentiæ determinatæ ad vnum. Ad rationem autem actus virtuoſi ſufficit libertas obedientiæ; quia ſufficit, quòd ille actus ita ponatur, vt potuerit non poni. Ad 2. diſt. ma. Bonum honeſtum, vel ſenſibile, quod attingit appetitus, vel ſpirituale, quod attingit voluntas, conc; ſpirituale tantùm, neg. Ad 3. neg. mi. Ad pub. inſert. dicitur, quòd appetitus per apprehenſionem ſenſuum regulatur immediatè, per prudentiam verò mediatè; quatenus dictat ſenſui, vt tendat in bonum honeſtum, illudque appetitui oſtendat.

18 Obijc. 3. *Val.* cont. 4. part. concl. Obiectũ voluntatis eſt tantæ latitudinis, vt comprehendat nedum bonum honeſtum, ſed etiam delectabile, & vtile, quod aliquando repugnat rationi; ergo etiam voluntas patitur difficultatem ad tẽdendum in illud, ad quam ſuperandam neceſſaria eſt virtus. 2. Ideo appetitus ſenſitiuus patitur difficultatem, quia propoſito illi bono honeſto habet inclinationem contrariam, qua trahitur in bonum delectabile inhoneſtum; ſed etiam voluntas habet inclinationem contrariam bono honeſto; ergo eadem ratio. 3. Voluntas, quatenus coniuncta appetitui ſenſibili, habet inclinationem contrariam bono honeſto; ergo vt ſic cõiuncta indiget virtute. 4. Sicuti difficultas circa actus temperantiæ v. g. prouenit ex coniunctione voluntatis cum appetitu ſenſitiuo; ita difficultas eos imperandi, & regulandi; & difficultas tribuendi alteri, quod ſuum eſt, prouenit ex coniunctione eiuſdem; nam paſſiones impediunt rectum dictamen prudentiæ; & nimius amor pecuniæ impedit, ne tribuatur alteri, quoad ſuum eſt; ſed hoc non obſtante ponitur prudentia in intellectu, & in voluntate iuſtitia, quanuis difficultas vtriuſque perueniat ex appetitu ſenſitiuo; ergo quanuis difficultas voluntatis circa actus aliarũ virtutum proueniat ex appetitu coniuncto; attamen aliæ virtutes ſunt collocandæ in voluntate. 5. Difficultas voluntatis prouenit nedum ex appetitu, ſed etiam ex ratione coniuncta; ſed ratio habet difficultatem circa omne agibile, propter quod in ipſa ponitur prudentia, quæ eſt circa omne agibile; ergo & in voluntate eſt difficultas circa omne agibile, quod eſt obiectum aliarũ virtutum; & ideo in ipſa debent poni aliæ virtutes. 6. Quamuis virtus temperantiæ ſit in concupiſcibili; attamen ponitur habitus continentiæ in voluntate, ne vehemẽtibus delectationibus ſuccumbens deſerat officium virtutis; ita ponitur habitus perſeuerantiæ, ne ſuccumbat magnis triſtitijs; ergo quanuis ponatur fortitudo in iraſcibili; attamen voluntas adhuc patitur difficultatem; & ideo debet poni alius habitus fortitudinis in volũtate, ne ſuccumbat magnis timoribus. 7. Quotieſcumque aliqua operatio eſt à duplici principio, tunc non eſt perfecta, quando vtrumque principium non perficitur per habitum; ſed actus fortitudinis, & aliarum virtutum eſt ab iraſcibili, & à voluntate; ergo nõ eſt perfectus, niſi ponatur virtus in iraſcibili, & volũtate.

Reſp. ad 1. neg. con[illegible] poſita enim virtute in appetitu voluntas nul[illegible] patitur difficultatem. Ad 2. diſt. mi. Habet inclinationem contrariam actualem, neg; non enim poteſt actu inclinari, niſi ab appetitu, vel ab intellectu proponente illi obiectum contrarium; ſuppoſita autem virtute in appetitu, & prudentia in intellectu voluntas, inclinatur actu in bonum honeſtum, non in contrarium. Ad 3. diſt. ant. Voluntas coniuncta appetitui affecto virtute habet inclinationem contrarium bono honeſto, neg; coniuncta appetitui ſpoliato virtute, conc. Ad 4. diſt. mi. Ponitur prudentia in intellectu, & iuſtitia in voluntate, & ſimul ponitur in appetitu ſenſitiuo, neg; & non ponitur in appetitu, conc; ſicut ergo quia prudentia ponitur in intellectu, & iuſtitia in voluntate, ideo non ponitur in appetitu, ita quia fortitudo ponitur in appetitu, ideo non ponitur in voluntate. Ad. 5. diſt. mi. Ratio habet difficultatem circa omne agibile ſuppoſita prudentia, neg; nam prudentia tollit omnem difficultatem, præciſa prudentia, conc. Quia ergo ſuppoſita prudentia, & virtute in appetitu nulla eſt difficultas, aut contraria inclinatio in intellectu, & in appetitu; ideo voluntas nullam patitur difficultatem, aut contrariam inclinationem. Ad 6. neg. ant; nam continentia, & perſeuerantia ſunt diſpoſitiones ad virtutem temperantiæ, vt dictum eſt *art. 2. n. 16*; & ideo ſicut poſita ſola diſpoſitione, ſiue forma adhuc ſubiectum patitur contrariam inclinationem; poſita autem forma ſimul cum diſpoſitione nullam patitur difficultatem, vt patet de calore in ligno; ita continentia, & perſeuerantia in voluntate ſuppoſita temperantia in appetitu, ad quam diſponit, nullam habent difficultatem in voluntate; quam ſolùm habent, cùm temperantia non eſt in appetitu; & ſic ad ſenſum ſoluitur hoc arg; cuius ſolutionem teſtatur ſe *Val.* nõ vidiſſe Ad 7. diſt. ma. Si vtrunque principium

ha-

Digitized by Google

habeat difficultatem ex ſe ipſo,conc; ſed neg.mi. Si vnum principium habeat difficultatem ab alio, neg,tunc enim ſufficit tolli difficultatem ab illo principio,in quo eſt;ſic nanque in nullo remanebit difficultas,vt liquet.

19 Obijc.4. *noſter Gibb.* Si appetitus ſenſitiuus auferretur ab homine,adhuc voluntas magnam pateretur difficultatem in ſubeunda morte pro fide,vel pro bono publico; ergo ad ſuperandam hanc difficultatem indigeret fortitudine.2.Voluntas difficulter elicit plures actus circa obiecta temperantiæ,ſed ex repetitione actuũ cum difficultate gignitur habitus, ſeu facilitas illos eliciendi; ergo ex repetitione actuum circa obiecta temperantiæ gignitur in voluntate habitus temperantiæ.

Reſp.ad 1.neg.ant;nam *Marc.*14. ait Chriſtus Dominus: *Spiritus quidem promptus eſt,caro autem infirma* ad ſubeundam mortem;vnde ablato appetitu carnis,in voluntate,quæ eſt ſpiritualis,eſſet promptitudo ad ſubeundam mortem; & ideo nulla eſſet difficultas. Ad 2.neg.ma; poſita enim temperantia in appetitu voluntas nullam habet difficultatem eliciendi actus circa obiectum temperantiæ,vt dictum eſt.

Obijc.5. *Gonet* cont.5.part.concl.1.Voluntas eſt proportionata ad bonum proprij,non alieni ſuppoſiti; quia per ſe ipſam eſt completa, & determinata ad tendendum in bonum proprium nedum proportione quoad ſpeciem, ſed etiam quoad indiuiduum; reſpectu verò boni alieni ſuppoſiti,licèt ſit determinata quoad ſpeciem,nõ tamen quoad indiuiduum; tum quia cùm ſit appetitus naturalis ſequens naturam rationalem, naturaliter tendit in bonum proprium, ſicut lapis in ſuum centrum;ergo non indiget habitu illam inclinante in bonum proprium.2.Ideo intellectus indiget habitu, quia de ſe non eſt in actu primo conpletus ad tendendum in proprium obiectum,ergo voluntas, quæ de ſe eſt inclinatio completa, & determinata in bonum proprium, non indiget habitu ipſum inclinante. 3. Voluntas ex eo,quòd radicetur in hoc numero ſuppoſito, determinatur per ſuam differentiam indiuidualem ad bonum proprij ſuppoſiti;ergo ex hac determinatione, qua determinatur ad bonum proprij ſuppoſiti, retardatur ad tendendum in bonum alieni ſuppoſiti;vehementior enim eſt inclinatio ad bonum proprium, quàm ad alienum; & ideo ad proprium nullus datur habitus.4. Licèt voluntas ſit indifferens indifferentia libertatis;attamen non eſt indifferens indifferentia perfectibilitatis quoad actus proprij ſuppoſiti; ergo quoad iſtos eſt perfecta,& ideo non indiget perfici per actus.5. Humilitas, quæ datur in voluntate, eſt pars potentialis iuſtitiæ, quia reſpicit bonum alienum; reſpicit enim propriam excellentiam,vt ſubordinatam,& ſubiectam excellentiæ Dei;humilitas autem, quæ reſidet in appetitu,eſt pars potentialis temperantiæ, quia moderatur propriam excellentiam ſine ſubordinatione ad alterum;ergo in voluntate non eſt,niſi virtus iuſtitiæ. Addi poteſt. Si in voluntate darentur aliæ virtutes diuerſę à iuſtitia; vt humilitas, ſtudioſitas &c; ſequeretur virtutes non eſſe tantùm duodecim, & ſic non eſſet adęquata illarum enumeratio ſuperiùs allata; quod nõ eſt dicẽdũ.

Reſp. ad 1; ad quod ſatis patet ex dictis; quòd voluntas non completur, niſi per ſuum actum;ſicut materia per formam; & ſicut intellectus eſt potentia, quæ non eſt ſemper coniuncta cum ſuo actu; ita voluntas non eſt ſemper cum ſua volitione;ideo nanque lapis ſemper eſt completus, quia eſt ſemper cum grauitate, quæ eſt forma,ſeu actus,quo inclinatur deorſum; at voluntas non eſt ſemper cum actuali volitione immobiliter illi adhærente; ſecus eſſet lapidea, quia non moueretur ab intrinſeco ad ſuum actũ, in quo eius vita conſiſtit, ideo non eſt ſemper cõpleta, & determinata, nec proportionata actu; completur autem per entitatem actus,quæ ſi diu duret,habet rationem habitus virtutis, vt diximus *de Habitib.art.*2. Inſuper voluntas non proportionatur cum aliquo obiecto per receptionẽ illius in proprio ſuppoſito;plura enim recipiuntur in proprio ſuppoſito,in quæ non inclinat voluntas;ſed proportionatur ex eo,quòd obiectum repræſentatum ab intellectu cauſat in voluntate actum proſecutionis, vt qualitas eſt, per quem determinatur ad tendendum in illud obiectum; ſed nedum bonum proprium,verumetiam alienũ repræſentatur ab intellectu voluntati; ergo nedum eſt proportionata ad bonum proprium, ſed etiam ad alienum. Per hoc patet ad 2., eodem enim modo eſt pura potentia paſſiua intellectus in ordine intelligibilium, ac voluntas in ordine volibilium,& ſicut ille determinatur ſolummodo per actus,qui ſi durẽt,& tollãt difficultatẽ,habẽt rationem virtutis; ita dicendum eſt de voluntate. Præterea etiam appetitus eſt proportionatus ad eliciendos actus proprios circa bonum ſenſibile; & intellectus circa actus proprios pertinentes ad propriam vitam, & tamen in iſtis ponuntur virtutes; ergo à pari. Ad.3. dicitur, quòd licèt voluntas, ſicut intellectus, & quæuis alia potentia,quatenus entitas accidentalis, determinatur ad eſſendũ hęc numero entitas;tamen non determinatur,vt potentia eſt; aliter nõ poſſet tendere in aliud obiectum; & ſic nõ eſſet potentia vniuerſalis, ſed particularis, quæ non poſſet tendere, niſi in obiectum vnum numero. Determinatio ergo voluntatis, vt potentia eſt, eſt ab obiecto, quòd cùm ſit bonum vniuerſale, ideo etiam voluntas eſt potentia vniuerſalis, vt docet *D.Tho.*de intellectu,qui cùm recipiat ſpecies abſtractas à materia, & ideo vniuerſales, eſt potentia vniuerſalis; materia verò, quia recipit formam materialem indiuiduam; ideo non poteſt plures formas ſimul recipere; neg. ergo ant. Ad 4. neg. ant; cùm enim indifferentia li-

ber-

bertatis conſiſtat in excluſione actus; nam cùm voluntas eſt coniuncta actui,eſt per illum determinata; & tunc ſolùm eſt indifferens, quando illum excludit; & excluſio actus dicat perfectibilitatem potentiæ; quia potentia excludens actum eſt imperfecta, & perfectibilis per actum, qui eſt eius perfectio; ideo voluntas indifferens indifferentia libertatis eſt indifferens indifferentia perfectibilitatis; quapropter luditur vocabulis. Ad 5. dicitur, quòd ſi humilitas primariò ordinaretur ad Deum, eſſet virtus Theologica; iuſtitia verò primariò ordinatur ad alterum; ſic licèt fortitudo ordinetur ad inimicum; quia tamen non ordinatur primariò, ideo non eſt ſpecies iuſtitiæ; ita à pari; humilitas etiam reſidens in appetitu ordinatur ad ſubiacendum alteri homini, & tamen non eſt ſpecies iuſtitiæ; vnde neg. ant. Ad vlt. dicitur, quòd enumeratio virtutum ſuperiùs facta eſt tantùm virtutum principalium, quæ non reducuntur ad alias; neque tanquam ſpecies, neque tanquam minùs principales diſparatæ; humilitas autem & aliæ virtutes reduci poſſunt ad vnam ex illis; puta magnanimitatem, aut honoris amatiuam; vt innuit *Fund. Doct. vbiſ.*

21 Dices. Superbia, quæ opponitur humilitati, eſt primum peccatorum, quod non reducitur ad aliud peccatum; ergo neque humilitas ad aliam virtutem poteſt reduci.

Reſp. *ex Fund. Doct. in 2. diſt. 5. q. 1. art. 3. in reſp. ad* 4., quòd non oportet vt ea, quæ ſunt priora in generatione, ſint priora in deſtructione; vt fides eſt prima inter virtutes, infidelitas tamen non eſt prima inter vitia; & ideo non valet è contra, quòd ſi ſuperbia eſt prima inter peccata; humilitas ſit prima inter virtutes.

22 Collig. ex dictis vnam, & candem virtutem numero, aut ſpecie non eſſe in duplici potentia diuerſa; non quidem numero, quia vnitas numerica cuiuſque accidentis ſumitur ab vnitate ſubiecti; ſed duplex potentia eſt duplex ſubiectum; ergo in duplici potentia nequit eſſe eadem virtus. Neque ſpecie; quia virtus eſt quodammodo pars potentiæ, tendit enim in obiectum partiale illius; ergo ſicuti duæ potentiæ differunt ſpecie; ita etiam duæ virtutes in illis fundatæ; & patet hoc ex rationibus ſuperiùs allatis. Tum quia vnitas ſpecifica virtutis ſumitur ab vnitate obiecti formalis; obiectum autem virtutis exiſtentis in duplici potentia ſpecie diuerſa, non eſt vnum ſpecie; aliter potentia eſſet vna ſpecie; ergo neque obiectum illius virtutis, quia virtus tendit in obiectum potentiæ, cuius eſt virtus; vt patet. Quidquid dicant *Capr. & Ariog. Vid. inf. de pecc. q. 1. art.* 7.

23 Quæres; an in Angelis ſint virtutes?

Reſp. in Angelis erga bona ſupernaturalia fuiſſe virtutes Theologicas per modum habitus, quia circa illa habent difficultatem, imò impoſſibilitatem ad tendendum in illa viribus naturæ; circa bona verò naturalia, erga quæ non habent difficultatem eſſe virtutes intellectuales, & volitiuas, non quidem per modum habitus, cuius proprium eſt tollere difficultatem, ſed per modum actus permanentis; virtutes autem ſenſitiuas non eſſe in illis, quia non ſunt ſenſitiui.

24 Quid autem dicendum ſit de habitibus opinionis, & fidei naturalis?

Reſp. opinionem, & fidem naturalem non eſſe virtutes, quia poſſunt ad falſum inclinare. Præterea Angeli non habent difficultatem opinandi, & credendi, ideoque opinio, & fides ſunt in illis per modum actus, vt dictum eſt de ſcientijs, & de virtutibus moralibus, quæ ſunt in illis, vt iuſtitia, & religio.

25 Virtutes ergo in Deo ſunt per modum actus puriſſimi; in Angelis verò per modum actus impuri, idèſt cùm diſtinctione à potentia, cuius ſunt virtutes; in nobis verò per modum habitus remouentis difficultatem, & ratio eſt; quia Deus eſt actus puriſsimus per ſuam eſſentiam; Angeli ſunt actu naturæ intellectuales; homo autem eſt intellectualis merè in potentia; vt diximus *to. 3. in tract. de Angelis q. 4. art. 1. §. 2. n. 14; & art. 4. §. 2. n. 33.*, ideoque ſolùm in homine eſt ponenda virtus per modum habitus, vt faciliretur eius potentia operatiua, quæ eſt in mera potentia paſsiua ad operandum; in Angelo verò, qui eſt actu intellectualis, & conſequenter eſt actu operatiuus, virtus naturalis eſt ſolùm per modum actus, quia eius potentia operatiua, cùm ſit in actu potens operari, non habet difficultatem, à qua retardetur ad operandum; in Deo autem, qui eſſentialiter eſt ſua operatio ſine diſtinctione à potentia, virtus eſt per modum actus puriſsimi. *Vid. to. 2. de ſcient. Dei art. 2. à n. 10. vſque ad* 20.

ART. IV.

An virtus actiuè concurrat?

1 Diſcuſſa fuit hæc difficultas *de Habitib. art.* 3; ex eo enim, quòd virtus in nobis ſit habitus, vt probatum eſt *art. 1. §. 1*; & habitus actiuè concurrat ad actionem eo modo, quo *ibid.* dictum eſt; manifeſtè deducitur virtutem actiuè concurrere ad opus ipſius virtutis. Verùm quia præter *ibid.* dicta, plura alia affert *Beatiſs. P.* ſpecialiter de virtute, illis hæc breuiter ſunt addenda.

2 Vnica concl. Virtus actiuè concurrit ad opus eo modo, quo dictum eſt de habitu.

Prob. 1. ex pluribus *Scripturæ* locis, quæ refert *Beatiſſ. P. lib. de morib. Eccl. c.* 16. dicens: *Cùmque ibi dictum ſit Dei Filium (1. Cor. 1.) Dei virtutem eſſe, atque ſapientiam; cùmque virtus ad operationem, ſapientia verò ad diſciplinam pertinere intelligatur; vnde in Euangelio duo ipſa ſignantur, cùm dicitur: Omnia per ipſum facta ſunt; nam hoc operationis, atque virtutis eſt. Deinde quod ad di-*

ſci-

ſciplinam, verique cognitionem attinet: Et vita (inquit) erat lux hominum. Potuitne quidquam magis concinere his teſtimonijs noui teſtamenti, quàm illud, quod in veteri dictum eſt de ſapientia: Attingit autem à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter; namque attingere fortiter magis virtutem ſignificat; diſponere autem omnia ſuaniter quaſi artem ipſam, atque rationem. Sed ſi hoc videtur obſcurum, vide, quæ ſequuntur: Et omnium (inquit) Dominus dilexit illam; doctrix eſt enim diſciplinæ Dei, & electrix operum illius. Videtur hic nihil adhuc de operatione dictum; nec enim hoc eſt intelligere, quod operari; ergo vt hæc ad diſciplinam pertineant, opus virtuti debetur; vt ſit plena, quam volumus demonſtrare, ſententia. Lege igitur deinceps, quod annexum eſt: Quòd ſi honeſta eſt (inquit) poſſeſſio, quæ concupiſcitur in vita, quid ſapientia eſt honeſtius, quæ omnia operatur? Poteſtnè quidquam preclarius, aut manifeſtius, aut verò etiam uberius proferri? Audi aliud, ſi parum putas, quod idem ſonet. Et ſobrietatem Sapientia docet, inquit, & iuſtitiam, & virtutem. Sobrietas mihi ad ipſam cognitionem veri videtur pertinere, idèſt ad diſciplinam; iuſtitia verò, & virtus ad actionem, atque ad operationem. Quibus duobus, idèſt agendi efficacia, & ſobrietate cõtemplandi, quę Dei virtus, & Dei Sapientia, idèſt Dei Filius dilectoribus ſuis donat, quid comparandum ſit, neſcio; cùm idem Propheta ſtatim dicat, quanti ſint iſta pendenda; nam ita poſitum eſt: ſobrietatem enim ſapientia docet, & iuſtitiam, & virtùtem, quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus. Ex his habetur nedum manifeſta *Diuina Scriptura* auctoritas, ſed & multiplex ratio.

3 Prima eſt. In tantùm Verbum eſt ſapientia Patris; in quantùm Pater omnia cognoſcit in Verbo; & in tantùm eſt virtus ipſius; in quãtùm omnia operatur per Verbum; vt habetur *Io.* 1; ergo ſicut ſapientia importat formaliter eſſe rationem actiuè cognoſcitiuam; ita virtus importat formaliter eſſe actiuè operatiuam; aliter ſi ſapientia non eſſet ratio formalis actiuè cognoſcendi; & virtus ratio formalis actiuè operandi; Verbum, quod eſt Patris ſapientia, non eſſet formaliter lux actiuè manifeſtans obiecta; neq; principium, per quod facta ſunt omnia.

4 Secunda eſt. *S*apientia attingit fortiter, & diſponit ſuauiter omnia; ſed fortiter attingere eſt operari; nam fortitudo ad operationem ſpectat, quia importat ſuperare omnem reſiſtentiam contrariam; reſiſtentia autem non ſuperatur, niſi actione; ergo ſapientia, prout virtus, eſt operatiua.

5 Tertia eſt. Virtus moralis, eſt habitus electiuus, dicitur enim: *Electrix operum illius*; ſed electio eſt actio; ergo virtus eſt habitus actiuus; ſicuti enim ab actione principium denominatur actiuum; ita ab electione, quæ eſt actio, principiũ electiuum denominatur actiuum.

6 Quarta eſt. Quotieſcunque in aliqua actione ſunt plures rationes, quæ nequeunt eſſe ab eodem principio; tunc ad illam actionem neceſſariò concurrunt plura principia; quia de ratione actionis (cùm ſit exitus à principio) eſt exire à principio ſecundùm omnia, quæ ſunt in illa; aliter ſi ſecundùm aliquam rationem non exiret, ſecundùm illam non eſſet actio, quia non eſſet exitus; ſed in actione virtuoſa eſt entitas phyſica, & eſt honeſtas, quę nequit eſſe, niſi à virtute, quæ eſſentialiter ſpecificatur à bono honeſto; ergo illa actio eſſentialiter eſt à virtute; & ideo virtus ad illam actiuè concurrit. Quamuis autem ſine habitu virtutis acquiſitæ poſſit quis elicere actionem honeſtam, vt v. g. actum temperantiæ ſine habitu temperantiæ; attamen tunc habet virtutem per modum actus, ſeu diſpoſitionis; propter quod neceſſaria ſimpliciter ad actionem honeſtam eſt virtus, vel per modum habitus, vel per modum actus.

7 Quinta eſt. Verbum Diuinum, quod eſt Dei Sapientia, docet homines ſapientiam, iuſtitiã, & virtutem, vt illis vtantur ad bene viuendum; ſicut Magiſter docet Diſcipulos ſcientias, vt illis vtantur ad bene diſcurrendum; ſed id, quo vtimur ad bene viuendum, eſt principium *quo* bonarum operationum vitalium, in quibus conſiſtit bene viuere; ſicut enim homo pictor v. g. eſt principium *quod* actiuè producens actionem bene pingendi; & ars pictoria eſt principium *quo* actiuè concurrens ad eandem actionem; ita homo bene viuens eſt principium *quod* bonarum actionum vitalium; & virtus, quæ eſt id, quo homo bene viuit, eſt principium *quo* rectæ operationis; ergo virtus eſt principium *quo* bonarum operationum; atqui principium *quo* actiuè concurrit ad actiones, quarum eſt principium; ergo virtus actiuè concurrit ad actiones.

8 Conf. Virtus definitur, *qua rectè viuitur, & qua nemo malè vtitur*; ſed id, quo viuitur, eſt principium concurrens ad actionem, in qua conſiſtit vita in actu ſecundo, & id, quo vtimur, actiuè concurrit ad vſum, qui eſt actus voluntatis; vt diximus *to. 3. de Act. hum. q. 4. act. 7*; ergo virtus actiuè concurrit ad actionem honeſtam.

Aliæ rationes, & obiectiones cum earum ſolutionibus *vid. de Habitib. vbiſ.*

ART. V.

An, & quomodò virtus conſiſtat in medio?

1 VIrtutem conſiſtere in medio poteſt eſſe vel ex parte habitus ipſius virtutis ita; vt habitus virtutis ſit medius inter duos habitus vitioſos, quorum vnus deficiat ab ipſa virtute; & alter illam excedat; vt liberalitas, quæ eſt inter auaritiam, & prodigalitatem; quę cùm ſint extrema liberalitatis, & *omne extremum ſit vitioſum*; ideo ſunt duo habitus vitioſi. Vel poteſt eſſe ex parte actus ita, vt ſenſus ſit virtutem ponere actum mediũ inter duos actus, quo-

rum

tum vnus ſit difformis rectitudini per defectum; & alter difformis per exceſsum .

2 Rurſus virtutem conſiſtere in medio ex parte actus poteſt eſse dupliciter; vel referendo ipſum actum ad dictamen rationis ; & eſt,quando actus neque deficit à regula rationis dictantis , quomodò fieri debeat; neque excedit regulam rationis ; ſed omnino illi adæquatur , proportionatur , & commenſuratur. Vel referendo actum ad ipſas res , circa quas verſatur ; & eſt medius , quando ita adæquatur rebus , vt non plus , aut minùs illas attingat, ſed ſolùm quantùm petunt attingi . Primum medium vocatur medium rationis ; ſecundum verò dicitur mediū rei ; vt innuit *Fund.Doct.Quodl.q.n.*18. Medium rei eſt æqualitas vnius rei ad aliam;vt ſi quis debeat decem , æquatur , cum reddit decem . Medium rationis eſt æqualitas iudicata à ratione, quamuis ſit inæqualitas rei, vt ſex vnciæ cibi , quæ ſunt ſufficientes vni , non ſunt ſufficientes alteri habenti inæqualem complexionem ; ideo ratio dictat tribuendam eſse maiorem quantitatem cibi homini habēti complexionem robuſtam importantem calorem voracem , & conſumptiuum alimentorum , ne natura deficiat ob modicam alimenti quantitatem; vnuſquiſque etenim lege naturali obligatur ad conſeruandam propriam vitam ; habenti verò debiliorem complexionem minor cibus debetur.Hæc æqualitas vocatur proportionalis, illa proportionis .

3 Ex hoc habetur, quòd virtus ſemper ſeruat æqualitatem , & quòd ſeruare æqualitatem idem eſt , ac conſiſtere in medio ; nam ſeruare æqualitatem eſt producere actum adæquatum , proportionatum , & commenſuratum dictamini rationis , & ipſis rebus ita, vt actus neque deficiat, neque ſuperexcedat, & hoc eſt conſiſtere in medio , quia eſt ſe æquilibrare à defectu , & exceſsu eo modo , quo ſtilus bilancis medium tenet , cùm pondera vtrinque poſita æquantur ad inuicem .

4 Quæritur in præſenti ,quam medietatem ſeruent virtutes ; & ſermo eſt de omnibus virtutibus Theologicis ,intellectualibus , & moralibus . In qua re eſt potiùs confuſio circa modū loquendi *apud Auctores*, quàm diſsenſio circa rem propoſitam, Igitur .

5 Vnica concl. Omnes virtutes generaliter loquendo conſiſtunt in medio rationis; virtutes autem Theologicæ per accidens ; & intellectuales poſsunt eſſe per ſe etiam circa medium rei; prudentia eſt circa medium eo, quòd præſtituat medium omnibus virtutibus , iuſtitia autem eſt etiam circa medium rei , & tandem virtutes exiſtentes in appetitu ſenſitiuo ſunt in medio duorum habituum vitioſorum, & in medio rationis.

Prob. 1. pars concl. t. *ex illo Deut.*5. *Cuſtodite , & facite,quæ præcepit Dominus Deus vobis, non declinabitis neque ad dexteram , neque ad ſiniſtram*; *& Prou.*5. *Ne declines ad dexteram,neque ad ſiniſtram , cuſtodi pedem tuum à malo ; & Iſaia* 30. *Hæc eſt via , ambulate in ea,non declinetis neque ad dexteram , neque ad ſiniſtram* , vbi nomine *dextera* intelligitur malum, quod eſt ex parte vnius extremi,& nomine *ſiniſtra* intelligitur malum ex parte alterius extremi, aliter non prohiberetur à Domino , ſolùm enim malum prohibetur, & ſi non ſignificaretur malum,poſſemus nos cuſtodire à malo etiam declinando ad dexteram , & ſiniſtram, quia noſmetipſos cuſtodimus à malo , quandiu non declinamus ad illud , quapropter SS.PP.nomine *dextera* intelligunt exceſsum , & nomine *ſiniſtra* defectum,ergo *ex Scriptura* quælibet virtus,quæ eſt eſſentialiter bona , & bonum operatur , conſiſtit in medio dexteræ , & ſiniſtræ , idèſt duplicis mali extremi , atqui hoc medium nequit ſemper eſse medium rei , vt mox dicemus , ergo conſiſtit in aliquo medio ſaltem rationis .

6 Prob.2. *ex Beatiſs. P. Aug. lib. de Quant. animæ c.*6. docente : *Nunc ergo illud attende ; vtrum tibi videatur virtus æqualitas quadam eſſe vitæ rationi vndique conſentientis* . Et mox. *Sed certè etiam illud vides , & opinor , ſimiliorem eſſe virtuti circulum quàm figurarum planarum aliam quamlibet . Hinc eſt enim, quòd apud* Horatium 2. *ſerm. ſat.*2. *magnis laudibus ſolemus extollere illum verſum , quo ait , cùm de ſapiente ageret*.

Foris, & in ſe ipſo totus teres, atque rotundus .

Et rectè ; nam neque in animi bonis quicquā inuenis , quod magis ſibi ex omni parte conſentiat, quàm virtutem; neque in planis figuris, quàm circulum. Quamobrem ſi circulus non magnitudine ſpatij , ſed quadam conformatione ceteris præſtat ; quantò magis de virtutibus exiſtimandum eſt, quæ non maioris loci occupatione , ſed diuina quadam congruentia rationum , atque concordia ceteras affectiones animi ſuperat? Ex quo ſic arguitur.Medium rationis eſt conſenſus , conformatio , & adæquatio ad dictamen rectæ rationis ita , vt illud dicatur tenere medium rationis , quod neque deficit, neque ſuperabundat ad dictum dictamen , vt *ſuperiùs* habitum eſt ; ſed quælibet virtus importat conſenſum , conformationem , adęquationem ad dictamen rectę rationis ; etenim quælibet virtus eſt moraliter bona , cùm definiatur *bona qualitas mentis* : bonitas autem moralis deſumitur per conformationem , & adæquationem ad dictamen rectę rationis, & ad legem æternam , vt oſtendimus *to.* 3. *de Actib. hum. q.*5. *art.* 1; quemadmodum vitium , quod opponitur virtuti , formaliter importat difformitatem , & diſcordantiam ad dictamen rectæ rationis, & ad legem æternam , quæ ſunt principia moralitatis, propter quod vitium denominatur malum moraliter ; ergo quælibet virtus conſiſtit in medio rationis .

7 Explicatur. Solus circulus eſt perfectus inter figuras planas, quia à cētro illius ducuntur lineæ æquales,quæ neque excedunt,neque deficiunt

ciunt in longitudine, & figura teres, ſeu cylindrus, qui eſt circulus oblungus, eſt perfectus, quia non eſt, niſi circulus ductus in latitudinem, & longitudinem, & ideo in cylindro poſſunt formari in omni parte circuli perfecti., & quia cylindrus habet omnia æquare., ergo ſola virtus eſt perfecta, definitur enim *diſpoſitio perfecti ad optimum*, inter alios habitus., quia actus ducti à virtute ſunt æquales; ſed æqualitas circuli, aut cylindri conſiſtit per ordinem ad centrum, quod eſt regula, & principium linearum, quæ ducuntur ad circunferentiam., ergo æqualitas virtutis conſiſtit per ordinem ad prudentiam, quæ eſt regula motuum virtutis; atqui æqualitas per ordinem ad prudentiam eſt medium rationis., ergo virtus conſiſtit in medio rationis.

8 Conf. Omnis virtus regulatur à prudentia, cum qua connectitur, vt *inf*; ſed prudentia tribuit virtuti medium rationis; ergo omnis virtus conſiſtit in medio rationis.

9 Prob. 2. pars concl; & 1. quòd virtutes Theologicæ, & intellectuales debeant habere medium rationis, patet ex dictis; quia debent regulari à prudentia, quæ illis limites tribuit; nam ſi iſtæ virtutes ita immoderatè exercerentur, vt perderetur vita ſine neceſsitate; aut violaretur aliquod præceptum Diuinum obligans ad aliud pro illo tempore, deficerent à rectitudine virtutis; ergo virtutes Theologicæ, & intellectuales conſiſtunt in medio rationis.

10 Inſtat *Gonet*, qui cenſet virtutes Theologicas regulari à prudentia tantùm per accidens, non per ſe; & ideo non habere medium rationis per ſe, ſed tantùm per accidens. Contra virtutes, quæ conſiſtunt in medio, contingit peccare per exceſſum, & defectum; ſed licèt poſſit quis peccare contra virtutes Theologicas per defectum; quia poteſt minùs credere, ſperare, & amare; attamẽ nequit peccare per exceſſum; quia nequit excedere in credendo, ſperando, & amando ipſum Deum; quia Deus eſt infinitus, & infinitum nequit excedi; ergo virtutes Theologicæ non conſiſtunt in medio per ſe; ſed tantùm per accidens, ſcilicet ratione ſubiecti, in quo ſunt; nã virtutes ſe habent per ſe tantùm reſpectu obiecti, à quo ſpecificantur; reſpectu verò ſubiecti, in quo ſunt, ſe habent tantùm per accidens.

Reſp. 1. diſt. ma. Contingit peccare per exceſſum, & defectum per ordinem tantùm ad obiectum, neg; nam malitia per ſe ſumitur per difformitatem ad dictamen rationis, vt diximus *to. 3. vbi ſ*, per ordinẽ ad regulas rationis tribuentis modum actui, conc; vnde quanuis per ordinem ad obiectum non detur exceſſus in virtutibus Theologicis; attamen contra illas contingit peccare per ſe; quia contingit operari contra regulas eſſentiales bonitatis.

11 Reſp. 2; quòd licèt non poſſimus peccare per exceſſum erga obiectum per ſe ſpecificatiuũ, quod eſt Deus; poſſumus tamen peccare per exceſſum circa obiectum ſecundarium ordinatum ad Deum, vt nunc dicemus.

12 Quòd igitur virtutes Theologicæ reſpectu obiecti ſecundarij, & intellectuales poſſint per ſe habere etiam medium rei; de virtutibus intellectualibus conceditur ab omnibus; quia intellectus poteſt affirmare de ſuo obiecto plus, & minus, quàm illi conueniat; nam tale obiectum non eſt omne verum; quia non eſt infinitum; ideo cõſiſtit in medio ex parte rei, ſeu obiecti, circa quod verſatur per ſe.

13 De virtutibus autem Theologicis prob; nam quanuis virtutes Thologicæ non habeant medium circa obiectum ſpecificatiuum per ſe, quod eſt Deus, qui eſt infinitus, & ideo nunquã poteſt excedi; attamen habent medium, ſi conſideretur obiectum quantùm ad res, quæ ordinãtur ad Deum, & ſunt obiectum ſecundarium; vt quis poteſt peccare contra fidem per defectum, ſi credat eſſe tantùm duas perſonas Diuinas; & per exceſſum, ſi credat eſſe quatuor; reuelationes enim ſunt quid externum, & ordinantur ad Deũ reuelãtem, vt ad obiectum primarium; & per defectum poteſt deſperare Deum eſſe retributorem vitæ beatæ; & per exceſſum, ſi præſumat eſſe retributorem vitæ beatæ etiam ſine meritis; ſic quis per defectum poteſt non amare proximum; & per exceſſum poteſt amare ipſum ſuper omnia; ergo virtutes Theologicæ poſſunt habere etiam medium rei relatiuè ad obiectum ſecundarium, ad quod poteſt extendi.

14 Prob. 3. pars concl. ex dictis; nam prudẽtia eſt regula præſcribens omnibus virtutibus medium rationis, quia dictat hoc, non plus, aut minus; hoc tempore, non illo &c. eſſe agendum; item tribuit modum rei virtuti iuſtitiæ, quia dictat eſſe reddendum tantùm, quantùm ablatum eſt., ergo multò magis ipſa prudentia conſiſtit in medio; nam *propter quod vnumquodque tale, & illud magis.*, & ideo ſi propter prudentiam virtutes tenent medium, multò magis ipſa debet conſiſtere in medio non dictando plus, aut minùs, quàm illud, quod eſt agendum.

15 Prob. 3. pars concl., quę potiſſimè procedit de iuſtitia æquali., nam iuſtitia legalis, cùm præcipiat actus omnium virtutum per ordinem ad legem præcipientem omnes virtutes impleri, conſiſtit in *medio* illarum virtutũ, quorum actus præcipit., prob. autem ſic. Iuſtitia commutatiua præcipit, vt debens decem reddat decem., nam ſi Iudex præcipiat, vt debens decem reddat octo, vel duodecim, iniuſtus eſt., ſic vindicatiua præcipit, vt infligatur pœna iuxta quantitatem delicti, non autem magis, aut minus., & ita diſtributiua præcipit, vt diſtribuatur præmium iuxta menſuram meritorum., & ſi conferatur maius præmiũ alicui, quàm ſint merita illius., aut conferatur minùs digno, vel indigno, eſt acceptio perſonarum., quæ eſt iniuſtitia., ergo iuſtitia conſiſtit in medio rei, circa quam verſatur.

16 Di-

16 Dices. Debens decem,quanuis non poſſit reddere octo, & ſic peccare per defectum; attamen poteſt reddere viginti, & plus in infinitum, & non peccare; ergo iuſtitia non conſiſtit in medio rei; non enim habet exceſſum peccaminoſum. Sic religio, & obedientia, quæ ſunt partes iuſtitiæ, quanuis poſſint peccare per defectum; attamen non poſſunt peccare per exceſſũ, quia nequit quis peccare magis colendo Deum, illique obediendo.

Reſp. neg. conſ., & ad prob. inſert. dicitur; quòd in tantùm debitor non peccat reddens plus, quàm debeat; quia virtus liberalitatis facit illum exceſſum eſſe virtuoſum; ſi tamen conſideretur iuſtitia præciſè, vt eſt in Iudice; tunc exceſſus eſt peccaminoſus, vt dictum eſt. Ratio autem eſt. Reddens plus,quàm debet, in tantùm non peccat; quia ille exceſſus eſt obiectum alterius virtutis, nempe liberalitatis; & quia virtutes ſe compatiuntur, ideo ille exceſſus abſoluitur à vitioſitate,& ille actus tendens in illum exceſſum eſt laudabilis, non quidem ratione iuſtitiæ, ſed ratione liberalitatis; nam ratione ſolius iuſtitiæ eſſet vitioſus, vt patet de iuſtitia exiſtente in Iudice præcipiente ſubdito redditionem debiti, cum qua quia non eſt coniuncta liberalitas, liberalitas enim eſt reſpectu propriarum diuitiarum, non reſpectu alienarum, ideo ſi Iudex præcipiat reddere plus, quàm debet ſubditus, talis actus eſt iniuſtus, & exceſſus eſt vitioſus.

17 Prob.4.pars concl. Quod eſt medium inter duas paſſiones, & regulatur à prudentia, conſiſtit in medio duplicis habitus vitioſi,& in medio rationis; ſed decem virtutes morales exiſtentes in appetitu ſenſitiuo ſunt huiuſmodi; ergo conſiſtunt in medio duplicis habitus vitioſi, & in medio rationis. Prob.mi. Ex qualibet paſſione conſurgere poteſt habitus vitioſus, vt v.g. ex nimio amore pecuniæ habitus auaritiæ; & ex nimio odio habitus prodigalitatis;ergo quod eſt medium inter duas paſſiones moderans illas, vt rectè operentur, conſiſtit in medio duplicis habitus vitioſi; & quia regulatur à prudentia,conſiſtit in medio rationis, vt *ſup.* dictum eſt.Mi.patet ex dictis *art.2.*, nam temperantia eſt media inter amorem, & odium bonorum ſenſibilium;liberalitas inter amorem,& odium pecuniæ;fortitudo inter audaciam, & timorem, et ſic de reliquis.

18 Conf. Ideo virtutes exiſtentes in intellectu, et voluntate non ſunt mediæ inter duplicem habitũ vitioſum;quia vnus,et idem habitus iniuſtitiæ contrariatur iuſtitiæ per defectum, et exceſſum, vnde non minùs eſt iniuſtus Iudex, qui iubet ſolui minùs,quàm qui iubet ſolui magis, quàm aliquis debeat; ſic non minùs eſt infidelis, qui credit in Chriſto Domino eſſe vnam tantùm voluntatem, quàm ille, qui credit eſſe duas in eo perſonalitates, quia ſicut una eſt potentia volitiua,et intellectiua,in qua eſt virtus, ita eſt vnus habitus vitioſus oppoſitus in illa fundatus, ergo quia virtutes exiſtentes in appetitu ſenſitiuo ſunt mediæ inter duas paſſiones, ad quam conſurgunt duo habitus vitioſi, conſiſtunt in medio duplicis habitus vitioſi. Præterea iſtæ virtutes non verſantur circa res, ſed ſolùm circa actus paſſionum, prout regulatos à recta ratione, ergo non conſiſtunt in medio rei, ſed ſolùm in medio rationis.

19 Cùm tamen dicimus has virtutes conſiſtere in medio duplicis habitus vitioſi, non eſt ſenſus, quòd iſti tres habitus ſimul exiſtant, opponuntur enim inter ſe, vt patet, et ideo nequeunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto; ſed tantùm ſenſus eſt, quòd virtus regulat actum, vt non declinet neque in vnum, neque in aliud extremũ, in quod poſſet declinari à duplici habitu vitioſo, qui diſiunctiuè poni poſſet in appetitu.

20 Obijc.1.Virtus definitur *vltimum potentiæ*, ſed vltimum idem eſt,ac extremum,extremũ autem nequit eſſe medium, ergo virtus non cõſiſtit in medio.2.Aliquæ virtutes morales vergũt in extrema, vt magnificentia, quæ verſatur circa maximos ſumptus,magnanimitas circa maximos honores, et Virginitas abſtinet ab omni prorſus delectabili venereo, ergo non omnes virtutes morales conſiſtunt in medio exceſſus, et defectus.

Reſp. ad 1.,quòd illa definitio intelligi debet de vltimo per ordinem ad potentiam, vt dictum eſt *art.1.n 9.*, ſic enim definitur potentia per ordinem ad perfectionem ſuam, uel ad ſuum actum, qui actus, licèt ſit extremum reſpectu potentiæ, quia potentia in ſuo actu vltimatè quieſcit; eſt tamen medium reſpectu exceſſus, et defectus, quod non implicat, quia eſt reſpectu diuerſorum. Ad 2. dicitur *cum Fund.Doct.lib.1.de Regim. Princ.p.2.c.19.*, quòd magnificentia eſt circa magnos ſumptus per ordinem ad ipſa opera, quia habens magnas facultates, et faciens magnos ſumptus ita,ut facultates ſuperent ſumptus, non eſt magnificus, ſed liberalis, quia dicitur facere ſumptus mediocres per reſpectum ad magnas facultates. Magnificentia ergo reſpicit magnos ſumptus per ordinem ad ipſa opera, quia magnificus vult fieri opera cum omni decentia.At hoc poteſt habere exceſſum, & defectum; exceſſum quidem, ſi faciens talia opera expendat plus, quàm exigant illa opera; & talis vocatur *à Phil. Chaunus*, idèſt ignis, aut fornax, ſeu conſumptor, quia omnia conſumit, ſicut ignis, aut fornax; defectum autem, ſi faciens opera magna intendat minùs expendere, quàm exigant illa opera; & iſte dicitur paruificus; vnde magnificentia eſt media inter conſumptiones, & paruificentias. Idem dicitur de magnanimitate,quæ licèt ſit circa maximos honores, attamen habet exceſſum, & defectum; nam aliqui aggrediuntur maxima bona honeſta,quæ non poſſunt complere;& iſti dicun-

tur præſumptuoſi; alij verò ſe retrahunt ab illis, quia putant ſe non poſſe illa complere; & iſti ſunt puſillanimes; vnde magnanimitas eſt media inter præſumptionem, & puſillanimitatem. *Vid. Fund. Doct. vbiſ. c. 22.* Sic dicitur de virginitate, quæ licèt abſtineat ab omni delectatione venerea, nec illa etiam mediocriter vtatur; attamen habet exceſſum, quia aliquis poteſt abſtinere ab vſu membrorum venereorum, quatenus ordinantur ad actus neceſſarios ad conſeruationem vitæ putantes per illos actus poſſe violari virginitatem; & habet defectum, quia poteſt quis in actus prorumpere, qui poſſunt virginitatem violare, & ideo eſt media inter delectationes naturales, & illicitas; cùm enim virginitas ſit pars temperantiæ, ſicut temperantia eſt media inter delectationes naturales licitas, & illicitas; ſic dicendum de virginitate.

21 Dicitur ergo has virtutes vergere ad extrema ſiſtendo intra fines perfectionis ſui obiecti, non autem egrediendo à finibus perfectiois ſui obiecti; idèſt attingendo id, quod eſt perfectiſſimum in ſuo obiecto; non antem attingendo id, quod eſt vitioſum; cùm enim obiectum habeat latitudinem, quia continet plura obiecta partialia, quorum vnum eſt perfectius alio, ideo attingens id, quod eſt perfectius, dicitur vergere ad extremum, quod tamen eſt intra latitudinem perfectionis obiecti; non tamen dicitur vergere ad extremum vitioſum, quia hoc eſt extra latitudinem perfectionis obiecti. Sed hæc magis patebunt ex dicendis de virtutibus in particulari.

ART. VI.

An virtutes morales ſint connexæ?

1 Virtutes poſſunt ſumi in ſtatu perfecto, quando ſunt in ſubiecto per modum habitus ita radicati, vt tribuat facultatem reſiſtendi contrarijs; vel in ſtatu imperfecto per modum diſpoſitionis faciliter mobilis à ſubiecto. *Ita recentes Thomiſtæ, vt Gonet hìc diſp. 6. art. 2; & alij,* quos ſequitur *Gibb. diſp. 40. c. 4. Hoc ſupp.*

2 Prima ſententia fuit *Stoicorum* aſſerentium omnes virtutes eſſe eſſentialiter connexas; vt *inf.*

3 Secunda vult virtutes exiſtentes in ſubiecto in eſſe perfecto, ſeu per modum habitus, eſſe connexas ita, vt qui vnam habuerit, habeat omnes ſaltem in propinqua diſpoſitione; vt patet de magnificentia, quam non habet pauper, poteſt tamen habere, ſi ei ſuperueniant diuitiæ. *Ita Gonet, Gibb.,* apud quos *Caiet; Conr; Med; Alnar; Martinez, Val; Sal; & alij.* Sed aliud eſt non poſſe exercere opera externa alicuius virtutis propter aliquem defectum externum; & aliud non habere habitum virtutis; vt poteſt quis habere habitum citharizandi, & tamen non poſſe citharizare ob defectum citharæ; habitus enim exiſtit in anima, non in aliqua re exteriori; ſic poteſt aliquis habere virtutem magnificentiæ, cuius opera externa non poteſt exercere ob defectum diuitiarum. Ideo hæc ſententia non bene procedit.

4 Tertia vult virtutes etiam exiſtentes in ſubiecto per modum habitus firmiter radicati non eſſe connexas. *Ita Scot; & communiter Scotiſtæ; Ocbam. in 3. q. 7., Vaſq; Lorca, Hurt; Arriag, & ex parte Ouied; & alij.*

5 Noſtra tandem docet virtutes non eſſe connexas, niſi per charitatem habitualem, quæ ſi ſit in gradu remiſſo, illas connectit ſolùm per modum diſpoſitionis, ſeu in eſſe imperfecto; ſi verò ſit in gradu intenſo, & perfecto, connectit per modũ habitus, ſeu in eſſe perfecto. Deducitur *ex Fund. Doct. in 3. diſt. 9. p. 1. art. 2. §. His itaque;* vbi ait: *Tertiò quia omnes virtutes tendunt ad vnum finem, idèſt ad Deum; quælibet enim virtus poteſt imperare actum cuiuslibet alterius virtutis; vel voluntas perfecta per aliquam virtutem, ad hoc, vt fiat meliùs actus illius virtuti, & vt meliùs tendat in Deum, tanquam in finem, per virtutem illam, poteſt imperare actum cuiuslibet alterius virtutis;* patet autem, quòd tendere in Deum, vt in vltimum finem, eſt actus charitatis. Sed expreſſiùs hoc docet *in Cant;* poſtquã enim *c. 4. lect. 9.* ex illo; *Cypri cum nardo, nardus, & crocus, fiſtula* (vel vt *alij* legunt *Caſia*) *& cynamomum cum vniuerſis lignis Libani;* docuerat his herbis, & plantis ſignificari connexionẽ virtutũ; ait, quòd nomine *nardi,* quæ eſt herba admodum calida, ſignificatur perfectio affectus, ſeu charitas, vt habet *Gloſ.* itandem *c. 7.* ſuper illud: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis;* ait, quòd greſſus noſtri, idèſt operationes, non ſunt pulcri, niſi ſint calceati, & veſtiti per charitatem, quæ eſt perfectio omnium virtutum; verba eius ſunt hæc: *Operationes tuæ, ſecundùm quas Aduerſarium aggrederis, & inuadis, non ſunt nudæ, ſed ſunt ordinatæ* (ſcilicet à charitate, quæ ordinat omnes actus virtutum in Deum, qui eſt finis illarum, vt *ſup.* dixerat) *& calceatæ, idèſt informatæ charitate; quia totum corpus noſtrum, & omnia noſtra veſtit, & ornat; in quantùm eſt forma, & perfectio omnium virtutum, & omnium operationum noſtrarum; & quælibet operatio ſumit perfectionem à charitate.*

6 Not. *ex Beatiſſ. P. epiſt. 29. ad Hier;* vbi quærens explicationem illius textus *Iac. 2. Quicunque enim totam legem ſeruauerit, offendat autẽ in vno, factus eſt omnium reus;* narrat quòd *Stoici,* qui dicebant omnes virtutes connecti, & vnã non acquiri, niſi ſimul acquirantur omnes; quapropter aſſerebant virtutes conſiſtere in indiuiſibili; & quando homines proficiunt ad ſapientiam, illam non habere; ſed tunc ſolùm illam acquirere, quando tota præfocata ſtultitia, velut ex aquis, ſurgunt in aerem ſapientiæ aſſequentes illius plenitudinem; narrat, inquam, quòd *Stoici* ſic

opi-

opinantes poſſunt confirmare allatum *textum* dicendo, quòd ſicut per vnam virtutem acquiruntur omnes virtutes; ita per vnum peccatum committuntur omnia peccata, ex quo ſequeretur omnia peccata eſſe paria; & vnum non eſſe maius alio. Deinde explicans, quommodò *Staici* hoc probabant, ſubdit: *Certè hinc perſuadent, qui vnã virtutem habuerit, habere omnes; & omnes deeſſe, cui vna defuerit; quòd prudentia nec ignaua, nec iniuſta, nec intemperans eſſe poteſt; nam ſi aliquid horum fuerit, prudentia non erit. Porrò ſi prudentia tunc erit, ſi & fortis, & iuſta, & temperans ſit; profectò vbi fuerit, ſecum habet & reliquas. Sic & fortitudo imprudens eſſe non poteſt, vel intemperãs, vel iniuſta; ſic temperantia neceſſe eſt, vt prudens, fortis, & iuſta ſit, ſic iuſtitia non eſt, niſi prudens, fortis, & iuſta ſit; ſic iuſtitia non eſt, niſi prudens, fortis, & temperans. Ita vbi eſt vna vera aliqua earum; & alia ſimiliter ſunt; vbi autem alia deſunt, vera vna illa non eſt; etiamſi aliquo modo ſimilis eſſe videatur.* Quapropter ait, quòd licèt multi ſint auari, quòd videntur eſse prudentes; illa tamen non eſt vera prudentia, ſed aliquid ſimile prudentiæ, quod aſtutia dici poteſt.

7 Profectò hoc totum ait referendo ſententiam *Stoicorum*, vt patet ex illis verbis: *Certè hinc perſuadent*. Quare dicendum *Gonet*, & alios non aduertiſse, vt frequenter ſolent præſtare, quid doceat *Beatiſs. P.* ex propria ſententia; & aliena quid referat; quod maximum eſt vitium legentium; attribuunt enim *SS. DD.*, quos legunt, quod illi non docuerunt, imò quod confutarunt expreſsè. An ergo *Beatiſs. P.* hanc ſententiam docuerit, videndum ex ijs, quæ deinde ſubijcit.

8 Poſtquam igitur explicauit prædictam ſententiam exemplo *Catilinæ*, qui licèt frigus, ſitim, famem fortiter tulerit; attamen in eo non fuit vera virtus fortitudinis; ſed aliquid ſimile fortitudini, quod pertinacia, dici poteſt; quia prudens non fuit; mala enim pro bonis eligebat; nec temperans, quia fœdiſſimis corruptelis fœdabatur; nec iuſtus; nam contra patriam coniurauerat. Præterea aſserit omnia vitia non ſimul eſse; quia reperiuntur aliqua vitia inter ſe contraria, quæ nequeunt ſimul eſse; vt prodigalitas, & auaritia; vnde vnum vitium aliquando tollitur ſuccedente alio vitio oppoſito, auarus enim deſinit eſse talis, dum prodigus ſit; & aliquando tollitur ſuccedente virtute; vt ſuccedente liberalitate tollitur auaritia. Tandem examinans hanc ſententiam, & quærens, quid de illa tenendum ſit, ait: *Hæc vtrum ita ſe habeant, diligentiùs inquirendum eſt; non enim & iſta Diuina ſententia eſt, quæ dicitur: Qui vnam virtutem habuerit, omnes habet; eique nulla ineſt, cui vna defuerit: Sed hominibus hoc viſum eſt, multùm quidem ingenioſis, ſtudioſis, ſed tamen hominibus.* Deinde ponens argumentum contra prædictam ſententiam ductum *ex Scripturis*, ait: *Ego verò neſcio, quemadmodum dicam, non dico virum, à quo denominata eſt virtus, ſed etiam mulierem, quæ viro ſuo ſeruat thori fidem, ſi hoc facit propter præceptum, & promiſſum Dei, & quæ primitus ſit fidelis, non habere pudicitiam, aut pudicitiam nullam, vel paruam eſſe virtutem. ſic & maritum, qui hoc idem ſeruat vxori, & tamen ſunt plurimi tales, quorum ſine peccato eſſe neminem dixerim. & vtique illud qualecunque peccatum ex aliquo vitio venit. Vnde pudicitia coniugalis in viris, fœminis, quamreligioſis, cùm proculdubio virtus ſit, non enim aut nihil, aut vitium eſt; non tamen ſecum habet omnes virtutes; nam ſi omnes ibi eſſent, nullum eſſet vitium; ſi nullum vitium, nullum omnino peccatum. Quis autem ſine aliquo peccato? Quis ergo ſine aliquo vitio; idèſt fomite quodam, vel quaſi ſine radice peccati, cùm clamet, qui ſupra pectus Domini recumbebat: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipſos decipimus, & veritas in nobis nõ eſt.* Paulò poſt: *Abſit autem, vt quiſquam fidelis exiſtimet tot millia ſeruorum Chriſti, qui veraciter dicunt ſe habere peccatum, ne ſeipſos decipiant, & veritas in eis non ſit, nullam habere virtutem.*

9 Deinde loquens de charitate profert ſuã ſententiam dicens: *Cur ergo non dicimus, qui hanc virtutem habet, habere omnes, cùm plenitudo legis ſit charitas? An quantò magis eſt in homine, tantò magis eſt virtute præditus? quantò aut minùs, tantò minùs eſt virtus, quia ipſa eſt virtus; quantò minùs eſt virtus, tantò maius eſt vitium? Vbi ergo illa plena, & perfecta erit, nihil ex vitio remanebit.* Deinde paucis interiectis *de Staicis*, qui putabant ſimul inſurgere omnes virtutes, ſubdit: *Quia etſi verum eſſet eum, qui habet vnam omnes habere virtutes &c. Si autem, quod puto eſſe verius, ſacriſq; literis congruentius, ita ſunt animæ intentiones, vt corporis membra, non quòd videantur locis, ſed quod ſentiantur affectibus; & alius illuminatur ampliùs, alind minùs, aliud omnino caret lumine, & tenebroſo inumbratur obſtaculo; profectò ita, vt quiſq; illuſtratione piæ charitatis affectus eſt, in alio actu magis, in alio minùs, in alio nihil; ſic poteſt dici habere aliam, & aliam non habere, aliam magis, aliam minùs habere virtutẽ, nam, & maior eſt in iſto charitas, quàm in illo, rectè poſſumus dicere, & aliqua in iſto, nulla in illo, quantùm pertinet ad charitatem, quæ pietas eſt; & in ipſo vno homine, quòd maiorem habuit pudicitiã, quam patientiam, & maiorem hodie, quàm heri, ſi proficit; & adhuc non habeat continentiam, & habeat non paruam miſericordiam; & vt generaliter, breuiterq; complectar, quam de virtute habeam notionem, quod ad rectè viuendum attinet; virtus eſt charitas, quæ id, quod diligendum eſt, diligitur; hæc in alijs maior, in alys minor, in alijs nulla eſt; pleniſſima verò, quæ iam augeri non poſſit, quandiu hic homo viuit, eſt in nemine; quandiu autem augeri poteſt, profectò illud, quod minus eſt, quàm debet, ex vitio eſt.*

10 Reſpondet *Gonet hìc art. 3. ad 1. Beatiſs.*

P.

P. loqui de virtutibus, quæ promouent ad vitam æternam.

Sed falſum eſt, nam licèt loquatur de virtutibus, quibus proficimus ad vitam æternam, loquitur tamen de illis etiam *generaliter*, & *ſecundùm generalem notionem*; ideoq; loquitur etiã de virtutibus naturalibus in eo ſenſu, in quo loquebantur *Stoici*, quos redarguebat; quanuis illæ non eſſent veræ vndequaque.

11 Dices. *Lib.6. de Trin.c.4.* ait: *Sic enim virtutes, quæ ſunt in animo humano, quanuis alio, atque alio modo ſingulę intelligantur, nullo modo tamen ſeparantur ab inuicem, vt quicunque fuerint ęquales v.g. in fortitudine, ęquales ſint & prudentia, & temperantia, & iuſtitia. Si enim dixeris ęquales iſtos fortitudine, ſed illum preſtare prudentia, ſequitur, vt huius fortitudo minùs prudens ſit, ac per hoc nec fortitudine ęquales ſunt, quoniam illius fortitudo prudentior*; ergo *hic* videtur docere oppoſitum.

Reſp. *hic* loqui de æqualitate virtutum cõparatiuè ad diuerſa ſubiecta, & hoc modo ait eſſe inſeparabiles; vnde ſi fortitudo *in Petro* v.g. ſit coniuncta cum prudentia, nequit eſſe æqualis fortitudini *Pauli*, niſi in *Paulo* quoque cum prudentia coniungatur; quo probat æqualitatem Diuinarum perſonarum; non tamen docet eſſe connexas ſimpliciter abſolutè, ſed potiùs docet oppoſitum dicens *alio, atque alio modo ſingulas intelligi*; quòd ſi eſſent connexæ, eodem modo omnes intelligerentur in omnibus.

12 Vnica concl. Virtutes omnes non ſunt connexæ, niſi per charitatem; & ſi charitas ſit in gradu remiſſo connectuntur per modum diſpoſitionis; ſi verò in gradu intenſo, connectuntur per modum habitus.

Prob. 1. *ex Iac. 2. Qui totam legem ſeruauerit, offenderit autem in vno &c.* & *1. Io. 1. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*, ſic. Qui dicit non poſſe totam legem ſeruari, & in vno tantùm offendi, ac peccatum non habere, contradicit *Scripturis*, imò *& orationi Dominicę*, qua Sancti clamant: *Dimitte nobis debita noſtra*, quod *Concilia* explicant de peccatis leuibus, quæ non tollunt ſanctitatem; ſed dicens habentem vnam virtutem habere omnes aſſerit non poſſe totam legem ſeruari, & offendi tantùm in vno, & poſſe eſſe ſine omni peccato, ergo contradicit *Scripturæ*, *& orationi Dominicæ*. Ma. patet, prob. mi. Qui dicit, quòd habens vnam virtutem habeat omnes, dicit ſeruari totam legem, & in nullo offendi, & nullum habere peccatum, quia per omnes virtutes ſeruatur tota lex, & in nullo offenditur, & nullum habetur peccatum, quod conſtituitur per oppoſitionem ad virtutem, vt *inf.*, ſi enim offendat in vno, & habet aliquod peccatũ, quod conſtituitur per oppoſitionem ad virtutem, ſequitur, quòd non habeat virtutem oppoſitam illi peccato, & offenſioni legis, quæ præcipit actus omnium virtutum, ergo dicit poſſe totam legem ſeruari, & non poſſe in vno tantùm offendi, & poſſe eſſe ſine omni peccato.

13 Dices. Licèt voluntas non habeat actu illam virtutem, illam tamen habet in animi diſpoſitione, & promptitudine ad illam habendam, quod ſufficit ad connexionem virtutum.

Sed contra. Habere uirtutem in animi diſpoſitione eſt habere uoluntatem in actu primo inclinatam ad ponendum actum uirtutis toties, quoties occurrat materia illius uirtutis, ut liberalis dicitur habere magnificentiam in animi promptitudine, quia quoties occurrant diuitiæ, quæ ſunt materia magnificentiæ, ſtatim prorumpit in actum; ſed uoluntas actu peccans non eſt huiuſmodi, aliter ſimul eſſet in actu primo inclinata ad peccandum, quia de facto peccat, et ad non peccandum, quod eſt contradictorium; tum quia materia illius uirtutis occurrit uoluntati, dum peccat, quia illi occurrit peccatum uitandũ; quod eſt materia circa quam uerſatur uirtus negatiuè, ergo neque in animi diſpoſitione habet virtutem.

14 Conf. *ex eod.* Poteſt quis habere pudicitiam coniugalem per modum habitus, ita firmiter radicati, vt ob quancunque pecuniam non proſtitueret vxorem; & tamen peccare peccato auaritiæ; ergo poteſt habere vnam virtutẽ per modum habitus abſque eo, quòd habeat cæteras annexas. Prob. ant., quia poteſt quis peccare peccato auaritiæ ob aliquod motiuum, quod placet; non ob aliud, quod firmiter diſplicet; vt ſi dicatur auaro, quòd thus exhibeat Dæmonibus, vt lucretur, non eſt veriſimile, quòd illud exhibeat, ſi ſit firmiter catholicus; ſed motiuum proſtituendi vxorem poteſt in ſummo diſplicere, quia poteſt eſſe firmiter zelotypus; ergo poteſt habere coniugalem pudicitiam per modum habitus, & tamen peccare peccato auaritiæ. Item habens pudicitiam coniugalem non habet virtutem virginitatis, vt patet; ergo habens vnam virtutem non habet omnes virtutes.

15 Dices pudicitiam poſſe corrumpi ex auaritia, quia ob lucri amorem poſſet proſtituere vxorem; ergo non remanet pudicitia in eſſe perfecto.

Reſp. neg. ant. eadem facilitate, qua dicitur; quia auaro poteſt vnum motiuum placere, aliud ſummè diſplicere; vnum enim motiuum mouet fortiùs alio, vt patet; & ſic vnum poteſt ſummè mouere, aliud ſummè diſplicere, & ideo non mouere, vt in caſu.

16 Prob. 2. *ex eod.* Poteſt quis ex actibus repetitis liberalitatis acquirere habitum liberalitatis, qui per ſuos actus acquiritur, non tamen per illos acquirit habitum pudicitiæ; quia & ſi per actus liberalitatis tollatur à potentia difficultas erogandi pecuniam, non tamen tollitur difficultas abſtinendi à venereis; hæc enim duo ſunt omnino diſparata, & ideo non tolluntur,

niſi

ni ſi per actus diſperatos; ergo poteſt acquirere vnam virtutem per modnm habitus ſine aliis.

17 Reſp. *Gonet.* 1. virtutem non eſſe perfectam, niſi iuuetur in ſua actione à conſortio aliarum virtutum. 2. *Cum Caiet.* virtutes alias ſimul non acquiri in eodem inſtanti temporis, ſed poſt breue tempus ſubſequens.

Sed ad 1. dicitur debuiſſe meminiſſe *Gonet*, quòd virtutem in eſſe perfecto dixit illam, quæ habetur per modum habitus; quomodò autem *hic* variat modum loquendi recurrens ad petitionem principij; quæritur enim, an virtus poſſit haberi in eſſe perfecto ſine conſortio alterius. Ad 2. dicitur, quòd ſi virtutes non acquiruntur ſimul in eodem inſtanti temporis, ſequitur, quòd non ſint eſſentialiter connexæ; quia quæ eſſentialiter connectuntur, nec per minimum inſtans poſſunt ſeparari.

18 Prob. 3. *ex eod.* Acquirens vnum vitium non acquirit ſimul omnia vitia; & ideo vitia non ſunt eſſentialiter connexa; ergo acquirens vnam virtutem oppoſitam vni vitio non acquirit alias virtutes oppoſitas alijs vitijs. Ant. probatı ſunt enim aliqui ita habituati in vno vitio, in quod facillimè inclinanr, vt habeant maximam repugnantiam ad aliud vitium, v.g. auarus maximam repugnantiam habet ad impudicitiam., quia in exercitio huius vitij debet pecuniam profundere. Tum quia ſi habens vnum vitium haberet ſimul omnia vitia vnuſquiſque vitioſus eſſet intolerabilis; quia nihil honeſtatis haberet. Tum quia omnia peccata eſſent paria; haberent enim eandem deformitatem. Tum quia auaritia incõpoſſibilis eſt eum prodigalitate, & ideo nequit ſimul acquiri cum illa. Prob. conſ. *Oppoſitorum eadem eſt ratio*; ſed virtus, & vitium ſunt oppoſita; ergo eadem eſt ratio vtriuſque.

19 Reſp. *Gibb.* vitia ſępe habere contrarietatem, & incompoſſibilitatem, vt auaritia, & prodigaliras, ideo non eſſe connexa; tum quia recedunt ab vna regula prudentiæ; quæ autem recedunt ab vnitate, vergũt in cõfuſionem, & diſcordiam; virtutes autem coadunantur in vna regula prudentiæ.

Sed contra eſt; quia nedum vitia oppoſita, quæ reſpiciuntur ab vna virtute, ſed etiam diſparata, quæ reſpiciuntur à virtutibus diſparatis, acquiruntur ſimul eo, quia ſunt diſparata; ſed etiam virtutes, quæ illa reſpiciunt, ſunt diſparatæ; aliter illa vitia non eſſent diſparata, ſed oppoſita, & ſic reſpicerentur ab eadem virtute; ergo ſi vitia eo, quia diſparata, non acquiruntur ſimul; nec virtutes eo, quia diſparatæ, ſimul poſſunt acquiri. Ad aliud dicitur, quòd licèt vitia in eo, quòd recedant à regula prudentiæ, vergant in multiplicitatem; attamen eo, quòd vergant ad vnitatem imprudentiæ, adunantur; nec ex eo, quòd virtutes regulentur ab vna prudentia, sũt vna virtus, ſed plures, & diſtinctæ realiter; ſicut vitia ex eo, quòd deſcendant ab eodem vitio imprudentiæ, non ſunt vnum vitium, ſed plura, & diſtincta, ergo ſicut vitia non ſunt connexa, quãuis ab vno vitio imprudentiæ deſcendant; ita nec virtutes, licèt ab vna virtute prudentiæ regulentur.

20 Prob. 4. *ad hominem cõtra Gonet, & alios*; & ſimul oſtenditur 2. pars concl. Virtus ſine charitate non eſt perfecta; nam ſine charitate eſt cum peccato; & peccatum corrumpit appetitum, quia illum malè diſponit ad actus oppoſitos virtutibus; vt docet *Gonet hic art. 3. concl. 2*; *malitia* enim *eſt corruptiua principij iuxta Phil*; ergo virtutes ſolùm ratione charitatis connectuntur.

21 Prob. 2. *ex Apoſt. Rom. 8. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius?* Ex quo ſic. In tantùm tribulatio non poteſt nos ſeparare à charitate Chriſti, in quantum trahit patiẽtiam, quæ eſt virtus vincens tribulationem; & ſic anguſtia; quia charitas defert ſecum humilitatem, quæ in anguſtijs delectabiliter exinanitur; ita fames, quia charitas connectitur cum abſtinentia, quæ à cibis abſtinet; ſic nuditas, quia vnitur paupertati, quæ pompas fugit; ſic perſecutio, quia vnitur manſuetudini, quæ illam vincit; ſic mors, quia nectitur fortitudini, quæ illam non timet, & ſic de alijs; ergo idem.

22 Conf. *ex Beatiſs. P. vbiſ.* Tũc nectũtur virtutes omnes, quando nihil infirmitatis remanet in potentijs; virtus enim habet roborare potentiam, vt fortiter tendat in actus bonos, & fugiat malos; & ideo vbi eſt omnis virtus, ibi eſt omnis fortitudo; & vbi eſt omnis fortitudo, ibi nequit eſſe aliqua infirmitas, quæ fortitudini opponitur; ſed ſola charitas *foras mittit timorem*; timor autem non expellitur, niſi per fortitudinem, cui opponitur; ergo idem.

23 Præterea charitas eſt forma omnium virtutum inflammans voluntatem ad exercenda omnia virtutum opera, & ſtudia pietatis; ſic enim definitur gratia actualis exiſtens in voluntate *à Beatiſs. P. Aug.* docente gratiam actualem ſe tenentem ex parte voluntatis eſſe dilectionem Dei, qua inflammatur voluntas ad exercenda omnia virtutum opera; vt diximus *to. 2. de ſcient. Dei q. 4. art. 1. §. 2*; ergo omnes virtutes connectuntur per charitatem, nam illa dicuntur connecti reſpectu alicuius, quæ vniuntur cum illo, tanquam forma informãte, quæ eſt vna reſpectu eorũ, & à qua illa plura recipiũt vnitatem, & per cõſequens connexionem, quæ eſt quædam vnio; ſic plura accidentia connectuntur ratione ſubiecti, quod eſt vnum., & omnes partes corporis sũt connexæ ratione formæ, quæ vna eſt illas informans., ſed charitas eſt forma omnium virtutum, quia illis dat motum in Deum, qui eſt finis omnium virtutum., motus enim habetur à forma, quæ eſt actus., ergo virtutes connectuntur ratione charitatis. Item virtutes morales infunduntur ſimul cum charitate, quia ſunt proprietates

il-

illius, quamuis non ſint proprietates quarto modo; vt *inf.* dicemus, ergo nectuntur ratione charitatis.

24 Prob. 3. pars concl. Proprietates commenſurantur cum forma, quam ſequuntur; ſed virtutes ſunt proprietates charitatis; ergo cum charitate commenſurantur; & ideo ſi charitas eſt intenſa habet virtutes per modum habitus, ſeu intenſè; ſi verò non ſit intenſa, illas habet ſolùm per modum diſpoſitionis, ſeu remiſsè.

25 Obijc. 1. *S. Ambr. lib. 5. in Luc. c. de ſermone Ieſu* ait: *Connexa igitur ſunt, concatenatæque virtutes, vt qui vnam habeat, plures habere videatur.* Idem docet *D. Greg. lib. 22. mor. c. 1., & Philo lib. 2. de vita Moyſis apud Gonet., & alij.*

Reſp. SS. PP. aſſerere plures, non omnes virtutes cõnecti, quod cõcedimus, uel intelligẽdos eſſe de virtutibus formatis per charitatem eo modo, quo diximus *cum Beatiſ. P.*, qui refert etiam *D. Hier.*

26 Obijc. 2. Virtus in ſtatu perfecto inclinat ad promptè, & delectabiliter operandum, ſed hoc nequit eſſe abſque conſortio aliarum virtutum, quia mulier caſta, ſed auara oblata ſibi pecunia facilè rueret in adulterium; ergo virtutes ſunt connexæ. 2. Virtus dependet à prudentia, à qua regulatur; ſed prudentia nequit eſſe ſine omnibus virtutibus; quia prudentia debet cauere omne illud, quod poteſt corrumpere medium alicuius virtutis, & hoc eſt materia omnium virtutum; nimius enim amor pecuniæ, quem moderatur liberalitas, poteſt corrumpere medium caſtitatis, vt dictum eſt; & ſic de exceſſibus omnium aliarum virtutum; adeoque prudentia eſt virtus generaliter ſe extendens ad materiã omnium virtutum; quapropter cum omnibus coniungitur; ergo virtutes ratione prudentię ſunt connexæ. 3. Quælibet virtus poteſt imperare actum alterius virtutis; ergo ratione huius imperij ſunt connexæ. Hæ duæ poſtremæ rationes traduntur *à Fund. Doct. in 3. diſt. 9. vbiſ.*

Reſp. hæc omnia bene concludere de virtutibus perfectis per charitatem, non autem præciſa charitate. Ad 1. igitur neg. mi., & ad prob. dicitur, quòd mulier habens caſtitatem per modum habitus, non niſi difficulter, pecunia corrumpitur; quando autem corrumpitur, amittit habitum caſtitatis; vnde hoc arg. probat ſolùm virtutem per modum habitus poſſe corrũpi à vitio annexo, quod libenter concedimus; de ratione enim virtutis habitualis non eſt non poſſe deperdi, & corrumpi, vt diximus de habitibus. Ad 2. diſt. mi. Prudentia nequit eſſe ſine omnibus virtutibus perfecta per charitatem, à qua ſolùm perficitur; quia charitas eſt forma omnium virtutum, & perfectio ſumitur à forma, conc., imperfecta, quia ſine charitate, neg., vnde licèt non ſint duæ prudentiæ vna generaliter reſpiciens omnes actus omnium virtutum, & altera veluti partialis reſpiciens particularem materiam vnius tantùm virtutis, vt vult *Scot*; attamen eadem prudentia poteſt in vno extendi ad actus pauciorum virtutum, & in alio ad plurium; & ideo neceſſariò non connectitur cum omnibus. Ad 3. diſt. ant. Poteſt imperare actum alterius virtutis, & in illum faciliter prorumpere, neg., difficulter, conc., quando autem difficultatem ſentit, non habet illam virtutem; & ſic intelligendus eſt *Fund. Doct.*

27 Obijc. 3. Charitas non connectitur cum omnibus virtutibus; non enim omnes habentes charitatem pollent omni virtute; ſed vnus eſt præditus aliquibus, alius pluribus; vt *ſup.* docet *Beatiſs. P.*, ergo neque virtutes connectuntur inter ſe ratione charitatis; hoc enim ſolùm ſequeretur, ſi charitas connecteretur cum omnibus virtutibus iuxta regulam. *Quæ connectuntur vni tertio, connectuntur inter ſe.*

Reſp. diſt. 1. part. ant. Charitas non connectitur cum omnibus virtutibus per modum habitus, conc., per modum habitus, vel diſpoſitionis, ſeu in eſſe imperfecto, neg. Quo maiorem autem charitatem habet aliquis, habet plures virtutes in eſſe intenſo, & perfectiori, quàm alter habens minorem charitatem; vterq; tamen habet omnes in eſſe imperfecto, & per modum actus, ſeu diſpoſitionis.

28 Sic ſoluuntur ceteræ obiectiones *Aduerſariorum* negando ſuppoſitum, quòd ſcilicet poſſit haberi perfecta prudentia ſine charitate, quod etiam ipſi nobiſcum *alibi* negant; vt videre eſt *apud Gonet vbiſ. art. 3.*, qui propterea non parum ſe implicat. Ceteræ autem obiectiones ſoluentur *in ſeq. art.*

ART. VII.

An virtutes infidelium ſint vitia?

1 LOquimur de virtutibus non ordinatis in verum Deum; etenim certum eſt; quòd ſi quiſpiam paganus erogaret pauperi ſtipem ob amorem veri Dei, eſſet actus veræ virtutis, & donum Dei miſericorditer à Deo ei collatum; nec tunc operaretur, vt infidelis, ſed vt fide ueri Dei imbutus, quia cognitione ueri Dei, à quo ſibi reſtitui ſperaret, duceretur.

2 Virtutes autem non relatæ in uerum Deũ poſſunt dupliciter accipi. 1. Ita, ut ſint poſitiuè ordinatæ in malum finem; ut ſi quis eleemoſinã uirgini largiretur animo eam deflorandi, & tunc certum eſſet iſtum actum non eſſe à uera uirtute; uitiaretur enim à fine malo, quem conſtat influere maliriam in actum. Quapropter *Beatiſs. P. lib. 4. cont. Iul. c. 3.* docet dari aliqua uitia uirtutibus omnino ſimilia, quamuis ex æquo ſint illis oppoſita; ut fortitudo, qua *Catilina* perrulit tot algores, famem, ſitum, cædemque, uirtus uidebatur; quia tamen ſine prodendi patriam omnia illa tolerauit; non uirtus fortitudinis, ſed uitium pertinaciæ fuit. Sic aſtutia uidetur prudentia; & tamen

tamen vitium eſt 2. Ita, vt merè negatiuè non ordinentur in aliud ab obiecto, ſed ſiſtant in ipſo obiecto propter honeſtatem illius; vt cùm quis naturali compaſſione ſubuenit indigenti; quia ſubleuatio à miſeria honeſta eſt. Difficultas procedit in hoc ſecundo ſenſu; obiectum enim, quod ſimul eſt finis, ex ſua natura eſt bonum honeſtum, & ideo nequit vitiare actum virtutis, quia bonum, vt bonum, nequit malitiam influere; ſicut malum, vt malum, nequit in actum bonitatem transfundere. Nec illa omiſſio vitiat ipſum actum intrinſecè bonum; actus enim per ſe bonus vitiatur intrinſecè ſolùm ab obiecto, aut à fine intento ab operante; quia ſolùm ab obiecto, & fine recipit malitiam eſſentialem, cùm etiam finis ſit obiectum intentionis; omiſſio autem relationis in Deum nec eſt obiectum, nec finis intentus, nam ſi eſſet intenta, ille actus vitiaretur, quia reciperet malitiam à fine, & ſic non eſſet actus virtutis, ſed vitij; cùm autem non intenditur, vt in caſu, actus non viriatur, ſicut enim ſi finis non intenderetur, non daret ſpeciem actui; ita dicendum de omiſſione finis.

3 Prima ſententia vult in infidelibus dari veras, & perfectas virtutes ſine charitate, & auxilio ſupernaturali. Tribuitur *Scot. in 3. diſt. 36. q. 1; & in 4. diſt. 14. q. 2; Gabr. in 3. diſt. 36. art. 2; Ocham. in 1. diſt. 1. q. 1., & alijs.* Sed revera *Scot.* docet noſtram ſententiam; ait enim virtutes in infidelibus eſſe veras, & perfectas per ordinem ad obiectum, non autem per ordinem ad finem vltimum, per ordinem ad quem non ſunt veræ, nec perfectæ, niſi per charitatem, quæ habet illas ordinare in Deum, vt in ſummum bonum, quod eſt vltimus finis.

5 Secunda vult eſſe veras, ſed non perfectas. *Ita Gonet hìc diſp. 6. art. 3., & plures alij Recentes.*

5 Noſtra tandem docet eſſe veras tantùm ex obiecto, & ex fine intermedio, non autem ex fine vltimo, ideoque non eſſe veras ſimpliciter, & vndequaque; & eorum actus non eſſe malos ſecundùm ſuam ſubſtantiam, quia obiectum, & finis, quem reſpiciunt, habent bonitatem honeſtatis; omiſſionem tamen relationis in Deum, vt in vltimum finem, eſſe malam moraliter, ac propterea omittentes ſic referre verè peccare; omiſſionem tamen non vitiare honeſtatem intrinſecam actus, quia non eſt obiectum, aut finis intentus ab operante. Hanc putamus eſſe mentem *Beatiſs. P. lib. 4. cont. Iul. c. 3., & lib. 19. de Ciu. c. 25;* conformiter ad quem loquitur *Fund. Doct. in 2. diſt. 41. art. 4. §. Tertiò, vbi cum Mag.* aſſerente *ex Beatiſs. P.* infideles exercentes opera virtutum *facere bonum, ſed malè*, ait: *Infideles poſſunt facere bonum, & quantùm ad aliquid bene, ſed non ſimpliciter bene, quia non meritoriè, cùm non fiat ex charitate*; id eſt poſſunt *facere bonum*, quia poſſunt elicere actus honeſtos circa obiecta honeſtatem habentia: *& ſecundùm aliquid bene*; quia reſpectu obiecti bene agunt; & ſi ſiſtant in illo, ab illo nequeunt trahere malitiam, quia bonum eſt; ſed non ſimpliciter bene; quia illud opus non eſt bonum vndequaque; cùm non ſit bonum etiam reſpectu finis vltimi, non enim illud ordinant in ultimum finem; & ideo nequeunt ab illo ſumere bonitatem, quæ non ſumitur, niſi per ordinationem in illum; atque adeo non eſt bonum ex omni parte, ſeu reſpectu cuiuſcunque; ſed deficit illi ordinatio in finem ultimum, quam tenentur ponere, ut dicemus; & ſic non ordinantes actum peccant. Hinc *in eod. 2. diſt. 27. q. 1. art. 3.* docet *cum Beatiſs. P.* uirtutes infidelium ſine gratia per reſpectum ad finem ultimum eſſe potius uitia, quàm uirtutes; ait enim: *Habitus ergo, qui ſunt de genere bonorum, mentiuntur eſſe virtutes ſine gratia.* Quod intelligi debet iuxta prædicta, ſcilicet de uirtutibus ſecundùm finem ultimum acceptis. Ex quibus apparet, quòd quando aſſerunt *noſtri DD.* uirtutes infidelium eſse uitia, non loquuntur per ordinem ad obiectum, aut ad finem intermediũ, ſed ſolùm per ordinem ad finem ultimum. In hoc ſenſu loquitur *noſter Greg. in 2. diſt. 26. q. 1., Noris in Vind. c. 3. §. 4.*, apud quem *noſter Caſalius Epiſc. Leiren*; qui interfuit *Conc. Trid.*, in libro, quem edidit *de quadripartita iuſtitia*, in quo *lib. 1. à c. 22.* fusè probat hanc ſententiam; quam ſuſtinent mordicus *noſtri doctiſsimi PP. Louanienſes*, inter quos *Sapientiſsimus noſter, & eximius Magiſter P. Lambertus Ledroù in Triade PP. §. 3. corol 8. Ita etiam Io. à S. Tho., & doctiores Thomiſtæ cum D. Tho.*

6 Certum eſt in infidelibus non dari ueras uirtutes formaliter, uel diſpoſitiuè meritorias uitæ æternæ; definitũ enim eſt in *Concilio Dioſpolitano contra Pelagium, & Pelagianos ad ſingulos actus noſtros gratiam Dei eſſe ſimpliciter neceſſariam; & quòd nullus tentatus ad aliquod vitiũ, ſeu ad aliquem actum moraliter malum poteſt huiuſmodi tentationem abſque auxilio Dei ſuperare, & ideo non poſſe viribus naturæ acquiri vitam æternam*, quam adulti conſequi non poſsunt, niſi per actus bonos, & meritorios, ac ſuperatis tentationum certaminibus, quæ illam nobis conantur adimere. Sequitur ergo, quòd uirtutes infidelium, cùm ſine gratia ſint merè naturales, non ſint formaliter, aut diſpoſitiuè meritoriæ uitæ æternæ, quæ eſt ſimpliciter ſupernaturalis; etenim quanuis diſpoſitio ſit in genere diuerſo à genere, in quo eſt forma principalis, ut u. g. calor, qui eſt diſpoſitio ad formam ſubſtantialem ignis, eſt in genere accidentis, & forma ignis eſt in genere ſubſtantiæ; nihilominus diſpoſitio, & forma debent eſse in eodem ordine, & per conſequens ſi forma ſubſtantialis, quæ eſt forma principalis, ſit in ordine naturali, ipſa qualitas, quę eſt forma accidentalis, & eſt diſpoſitio ad formam ſubſtantialem ignis, debet pariformiter collocari intra ordinem naturalem;

ſi verò in ordine gratię, debet eſſe ſupernaturalis, & ratio eſt; quia diſpoſitio debet eſſe proprietas eſſentialiter colligata cum forma, cuius eſt proprietas, & debet fluere ex eius eſſentia, aliter non traheret ſecum formam; gratia autem, aut quæcunque alia qualitas ſupernaturalis non colligatur eſſentialiter cum natura, vel cum aliquo *naturali, vt patet*; ſed vita æterna eſt in ordine ſupernaturali; ergo virtutes naturales nequeunt eſſe diſpoſitiones ad vitam æternam. Reſtringitur igitur quæſtio ad veras uirtutes naturales ſiſtendo in ipſo ordine naturali omnino infructuoſas, & ſteriles ad *vitam* æternam.

7 Ratio autem dubitandi eſt ex vna parte auctoritas *Beatiſs. P. Aug. lib. 19. de Ciu. Dei c. 25.* docentis: *Virtutes, quas ſibi habere videtur, per quas imperat corpori, & vitijs ad quodlibet adipiſcendum, vel tenendum, niſi ad Deum retulerit, etiam ipſę vitia ſunt potiùs, quàm virtutes; nam licèt à quibuſdam tunc vera, & honeſta putentur eſſe virtutes, cùm ad ſe ipſas referuntur, nec propter aliud expetuntur; etiam tunc inflatę, & ſuperbia ſunt; & ideo non virtutes, ſed vitia indicāda ſunt; & lib. 4. cont. Iul. c. 3. Abſit autem, vt virtutes veræ cuiquam ſeruiant, niſi illi, vel propter illum, cui dicitur: Domine Deus virtutum conuerte nos. Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibuſque commodis, & emolumentis temporalibus ſeruiunt, vera prorſus eſſe non poſſunt. Quę autem nulli rei ſeruire nolunt, nec ipſa vera ſunt; quippe virtutes Deo ſeruiunt in hominibus.* Ex quibus conſtat virtutes nedum ordinatas in malum finem, ſed etiam, quæ expetuntur propter ſe, ſeu propter ipſam honeſtatem obiecti, vt volebant *Stoici*, non eſſe veras virtutes, ſed vitia.

Ex aduerſo eſt propoſitio 26. damnata *in Baio: Omnia opera infidelium ſunt peccata, & philoſophorum virtutes ſunt vitia, & prop 35. Omne, quod agit peccator, vel ſeruus peccati, peccatum eſt.* Ex quibus videtur ſententiam aſſerentem virtutes infidelium non eſſe veras, ſed vitia ſubſtineri non poſſe. Vt autem hæc explicentur.

8 Reſp. 1. *noſter Noris vbi ſ. §. 5 ex Sua. proleg. 6. de grat. c. 2. n. 7.* propoſitioni 26. deeſſe particulam negatiuam; & *Turian. de grat. c. 5. §. 1. n. 4.* teſtatur ſe vidiſſe bullas *Romę* excuſſas ſic aſſerentes: *Ad Pelagianiſmum reyciendaeſt illa ſententia: Omnia opera infidelium ſunt peccata &c.* Vnde Pontifex damnauit ſolùm propoſitionem accuſantem *pelagianiſmi* aſſerentes opera infidelium eſſe peccata, & philoſophorum virtutes eſſe vitia; cùm *Pelagiani* potiùs oppoſitum docuerint; & hoc modo per Pontificem confirmatur ſententia *Beatiſs. Patris Aug.* Sed hæc reſponſio pluribus non placet; nullum enim aliud habet fundamentum, quàm fidem vnius, vel alterius; contra quos *omnes alÿ* ſiſtuntur.

9 Reſp. 2. *idem Noris* hanc propoſitionem damnatam fuiſſe reſpectiuè *ad prop. 35. Omne, quod agit peccatur &c.*; multa enim opera agit peccator per gratiam actualem, quæ ſtat ſimul cum peccató, & excitat peccatorem, ac mouet in Deum, vt docet *Trid. ſeſſ. 6. c. 6*; quæ ſunt opera bona, non antem peccata. *Baius* autem admiſit ſolam gratiam ſanctificantem, quæ nequit ſtare cum peccato; & ideo damnata eſt hæc propoſitio. Sed hæc etiam reſponſio ex parte claudicat; non enim oſtendi poteſt *in Baio* admiſiſſe ſolam gratiam iuſtificantem; imò *ex lib. 2. de Virtutib. impiorum c. 4.* manifeſtè colligitur ab ipſo non requiri; vt non peccetur, niſi ut opus in Deum referatur. Aliter ergo explicanda eſt, vt *inf.*

10 Dicendum, quòd Pontifex damnans has propoſitiones ait: *Quanquam nonnulla aliquo pacto ſubſtineri poſſent, in rigore, & proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento damnamus &c.* Profectò ſi aliquę ſubſtineri poſſunt, maximè à SS. PP. aſſertæ, inter quas cùm iſta de virtutibus aſſeratur à SS. PP. præſertim *Aug., Greg. lib. 22. mor., S. Ambr. lib. 2. in Luc. c. 44., S. Hier. in expoſit. Cath. fidei ad Damaſum., S. Proſp. collat. 13., S. Leone Magno ſerm. 2. de ieiun. Pentecoſt., S. Iſid. lib. 1. diff. c. 30., S. Bern. ſerm. 13. in Cant., S. Rhemig. lib. 2. de tenenda veritate S. Scripturæ c. 11., S. Anſ. de concord. lib. arb. c. 19., S. Dam. lib. 2. c. vlt., Bed. cont. Iul. c. 18. Hug. de Sacram. lib. 1. p. 7. c. 35.; Mag. ſent. in 2. diſt. 25., D. Tho. 1. 2. q. 109. art. 2., 3., & 4., B. Doct. AEg. vbi ſ., & alÿ.,* ideo cenſendum eſt mentem Summi Pontificis eſſe, quòd *Virtutes Philoſophorum non ſunt veræ virtutes*; poſſit, & debeat teneri; non tamen in ſenſu *à Baio* intento. Videndus igitur ſenſus *Baÿ*, ſecundùm quem damnatur hæc propoſitio; & ſenſus *Beatiſſ. Patris*, ſecundùm quem à Pontifice aſſeritur. *Baius vbi ſ. de Virt.* aſſerit *virtutum officia, dum in Deū non referuntur, eſſe peccata*, ſiuè *non rectè à peccato vindicari*; & ideo ex omiſſione relationis in Deum vitiari moraliter, & fieri intrinſecè mala, ac peccata. At verò *Beatiſſ. P. lib. 4. cont. Iul. c. 3.* ait, officia, ſeu opera virtutum eſſe moraliter bona ex obiecto, & mala tantùm ex fine, quia ſcilicet non referuntur in vltimum finem, in quo debent quieſcere: *Quidquid boni fit ad homine*; quibus verbit concedit opera hominis bona eſſe; *& non propter hoc fit, quod fieri debere vera ſapientia pręcipit*; quibus aſſerit illa opera, quæ vocat bona, non ordinari in finem præceptum à vera ſapientia, *& ſi officio videatur bonum*, idèſt quanuis ſit bonum ex obiecto; *ipſo non recto fine peccatum eſt*; idèſt non referens in finem debitum peccat; nam vt *ibid.* ait; *officium eſt, quod faciendum eſt, finis verò, propter quod faciendum eſt.* Sentit ergo *Beatiſs. P.*, quòd *operiens nudum ex naturali compaſſione*, facit quidem opus bonum ex ſuo genere; ſed quatenus hoe opus bonum non refert in Deum, & in Deo de ipſo opere, quod eſt donum ipſius, *non gloriatur*, peccat; non quidem ita, vt ipſa nudi veſtitio fiat intrinſecè

ma-

Digitized by Google

mala, & peccaminoſa, vt vult *Baius*, & homo, prout veſtiens nudum, peccet, ſed ita, vt ipſa non relatio illius operis in Deum ſit peccatũ, & homo, prout omittit in Deum referre, peccet. Quapropter operans ex motiuo humano dicitur opus *bonum malè facero*; ait enim *ibid.* *Quòd ſi & ipſa* (ſupple *miſericordia per ſe ipſam naturali compaſſione opus eſt BONVM, etiam iſto BONO malè vtitur, qui infideliter vtitur, & hoc BONVM malè facit, qui infideliter facit, qui autem malè facit aliquid, profectò peccat.* *Ex quo colligitur etiam ipſa BONA opera, quę faciunt infideles, non ipſorum eſſe, ſed illius, qui bene vtitur malis, ipſorum autem eſſe peccata, quibus & BONA malè faciunt.* De his operibus ait *DONA DEI ESSE*, quod habet etiam *ep.130.*, vbi cõtinentiã vocat *Dei donũ* iuxta illud *pſ.65. Ipſe dabit virtutem*, quæ propterea intrinſecè, & ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſeu quiditatem non poſſunt eſſe moraliter mala, & peccata; vt ſenſit *Baius*, aliter Deus eſſet donator peccatorum, quod eſt blaſphæmum; quanuis illa non referentes in Deum, vt in Auctorem, & finem, peccent; quia ſic deordinant à Deo, quod eſt peccare, quapropter ſapientiſſimè aiunt *Mag. & Fund. Doct. cum Beatiſs. P.* eſſe opera moralitur bona, ſed malè facta; quia non ſunt bona reſpectu finis vltimi; & ſic ſeparatur ſenſus *Auguſtinianus*, quem concedunt Pontifices, *à Baiano*, quem damnant. Vt autem magis res declaretur.

11 Bonitatem moralem conſiſtere in conformitate ad rationem diximus *to.3. de Act. hum. q.5. art.1. §.1.*, rationem autem diuidi in inferiorem, quæ reſpicit hæc bona honeſta temporalia, & ſuperiorem, quæ reſpicit æterna, dicemus *de legib. q.2. art.3. §.2.* Veritas ergo virtutum moralium comparari poteſt vel ad rationem inferiorẽ per ordinem ad bona honeſta temporalia, vel ad rationem ſuperiorem per ordinem ab bona ſempiterna, quæ reſeruantur in vltimo fine, comparare autem hoc ſecundo modo eſt ſapienter viuere, vt docet *Beatiſs. P. lib.1. de lib. arb. c.9.*, *& vbiſ.* ait veram ſapientiam præcipere debere ſic comparari. *His ſupp.*

12 Vnica concl. Virtutes infidelium per ordinem ad rationem inferiorem ſunt honeſtæ, & eorum officia ſunt moraliter bona ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſed malè facta, quia non referuntur in vltimũ finem, in quem debent referri; adeoque non ſunt veræ virtutes, prout virtutes conſtituuntur per ordinem ad rationem ſuperiorem reſpicientem bona ſempiterna, in quibus conſiſtit ratio vltimi finis, in quo debent omnes veræ virtutes vltimatè quieſcere.

Prob. 1. pars concl. *cont. Baium* Illi habitus ſunt honeſti, & officia, ſeu opera eorum ſunt moraliter bona, quæ verſantur circa hæc temporalia ex ſuo genere bona, habitus enim ſpecificantur ab actibus, & actus ab obiectis, ſed virtutes infidelium per ordinem ad rationem inferiorem, & eorum actus verſantur circa hæc temporalia ex ſuo genere bona, ratio enim inferior reſpicit hæc bona temporalia, vt dictum eſt, ergo virtutes infidelium per ordinem ad rationem inferiorem ſunt honeſtæ; & eorum actus ſunt moraliter boni.

13 Conf. Illi habitus, & actus ſunt moraliter boni per ordinem ad rationem inferiorem, qui verſantur circa bona honeſta, quæ ratio naturalis dictat eſſe proſequenda; ſicut illi habitus, & actus ſunt moraliter mali, qui verſantur circa obiecta difformia, & diſſona rationi, quæ ſcilicet ratio dictat eſſe ſugienda, non ſequenda, ſed virtutes, & opera infidelium verſantur circa obiecta, quæ ratio naturalis dictat eſſe proſequenda; vt naturali compaſſione veſtire nudum, ſubuenire periclitanti &c; ergo ſunt moraliter bona per ordinem ad rationem inferiorem.

14 Vrgetur *Oppoſitorum oppoſitæ ſunt rationes, ſecundùm quas opponuntur*; ſed habitus, & actus oppoſiti virtutibus, ac operibus infideliũ ſunt moraliter mali, ergo virtutes, & opera infidelium ſunt moraliter bona. Ma. patet, aliter non haberent, per quid opponerentur, & ſic non eſſent oppoſita. Prob. mi. Habitus, & actus, quibus violatur virginitas, opponuntur habitui, & actui, quibus ſeruatur, ſed habitus, & actus, quibus violatur virginitas, extant moraliter mali, ergo habitus, & actus, quo ſeruatur, ſunt moraliter boni, atqui hi ſunt in infidelibus, ergo in infidelibus ſunt actus, & habitus moraliter boni.

15 Vlteriùs. Dona Dei in ordine morali ſunt moraliter bona; ſed virtutes, & opera infidelium ſunt dona Dei; ergo ſunt moraliter bona. Ma. patet, quia Deus nequit eſſe Auctor mali moralis; tum quia ſicut dona Dei in ordine phyſico ſunt phyſicè bona; ita dona Dei in ordine morali ſunt moraliter bona; aliter non eſſent dona, ſed ſupplicia; donum enim eſſentialiter eſt in bonum, & leuamen donatarij; quod autem eſt malum, nequit eſſe in bonum, & leuamen illius, cui infertur. Prob. mi. 1. auctoritate *Beatiſs. Patris vbiſ.* vocantis virtutes, & officia infidelium *dona Dei*. 2. Virtutes, & opera in hominibus fidelibus ſunt dona Dei; nam *Iac.1.* habetur: *Omne bonum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum*; quod autem eſt bonum, & deſcendit ex mera voluntate alterius; donum illius eſt; ergo & in infidelibus; Deus enim ſua dona pluit nedum ſuper iuſtos, ſed etiam ſuper iniuſtos iuxta illud *Matth.5. Qui Solem ſuum oriri facit ſuptr bonos, & malos; qui pluit ſuper iuſtos, & peccatores.* 3. Virtutes, & opera infidelium ſunt quid poſitiuum; ergo ſunt dona Dei, qui eſt Auctor omnis bonitatis poſitiuæ; & ſolius peccati, quod conſiſtit in priuatiuo, vt diximus *cum Beatiſs. P. Aug.*, Auctor non eſt.

16 Item reijcitur *Baius*. Si virtutes infidelium eſſent eſſentialiter, & intrinſecè vitia, ac earum officia eſſent intrinſecè peccata, maximè, quia non ordinantur in Deum, in quem debent referri, vt incentrum omnium virtutum; ſed ex hoc illud non infertur; ergo conſ. eſt falſum. Ma. patet; eſt enim tota ratio illius. Prob. mi. Eliciens actum eſſentialiter bonum ex eo, quòd omittat illum elicere cum omni perfectione ſibi debita, non dicitur elicere actum malum, ſed bonum, licèt malè illum eliciat; dummodò tamen ipſa omiſſio non intendatur, vt finis illius actus, tunc enim vitiaretur ille actus ex fine; ſi autem non intendatur, tunc illa omiſſio neque eſt finis, neque obiectum; ideo nequit vitiare intrinſecè actũ bonum, qui ſolùm à fine, & obiecto, quæ influunt in illum, vitiari poteſt; ergo ex eo, quòd infideles omittant referre virtutes in Deum, eorum opera non fiunt intrinſecè mala.

17 Tandem. Virtutibus *Romanorum* reddidit Deus pro mercede imperium, & gloriam tẽporalem, vt docet *Beatiſs. P. lib 5. de Ciu. cap. 15*; ergo erant moraliter bonæ; ſicut enim ſolis operibus malis poteſt à Deo, quia iuſtus eſt, infligi ſupplicium, & pœna; ita ſolis actibus moraliter bonis poteſt reddi merces, & pręmium.

18 Prob. 2. pars concl; quòd ſcilicet opera infidelium ſint malè facta. Illud opus eſt malè factum, quod licèt ſecundùm ſe ſit bonum, attamen non fit, vt fieri debet; ſed opera bona infidelium ſunt huiuſmodi; ergo ſunt malè facta. Prob. ma. In hoc differt opus malum ſecundùm ſuam ſubſtantiam ab opere bono ſecundùm ſe, ſed malè facto; quòd illud verſatur circa materiam prohibitam, & difformem rationi, à qua habet malitiam eſſentialem; illud verò verſatur quidem circa materiam honeſtam, & conformem rationi; operans tamen agit contra aliquam regulam præſcribentem modum agendi; vt cùm quis immoderatè abſtinet à cibis ita, vt ſubeat periculum vitæ; tunc enim exercet actum virtutis abſtinentiæ, ſed deficit in modo abſtinentiæ, quia declinat ad exceſſum, quod eſt malè agere; ſed quando non fit opus bonum, vt fieri debet, eſt quidem circa materiam honeſtam, ſed fit contra aliquam regulam præſcribentem modum agendi; ergo illud opus eſt bonum, ſed malè factum. Rationem huius tradit *Beatiſſ. P. lib. de Nat. Boni, vt diximus to. 1. de Bonit. art. 1. & 3*; nam ſicut bonum ſumitur à ſpecie, modo, & ordine; ſpecies autem, modus, & ordo ſunt idem, ac numerus, menſura, & pondus; in quibus Deus omnia creauit; vt dicitur *Sap. 11.*, ac propterea *Gen. 1.* habetur: *Vidit Deus cuncta, quę fecerat, & erãt valde bona*; ita malum, quod non eſt, niſi defectus, ſeu priuatio boni, conſiſtit in priuatione ſpeciei, modi, & ordinis; & ſicut carentia ſpeciei dicitur opus malum ex ſua ſubſtantia; ita carentia modi, qua actio dicitur immoderata; & carentia ordinis, qua dicitur inordinata, eſt actio ex ſua ſpecie bona, cùm non deſit integritas ſuę eſſentiæ, ſed malè facta, quia deficit ei modus, & ordo; ſed cũ aliquis peccat patrando opus bonũ ex ſua ſpecie, tunc non elicit actionem ex ſua ſpecie malam, vt diximus in probat. 1. partis concl; ſed tantùm ponit actionem, cui deficit modus agendi, & ordo in ſuum finem debitum, ordo enim reducitur ad pondus; nam ſicut pondus inclinat in cẽtrum; ita ordo inclinat in ſuum finem, ergo quando quis peccat patrando aliquod opus bonum, tunc illud opus eſt bonum, ſed malè factum. Prob. mi. Virtutum officia in infidelibus non referuntur in vltimum finem, in quo ſolùm homo poteſt vltimatè quieſcere; quia ſolus Deus eſt immobilis, & ſolùm in immobili poteſt eſſe vltimata quies; nam in re mobili habetur motus, non quies; ergo deficit eis ordo; & ideo licèt ſint opera ex ſuo genere bona; attamen ſunt malè facta, quia inordinata. Tum quia opera, quæ puniuntur à Deo, vel ſunt mala, vel malè facta; Deus enim ſolùm malorum eſt vindex; ſed opus virtutis non ordinatum in Deum punitur à Deo; nam *1. Reg. 15.* punitus eſt *Saul*; quia pepercit *Regi Agag Amalecitę*, de quo ait *Beatiſs. P. lib. 4. cont. Iul. vbiſ. Saul meruit à Domino vtique miſericorde damnari, quia contra eius præceptum captiuo Regi per humanum pepercit affectum*; & hoc opus non eſt malum ſecundùm ſe, quia eſt de genere bonorum, cùm ſit actus virtutis miſericordiæ; ergo eſt malè factum. *Vid. de grat. q. 1. art. 4*; vbi fusè tractatur hæc res.

19 Prob. 3. pars concl. 1. *ex pſ. 79*; & frequẽtiſſimè *alibi*, vbi dicitur *Deus virtutum*; quod nequit intelligi, niſi quòd Deus ſit primum principium, à quo oriuntur omnes veræ virtutes in nobis; & vltimus finis, ad quem terminantur actus virtutum eliciti à nobis; ſed virtutes infidelium, quanuis ſint in illis à Deo, attamen non referũtur ab illis in Deum; quia motiuum terminatiuũ illarum eſt ipſa honeſtas obiecti creati; ergo non ſunt veræ virtutes.

20 Arguitur autem ſic *cum Beatiſſ. P. Aug.* ordinatio in Deum, vt in vltimum finem, in quo vltimatè quieſcimus, eſt conſtitutiuum formale veræ virtutis; ſed in infidelibus non eſt ordinatio in Deum, vt in vltimum finem, in quo vltimatè quieſcant; ergo in infidelibus non ſunt veræ virtutes. Mi. patet ex dictis; & conſ. bene deducitur; quia vbi non eſt conſtitutiuum formale virtutis, ibi non eſt vera virtus; ſicut vbi non eſt conſtitutiuum formale hominis, non eſt verus homo. Prob. ma. 1. Quælibet res conſtituitur formaliter per ordinem ad id, ad quod eſſentialiter ordinatur; vt potentia viſiua conſtituitur per ordinem ad viſibile; quia ad illud eſſentialiter ordinatur; ſed virtutes morales eſſentialiter ordinantur in Deum; dicitur enim *in Scriptura Deus virtutũ*; quod nequit intelligi ita, vt Deus ſolùm ſit cauſa efficiens virtutum; in hoc enim nõ differũt virtutes morales ab virtutibus phyſicis,

cis,quarum etiam Deus eſt cauſa; ſed debet etiã intelligi, quòd Deus ſit finis, in quem tendimus per virtutes, & in illo quieſcimus; hoc enim eſt proprium virtutum moralium,quæ in hoc diſtinguuntur ab ordine phyſico., quia ſcilicet ordinantur ad finis acquiſitionem; ergo virtutes morales conſtituuntur formaliter per ordinationem in Deum, vt in vltimum finem, in quo vltimatè quieſcimus. 2. Virtutes formaliter conſtituuntur per id, per quod formaliter diſtinguuntur à vitijs oppoſitis; oppoſitorum enim debent eſſe oppoſitæ, & ideo diſtinctæ rationes conſtitutiuæ; quapropter dixit, *Phil*; quòd *diſtinctiuum, & conſtitutiuum idem ſunt*; ſed à vitijs diſtinguuntur tantùm fine,non obiecto, nam idem obiectum poteſt eſſe commune vitio, vt virtuti;vt eleemoſina elargita mulieri ob motiuum fornicationis,& ob amorem Dei; ergo ordinatio in Deum, vt in vltimum finem, in quo vltimatè quieſcimus, eſt conſtitutiuum formale veræ virtutis. Proſequitur hanc rationem *Fund.Doct. Aeg. diſt.27. vbiſ.* Quælibet res formaliter conſtituitur per id, quod exprimitur in eius definitione; quia definitio eſt expreſſio eſſentiæ, & ideo rationis formalis conſtituentis ipſam rem; vnde cùm quis ait: *Homo eſt animal*; non definit hominem, quia non exprimit rationem formalem hominis conſtitutiuam; ſed ordinatio in Deum, vt in vltimum finem, in quo quieſcimus, exprimitur in definitione virtutis moralis; ergo ordinatio in Deum, vt in finem vltimum, eſt conſtitutiuum formale veræ virtutis. Prob. mi. 1. *Phil.lib.1.de Cælo, & Mundo* definit virtutem *vltimum, quod eſt in re, de potentia*; & ideo virtus moralis importat collocare potentiam in ſuo vltimo, quod eſt Deus, qui ſolus eſt vltimus finis omnium rerum; ergo ordinatio in Deum, vt in vltimum finem,exprimitur in definitione virtutis 2. *Idem Phil. lib.2. Phyſ. t. c.21.* definit virtutem nedum ad vltimum, ſed etiam ad optimum; dicitur enim *diſpoſitio perfecti ad optimum*;idèſt diſpoſitio potentiæ perfectæ per actum ordinatum ad finem vltimum, qui ſolus eſt optimus; quia eſt omnis bonitas ſe participans fioibus intermedijs; ſed ſolus Deus eſt finis vltimus, & optimus; ergo ordinatio in Deum, vt in finem vltimum, exprimitur in definitione virtutis. 3. *Idem 2. Eth. c.5.* definit virtutem, quòd *habentem perficit, & opus ſuum bonum reddit*; ſed ordinatio in Deum perficit habentem virtutem; nam non ordinatio imperficit, cùm ſit peccatum, vt *ſup.* dictum eſt; ergo idem.

21 Prob. *ex eod. Beatiſs.P.Aug.* Virtus fornicaria non eſt vera virtus; ſed in Infidelibus virtutes ſunt fornicariæ; ergo in infidelibus non ſunt veræ virtutes. Ma. patet; nam fornicatio eſt vitium; & ideo quod eſt fornicarium, eſt vitioſum; atque adeo virtus fornicaria eſt virtus vitioſa; virtus autem vitioſa non eſt vera virtus; quia vera virtus contradiſtinguitur à vitio, quod illi opponitur.Prob.mi.ex *p.72. Ecce enim, qui longè ſe faciunt à te; peribunt; perdidiſti omnem, qui fornicatur abs te*; ſed infideles longè ſe faciunt à Deo non ordinando ſuas actiones in Deum, ad quem ſolùm prope poſſunt accedere illas in Deum, vt in vltimum finem, dirigendo;& ſiſtendo in creaturis fornicãtur à Deo, quia fruuntur creaturis illicitè, cùm ponant vltimum finem in illis,quod ſolùm licet in Deo; fornicarius enim dicitur ille, qui aliena abutitur illicitè; ergo in infidelibus virtutes ſunt fornicariæ.

22 Prob.3. *ex eod.* Ad hoc,vt aliqua ſit vera virtus, nedum requiritur, vt faciat bonum, ſed etiam, vt bonum bene faciat;vt *ſup.*diximus; ſed virtutes infidelium non ſunt huiuſmodi, nã infideles illis mediantibus operantur bonum, ſed malè, quia inordinatè; ergo non ſunt veræ virtutes.

23 Prob.4. Vera virtus definitur à *Beatiſs. P. qua rectè viuitur, & qua nemo malè vtitur*; ſed infideles non rectè viuunt, & malè vtuntur ſuis virtutibus; ergo in eis non ſunt veræ virtutes. Prob. mi. Rectè viuere eſt dirigere ſuas actiones in Deum, qui ſolus per eſſentiam eſt vita, & in quem tendendo vitam participamus; & non malè vti virtute eſt ipſa ordinatè vti, idèſt ordinare ad finem vltimum, qui eſt Deus; in hoc enim conſiſtit rectitudo moralis, quæ eſt cõformitas ad rectam rationem,& legem æternam, ſed infideles non ita ordinant ſuas actiones; ergo in eis non ſunt veræ virtutes.

24 Prob.5. Vera virtus eſt illa, quæ eſt vndequaq; bona; veritas enim conuertitur cum bonitate; & ideo quod non eſt vndequaq; bonũ, non eſt vndequaq; verum; vnde quia homo ſecundùm aliquid,nempe ſecundùm animalitatem, eſt leo, non ſecundùm rugibilitatem; ideo non eſt verus leo; ſed virtutes infidelium non ſunt vndequaq; bonæ; quia non ſunt bonæ per ordinem ad rationem ſuperiorem, quæ reſpicit bona æterna, in quibus ſolùm poteſt homo quieſcere;non enim illæ virtutes diriguntur in Deũ, qui eſt omne bonum æternum, & immutabile; ergo in eis non ſunt veræ virtutes.

25 Tandem ad hominem. In tantùm ſunt veræ virtutes in infidelibus; in quantùm nulla eſt lex præcipiens eas actiones ordinandas eſſe in Deum; & ideo non peccare non ordinantem; ſed conſ. eſt falſum; nam ratio ſuperior eſt lex præcipiens bona temporalia ordinanda eſſe ad bona æterna;ergo falſum eſt conſ.

26 Dices 1. *cum Gonet Beatiſs. Patrem, & D. Thomam* loqui de virtute perfecta, quæ promouet hominem ad vitam æternã; ait enim *ibid. Si ad conſequendam veram beatitudinem, quam nobis fides per Chriſtum promiſit,nihil proſunt homini virtutes, non ſunt veræ virtutes*. Non autem loquitur de virtutibus, quæ retinent veram eſſen-

eſſentiam virtutis; nam hoc modo *ep.* 130. vocat virtutes *Polemonis* honeſtas,& bonas intra gradũ virtutis moralis Philoſophicæ. Ratio autem eſt; quia charitas eſt forma extrinſeca virtutum, & ideo merè accidentalis,non eſſentialis; ergo etiã ablata charitate remanet eſſentia veræ virtutis.

Sed hæc reſponſio apertè falſa eſt;nam cùm *Iulianus* aſſereret virtutes in infidelibus eſſe veras,non tamen fructuoſas ad vitam æternam, ſed omnino ſteriles,& infructuoſas; reſpondet *Beatiſs. Pater*: *Tibi virtutes ſine fide placent, vt eas VERAS prædices,eiſq; bonos eſſe homines; & rurſus quaſi te pœnituerit laudis earum, ſteriles pronuncias*. Mox ſubdit: *Aut rectè quoniam ſaltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona; non tamen eos ad ſalutem ſempiternam, regnumq; perducere*. Quam ſententiam reprobat *Beatiſs.P.* his verbis: *Abſit autem,vt virtutes veræ cuiquam ſeruiant, niſi illi, vel propter illum, cui dicimus: Domine Deus virtutum conuerte nos &c.* Quibus verbis expreſsè aſſerit virtutes etiã ſteriles, ac infructuoſas ad ſalutem æternã non eſſe veras virtutes. Ad rationem autem dicitur, quòd licèt charitas ſit forma extrinſeca, eſſentialiter tamen requiritur ad ordinationem virtutis in Deum; ſe habet enim, vt lux, vt inferiùs dicemus, quæ eodem modo dicitur forma coloris; quanuis enim lux ſit extrinſeca coloribus, requiritur tamen eſſentialiter ad hoc, vt colores moueant potentiam viſiuam; cauſa nanque efficiens, licèt extrinſeca, per ſe tamen requiritur ad ponendum effectum,loquimur autem de charitate latè ſumpta, vt mox dicemus.

27 Reſpondent *alij cum Caiet.* ſufficere ad rationem virtutis, quòd actus virtualiter, & implicitè ordinetur in Deum.

Sed cont. eſt; nam actum virtualiter ordinari in Deum eſt ordinari ratione actus præcedentis, à quo imperatur; ergo ſemper requiritur amor in Deum. Neque ſufficit, quòd ille actus ex natura ſua ſit ordinabilis, actu tamen non ordinetur; quanuis enim actus eleemoſinæ ex ſe ſit ordinabilis in ſubleuationem pauperis à miſeria; ſi tamen in illam non ſit actu ordinatus, ſed in adulterium, non eſt actus miſericordiæ; ergo à pari.

28 Obijc. 1. *Iul.* Viribus naturæ poſſumus legem implere, docet enim *Apoſt. Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea,quæ ſunt legis, faciunt*,ergo viribus naturæ poſſumus habere veras virtutes, quibus lex adimpletur.

Reſp. *B.P. cont. Iul. vbiſ., ly naturaliter* ſumi, prout contradiſtinguitur à lege circunciſionis, non prout contradiſtinguitur à gratia; & facit ſenſum, quòd non ſolùm *Iudæi*, qui conuerſi erant à lege circunciſionis ad legem Chriſti, ſed etiam *Græci*, qui conuerſi fuerant à lege naturæ, naturaliter, idèſt per naturam ſanatam per gratiam, non autem excludentem gratiam, faciunt ea, quæ præcipiuntur à lege. Idem ait *de ſpir. & lit. c. 27.*, vbi fusè explicãs *hunc textum à c. 25. ad 29.* ait: *Non quod per naturam negata ſit gratia, ſed potiùs per gratiam reparata natura. Vid. Fund. in 2. dict. 28. q. 1. art. 4. dub. 1. lat. §. Reſp. ad arg.*

29 Obijc. 2. Propoſitio 26. *Baij* damnata: *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia*; ergo hæc ſententia in terminis nequit defendi.

Reſp. hoc fuiſſe *ſup.* explicatum ſatis; non enim poteſt intelligi, quòd virtutes infidelium ſint veræ per ordinem ad rationem ſuperiorem, quæ reſpicit conſecutionem bonorum æternorum, quæ ſunt ipſe Deus; hoc enim damnatum eſt in *Conc. Dioſpolit.*, *Carthag.*, *& Mileuit.*, nam vita æterna, quæ conſiſtit in conſecutione bonorum æternorum, viribus naturæ poſſe haberi fuit damnatum.

30 Obijc. 3. Gratia, & charitas amittuntur per vnum peccatum; virtutes autem non amittuntur per vnum actum, ſi ſint habituales; ergo remanent etiam amiſſa gratia,& charitate. 2. Ordinatio in Deum per charitatem ſolùm accidentaliter conuenit virtuti; ergo ſine charitate ſaluatur eſſentia veræ virtutis.

Reſp., quòd quando dicitur virtutes ordinari in Deum per charitatem, non eſt ſermo de charitate habituali, aut de actuali, quæ elicitur ab habitu charitatis, ſed de ſimplici amore beneuolo, quo diligitur Deus in ſe, quia bonus eſt; & eſt auxilium conueniens etiam peccatoribus diſponens ad gratiam iuſtificantem,& vocari ſolet charitas latè dicta. Diſt. igitur conſ. Virtutes remanent amiſſa gratia,& charitate habituali,conc., omni gratia,& charitate actuali etiã, quæ eſt merum auxilium, neg. Ad 2. neg. ant., vt *ſup.* diximus.

31 Obijc. 4. *Gonet* plures auctoritates *D. Thomæ* aſſerentis rationem naturalem præſtituiſſe finem virtutibus; ergo ratione obiecti,& finis ſunt veræ virtutes. 2. Ordo in finem ſupernaturalem non poteſt eſſe de eſſentia habitus entitatiuè naturalis; ergo merè per accidens ſe habet. 3. *Plato, & alij*, quibus nihil ſupernaturalitatis innotuit, agnouere veras virtutes; ergo idem. 4. Exiſtens in peccato mortali exercere poteſt opera virtutum; ergo idem. 5. Si virtutes morales conſtituerentur per ordinationem in finem vltimum, non diſtinguerentur ſpecie inter ſe; quia idem eſſet ſpecificatiuum, conſ. eſt abſurdum, ergo, & ant. 6. Virtutes infidelium non ſunt vitia; vt eſt definitum; ergo ſunt virtutes.

Reſp. *D. Tho.* loqui de fine intermedio, nõ de vltimo ſimpliciter. Ad 2. diſt. ant. Habitus entitatiuè naturalis habentis pro vltimo fine bona æterna, neg., ſecus, conc. Ad 3. reſp. *Beatiſs. P. cont. Iul. vbiſ. Verùm hæc in cauſa, & ſi ad Scholam Pythagoræ prouoces, vel Platonis; vbi eruditiſſimi, & doctiſſimi multò excellentiore ceteris philoſophia nobilitati veras virtutes non eſſe dicebant, niſi quæ menti quodammodò imprimun-*

tur

tur à forma illius æternæ, incommutabiliſq; ſubſtantiæ, quæ eſt Deus. Cognouerunt ergo ordinem ſupernaturalem, vel *per Sacram Scripturam*, quam legerant; vel per inſpirationem Diuinam. Ad 4. diſt. ant. Poteſt exercere ſiue ordinatione in Deum, neg., cum ordinatione, conc. Ad 5. dicitur, quòd licèt argumentum valeat de diſtinctiuo numerico, quod eſt vnitas indiuidualis, *quæ eſt indiſtinctio in ſe, & diſtinctio à quolibet alio*; non tamen valet de diſtinctiuo generico, quia bruta diſtinguuntur à ſenſu carentibus per animalitatem, per quam non diſtinguuntur inter ſe; non tamen ſequitur eſſe eiuſdem ſpeciei. Sic uirtutes diſtinguuntur à uitijs p ordinationē in Deum, non tamen per hanc diſtinguuntur inter ſe, nec ſequitur, quòd ſint eiuſdem ſpeciei, quia ſic conſtituuntur in eſſe uirtutis moralis genericè ſumptæ, in eſſe autem uirtutis ſpecificè ſum ptæ conſtituuntur per ordinem ad diuerſas bonitates obiectiuas, unde quando diximus conſtitutiuum formale uirtutum eſſe ordinationem in Deum, locuti ſumus de conſtitutiuo uirtutis genericè ſumptę, ſicut de conſtitutiuo animalis.

32 Inſt. Si ueræ uirtutes conſtituerentur formaliter per ordinationem charitatis in Deū, eſſent formaliter ſupernaturales; ſed nullus habitus ſupernaturalis poteſt naturaliter acquiri; ergo non eſſent virtutes naturales acquiſitæ, de quibus loquimur.

Reſp. diſt. ma. Eſſent ſupernaturales ſecundùm entitatem, neg., ſecundùm ordinationem, conc., & ſic diſt. mi. In hoc differunt virtutes naturales à ſupernaturalibus, quòd illæ acquiruntur ſecundùm entitatem, quia ſecundùm entitatem ſunt naturales, non ſecundùm ordinationem, quæ eſt ſupernaturalis; iſtæ verò non acquiruntur naturaliter ſecundùm ordinationem, nec ſecundùm entitatem, quia ſecundùm vtranq; ſunt ſupernaturales, conc; ſecus, neg.

33 Obijc. 5. *Beatiſs. P. lib. 5. de Ciu. c. 5.* docet Deum virtutibus *Romanorū* reddidiſſe pro mercede imperium, & gloriam naturalem; ergo in infidelibus ſunt veræ virtutes, quibus redditur merces naturalis.

Reſp. *Beatiſſ. P. Aug. in c. ſup.* explicaſſe ſolùm in ſeruis Dei eſſe veram virtutem, & pietatem; *in Romanis* autem fuiſſe virtutes ſolùm per ordinem ad rationem inferiorem, ideoque illis redditum fuiſſe præmium temporale, quod debetur ſolùm talibus actionibus.

34 Quæres 1., an ſaltem circa bonum in vniuerſum, quod eſt finis in communi, poſſit dari aliqua virtus ſine charitate?

Reſp. *noſter Noris c. 3. vbi ſ.* affirmatiuè, paſſim enim docet *Beatiſs. P.* omnes naturaliter appetere bonum, *vt ſic*; vnuſquiſque enim vult eſſe beatus.

35 Sed quamuis quod docet *Beatiſs. P.* verum ſit, dicendum tamen illum actum non eſſe ſimpliciter virtuoſum, quia eſt ſimpliciter neceſſarius, actus autem virtutis eſt liber, cù n virtus ſit habitus electiuus, ideoq; ad illum actum non datur virtus, ſed ſola ſufficit inclinatio naturalis, & appetitus naturaliter inſitus, vt docet *idē Sanctiſs. P.*

36 Quæres 2., quid dicendum ſit de virtutibus intellectualibus?

Reſp. *Fund. Doct.* ſine charitate non eſſe veras virtutes. *Vid. art. 1. §. 2.*

ART. VIII.

An dentur virtutes morales infuſæ?

1 SAEpe diximus virtutes morales diuidi in acquiſitas, & infuſas, modò videndum eſt, an, & quomodò infundantur virtutes morales; nam Theologicas à ſolo Deo infundi certum eſt *apud omnes*.

2 Not., quòd virtus infuſa duplex eſt; alia per ſe, alia per accidens. Per ſe eſt illa, quæ per ſuam eſſentiam ita exigit infundi à Deo, vt non queat naturaliter acquiri, vt virtutes Theologicæ; per accidens verò, quæ ita poteſt naturaliter acquiri, vt poſſit etiam infundi, vt fuerunt ſcientiæ naturales *in Adam*, quæ ita fuerunt infuſæ, vt potuiſſet illas naturaliter acquirere.

3 Prima ſententia negat dari virtutes morales infuſas ſiue per ſe, ſiue per accidens; vult enim virtutes Theologicas, & dona Spiritus S. ſufficere ad eliciendos actus omnium virtutum. *Ita Dur. in 3. diſt. 33. q. 6., Henr. Quodl. 6. q. 12., Scot. in 3. diſt. 36. q. 1., OKam. in 4. diſt. 4. q. 3; Gabr. ibid. q. 1. art. 2., & 3., & etiam noſtro Argent. in 3. diſt. 33. q. 1. art. 2.*, licèt falsò; nam *ibid.* negat ſolùm dari ſimul in eodem ſubiecto duas virtutes eiuſdem rationis, ſcilicet duas temperantias vnam infuſam, alteram acquiſitam; abſolutè tamen concedit virtutes infuſas, & acquiſitas in eo ſenſu, in quo illas nos admittemus.

4 Secunda vult dari virtutes infuſas per ſe, & eſſentialiter ſimul in eodem ſubiecto cum acquiſitis ita, vt ſi infundatur charitas alicui iam habenti temperantiam ãcquiſitam, illi infunditur quoque alia temperantia, quæ ſtat ſimul cum temperantia acquiſita; addit autem, quòd virtutes infuſæ ſunt ſimpliciter ſupernaturales ſecundùm entitatem ita, vt non poſſint naturaliter acquiri; & ideo diſtingui ſpecie, imò genere ab acquiſitis; quia ſupernaturale, & naturale genericè differunt. *Ita Recentiores Thomiſtæ; vt Gonet hic diſp. 5. art. 1., Io. à S. Tho., Conr., Med., Aluar., quibus additur noſter Gibb. diſp. 39. dub. 3., apud quem Capr., Cur., Monteſin; Greg. Martinez; Salm., Val., Salas, Granad., Lorca, Tanner., Ouied., Ariag., & alij.*

5 Noſtra tandem docet dari virtutes morales infuſas tantùm per accidens, quantùm ad entitatem materialem; quantùm autem ad ordinatio-

nationem ad Deum, quam formaliter important, vt dictum eſt *in ſup. art.*, eſſe infuſas per ſe. Hanc ſententiam ſic explicatam non inuenimus *apud Fund. Doct.*, cenſemus tamen eſſe ad eius mentem, vt porè conformem doctrinæ *Beatiſs. Patris*, & ſuis dictis. *Ita noſter Argent. vbiſ., & ferè omnes DD. citati pro 1. ſent.*, incredibile enim eſt, quòd abſolutè negauerint infuſionem virtutum moralium ſimpliciter; cùm tam expreſsè habeatur *in Scriptura, & SS.PP.*

6 Aſſerunt *Aduerſarij* virtutes morales acquiſitas eſſe veras virtutes naturales; quia poſſunt referri in Deum, vt Auctorem naturæ; ideoque earum actus eſſe moraliter naturaliter bonos; virtutes verò infuſas referri in Deum, vt Auctorem gratiæ; ideoque eſſe ſupernaturales ſecundùm entitatem; & per conſequens ſpecie, imò genere differre à virtutibus acquiſitis; & propter hoc poſſe ſtare ſimul in eodem ſubiecto.

7 Hoc tanquam verum ſupponunt; ſed eius falſitas patet ex dictis *in ſup. art.*, vbi oſtendimus nullam virtutem eſſe veram, niſi ſit ordinata in Deum, vt in vltimum finem, in quo debemus vltimatè quieſcere; finis autem vltimus eſt ſimpliciter ſupernaturalis, quia eſt ſummum bonum, æternum, æternaliter ſatians, & quietans potentiam appetitiuam, & ideo dans vitam æternam, quæ eſt ſupernaturalis.

8 Præterea amor Dei, vt Auctoris naturæ, eſt omnino neceſſarius; tota enim natura neceſſariò eſt à Deo, & in Deum, qui eſt *Alpha*, & *Omega*, ſeu principium, & finis totius naturæ; & ideo omnium actionum, & virtutum naturaliū; & ſi poſſet dari actio naturalis, quæ non eſſet ad Deum, ut Auctorem, & finem naturæ, poſſet etiam dari actio, quæ non eſſet à Deo, ut eſt cauſa efficiens naturæ, & ſic Deus non eſſet cauſa uniuerſaliſſima totius naturæ; eodem enim modo eſt cauſa efficiens, & finalis naturæ, quia ſicut agit efficienter communicando bonitatem ſuam, ſic agit propter ſuam bonitatem, à qua ſolùm mouetur ad agendum; ſed amor ordinans uirtutem eſt liber, quia uirtus eſt habitus electiuus; ergo amor Dei, ut Auctoris naturæ, non eſt circa uirtutes morales.

9 Item uel ille amor tenderet in Deum, ut eſt finis ultimus, in quo ſolùm creatura ultimò quieſcit, uel non? Si primum; ergo eſſet ſupernaturalis, quia ſpecificaretur ab obiecto excedente uires creaturæ, & ſic ſine gratia poſſet haberi amor ſupernaturalis, ut aiebat *Pelagius*. Si ſecundum; ergo ille amor non eſſet ad finem ultimum, quia in illo ultimò non quieſceret.

10 Deinde uirtus *eſt diſpoſitio perfecti ad optimum*; ſed finis optimus eſt ſummum bonum; ergo exigit ordinari ad Deum, ut eſt ſummum bonum; atqui Deus, ut ſummum bonū, eſt beatificatiuus, & non eſt beatificatiuus, niſi per gratiā; ergo virtus eſſentialiter ordinatur ad Deum, ut eſt Auctor gratiæ.

11 Congruentiùs ergo dicimus uirtutes morales ſiue acquiſitas, ſiue infuſas eſse ſupernaturales quoad ordinationem, naturales uerò quoad entitatem, diſtinguique ſolùm, quod entitas, prout à ſolo Deo nobis infunditur nobis nihil cooperantibus ad illius productionem, dicitur uirtus ſimpliciter infuſa, idēſt quoad ordinationem, & entitatem; prout uerò entitas à nobis acquiritur per actuum frequentiam, dicitur acquiſita; & ſic ſaluamus *Scripturas* docentes dari uirtutes infuſas, & experientiam, quæ oſtendit uirtutes acquiri per actus.

12 Vnica concl. Dantur uirtutes morales infuſæ tantùm per accidens ſecundùm entitatē, & per ſe tantùm ſecundùm ordinationem.

Prob. 1 pars 1. *ex Scriptura Sap. 8.* docente: *Sobrietatem, & prudentiam docet, & iuſtitiam, & virtutem* (idēſt fortitudinem) *quibus utilius nihil eſt in hac vita hominibus*; patet enim has eſſe virtutes morales; docere autem Dei eſt per inſpirationem, infuſionem, & productionem habituum, quos docet, quia actio Dei eſt efficaciſſima; *& ibid. 7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius*; honeſtas autem dicitur de virtutibus moralibus, quæ habent pro obiecto bonum honeſtum; *& ad Gal. 3. Qui tribuit nobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis.* Idem habet *Conc. Vienen. de Sum. Trin., & Fid. Cath. Adultis conferri in baptiſmo informantem gratiam & virtutes, tanquam probabiliorem opinionem dictis SS. magis conſonam.* Hoc autem nequit intelligi de virtutibus Theologicis; nam virtutes Theologicas infundi certum eſt de fide *apud omnes*; & ideo ſupereſt, quòd opinio de virtutibus magis conſona dictis SS. ſit de virtutibus moralibus. Idem continuò docet *Sanctiſs. P. lib. 4. cont. Iul. vbiſ.*, dicens *Pelagianis: Seletis enim negantes Dei dona eſſe virtutes, quibus rectè viuitur; & eas natura, non gratia Dei tribuentes, hoc uti argumento; quia eas nonnunquam habeant infideles.* Patet autem, quòd infideles non habent virtutes Theologicas, aliter eſſent fideles, non infideles; & ideo ibi loquitur de virtutibus moralibus; quod manifeſtè patet ex proſecutione ſermonis; in quo diſcurrit de pudicitia, iuſtitia &c., *& tract. 8. in 1. Epiſt. Io.* ait: *Quomodò Imperator per exercitum ſuum facit, quod ei placet; Sic Dominus Ieſus Chriſtus incipiens habitare in interiore homine noſtro per fidem vtitur iſtis virtutibus, quaſi miniſtris ſuis*, quas ſuperiùs nominauerat. Idem habent *omnes alij SS.PP. communiter.*

13 Ratio *Beatiſs. P.* eſt. Charitas inflammat voluntatem ad faciliter exercendos omnes actus virtutum, & omnia ſtudia pietatis; ergo quotieſcunque non inuenit in ſubiecto, in quod infunditur charitas, virtutes morales acquiſitas, infunduntur tales virtutes ſimul cum charitate; aliter talis inflammatio fruſtraretur; ſi enim ſubiectum

bicᷝum non haberet tales virtutes, voluntas non poſſet faciliter illa opera exercere; ſed deberet expectare, vt priùs per actus naturales illas acquireret; & ſic pro illo interim fruſtraretur charitas. *Vid.art.6.n.*28.

14 Conf. Quotieſcunque plura connectuntur inter ſe, tunc nequit vnum infundi ſine alijs; ſed charitas connectitur cum virtutibus moralibus; ergo nequit infundi charitas, quin infundantur virtutes; & per conſ. dantur virtutes morales infuſæ. Ma. patet, quia nanque anima rationalis connectitur cum ſuis paſſionibus; ideo nequit infundi anima, quin infundantur, & illius paſſiones. Mi. probata fuit *art.6.à n.*25., nam charitas eſt forma omnium virtutum, & virtutes ſunt ancillæ ſequentes charitatem; ideo cum illa connectuntur, eamque ſequuntur.

15 Explic. magis. Anima rationalis, quia eſt perfectiſſima inter formas, nedum ſecum trahit potentias ſpirituales, ſed etiam potentias materiales ſenſitiuas, & vegetatiuas, quæ ſimul cum illa infunduntur: ergo charitas, quæ eſt perfectiſſima inter virtutes ſpirituales, trahit ſecum nedum virtutes Theologicas, quæ ſunt fides, & ſpes, ſed etiam virtutes morales, quæ ſunt prudentia, iuſtitia, & reliquæ aſſignatæ *art.*2., nam in tantùm anima rationalis trahit ſecum etiam potentias ſenſitiuas, quæ ſunt inferiores, in quãtùm ipſa eſt principium *quo* omnium operationum, quæ ſunt in homine, ſiue ſint ſpirituales, ſiue ſenſitiuæ; ſed etiam charitas eſt principium *quo* omnium operationum, quæ ſunt meritoriæ vitæ æternæ; ergo charitas ſecum trahit nedum virtutes Theologicas, ſed etiam morales.

16 Prob.2. Si virtutes morales non infunderentur ſimul cum charitate, ſequeretur, quòd infuſa charitate peccatores habituati in aliquo vitio non poſſent ſtatim exercere faciliter actus virtutis oppoſitæ; ſed conſ. eſt falſum; habetur enim *de D.Paulo: Quis mutauit Saulum in Paulũ, lupum in agnum; qui producit mel de pena, oleumque de ſaxo duriſſimo. Deut.*32., vbi nomine *lupi, & petræ* intelligitur indurata crudelitas, qua perſequebatur Eccleſiam; & *agni, oleique* ſignificatur manſuetudo, in quam mutata fuit eius crudelitas in inſtanti infuſionis gratiæ Dei; *& Eſther* 15. *de Rege Aſſuero* crudeliter irato in populum Dei habetur: *Conuertitque Deus ſpiritum Regis in manſuetudinem*, quod non verificaretur, niſi Deus infudiſſet hanc virtutem, per quam abſtulit vitium oppoſitum; ſi enim manſuetudinem acquiſiuiſſet *Aſſuerus* per ſe ipſum, ipſe ſeipſum conuertiſſet, non autem conuerſus à Deo fuiſſet; præterquamquod talis conuerſio fuit in inſtanti, vt colligitur *ex Scriptura*, in quo non poterat elicere plures actus, ex quorum repetitione tantùm generatur, & acquiritur habitus virtutis, & expellitur vitium oppoſitum; & hoc paſſim videtur in pluribus peccatoribus obſtinatis, qui in inſtanti expulſis vitijs conuertuntur ad exercendos omnes actus virtutum magna cũ facilitate, & delectatione ſpiritus, de quibus dicitur *pſ.*76. *Hac mutatio dexteræ excelſi eſt*; ergo dantur virtutes morales à Deo infuſæ.

17 Prob.2.p.concl.1. ex dictis. Si darentur ſimul duæ virtutes morales, quarum vna eſſet infuſa, altera acquiſita, v.g. duæ temperantiæ, maximè, quia vna eſſet ſupernaturalis ſecundùm entitatem, & ſecundùm ordinationem; altera verò ſecundùm vtranque naturalis; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. Ma. eſt vna ex rationibus *Aduerſariorum*, & ſatis conſtat; quia ſi eſſent ambæ ſupernaturales, vel naturales eodem modo darentur duo accidentia ſolùm numero diuerſa in eodem ſubiecto, quorum vnum eſſet ſuperfluum, & non haberet, per quid diſtingueretur ab alio. Mi. *ſup.* probata eſt; & habetur expreſsè ex illis verbis *Beatiſs.P.lib.4.cont.Iul.c.*3., vbi ait de virtutibus infuſis, quòd ſunt dona Dei, *in quibus ſine adiutorio gratiæ ſolùm eſt natura bonum*, ſeu entitas naturalis ſubſtrata ordinationi in Deum factæ per gratiam; & tam virtutes infuſæ, quàm acquiſitæ ordinantur ſupernaturaliter in Deum; ergo in hoc ſolùm differunt, quòd infuſæ producuntur à ſolo Deo quantùm ad entitatem naturalem; acquiſitæ autem producuntur à Deo cooperante creatura.

18 Prob.2. retorq. aliam rationem. In tantùm virtutes infuſæ, & acquiſitæ ſtant ſimul, in quantùm habent obiectum formaliter diuerſum; diſtinctio enim ſpecifica habituum habetur à multiplicitate obiectorum adęquatorum; ſed virtus infuſa, & acquiſita non habent duplex obiectum formaliter diuerſum; ergo non multiplicantur in eodem ſubiecto. Ma. affertur *à Ganet; & alijs.* Prob.mi. Si haberent obiectum formaliter diuerſum, maximè, quia vna haberet obiectum naturale, & alia ſupernaturale, vt dicunt *Aduerſarij*; ſed conſ. eſt falſum; nam temperantia v.g., ſiue ſit infuſa, ſiue ſit acquiſita, habet pro obiecto, à quo fugit, bona delectabilia ſenſibilia; non enim temperantia infuſa habet bona delectabilia ſupernaturalia ſpiritualia; aliter non eſſet in appetitu ſenſitiuo, vt aſſerunt etiam *Aduerſarij*; & ideo obiectum temperantiæ infuſæ non eſt ſupernaturale ſecundùm entitatem; ergo virtus infuſa, & acquiſita non habent duplex obiectum.

19 Prob.3. Actus naturales poſſunt ordinari ad finem ſupernaturalem, quatenus à voluntate informata charitate imperatiuè ordinantur ad gloriam; neque vt ſic ordinentur, eſt neceſſe, quòd ſint entitatiuè ſupernaturales; nec quòd ponatur habitus ſupernaturalis illos eliciens, ſecus nõ eſſent naturales, vt cõcedunt *Aduerſarij*; ergo virtutes entitatiuè naturales poſſunt à ſola charitate eodem modo ordinari.

20 Conf. Si virtus naturalis acquiſita non poſſet ordinari in finem ſupernaturalem, nihil deſeruiret ad rectè viuendum ſecundùm Deum, ni-

nihilque prodeſſet ad vitam æternam;quia illud ſolùm prodeſt, quod ad illam ordinatur; illud autem, quod merè diſparatè, & inordinatè, ac impertinenter ſe habet, nihil prodeſt ſed potiùs officit, tanquam otioſum ad illam, ſed conſ. eſt abſurdum; *Scriptura* enim perſuadet nos ad acquiſitionem virtutum moralium, & *Eccleſia* continuò id prædicat; ergo virtutes morales acquiſitæ poſſunt ordinari per charitatem ad finem ſupernaturalem; adeoque ſuperflua eſt virtus moralis infuſa, quando adeſt virtus moralis acquiſita, quæ ſolùm perficitur per charitatem.

24 Prob. 4. Nulla qualitas ſupernaturalis ſecundùm entitatem poteſt per ſe competere, & ſubiectari immediatè, niſi in potentia ſpirituali; ſed appetitus ſenſitiuus non eſt potentia ſpiritualis; ergo nulla qualitas ſupernaturalis ſecundùm entitatem poteſt per ſe competere, & ſubiectari immediatè in appetitu ſenſitiuo; atqui virtutes infuſæ ſubiectantur immediatè in appetitu ſenſitiuo, vt concedunt *Aduerſarij*; ergo non ſunt qualitates, & ſupernaturales ſecundùm ſubſtantiam; & ideo non faciunt numerum cum acquiſitis. Prob. ma. Supernaturalitas eſt propria ſolius ordinis Diuini, qui eſt ordo ſupremus; ideoque ſi communicetur creaturis, illas eleuat ad ordinem Diuinum; ergo nequit per ſe competere immediatè afficere, niſi potentiam ſpiritualem intellectiuam; quia ordo Diuinus ſolùm continetur in genere intellectiuo, quod eſt ſupremum genus inter viuentia, & id, quod eſt proprium vnius generis, nequit alijs ab illo genere communicari; aliter nulla eſſet ratio, cur etiam charitas, fides, & ſpes non poſſent poni in eodem appetitu ſenſitiuo. Mi. patet; quia appetitus ſenſitiuus contradiſtinguitur ab intellectiuo.

25 Tandem virtutes infuſæ dantur per ordinem ad euitanda eadem peccata, & exercendos eoſdem actus, quos exercent virtutes acquiſitæ; ergo habent idem obiectum.

26 Obijc. 1. *Dur.* cont. 1. p. concl. Plerique iuſti non experiuntur ſe faciles ad exercenda delectabiliter opera virtutum, vt patet in pueris, cùm ad vſum rationis perueniunt, & in peccatoribus priùs aſſuefactis, & habituatis in aliquibus vitijs, cùm gratiam conuerſionis recipiunt; ergo ſimul cum charitate non infunduntur virtutes morales; aliter virtutes morales ſimul ſtarent cum vitijs oppoſitis. 2. Si infunderentur virtutes morales ſimul cum charitate, maximè propter conſequendam beatitudinem ſupernaturalem; ſed ad hoc ſufficiunt fides, & ſpes Theologica; ergo non infunduntur. 3. Ita ſe habet charitas in ordine ſupernaturali, ſicut voluntas in ordine naturali; ſed voluntas ſufficit ad imperandos, & ad eliciendos actus virtutum moralium in ordine naturali; ergo & charitas in ordine ſupernaturali. 4. Eiuſdem virtutis eſt tendere in media, & finem; ſed ſola charitas ſufficit ad tendendum in finem ſupernaturalem; ergo & in media ad illum conducentia, quæ ſunt obiecta virtutum moralium.

Reſp. ad 1. neg. ant., pueri enim in primo inſtanti vſus rationis faciliter, & delectabiliter exercent omnes actus virtutum; quanuis non ita faciliter illos exerceant, poſtquam delectabilia guſtarunt. Sic peccatores aſſuefacti charitatem intenſam recipientes promptiſſimos ſe ſentiunt; vt patet ex verbis *D. Pauli: Domine, quid me vis facere*; quæ verba ſummã exprimunt promptitudinem; vnde ant. omnino gratis aſſeritur; & ideo neg. Ad 2. neg. mi; quanuis enim fides, & ſpes Theologica ſufficiant in ſuo genere; attamen requiruntur etiam virtutes morales ad ordinandas paſſiones, ne delectabilia ſenſibilia ſequentes à beatitudine auertant. Ad 3. neg. mi; imò retorq. Sed ad eliciendos actus virtutum moralium vltra voluntatem requiritur appetitus ſenſitiuus; quia voluntas non poteſt ſenſibiliter tendere in bonum ſenſibile, cùm ſit ſpiritualis; ergo vltra charitatem, qua tendimus in bonum ſpirituale ſupernaturale, quod eſt Deus, requiruntur virtutes morales, quibus tendimus in bona ſenſibilia illa ordinando ad Deum. Vel neg. ma; quia voluntas eſt potentia tendens vniuerſaliter in finem, & media; charitas autem eſt virtus, ſeu habitus immediatè ſolùm tendens in Deum. Ad 4. diſt. ma. Eiuſdem virtutis phyſicæ, quæ eſt idem, ac potentia, conc., eiuſdem virtutis moralis, neg.

27 Obijc. 2. cont. 2. p. concl. 1. *Ex Scripturis ſuperiùs allatis* non poſſunt negari virtutes infuſæ; & experientia docet dari etiam acquiſitas; ergo dantur virtutes infuſæ ſimul cum acquiſitis. 2. Ita ſe habet gratia in ordine ſupernaturali, ſicut natura in ordine naturali; ſed natura in ordine naturali perficitur habitu ſynderеſis circa finem, & virtutibus moralibus acquiſitis naturalibus ſecundùm entitatem circa media; ergo & gratia in ordine ſupernaturali debet perfici charitate circa finem ſupernaturalem, & virtutibus moralibus infuſis ſupernaturalibus circa media conducentia ad finem ſupernaturalem.

Reſp. ad 1. *ex Scripturis* non colligi, niſi quòd dentur virtutes infuſæ, quod abſolutè cõcedimus; non autem quòd iſtæ virtutes ſint ſupernaturales ſecundùm entitatem, & propterea ſint ſimul cum acquiſitis, quod negamus. Ad 2. reſp. 1. neg. 2. part. mi., nam virtutes ordinantur ſolùm ad finem ſupernaturalem, vt dictũ eſt; ideo non ſunt in ordine naturali formaliter ſecundùm ordinationem. 2. Si argumentum valeret æqualiter in omnibus, ſequeretur, quòd ſicuti in ordine naturali datur voluntas, quæ eſt potentia naturalis ſecundùm entitatem; ita in ordine ſupernaturali deberet dari alia potẽtia ſupernaturalis ſecundùm entitatem, quòd nullus dixit. Diſt. igitur ma. Ita ſe habet gratia in ordine ſupernaturali; ſicut natura in ordine naturali

quan-

quantùm ad eſſe, conc., quantùm ad ſequentia ad eſſe, neg., nam in ordine naturali dantur potentiæ, & habitus intellectuales, vltra quas dantur potentiæ, & habitus ſenſitiui; in ordine autem ſupernaturali, licèt dentur habitus intellectuales, non tamen dantur potentiæ ſenſitiuæ ſupernaturales ſecundùm entitatem; & ideo nedum debent dari virtutes morales ſenſitiuæ ſupernaturales ſecundùm entitatem; quia implicat, quòd ſenſitiuum, quod eſt in genere inferiori, ſit ſupernaturale ſecundùm entitatem, quod eſt in genere ſupremo, vt ſuperiùs diximus; vnde ſequitur ſolùm, quòd virtutes morales eleuentur ad ordinem ſupernaturalem, quatenus per charitatem ordinantur ad Deum; non autem, quòd ſint ſupernaturales ſecundùm entitatem; quia talis ſupernaturalitatis ſunt incapaces; eſſentialiter enim verſantur circa obiecta ſenſibilia, quæ nequeunt eſſe entitatiuè ſupernaturalia. Gratia ergo ſe habet, veluti natura in ordine ſupernaturali; quia dat eſſe ſupernaturale, ad quod ſequitur operari ſupernaturale ſecundùm entitatem in eſſe intelligibili, & ſecundùm ordinationem in eſſe ſenſibili.

28 Inſt. Virtutes Theologicæ in ordine gratiæ ſe habent ſicut ſyndereſis, & appetitus ſupernaturalis beatitudinis in ordine naturæ; nam ſicut per ſyndereſim, & appetitum naturalem ordinatur creatura ad finem naturalem; ita per virtutes Theologicas ordinatur ad finem ſupernaturalem; ſed ex efficacia ſyndereſis, & appetitus naturalis oriuntur virtutes morales naturales; ergo ex efficacia virtutum Theologicarum oriuntur virtutes morales ſupernaturales ſecundùm entitatem.

Reſp. neg. mi., nam veræ virtutes morales ſunt tantùm circa finem ſupernaturalem, non circa naturalem; & ideo oriuntur à charitate, non à ſyndereſi.

29 Obijc. 3. Tot debent poni virtutes morales, quot ſunt obiecta moralia formaliter diuerſa; ſed in moralibus datur duplex obiectum formaliter diuerſum; vnum ſcilicet naturale cõſtitutum per prudentiam naturalem, & aliud ſupernaturale conſtitutum per prudentiam ſupernaturalem; ergo dantur ſimul virtutes morales ſupernaturales, & naturales. 2. Vbi eſt diuerſum eſſe, & diuerſa vita; ibi ſunt diuerſæ operationes, & diuerſæ virtutes; ſed in ordine ſupernaturali eſt diuerſum eſſe, & diuerſa vita; ergo ſunt diuerſæ virtutes, non ſolùm Theologicæ, ſed etiam morales. 3. Datur prudentia infuſa ſupernaturalis, quæ regulat media conducentia ad finem ſupernaturalem, non enim poſſunt regulari à prudentia naturali; ergo idem dicendum de alijs virtutibus. 4. Virtutes infuſæ ſunt eſſentialiter connexæ cum charitate; ergo ſunt ſupernaturales ſecundùm entitatem, naturalis enim non connectitur cum ſupernaturali.

Reſp. ad 1. neg. mi. Ad prob. inſert. dicitur vnum eſſe obiectum naturale ſecundùm entitatem, & ſupernaturale ſecundùm ordinationem ad finem reſpectu virtutis tam acquiſitæ, quàm infuſæ; vt dictum eſt; ideoque virtutem infuſam, & acquiſitam non variari ex obiecto, ſed ſolùm ex modo productionis, vt diximus. Ad 2. diſt. ma. Sunt diuerſæ operationes, & virtutes, quibus formaliter viuitur, conc., quibus participialiter, & ordinabiliter viuitur, neg. Sic diſt. mi. In ordine ſupernaturali eſt diuerſum eſſe ſenſitiuum, & vita ſenſitiua, qua formaliter ſenſitiuè viuitur, diuerſa à vita ſenſitiua naturali, neg. Eſt diuerſum eſſe, & diuerſa vita, quia eſt vita intellectiua, quæ eſt formaliter ſupernaturalis; & vita ſenſitiua, quæ eſt tantùm participialiter, & ordinabiliter ſupernaturalis, conc. Ad 3. neg. ant., nam eadem prudentia, vt eleuata, & ordinata per charitatem, ſufficit ad ordinanda media ad finem ſupernaturalem. Ad 4. neg. conſ. Ad prob. inſert. diſt. Naturale ſupernaturaliter ordinatum non connectitur cum ſupernaturali, neg., non ſupernaturaliter ordinatum, conc. Sic potentiæ ſenſitiuæ, quatenus ordinatæ ad actiones intellectiuas, connectuntur cum potentijs intellectiuis; quatenus verò non ordinatæ non connectuntur, vt in brutis.

30 Inſt. Virtus moralis infuſa inquirit medium ſecundùm rationes Diuinas legis æternæ per ordinem ad finem ſupernaturalem; & virtus naturalis acquiſita quærit media ſecũdùm rationes inferiores per ordinem ad finem naturalem, qui eſt vita præſens, ergo illa eſt ſupernaturalis ſecundùm entitatem, iſta verò eſt merè naturalis.

Reſp. neg. 2. part. ant., nam vera virtus moralis acquiſita nedum dicit ordinem ad rectam rationem, quæ eſt inferior, ſed etiam ad legem æternam, quæ, prout ſcripta in cordibus noſtris, eſt ratio ſuperior; ab his enim principijs deſumitur moralitas, vt diximus *n.* 3. Præterea ſicut eadem entitas naturalis intellectus, vt non eleuata, attingit obiectum naturale; & vt eleuata, attingit obiectum ſupernaturale; ita à pari. Imò ambulatio externa, quamuis entitatiuè naturalis, & materialis, poteſt tamen ordinari ad finem ſupernaturalem, vt cùm dirigitur ad Eccleſiam ad laudandum Deum, quod conſtat de omnibus alijs actionibus à charitate imperatis; ergo eadem virtus naturalis ſecundùm entitatem poteſt eleuari ad finem ſupernaturalem.

31 Sic ſoluuntur omnes obiectiones, vel dicendo, quòd etiam virtutes acquiſitæ ordinantur ad finem ſupernaturalem; ideo neg., quòd in ordine naturæ dentur veræ virtutes ad finem purè naturalẽ; propterquod paritas de natura, & gratia; de ordine naturali, & ſupernaturali eſt de ſubiecto non ſupponente, quia ſupponũtur veræ virtutes in ordine naturæ tantùm, quod eſt falsũ. Vel dicendo, quòd potentiæ ſenſitiuæ ſunt incapaces cuiuſuis virtutis ſupernaturalis ſecundùm entitatem.

32 Inſtant 1. *Salm.* ad hoc vlt. virtutes infuſas receptas in appetitu eſſe materiales; neque implicare aliquod materiale eſſe ſupernaturale quoad entitatem; quia modus præſentiæ corporis Chriſti ad ſpecies ſacramentales eſt corporeus, cùm ſit modus corporis, & tamen non eſt naturalis, ſed ſupernaturalis; ſic vnio, qua corpus Chriſti in rtiduo manſit vnitum Verbo Diuino, fuit corporea, & tamen ſupernaturalis; ergo non implicat aliquod corporeum ſupernaturale. 2. *Gonet* ait tales virtutes eſſe ſpirituales, nec tamen implicat recipi in appetitu corporeo; ſicut anima rationalis eſt ſpiritualis, & tamen recipitur in corpore; quia ſicut anima eſt corporalis, *vt quo*; ſic illæ virtutes poſſunt dici corporales, *vt quo*, & virtualiter, quatenus poſſunt præſtare effectum, quem præſtant virtutes corporales informando appetitum corporeum; ſicut anima eſt corporalis, *vt quo*, & virtualiter, quatenus præſtat effectum, quem præſtarent formæ corporeæ.

33 Sed contra 1. eſt; quia non dicimus corpus non poſſe participare modum ſupernalitatis, ſed tantùm non poſſe dari aliquod corporeum, quod ſit ſupernaturale ſecundùm entitatem; illa autem duplex vnio non importat aliquam entitatem ſupernaturalem ſecundùm ſe; ſed importat modum ſupernaturalem entitatis naturalis, quod nos non negamus, ſed aſſerimus. Ad 2. dicitur, quòd ſi non implicat virtutem ſpiritualem recipi in potentia corporali, quia poteſt eſſe corporalis, *vt quo*, quatenus eſt forma perfectior, & ideo virtualiter continet formam corporalem, & poteſt præſtare effectum, quem præſtat forma corporea; eadem ratione poterit lumen ſpirituale recipi in oculo, & oculus per illud videre ſpiritualia; ſicut anima recepta in corpore eſt ratio intelligendi ſpiritualia, quia eſt ſpiritualis; quod tamen negat *Gonet*; qui eadem reſponſione, qua ſoluerit hoc, ſoluet ſuam reſponſionem. Dicendum igitur, quòd licèt anima rationalis ſit ſpiritualis; attamen quia eſt forma incompleta, & pars ſubſtantialis ordinata ad faciendum vnum per ſe cum materia; ideo quatenus talis, poteſt recipi in materia, quæ eſt altera pars potentialis, illam ſpecificando, & conſtituendo in ſpecie hominis; aduenit enim materiæ non ſpecificatæ, quæ de ſe poteſt conſtitui in qualibet ſpecie ſubſtantiæ viuentis corporeæ; at verò virtus aduenit potentiæ iam ſpecificatæ, potentia enim ſpecificatur à ſuo obiecto formali; ideoque potentiæ repugnat eſſentialiter virtus, qua formaliter tendat extra ſuum ſpecificatiuum eſſentiale; aliter potentia ſecundùm ſuam eſſentiam mutaretur; ſed virtus ſpiritualis ſupernaturalis eſt qualitas, qua tenditur extra ſpecificatiuum eſſentiale potentiæ ſenſitiuæ; quia per ipſam tenditur in obiectum ſpirituale, quod eſt ſpecificatiuum intellectus; ergo nequit aduenire potentiæ ſenſitiuæ; aliter ipſam extraheret à ſua eſſentia, & ſic non eſſet ampliùs potentia ſenſitiua, ſed intellectiua. *Vid.*, quæ diximus *to. 1. de Inuiſib. Dei q. 1.*

34 Collig. ex dictis virtutes morales infuſas recipi in iiſdem potentijs, in quibus recipiuntur virtutes acquiſitæ; ſunt enim ſecundùm entitatem naturales, & ſupernaturales ſolùm ſecundùm ordinationem, qua per charitatem referuntur in Deum, vt in finem ſupernaturalem; & prob. iiſdem rationibus, quas attulimus *art. 3.*

§ I.

De dignitate, & duratione virtutum moralium.

1 Dignitas, & excellentia virtutis vel poteſt ſumi comparatiuè ad ſubiectum, & charitatem, cum qua coniungitur; & ſic illa virtus eſt perfectior, quæ perfectioni annectitur charitati. Vel poteſt ſumi comparatiuè ad alias virtutes; & ſic dicimus *cum Fund. Doct. lib. 1. de Regim. Princ. p. 2. c. 5.* in fine, quòd prudentia eſt perfectior, & dignior alijs virtutibus moralibus; quia ipſa eſt directiua omnium aliarum; & aliæ ſubiacent directioni, & imperio ipſius prudentiæ; illud autem, quod præeſt alteri, eſt dignius illo; nam prælatio eſt dignitas, quæ eſt in eo, quod præſidet, & deeſt illi, quod ſubditur. Deinde iuſtitia eſt principalior, & dignior, quàm fortitudo, & temperantia; quia ſi loquamur de iuſtitia legali, eſt circa omnes actus omnium virtutum; ſi verò de iuſtitia commutatiua, & diſtributiua, eſt circa res, & bona communia, circa quę verſatur vita noſtra. Conſequenter fortitudo eſt dignior temperantia; quia fortitudo ordinatur etiam ab bonum gentis, & bonum commune; vt ad defenſionem Regni, vel Ciuitatis; temperantia verò ordinatur ſolùm ad bonum priuatum. Tandem temperantia eſt infima inter quatuor virtutes cardinales ob allatas rationes. Idē dicendum eſt de alijs octo virtutibus annexis reſpectiuè ad eorum obiecta ita, vt illa, quæ habet obiectum nobilius, ſit dignior; vt magnificentia, quàm liberalitas; magnanimitas, quàm *Philotomia*, ſeu honoris amatiua; & ſic de reliquis.

2 Quoad 2. dicimus *cum Fund. Doct. in Opuſc. de Renunc. Papę c. 18.* quòd virtutes poſt hanc vitam non pereunt, ſed remanent, & perficiuntur in patria, non tamen quoad vſum earum, ſed tantùm quoad ornamentum; vnde *Beatiſs. P. lib. 14. de Trin. c. 9.* ait: *Prudentia ſine vllo periculo erroris; fortitudo ſine moleſtia tolerandorum malorum; temperantia ſine repugnantia libidinum erunt in illa felicitate*, & illæ magis ſplendebunt, in quibus magis exercuerunt ſe Sancti, vt enim ipſorum gloria magis appareat, coruſcabunt eorum inſignia, quibus gloriam meruerunt vitiliter, & quibus triumphum retulerunt de vitijs.

3 Idem dicendum eſt de virtutibus intelle-

ctua-

ctualibus, ſed cùm hoc diſcrimine, quòd iſtę remanebunt etiam ad vſum; quia naturaliter etiam cognoſcent per ſpecies acquiſitas in via, vel infuſas in patria.

4 De virtutibus autem Theologicis iam diximus *to.1.q.4.proem. art.2.*, & *inf.* iterum erit ſermo, remanere ſolam charitatem; quia fides ratione ſuæ obſcuritatis extinguitur ad patriæ claritatem, & loco illius ſuccedit viſio beata; & ſpes ratione abſentiæ ab obiecto deſtruitur ab illius præſentia; & ei ſuccedit amor poſſeſſiuus beatitudinis. Virtutes autem morales ratione ſui non pugnant, ſed ſolùm deficit materia, circa quam exercentur; & ideo quoad ornatum animę remanent, non quoad vſum.

QVAEST. IV.

De Virtutibus moralibus in particulari.

Difficultatibus, quæ circa virtutes morales communiter acceptas agitari ſolent, expeditis, ea, quæ de ſingulis in particulari dicuntur, narranda ſuperſunt potiùs, quàm diſputanda, quia nihil ferè controuerſiæ patiuntur.

ART. I.

Quid ſit prudentia, quot eius partes integrales, ſubiectiuę, & potentiales, ac vitia oppoſita?

1 Prudentia ſecundùm nominis ethimologiam dicta eſt *porrò videntia* teſte *Beatiſs.P.pſ73.* in fine, vbi ait: *Prudens enim dictus eſt porrò videns*; & *lib.1. de lib. arb. c.13.* dicitur *appetendarum, & vitandarum rerum ſcientia*, & *lib.83. qq. q.31. Prudentia eſt regula bonarum, & malarum, & neutrarum ſcientia.* Hanc definitionem breuiùs, ſed non æquè explicatè tradit *Phil 6. Eth.c.5.* dicens, quòd prudentia eſt *recta ratio agibilium*; in quo differt ab arte, quæ eſt *recta ratio factibilium*, idèſt operum externorum, nomine enim *agibilium* ſignificantur omnes actus humani interni.

2 *Fund. Doct. lib.1. de Reg. Princ. p.2.c.6.* ait prudentiam poſſe comparari ad quinque, idèſt ad virtutes morales, quas dirigit; ad ſcientias intellectuales, quibus præcipit; ad materiam, circa quam verſatur; & ad ſcientiam, & artem, à quibus diſtinguitur; & per ordinem ad iſta quinque poteſt definiri.

3 Per ordinem ad virtutes morales definitur *perfectio intellectus directiua virtutum moralium in finem.*

4 Per ordinem ad virtutes intellectuales, ſcilicet eubuliam, & ſyneſim definitur *pręceptiua inuentorum, & iudicatorum*; ad hoc enim, vt bene circa agibilia negotietur, tria ſunt neceſſaria. 1. Debet inuenire media apta; & ideo debet eſſe in intellectu *eubulia*, quæ eſt virtus bene conſiliatiua. 2. De inuentis iudicare, & ideo ponitur in intellectu *ſyneſis*, quæ eſt virtus bene iudicatiua. 3. Debet præcipere, vt opera fiant iuxta inuenta, & iudicata.

5 Per ordinem ad materiam, circa quam verſatur, idèſt actiones particulares, definitur *virtus ſecundũ vniuerſales maximas particularia facta concernens.* In hoc differt *ab Ethica*, ſeu philoſophia morali, quæ verſatur circa particularia ſecundùm rationes vniuerſales, prudentia verò applicat regulas vniuerſales particularibus negotijs.

6 Per ordinem ad ſcientiam definitur *recta ratio actuum humanorum, & rerum contingentiũ, quæ ſunt in noſtra poteſtate*; in quo differt a ſcientia, quæ eſt tantùm de neceſſarijs.

7 Per ordinem ad artem definitur *recta ratio agibilium pręſupponens rectitudinem voluntatis*; itam poteſt eſſe peſſimus homo, qui ſit optimus artifex, nequit autem eſſe prudens, niſi ſit bonus.

8 Ex his definitionibus veluti inadęquatis ſic format definitionem adæquatam *Fund. Doct. Prudentia eſt virtus intellectualis directiua virtutum moralium, præceptiua ſecundùm inuenta, & iudicata iuxta vniuerſales maximas particularia contingentia eligibilia concernens, præſupponens rectitudinem voluntatis.*

9 Ex his habetur diſcrimen inter prudentiã, & legem; nam prudentia eſt habitus operatiuus ſe tenens ex parte potentiæ, lex verò ſe habet per modum obiecti inſpecti; ſicut enim ſe habet ars ad idæam inſpectam ab artifice, ita prudentia ad legem.

10 Quoad 2. partes prudentiæ diuiduntur in partes integrales, quæ concurrunt ad integritatem prudentiæ, tanquam conditiones, aut diſpoſitiones, quanuis non ingrediantur eſſentiam illius; & in partes ſubiectiuas, quæ ſunt ſpecies, in quas diuiditur; & in partes potentiales, quæ *à Fund. Doct.* appellantur *virtutes ancillantes* eo, quia coniunguntur cum prudentia, & ordinantur ad actus minùs principales in eadem materia.

11 Partes integrales principales ſunt tantũ tres, idèſt memoria, intelligentia, & prouidentia, vt docet *Beatiſs.P.lib.83.qq. q.31*; ideo prudentia *à Fund. Doct.* dicitur *memoria præteritorum, cognitio præſentium, & prouidentia futurorum.* His annexæ ſunt aliæ quinque minùs principales, & ideo omnes ſimul ſũptæ ſũt octo, ſcilicet *memoria, prouidentia intellectus, ratio, ſolertia, docilitas, experientia, & cautio*; vt habet *B. Doct. vbiſ. c.8*; nam quatuor poſſunt conſiderari ad prudentiam ſpectantia, idèſt bona, ad quæ dirigit; modum, quo dirigit; perſona dirigens; & res, quæ dirigitur. Ratione bonorum datur memoria, & prouidentia, nam dicitur 2. *Reth. c.19. In contingentibus agibilibus, vt plurimùm, futura ſunt pręteritis ſimilia*; ideo datur memoria, vt poſſit ex cognitione præteritorum deuenire

Digitized by Google

nire in cognitionem futurorum; & prouidentia, quia debet excogitare media, quibus futura poteſt conſequi. Ratione modi dirigendi habetur intellectus, & ratio, quia oportet prudentiam ſpeculari principia vniuerſalia, quæ ſunt leges, conſuetudines, & alia, quæ ſunt regulæ agendorum, & ſic habetur intellectus, ſeu habitus primorum principiorum; præter quod debet ſpeculari, quid ex illis regulis poſſit deducere, & ſic eſt ratio, ſeu diſcurſus. Ratione perſonæ dirigentis habetur ſolertia, & docilitas; nam prudens debet eſſe ſolers, & induſtris, vt ſciat inuenire bona, quæ ſunt agenda. Verùm quia ab vno homine nequeunt excogitari omnia media, ideo debet edoceri ab alijs, & eorum conſilijs acquieſcere; non enim ita debet ſequi ſuum conſilium, & iudicium, vt reſpuat alienum, quod fortè eſt vtilius, atque ſapientius. Tandem ratione rei datur experientia, & cautio; oportet enim, vt prudens habeat experientiam in hoc, vel illo particulari rei, quæ dirigitur; aliquæ nanq́ue res meliùs vno modo, quàm alio diriguntur, ideo prudens debet aduertere, an aliàs hoc fuerit expertus. Denique ſicut in ſpeculabilibus falſa apparent vera, ſic in agibilibus mala apparent bona; ideo ad prudentiam requiritur cautio, qua reſpuantur apparenter bona, & eligantur bona realiter, ergo octo ſunt partes integrales prudentiæ.

12 *Thomiſtæ* loco *experientiæ* ponunt *circumſpectionem*, quæ dicit attentionem ad omnes circumſtantias *hic*; *& nunc* occurrentes, & conferentiam illarum cum fine, & cum illis, quæ finem circumſtant, ne quid deſit ex neceſſarijs in opere. Circunſpectio autem, vel eſt idem cum experientia, quæ verſatur circa qualitates faciẽdorum, vt dictum eſt, de quibus debemus habere experientiam; vel reducitur ad intellectum, & rationem, aut ſolertiam.

13 Quoad 3. omiſſa diuiſione prudentiæ in naturalem, & ſupernaturalem allatam *à noſtro Gibb. & alijs*; prudentia enim ſupernaturalis ſecundùm entitatem non datur, vt diximus *in ſup. q.*

14 Diuiditur. 1. prudentia in monaſticam, & poliarchicam. Illa eſt, quæ inuenit medium ad moderandas proprias paſſiones in ordine ad finem conſequendum ab illa perſona, in qua reperitur; & dicitur monaſtica, idèſt regulatiua vnius tantùm perſonæ. Iſta eſt, quæ reſpicit regimen alicuius multitudinis, vt Reipublicæ, ciuitatis &c. dirigendo ad finem debitum; & diſtinguitur à monaſtica; quia monaſtica reſpicit tantùm bonum priuatum vnius perſonæ; poliarchica verò reſpicit bonum commune totius multitudinis.

15 Poliarchica diuiditur in œconomicam, politicam, militarem, & regnatiuam, quæ vocatur etiam *à Phil. 6. Eth. c. 8.* legiſlatiua. Oeconomica eſt, qua Paterfamilias regit vnam integram familiam. Politica eſt, qua gubernatur vna ciuitas, dictans obſeruantium legum, & prouiſionem eorum, quæ ad bonum publicum ciuitatis conducunt. Militaris eſt, qua rectè gubernatur exercitus bene vtendo inſtrumentis bellicis, & artem militarem dirigendo, ſuggerendo ei media apta ad obtinendam victoriam. Regnatiua, ſeu legiſlatiua, quæ Grecè dicitur *nomothetica*, eſt illa, qua adminiſtratur regnum condendo leges vtiles bono totius regni.

16 Regnatiua diuiditur in Monarchicam, qua vnus tantùm præſidet, & regit totum regnũm; & Ariſtocraticam, qua nobiles, & magnates regnum gubernant; & Democraticam, qua populus integer regnum adminiſtrat.

17 De prudentia œconomica agit *Fund. Doct. lib. 2. de Regim. Princ.* per totum. De politica verò, & regnatiua agit *lib. 3. p. 1. & 2.* De militari agit *ibid. p. 3.*

18 Quoad 4. ſcilicet quoad virtutes ancillantes, ſeu partes potentiales prudentiæ dicitur eſſe tres; nempe *eubulia*, *ſyneſis*, *& gnome*. Eubulia eſt illa, quæ ſubminiſtrat prudentiæ conſilium mundum, & lucidum; ſyneſis, quæ ſubminiſtrat iudicium certum, & rectum; gnome autem, quæ iudicat, non ſecundùm legem, ſed ſecundùm rationem naturalem, quæ *hic*, *& nunc* dictat diſpenſandum eſſe in lege communi; & per hanc regulatur *Epicheia*, quę eſt ſpecies iuſtitiæ vetans legem impleri in aliquo caſu; vt habet *Fund. Doct. in opuſc. Epiſt. ad Rom. c. 7. lect. 21. dubit. 1.*; vt non reddendum eſſe enſem furioſo, vel irato; quod tamen præcipit lex communis. Differt autem *ſyneſis à gnome*; quòd illa ſubminiſtrat prudentiæ iudicium ſecundùm leges communes; hæc verò ſecundùm rationem naturalem contra ipſas leges; & *apud Curiales* gnome nunc temporis vocari ſolet *prudentialis*; quaſi ſola illa virtus, quæ contrait legibus *apud iſtos* prudentiæ nomen retineat.

19 Vitia oppoſita prudentiæ enumerantur *à Beatiſs. P. lib. 4. cont. Iul. c. 3.*; reducuntur autem ad prudentiam carnis, aſtutiam, dolum, fraudem, anxietatem rerum temporalium, & ſollicitudinem futurorum; quibus adduntur obliuio, improuidentia, ſtupilitas, irrationalitas, inertia, indocilitas, inexperientia, & temeritas, quæ contrariantur partibus integralibus prudentiæ.

20 Nomine prudentiæ carnis non intelligitur illa ſolùm, quę inuenit media ad venerea complenda; ſed illa, quæ ex humano motiuo, & mundano affectu quærit media ad quæcunque bona temporalia delectabilia conſequenda; hæc enim omnia appetit caro, & fugit ſpiritus.

21 Aſtutia, quanuis aliquando *in Scripturis* accipiatur in bono ſenſu; dicitur enim *Matth. 11. Aſtuti, vt ſerpentes*, vt refert *Beatiſs. P. vbi ſ.* attamen *hic* ſumitur in malo ſenſu pro callidirate, & praua ſagacitate.

22 Dolus eſt executio aſtutiæ verbis fallacibus

cibus facta; & quanuis dolus aliquando ſumatur in bono ſenſu; vt cùm quis verbis blandientibus reducit aliquem ad bonam frugem;attamen propriè ſumitur in malo ſenſu.

23 Fraus eſt executio aſtutiæ factis perpetrata; & propriè dicitur fieri contra legem; ne videatur ſe legem violaſſe.

24 Anxietas rerum temporalium eſt, qua ita intenduntur res temporales, vt negligantur æternæ.

25 Sollicitudo futurorum eſt immoderatus animi affectus, quo temporalia, quæ ſperamus, inordinatè concupiſcimus.

ART. II.

De iuſtitia, & eius partibus, ac vitijs oppoſitis.

1 NOmine iuſtitiæ *in Scripturis* ſæpe gratia ſignificatur,qua peccator ab impietate, quæ iniuſtitia pariter dicitur, iuſtificatur; vt *Rom. 3. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius*, ſcilicet Chriſti; quia per gratiam applicantur homini Chriſti merita, quibus æquale redditur iuſtitiæ Dei pro offenſa ab homine irrogata Deo, & homo fit iuſtus,ideoque gratia iuſtitia dicitur. *Hic* non loquimur in hoc ſenſu de iuſtitia; ſed de iuſtitia, prout eſt virtus moralis acquiſita, vel infuſa, naturalis tamen ſecundùm entitatem, vt diximus *in ſup.q;* ſic enim differt à gratia, quæ ſecundùm entitatem eſt ſupernaturalis; tum quia gratia habitualis immediatè ſubiectatur in anima, vt ſuo loco dicemus; iuſtitia verò in voluntate, vt ſuperiùs habitum eſt.

2 Iuſtitia ergo, quæ eſt virtus moralis, *à Beatiſs. P. Aug.lib.* 83.*qq.q.*31. definitur *habitus animi communi vtilitate conſeruata ſuam cuique tribuens dignitatem; & lib. 1. de lib. arb.c. 13. Iam iuſtitiam quid dicamus, niſi virtutem, qua ſua cuique tribuuntur.* Hęc definitio legitur etiā *apud Phil.5.Eth. c.1., & Iuriſta l.Iuſtitia ff. de Iuſtitia, & iure* ſic illam deſcribunt; *Iuſtitia eſt perpetua,& conſtans voluntas ius ſuum vnicuique tribuens;* quanuis autem nomine *voluntatis* intelligatur actus; attamen quia dicitur *perpetua & conſtans*, non actus, qui parum durat, ſed habitus, qui ſemper manet in voluntate, ſignificatur. Reliqua verba huius definitionis indicant obiectum ſpecificatiuum Iuſtitiæ, quæ, cùm ſit ad alterum, habet ponere æqualitatem iuris inter diuerſas perſonas; propter quod diximus *in ſup. q.art.5;* quòd iuſtitia nedum habet medium rationis, quia regulatur à recta ratione, ſed etiam medium rei. Ius autem, quod idem eſt,ac iuſtum, ſeu æquum, eſt obiectum.

3 Diuiditur .1. iuſtitia in legalem,& æqualem, vt in partes ſubiectiuas. *Ita Fund.Doct.lib. 2. de Regim. Princ. p.2. c.10; & in 3. diſt.9. p.1. q.1. art.2.* Iuſtitia legalis vocatur etiam generalis, & eſt quodammodò omnis virtus,quia præcipit actus omnium virtutum; præcipit enim adimpletionem legis, lex autem præcipit actus omnium virtutum; & ideo dicitur generalis,non per prædicationem vniuerſalem, ſed quia non determinat ſibi aliquam particularem materiam, verſatur nanque circa materiam omnium virtutum. Iuſtitia æqualis, quę dicitur etiam iuſtitia ſpecialis, eſt illa, quæ intendit æqualitatem in rebus, nec agit opera omnium virtutum, ſed determinat ſibi ſpecialem materiam; & verſatur circa hæc bona exteriora tribuens vnicuique, quod æquum, & iuſtum eſt.

4 Iuſtitia legalis duplex eſt; alia, quæ præcipit legum obſeruantiam iuxta tenorem verborum ipſius legis, & hæc retinet nomen iuſtitiæ legalis; alia verò, quæ præcipit implere legem non iuxta tenorem verborum ipſius legis, quia ſic aliquod malum communitati eueniret,ſed interpretatur intentionem Legiſlatoris;cùm enim plurimi caſus occurrere poſſint, in quibus lex poteſt eſſe nociua communitati, qui caſus non fuerunt præuiſi, vel non expreſſi à Legiſlatore, qui tamen quia intendit ſolùm bonum communitatis, non malum; ideo hæc virtus interpretatur intentionem Legiſlatoris, qui in illis caſibus diſpenſaſſet à lege communi; ſi illos caſus præuidiſſet; & hæc virtus dicitur epichcia, quę regulatur à gnome, vt diximus *in ſup. art.* Iuſtitiæ legali opponitur tranſgreſſio legis; & peruerſa legis interpretatio.

5 Iuſtitia æqualis diuiditur in diſtributiuā, & commutatiuam, tanquam in duas ſpecies illius. *Ita Fund. Doct.de Regim.vbi ſ.c.11;& alibi.* Nam vel res, circa quas eſt iuſtitia æqualis, conſiderantur, prout comparantur ad inuicem inter ſe; vt quia vna plus abundat in aliquo,in quo alia deficit, & hæc plus abundat in alio, in quo illa deficit; v. g. quis abundat in tritico, & deficit in nummis; & alter è contra abundat in nummis, ſed deficit ei triticum neceſſarium ad victum;& ſic datur iuſtitia commutatiua, quæ æquat iſtas res inter ſe tollendo exceſſum, & ſupplendo defectum. Vel res poſſunt comparari, non quidem inter ſe, ſed comparatiuè ad bonum commune, & ſic datur diſtributiua, quę habenti plus, vel minus meriti confert maius, vel minus præmium, & habenti plus,vel minus demeriti confert plus, vel minus pœnæ; non enim diſtributiua æquat res inter ſe, vt præſtat commutatiua; quia non facit, vt habens maius meritum habeat minus meritum; ſed illas æquat tantùm per ordinem ad bonum commune; vt quia aliquis magis, vel minus promouit bonum commune actionibus virtuoſis, quibus ſolū obſeruantur leges, & conſeruatur bonum communitatis; ideo recipit maius, vel minus præmium; vt *Matt* 25;*& Luc.* 19. ſeruo, qui lucratus fuerat decem mnas, dixit Dominus; *Euge ſerue bone, quia in modico fuiſti fidelis, eris poteſtatem habens ſuper decem ciuitates.* Quia autem vi-

vltijs magis, vel minùs læſit bonum commune; ideo recipit maiorem, vel minorem pænam; vt *Deut.25. ſecundùm menſuram delicti erit & plagarum modus*.

6 Vtriuſque iuſtitiæ dat exemplum *Fund. Doct. vbiſ.* in corpore humano; nam communitas eſt quoddam corpus morale conſtans ex pluribus membris. Sicut ergo membra corporis cõſiderata, vt habent ordinem inter ſe, habent ad inuicem ſe excedere in vno, & deficere in alio; vt oculus abundat virtute viſiua, quia poteſt dirigere ſe ipſum, & pedes; & deficit in virtute greſſiua; pedes verò abundãt in virtute greſsiua, quia poſſunt ſe ipſos deferre, & oculos; & deficiũt in virtute viſiua; ideo oculus dirigit pedes, & pedes portant oculos; quapropter inter membra ad inuicem conſiderata datur commutatiua. Si verò membra corporis conſiderentur per ordinem ad cor, à quo communiter mouentur ad ſuas operationes, ſic in eis datur diſtributiua; quia cor ſecundùm proportionem membrorum influit in ea ſpiritum vitalem, & motum proportionatum, & adæquatum ſuis operationibus. Idem in caſu.

7 Actus Iuſtitiæ commutatiuæ ſunt emptio, & venditio, mutuum, vſusfructus, vſus, locatio, conductio, depoſitum, fideiuſsio, promiſſio ſimplex, ſtipulatio, tranſactio, & alij contractus innominati, omnia pacta, & conuentiones, & reſtitutio, ad quam videntur reduci fideicõmiſſum, ſiue ſubſtitutio hæredis. Reſtitutioni tenentur ſurripiens, poſsidens iniuſto titulo, conſulens, adiuuans, & quomodocunque concurrens ſcienter ad rei ablationem.

8 Iuſtitiæ commutatiuę opponuntur tria genera vitiorum; nam quædam ſunt contra perſonam, vt homicidium, & mutilatio membrorum; quædam contra famam, vt contumelia, conuicium, improperium, irriſio, maledictio, ſuſurratio, & adulterium; quædam contra bona exteriora, vt furtum, rapina, fraus, & vſura. Homicidium eſt occiſio hominis facta auctoritate priuata, & ſic mutilatio membrorum, nam facta auctoritate publica non eſt vitium, ſed actus iuſtitiæ vindicatiuæ. Contumelia eſt iniuria illata proximo in ipſius præſentia. Conuicium eſt obiectio mali pœnæ in præſentia ipſius conuitiati, in quo differt à contumelia, quæ obijcit malum culpæ. Improperium eſt obiectio alicuius defectus, vel actus mali. Irriſio eſt contemptus proximi iocosè factus verbis, vel ſignis, vel factis. Maledictio eſt actus, quo alicui malum deprecamur. Detractio eſt denigratio famæ per verba occulta ſignificantia malum culpæ, vel pœnæ. Suſurratio eſt locutio mala de proximo per ordinem ad tollendam amicitiam. Adulterium opponitur etiam caſtitati, ideo *inf.* Furtum eſt occulta acceptio rei alienæ inuito Domino. Rapina eſt violenta acceptio rei ſciente Domino. Fraus eſt deceptio facta ſolùm per verba, Vſura eſt lucrum ex mutuo vero, vel interpretatiuo proueniens, ſiue ſit pecunia, ſiue res pecunia appretiabilis; & diuiditur in extrinſecam, quæ conſiſtit in lucro ex mutuo interueniente pacto explicito, vel implicito; & mentalem, quæ eſt ſine pacto, & conuentione.

9 Diſtributiua, prout reſpicit merita, dicitur remuneratiua; prout reſpicit demerita, dicitur vindicatiua. *Vid.to.2. de Iuſt. Dei.* Diſtributiuæ opponitur acceptio perſonarum.

10 Partes integrales iuſtitiæ ſunt operatio boni, & vitatio mali. Vel meliùs ſunt virtutes, quibus operamur bonum, & vitamus malum; cùm enim partes integrales alicuius virtutis ſint virtutes ancillantes, vt diximus *in ſup.art*; ideo non operatio, & vitatio, quæ ſunt actus virtutum, ſed virtutes ipſæ ſunt partes integrales iuſtitiæ; quibus opponitur proſecutio mali, & omiſsio boni.

11 Iuſtitia ortum habuit à natura, ſeu à iure naturali, deinde fuit conſuetudine firmata, tandem metu legum, & religione ſancita, vt docet *Beatiſs.P. lib.83. qq.q.31.*

12 Iuſtitia, prout ortum habuit à natura, habet ſex partes potentiales, quæ ſunt *religio, pietas, gratia, vindicatiua, obſeruantia, & veritas. Ita Beatiſs.P. ibid. Aliqui* addunt *pœnitentiam, amicitiam, & liberalitatem*. Sed pœnitentia reducitur ad vindicatiuam, quia per pœnitentiam vindicantur delicta; liberalitas, & amicitia ad gratiam, quia per gratiam diffundimus bona, & amamus. *Alij* addunt *obedientiam*, quæ tamen reducitur ad obſeruantiam, vel religionẽ.

13 Religio dicitur *à religendo*, quia religioſus debet frequenter legere ea, quæ ſpectant ad cultum Dei, inquit *Beatiſs. P. lib.10. de Ciu. c.4. Deum religere debemus, quem amiſeramus negligentes*. Sed magis propriè dicitur *à religando*; vt docet *lib. de Vera Relig. c.vlt.* prope finem; *& lib.1. Retract.c.13.* in fine; *& ex illo Fund. Doct. in 3. diſt. 9.p.1.art.2.§. Redeamus* docens, quòd hoc nomen *religio* non eſt ſumptum eſt determinatione operum, ſed ex voto, quo denuo religantur religioſi ad colendum, & ſeruiendum Deo; nam quælibet creatura, vt creatura eſt, obligatur ad ſeruiendum Deo creatori; quando autem vouet ſeruire Deo, denuo obligatur. Obligatur autem omnibus, quæ habet, ſcilicet anima, corpore, & bonis exterioribus; & hęc tria exhibet Deo, animam per voluntatem promittendo viuere in obedientia, corpus promittendo viuere in caſtitate, & bona exteriora promittendo viuere in paupertate.

14 Religio à *Beatiſs. P.lib.83.qq. vbiſ.* definitur *virtus, quæ ſuperioris cuiuſdam naturæ, quam Diuinam vocant, curam, ceremoniamque offert; & lib. de vera Relig: qua vnus Deus colitur, & purgatiſsima pietate cognoſcitur, principium naturarum omnium, à quo omnis vniuerſitas & incboatur, & perficitur, & continetur*. Ex his ſic definitur

nitur

nitur *virtus, quæ debitum cultum Deo tribuit, tanquam primo omnium principio*. Dicitur *virtus* ad excludendam ſuperſtitionem, quæ eſt vitium tribuens cultum falſo Deo. Dicitur *debitum* ad excludendam falſam religionem exhibentem cultũ vero Deo modo indebito, v. g. cerǽmonijs à Deo prohibitis; vt faciunt *Iudæi*. Dicitur *cultum*, qui importat proteſtationem Diuinæ excellentiæ ſuper omnem creaturam, & ſubmiſſionem creaturæ ad Deum. Dicitur *tanquam primo omnium principio*; quia honor exhibitus Deo, vt eſt Pater cœleſtis, ſpectat ad pietatem. Ex hoc deducitur religionis præſtantia inter quaſcumque alias virtutes morales; quamuis etenim religio non tendat immediatè in Deum, vt obiectum, & finem ipſius, propter quod non eſt virtus Theologica, vt docet *Fund. Doct. in 3. vbiſ. art. 5*; attamen immediatè tendit in cultum Dei, qui eſt actus creatus, quo immediatè tendimus in Deum.

15 Religioni per exceſſum opponitur ſuperſtitio, non quia Deus coli poſsit magis, quã oporteat, eſt etenim infinitè colendus; ſed quia vel colitur modo inconuenienti, vt cerǽmonijs legalibus nunc à Deo prohibitis; vel quia defertur cultus Diuinus, cui non debetur. Superſtitio diuiditur in idolatriam, quæ eſt *exhibitio cultus Diuini facta creaturæ*; & diuinationem, quæ eſt *exhibitio cultus Diuini vſurpantibus cognitionem futurorum*; & obſeruantiam, ſub qua continetur *magia*; & eſt *attentio aliquorum ad euentus futuros, quæ non ſunt cauſæ naturales illorum per ordinem ad acquirendam ſcientiam futurorum, vel præteritorum, vel præſentium occultorum, vel ſanitatem, vel ad euitanda infortunia, vel ad conſequendas fortunas*.

16 Religionis duo actus interni aſsignantur, nempe deuotio, quę eſt actus elicitus à voluntate; & definitur *feruens ad Dei cultum cum fide promptiſsima affectio*; oratio autem, quæ eſt actus elicitus ab intellectu, definitur *eleuatio mẽtis in Deum*; & eſt actus imperatus à voluntate, in qua reſidet virtus religionis, quæ babet ordinare actus omnium virtutum ad cultum Dei; dicitur autem oratio actus internus religionis, non quia ſit intra voluntatem, intra quam eſt religio, ſed quia eſt intra intellectum, qui eſt potentia ſpiritualis internè operans, & contradiſtinguitur à potentijs ſenſitiuis externis, quæ externè operantur.

17 Oratio duplex eſt, ſcilicet mentalis, quæ dicitur etiam interior; & vocalis, quæ appellatur etiam exterior. Vtraque eſt de præcepto, & eſt ſimpliciter in adultis neceſſaria ad ſalutem, Habetur *Marc. 14. Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem*; & *Luc. 11. Petite, & accipietis*; & *Matth. 6. Cùm oratis, dicite: Pater noſter, qui es in Cælis*. De mentali habetur *Matth. 15. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Sine cauſa me colunt*. Ex quo deducitur orationem vocalem coniungendam eſſe cum oratione mentali ad hoc, vt vocalis ſit fructuoſa ad ſalutem; & *Machab. 2. c. 15.* dicitur: *Iudas verò, & qui cum eo erant, inuocato Deo per orationes congreſſi ſunt, manu quidem pugnantes, ſed Dominum cordibus orantes*; quibus verbis manifeſtè deſcribitur oratio mentalis præciſa ab oratione vocali. De vocali autem ſermo eſt *pſal. 3. Voce mea ad Dominum clamaui*; & *pſ. 5. Intende voci orationis meæ*. Neceſſitatem vtriuſque orationis expreſsè demonſtrat *Apoſt. 1. Cor. 14.* dicens: *Qui loquitur lingua, oret, vt interpretetur, nam ſi orem lingua, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt. Quid ergo eſt? Orabo ſpiritu, orabo & mente; pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Caeterùm ſi benedixeris ſpiritu, quis ſupplet locum idiotæ; quomodo dicet, amen, ſuper tuam benedictionem? Quoniam quid dicas, neſcit. Nam tu quidem bene gratias agis, ſed alter non ædificatur*. Quibus verbis manifeſtè præcipit orationes, quę publicè fiunt coram populo, vocales eſſe debere; aliter ſine fructu eſſent, non quidem ſine fructu proprio, ſed ſine fructu alieno, quia ſcilicet populus non ædificatur per orationes internas, cùm illas non percipiat, ſed tantùm per externas, quas dumtaxat auribus poteſt ſenſibiliter excipere. Sic officium diuinum, miſſa, & Pater noſter debent voce ſenſibili in Eccleſia pronunciari, vt populus ędificetur, idèſt orationibus ſacerdotum, & clericorum ſuas orationes coniungat; ſicut enim ædificatio materialis fit per vnionem lapidum ad lapides; ita ſpirituale ædificium componitur ex coniunctione orationum ad orationes; & per hoc Eccleſiæ communio etiam reſultat. Ratio autem, ob quam oratio nedum mentalis, verumètiam vocalis ſit de præcepto, & ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, eſt. Subiectio creaturæ ad Deum eſt de præcepto, & eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem; habetur etenim *Iſaiæ 45. Mihi curuabitur omne genu*: & *2. Machab. 9. Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo*; ſed oratio eſt ſubiectio creaturæ ad Deum, per illam enim creatura Deo humiliatur; quapropter dicitur: *ſubditus eſto Domino, & ora eum*; ergo oratio nedum eſt de præcepto, ſed etiam eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem; atqui ſubiectio creaturæ ad Deum debet eſſe ſecundùm animam, & ſecundùm corpus, quia creatura ſecundùm vtrunque eſt ſerua Dei, & dependens à Deo, cùm vtrunque à Deo receperit; ſecundùm animam autem habetur oratio mentalis, quia mens eſt in anima; & ſecundùm corpus habetur oratio vocalis, quæ corporalibus inſtrumentis formatur; ergo oratio nedum mentalis, verumetiam vocalis eſt de præcepto, habetur nanque *in allatis Scripturis*; & eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem. Quoniam autem tale præceptum eſt affirmatiuum, non negatiuum, ideo non obligat pro ſemper. Deuotioni opponitur indeuotio, & orationi diſtractio.

18 *Qidam* conſcientiæ *Mulierculanarum inſtructores* Theologiæ prorſus expertes theologizare volentes inuenerunt quandam orationis ſpeciem, quam *quietis* appellarunt dicentes, quòd cùm eſt orandum, debet anima Deo ſe præſentare, & puro fidei actu ſe illi coniungere; ac voluntatem ab omni prorſus affectu, quanuis ſanctiſſimo, ac omnes alias potentias tum internas, tum externas ab omni ſua actione ſuſpendere; ac expectare, quòd Deus infundat actum, quem voluerit; & ſic purè paſſiuè debere ſe habere, excepto illo actu fidei, quem tamen ter ſolùm debet elicere ad hoc, vt oratio illa paſſiua habeat, quo innitatur; ceterùm debet ſancto illo otio quieſcere, ac ſolùm Deum eſſe lumen ſuæ orationis. Ad probandum hoc inuentum tam apertè mendax plura alia aſſumpſit mendacia, quia falſitas non poteſt, niſi falſitate firmari; quoniam tamen ſpectant ad alienam materiam, ideo de illis *alibi* agetur.

Sed hæc opinio in plures prolapſa blaſphæmias à *SS. Inquiſitione* recognitas fuit damnata ſolemniter. Improbatur igitur .1. Hæc opinio impiè prohibet orationem vocalem à Chriſto inſtitutam, vetat enim omnem actum externum, in quo conſiſtit oratio vocalis; ergo eſt blaſphæma. 2. Falſo innititur fundamento; ait enim, quòd anima debet ſe Deo perfectè vnire per purum actum fidei; cùm tamen iuxta *Diuinas Scripturas* perfecta vnio cum Deo habeatur per actum charitatis; quia vinculũ magis perfectè coniungens cum Deo eſt charitas *iuxta Apoſt. ad Coloſſ. 3. Super omnia autem hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis; & 1. Cor. 13. Maior autem horum eſt charitas,* ſed hæc opinio excludit actum charitatis; ergo eſt *contra Diuinas Scripturas* 3. *Iac. 2.* habetur. *Fides, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa,* & paulò poſt. *Vis autem ſcire, ò homo inanis quoniam fides ſine operibus otioſa* (vel vt alij legunt) *mortua eſt*; ergo purus actus fidei ſine actu charitatis, ſeu amoris Dei, qui eſt forma, & anima illius, mortuus eſt, & nullius vigoris, & meriti. 4. *Ad Galat. 5.* dicitur: *Fides, quæ per charitatem*; vel vt *alij* legunt; *per dilectionem operatur*; ergo ablato actu charitatis, ſeu dilectione Dei, nullus actus fidei eſt meritorius; 6. *Ibid. c. 13. Si habuero omnem fidem ita, vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum*; ergo purus actus fidei ſine actu charitatis, qui eſt actus voluntatis, nihil eſt. 7. Charitas eſt radix omnium operum bonorum, cùm etenim ſola voluntas habeat tẽdere formaliter in bonum, quod eſt obiectum formale ſpecificatiuum illius, ideo ſolus actus voluntatis eſt formaliter bonus; denominatio nanque *iuxta Phil.* deriuatur ab obiecto formali ſpecificatiuo; actus verò intellectus eſt tantummodò formaliter verus, adeoq; non eſt bonus, niſi quatenus imperatur, & ordinatur à charitate, quæ eſt actus voluntatis, qui ſolus eſt formaliter bonus; ergo hæc opinio, quæ aſſerit voluntatem eſſe ſuſpendendam ab omni actu formaliter bono, euellit radicem omnium bonorum operum, & per conſequens deſtruit omnia opera bona, & meritoria. 8. *Matth. 13.* dicitur: *Cùm autem immundus Spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui, & veniens inuenit eam vacantem, ſcopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant ibi; & fiunt nouiſſima illius peiora peioribus*; domus autem vacans, & ſcopis mundata, in qua habitat Diabolus, eſt voluntas otioſa, & ſuſpenſa ab omni actu, & operatione; vt admittit hæc opinio, quæ idcirco præparat locum, non Deo, ſed Diabolo. 9. *De Anna Prophetiſſa Luc. 9.* ſcriptum eſt; quòd *non diſcedebat de templo ieiunijs, & obſecrationibus ſeruiens nocte, ac die*, ob quod commendatur *in Euangelio*; ieiunium autem eſt opus externum coniunctum cum actu interno voluntatis, de quo *vid. Beatiſs. Pater ep. 121. de orando Deum ad Probam*; vbi fusè probat, quòd oratio multùm iuuatur ieiunijs, vigilijs, & caſtigatione corporis; ergo hæc opinio exprobat, quod *Euangelium* commendat. 10. *Tob. 12. Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſina*; propterquòd exaudita eſt à Deo oratio *Tobis*; vt docet *Beatiſs. P. ſerm. 226. de Temp., & in pſ. 42.* ait: *Vis orationem tuam volare ad Deum? Fac illi duas alas, ieiunium, & eleemoſinam*; & licèt pro eo tempore, quo oratur, eleemoſinis externis oratio non diſtrahatur; attamen voluntate informata actu charitatis in Deum, & proximum intentionaliter eleemoſinam ad Deum ferente, emitti debet oratio, vt ad Deum perueniat; ſic enim volat comitata ieiunijs, & eleemoſinis internè volitis, licèt externè pro eo tunc non executis.

19 Quies ergo, & otium ſanctum, quo debet frui anima orans, eſt ſuſpenſio, & alienatio mentis ab omni affectu rerum temporalium; & in hoc ſenſu oratio debet eſſe otioſa; non tamen debet eſſe deſidioſa in affectu Dei, vnde *Beatiſs. P. ſerm. 27. de Verbis Domini* deſcribens *in Martha, & Magdalena* duas vitas, ſcilicet actiuam, & contemplatiuam ait: *In duabus fœminis duæ vitæ ambæ innocentes, ambæ laudabiles, vna laborioſa, altera otioſa, nulla facinoroſa, nulla deſidioſa. Ambæ innocentes, ambæ, inquam, laudabiles; ſed vna laborioſa, altera otioſa; nulla facinoroſa, quam cauere debet laborioſa, nulla deſidioſa, quam cauere debet otioſa.* Sicut ergo vita laborioſa, quæ eſt actiua, cauere debet, ne ſit facinoroſa, idèſt ne ſuis actionibus externis committat peccatum; ita vita otioſa, quæ eſt contemplatiua, cauere debet, ne ſit deſidioſa; idèſt ne deſiſtat ab internis affectibus ordinatis in Deum.

20 Sic voluntas in Deum tendendo per amorem magis accenditur, & inflammatur à Deo, vt feruentiori tendat conatu, à quo abſorbetur, & rapitur in ipſum; & ſic dicitur paſsiuè ſe habere, quia ex cognitione Dei, quam habet per fidem, confortatur à Deo amor Dei in voluntate, qui eſt ordinatiuus actus fidei in Deum; & ex Dei contemplatione à Deo nouis illuſtrationibus aucta magis augetur amor in Deum nouis motionibus internis attactus; donec totaliter rapiatur, & abſorbeatur in Deum. Anima ergo oratura ab his temporalibus pœnitus abſtracta debet ſe Deo præſentare per fidem ipſum cognoſcendo, & per charitatem amando; & per vtranque tendendo eo maiori, quo poteſt, conatu: nam Deus, qui actum fidei, & charitatis ei donauit, perficiet in finem.

21 Præter duos actus internos Religionis aſsignantur etiam ſeptem externi, qui ſunt adoratio, ſacrificium, oblatio, votum, iuramentum, adiuratio Diuinis nominis, & laudatio, ſeu eius per laudem aſſumptio.

22 Adoratio eſt *exhibitio ſui corporis ad honorandum Deum*; & triplex eſt, ſcilicet latria, quæ ſoli Deo debetur; iperdulia, quæ *Beatiſs. Virgini* conuenit; & dulia, quæ *alijs SS.* tribuitur. Adorationi opponitur omnis externus Dei contemptus.

23 Sacrificium *eſt oblatio rei ſenſibilis Deo facta per realem immutationem rei in recognitionem Dei dominij, & noſtræ ſubiectionis*. Dicitur *per realem immutationem rei*; quia res in ſacrificio immutatur. Diuiditur in ſacrificium nouæ legis, quod eſt oblatio corporis Chriſti Domini; & ſacrificium veteris legis, quod diuidebatur in victimam, ſeu hoſtiam, quæ dicebatur ab hoſtibus victis, aut vincendis; offerebatur enim vel pro reportanda victoria; vel ad agendas gratias pro hoſtibus victis, & fiebat tantùm animalibus occiſis, quod propterea dicebatur ſacrificium cruentum; & in immolationem, quæ erat oblatio rerum inanimatarum, ducto nomine à mola, qua fruges teruntur; & in libamen, quod erat oblatio rerum liquidarum, vt vini, olei &c; quæ effundebantur Deo oblatæ. Sacrificia veteris legis extincta ſunt & prohibita, quia eis ſucceſſit oblatio corporis Chriſti, quam figurabant. Sacrificio opponitur oblatio ſacrilega, vt animalium immundorum, & materiæ prohibitæ.

24 Oblatio, vt diſtincta à ſacrificio, eſt *exhibitio rerum externarum cum mutatione earum*; vt primitiarum, aliarumque rerum, quæ integræ ſeruabantur ad vſum ſacerdotum, & templi; & decimarum, quæ etiam nunc offeruntur ad ſubſtentationem ſacerdotum, & neceſsitatem Eccleſiarum; vt *in c. De cæteris 19. q.1; & in c. Quæſiuiſti 16. q.1; & in c.vlt.de Paroch., & in c. Quoniam de decimis extra. Si quis laicus 16. q. 1.* Vitium oppoſitum oblationi eſt ſacrilegium, quod eſt *oblatio rei ſacræ*, ſeu ad Diuinum cultum deputatæ; & ſimonia, quæ ducto nomine *à Simone Mago*, qui Spiritum S. pecunia emere volebat, definitur *ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi res ſpirituales pro temporali pretio*. Et triplex eſt; alia purè mentalis, alia purè conuentionalis, & alia media. Prima eſt, quæ conſiſtit in ſolo propoſito nullo actu exteriori interueniente; ſecunda, quæ completur actu externo interueniente conuentione dantis, & accipientis; tertia, quæ ponit aliquem actum exteriorem, non tamen declarat ſuam intentionem; vt cùm quis ſeruit, aut offert munus intentione conſequendi beneficium; ſecunda incurrit ſuſpenſionem, excommunicationem reſeruatam Summo Pontifici, vt *in Conc. Conſtant*; & incurrit depoſitionem, & reſtitutionem fructuum perceptorum ex beneficio ſimoniacè obtento. De alijs *alibi* dicemus.

25 Votum eſt *deliberata promiſsio facta Deo de meliori bono, de conſilio, cum propoſito ſeruandi, & ſe obligandi*. Dicitur *deliberata*, quia vouēs debet eſſe ſui iuris; quapropter filijfamilias, ſerui, & religioſi nequeunt vouere, niſi de licentia illius, ſub cuius poteſtate ſunt; ſi tamen voueant, tenentur uſque ad reuocationem factam per ſuperiorem. Hoc tamen intelligitur quantùm ad actus externos, non quantùm ad internos; qui liberi ſunt. Dicitur etiam *deliberata*, quia debet eſſe cum omni maturitate, & ponderatione. Dicitur *promiſsio*; per quod votum differt à ſimplici propoſito. Dicitur *facta Deo*, habetur enim *pſ.75. Vouete, & reddite Domino; pſ. 131. Votum vouit Deo Iacob*. Dicitur *de meliori bono*; quia malum nequit eſſe materia voti, bonum autem minus comparatiuè ad bonum maius dicit defectum bonitatis; & ideo habet rationem mali comparatiuè. Dicitur *de conſilio*, quia licèt poſsit quis vouere bonum præceptum v.g. honorare parentes, quia talis actus eſt bonus, & Deo placet, & ideo poteſt ad illum magis ſe obligare, attamen eſt votum latè ſumptum, quia eſt obligatio ad id, ad quod antea tenebatur, ſeu potiùs confirmatio obligationis, votum autem propriè eſt tantùm obligatio ad id, ad quod non tenebatur, & ideo propriè eſt tantū circa opera ſupererogationis, quæ ſunt ex conſilio. Dicitur tandem *cum propoſito ſe obligandi*, quia ſi non intenderet ſe obligare, non eſſet votum, ſed fraudulenta promiſsio, poteſt tamen compelli ad ſeruandam promiſsionem; quia fraus, & dolus nulli debent patrocinari, vt habetur *l.1. ff. de dolo*. Votum aliud ſolemne, quod publicè fit coram perſona publica in dignitate conſtituta; & ſimplex, quod fit priuatim coram nulla perſona. Votum diſpenſare eſt declarare illum actum non eſſe de meliori bono. Eſt de iure naturali, & Diuino. Vitium oppoſitum eſt infidelitas, quæ frangit fidem Deo promiſſam.

26 Iuramentum eſt *Inuocatio teſtimonij Dei ad confirmandum dictum, vel factum præſens, vel præteritum, vel futurum*. Vt iuramentum ſit religioſum, requirit veritatem, iuſtitiam, & iudicium; vt habetur *Ierem.*4. Iuramentum aliud eſt iudiciale, quod à Iudice extorquetur; aliud extraiudiciale, quod fit extra iudicium ex conuentione partium. Item aliud eſt aſſertorium, quod eſt de præſenti, vel præterito; aliud promiſſorium, quod eſt tantùm de futuro. Iuramento opponitur periurium, quod eſt *mendacium iuramento firmatum*; & duplex eſt, materiale, quando iurat falſum credens eſſe verum; & formale, quando iurat falſum ſcienter.

27 Adiuratio eſt *inuocatio Diuini nominis ad inducendum alios ad aliquid agendum, vel non agendum*; & poteſt fieri vel per modum deprecationis, vt cùm quis per reuerentiam Diuini nominis deprecatur aliquem ad aliquod agendũ, vel non agendum; vel per modum præcepti; vt agunt ſuperiores religioſi cum ſuis ſubditis. Adiurationi aliquomodo opponitur tentatio Dei, qua quis abſque rationabili cauſa facit aliquod ad capiendum experimentum potentiæ Dei, vel alterius attributi.

28 Laudatio, ſeu inuocatio Dei per laudes eſt *aſſumptio Diuini nominis in laude, & cantu vocali*, de quo ait *Beatiſſ.P.lib.*10.*cõfeſſ.c.*33. *Adducor cantandi conſuetudinem approbare in Eccleſia, vt per oblectamenta aurium animus in affectum pietatis aſſurgat*. Cantus in Eccleſia *contra quẽdam Hilarium*, de quo *Beatiſs.P.lib.*2.*Retract.c.*11; quẽ poſtea ſecuti ſũt *Vualdentes, Vuicleff, & alij recentes hæretici*, qui cantores Eccleſiæ vocant *Sacerdotes Baal, & boatores*; prob. *Exod.*15. *Cantemus Domino: glorioſè enim &c.*, & 1.*Paral.*6. Dauid inſtituit cantores, qui cantarent ante Arcam, & *Act.*16. *Paulus, & Scilla media nocte laudabant Deum, & audiebant eos, qui in cuſtodia erant*. *Et Plinius ad Traianum* ſcripſit, quòd Chriſtiani laudes Chriſto canebant, quaſi carmen ante lucem; & *in Conc.Tolet.c.*12., & *Agaren.c.*30. hoc fuit decretum. Laudationi opponitur blaſphæmia, quæ eſt derogatio, & deiectio Diuinæ excellentiæ, & ſanctitatis.

29 Pietas definitur à *Beatiſſ.P.vbiſ.* virtus, *per quam ſanguine coniunctis, patriæque beneuolens, & diligens officium tribuitur cultus*; vnde pietas eſt ſolùm erga parentes, qui ſunt cauſæ ſecundæ filiorum; & conſanguineos, tanquam ſanguinis vinculo vnitos parentibus, & patriam, tanquam erga locum natiuitatis, & educationis. Pietati per exceſſum opponitur nimius amor parentum; & per defectum impietas, quæ eſt inhonoratio parentum.

30 Gratia definitur *ab eod.* virtus, *in qua amicitiarum, & officiorum alterius memoria, & remunerandi voluntas continetur*. Ad gratiam reducitur liberalitas, *qua quis inclinatur ad bene vtendum pecunijs*; & amicitia, ſeu affabilitas, *qua quis ad alios conuenienter ſe habet tam in dictis, quàm in factis*. Gratiæ opponitur ingratitudo; liberalitati verò per exceſſum opponitur prodigalitas, & per defectum auaritia; amicitiæ verò per exceſſum adulatio, quæ eſt exceſſiua laus alterius; & per defectum litigium.

31 Vindicatio *ibid.* definitur virtus, *per quã vis, aut iniuria, & omnino omne, quod offuturum eſt, defendẽdo, aut vlciſcendo propulſatur*. Hæc nequit eſſe in perſona priuata, quia in illa non eſt auctoritas vlciſcendi, ſed potiùs debitum dimittendi iuxta Domini præceptum: *Ego autem dico vobis: Diligite &c.* Vindicationi per exceſſum opponitur crudelitas, & per defectum remiſſio. Ad vindicationem reducitur pœnitentia, cui opponitur impœnitentia.

32 Obſeruantia eſt, *per quam homines aliqua dignitate antecellentes cultu quodam, & honore dignamur*. Ad hanc reducitur obedientia, qua *ſuperiores, qui nobis præſunt, tanquam patres, veneramur*. Obſeruantiæ opponitur inobſeruantia, & obedientiæ inobedientia.

33 Veritas eſt, *per quam immutata ea, quæ ſunt, aut fuerunt, aut futura ſunt, dicuntur*. Huic opponitur mendacium, quod eſt falſa enũciatio cum intentione fallendi; ſimulatio, *qua quis exteriùs ſe exhibet diuerſum ab eo, quod eſt interiùs*; & *ad hanc reducitur hypocriſis*, & iactantia, *qua quis verbis plus, quàm ſit, dicit*; & ironia; *qua* dicitur aliquod verbis, quod tamen verè negatur.

34 Hæ virtutes ſunt de iure naturæ; *nam eas non opinio* (inquit *Beatiſs.P.vbiſ.*) *ſed quædam innata vis inſeruit, & conſuetudo firmauit*; & ſic vitia illis oppoſita ſunt contra ius naturæ. Fuſiùs de his *ſuis in locis*.

ART. III.

De fortitudine, eius partibus, & vitijs oppoſitis.

1 Fortitudo definitur *à Beatiſs.P. Aug. lib.*83. *qq.q.*31. *conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio*. Ex hac definitione habetur duos actus eſſe fortitudinis, ſcilicet aggreſsionem periculorum, quæ circunſtant bonitatem honeſtam, in quam tendimus; & ſubſtinentiam laborum, ac malorum, quæ in tali aggreſsione occurrunt perferenda; vt ait *Fund. Doct. lib.*1. *de Regim. Princ. p.*2.*c.*13; non enim ſufficit ad virtutem fortitudinis aggredi pericula, ſed vlteriùs requiritur tolerare labores, & mala, quæ in tali aggreſsione contingunt vſque ad victoriam, & acquiſitionem bonitatis honeſtæ, in quam tenditur; quia qui aggrediuntur pericula, & inuenientes magnos labores in ijs ſuperandis non ſubſtinent, ſed fugiunt; iſti non fortes, ſed audaces cenſentur; nam aggrediuntur ea, quæ rationabiliter non ſunt aggredienda, quia vires ſufficientes non habent ad illa vincenda; eorumque audacia poſtea in timorem de-

declinat; cùm terribilitatem metuentes ab illis ſe auertant, & fugiant. Ex his igitur duobus actibus principalior eſt ſuſtinentia, & tolerantia, quàm aggreſsio. 1. Quia aggreſsio comouinis eſt etiam audaciæ; ſuſtinere autem vſque ad victoriam ſoli fortitudini conuenit. 2. Quia, vt ait *Fund. Doct:* qui ſuſtinet, & patitur, debilior eſt, quàm qui agit; agens enim debet vincere paſſum, ideoque debet maiores vires habere, quàm paſſum; & paſſum vincitur ab agente, & ideo minores vires debet habere, quàm agens; ſed habens maiores vires minorem ſentit difficultatem in agendo, quàm habens minores vires; ergo ſuſtinentia maiorem inuenit difficultatem, quàm aggreſsio; atqui fortitudo eſt circa difficultatem; ergo principaliter eſt circa ſuſtinentiam, quàm circa aggreſsionem malorum; & per conſequens ſuſtinentia eſt principalior actus fortitudinis, quàm aggreſsio. 3. Quia aggreſsio tendit in malum, vt futurum, aggrediens enim non experitur in actu aggreſsionis malum, vt totaliter præſens, quia vltimatè non ſentit eius reſiſtentiam, tunc enim eſt in motu, non in termino; at perpetiens illud ſuſtinet, vt præſens, & actualiter torqueos; ſed difficiliùs eſt tendere in mala adæquatè præſentia, quàm in futura ſolùm imminentia; quia mali præſentis vim ſenſibiliter experimur; imminentis verò ſēſu non percipimus, ſed intellectu tantùm percipimus, ergo fortitudo, quæ eſt circa difficilia, principaliter conſiſtit in tolerantia, quàm in aggreſsione. 4. Quia aggreſsio, ait *Fund. Doct:* fit in inſtanti, uel breui tempore; ſuſtinentia autem diuturnitatem temporis importat; ſed difficilius eſt reſiſtere malo per lungum tempus, quàm per inſtans, aut modicam durationem tēporis; ergo ſuſtinentia eſt difficilior, quàm aggreſsio; & ideo fortitudo, quæ eſt circa difficilia, magis conſiſtit in ſuſtinentia, & conſtanti perpeſsione, quàm in aggreſsione.

2 Ex hoc colligit *Fund. Doct:* quòd licèt fortitudo ſit media inter audaciam, & timorem illā moderando, & hunc reprimendo; principaliùs tamen eſt circa repreſsionem timoris, quàm circa moderationem audaciæ; quia maiorem difficultatem ſentit circa timorem tolerando mala, circa quæ eſt timor; quàm circa audaciam aggrediendo mala, quæ præuidet; & ideo magis opponitur timori, quàm audaciæ; quæ propterea fortitudini finitima, propinqua, & ſimilis *à Beatiſs.* P. uocatur; propter quod audaces aliquando fortes uidentur, & non ſunt; quia inconſultò, & imprudenter aggrediuntur ea, quæ recta ratio dictat aggredienda non eſſe; & ideo non durant uſque ad uictoriam, ſed tandem puſillanimiter cedunt, & fugiunt.

3 Habetur inſuper, quòd quò maior, & intenſior eſt paſsio, & tolerantia malorum, eo perfectior eſt actus fortitudinis; & ideo martyrium, quia eſt ſumma omnium paſsionum, eſt enim tolerantia mortis, quæ eſt maximum omnium terribilium temporalium, ideo eſt principalior actus fortitudinis. Imò quo unum martyrium eſt grauius alio, eò intenſior actus fortitudinis eſt in vno, quàm in alio. Hinc quia paſſio Chriſti Domini fuit grauior paſſionibus omnium martyrum etiam collectiuè ſumptis; dicitur enim *Ierem.* 8. *Dolor meus ſuper dolorem; & Thren.* 1. *Videte, ſi eſt dolor, ſicut dolor meus;* ideo eius fortitudo fuit excellentior fortitudine omnium martyrum.

4 Poſt fortitudinem Chriſti Domini fuit fortitudo *Beatiſs. Virginis Mariæ*, quæ in Filij paſſione ſuſtinuit dolorem omnium martyrum tormentis longè acerbiorem, dum eius animam acutiſſima tranſuerberauit romphæa; quapropter ab Eccleſia *Regina martyrum* dicitur.

5 Martyrium ergo, quod eſt actus principalior fortitudinis, & Chriſti Athletas ad ſummum dignitatis faſtigium euchit in Eccleſia; martyres enim purpurati Eccleſiæ Principes dicuntur; actus omnium virtutum Theologicarum inuoluit; vt docet *Beatiſs.* P. *in pſal.* 67. dicens: *Iam verò in martyrio primò confeſſio eſt, & pro illa, quidquid acciderit, tolerandi ſequens aſſumitur fortitudo; deinde poſt omnia tolerata fuitis anguſtijs latitudo conſequitur in premio. Poteſt & ſic intelligi; vt quoniam hac tria commendat Apoſtolus fidem, ſpem, & charitatem; confeſſio ſit in fide, fortitudo in ſpe, latitudo in charitate. Fidei quippe res eſt, vt corde credatur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fiat ad ſalutem; in paſſionibus autem tribulationum res triſtis eſt, ſed ſpes fortis eſt; ſi enim quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus; latitudinem verò praſtat charitatis in corde diffuſio; nam conſūmata charitas foras mittit timorem, quis timor tormentum habet per anima anguſtias.* Ideo martyrium inuoluit actum fidei, quia eſt tolerantia paſſionis pro fide Chriſti; eſt enim martyrium teſtimonium fidei Diuinæ, quia *martyr* Græcè teſtis latinè dicitur; vnde *Act.* 1. dicitur: *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem;* idēſt fidem meam proteſtabitis contemnendo omnia bona temporalia, inter quæ eſt vita, quæ in martyrio debet profundi pro ſola fide Chriſti; nam quicumque voluntariè ſubit mortem pro aliqua re temporali, martyr, non Chriſti, ſed mundi, aut Diaboli eſt. Præterea inuoluit actum ſpei; quia eſt voluntaria mortis perpeſſio cùm ſpe vitæ æternæ; quia ſola *ſpes non confundit*; & ideo qui moreretur propter gloriam hominum, Chriſti martyr non eſſet, ſed ſuperbiæ victima; & tandem actum charitatis perfectæ; quia debet eſſe propter Dei amorem; qui ſolus foras mittit timorem, cum quo nequit ſtare perfecta animi fortitudo, quæ ad martyrium requiritur.

6 Ex his martyrium ſic definiere Theologi: *Martyrium eſt voluntaria mortis perpeſſio propter Chriſti fidem, vel propter actum alterius virtutis quam præcipit fides, relatum in Deum.* Dicitur voluntaria

luntaria; & ideo qui inuoluntariè ſubit mortem, quamuis Chriſti fidem conſtanter proteſtetur; attamen propriè martyr non eſt; quia fidem verbis, non opere, idèſt morte teſtatur. Dicitur *mortis perpeſſio*; quia martyr ſummam fortitudinem debet oſtendere; ſumma autem fortitudo oſtenditur opere tantùm in profuſione vitæ; quia vita præponderat omnibus bonis temporalibus; dicitur enim *Iob. 1. Cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima ſua*; idèſt pro ſua vita corporali. Tum quia martyr debet opere oſtendere ſe contempſiſſe omnia bona temporalia ſpe æternorum, quæ promittuntur à fide; dum autem retinet vitam temporalem, quæ magis in pretio eſt inter bona temporalia, non oſtendit opere ſe omnia bona temporalia ſpreuiſſe. Mors ergo debet ſequi, vel in ipſo actu martirij; vel ſubſecutiuè ex vi tormentorum in actu martyrij illatorum. Dicitur *propter Chriſti fidem*; quia martyrium eſt proteſtatio fidei Chriſti Domini. Dicitur *vel propter actum alterius virtutis, quam præcipit fides*; quia ſicut qui negat vnum ex articulis fidei, totam fidem amittit, ita qui pro vno fidei articulo, vel præcepto moritur, implicitè ſaltem pro tota fide moritur; ſi enim promptè moritur pro vno tantùm contento in fide, euidenter oſtendit ſe promptiùs moriturum pro tota fide. Dicitur tandem *relatum in Deum*; quod dupliciter fit, ſcilicet per ſpem tanquam in remuneratorem vitæ æternæ pro vita temporali; & per charitatem, tanquam in vltimum finem glorificatorem tendentium in ipſum.

7 Dices. Si ad martyrium requireretur voluntaria mortis perpeſſio, ſequeretur *Beatiſs. Virginem*, quæ ex vi dolorum Chriſti mortem non ſubijt, non fuiſſe completè, & propriè martyrē, ſed tantùm incompletè, & per ſimilitudinem; & SS. Innocentes, qui vtpotè expertes rationis voluntariè mortem ſubire non poterunt, verè martyres non eſſe, quos tamen, vt martyres, colit Eccleſia.

Reſp. neg. ſeq., nam *Beatiſs. Virgo* tanta vi doloris in ſua transfixione affecta eſt; vt ſecundùm naturæ curſum procul dubio mortua fuiſſet, niſi gratia ſpecialiter eam à morte ſeruaſſet; & ideo verè martyr fuit, & martyrij aureolam non amiſit; quia ſicut præſeruatio non tollit meritum; ita nec aufert præmium. Vel dici poſſet, quòd illa vis doloris durauit vſque ad ſuum tranſitum, licèt non cum tanta intenſione, cum qua naturaliter loquendo erat incompoſſibilis vitæ; ſicq; verè martyr extitit; non enim ad martyrium prætaxatur tempus mortis poſt illationem doloris, ſed ſufficit doloris continuatio vſque ad vltimam vitæ periodum. Vel quòd mortis perpeſſio neceſſaria eſt in habentibus culpam originalem, ob quam mortem obire coguntur; non *in Beatiſs. Virgine*, quæ mortem corporis ſubire non potuit ob exemptionem à culpa originali; ſed tantùm translationem de hac ad aliam vitam potuit ſubire; quæ translatio quia non pœnalis, ſed iucunda potuit eſſe; ideo ad martyrium, quod pœnale eſt, pertinere non potuit; adeoque ſatis fuit ad verum martyrium ipſa animæ transfixio, quæ fuit illi ſummè pœnalis; non autem animæ tranſitus, qui fuit illi vndequaque dulciſſimus; & ideo non ad martyrium, ſed ad triumphum ſpectauit. Vnde *Beatiſs. P. in quodam ſerm.*, qui incipit: *Inter præcipuas*; ait: *Iure enim pluſquam martyr eſt, quæ nimio amore vulnerata teſtis extitit Saluatoris, & præ mærore cruciatum ſubſtinuit paſſionis. Et D. Hier. ſerm. de Aſſumpt. Rectè dixerimus, quòd Dei Genitrix Virgo, & Martyr fuit.* Nam Saluatorem, quem morte corporis teſtari non potuit, quia peccatum non habuit, quo morti corporis ſubijceretur, animæ transfixione, quam voluit ſubſtinere, teſtata eſt. Ad *SS. Innocentes* dicitur, quòd ſicut in infantibus ad verum baptiſmum non requiritur voluntaria ſuſceptio, quæ tamen neceſſaria eſt in adultis; ita in illis ad verum martyrium, quod vicem gerit baptiſmi, non fuit neceſſaria voluntaria perpeſſio, ſicut in iſtis neceſſariò requiritur; vnde *Beatiſs. P. in quodam ſerm. de Epiph.* inquit: *Ille de veſtra corona dubitabit in paſſione pro Chriſto perpeſſa, qui etiam paruulis baptiſmum non prodeſſe exiſtimat Chriſti. Non habebatis ætatem, qua in Chriſtum paſſurum crederetis, ſed habebatis carnem, in qua pro Chriſto paſſuro paſſionem ſubſtineretis.* De martyrio *Vid. to. 3. de Beat. q. 3. art. 4.*

8 Fortitudini per defectum opponitur timiditas, quæ eſt exceſſus timoris *qua quis retrahitur à bono arduo, quòd tamen recta ratio dictat eſſe proſequendum*; & ideo opponitur fortitudini per defectum, quia deficit ab aggreſſione, & tolerantia rationabili; non autem per exceſſum, vt volunt *Aliqui* æquiuocantes fortè in hoc, quòd timiditas ſumitur *hic* prout eſt exceſſus timoris, & ſic volunt eſſe exceſſum fortitudinis, quod eſt euidenter falſum. Per excesſum autem contrariatur audaciæ excelsus, quod nomen proprium non habet. Audaciæ affinis eſt intimiditas, qua non timentur timenda, aut quando, aut quomodò oportet; ſiue hæc intimiditas proueniat ex defectu amoris erga bonum oppoſitum, ſiue ex elatione animi, ſiue ex ſtultitia, ſiue ex vecordia, ſiue ex defectu rationis; quapropter intimiditas opponitur fortitudini per excesſum, quia facit eam aggredi vltra modum præſcriptum à ratione, quidquid in oppoſitum ſentiant *Auctores allati*; inter quos eſt *Vignerius*, qui citat *Caiet.*

9 Partes fortitudinis ſunt quatuor, ſcilicet magnificentia, fidentia, ſeu magnanimitas, patientia, & perſeuerantia. *Ita Beatiſs. P. lib. 83. qq. vbiſ.*

10 Patientia, & perſeuerantia videntur eſse partes integrales, ſeu diſpoſitiones ad fortitudinem, quia patientia, qua quis æquo animo ſubſtinet pericula mortis, eſt pars fortitudinis, quæ

non

non ſolùm habet aggredi pericula; ſed etiam illa ſuſtinere, vt dictum eſt. Tum quia poteſt quis ſuſtinere pericula per aliquod tempus, & tandem cedere morte perterritus;propter quod non habet virtutem fortitudinis, quæ principaliter eſt circa mortem. Quia tamen ſuſtinendo pericula, quæ mortem minantur, diſponitur ad ſuſtinendam mortem; ideo patientia eſt diſpoſitio ad fortitudinem, & pars integralis illius. De perſeuantia iam dictum eſt *q. 1. art. 2. n. 16.*

11 Patientia definitur virtus, *qua aliquis, ne quid mali vel opere, vel ore cõmittat, æquo animo ſuffert mala ab extrinſeco illata, propter bona, quæ expectat. Ita Beatiſs. P. lib. de Patientia c. 7; & 8.* Not. tamen,quòd patientia eſt tantùm circa mala ſibi illata; nam tolerantia malorum, quæ ſunt vel contra Deum, vel circa bonum commune, non eſt virtus, ſed impietas; quod multò magis dici debet de tolerantia malorum in ordine ad finis mali conſecutionem. Differt à temperantia, quia patientia moderatur ſolas animi afflictiones prouenientes ex quibuſcumque contrarijs; temperantia verò moderatur delectationes ex triſtibus prouenientes tantùm ex cibis, & venereis.

12 Patientiæ opponitur per exceſſum nimia tolerantia in rebus, in quibus non eſt opus; vt cùm quis pro conſeruatione alicuius boni temporalis ſuffert mortem; tunc enim peccat mortaliter. Per defectum autem opponitur impatientia, qua pacato animo non ſuffert triſtitias; & ſi prorumpat in conuicia, contumelias, detractiones, iuramenta, blaſphæmias, aut in alia contra charitatem Dei,& proximi;aut aliquid agēdo, vel omittendo contra præceptum, peccat mortaliter. Non tamen eſt contra virtutem patientiæ emittere voces dolentes, ſuſpiria, lacrimas,dummodò ſpiritus æquo animo ſufferat mala præſentia; hæc enim ſunt naturalia.

13 Perſeuerantia, prout hìc ſumitur (ſumitur enim etiam pro dono Dei ſupernaturali, quo vſque in finem perſeueramus in gratia, vt docet *Beatiſs. P. lib. de Perſeu.*) eſt habitus *quo quis eligit perſiſtere in quocunque bono difficili vſque ad finem alicuius operis virtuoſi*; vnde ſi illud opus duret vſque ad mortem, eodem modo durat perſeuerantia;ſin autem ad tempus;ita etiam perſeuerantia.

14 Perſeuerantiæ affinis eſt conſtantia;quia vtraque dicit perſiſtentiam in bono;differunt autem, quia perſeuerantia propriè eſt circa difficultatem per reſpectum ad diuturnitatem; conſtantia verò per reſpectum ad agentia contraria impedientia conſecutionem boni.

15 Perſeuerantiæ opponitur mollities, non prout mollities eſt ſpecies luxuriæ, vt *inf*; ſed prout mollities eſt illa, *qua aliquis faciliter recedit à bono propter difficultatem, quam non vult ſuſtinere.* Conſtantiæ verò opponitur pertinacia, *qua quis nimis fidens ſe ipſo inpendenti propoſito vult perſiſtere in malis vſque ad victoriam, quam recta ratio dictat obtineri non poſſe.*

16 Partes potentiales, ſeu virtutes ancillātes fortitudini ſunt duæ, ſcilicet magnificentia, & magnanimitas, ſeu fidentia; cui connectitur longanimitas.*

17 Magnificentia definitur *à Beatiſs. P. lib. 83. qq. vbi ſ. rerum vtilium magnarum, & excelſarum cum animi ampla quadam, & ſplendida propoſitione cogitatio, atque adminiſtratio.* Differt autem magnificentia à liberalitate, vt habet *Fund. Doct. de Regim. Princ. lib. 1. p. 2. c. 19*;non in eo, quòd magnificentia habeat facere magnos ſumptus, liberalitas verò mediocres; quia habens multas facultates poteſt facere magnos ſumptus ex ſola liberalitate, non ex magnificentia: & è contra habens paucas facultates poteſt eſſe magnificus; etiāſi faciat ſumptus mediocres; ſed differt in eo, quòd magnificentia vult facere ſumptus proportionatos operibus; vt cū vult opera fieri cum omni decentia non parcendo quibuſlibet expenſis; liberalitas verò vult facere ſumptus mediocres per reſpectum ad facultates, quas habet; vt ſi quis habens multas diuitias multas expendit, quæ tamen comparatiuè ad diuitias, quas habet, mediocres ſunt, & minores, quas poſſet facere, eſt liberalis, non magnificus. Bona autem, circa quæ magnificentia verſatur, ſunt præcipuè circa honorem Dei; vt circa templa, xenodochia &c, vel circa communitatem, in qua magis eluceſcit bonitas Diuina. Minùs principaliter verò eſt circa perſonas particulares magno honore dignas; & circa propriam perſonam faciendo opera magna ſpectantia ad ſe ipſum. Opera autem magna ſunt, vel quæ durant per totam vitam; vel quæ rarò fiunt, vt nuptiæ, Doctoratus &c. *Vid. Fund. Doct. vbi ſ.*

18 Magnificentiæ per defectum opponitur paruificentia; *qua quis intendit, non quomodò opera magna decenter faciat, ſed quomodò etiam in magnis operibus parum expendat.* Per exceſſum opponitur conſumptio, *qua quis expendit plus, quàm illa opera exigant*, & ideo circa ſuperflua occupatur. Huiuſmodi homines *à Phil.* vocantur *Chauni*, idèſt ignes, & fornaces omnia conſumentes. *Vid. Fund. Doct. vbi ſ. c. 20. & 21.*, vbi affert proprietates paruificentiæ, & magnificentiæ; nam paruificus. 1. Circa omnia deficit. 2. Deficit expendere in re parua, quo reddit indecentē rem magnam, circa quam multùm profundit. 3. Semper tardè expendit. 4. Semper cogitat, quomodò parum expendat in magnis, non quomodò decentia opera faciat. 5. Expendit cum triſtitia, & dolore. 6. Videtur ei ſemper magis expendere, quàm debet, & decet. Magnificus verò. 1. oſtendit ſe ſcientem, quia cognoſcit omnia, quæ conueniunt magnis operibus. 2. Facit magna opera bonitatis gratia, non vt oſtendat magnum ſe ipſum. 3. Operatur delectabiliter. 4. Intendit ad decen-

decentiam operis, non ad quantitatem expenſarum. 5. Eſt excellenter liberalis. 6. Æquali ſumptu faciunt magna opera, ac faciunt paruifici, qui in aliqua re nimis profundũt, in alia verò minus, quàm par eſt, quia non pollent ſcientia debita in expendendo.

9 Magnanimitas, ſeu fidentia definitur à *Beatiſs. P. qua magnis, & honeſtis in rebus multùm ipſe animus in ſe fiducia cum certa ſpe collocauit*, idèſt eſt virtus tendens in magna bona honeſta, & in magnos honores, vt explicat *Fund. Doct. vbi ſ. c. 22.*, & in hoc diſtinguitur à magnificentia, quòd magnanimitas tendit in magna bona honeſta, magnificentia verò in magna bona vtilia.

20 Magnanimitati per defectum opponitur puſillanimitas, quæ definitur *animę paruitas, & deiectio, qua quis propter difficultatem ſe retrahit à magnis honoribus non excedentibus ſuas vires*. Per exceſſum verò opponitur ratione obiecti præſumptio, & ratione finis opponitur ambitio, & inanis gloria. Præſumptio eſt *qua quis tendit in aliqua bona honeſta, qua dignè obtinere non poteſt, quia excedunt eius vires*.

21 Præſumptio duplex eſt, ſcilicet ciuilis, & Theologica. Ciuilis eſt erga aliud à ſe; & triplex eſt; alia iuris tantùm; alia iuris, & de iure; & alia hominis. Præſumptio iuris tantùm eſt, quando ius ſuper dubio, & veriſimili præſumit aliquid; & triplex eſt, alia naturæ, qua præſumitur aliquid contra naturam; vt pater priuans filium hæreditate præſumitur iniuſtè illum exhæredare. Alia facti præcedentis ad ſubſequens; vt ſi quis calumnioſè accuſauit aliquem, & iterum velit accuſare, præſumitur velle calumniari; alia facti ſubſequentis ad antecedens; vt ſi quis iouentus cum muliere negat adulteraſſe, deprehenſus poſtea in adulterio cum eadem præſumitur etiam prima vice adulteraſſe. Præſumptio iuris, & de iure eſt, quando ius ſuper aliquo præſumit, & diſponit, quòd contrarium non admittatur. Præſumptio hominis eſt quando contra hominem præſumitur, & triplex eſt, ſcilicet violenta, quæ innititur ſignis manifeſtis, & naturaliter indicantibus factum; & probabilis, quæ oritur ex coniecturis dubijs; & temeraria, quæ conſurgit ex malitia hominum ſuper res dubias, quæ in malum interpretantur; dubia enim ſemper ſunt in bonum interpretanda.

22 Præſumptio Theologica eſt erga ſe ipſum; & duplex eſt; prima, qua quis innititur miſericordiæ, vel potentiæ Diuinæ ſperans veniam peccatorum abſque pœnitentia; & hæc opponitur per exceſſum ſpei Theologicæ, & eſt peccatum contra Spiritum S. Alia, qua quis aggreditur aliquid excedens ſuas vires, vt expers Theologiæ præſumens interpretari *Scripturas*, & hæc opponitur per exceſſum magnanimitati, & procedit ex ambitione, & inani gloria.

23 Ambitio eſt appetitus inordinatus honoris abſque merito.

24 Inanis gloria eſt appetitus gloriæ, ſeu claritatis de re, de qua non eſt gloriandum, vt cùm quis gloriatur de peccato; vel apud eos, apud quos non eſt gloria quærenda, vt apud homines; in Domino enim ſolùm eſt gloriandum; & ideo appetere laudari ab hominibus eſt inanis gloria; vel non referendo ſua opera in debitum finem, qui eſt Deus. Inanis gloria eſt effectus ſuperbiæ, & eſt cauſa iactantiæ, ironiæ, præſũptionis, nouitatum, ſimulationis, hypocriſis, pertinaciæ, diſcordiæ, contentionis, & inobedientiæ.

25 Magnanimitati annectitur lunganimitas *qua quis inclinatur in magnum bonum honeſtum, quod longè diſtat, ne deſiſtat ab illo propter diſtantiam*; cui opponitur vitium innominatum, quo quis auertit ſe à magnis bonis propter magnam diſtantiam.

26 Tandem fortitudo non habet ſpecies ſubiectiuas, & ideo conſiſtit in indiuiſibili, & eſt ſpecies athoma; quanuis enim *Phil. 3. Eth. c. 7. & 8., & lib. 1. magn. an. c. 21.* aſſerat ſeptem eſſe ſpecies fortitudinis, ſcilicet ciuilis, ſeruilis, militaris, furioſa, conſuetudinalis, beſtialis, & virtuoſa; attamen quia ſex primę ſpecies non ſunt virtutes, ſed potiùs vitia oppoſita virtuti, ideo dicendum eſt fortitudinem, quę eſt virtus, eſſe ſpeciem athomam, & conſiſtere in indiuiſibili.

ART. IV.

De temperantia, & vitijs ei oppoſitis.

1 TEmperantiæ nomen deriuatur à temperie, ſicut enim temperies corporis eſt quędam moderatio primarum qualitatum, ne ſuum modum excedant, & exceſſo corpus diſſoluant; ita temperantia moderatur animę paſſiones, ne ſuo exceſſu ordinem potentiarum eius perturbent, & in hoc ſenſu temperantia non eſt virtus ſpecialis, ſed eſt quid commune omnibus virtutibus, omnis nanque virtus habet moderari paſſiones. Prętereа ſumitur temperantia velut antonomaſticè pro ſola virtute moderante illas paſſiones, quę magis alliciunt, & magis perturbant, iſtę autem, vt habet *Fund. Doct. inf. cit.*, ſunt, quę verſantur circa ſenſibilia magis delectabilia, & magis fortia, ſed paſſiones verſantes circa ſenſibilia magis delectabilia, & magis fortia ſunt, quę verſantur circa guſtum, qui habet pro obiecto cibum, & potum; & circa tactum, qui habet pro obiecto venerea; nam illę potentię magis delectantur, quæ magis vniuntur ſuo delectabili, delectatio enim habetur ex vnione delectabilis, & quo maior eſt vnio, eo maior eſt delectatio; guſtus autem, & tactus immediatè vniuntur ſuis obiectis; licèt enim videamus obiecta diſtantia, non tamen poſſumus ea tangere; tum quia (addit *B. Doct.*) guſtus, & tactus immediatè ordinantur ad conſeruationem indiuidoi, & ſpeciei; non enim ſine eſu ciborum poteſt conſer-

ſeruari indiuiduum; nec ſine contactu virtutis generatiuæ poteſt propagari ſpecies, ideo natura poſuit maiorem delectationem in guſtu, & in tactu; vt indiuidua magis inclinarent in id, quod neceſſarium eſt ad ſui conſeruationem, & propagationem ſpeciei; ergo temperantia principaliùs eſt circa delectationes venereas, & guſtatiuas, & per accidens, ſeu ex conſequenti eſt circa delectationes aliorum ſenſuum; quatenus alij ſenſus participant delectationem guſtus, & tactus. In hoc ſenſu temperantia eſt virtus ſpecialis.

2 Definitur à *B.P. lib. 83. qq. q. 31. Virtus rationis in libidinem, atque alios non rectos impetus animi firma, & moderata dominatio.* Et vt explicat *Fund. Doct. de Regim. Princ. lib. 1. p. 2. c. 15.* eſt virtus *moderans delectationes venereas, & nutrimentales, quatenus principaliter ſunt circa tactum, & ex conſequenti circa guſtum; nec non inſenſibilitates, inter quas habet eſſe.* Dicitur *quatenus principaliter ſunt circa tactum;* quia, vt habet *Fund. Doct. ibid.*, nedum in venereis, ſed etiam in cibis magis delectamur in tactu, quàm in guſtu; nam guſtus reſidet in lingua; & experientia patet, quòd maiorem ſentimus delectationem, quando cibus tangit guttur, in quo non eſt guſtus; quàm cùm tangit linguam, in qua reſidet guſtus; hinc *quidam Polixenus* paraſitus *apud Phil. 3. Eth. c. 10.* precabatur, vt guttur eius fieret lungum, ſicut guttur gruis, vt maiorem caperet delectationem, non autem, vt lingua eius fieret latior, quàm lingua bouis. Dicitur *inſenſibilitates*, idèſt omnimodas auerſiones à delectationibus contra rectum dictamen rationis; qui enim ſequitur omnes delectationes, eſt intemperatus; & qui omnes fugit, inſenſibilis; qui verò ſequitur ſequēdas, & fugit fugiendas, tēperatus.

3 Temperantię per exceſſum opponitur intemperantia, & per defectum inſenſibilitas.

4 Partes integrales ſunt verecundia, & honeſtas, ſeu honoris amatiua. Illa eſt *quædam corporis immutatio ex turpitudine actionis prouenies;* hęc verò eſt *amor proprij honoris, & decoris.* Vtraq; eſt pars integralis illius, quia ad illam diſponit.

5 Verecundiæ opponitur impudentia, & honeſtati inhoneſtas.

6 Partes ſubiectiuæ ſunt quatuor; *abſtinētia, ſobrietas, caſtitas, & pudicitia;* primæ duæ ſūt circa delectationes nutrimentales; aliæ duæ circa venereas; & omnes comprehenduntur *à B. P.* ſub nominę *continentię;* quæ *hìc* ſumitur, prout generaliter dicit ſe tenere contra omnes delectationes, nō ſi ſumatur ſpecialiter pro virtute fręnante ſolas venereas, idem eſt, ac caſtitas.

7 Continentię opponitur incontinentia.

8 Abſtinentia eſt *virtus moderans delectationes ex cibis prouenientes, ne ad vitia declinent.* Eius actus eſt *ieiunium*, quod aliud eſt *ſpirituale;* & eſt *abſtinentia à peccatis;* aliud *naturale*, quod eſt *abſtinentia ab omni cibo, & potu;* aliud *morale*, & eſt *abſtinentia à cibo, & potu ob aliquam rationabilem cauſam*, & poteſt eſſe etiā cum eſu carnium abſtinendo à delicatioribus; aliud *pœnitentiale*, quod fit *ad placandam iram Dei;* aliud *Eccleſiaſticū*, & eſt *abſtinētia à carnibus, & lacticinijs.*

9 Abſtinentiæ per exceſſum opponitur gula, quæ eſt *appetitus inordinatus cibi propter inordinatam delectationem;* quæ poteſt eſſe inordinata, quoad ſubſtantiam, vt cùm appetitur cibi nimis lauti; quoad qualitatē, vt cū appetitur cibi nimis delicatè præparati; quoad tēpus, vt cū præuenitur; quoad modū, vt cū nimium, vel nimis feſtinè comeditur. Per defectum opponitur exinanitio.

10 Sobrietas eſt *virtus moderans delectationes potus;* maximè, cū ex vino turbatur cerebrum; & præſertim in mulieribus, quæ, cū ſint debilioris cerebri, facilè cōturbātur. Per exceſſū opponitur ebrietas, quæ eſt *inordinata ſūptio vini vſque ad rationis cōturbationē;* per defectū nō eſt nominatū.

11 Caſtitas eſt *virtus moderās venerea;* alia eſt *coniugalis, vidualis, iuuenilis, & virginalis.* Prima eſt, *quæ ſeruat regulā præſcriptam à ratione in vſu venereorū.* Secūda, *qua totaliter abſtinetur poſt matrimonij diſſolutionē.* Tertia, *quâ caſtè viuitur ante matrimoniū cū intētione nubēdi.* Quarta, *qua quis toto tempore ſuæ vitæ ſe ſeruat immunem ab omni actu, & cogitatione venerea.*

12 Virginitas eſt dignior, & excellentior alijs ſpeciebus caſtitatis, parificat enim Angelis; vt docet *Beatiſs. P. Aug. vbiſ.* dicens: *Virginalis integritas, & per piam continentiā ab omni concubitu immunitas Angelica portio eſt &c. Cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia cōiugalis.*

13 Caſtitati opponitur luxuria, *quæ eſt appetitus inordinatus delectationū venerearū*, & eſt *peccatū mortale*, vt ad *Gal. 5.* Ab hac oriūtur octo vitia, idèſt *cæcitas mentis, inconſideratio, præcipitatio, inconſtantia, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſæculi, & deſperatio futuri.*

14 Luxuriæ ſex ſpecies aſſignantur, ſcilicet *fornicatio, quæ eſt concubitus ſoluti cum ſoluta*, & opponitur virginitati iuuenili, & eſt peccatum mortale, vt habetur *Epheſ. 5. Omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, non habet partem in Regno Chriſti, & Dei. Adulterium*, quod eſt *concubitus coniugati cum coniugata*, & ſufficit, quòd alter illorum ſit coniugatus, & opponitur caſtitati iugali; & eſt peccatum mortale prohibitum à iure naturæ: *Non mœchaberis;* & eſt grauius fornicatione, quia ſit iniuria alteri coniugi, & ſacramento. *Inceſtus*, qui eſt *concubitus cum conſanguinea*, vel *affine*, & prohibetur *Leuit. 18.*, & eo grauius eſt peccatum, quo proximior eſt gradus conſanguinitatis; & eſt grauius adulterio. *Stuprum*, quod eſt *concubitus cum virgine, etiam conſentiente;* & eſt peccatum maius inceſtu, quia opponitur virginitati. *Raptus*, quo *infertur vis fœminæ non conſentienti;* ſiue fœmina ſit virgo, ſiue non. *Vitium contra naturam*, quod eſt *circa actus venereos, ex quibus nequit ſequi generatio*, quod vocatur *im-*

munditia à *D. Paulo* 2. *Cor.*12., & diuiditur *in mollitiem*, ſeu ſimplicem pollutionem, quæ eſt *ſimplex emiſſio ſeminis*; & eſt peccatum mortale; vt habetur 1. *Cor.*6. *Neque molles Regnum Dei poſſidebunt.* Cùm tamen contingit in ſomnijs, non eſt peccatum, quia non eſt voluntaria, niſi præcedat cogitatio præuia vehemens, vel ſubſequatur delectatio de illa extra ſomnium; & *ſodomiã*; quæ eſt *concubitus maſculi cum maſculo*; & *beſtialitatem*, quæ eſt *concubitus cum beſtia*; vnde *in Scriptura* appellatur *crimen peſſimum*; vt *Gen.*37. *Ioſeph accuſauit fratres ſuos crimine peſſimo*; idèſt quia comiſcebantur cum pecoribus, vt ait *Gloſ.*

15 Pudicitia tandem, quæ eſt vltima ſpecies caſtitatis, dicta eſt à pudore, quia verſatur circa illa, de quibus homines multùm verecundantur; nam pudet eos nedum ipſius concubitûs, ſed etiam aſpectus, tactus, amplexus, oſculorum, & aliorum huiuſmodi; vnde pudicitia definitur virtus, quæ *moderatur motus*, *& tactus*, *qui circumſtant*, *ordinantur*, *vel conſequuntur ad actus venereos*. Eius oppoſitum per exceſſum eſt impudicitia, quæ reducitur ad idem genus peccati, ad quod ordinantur illi motus, & tactus; vitium per defectum non habet proprium nomẽ.

16 Partes potentiales, ſeu virtutes miniſtrantes temperantiæ ſunt duæ, vt docet *Beatiſs. P. lib.*83.*qq. vbiſ.*, ſcilicet *clementia*, *& modeſtia*. Et quamuis addantur etiam *continentia*, *& manſuetudo*; attamen continentia ſpectat ad partes ſubiectiuas, vt dictum eſt; & manſuetudo reducitur ad clementiam, vt patet. Clementia eſt virtus, *per quam animi temerè in odium alicuius illecti, concitatique comitate continetur*. *Ita Beatiſs. P. ibid.* Hæc virtus moderatur iram, & lenitatem, quas pariter moderatur manſuetudo, à qua non differt ratione obiecti, ſed ad ſummum ratione ſubiecti, quia videtur clementiam magis propriè competere hominibus in poteſtate conſtitutis potentibus vlciſci, & tamen parcentibus; manſuetudo autem omnibus etiam ſubditis conuenit; vtraque tamen habet pro obiecto moderamen iræ, & lenitatis. Oppoſitum clementiæ per exceſſum eſt *crudelitas*, quæ eſt *vitium excedens modum in puniendo*; per defectum opponitur vitium innominatum, quod poteſt dici fatuitas, & hebetudo.

17 Modeſtia definitur *ab eodem virtus*, *per quam pudor honeſtus claram*, *& ſtabilem comparat auctoritatem*. Dicitur autem modeſtia, quia ſeruat modum in omnibus, ſeu compoſitionem in affectionibus animi, in motibus corporis, cultu, veſtitu, verbis &c., et quandam ſeueritatem ſemper præſefert. Vitium eius oppoſitum eſt *immodeſtia*, *qua in nulla re ſeruat modum*; per defectum non eſt nominatum.

18 Species modeſtiæ ſunt *humilitas*, *ſtudioſitas*, *modeſtia morum*, ad quam reducitur *eutrapelia*, *& modeſtia cultus*. Humilitas eſt *virtus moderans elationes in appetendis rebus magnis*; ſtudioſitas eſt *virtus moderans appetitum naturalem cognoſcendi*; modeſtia morum eſt *virtus regulans motus*, *& actiones corporales pertinentes ad externam conuerſationem tam in dictis*, *quàm in factis*, *ſerijs tamen*; in ludicris verò eſt eutrapelia, quæ dicitur etiam iucunditas; & modeſtia cultus eſt *virtus regulans ornatum corporis*, *domus*, *vt decenter illud veſtiatur*, *hęc appareτur*. Hæc virtus pręſertim in fæminis eſt neceſſaria.

19 Humilitati per exceſſum opponitur *ſuperbia*, quæ eſt *amor inordinatus propriæ excellentiæ*; per defectum verò opponitur *vilis deiectio*. Studioſitati per exceſſum opponitur *curioſitas*; quæ eſt *nimius affectus ſciendi ea*, *qua ad noſtrum ſtatum non ſpectant*; & per defectum opponitur *negligentia*, quæ eſt *omiſſio ſciendi ea*, *qua ad noſtrum pertinent ſtatum*. Modeſtiæ morum per exceſſum opponitur *externa indecentia in motibus*, *& actionibus corporis*, *& animi*, per defectum verò *nimia rigiditas in ijſdem*. Eutrapeliæ per exceſſum opponitur *ſcurrilitas*; & per defectum *ruſticitas*, ſeu *inurbanitas*. Tandem modeſtiæ cultus per exceſſum opponitur *luxus*, & per defectum *ſordiditas*.

QVAEST. I.

De Donis, *Beatitudinibus*, *& Fructibus Spiritus Sancti*.

AD perfectam virtutum intelligentiam ſupereſt agendum de his tribus, quę proponuntur in titulo, cùm enim dona Spiritus S. moueant ad exercendos actus virtutum, & excolenda ſtudia pietatis, vt ex dicendis patebit; cùmque ex operibus, quæ fiunt ex motione Spiritus ſuauiter, & dulciter impellentis, ſummam capiamus delectationem in via, per quam beatificamur in ſpe; & ad quam conſequuntur quædam veluti præmia, quæ in hac vita haberi poſſunt, quæ magna cum voluptate poſſidentur, & fructus appellantur; idcirco *hic* neceſſe eſt de illis tractare, Breuiſſimè tamen nos expediemus, quia momentoſam non patiuntur difficultatem.

ART. I.

An dona Spiritus S. rectè aſſignentur?

1 NOt., quòd donum dupliciter ſumitur. 1. Communiter pro omni eo, quod eſt gratis nobis à Deo donatum; & ſic omnes gratiæ gratis datæ ſunt dona. 2. Specialiter, prout eſt quidam habitus ſupernaturalis diſponens animam ad promptè ſequendam motionem Spiritus S., & in hoc ſenſu loquimur in præſenti. Donum ergo Spiritus S. ſic acceptum definitur *habitus ſupernaturalis*, *quo homo diſponitur ad promptè ſequendam motionem Spiritus S.* Dicitur *habitus*, quia dona dantur ſecundùm permanentiam; & per hoc differunt à Beatitudinibus, quæ ſunt actus, vt *inf.* Dicitur *ſupernaturalis*, in quo conuenit cum virtutibus Theologicis; & differt ab acquiſitis, & moralibus infuſis, quæ ſunt natura-

tura-

turales ſecundùm entitatem, vt diximus *in ſup. q.* Per reliquas particulas differt ab omni virtute tum ſupernaturali, cum naturali; quia illæ regulantur à prudentia, & mouentur ad actus à recta ratione; dona verò regulantur tantùm à Spiritu S., à quo ſolùm mouetur homo ad exercitium donorum; vt docet *Fund. Doct. in 3. diſt. 9. p. 1. q. 1. art. 1. ad 3.*, quæ differentia maximè notanda eſt; conſtituit enim eſſentiam ipſius doni. *Hoc not.*

2 Vnica concl. Dona Spiritus S. ſunt tantùm ſeptem, ſcilicet intellectus, ſapientia, ſcientia, conſilium, pietas, fortitudo, & timor Domini, & rectè horum donorum ſufficientia aſſignatur.

Prima pars, quæ eſt *cont. Dur. in 3. diſt. 34. q. 1., & Lorc. hic diſp. 25. membr. 4.* arbitrantes probabile eſſe dona Spiritus S. eſſe plura, quàm ſeptem; traditur communiter *à SS. PP., & Theologis*, imò à tota Eccleſia. Colligitur manifeſtè *ex Scriptura*; nam *Iſaiæ* 11. habetur: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus conſily, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Colligitur etiam ex multis figuris, quibus ſignificantur; vt per ſeptem oculos ſuper lapidem vnum *Zach. 3.*, idèſt ſuper Chriſtum, qui dicitur *lapis angularis*, quia iunxit Eccleſiam terreſtrem cum cæleſti; per ſeptem lucernas poſitas ſuper candelabrũ *Exod. 21.*, per ſeptem ſtellas in dextera Chriſti Domini *Apoc. 1.*, per ſeptem lampades ardentes ante thronum Dei *Apoc. 4.* &c. Traditur etiam à tota Eccleſia, quæ in hymno Pentecoſtes vbique canit: *Tu ſeptiformis munere*; & vniuerſaliter hoc docet ſuos fideles. Traditur communiter *à SS. PP.* ex eorum communi *Magiſtro Aug. lib. 1. de ſerm. Domini in monte c. 9.* disertè., *& lib. 12. cont. Fauſtum c. 21., & lib. 1. de Doct. Chriſt. c. 7., & de Temp. ſerm. 109. Dom. 7. poſt Trin. ſerm. 1.* vbi ait, quòd illa parabola, qua dicitur Chriſtum Dominum quinque panibus, & duobus piſcibus quinque millia hominum ſatiaſſe, deſignat *Iudæos*, quorum lex in quinque libris *Moyſis* continetur; & duo piſces ſignificant librum Prophetarum, & prædicationem *Ioannis*, quæ ſolis *Iudæis* facta eſt; panes autem numerati ſimul cum piſcibus faciunt numerum ſeptenariũ, qui ſignificat ſeptem dona Spiritus S., & duodecim cophini, qui ſuperfuerant, deſignant duodecim fructus eiuſdem Spiritus S. Altera verò parabola *Marc. 8.*, qua ſeptem panibus ſaturauit *ferè quatuor millia hominum*, ſignificat omnes gentes; quæ *de longè venerunt*, quia *Gentiles longè erant à Deo*; non enim colebant verum Deum; nec *habebant, quid manducarent*; quia non habebant legem, per quam poſſent peruenire ad vitam æternam. Quia tamen *triduo ſuſtinebant* Chriſtum; idèſt credebant firmiter in Pâtre, Filio, & Spiritu S., & in natiuitate, paſſione, & reſurrectione Domini; noluit eos *dimittere ieiunos*, idèſt ſine lege; ne *deficerent in via*; idèſt non ſaluarentur per Chriſtum, qui *via* dicitur *Io. 1.* Erant autem *ferè quatuor millia*; idèſt à quatuor orbis cardinibus, ſignificans, quòd lex Chriſti diffũndenda erat per totum orbem terrarum. Satiauit igitur ſeptem panibus, hoc eſt ſeptem donis Spiritus S. eos repleuit; & *diſcubuerunt ſuper ſœnum*; idèſt per ſeptem dona Spiritus S. mortificauerunt opera carnis; fœnum enim eſt herba mortua, & ſicca, & *Iſaia* 40. dicitur: *Omnis caro fœnum; ſuſtulerunt* autem Apoſtoli *ſeptem ſportas plenas*, quia eadem ſeptem dona debebant per Apoſtolos diffundi in alias gentes, quibus fidem Chriſti prædicare debebant. Igitur ſeptem dona Spiritus S. acceperunt *Iudæi* per fidem Chriſti, & erant quinque millia, quia prædicante *Petro*, vt habetur *Act. 4.* quinque millia *Hebræi* baptizati ſunt. Concludit autem: *Ibi quinque millia referti qui numerus pertinet ad Iudæos, nam poſt Aſcenſionem Domini loquente Sancto Petro quinque millia ſunt baptizati. Hic autem quatuor millia, hoc eſt de tota terra omnes gentes à quatuor cardinibus Cæli de ſeptiformis Sancti Spiritus gratia eſſe repletas in vitam æternam. Et ideo dilectiſſimi nos, qui non per legem, ſed per fidem credimus in Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui non ex operibus, ſed ipſius gratia ſumus redempti, qui non ex quinque libris Moyſi, ſed ex ſeptiformis gratia Spiritus S. ſumus repleti, ſicut B. Eſaias prophetauerat dicens: Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus conſily, & fortitudinis, Spiritus Sapientiæ, & pietatis, & replebit illum Spiritus timoris Domini. In hac ergo ſeptiformi Spiritus S. gratia maneamus, in qua vocati ſumus, repleti dono Spiritus S. per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*

3 Prob. 2. pars concl. *ex eod. lib. 1. de ſerm. Domini vbiſ.* ſic. Quot ſunt operationes ſpecie diuerſæ perficientes, & ducentes ad conſequendam vitam æternam, tot ſunt dona Spiritus S., ſed ſeptem ſunt operationes perficientes, & ducentes hominem ad conſequendam vitam æternam; ergo ſeptem ſunt dona Spiritus S. Prob. ma. Quot ſunt operationes ſpecie diuerſæ, tot ſunt principia, à quibus procedunt, ſed nomine doni intelligitur habitus ſupernaturalis, quo mouemur à Spiritu S., non à ratione, & impellimur ad actiones perficientes, nos conducentes ad conſequendam vitam æternam; ſic enim *S. Apollonia* voluntariè ſe proiecit in rogum ſibi inferens mortem, quam ratio, & lex ordinaria vetat ſibi eſſe inferendam; ſpecialis autem impulſus, et inſtinctus Spiritus S. extraordinario quodam conſilio dictat in quibuſdam caſibus nedum eſſe à perſecutoribus Eccleſiæ expectandam patienter, ſed etiam vt illudatur fidei inimicis, præuenienter ad eorum actiones eſſe impatienter obeundam, vt oſtendatur Fidei excellentia, quę temporalia ſpe cæleſtium gaudenter contemnit.

Sic legitur *apud Niceph. 5. 7. in Theatro* titulo *Caſtitas*; quòd *Nicomediæ S. Virgo Euphraſia* ducta ad lupanar, vt violaretur eius virginitas, cæleſti quadam ſapientia, & ingenioſo quodam artificio improbum iuuenem ad eam corrumpendam paratum deluſit. Veneficam ſe profitetur; ingentemque mercedem, ſi ei virginitatem ſeruaret, pollicetur; pharmacum ſcilicet, quo perunctus nullo vnquam hoſtium ferro, aut iaculo poſſet interimi, imò nec leuiter lædi. Et huius experimentum ſecreti ſpondet in proprio corpore ſeſe oſtenſuram. Qua promiſſione à iuuene recepta tum *Euphraſia* ceram oleo liquefactam proprio collo circunductam inunxit; quo peracto enſem, qui ei pendebat ad latus, euaginare iubet, & quantis poſſet viribus, ſuper collum ſic euaginatũ vibraret, vt remedij vim, efficaciãque probaret. Igitur ſubmiſſo à Virgine collo iuuenis enſem toto virium conatu demiſit, atque vno ictu amputato *Euphraſię* capite verè virginitatem hoc remedio ſeruauit, & coronauit martyrio. Sic de *alijs tribus virginibus* narratur, quòd à militibus inſecutæ, vt labefierent, ad flumen fugiunt, quò cùm peruenere, facto crucis ſigno data inuicem manu aquam ingreſſæ ſe ſuffocauerunt; ergo quotquot ſunt operationes perficientes, & ducentes animam ad conſequendam vitam æternam, tot ſunt dona Spiritus S. Probmi. Operationes perficientes, & ducentes nos ad conſequendam vitam æternam ſunt vel humilitas, quæ eſt paupertas ſpiritus; nam *Matt.* 8. humilibus promittitur vita æterna: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorũ*; vel eſt manſuetudo; dicitur enim *ibid. Beati mites, quoniam ipſi hæreditabunt terram*; idèſt terrã viuentium, de qua dicitur *pſ.* 141. *Portio mea in terra viuentium*; quæ procul dubio eſt vita æterna; mites autem ſunt, qui non reſiſtunt *Scripturis*, ſed eas piè credunt, & ſeruant; vel luctus, quo triſtamur nos ſecutos fuiſſe hæc bona temporalia, & æterna amiſiſſe; de quo ſcribitur: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*; ſpe ſcilicet gaudiorum æternorum. Vel eſuries, & ſitis iuſtitiæ, qua amant veritatem, & bonitatem, ſcribitur enim: *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur*, cibo ſcilicet, & *aqua ſaliente in vitam æternam*. Vel miſericordia; dicitur enim: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*; idèſt vitam æternam, in qua nulla penitus poteſt eſſe miſeria. Vel mundities cordis; habetur nanque: *Beati mundicordes, quoniam ipſi Deum videbunt*; in qua viſione conſiſtit vita æterna. Vel pax, qua componuntur omnes animi motus, ſenſus ſubijciuntur rationi; ſcribitur enim: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*; renaſcendo ſcilicet in vitam æternam; octaua autem beatitudo non perficit, ſed clarificat animam, & perfectam eſſe oſtendit per ſeptem operationes antecedentes; repetit nanque *Regnum Cælorum*, vt in prima; & iuſtitiã, vt in quarta; ergo ſeptẽ tantùm ſunt operationes perficientes ad vitam æternam.

4 Conf. *ex eod. ibid.* Quot ſunt operationes donorum ſpecie diuerſæ, tot ſunt dona Spiritus S. ſpecie diuerſa; quia ab eodem dono ſpecie indiſtincto nequeunt eſſe operationes ſpecie indiſtinctæ; ſicut ab eadem virtute v.g. virginitatis nequit eſſe actus coniugij, qui ſpecie diſtinguitur ab actu virginitatis; ſed ſeptem ſunt operationes donorum ſpecie diſtinctæ; nam actus humilitatis eſt operatio timoris Dei; docet enim *Apoſt. Rom.* 11. *Noli altum ſapere, ſed time*; idèſt humilis eſto; actus, quo quis eſt mitis, eſt operatio pietatis; nam pietas facit non reſiſtentem, quod eſt eſſe mitem; luctus eſt actus ſcientiæ; quia lugere mala, quæ fecimus, & bona, quæ amiſimus, eſt ea ſcire, & cognoſcere; eſurire, & ſitire iuſtitiam eſt actus fortitudinis, quia importat laborem, quo ſubſtinemus eſuriem, & ſitim; actus miſericordiæ eſt actus conſilij, quia eſt conſultatio medij, quo poſſumus euadere mala propria; remittendo enim mala nobis illata euadimus mala à nobis Deo illata; actus videndi Deum eſt actus intellectus, qui eſt donum purgans, & mundans cor, quo videtur Deus; actus pacis eſt actus ſapientiæ, quæ componit motus rebelles, & eos ordinat ad Deum; actus autem patiendi perſecutionem propter *Regnum Cælorum* eſt communis omnibus hiſce actibus, quia in his omnibus patimur contrarietatem perſequentem nos propter *Regnum Cælorum*, & ſignificat aduentum Spiritus S. in nos, à quo ſunt ſeptem dona, nam numerus ſeptenarius ſepties multiplicatus reddit quadraginta nouem, cui ſi addatur vnitas, euadit quinquaginta, qui eſt numerus dierum, quo Spiritus S. venit in Apoſtolos, ergo ſeptem ſunt dona Spiritus Sancti.

5 Prob. 2. *à Fund. Doct. in* 3. *diſt.* 32. *p.* 1. *q.* 1. *art.* 1. Quot ſunt perfectiones partis intellectiuæ, & partis appetitiuæ, tot ſunt dona Spiritus S., quibus intellectus, & appetitus perficitur ad tendendum in vitam æternam, ſed ſeptem ſunt perfectiones intellectus, & appetitus, nam intellectus perficitur quantùm ad apprehenſionem veritatis, quod ſpectat ad donum intellectus, & perficitur quantùm ad iudicium de rebus humanis, quod ſpectat ad donum ſcientiæ, & perficitur quantùm ad iudicium de rebus Diuinis, quod ſpectat ad donum ſapientiæ, & perficitur quantùm ad directionem ſuarum operationum, quod ſpectat ad donum conſilij; appetitus verò perficitur quantùm ad fugam delectationum carnalium, quod ſpectat ad donum timoris, & quãtùm ad reſiſtendum aduerſis, quod ſpectat ad donum fortitudinis, & quantùm ad debitè ſe habendi erga proximum, quod ſpectat ad donum pietatis, ergo ſeptem ſunt dona Spiritus Sancti.

6 Ordo autem horum donorum eſt retrogradus, vt notat *Fund. Doct. ex Beatiſs. P. vbiſ*;

quia

quia *initium ſapientiæ eſt timor Domini*; vnde priùs fugimus carnalia per timorem; deinde fugimus odia per manſuetudinem; & ſic de reliquis; vnde Spiritus S. deſcendit ad nos per ſapientiam vſque ad timorem; vt nos aſcendamus ad ipſum per timorem vſque ad ſapientiam.

7 Prob. 3. *ex noſtro Legent. in 3. diſt. 35. q. 1. art. 2.* Quot ſunt virtutes principales, ſecundùm quas poſſumus moueri ad actus bonos ex inſtinctu impulſiuo Spiritus S; tot ſunt dona Spiritus S: ſed ſeptem tantùm ſunt virtutes principales, ſecundùm quas poſſumus moueri ad actus bonos ex inſtinctu impulſiuo Spiritus S; ergo ſeptem tantùm ſunt dona Spiritus S. Ma. patet; quia dona Spiritus S. dantur tantùm ad actus bonos, qui ſunt actus virtutum; & dantur ad hoc, vt promptè moueamur ex inſtinctu Spiritus S; non autem ex dictamine rationis. Prob. mi. Virtutes principales vel ſunt Theologicæ, & ſunt tres; nempe fides, quæ eſt in intellectu, & ad hoc, vt intellectus moueat in Deum per fidem ex inſtinctu Spiritus S; datur donum intellectus; & ſpes, per quam degustamus cœleſtia ſpretis bonis mundanis; & ad hoc datur ſapientia, quæ cauſat experimentalem notitiam rerum Diuinarum, ex qua notitia augetur guſtus cæleſtium; & datur charitas, quæ augetur per opera ſupererogationis, quæ ſunt ex conſilio; nam charitas magis augetur faciendo opera ex præcepto, & ex conſilio, quàm faciendo ſolùm opera ex præcepto, & ſic datur donum conſilij. Vel virtutes principales ſunt morales; & iſtæ ſunt quatuor; aliæ enim ſunt annexæ his quatuor, quæ vocantur cardinales; vt ſuperiùs diximus; & ſic vel eſt fortitudo, qua mortem ſubimus; & ſic datur donum fortitudinis, per quod promptè, & ſponte mortem adimus ex impulſu Spiritus S; vel eſt prudentia, quæ habet eligere media ad ſalutem; & ſic datur donum ſcientiæ ad hoc, vt prudentia eligat medium dictatum, non quidem à ratione, ſed à Spiritu S; vel eſt iuſtitia diſtributiua præmiorum, & pœnarum, aut commutatiua; & ſic datur donum pietatis, vt homo moueatur promptè ex inſtinctu Spiritus S. ad ſe conformandum Deo, qui eſt largus retributor præmiorum, & clementiſſimus diſtributor pœnarum; & ad relaxandam tenacitatem, & rigorem in commutationibus, quæ reſpiciunt proximum; vel tandem eſt temperantia, quæ moderatur affectiones circa bona ſenſibilia magis delectabilia, quæ ſunt cibus, potus, & venerea; & ad hoc, vt temperantia promptè agat ex inſtinctu Spiritus S; datur timor Dei filialis, quo exercetur homo in mundis, & caſtis operibus, quibus recedimus à delectationibus ſenſibilibus; ſed tres, & quatuor faciunt ſeptem; ergo ſeptem ſunt dona Spiritus Sancti.

8 Obijc. 1. *Eſaias vbi ſ.* poſtquam aſſignauit ſupradicta dona Spiritus S; ſubiungit alia duo, nempe iuſtitiam, & fidem; fides autem nequit eſſe fides Theologica; nam in Chriſto, de quo loquitur, fides Theologica non potuit eſſe, erat enim beatus ſecundùm partem intellectiuam; & ideo fuit fidelitas, ſeu veracitas in complendis promiſsis, vt exponunt *D. Hier., & alij ſup. hunc locum*; ergo nouem ſunt dona Spiritus S. 2. *Apoſt. 1. Cor. 12.* plura alia dona enumerat dicens: *Alij datur per Spiritum ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ in eodem Spiritu; alij fides in eodem Spiritu; alij gratia ſanitatum in vno Spiritu; alij operatio, alij prophetia &c*; ergo dona Spiritus S. ſunt plura, quàm ſeptem. 3. Virtutes Theologicę ſunt perfectiores, quàm dona Spiritus S; ſunt enim radices donorum; nam anima non mouetur à Spiritu S; niſi ei priùs vniatur, quod nequit eſſe, niſi per fidem, ſpem, & charitatem; ergo dona Spiritus S. nequeunt perficere virtutes Theologicas. 4. Virtutes cardinales, quæ perficiuntur à donis Spiritus S; non ſunt quatuor ſpecies athomæ; ſed diuiduntur in plures ſpecies infimas, vt vidimus *in ſup. tract.* ergo dona Spiritus S. perficientes virtutes morales non ſunt tantùm ſeptem in ſpecie athoma.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Subiungit alia duo, iuſtitiam, & fidem, tanquam dona, neg. tanquam virtutes, conc; non enim eodem modo loquitur de iſtis, ac de donis; quia de donis *Spiritus ſapientiæ; & intellectus &c*; Spiritus enim propriè *impetus* interpretatur; & de ratione doni eſt facere impetum in anima, eamque mouere ad operandum; de iuſtitia autem, & fide non ait: *Spiritus iuſtitiæ, & fidei*; quia Spiritus, quo mouetur iuſtitia, eſt pietas, vt dictum eſt; & Spiritus, quo mouetur fides, eſt intellectus; & ideo iuſtitia, eſt fides non ſunt dona; aliter dona multiplicarentur circa eandem virtutem, & ſic vnū ſecundùm ſe non ſufficeret vni virtuti, ſed eſſet imperfectum. Ad 2. dicitur *Apoſt.* enumerare gratias gratis datas, quæ ſunt dona communiter loquendo, vt ſupra dictum eſt, non autem ſunt dona Spiritus S. ſpecialiter, & ſecundùm reſtrictam conſiderationem, vt *hic* de ijs loquimur; gratiæ enim gratis datæ differunt à donis, quia illæ nec ſunt neceſſariæ ad ſalutem, nec connectuntur neceſſariò cum gratia ſanctificāte; ſicut cōnectuntur, & ſunt neceſſaria dona. Ad 3. diſt. ant. Virtutes Theologicæ ſunt perfectiores donis ſecundùm entitatem, conc; ſecundùm modum imperfectum, quo poſſidentur à nobis, neg. Quia ergo imperfectè in via illas habemus; ſic dona, quæ illas perficiunt. Ad 4. neg. conſ. ſicut enim vna ſpecie fides Theologica ſufficit ad regulandos omnes habitus, qui ſunt in intellectu, quia virtus, quò ſuperior, & perfectior eſt, eò maiori gaudet vnitate; ita vnicum donum ſpecie ſufficit ad mouendas omnes virtutes exiſtentes in concupiſcibili; & aliud ad exiſtentes in iraſcibili.

9 Colligitur ex dictis dona Spiritus S. realiter diſtingui à virtutibus infuſis. Eſt *cont Scot., Gabr.,*

Digitized by Google

Gabr., *Maior.*, *OKam*; *Gerſonem*, *Almain*; *Arriag*; *Lorc*, *Hurt. apud Onied*; qui eis fauet. Eſt tamen omnium aliorum Theologorum; & apertiſſimè deducitur *ex Beatiſs. P. vbiſ*: *& ſerm.* 148. *de Temp.* in fine; vbi ait, quòd dona Spiritus S. perficiunt virtutes, quibus impletur lex Dei; idem autem nequit perficere ſe ipſum; ergo dona Spiritus S. diſtinguuntur realiter à virtutibus infuſis. 2. Dona Spiritus S. fuerunt in Chriſto Domino, vt ait *Eſaias*; in ipſo tamen non fuerunt fides, & ſpes Theologica, quæ ſunt de Deo obſcurè viſo, & non poſſeſſo per charitatem; ergo realiter diſtinguuntur 3. Dona Spiritus S. ſunt connexa cum charitate perfecta; quæ importat inhabitationem perſonalem Spiritus S., ſed virtutes infuſæ, ſiue Theologicæ, ſiue morales, non habent hanc connexionem neceſſariò; ergo realiter diſtinguuntur. 4. Dona Spiritus S. ſunt gratiæ ſupernaturales, quibus conſequimur vitam æternam; ſed virtutes morales non ſunt ſupernaturales ſecundùm entitatem, ſecundùm quam poſſunt naturaliter acquiri; dicere autem quòd naturaliter poſſimus acquirere gratiam ſecundũ entitatem, & dona Spiritus S; eſt *Pelagianum*; ergo realiter diſtinguuntur. 5. Virtutes facilitant potentiam, vt moueatur à recta ratione ita, vt potentia ſine virtutibus poſſit producere actum virtuoſum, ſed non æquè perfectum, ac producit cum virtutibus; ſed dona Spiritus S. nedum facilitant potentiam, vt moueatur contra rationem, ſed illam ſimpliciter perficiunt ita, vt potentia non poſſit producere ſine illis actum virtuoſum, nec etiam imperfectum; aliter ſine gratia poſſemus acquirere vitam æternam, vt aſſerebant *Pelagiani*; ergo realiter diſtinguuntur. 6. Virtutes morales mouentur à donis, vt eliciãt ſuos actus; ſed nihil poteſt moueri à ſeipſo; ergo virtutes morales non ſunt idem, ac dona Spiritus S. 7. Virtutes morales ſpecie athoma diſtinctæ ſunt multò plures, quàm ſeptem, vt diximus in *ſup. q.*, ſed dona Spiritus S. non ſunt plura ſpecie, quàm ſeptem; de hoc enim nihil habetur *in Scripturis*, neque traditur ab Eccleſia, ſicut habetur, & traditur de virtutibus; ergo realiter diſtinguuntur. 8. *Ad hominem*. Solùm mediãte aliquo auxilio extraordinario poſſumus exercere actum virtutis ſequendo ductũ Spiritus S; ſed hoc auxilium diſtinguitur à virtutibus; aliter præcisè per ipſas virtutes poſſemus agere, & ſic non requireretur auxilium extraordinarium; ergo ſolùm mediante aliquo realiter diſtincto poſſumus agere; atqui hoc auxilium eſt donum, quia gratis nobis donatur; nam nomine doni non intelligimus, niſi gratiam, ſeu auxilium ſupernaturale regulans potentiam, vt obediat Spiritui S; ergo dona diſtinguũtur à virtutibus; vnde *Aduerſarÿ* nihil aliud concludunt, quàm quòd virtutes producunt actum, ad quem mouentur à Spiritu S; quod libenter concedimus; virtutes enim ſubordinantur donis, à quibus perficiuntur, & mouentur ad actum? Tandem ex eo, quòd homo per potentiam obedientialem habeat producere actum ſuperioris ordinis, requiritur gratia; quæ eſt principium *quo* illius realiter diſtinctum à potentia naturali; ergo ex eo, quòd virtutes habeant potentiam obedientialem ad ſequendum ductum Spiritus S. ſupra ordinem vſitatum rationis, requiritur donũ, ſeu gratia diſtincta ab ipſis virtutibus ad hoc, vt prorumpant in actum.

10 Obijc. 1. Definitio virtutum conuenit etiam donis; ergo non diſtinguuntur. 2. Subire mortem eſt actus fortitudinis, quæ eſt virtus, prout mota à Spiritu S. ergo virtus non diſtinguitur à dono. 3. Poteſt quis ex feruore fidei transferre montẽ, & ex feruore charitatis ſubire martyrium, ſed iſti ſunt effectus donorum, ergo virtutes non diſtinguuntur à donis. 4. Virtutes per ſe infuſæ ſunt ſimpliciter neceſſariæ ad ſalutem; ergo præter illas non dantur habitus donorum, quia ſine illis cum ſola obſeruantia præceptorum Dei, poſſumus ſalutem acquirere; poteſt enim quis ſaluari abſque eo, quod voluntariè ſibi inferat mortem. 5. Virtutibus agimus cum volumus, donis verò potiùs agimur, quàm agamus, mouemur enim à Spiritu S. tanquam inſtrumenta ipſius, ergo non diſtinguuntur, ſed tantùm eadem virtus, prout mouetur à ratione, habet rationem virtutis, & prout mouetur à Spiritu S. cum auxilio extraordinario, habet rationem doni.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Habent eandem definitionem formaliter, neg., materialiter, conc., nã virtus definitur, qua bene viuitur iuxta motum rationis, & donum, quo bene viuitur iuxta motum Spiritus S. Ad 2. diſt. ant. Subire mortem voluntariè eſt actus virtutis, neg. prout illatam ſibi ab alio, conc; fortitudo enim, vt regulata à ratione, non tendit ad inferendam ſibi voluntariè mortem, ſed tantùm ad fortiter moriendum, cùm mors infertur ab alijs, & nequit ſaluari vita, vt dictat ratio, quapropter Sancti, & Chriſtus Dominus, qui aliquando fugerunt mortem, vt ratio dictabat, non carebant virtute fortitudinis, nec tamen impellebantur pro eo tunc à Spiritu S. Ad 3. dicitur illos actus fuiſſe actus fidei, & charitatis; concurrentibus tamen donis Spiritus S. Ad 4. neg. conſ. non licèt in aliquibus non detur exercitium omnium horum donorum, quia non ſemper ſe ſe offert materia, circam quá verſantur, non enim omnibus offertur martyriũ &c; attamen dona dantur in omnibus in præparatione animi, quia per illa diſponitur animus ad obediendum Spiritui S., quoties ſe offerret materia. Ad 5. dicitur, quòd donis agimur, vt etiam agamus; vt docet *Beatiſs. P. lib. de Corr. & Grat. c. 2.* cum hoc diſcrimine, quòd per virtutes dupliciter agimus, quia duplex principium actionis eſt in nobis, ſcilicet virtus, & ratio mouens virtutem, at verò donis agimus tantùm

vno

vno modo, quia vnum tantùm principium, nempe virtus eſt in nobis; aliud verò eſt Spiritus S. qui non eſt virtus intrinſecè informans, & inhærens, ſed tantùm extrinſecè mouens; & in hoc ſenſu potiùs agimur, quàm agamus. Præterea dicitur. 4. & 5. potius probare noſtrum aſſertum; ſi enim dona non ſunt neceſſaria ad ſalutē, neque illis agimus, cùm volumus; & virtutes ſunt neceſſariæ ad ſalutem, atque illis agimus, cùm volumus, optimè ſequitur virtutes à donis diſtingui.

11 Quæres; an dona Spiritus S. reſpiciant potiùs vitam actiuam, quàm contemplatiuam?

Reſp. *noſter Argent. vbiſ.* reſpicere vtranque, ſed principaliùs vitam contemplatiuam, quàm actiuam; quia contemplatiua eſt principalior, quàm actiua; illa enim eſt immediatè circa Deum; hæc circa creaturas; illa manet in patria, hæc eſt tantùm in via; vnde hæc ordinatur ad illam, de illa dicitur *Luc.10. Optimam partem ſibi elegit Maria.* Illa tandem figurabatur *in Rachel*, quæ erat pulcherrima facie; hæc *in Lya*, quæ habebat oculos lippos; vt habetur *Gen.29.*

ART. II.

Quot, & quid ſint Beatitudines?

1 Non loquimur *hic* de beatitudine æterna, quæ habetur per viſionem beatam, & charitatem conſummatam; de hac enim ſufficienter locuti ſumus *to. 3;* & vna eſt, quia vnus eſt Deus omnes beatificans, & actu charitatis attingitur ab omnibus; ſed ſermo eſt de beatitudine, quam habent iuſti in via per ſpē; & eſt quædam imperfecta anticipatio beatitudinis æternæ adhuc per illam perficienda in patria. Sicut enim ex poſſeſſione boni in re perfectè delectamur, & beamur; & ex eiuſdem boni in promiſſione in ſpe certa illud breui tempore poſſidendi delectationem, & quandam beatitudinem imperfectam ſentimus; ita nedum ex poſſeſſione ſummi beni in patria perfectè delectamur, & ſumma beatitudine perfundimur; ſed etiam ex ſpe certa, quam habemus in via, illud breui tempore poſſidendi delectationem, beatitudinemque imperfectam quandam percipimus. Imperfectam quidem, quia nedum de obiecto abſente perfectè delectari non poſſumus; ſed quia per actum ſpei, qui eſt imperfectus actus amoris illud attingimus, vſque dum ſuccedat actus perfectus charitatis conſummatæ, quo illud perfectè poſſideamus.

2 Dari autem iſtam beatitudinem in viam per ſpem habetur nedum ex innumeris veteris legis teſtimonijs; vt *pſ. 1. Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum; & pſ. 118. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini; Beati, qui ſcrutantur teſtimonia eius &c. & pſal. 127. Beati omnes, qui timent Dominum; qui ambulant in vijs eius;* ſed eſt dogma Chriſti Domini traditum *Matt. 5.* in ſermone habito ad diſcipulos; & *Luc.6.* ſermone habito ad turbas. Quæritur ergo in præſenti numerus harum beatitudinum; & in quo conſiſtant?

3 Quoad 1. nulla eſt difficultas; eſt enim manifeſtè *in Scripturis* expreſſum has beatitudines eſſe octo; vt habetur *Matt.5.*, ſolùm quoad 2. dubitatur; nam *aliqui* volunt non importare actus, ſed habitus intenſiores, & perfectiores virtutum, & donorum. Tribuitur *Scot., Gabr., Ocham.*, quos ſequitur *Ariaga. Alij* tamen *Theologi* communiter docent conſiſtere in actibus elicitis per dona Spiritus S., quibus actibus accedimus in ſpe, & appropinquamus ad vitam æternam, ex qua appropinquatione cæleſtis illius delectationis participamus portionem. *Ita Mag. omnium Beatiſs. P. noſter Aug. lib. 1. de Serm. Domini in monte c.9., & ſæpe alibi.*

4 Vnica concl. Octo ſunt beatitudines viæ per ſpem; & conſiſtunt in actibus donorum Spiritus S., non in habitibus, à quibus qualitercunque diſtinguuntur.

Prob. 1. pars *ex Matt. 5. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum. Beati mites, quoniam ipſi hæreditabunt terram; Beati, qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur; Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur, Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur; Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam ipſi filij Dei vocabuntur; & Beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum.* Sufficentia autem ſic poteſt probari *ex Beatiſs. P. vbiſ.* vbi loquens de beatitudinibus inquit: *Septem ſunt ergo, quæ perficiunt; nam octaua clarificat, & quod perfectum eſt, demonſtrat; vt per hos gradus perficiantur & cæteri, tanquam à capite rurſum exordiens. Videtur ergo mihi etiam ſeptiformis operatio Spiritus S., de qua Eſaias loquitur, his gradibus, ſententijſque congruere.* Et poſtquam ſingula dona appropriauit ſingulis ſeptem primis beatitudinibus, vt dictum eſt *in ſup. art.*, concludit, quòd octaua beatitudo, quæ ad caput redit dicendo, ſicut in prima: *Quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum;* perfectumque hominem oſtendit, ſignificatur numero quinquagenario Pentecoſtes, quo miſſus eſt Spiritus S. *Nam ſeptenario numerò ſepties multiplicato, quo fiunt quadraginta nouem, quaſi octauus additur, vt quinquaginta compleantur. Et tanquam redeatur ad caput, quo die miſſus eſt Spiritus S; eo in regnum Cælorum ducimur, & hæreditatem accipimus, & conſolamur, & paſcimur, & miſericordiam conſequimur, & mundamur, & pacificamur; atque ita perfecti omnes extrinſecùs illatas moleſtias pro veritate, & iuſtitia ſuſtinemus.* Ex quibus ſic. Beatitudines ſunt actiones donorum Spiritus S., quibus ducimur ad regnum Cælorum, nam Spiritus S. per ſua dona impellit nos ad gloriam; & non poſſumus habere

bere beatitudinem, niſi à Spiritu S; à quo eſt omnis delectatio, & conſolatio, cùm ipſi appropriectur bonitas;& vocetur ab Eccleſia *Conſolator optimus*; ſed actiones donorum Spiritus S. ſunt ſeptem, quia ſeptem ſunt dona; & ex habitione horum ſeptem reſultat perfectio hominis adæquata, ex qua reſultat octaua beatitudo, quæ habet clarificare, & demonſtrare perfectam conſolationem eo modo, quo poteſt haberi in hac vita; ergo octo ſunt beatitudines.

5 Prob. 2. pars concl. Beatitudines viæ conſiſtunt formaliter in operationibus elicitis mediantibus donis Spiritus S; vt dictum eſt *ex Beatiſ. P.*, ergo conſiſtunt in actibus, non in habitibus; & per conſequens realiter ab habitibus diſtinguuntur; actus enim qualitercunque differt ab habitu. Prob. ant. Noſtra beatitudo ſempiterna, quæ habetur per charitatem in patria, conſiſtit formaliter in actu amoris, vel viſionis; ergo & beatitudines, quæ habentur per charitatem, ſpem, & fidem in via;nam ſpes, & charitas, quæ eſt amor imperfectus, correſpondet charitati patriæ, quæ eſt amor perfectus; & fides correſpondet viſioni;& ideo beatitudo viæ,quæ correſpondet beatitudini patriæ,debet conſiſtere formaliter in actu charitatis, ſpei, & fidei.

6 Conf. 1. Beatitudo importat neceſſariò delectationem, & gaudium; tunc enim beamur, quando actu delectamur, & gaudemus, non autem quando ſumus in potentia ad delectandū, & gaudendum; ſed delectatio, & gaudium eſt actus;ergo beatitudo neceſſariò importat actum; atqui delectatio, & gaudium eſt proprietas ſequens ad amorem; de eo nanque delectamur, quod amamus; ſicut de eo triſtamur, quod odio habemus; ergo beatitudines conſiſtunt in amore imperfecto, ad quem ſequitur eſſentialiter delectatio, ſeu gaudium.

7 Conf. 2. Ex eo, quòd potentia appetitiua poſſit amare aliquod obiectum, non dicitur illo frui, delectari, & beari; ſed tantùm ex eo,quòd actu illud amet; ſicut ex eo, quòd oculus poſſit videre aliquod pulchrum, non dicitur delectari de illo; ergo idem.

8 Conf. 3. Beatitudo conſiſtit in poſſeſſione boni beantis, vel in ſpe, vel in re; nullus enim fœlicitatur de re, quam non poſſidet, vel poſſiderè non ſperat; ſed beatitudines viæ non conſiſtunt in poſſeſſione Dei in re, quæ habetur ſolùm in patria; ergo conſiſtunt in poſſeſſione Dei in ſpe;atqui hæc poſſeſſio non fit, niſi per actum, qui eſt formalis tendentia, per quam tendimus ad obiectum; illudque poſſidemus; ergo idem.

9 Obijc. cont. 1. part. concl. *Luc. 6.* enumerantur ſolùm quatuor beatitudines ;ergo vel nō sūt octo;vel vnus Euangeliſta alteri contradicit.

Reſp. Beatiſs. P. lib. 2. de conſenſu Euangeliſt. c. 19. quòd Chriſtus Dominus bis docuit beatitudines, ſemel in monte ſolis Diſcipulis, quibus illas octo enumerauit; & de his locutus eſt *Matthæus*; & ſemel in loco campeſtri loquens turbis ſolum quatuor enumerauit; quia turbæ non poterant capere tam longam doctrinā,quod præſtitit etiam cum Apoſtolis,quibus aliquando dixit: *Non poteſtis portare modò*; & de hoc locutus eſt *Lucas*,quo vitatur contradictio.

10 Obijc. 2. cont. 2. part. concl. Si beatitudines eſſent actus donorum, eſſent tantùm ſeptē, ſicut ſeptem ſunt dona.

Reſp. neg. ſeq., nam octaua beatitudo eſt actus,non ſpecialis,ſed communis, quo iuſti generaliter gaudent de omnibus alijs actibus.

ART. III.

Quot ſint fructus Spiritus Sancti?

1 Fructus propriè ſignificat id,quod vltimò ab arbore producitur; & quo cum ſuauitate fruimur; vnde fructus propriè dicitur *à fruendo*. Sic fructus Spiritus Sancti dicuntur illi, qui vltimò conſequuntur ad dona Spiritus S., & quibus animæ iuſtæ cum magna ſuauitate,& dulcedine ſpiritali fruuntur.

2 Vnica concl. Fructus Spiritus S. ſunt duodecim, quos enumerat *Apoſt. ad Galat. 5*; ſcilicet, *Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, & caſtitas*.

3 Prob. Primus Fructus, quem producit Spiritus S. in nobis, eſt charitas, ſeu amor, quia ipſi appropriatur charitas, ſicut Verbo appropriatur ſapientia. Ad amorem ſequitur gaudium, quod eſt proprietas amoris,vt dictum eſt *in ſup. art.* Ad gaudium ſequitur pax, quæ eſt conſeruatiua gaudij; bellis enim externis, & rixis internis triſtamur; & ideo hic nomine *pacis* intelligimus nedum pacem reſpectu externorum, ſed etiam reſpectu ſenſuum internorum, inter quos poſtea fuit rebellio per peccatum originale; ſubijciuntur autem rationi per Spiritum S.,& ideo iuſtus interna fruitur pace. Ad pacem ſequitur patientia, qua toleramus mala imminentia, ne turbent pacem internam. Ad patientiam ſequitur benignitas, qua omnes benignè tractantur; ne exaſperati magis vexent, dilacerentque patientiam. Ad benignitatem ſequitur longaminitas, qua bona etſi longè diſtantia benignè expectamus. Ad longanimitatem ſequitur manſuetudo, qua mala huius diſtantiæ interuallo tranquillè tolerantur. Ad manſuetudinem ſequitur fides, ſeu fidelitas, quia mala præſentia piè tolerantes bona futura fideliter expectamus. Ad fidem ſequitur modeſtia, qua componimus facta, & verba ad fiduciam,quam habemus futurorum. Ad modeſtiam ſequitur continentia, qua nos continemus ab illicitis, ne diſſoluatur compoſitio morum. Ad continentiam tandem ſequitur caſtitas, qua abſtinemus à venereis, ne incontinentes fiamus; ergo duodecim ſunt fructus Spiritus S. Loquimur tamen de fructibus principalibus,quia minùs principales plures eſſe poſſunt.

DE

DE VITIIS, ET PECCATIS.

GRaueolentem vitiorum ſentinam ingredimur, & per ſtomachoſos naturæ corruptæ putores, fœdaſque infectæ carnis ſpurcitias iam excurrere incipimus. Sanis animæ naribus intolerabilis fœtor, qui nequaquam à peccante ſentitur, quia *Chriſti bonus odor* per peccatum eſſe deſinens ſpirituali odoratu priuatur. Ita namq; peccato, quod corrumpit animam, purus corrumpitur animæ olfactus; ſicuti corporis ſenſus carnis corruptione deſtruitur. Mortem, qua anima ſeparatur à corpore, tantus fœtur corporalis conſequitur, vt corporeæ nares eum ferre non valeant. Mors animæ, qua ſpiritus ſeparatur à Deo, talem fœtorem ſpiritualem ingenerat, vt à puro ſpiritu ſubſtineri non queat. Equidem *ſi corruptio optimi peſſima* peſſimum efflat odorem; peccatum, quo corrumpitur virtus, quæ diſponit ad optimum, non niſi fœtidiſſimum exhalat putorem. *In odorem vnguentorum ſuorum* anima currit, cùm ad ſuarum virtutum fragrantiam ſuauiter inhiat; ſed cùm marcida peccatorum obruitur ſanie, pæſtilentiſſimi halitus ſtagnum efficitur omni cloaca fœtentius. Qui valeret apprehendere, quantùm ſupereminear ſpiritus corpori, enarrare ſuffi ceret, quantò magis mortifero ſcateant veneno animæ ſordes, quàm corporis. Conſpiceret, quòd iſtæ membrum, quod afficiunt, non ſtatim, ſed ſenſim inficiunt; nec tamen alia præpediunt, ne ſuis fungantur officijs, & licèt mortem minentur, vitam tamen nonniſi plurimo ſuperingeſto pedentim humore ſurripiunt. Illæ totam animam, dum fiunt, interimunt; cùm attingunt, extinguunt; nullam virtutem ſinunt ſuperſtitem; nullum penitus vitæ exercitium indulgent. *Odor mortis in mortem* inquit *Apoſt. 2. Cor. 2.* eſt vnius fœtor peccatis quaſi vnicum vitium, non vnius, ſed multiplicis mortis eſſet exhalata putredo. Vel quia licèt mors animæ nunquam deleatur extincta; quaſi tamen eſſet aliquando interitura, fœtu nouæ mortis propagata traducitur. Animarum lues ſpiritus mori neſcios compellit mori, qui eſſe nunquam deſinunt, ut ſuo funeri nunquam deſint; & vitam nunquam finiunt, vt mori nunquam deſiſtant. Si crudeliſſimum ſupplicij genus decernens alicui trux ille *Caligola* inquiebat carnifici: *Sentiat ſe mori*; vt mortis protractione ei fieret pœna longærior; quale mortis ſupplicium infert peccatum, quod relinquit animæ vitam, qua ſe non viuere, ſed ſentiat ſolùm horrendè ſe mori? De huius mortis horrore, fætoribus, pæniſque diuerſis diſputandum ſuſcipimus, vt eas diſcamus effugere ſequendo virtutem, quæ ſempiternæ huius luis eſt vnica medicina præſeruans, & ſanans, cùm ſit vnicum immortalis vitæ principium.

QVAEST. I.

De Oppoſitione, Definitione, & Diuiſione peccatorum.

QVoniam peccatum aliqualiter negationem importat, vt *inf.* videbimus, & negatiuum explicatur magis per ſuum oppoſitum, quod eſt poſitiuum, quia poſitiuum eſt rectum, & *rectum index eſt ſui & obliqui*; idcirco agendum eſt de oppoſitione, quam dicit peccatum ad virtutes, quas tollit, & ad naturam, quam inficit, vt illius definitionem, vel deſcriptionem clariùs inuenire poſſimus. Deinde de diuiſione agemus, quæ pariter plurimùm iuuat ad intelligendam definitionem.

ART. I.

An, & quomodò peccata, opponantur Virtutibus?

1 FAlſum ſuppoſitum in præliminio *huius tractatus* obuiam habemus adeo firmatum *inter Recentiores*, vt indubitatum illud appellet *Godoy hic diſp. 15. §. 1. n. 1.*, de quo *noſter Gibb. hic diſp. dub. 1. n. 1.* Supponunt igitur, quòd ſicut dantur veræ virtutes morales omninò naturales, quæ ordinantur ſolùm in finem naturalem; v.g. temperantia naturalis, quæ ordinatur ad conſeruandam ſanitatem corporis, & vt probè exerceantur actus naturales rationis; & vltra iſtas dantur virtutes ſupernaturales infuſæ, quæ ordinantur ad finem ſupernaturalem, qui eſt Deus optimus maximus; vt temperantia tendens in abſtinentiam, quatenus conducit ad obſeruandam legem Dei, & ad acquirendam ſalutem; ita dantur vitia naturalia oppoſita virtutibus naturalibus recedentia, imò impugnantia motiuum naturale virtutis naturalis; v.g. intemperantia tendens in delectationē cibi, & potus, etianſi ſit contra ſanitatem corporis, & exercitium actuum rationis, quibus acquiruntur ſcientię; & vitium oppoſitum virtutibus ſupernaturalibus infuſis recedens, imò impugnans motiuum ſupernaturale virtutis ſupernaturalis; v.g. intemperantia tendens in delectationes nutrimentales, & venereas, etianſi ſint contra legem Dei, & impediant conſecutionem ſalutis æternę.

2 Falſitatem huius fusè oſtendimus *q. 1. de Virt. art 8.*, vbi diximus virtutes morales infuſas non differre ſpecie ab acquiſitis, ſed ſolùm quoad modum producendi; & ideo eandem virtutem, prout relatam ab obiectum, eſſe merè naturalem; prout verò ordinatam

in Deum eſſe ordinatiuè ſupernaturalem. Igitur hac ſupp.reiecta.

3 Prima ſententia vult vitia non contrariari virtutibus infuſis. *Ita Sua. lib.de Grat.c.9., & in 3.p.q.86.art.5., & in Met. diſp.45.ſect.2., Cur. hic q.63.art.3., & 4.dub.1.§.4., Lorc. hic apud Godoy inf., Granad., Petrus Corneio, & alij apud noſtrum Gibb.*

4 Secunda vult vitia contrariè opponi virtutibus per ſe infuſis. *Ita Zum. hic diſp.2., Alu. diſp.122., Greg. Martinez hic dub.3.concl.6. apud Godoy.*

5 Tertia opinatur vitia, quæ gignuntur ex receſſu à motiuo virtutis infuſæ, illis opponi contrariè; vitia verò, quæ gignuntur directè ex receſſu à motiuo virtutis acquiſitæ, virtutibus infuſis non contrariari. *Ita Vaſq., Montesin., noſter M. Cornexus, & Gibb. hic diſp.1.dub.3., Godoy hic diſp.15.* & quoad 2. partem *Val., Sal.Salm., Ariag., & alij* referuntur *à noſtro Gibb. dub.2.*

6 Noſtra tandem ſententia docet vitia moralia opponi virtutibus acquiſitis, & infuſis non quidem oppoſitione contraria propriè dicta, ſed priuatiua. *Ita Fund. Doct., & alij relati in ſup. tract. de Virtutib.*

7 Not., quòd vitium, & virtus in ratione entitatis phyſicæ, quam important, non opponuntur; eadem enim entitas, vt ordinata ſtabiliter ad finem optimum, eſt virtus; & prout deordinata ſtabiliter, eſt vitium; loquendo tamen de entitate, quæ eſt in eodem ſubiecto; nam de entitatibus, quæ ſunt in diuerſis ſubiectis aliter loquendum eſt, vt *inf.* dicemus ad 1., & ratio huius eſt; nam cùm virtus importet habitum bonum, & vitium habitum malum; habitus autem non ſit, niſi entitas actus, prout firmiter radicata in potentia; vt diximus *q.de Habitib. art.2.*, ideo ſicut eadem entitas phyſica actus, prout ordinata ad optimum finem, eſt moraliter bona; & prout ordinata ad finem malum, eſt moraliter mala; ita eadem entitas phyſica firmiter radicata in potentia, ſi ordinetur ad optimum finem, eſt virtus, quæ eſt *bona qualitas*; ſi verò deordinetur, eſt vitium, quod eſt qualitas mala. Et per hoc euertitur, quod aſſerit *Sua. in Met*; nempe *Ariſt.*, cùm ait virtutem, & vitium opponi contrariè, loqui de ipſis ſecundùm entitatem phyſicam, non ſecundùm ordinationem moralem. Tota ergo oppoſitio, quæ eſt inter virtutem, & vitium, attendenda eſt penes ordinationem, & deordinationem à fine. Et præter rationes allatas *vbiſ.*, & locis *ibid.cit.* poteſt ampliùs ſic roborari. Ita ſe habet entitas phyſica ad ordinationem, & deordinationem à fine; ſicut materia reſpectu formæ, & priuationis; ſed eadem entitas materiæ ſtat ſub forma, & priuatione; ergo eadem entitas phyſica actus ſtat ſub ordinatione, & deordinatione à fine.

8 Deordinatio autem à fine eſt pura priuatio ordinationis debitæ, & ſicut ordinatio dicitur rectitudo, ſeu bonitas moralis; ita deordinatio dicitur moralis malitia. Nam ex ro, quòd aliquis poſitiuè ordinet aliquem actum ad creaturam; ex eo præciſè non dicitur peccare; quia poteſt aliquis actus ordinari ad creaturam, qui tamen ſi referatur in Deum, tanquam in finem vltimum, non eſt malus, ſed bonus; ſi tamen deordinet à Deo, etianſi referatur ad creaturam, eſt malus; ergo ratio peccati formaliter conſiſtit in ſola deordinatione à Deo; quæ deordinatio non eſt, niſi carentia rectitudinis, ſeu ordinationis debitæ cum debito habendi illam; & ideo conſiſtit formaliter in priuatiuo; *ſed de hoc fusè inf.* Sicut ergo inter formam, & priuationem non datur contrarietas ſtrictè ſumpta, quæ eſt inter duas formas poſitiuas; ſed contrarietas priuatiua; ita oppoſitio, quæ eſt inter virtutem, quæ dicit aliquod poſitiuum, & vitium, quod conſiſtit in priuatiuo, eſt priuatiua, non contraria. *Hoc not.*

9 Vnica concl. Vitia priuatiuè opponuntur immediatè, & directè virtutibus etiam infuſis.

Prob. 1. ex illo *Eccli 33. Contra malum bonum, & contra vitam mors; & contra virum iuſtum peccator ſit.* Ex quo ſic. Malum, & bonum opponuntur priuatiuè; quia malum eſt priuatio boni, & bonum eſt forma, qua priuat malum; ſed vitium eſt malum, & virtus eſt bonum morale; nam vitium definitur *mala qualitas*; & virtus *bona qualitas*; ergo vitium, & virtus opponuntur priuatiuè.

10 Prob. 2. *ex Beatiſ. P. Aug. lib.4.cont.Iul. c.3.* docente: *Ita omnibus virtutibus non ſolùm ſunt vitia manifeſta diſcretione contraria; ſicut prudentia temeritas &c., & Ep.29. ad Hier. Sunt enim, vt ſcis, quædam vitia virtutibus aperta diſcretione contraria, vt imprudentia prudentiæ; ſunt autem quædam tantùm, quia vitia ſunt, ideo contraria; quædam tamen fallaci ſpecie ſimilia, vt eidem prudentiæ, non imprudentia, ſed aſtutia; &* paulò poſt. *Vni virtuti duo vitia opponi ſolent, & quod apertè contrarium eſt; & quod ſpecie ſimilitudinis adumbratur.* Patet autem, quòd *Beatiſ. P. ibid.* loquitur de virtutibus, quæ ſunt dona Dei, hoc enim vrget *contra Pelagianos.*, & de vitijs, quæ illis opponuntur per receſſionem ab obiecto formali; loquitur enim de temeritate, quæ opponitur prudētię; temeritas autē recedit à rectè agēdis, quę sūt motiuū etiā prudētiæ acquiſitę, ergo vitia moralia opponuntur virtutibus directè, & immediatè, prout virtutes ſunt ſupernaturales, ſiue acquiſitæ, ſiue infuſæ, iſtæ enim non differunt inter ſe, niſi quantùm ad modum producendi.

11 Prob. 3. ratione. Illud, quod importat deuiationem, ſeu deordinationem ab vltimo fine, opponitur priuatiuè virtutibus etiam infuſis; ſed vitia etiam ex receſſu à motiuo virtutis acquiſitæ important deuiationem, ſeu deordinationem ab vltimo fine; ergo vitia etiam

cx

ex receſſu à motiuo virtutis acquiſitæ opponuntur priuatiuè virtutibus etiam infuſis. Ma.prob. Illud, quod dicit carentiam formæ, ſeu formalitatis, quæ formaliter conſtituit virturem, etiam infuſam cum aptitudine ad habendam eandem formam, opponitur priuatiuè virtutibus etiam infuſis; quia carentia formæ in ſubiecto apto nato ad illam habendam eſt priuatio, & priuatio opponitur priuatiuè ipſi formæ, qua priuat; ſed illud, quod importat deuiationem, ſeu deordinationem ab vltimo fine, dicit carentiam formæ, ſeu formalitatis, quæ formaliter conſtituit virtutes etiam infuſas cum aptitudine ad habendã eandem formam, ſeu formalitatem; illa etenim entitas, quæ ordinatur à voluntate praua ad malum finem; importat deuiationem ab vltimo fine, & poteſt à voluntate recta ordinari ad vltimum finem; quia per eandem entitatem phyſicam poſſumus recedere, & tendere in Deum, vt *ſup.* dictum eſt; virtutes autem etiam infuſæ formaliter important ordinationem in vltimum finem; vt probatum eſt *q.1. de Virt.art.1.§.1.*, *& art.7.. & 8.*, ergo illud, quod importat deuiationem, ſeu deordinationem ab vltimo fine, opponitur priuatiuè virtutibus etiam infuſis. Prob.mi. Quod importat difformitatem ad legem æternam, importat deuiationem, & deordinationem ab vltimo fine; lex enim æterna præcipit actus bonos, quibus tendimus in vltimum finem; & vetat actus malos, quibus recedimus ab vltimo fine; ſed vitia etiam ex receſſu à motiuo virtutis acquiſitæ important difformitatem ad legẽ æternam; quia lex æterna præcipit omnes actus virtutum etiam acquiſitarum; ergo vitia etiam ex receſſu à motiuo virtutis acquiſitæ important deuiationem, ſeu deordinationem ab vltimo fine. Tum quia ſi vitia etiam ex receſſu à motiuo virtutis acquiſitæ non importarent deuiationem ab vltimo fine, ſequeretur, quòd non eſſent peccata; quia peccatum formaliter definitur *auerſio à Deo*, auerſio autem idem eſt, ac deuiatio; vnde ſi quis adulteraret ſolùm cogitans de pudicitia, cui adulterium opponitur, & nihil cogitans de Deo prohibente adulterium, non auerteretur à Deo, & ſic non peccaret; ſed hoc eſt abſurdum in fide; ergo vitia etiam genita ex receſſu à motiuo virtutis acquiſitæ importaut deuiationem ab vltimo fine. Tum quia vitia genita ex receſſu à motiuo virtutis infuſæ ſunt rariſſima, & grauiſſima, & ideo vocantur etiam Diabolica, vt aiũt *Aduerſarÿ*, inter quos *noſter Gibb.vbiſ. dub.1.n.1.*, ergo eſſent rariſſima peccata, quæ important deuiationem à Deo; quod eſt falſiſſimum.

12 Conſ. Oppoſitio, quæ eſt inter affirmationem, & negationem rei cum aptitudine; eſt priuatiua, vt patet, ſed virtutes dicunt tendentiam ad vltimum finem per modum affirmationis; & vitia per modum negationis, quia virtutes poſitiuè tendunt in Deo; vitia verò recedũt, & fugiunt à Deo; receſſus autem, & fuga negationem important, idẽſt nõ tendentiam; & aliunde voluntas recedens eſt capax tendendi; ergo oppoſitio, quæ eſt inter virtutes, & vitia, eſt priuatiua.

13 Prob. 4. *cont. Auctores 3. ſent.* Vitium genitum ex receſſu à motiuo virtutis naturalis acquiſitæ opponitur virturi acquiſitæ; ergo & virtuti infuſæ. Ant. eſt doctrina *Aduerſariorum*. Prob. conſ. Virtus acquiſita eſt illa, quæ eſt contraria rectæ rationi naturali; ratio autẽ naturalis eſt recta, quando eſt conformis legi æternæ; quæ eſt prima regula omnis rectitudinis, & ſicut actio phyſica creaturæ eſſentialiter dependet à creatura, tanquam à cauſa ſecunda efficiente, ſed magis à Deo, tanquam à prima cauſa efficiente; ita actio moralis eſſentialiter dependet à recta ratione naturali, tanquam à regula ſecundaria, & à lege Dei æterna, tanquam à cauſa primaria; vt diximus *to.3. de Act. hum.q.5.art.1. §.1.* Nunc ſic. Quotieſcunque duo conformantur inter ſe; tunc ſi tertium diſcordet, & opponatur vni illorum, diſcordat etiam, & opponitur alteri; ſed recta ratio naturalis, & lex Dei æterna conformantur inter ſe; ergo quod diſcordat, & opponitur rectæ rationi naturali, diſcordat etiam, & opponitur legi Dei æternæ; atqui vitium genitũ ex receſſu à motiuo virtutis naturalis opponitur rectæ rationi naturali, quia opponitur virtuti naturali, quæ ſumitur à recta ratione naturali; ergo opponitur etiam virtuti ſupernatrurali; quia opponitur legi æternæ ordinanti actiones in finẽ ſupernaturalem, à qua lege ſumitur virtus ſupernaturalis.

14 Conſ.1. Regulæ moralitatis ſunt recta ratio, & lex Dei æterna; vt fatentur etiam *ipſi Aduerſarÿ vbiſ.*, qui propterea *hic* videntur ſibi parum conſtare; ergo impoſſibile eſt, quòd vitium diſcordet à recta ratione, & non à lege Dei æterna, aliter recta ratio, & lex Dei non eſſent conformes inter ſe; ſed prout diſcordat à recta ratione, dicitur opponi virtuti naturali, quia virtus naturalis ſumitur ab ordinatione rectæ rationis; ergo prout diſcordat à lege Dei æterna, opponitur virtuti ſupernaturali, quæ ſumitur ab ordinatione legis ęternæ ordinantis in finem ſupernaturalem. Atqui iſta oppoſitio eſt per defectum à regula; & oppoſitio per defectum eſt priuatiua; ergo vitium opponitur etiam virtuti ſupernaturali priuatiuè.

15 Dices.1. Vitium diſcordare tantùm à prima regula mediatè, non immediatè.

Sed contra eſt; actio creaturæ in genere phyſico eſt immediatè etiam à Deo; ergo virtus in genere moris eſt immediatè etiam à Deo, tanquam à prima regula; nam Deus eodem modo eſt primum efficiens, & vltimus finis omnium creaturarum; eſt enim *Alpha, & Omega*; ergo vitium immediatè diſcordat etiam à prima regula.

16 Dices 2. legem Dei ęternam duplicẽ eſſe; aliam naturalem, quæ ordinat res naturales in

in Deum, vt in finem naturalem; aliam ſupernaturalem,quę ordinat res ſupernaturales in Deũ, vt in finem ſupernaturalem,virtutes autem naturales regulari à recta ratione, & à lege Dei naturali, non ſupernaturali.

Sed cont. eſt .1. Lex naturalis eſt illa, quæ vniuerſaliter ordinat res naturales in eſſe phyſico in Deum, vt in finem naturalem; & ab hac ordinantur plantæ, animalia, & cętera entia rationis expertia; ergo ab iſta nequit deſumi moralitas; aliter etiam bruta, & alia animata,& inanimata haberent actiones laudabiles, & vituperabiles in genere moris; quod nullus dicere auderet; ergo à lege naturali nequit regulari virtus moralis. 2. Vel iſta lex naturalis eſt conformis legi ſupernaturali,à qua de facto ordinantur omnes bonæ actiones hominis in finem ſupernaturalem, vel eſt difformis? Si primum, ergo recurrit arg., vitium enim, quod opponitur legi naturali,opponitur etiam ſupernaturali.Si ſecundum,ergo Deus non eſſet ſibi conformis,ſed daretur in ipſo difformitas, & diſcordia, quod eſt impium. Tum quia ſicut natura non repugnat gratiæ,ſed concordat tanquam perfectibile cum ſuo perfectiuo, licèt altioris ordinis, ita lex naturalis concordat cum ſupernaturali.

17 Conf. 2. Virtus acquiſita,& infuſa non differt ſpecie inter ſe,ſed tantùm quoad modũ producẽdi,quia infuſa producitur tãtùm à Deo; acquiſita verò producitur à Deo cooperante creatura; vt diximus *de Virt.vbiſ.art.8.*, ſed vitia opponuntur virtutibus acquiſitis, ergo & infuſis; nam ignorantia rerum phyſicarum, quæ opponitur phyſicę acquiſitæ,opponitur etiam ei, ſi infundatur; & cæcitas, quę opponitur viſioni naturaliter elicitæ, opponitur etiam viſioni à Deo reſtitutæ; quia ſpecie non differunt.

18 Tandem euertitur præcipuum motiuum *Aduerſariorum.* Si vitia non opponerentur virtutibus infuſis, maximè, quia poſſent ſtare ſimul cum illis;poſſunt enim ſtare ſimul cum gratia iuſtificante, cum qua infunduntur virtutes ſupernaturales; vt patet in recenter iuſtificato; qui ſentit eandem facilitatem, & inclinationem ad actus vitioſos,quam antea ſentiebat; vt videtur docere *D.Tho.in 4.diſt.14. q.2.art.2. ad 4.*, ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. Prob. min. Vitium, ſeu habitus vitioſus nihil aliud eſt, quàm actus peccati firmiter radicatus, & permanens in potentia, quia omnis habitus acquiſitus nihil aliud importat formaliter, quàm actum firmiter radicatum, & fixum in potentia; vt ſatis probatum eſt *q.de Habitib art.2. cum Fund.Doct.*, ſed actus peccati nequit ſtare ſimul cum gratia iuſtificante; vt fatentur *Aduerſarij*, ergo nequit ſtare ſimul cum virtutibus infuſis cum gratia iuſtificante connexis. Meliùs ergo explicatur *ab aliquibus S. Doctor.* quòd in recenter iuſtificato manet eadem facilitas membrorum ad peccandum, quæ facilitas non eſt habitus,ſed quædam aſſuefactio ad talem actionem; vt diximus *vbiſ. art. 8;* non autem quòd remaneat vitium ſimul cum gratia, quapropter *q.1.de Virt.in com.art.10. ad 16,* ait, quòd *actus contritionis corrumpit vitium, ex virtute gratię; & ſolùm remanet, quaſi diſpoſitio quædam;* vbi non ait *diſpoſitio;* ſed *quaſi diſpoſitio,* quia ſcilicet inclinatio,& facilitas membrorum, quaſi diſponunt extrinſecè ad cadendum. Inclinatio autem eſt à natura, quæ ſemper ad malum eſt curua; talis tamen inclinatio comprimitur à gratia, quæ inclinat ad bonum; vnde ſi in iuſtificato eſt gratia inclinans ad bonum,apertè ſequitur in illo non eſſe eandem facilitatem ad malum; quia faciliùs peccat nullam habens inclinationem ad bonum, vt eſt peccator carens gratia, quàm habens inclinationem ad bonum, vt eſt iuſtificatus; quia inclinatio ad bonum retrahit voluntatem ab inclinatione ad malum; à qua retractione reſiſtente inclinationi ad malum cauſatur difficultas ad agendum malum. Si autem gratia iuſtificans infundatur intensè, tunc tollitur omnis inclinatio ad malum, vt fuit *in D. Magdalena, & D.Paulo;* quidquid dicant *noſter Gibb.,& alij; de quo ſuo loco.*

19 Obijc. 1. *Scriptura vbiſ.* ait: *Malum eſt contra bonum: & Beatiſſ.P. lib.Categ. c.*18.docet malum opponi bono contrariè; & ſubdit iniuſtitiam, quæ eſt vitium, & per conſequens mala, opponi iuſtitiæ, quæ eſt virtus; et ideo moraliter bona, et hoc cum *Phil.ibid.*, et loquitur de contrarietate, prout eſt ſpecies oppoſitionis contradiſtincta ab oppoſitione relatiua, priuatiua,et contradictoria, et per conſ. loquitur de contrarietate ſtrictè ſumpta; ergo virtutes,et vitia opponuntur contrariè contrarietate ſtrictè ſumpta,

20 Huic doctrinæ contradicit id, quod docet idem *Beatiſſ.P. tract.1.in Io.*, vbi ait, quòd peccatum eſt nihil, malum autem morale,ſeu vitium eſt peccatum; bonum verò eſt ens, et aliquod poſitiuum; ſed inter nihil, et ens non datur oppoſitio contraria, quæ eſt ſolùm inter duo entia poſitiua; ergo inter malum,et bonum, ſeu vitia,et virtutes non datur ſtricta contrarietas. Præterea *plurimis in locis* peccatum vocat *defectum,* qui eſt idẽ,ac non ens,ſeu carentia entitatis, ſed inter ens, & non ens, ſeu carentiam entitatis, non datur contrarietas; ergo idem, quod ſupra.

21 Reſp.hoc eſſe diſſoluendum ex doctrina, quam ſubtiliſſimè tradit *lib.Categ. vbiſ.* Ait ergo, quòd oppoſitio priuatiua, & contradictoria in hoc differunt ab oppoſitione relatiua, & contraria, quòd priuatiua, & contradictoria debent eſſe de eodem ſubiecto; relatiua verò, & contraria debent eſſe de diuerſis ſubiectis; quiquid ſit, an forma, ſecundùm quam illa diuerſa ſubiecta opponuntur, ſit poſitiua in vtriſque, vt calor in igne, & frigus in aqua; vel in vno ſit forma poſitiua, & in alio ſit negatio, vel priua-

ua-

uatio, vt v.g. negatio viſionis in lapide, & viſio in homine non opponuntur contradictoriè; quia dicuntur de diuerſis ſubiectis; neque priuatiuè, quia lapis non eſt capax recipere viſionem, quæ eſt in homine; neque relatiuè, vt parer; ergo remanet, quòd oppoantur contrariè, quanuis enim oppoſitio contraria non ſit inter rem, & negationem ipſius, attamen eſt inter duas res poſitiuas, quãuis in vna ſit negatio, & in hoc ſenſu verificatur, quòd contrarieras eſt inter duo extrema poſitiua, vel habentia diuerſam formam, ſecundùm quam contrariantur, & quarum vna expellit aliam, vel habentia formam, & negationem ipſius. Sic priuatio, qoæ eſt in vna materia, non opponitur priuatiuè formæ, quæ eſt in alia materia, quia non eſt de eodem ſubiecto, ſed tanrùm priuatiuè opponitur formæ, quæ poteſt recipi in ipſa, in qua eſt priuatio. Quapropter concludit docens, qoòd aliud eſt dicere *cacitas, & viſio*, & aliod *cacum eſſe, & videntem*; & ideo nec dici, nec opponi eodem modo his verbis: *Inter hac meminiſſe nos conuenit aliud eſſe viſionem, & cacitatem, aliud habere viſionem, & ea eſſe priuatũ, ne ſi hac eadem eſſe iudicemus, confundi ratio videatur. Quòd ſi quis hoc dubium putet, aut parum certum, quid nanque rem ſequatur, aduertat. Etenim ſi eſſet idem cacus, & cacitas, de vno vtraque dicerentur. Dicimus autem hominem cacum, ſed homo dici cacitas non poteſt. Claret igitur aliud cecum eſſe aliud cacitatem.*

22 Ex hac doctrina reſoluitur arg. diſt. ant. Malum, et bonum; vitium, et virtus opponuntur contrariè, concretè, prout reperiuntur in diuerſis ſubiectis poſitiois, conc., abſtractè, neg. quapropter *Beatiſs. P. vbiſ.* non ait *iuſtitiam* opponi contrariè *iniuſtitia*, ex abſtracto, ſed *iuſtum iniuſto* in concrero, concretum autem inuoluit formam poſitiuam, vt paret, et ideo non opponitur priuatiuè. Quando igitur dicimus virtutes, et vitia priuatiuè opponi, loquimur de illis abſtractè, non concretè ſumptis.

23 Obijc. 2. Vitia pugnant directè cum virtutibus acquiſitis; ergo non cum infuſis; *nam ex Phil. 1. Met. t. 14: vnum tantùm vni contrariatur.*

24 Si dicatur liberalitatem directè opponi auaritiæ, et prodigalitati.

Inſt. *Godoy* opponi tantũm inadæquatè his duobus vitijs, vitium autem nequit oppooi inadæquatè virtuti acquiſitæ, et infuſæ, quia virtus ex eo, quòd conſiſtat in medio duorum extremorũ, ideo iſtis inadæquatè opponitur, vitiũ verò non cõſiſtit in medio virtutis acquiſitæ, & infuſæ, ideo non opponitur illis inadæquatè.

25 Sed hæc inſtantia nihil eſt, nam qoanuis prodigalitas non conſiſtat in medio liberalitatis, et auaritiæ, eſt enim extremum, attamen opponitur liberalitati, et auaritiæ, ergo ſola ratio medij non facit, quòd vnum opponatur duobus.

26 Reſp. tamen neg. ſupp. conſinam virtus infuſa, et acquiſita non ſunt duæ virtutes ſecundùm entitatem, vt diximus *vbiſ.* Ad prob. dicitur virtutem acquiſitam, et infuſam eſſe vnã, et eandem ratione finis, et differre ſolùm ratione modi producendi, vt dicrum eſt.

27 Obijc. 3. *ex eod. Godoy.* Contrarietas vitij cum virtute colligitur ex contrarietate actus virtutis cum actu vitioſo; ſed actus vitioſus recedens directè à motiuo virtutis acquiſitæ, opponitur ſolùm indirectè actui virtutis infuſæ; ergo vitium genitum ex receſſu à motiuo virtutis acquiſitæ opponitur ſolùm indirectè virtuti infuſæ. 2. In recenter iuſtificato remanet habitus vitioſus ſimul cum virtutibus infuſis; ergo non opponuntur directè; nam habitus vitioſus acquiſitus per plures actus non deſtruitur per vnum actum virtutis. Sic iuſtus peccans non amittit ſtatim virtutes acquiſitas, & infuſas; & ſtatim acquirit eandem facilitatem ad peccandũ.

Reſp. ad 1. eodem modo neg. ſupp. mi; nam contrarietas vitij, & virtutis ſumitur per ordinem ad finem, à quo receditur, & acceditur, qui finis idem eſt reſpectu virtutis acquiſitæ, & infuſæ, vt dictum eſt. Ad 2. neg. ant., quamuis remaneat facilitas in membris; ponitur tamen à gratia in potentia reſiſtentia ad peccandum. Ad prob. diſt. Habitus vitioſus non deſtituitur per vnum actum virtutis informatæ à charitate, quæ nequit eſſe cum peccato, neg., non informatæ charitate, ſed ſolùm aliquo auxilio actuali, conc. Ad aliud quoque diſt. Non amittit ſtatim virtutes quoad entitatem phyſicam, conc., quoad ordinationem formalem, neg., & quia remanet illa entitas phyſica firmiter indicata; ideo peccans habet eandem facilitatem, quam habebat, antequam iuſtificaretur; nam illa entitas ſtatim ordinatur per peccatum ad prauum finem, & fit habitus vitioſus, ſicut à charitate ordinatur ad Deum, & fit virtus: ergo non remanent nec virtutes formaliter cum peccato; nec habitus vitioſi cum charitate; ſed remanet tantùm illa entitas materialis communis habitui malo, & virtuti, & ſic faciliter ſoluuntur obiectiones, quæ ægrè ſoluuntur *à Recentioribus.*

27 Obijc. 4. Actus vitij, prout opponitur virtuti acquiſitæ, eſt per receſſum à motiuo naturali; & virtus infuſa eſt ex motiuo ſupernaturali; ergo non opponitur directè virtuti infuſæ. 2. Oppoſita debent eſſe in eodem genere, & in eodem ſubiecto; ſed vitium, & virtus infuſa non ſunt in eodem genere, & in eodem ſubiecto; ergo virtus, & vitium non opponuntur directè. Prob. min., nam vitium eſt in ordine naturali; quia nihil deformitatis moralis eſt in ordine ſupernaturali; virtus autem eſt in ordine ſupernaturali; & ideo ſunt in diuerſo genere. Item virtus infuſa eſt tantùm in potentia obedientiali, tanquam in ſubiecto; & vitium eſt in potentia naturali; ergo non ſunt in eodem ſubiecto.

Reſp. ad 1. neg. ant. vt *ſup.* dictum eſt; nam vi-

vitium deordinat à fine ſupernaturali. Ad 2. neg. mi. Ad prob. dicitur vitium eſſe defectiuè ab ordine ſupernaturali; & hoc ſufficit ad oppoſitionem priuatiuam. Præterea ordo naturalis, & ſupernaturalis non conſtituunt duo genera; quia idem genus intellectiuum continetur in vtroque ordine. Ad aliud dicitur, quòd potentia obedientialis non eſt aliqua entitas diſtincta à potentia naturali, ſed eſt eadem entitas potentiæ naturalis; prout habet obedire Creatori.

29 Obijc. 5. Vitium, & virtus important aliquod poſitiuum; ergo non opponuntur priuatiuè.

Reſp. diſt. ant. Si conſiderentur concretè, conc; abſtractè, neg.

30 Inſt. Ex eo, quòd aliquis careat aliqua virtute, non dicitur habere vitium oppoſitum, v. g. ex eo, quòd aliquis non habeat virtutem, miſericordiæ, non dicitur eſſe crudelis; ergo vitium non conſiſtit in ſola priuatione virtutis, ſed importat aliquod poſitiuum diſtinctum à poſitiuo, quod importat virtus.

Reſp. hoc eſſe diſſoluendum *inf. q. 4. art. 6.* Interim diſt. ant. ex eo, quòd aliquis careat aliqua virtute cum debito habendi illam, ſeu exercendi actus illius, neg; ſine debito, conc; ex eo enim, quòd aliquis eliciat entitatem phyſicã actus erga pauperem, tenetur illi miſericordiam præſtare, vel ſaltem velle, ſi pecuniæ deficiant; quòd ſi non faciat, actum vitioſum producit vel crudelitatis, vel extremi oppoſiti crudelitati, quod pariter vitium eſt.

31 Quæres; an virtutes, & vitia poſſint ſtare ſimul ſaltem in gradibus remiſſis; ſicut ſtant ſimul calor, & frigus?

Reſp. virtutes non poſſe ſimul eſſe cum vitijs, quæ illis opponuntur; nam priuatiuè opponuntur, priuationem autem, & formam impoſſibile eſt ſimul eſſe. Cum vitijs verò diſparatis poſſunt ſimul ſtare virtutes, informes tamen, quia charitas habitualis, quæ illarum eſt forma, nequit ſimul eſſe cum peccato.

A R T. II.

An omne vitium ſit contra naturam?

1 OCcaſionem huius difficultatis ſumpſerunt *Theologi* ex doctrina *Beatiſs. P. Aug.*, qui impugnans errorem *Manichæorum* admittentium duas naturas, vnam bonam, alteram malam, ſæpiſſimè, imò continuò aſſerit malum non eſſe aliquam naturam, ſed eſſe vitium, ſeu defectum naturæ, quod eſt contra naturam. Hinc *lib. 11. de Ciu. Dei c. 17.* ait: *Vitium autem ita contra naturam eſt, vt non poſſit, niſi nocere naturæ.* Dicitur autem contra naturam, non quòd ſimul cum natura ſtare non poſſit, quomodò de contrarijs phyſicè oppoſitis dicitur, quæ mutuò ſe expellunt; *omne enim vitium in aliqua natura eſt, qua bona eſt*; vt docet *lib. de Nat. boni*, & *in ſuppl. cont. Iul*; ſed quia eſt contra bonum, cuius eſt capax natura, & quod naturæ poteſt competere; ſed dicitur contra naturam, quia eſt contra naturalem inclinationem creaturæ intellectualis ſiue Angelicę; ſiue humanæ. Quoniam autem natura hominis nedum eſt rationalis, in quo conuenit cum angelis; ſed etiam ſenſitiua, in quo conuenit cum brutis; inquiritur, an peccatum ſit cõtra naturam hominis nedum, vt eſt rationalis, ſed etiam vt eſt ſenſitiua.

2 Prima ſententia vult peccata, quæ directè recedunt à ratione naturali, & aduerſantur virtutibus acquiſitis, eſſe contra naturam rationalem, prout rationalis eſt, non autem peccata, quæ recedunt à motiuo ſupernaturali, & opponuntur virtutibus infuſis. *Ita Med. hic in Com. huius art.* Sed hæc ſententia nititur falſo ſuppoſito, vt dictum eſt *in ſup. art.*, nam vitium in hoc ſenſu eſt monſtruoſitas phyſica, non moralis, vt docet *Fund. Doct.*, & reijcitur rationibus allatis *ibid.*

3 Secunda vult nullum peccatum eſſe contra naturam, prout rationalis eſt. Tribuitur *Bellarm. lib. 5. de peccat. c. 15.*, & *Merat. hic diſp. 2. ſect. 2. apud noſtrum Gibb.*

4 Tertia vult peccata non eſſe contra naturam hominis, quatenus ſenſitiua eſt; ſed diuiſa eſt; *alij* enim putant naturam ſenſitiuam naturaliter inclinare in malum, quod eſt malum per accidens; ſcilicet quia prohibitum; vt fornicationem, adulterium, comeſtionem &c; non autem in malum eſſentialiter tale, vt mendacium, furtũ &c. *Ita Med; noſter Petrus Cornejo apud Gibb.* quibus accedit *Victoria*, & *Sot. lib. 2. de nat.*, & *Grat. c. 3. apud Godoy*; qui tamen ait hos intelligẽdos eſſe de malo materialiter, nõ formaliter sũpto; *vt inf. Alij* volunt naturam ſenſitiuam inclinare in malum materialiter ſumptum, idèſt in obiectum ſenſibile delectabile, quod ſecundùm ſe non eſt peccaminoſum, ſed tantùm accedente conſenſu libero voluntatis; non autem inclinare in malum formaliter, quia potentia ſenſitiua non tendit formaliter in malum, in quod tendit ſola voluntas, quæ tendit in bonum. *Ita Bellarm. vbi ſ., Sot., Vict., Zum., Lorc., Car., Monteſin., Granad.* & *ex noſtris M. Bernardin.*, & *Gibb. apud quem alij*; & *Vaſq.* inclinat *hic diſp. 110. c. 5. n. 10. teſte Godoy. Alij* volunt peccata eſſe contra naturam ſenſitiuam, quatenus nata eſt obedire rationi, non autem quatenus ſecundùm ſe conſideratur. *Ita Martinez, Araujo, Monteſ. apud Godoy*; qui illos ſequitur *hic diſp. 18. §. 1.*, *noſter Gibb. vbi ſ.*, qui docet hanc eſſe ſententiam communem.

4 Noſtra tandem ſententia docet peccatum eſſe contra naturam, quatenus rationalem, & quatenus ſenſitiuam, quæ non inclinat in peccatum, quatenus natura eſt, ſed quatenus infecta peccato. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 21. q. 1. ar. 4;*

vbi

vbi ait; *Nam actus voluntatis contra rationem factus duo cauſat; cauſat enim in potentia illa, cuius eſt actus, habilitatem ad malum, vel inhabilitatem ad bonum. Ex hoc patet, quomodo Aug. 12. de Ciu. Dei c. 1. vult, quòd omne vitium naturæ nocet, ac per hoc contra naturam eſt*. Deinde: *Cùm caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, quia hoc non poteſt eſſe ſine corruptione naturæ, & corruptio naturæ eſſe non poteſt ſine aliquo vitio*. Hæc profectò eſt ſententia *Beatiſs. P. Aug. in omnibus libris contra Iul.* & præcipuè *in Suppl. lib. 1. c. 70.*, vbi ait loquens *de Adamo* in ſtatu innocentiæ: *Remanet ergo, vt ſi libido ibi* (idèſt in Paradiſo) *eſſet, ita eſſet ſubdita voluntati, vt rectã, quietamq; mentẽ, nec ad delictum traheret, nec ad prælium prouocaret; & ſpiritum obedientem Deo, & fruentem Deo nec peccare, nec pugnare compelleret. Quæ quoniam nunc talis non eſt, ſed ipſa licita inhianter, non obtemperanter appetit; in illicitis autem vel ſpiritum deijcit, vel contra ſpiritum concupiſcit. Agnoſcite malum vitiata integritate naturæ contractum.* Quibus verbis manifenifeſtè docet concupiſcentiam, quæ eſt appetitus ſenſitiuus, acquiſiuiſſe inclinationem ad malum ex peccato originali; vnde inclinatio ad malum non eſt naturalis, idèſt naturaliter inſita à Deo naturæ ſenſitiuæ, ſed eſt ei pœnalis, quia ei fuit inflicta in pœnam peccati; quapropter natura ſenſitiua præcisè, vt ſenſitiua, non habet inclinationem ad malum, ſed tantùm quatenus viciata; nam natura ſenſitiua fuit in Chriſto Domino, in quo tamen nulla illicita concupiuit, quia non habebat diſcordiam carnis, & ſpiritus ortã, ex præuaricatione *Adæ*; vt docet *ibid. lib. 4. c. 51*. Hanc doctrinam ſæpe repetit *Fund. Doct.* Igitur.

5 Not., quòd inclinatio naturæ in Deum tanquam in vltimum finem, & ſummum bonum, contra quam eſt peccatum, quod cauſat inclinationem in malum, duplex eſt; vt diximus *to. 3. de Aug. q. 1. art. 3. cum Fund. Doct.* Alia remota, & radicalis, per quam natura non poteſt proximè prorumpere in actum, ſed neceſſariò indiget adiutorio gratiæ, à quo eleuetur, & adiuuetur ad productionem actus tendentis in Deum, vt vltimum finem. Alia eſt inclinatio proxima, & immediata, per quam abſque alia re producitur actus tendentiæ in Deum. Prima inclinatio nihil aliud eſt, quàm capacitas, & aptitudo naturaliter inſita creaturæ à Deo ad recipiendã gratiam, per quam poteſt actu tendere in Deum; & contra hanc inclinationem dicimus eſſe peccatum, quæ inclinatio cùm ſit naturalis, ideo dicimus peccatum eſſe contra naturam. Altera autem inclinatio eſt omnino gratuita, & ſupernaturalis, & etiam contra iſtam eſt peccatum, quia peccatum opponitur gratiæ.

6 Quamuis autem natura, quatenus ſenſitiua, prout non coniungitur cum natura rationali, non habeat inclinationem, ſeu capacitatem ad tendendum in Deum, vt in finem ſupernaturalem, attamen appetitus ſenſitiuus, quatenus coniunctus cum intellectiuo, poteſt eleuari ad tendendum in aliquod ordinatum ad Deum, vt ad finem ſupernaturalem, quia poteſt quis appetere virtutes in illo ſubiectatas, & bonum, quod eſt obiectum virtutum, quæ omnia ordinantur in Deum, vt in finem ſupernaturalem; vt diximus *de Virtutib. art. 7.*

7 Vnica concl. Peccatum eſt contra naturam hominis nedum, quatenus rationalis, ſed etiam quatenus ſenſitiua eſt.

Prob. 1. *ex illo Gen. 1. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona; & Eccli. 7. Deus fecit hominem rectum ab initio.* Ex quo ſic. Malum eſt contra naturam boni; nam malum opponitur bono, ſicut falſum opponitur vero; ſed peccatum eſt malum, & natura hominis nedum quatenus rationalis, ſed etiam quatenus ſenſitiua, fuit à Deo creata naturaliter bona; ergo peccatum eſt contra naturam hominis, quatenus eſt rationalis, & quatenus ſenſitiua. Item natura recta eſt illa, quæ eſt ordinata ad bonum finem, ad quem inclinat; ſed peccatum dicit declinationem à bono fine, cùm ſit malum; ergo peccatum eſt contra naturam rectam; atqui homo fuit creatus cum natura recta tum intellectiua, tum ſenſitiua; ergo peccatum eſt contra naturam hominis nedum quatenus eſt intellectiua, ſed etiam quatenus ſenſitiua.

8 Conf. Creatura rationalis, quatenus eſt rationalis, & quatenus ſenſitiua ſicut eſt ex ſua natura producibilis à Deo, tanquam à cauſa efficiente; ita eſt ordinabilis ad Deum, tanquam ad vltimum finem; Deus enim eſt principium, & finis omnium creaturarum; ſed peccatum eſt cõtra ordinabilitatem ad Deum, tanquam ad vltimum finem; definitur enim deordinatio, deuiatio, ſeu auerſio à Deo, tanquam ab vltimo fine; ergo peccatum eſt contra naturam hominis, quatenus eſt rationalis, & quatenus ſenſitiua. Iſta tamen ordinabilitas naturalis eſt remota, quæ non reducitur ad actualem ordinationem, niſi per gratiam, vt dictum eſt de inclinatione.

9 Prob. 2. *ex Beatiſs. P. vbiſ.* Quod eſt nociuum alicui, eſt contra naturam illius; ſic illud dicitur contra ſanitatem, quod nocet ſanitati, ſed peccatum eſt nociuum naturæ hominis, quatenus eſt rationalis, & quatenus eſt ſenſitiua; quia illam excæcat, hanc inficit, vtranque deordinat, & peruertit, & priuat virtutibus, quæ ſunt perfectiones vtriuſque, & nequeunt ſtare cum peccato, quia debent informari charitate; tandem priuat beatitudine æterna, quæ eſt ſumma perfectio; & affert æterna ſupplicia, quæ ſunt ſumma miſeria; ergo peccatum eſt contra naturam hominis, quatenus eſt rationalis, & quatenus eſt ſenſitiua.

10 Prob. 3. Homo ex ſua natura habet, quòd operetur nedum intellectualiter, ſed etiam ſenſibiliter

biliter

biliter iuxta rectam rationem; nam recta ratio eſt lumen naturaliter inditum homini à Deo, vt rectè operetur; ſed peccatum eſt operatio contra rectam rationem, deuiat enim, & diſcordat à recta ratione; ergo peccatum eſt contra naturam hominis, nedum quatenus intellectiua, ſed etiam quatenus ſenſitiua.

11 Prob.4. *ex eod.c.70. vbiſ.* Si vitium non eſſet contra naturam, maximè, quia natura per appetitum rationalem, vel ſenſitiuum naturaliter appeteret malũ; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. Ma. eſt ratio *Aduerſariorum*. Prob.mi. Si natura per appetitum rationalem, vel ſenſitiuum naturaliter appeteret malum, ſequeretur, quòd hunc appetitum habuiſſet ab inſtanti ſuæ conditionis; quæ enim naturaliter competunt, ſunt à Deo naturaliter inſita; & ideo habentur ab inſtãti ſuę cõditionis; ſed natura rationalis nõ habuit ab inſtanti ſuæ conditionis appetitum ad malum, quia illi non fuit inſitus à Deo, aliter in ſtatu innocentiæ non fuiſſet creata humana natura cum originali iuſtitia, & beatitudine propria illius ſtatus; nam iuſtitia, & beatitudo conſiſtebat in pace, & tranquilla ſubiectione vtriuſque appetitus ad rationem; ſi autem fuiſſet inclinatio appetitus ad malum, iam fuiſſet rebellio, rixa, & ſeditio, ſicut eſt modò; *& ſtimuli libidinis turbaſſent quietè illius fœliciſſimi ſtatus, quorũ alterũ honeſtati, alterum paci felicitatis illius conuenire non poteſt*; ergo natura per appetitum rationalẽ, vel ſenſitiuum non appetit naturaliter malum.

12 Conf. Conflictus membrorum cum ratione, libido, & quæcunque alia inclinatio ad malum ſunt effectus peccati originalis; *vt inf.*, ergo natura rationalis, & ſenſitiua ſecundùm ſe præciſè non habet naturaliter inclinationem ad malum; nam quæ acciderunt naturæ ex peccato, ei conueniunt voluntariè, non naturaliter; idêſt non ex vi ipſius naturæ, ſed ex peruerſitate ipſius voluntatis; quia peccatum fuit volũtarium.

13 Vrgetur. Si natura rationalis, aut ſenſitiua ſecundùm ſe præciſè ex vi propria inclinaret ad malum morale; ſequeretur, quòd natura eſſet moraliter mala; ſed conſequens eſt abſurdum; nam Deus eſſet Auctor mali; & *omnia quæ fecerat, non eſſent valde bona*; nec *feciſſet hominẽ rectum*; ergo & ant. Prob. ſeq. In tantùm concupiſcentia carnis eſt mala, in quantùm inclinat ad malum morale; vt ſæpè inculcat *Beatiſſ. P. cont. Iul.*, ſicut concupiſcentia inclinans ad bonum bona eſt; quælibet enim potentia ſpecificatur, & denominatur ab obiecto, in quod tendit; ſed natura rationalis, & ſenſitiua ſecundùm ſe præciſè ex vi ſuæ entitatis naturalis inclinaret ad malum morale; ergo eſſet moraliter mala.

14 Deinde. Admittere concupiſcentiam carnis eſſe naturalem, fuiſſe in Paradiſo, nõ eſſe peccaminoſam, ſtetiſſe ſimul cũ originali iuſtitia, eſt dogma *Pelagianorum* negantium peccatum originale, & conſequenter effectus illius, inter quos eſt concupiſcentia carnis; vt patere poteſt *ex libris Beatiſs.P., D. Hier., & aliorum Catholicorum*, qui ſcripſerunt contra hos hæreticos; ſed inclinatio ad malum eſt concupiſcentia carnis; ergo naturalis inclinatio ad malum non niſi *cum Pelagianis* poteſt ſuſtineri.

15 Aliæ autem rationes, quibus *Recentiores* probant hanc concluſionem; quæ vel procedunt de appetitu proximo innato, & elicito, quo rationalis natura inclinatur ad actus virtutum, quia vnaquæque res inclinatur naturaliter ad operationes ſibi conuenientes ſecundùm ſuam propriam formam; actus autem virtutum ſunt operationes conuenientes naturæ rationali, vt rationalis eſt; & ideo natura rationalis naturaliter inclinatur ad bonum virtutum, & per conſequens ad fugam vitiorum. Vel procedunt de appetitu beatitudinis in vniuerſum, quo quilibet tendit in bonum ſibi conueniens, & fugit à malo, quod ſibi diſconuenit; omittuntur. Prima quidem, quia iam reiecta fuit *to.1. de Inuiſib. Dei q.1.art.5.*, vbi ſatis diximus de appetitu natnrali, & elicito. Secunda vero; quia beatitudo in vniuerſum includitur etiam in actu malo; nam peccator in tantùm peccat; in quantùm vult eſſe felix; & ideo hæc ratio non probat naturam rationalem recedere, & abhorrere naturaliter à peccato.

16 Obijc.1. *Gen.8.* habetur: *Senſus, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua; & Apoſt. Rom.7. Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ; & ad Galat.5. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum; & Trid. ſeſſ.5. in decreto de peccato Orig.* de concupiſcentia habet: *Ab Apoſtolo peccatum appellatur, non quòd verè, & propriè peccatum ſit; ſed quia à peccato eſt, & ad peccatum inclinat*; ergo in natura rationali ſenſitiua datur inclinatio ad peccatum, quod propterea non eſt contra naturam, quatenus ſenſitiua eſt.

Reſp. hæc omnia faciliter ſolui ex dictis; procedunt enim de natura infecta per peccatum, à quo inclinatur ad malum; non autem de natura ſecundùm ſe, prout præciſa à peccato; inclinatio autem aduenions naturæ ex peccato non eſt ei naturalis, & inſita, ſed contranaturalis, quia eſt contra inclinationem naturaliter inditam à Deo ipſi naturæ; & ideo *his auctoritatibus* probatur potiùs oppoſitum, quàm propoſitum *ab Aduerſarijs*.

17 Obijc.2. Nequit eſſe in homine inclinatio naturalis ad bonum virtutum; ergo ex eo, quòd vitium ſit contra bonum virtutum, non arguitur eſſe contra naturam hominis. Prob. ant.1. Ex eo, quòd homo naturaliter tendat in bonũ, *vt ſic*, non indiget virtute ſuperaddita ad tendendum in illud; ſed homo indiget virtute ſuperaddita ad tendendum in bonum virtutis; ergo in illo non eſt inclinatio naturalis ad bonum virtutis. 2. Ex eo, quòd aliqua res naturaliter in-

inclinetur ad aliquod, non poteſt in illa dari inclinatio ad oppoſitum: v. g. ex eo, quòd lapis naturaliter inclinetur ad deſcenſum, nequit aſſueſieri ad aſcenſum; ſed homo poteſt aſſueſieri ad malum, quod opponitur bono, vt patet in peccatoribus habituatis; ergo in homine non datur inclinatio naturalis ad bonum virtutum. 3. Id, ad quod naturaliter inclinamur, pertinet ad legem naturę; ſed non omnes virtutes pertinet ad legem naturæ; plures enim ſola lege poſitiua præcipiuntur; ergo non datur inclinatio ad bonum omnium virtutum. 4. Principium indifferens ad actus oppoſitos non magis inclinatur in vnum, quàm in alterum; ſed in homine eſt libertas, quæ eſt indifferens ad bonum, & malum; ergo idem.

Reſp. diſt. ant. In homine nequit eſſe inclinatio naturalis per modum determinationis ad vnum, conc; per modum indifferentiæ, neg., quanuis enim guloſus v.g. inclinetur naturaliter ad comeſtionem; attamen quia talis inclinatio eſt cum indifferentia ad oppoſitum, ideo poteſt ab illa abſtinere. Ad 1. prob. dicitur quòd homo inclinatur in bonum, *vt ſic*, naturaliter per modum determinationis ad vnum; ideoque non eget virtute ad illud, quæ datur ſolùm ad actus liberos. Ad 2. eodem modo; lapis enim determinatè ad vnum inclinatur deorſum. Ad 3. diſt. ma. Id, ad qnod naturaliter proximè inclinamur, pertinet ad legem naturæ, conc; ad quod inclinamur remotè, neg. Ad 4. diſt. ma. Si vterque actus ſit æquè conueniens naturæ, conc; ſed neg. mi; ſi vnus ſit conueniens, alter diſconueniens, vt in caſu, neg.

18 Obijc. 3. Ex eo, quòd homo inclinet in in virginitatem, cui opponitur matrimonium, non ſequitur, quòd matrimonium ſit contra naturam hominis; ſic ex eo, quòd inclinet ad vitã, non ſequitur mortem non eſſe homini naturalẽ; ergo ex eo, quòd inclinetur in bonum, cui opponitur malum, non ſequitur malum eſſe contra naturam illius. 2. Voluntas inclinatur etiam in peccatum; aliter peccatum eſſet homini violentum, quia eſſet contra naturalem inclinationem illius; ergo à pari.

Reſp. ad 1. neg. conſ; nam matrimonium non opponitur virginitati, tanquam diſconueniens naturæ, aut tanquam imperfectio; ſicut bono opponitur malum. Ad 2. diſt. ant. Voluntas, vt voluntas eſt præcisè, neg; vt vitiata, conc. Nec per hoc, quòd peccatum ſit contra inclinationem voluntatis præcisè acceptæ, dicitur ei violentum; quia violentum præter eſſe contra internum impetum voluntatis, importat paſſum non conferre vim, ſed merè paſſiuè ſe habere; voluntas autem actiuè elicit peccatum.

19 Obijc. 4. Illud eſt contra naturam alicuius, quod eſt contra bonum naturale illius naturæ; dicitur enim contra naturam, quaſi contra id, quod naturaliter competit; ſed peccatum eſt contra bonum virtutis, quod ſupernaturaliter tantùm competit homini, quia eſt ſupernaturale; ergo non eſt contra naturam hominis.

Reſp. diſt. ma. Tantùm, neg; etiam, conc; nam illud dicitur contra naturam, quod aliquo modo nocet naturæ; & illud nocet naturæ, quod auertit aliquod bonum illius; bonum autem ſiue naturale, ſiue ſupernaturale eſt bonum naturæ, quanuis bonum ſupernaturale non ſit proximè exactum à natura, ſed tantùm remotè per ſimplicem capacitatem, & aptitudinem, quam natura habet ad illud; & ideo peccatum, quod auertit bonum ſupernaturale, rectè dicitur eſſe contra naturam.

20 Obijc. 5. Vitia non ſunt conformia, vel difformia naturæ ſenſitiuæ ſecundùm ſe præciſiuè acceptæ; quia malitia, & honeſtas non continentur intra latitudinem potentiæ ſenſitiuæ; aliter etiam bruta, in quibus eſt natura ſenſitiua, mererentur, & demererentur; ergo neque ſunt conformia, vel difformia naturæ ſenſitiuæ, prout eſt in homine. Ant. patet. Prob. conſ. 1. Potentia ſenſitiua etiam ex coniunctione ad rationem nequit tendere extra ſuum obiectum ſpecificatiuum formale attingendo obiectum rationis; aliter non eſſet ratio, cur oculus ex coniunctione ad intellectum non poſſet videre ſpiritum, qui eſt extra ſuum ſpecificatiuum formale, quod eſt coloratum; ergo vitia non ſunt conformia, vel difformia naturæ ſenſitiuæ etiam, prout eſt in homine. 2. Quia vniuerſale eſt extra obiectum ſpecificatiuum potentiæ ſenſitiuæ; ideo nequit attingi ab iſta etiam, prout coniuncta ad intellectum; ergo à pari. 3. Honeſtas, & malitia eſt quid ſpirituale; ergo nequit attingi à potentia ſenſitiua, quæ eſt corporalis. 4. Potentia ſenſitiua hominis, & bruti eſt eiuſdem rationis, ſed in brutis nequit attingere honeſtatem, & malitiam; ergo neque in homine.

Reſp. hoc arg. probare appetitum ſenſitiuũ non eſſe aptum obedire rationi, quod eſt falſum vt diximus *q. de Habitib. art. 8., & de Virt. q. 1. art. 3. n. 2.* Neg. ergo conſ. Ad 1. prob. dicitur, quòd obedientia appetitus ſenſitini non conſiſtit in tendere, vel non tendere extra ſuum ſpecificatiuum, ſed in tendere, & non tendere in ſuum ſpecificatiuũ formale, prout ratio dictat eſſe tendendũ, vel non tendendũ, v.g. vt tendat in cibũ, quatenus vitæ neceſſariũ, & non tẽdat, quatenus incitatiuũ ad venerea, & nociuũ ſpiritui, ex hoc autem non arguitur, quòd appetitus tẽdat in ſpiritum. Itaque neg. conſ., nam vitia non dicuntur difformia naturæ ſenſitiuæ eo, quòd natura ſenſitiua tendat extra ſuum ſpecificatiuum, hoc enim eſt impoſſibile, ſed quia ſunt contra obedientiam, quam natura ſenſitiua debet præſtare rationi. Ad 2. eodem modo neg. conſ; non enim potentia ſenſitiua rebellans à ratione tendit extra ſuum ſpecificatiuum, ſed è contra tendit in ſuum ſpecificatiuum contra impetium rationis.

Ad 3.dicitur potentiam ſenſitiuam non attingere honeſtatem præciſiuè,ſed potiùs bonum ſenſibile honeſtum. Ad 4; quòd obedientia non eſt aliquod eſſentialiter competens potentiæ sẽſitiuæ, *vt ſic*, ſed ei accidit ex ſubiecto.

21 Obijc.6. Natura ſenſitiua non habet inclinationem ad virtutes; ergo vitia virtutibus oppoſita non ſunt contra naturam. Prob. ant. 1. Virtutes ſunt ordinatiuè ſupernaturales; ergo natura ſenſitiua non habet inclinationem ad illas. 2. *ex noſtro Gibb.* Natura ſenſitiua inclinatur ad delectationes ſenſibiles; nam experientia cõſtat aliquos motus libidinis excitari circa delectabilia, quæ ſunt materiale peccati; vt aſpiciens ſuam matrem pulcram ſentit motus concupiſcentiæ erga illam; ergo nequit habere inclinationem ad abſtinentiam à delectabilibus,quæ eſt actus virtutis; aliter haberet duas inclinationes oppoſitas. 3. Virtutes ſunt aptæ obedire imperio charitatis; & tamen non habent inclinationem ad eliciendos actus charitatis; quos non poſſunt elicere; aliter inclinarent ad impoſſibile.

Reſp. diſt. ant. Non habet inclinationem proximam, conc., remotam, neg. Ad 1. prob. neg. conſ.,nam ad ſupernaturalia datur inclinatio remota, idèſt capacitas, & aptitudo. Ad 2. diſt. ant. Natura ſecundùm ſe præcisè, neg., vt vitiata, & corrupta, conc. Ad 3. dicitur *cum Beatiſs.P.de morib.Eccl.c.15.*, quòd omnes actus virtutum ſunt quodammodo actus charitatis; & ideo virtutes habentes inclinationem ad ſuos actus dicuntur habere inclinationem ad actus charitatis. Inquit autem *Beatiſs.P.* ſic. *Quòd ſi virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino eſſe virtutem affirmauerim, niſi ſummum amorem Dei; nanque illud, quod quadripartita dicitur virtus, ex ipſius amoris vario quodam affectu, quantùm intelligo, dicitur &c. Vt temperantia ſit amor integrum ſe præbens ei, quod amatur; fortitudo amor facilè tolerans omnia, propter quod amatur; iuſtitia amor ſoli amato ſeruiens, & propterea rectè dominans; & prudentia amor ea, quibus adiuuatur, ab eis, à quibus impeditur, ſagaciter ſeligens.*

ART. III.

An de ratione peccati ſit eſſe contra legem Dei?

1 HVius quoque cõtrouerſiæ motiuum ſumpſerunt *Auctores* ex *B.P.Ang.li.22.cont.Fauſt.c.27.*, vbi ait: *Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam*; & ex eo, quod docet *lib.1.de lib.arb.c.3.* dicens: *Alia ſunt mala, quia prohibita, & alia prohibita, quia mala.* Propter primum videtur contrarietas ad legem Dei eſse de ratione peccati, quia ponitur in eius definitione. Propter ſecundum videtur nòn eſse de ratione peccati, quia poteſt eſse peccatum etiam ſine tali contrarietate. Sed hæc res breuiter expedietur ex *alibi* dictis.

2 Prima ſent. vult contrarietatem ad legẽ æternam non requiri eſsentialiter ad rationem peccati, quia putat malitiam conſiſtere in contrarietate ad naturã rationalem. *Ita Vaſq. hìc diſp. 97.c.4.*, *Ariag. de Act.hum.diſp.19. ſect.1.*, *Amic. diſp.17.ſect.5.*, & referunt etiam *noſtrum Greg.*, *Scot.*, *Dur.*, *Ric.*, *Rub.*, *Gabr.*, *Palat.*

3 Noſtra tamen docet contrarietatem ad legem Dei ita eſse de ratione peccati, vt ſi illa non eſset, non eſset peccatum; adeoq; ſupradicta definitio eſt per eſsentialia, non per accidentalia. *Ita Fund. Doct. in locis cit. to. 3. de Act. hum. q.5. art.1. §.1; & in 2. diſt. 35. dub. 4. lit.*, vbi ait: *Dicendum, quòd ſi non eſſet interdictio, vel prohibitio, nullum eſſet peccatum; nam primò non eſſet peccatum aliquod, quia prohibitum, rurſus nullum eſſet peccatum, quod eſſet de ſe malum, quia omne tale peccatum prohibet ratio.* Ita *omnes Thomiſtæ, & alij*; quibus accedit *Maſtr. in 2. diſp.6. q.3. art.1.*, vbi vindicat *Scot.* à prima ſententia.

4 Sed videndum eſt ex *Beatiſs P.*, quid ipſe ſentiat, nullus enim ſuæ mentis eſt certior intérpres, quàm *idem ipſe.* Igitur illa verba allata *ex lib.1.de lib.arb. c.3.* ſunt prolata *ab Euodio*; qui loquens de adulterio ait: *Non ideo ſanè malum eſt, quia vetatur lege, ſed ideo vetatur lege, quia malum eſt.* Cui reſpondet *Beatiſs.P.* hoc eſſe intelligendum de lege lata ab homine, non de lege naturali lata à Diuina Prouidentia, quæ omnia ordinat, & diſponit, contra quam legem eſt malum eſsentialiter tale, vnde loquens de occidente inuaſorem ait: *Nulla fortaſſe* (ſupple *defenſio*) *ſed earum legum, quę apparent, & ab hominibus leguntur, nam neſcio, vtrum non aliqua vehementiore, ac ſecretiſſima lege teneantur, ſi nihil rerum eſt, quòd non adminiſtret Diuina prouidentia.* Deinde *c.6.* circa medium: *Quid illa lex, quæ ſumma ratio nominatur, cui ſemper obtemperandum eſt, & per quam mali miſeram, boni beatam vitam merentur, per quam denique illam, quam temporalem vocandam diximus, rectè fertur, rectèque mutatur, poteſtne cuipiam intelligenti non incommutabilis, æternaque videri?*

5 Ex his manifèſtè liquet; quòd quando *Beatiſs. P.* approbat illud dictum *Euodij*; ſcilicet *malum non ideo quia vetatur lege, ſed ideo vetatur lege, quia malum*, loquitur de lege humana, & temporali; quod tamen malum eſt, quia eſt contra legem æternam Dei; & quia eſt contra legem æternam, ideo vetatur lege temporali, quę iuſta eſſe non poteſt, niſi à lege æterna deriuet; non autem valet è contra. Vnde *Aduerſarij in Beatiſſ.P.* doctrina habent, quo conterantur, non quo fulciantur.

6 Vnica concl. Contrarietas ad legem æternam eſt de ratione eſſentiali peccati.

Prob. 1. *ex Scripturis* allatis *to.3. vbiſ.*, vt *Rom.7. Sed peccatum non cognoui, niſi per legem*; *& Rom.4. Vbi non eſt lex, nec prævaricatio, & pſ. 118. Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ*; ſup. quod *Beatiſs. P. conc.25.* ſic arguit: *Si prævaricantes ſunt omnes peccatores terræ, nullum*

eſt

eſt vtique ſine prævaricatione peccatum ; nulla eſt autem prævaricatio ſine lege; nullum eſt igitur, niſi in lege peccatum. Ex quo ſic. Omnis præuaricatio eſſentialiter eſt contra legem, præuaricatio enim dicitur tranſgreſſio legis,ſeu operatio contra legem; ſed omne peccatum eſt præuaricatio; aliter non omnis peccator eſſet præuaricator;ergo omne peccatum eſt contra legem; atqui non omne peccatum eſt contra legem temporalem; dantur enim aliqua peccata, quæ non probibentur à lege temporali; vt occiſio inimici ad tuendam propriam vitam, & occiſio ſtupratoris ad tuendam propriam pudicitiam; ergo omne peccatum eſt contra legem æternam.

7 Præterea id, quod ponitur in definitione peccati, eſt de ratione eſſentiali peccati,quoties definitio eſt per eſſentialia; ſed eſſe contra legem æternam ponitur in definitione peccati; & hæc eſt per eſſentialia; ergo eſſe contra legem æternam eſt de ratione eſſentiali peccati.

8 Deinde prob. omnibus rationibus allatis *n.3. vbiſ.*, quæ *ibid.* videantur.

9 Vlteriùs prob.ſic. Prima regula bonitatis ſupernaturalis eſt lex æterna exiſtens in mente Dei; ſed peccatum eſt contra primam regulam bonitatis ſupernaturalis; ergo eſt contra legem æternam exiſtentem in mente Dei. Prob. ma. 1. Primum dirigens ſupernaturale per eſſentiam eſt lex æterna,quia primum eſt menſura,& regula cæterorum; ſed prima regula ſupernaturalitatis eſt primum dirigens ſupernaturale per eſſentiã; non enim habet ſupernaturalitatem ab alio, ſed ab ipſa omnis bonitas creaturæ ſupernaturalitatem participat; ergo prima regula bonitatis ſupernaturalitatis eſt lex æterna. 2. Natura rationalis creata nequit eſſe prima regula bonitatis ſupernaturalis; quia nequit eſſe ſupernaturalis per eſsentiam; habet enim ſupernaturalitatem à Deo, & ideo eſt tantùm participatiuè ſupernaturalis; & quod eſt participatiuè tale, ſupponit id, quod eſt tale per eſsentiam, à quo eſse tale participat; atque adeo nequit eſse primũ in habendo tale eſse,ſed neceſsariò eſt ſecundarium; ex quo deducitur,quòd creatura eſt tantùm regula ſecundaria bonitatis ſupernaturalis; ergo remanet, quòd prima regula ſit ipſe Deus, cùm præter creaturam non ſit, niſi Deus. Prob. mi. *Rectum eſt index ſui, & obliqui*; ſed peccatum eſt obliquum bonitatis ſupernaturalis; definitur enim auerſio, obliquatio, deuiatio, & declinatio à bonitate ſupernaturali; ergo peccatum eſt contra primam regulam bonitatis ſupernaturalis. Tum quia quod opponitur bonitati ſupernaturali regulatæ per primam regulam, eſt contra primam regulã bonitatis ſupernaturalis; quotieſcunque enim duo conformantur, & adæquantur inter ſe; tunc ſi tertium ſit contra vnum, eſt etiam contra aliud; ſed peccatum opponitur bonitati ſupernaturali, dicit enim priuationem ipſius vel formaliter, vel ſaltem materialiter; ergo peccatum eſt contra primam regulam bonitatis ſupernaturalis.

10 Obijc. 1. *Rom.2.* habetur *Quicunque ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt*; ergo poteſt dari peccatum abſque eo, quòd detur lex prohibens; & ideo non eſt de eſſentiali ratione peccati eſſe contra legem.

Reſp. *Apoſt. ibid.* loqui de lege ſcripta data *Hebrais per Moyſem*; ait ergo, quòd *Gentiles*, quibus non fuit data lex *Moyſis*,qui peccauerunt ſine tali lege,peribunt ſine lege *Hebraica*;non tamen ſine omni lege,quia habebãt legem naturæ, vt docet *idẽ Apoſt ibid. Ipſi ſibi ſunt lex qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis teſtimoniũ reddente illis conſcientia ipſorum.*

11 Obije.2.Mala diuiduntur in eſſentialiter talia, & accidentaliter talia; ſed illa, quæ ſunt accidentaliter mala, ſunt talia, quia prohibentur per legem, ergo mala eſſentialiter ſunt talia antecedenter ad legem.

Reſp.diſt. mi. Quæ prohibentur per legem humanam, conc. æternam, neg; & ſic diſt.conſ. ſunt talia antecedenter ad legem humanam,cõc; ad legem æternam, neg.

12 Inſt.1.Odium Dei, mendacium, & cætera huiuſmodi ſunt eſſentialiter mala etiam antecedenter ad legem æternam; ergo nulla reſponſio. Prob. ant. Priuſquam Deus ab æterno prohibuiſſet per legem iſtos actus,vidit per ſciẽtiam ſimplicis intelligentiæ eſſe eſſentialiter malos, quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ, vtpotè purè ſpeculatiua,antecedit ipſam legem,quia lex importat iudicium practicum intellectus, & iudicium practicum inuoluit actum voluntatis, qui ſubſequitur ad ſcientiam ſimplicis intelligẽtiæ; ergo antecedenter ad legem iſti actus ſunt eſſentialiter mali.

Reſp. diſt. ant. Sunt eſſentialiter mala naturaliter, & phyſicè, idèſt monſtruoſi, conc; moraliter, neg; nam principium omnis moralitatis eſt lex æterna; cùm autem ante principium moralitatis non ſit, niſi natura, ſupra quam fundatur moralitas; ideo remanet, quod tales actus ſint monſtra, ſeu naturaliter, & phyſicè ſolùm monſtruoſi, non autem moraliter mali; aliter daretur moralitas ante principium moralitatis, quod repugnat. Hæc reſponſio, qua vſus noſter *Corneius apud Gibb*; traditur *à Fund. Doct. in 2. diſt.36. q.1.art.1.§.Reſpondeo*;vbi ait *Nam monſtra ſunt peccata in naturalibus, vt patet ex 2. Phyſ. t.11.12*; & fusè de hoc *diſt.21. q.1. art. 4; & dub.1. lat ſeq.*

13 Replic.Iſti actus antecedenter ad legem æternam non ſunt eſſentialiter mali moraliter; ergo Deus per legem potuiſſet illos non prohibere; nam quia monſtrum in naturalibus non eſt moraliter malum;ideo Deus poteſt decernere illud condere; atqui hoc eſt abſurdum; ergo iſti actus antecedenter ad legem ſunt moraliter mali.

Reſp. neg. conſ. Ad prob. inſert. dicitur monſtrum phyſicum ſpectare ad pulcritudinem Vniuerſi, & aliunde non repugnare cum diuinis perfectionibus, ſed ſpectare ad perfectionem totius, quæ maximè conſurgit ex ordine ad Deum; iſti autem actus deordinant à Deo naturaliter, quia repugnant eius perfectionibus; ergo non potuerunt à Deo non prohiberi.

14 Inſt. 2. Hæc propoſitio *mendacium eſt malum* eſt æternæ veritatis; ergo etiam antecedenter ad legem.

Reſp. neg. conſ., cùm enim lex ſit æterna; Ideo hæc propoſitio eſt æternæ veritatis, quamuis non ſit ante legem.

15 Obijc. 3. Poteſt quis inuincibiliter ignorare legem æternam, & tamen poſſet peccare, quia poſſet operari contra rationem; ergo peccatum non eſt contra legem æternam. 2. Si per impoſſibile non eſſet lex æterna, & homo mentiretur, tale mendacium eſſet malum moraliter, quia eſſet contra rectam rationem, quæ habet vim legis naturalis; ergo idem, quod ſupra. 3. Bonitas moralis non requirit eſſentialiter legẽ, vt patet in operibus ex conſilio; ergo neque malitia moralis. 4. Mendacium nequit diſpenſari à Deo; ergo non eſt malum per legem, quia quod eſt tale per legem Dei, poteſt à Deo diſpenſari.

Reſp. ad 1. neg. ant., quia lex naturalis *iuxta Apoſt.* naturaliter *ſcripta eſt in cordibus noſtris*, de quo *Beatiſs. P. de lib. arb. vbiſ.* Ad 2. neg. ant. Ad prob. inſert. dicitur, quòd cùm ratio naturalis ſit ſecunda regula eſſentialiter ſubordinata legi Dei, quę eſt prima regula, ceſſante eſſe lege Diuina ceſſaret etiam ratio naturalis eſſe ſecundam regulam. Ad 3. neg. ant. Ad prob. inſert. dicitur opera conſilij habere legem conſulentem, non præcipientem. Ad 4. neg. conſ., nam legislator poteſt tantùm diſpenſare in illis, quæ ſunt de iure poſitiuo, non verò in illis, quæ ſunt de iure naturæ, quia quæ ſũt de iure naturæ ſunt congruentia ipſi naturæ, & ideo nec etiam à Deo poſſunt diſpenſari, quia nequit facere aliquid incongruum ſuę naturæ.

16 Obijc. 4. Si per impoſſibile Deus mentiretur, peccaret, ſed Deus non ſubditur legi; ergo peccatum non eſt contra legem. 2. Actus iuſtitiæ, & miſericordię diuinę ſunt moraliter boni; & tamen non ſubduntur legi. 3. Peccatum veniale eſt propriè peccatum, & tamen non eſt cõtra aliquam legem; ergo de ratione peccati non eſt eſſe contra legem.

Reſp. ad 1. deſtruere Deum, quia deſtruit ſummum bonum, quod eſt Deus formaliſſimè, & ideo obiectio eſt de ſubiecto non ſupponente. Ad 2. neg. conſ., nam actus Diuini dicuntur moraliter boni, non quatenus regulantur à lege ſuperiori, ſed quatenus ſunt regulæ actuum creaturæ; nam ſi regulatum eſt moraliter bonum, multò magis ipſa regula, per quam regulatum eſt bonum. Ad 3. diſt. 2. pars ant. Non eſt contra aliquam legem obligantem ſub mortali, cõc. obligantẽ ſub veniali, neg., habetur enim Cant. 2. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas; & pſ. 136. Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad petram*; quæ interpretantur à SS.PP. communiter de peccatis venialibus. *Vid. Fund. Doct. in 2. diſt. 24. p. 2. q. 1. art. 2. §. Propter quod.*

17 Collig. ex dictis peccatum eſſentialiter eſſe offenſam, & iniuriam Dei, *quia*, vt inquit *Fund. Doct. in 2. diſt. 28 q. 2. art. 1. §. Reſpondeo; nihil eſt aliud peccatum, niſi quædam offenſa Dei*; & paulò poſt. *Offenſa Dei quantùm ad iniuriam ſibi illatam; quia non obſeruamus legem ipſius, & mandata eius; quia nihil eſt aliud peccatum, niſi præteritio legis Diuinæ, & mandati Dei, & in 3. diſt. 33. q. 3. §. Dicemus ergo, quòd in &c.* vbi ait: *Nam auerti à Deo vel hoc eſt, quia offendimus Deum in ſe; vel quia offendimus eum, in quo reſeruatur imago eius, vt in proximo; vel quia offendimus eum in perſona coniuncta proximo, vel in re poſſeſſa à proximo.* Deinde ſubiungit, quòd peccata, quæ prohibentur in prima tabula, ſunt offenſiones Dei in ſe; vel quia agimus contra eius potentiam illi non ſeruiendo, ſed idolis; vel contra eius ſapientiam indebitè iurando; vel contra bonitatem feſta non ſanctificando. In proximo verò offenditur vel ipſum occidendo; vel falsò contra ipſum teſtificando, vel mæchando cum vxore illi coniuncta, vel concupiſcendo mæchari, vel furando, aut deſiderando furari rem alienam, vel non honorando parentes, peccata autem offendentia Deum in ſe ſunt grauiora, quàm offendentia Deum in ſua imagine, & ideo periurium eſt grauius, quàm homicidium. Hinc *Beatiſs. P. lib. de Diligendo Deo c. 12.* ait: *Nam ſi ſeruus cuiuſquam à Domino ſuo recederet, non ſolùm Dominum ipſum exacerbaret, ſed & totam eius familiam iuſtiſſimè irritaret. Cùm ergo te Deũ omniũ Creatorẽ offendi, omnẽ creaturã, quantùm ſpectat ad meritum meum, in iram concitaui ita, vt meritò pro te pugnabit aduerſum me Orbis terrarum, poſſet enim terra dicere mihi: Non debeo te ſuſtinere, ſed abſorbere, quoniam à Creatore meo non timuiſti peccando recedere, & inimico, ſcilicet Diabolo, adhærere.* Ex quibus ſic 1. Peccatum eſt auerſio à Deo formaliter, & adhæſio inimico ipſius Dei; ergo eſt formaliter offenſa, & iniuria Dei. Ant. patet ex definitione peccati, quæ licèt includat etiam conuerſionem ad creaturã; attamẽ auerſionẽ importat formaliter, vt *inf.* Prob. conſ. Offenſa, & iniuria eſt, qua negamus alicui honorem, reuerentiam, & ſubiectionem debitam; ſed auerſio eſt huiuſmodi; ergo eſt formaliter offenſa, & iniuria. 2. Recedere à proprio Domino, & adhærere eius inimico eſt formaliter offenſa Domini; ſed per peccatum recedimus à Deo, & adhæremus Diabolo, qui eſt Dei inimicus; ergo peccatum eſt offenſa Dei.

3. Pec-

3. Peccatum vel eſt contra Deum in ſe, vel contra proximum, qui eſt eius imago; ſed vtroque modo eſt offenſa Dei; qui enim cõmittit aliquid contra aliquem immediatè, vel in eius imagine, illum offendit; ergo peccatum eſt offenſa Dei. 4. Tranſgreſſio legis eſt offenſa Principis; ſed peccatum eſt tranſgreſſio legis Dei; ergo eſt offenſa Dei.

18 Hæc doctrina non placet *Tannero de Pecc. diſp.4. punct.1. dub.3. n.44.* opinanti, quòd ſuppoſita ignorantia inuincibili Dei poſſet dari peccatum dignum pœna æterna, quod tamen non eſſet offenſa Dei; quia ad rationem offenſæ requiritur, vt quis ſciens, & prudens aduertat peccatum Deo diſplicere. *Lug.* autem *de Incar. diſp.5. ſect.5. n.70. & 99. & Arriag. de act. hum. diſp. 19. ſect.* 10. aſſerunt in tali ſuppoſitione peccatum, v.g. homicidium, furtum &c. eſſe tantùm veniale.

19 Obijc. ergo 1. *Gentiles* Philoſophi cognouerunt peccatum non tamen in ratione offenſæ; ergo ratio offenſæ non eſt de ratione peccati. 2. Id, quod competit eſſentialiter peccato, eſt ab obiecto, à quo ſpecificatur; ſed ab obiecto prouenit ſolùm ratio malitiæ, quia obiectum eſt creatura, ad quam conuertitur; vnde dicitur malitiam correſpondere conuerſioni; & offenſam auerſioni, ergo offenſa non eſt de ratione peccati. 3. Illud peccatum non haberet malitiam Theologicam, ſed tantùm philoſophicam; ergo non eſſet offenſa. 4. Peccans ignoraret Deum; ergo ab ipſo non recederet. 5. Si Deus non eſſet, peccata non haberent malitiam Theologicam; ſed Deus ignoratus inuincibiliter ita ſe haberet, ac ſi non eſſet; ergo idem, quod priùs. 6. Sequeretur poſſe Deum amari ſuper omnia; & ſimul mortaliter offendi; quia ſi quis inuincibiliter ignoraret homicidium diſplicere Deo, ſciret tamen eſſe contra rationem; poſſet velle in omnibus placere, & tamen peccare homicidio; quod videtur damnatum *in Bullis contra Baium.* 8. Catholicus ignorans inuincibiliter diem ieiunij comedendo carnes non peccat mortaliter.

Reſp. eſſe vanas ſpeculationes. In primis ſuppoſitio non eſt dabilis, quia lex Dei *Scripta eſt naturaliter in cordibus noſtris teſte Apoſt*, & ideo Deus nequit inuincibiliter ignorari. 2. Data etiam ſuppoſitione dicitur ad rationem offenſæ non requiri ſcientiam claram; ſi enim quis lædat hoſpitem, quem non cognoſcit, verè illum offendit; & ſi quis lædat imaginem Principis neſciendo illam eſſe Principis, quanuis à neſcientia minuetur offenſa, attamen verè offendit, & punitur. Sed etiam dato hoc.

20 Ad 1. neg. ant; nam *Gentiles* offerebant ſacrificia ad placandos Deos offenſos ab eorum peccatis. Ad 2. diſt. ma. Eſt ab obiecto, à quo recedit, quod eſt Deus, conc; ad quod accedit, neg. Ad 3. dicitur, quòd ſi illud peccatum non haberet malitiam moralem, non eſſet peccatum, de quo loquimur, ſed eſſet defectus phyſicus, & de hoc non eſt quæſtio. Præterea neg. ant; eſſet enim cõtra legem Dei ſcriptam in cordibus noſtris, & ideo eſſet moraliter, ſeu Theologicè peccatum. Ad 4. neg. conſ; nam ad recedendum ab aliquo termino non eſt neceſſe terminum cognoſcere; quia & ſi illum non cognoſcat, verè tamen recedit. Ad 5. neg. mi; nam ſi Deus non eſſet, non eſſet lex Dei; at verò etiamſi ignoraretur Deus; attamen daretur eius lex, quæ nequit ignorari. Ad 6. neg. ſeq; quia ſciens homicidium eſſe contra rationẽ ſciret etiã eſſe contra legem Dei, cùm ipſamet ratio ſit lex Dei participata ipſi homini. Ad 7. dicitur catholicum ignorare inuincibiliter diem ieiunij ignorantia facti, non ignorantia iuris; & ſic poſſe ignorare ea, quæ ſunt de iure naturæ; quia de iure naturæ eſt non concumbere cum aliena, & hoc in vniuerſali nequit ignorari; attamen poteſt quis ignorare inuincibiliter, quòd illa, cũ qua concũbit, ſit aliena; ſed in tali caſu non peccat mortaliter, nec venialiter, ſuppoſita tamen omni diligentia, quæ requiritur ad ignorantiam inuincibilem: & nullo ſuppoſito dubio, aut ſcrupulo. *Vid. to.3. de Act. hum q.2. art.6.*

A R T. IV.

Afferuntur definitiones peccati.

1 QVatuor definitiones peccati traditæ à *Beatiſſ. P. Aug.* circunferuntur à Theologis. Tres earum refert, & examinat *Fund. Doct. in 2. diſt. 35. q. 1. art. 1.*, vbi licèt aſſerat *cum Mag.* tertiam eſſe *D. Ambr*; traditur tamen etiam à *Beatiſſ. P.* Quartam *in 3. diſt. 33. q.3. art.1.*, & ſæpiſſimè *in 2.* Igitur.

2 Definitur 1. *lib.22. cont. Fauſt. c.27. Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei.* Hæc definitio viitatior eſt *apud Theologos.* Dicitur *dictum, vel factum, vel concupitum*, per quod ſignificatur entitas actus phyſici, quæ eſt ſubiectum malitiæ moralis, quam formaliter importat peccatum; accidentia enim, & ea, quæ habent rationem accidentis, vt eſt peccatum, quod accidit naturæ rationali, definiuntur per ſubiectum, quod ſtat loco generis, quia eſt veluti materia receptiua moralitatis; quoniam verò actus recipiens moralitatem poteſt eſſe triplex, ſcilicet actio, quæ committitur ore, & actio, quæ committitur opere externo; & actio, quæ committitur corde; hoc enim triplici modo poteſt peccatum committi; ideo dicitur *dictum*, quod ſignificat actionem *oris*; *factum*, quod ſignificat actionem *operis*; & *concupitum*, quod indicat actionem cordis. Præterea dicitur *dictum*, vel *factum*, vel *concupitum*; per quod intelligitur etiam non dictum, non factum, non concupitum, quod eſt idem, ac *omiſſio dicti, vel facti, vel concupiti*; quia per rectum intelligitur

tur obliquum, & per formam priuatio; peccatum enim eſt agere, quod non debes, vel non agere, quod debes. Vel quia dictum, factum & concupitum duplex eſt: aliud formale, quod ſignificat peccatum comiſſionis; & aliud interpretatiuum, quod ſignificat peccatum omiſſionis. Inſuper *dictum, vel factum, vel concupitum* aliud eſt manens, quod ſignificat peccatum habituale; aliud non manens, quod ſignificat peccatum actuale. Tandem *factum* aliud eſt in ſe ipſo, quod ſignificat peccatum perſonale; & aliud in alio, in quo continetur, quod ſignificat peccatum originale; ex quibus colligitur hanc definitionem conuenire communiter omni peccato. Tandem dicitur *contra legem Dei*, quibus verbis ſignificatur malitia moralis, quam importat formaliter peccatum; nam malitia habetur per difformitatem ad legem Dei, tanquam ad cauſam primariam, & rectam rationem; tanquam ad cauſam ſecundariam; non ponitur autem, *& contra rationem*; nam cùm recta ratio ſit participatio legis Dei; ideo ſufficit dicere contra legem Dei, vt intelligatur eſſe contra rationem. Iſtæ igitur particulæ ſtant loco differentiæ.

3 Dices. 1. Definitio importat eſſentiam rei; ſed peccatum non habet eſſentiam, cùm ſit non ens; ergo peccatum non habet definitionem. 2. Definitio debet conuerti cum definito; ſed allata definitio non cōuertitur cum peccato, *vt ſic*; quia non conuenit peccato originali, habituali, & omiſſionis; ergo non eſt bona. 3. Definitio per diſiunctionem non eſt bona; v.g. *homo eſt animal vel rationale, vel irrationale*; quia particula diſiunctiua eſt nota incertitudinis; ſed definitio allata eſt huiuſmodi; ergo non eſt bona.

Reſp. ad 1. *cum Fund. Doct. hic diſt. 35. vbiſ. ad 1.*, quòd peccatum definitur per eſſentiam bonitatis, cui opponitur; ſicut priuatio per eſſentiam formæ. Diſt. igitur mi. Peccatum non habet eſſentiam rei, cui opponitur, neg., quam importat in ſe ipſo, conc., & ſic peccatum definitur per aliud. Ad 2. patet ex dictis; nam peccatum, prout importat factum in alio, eſt originale; prout importat factum manens, eſt habituale; & prout importat factum interpretatiuū, eſt omiſſionis; vnde neg. mi. Ad 3. diſt. ma. Quotieſcumque res definita eſt ſimplex; & particula diſiunctiua appellat aliquod, quod non eſt in ipſa re, conc., tunc enim eſt incerta, vt patet in allata definitione hominis. Quotieſcumque res plura inuoluit; & particula diſiunctiua appellat aliquod, quod continetur in ipſa re, vt in definitione allata peccati, neg.

4 Definitur 2. *ab eod. Beatiſſ. P. lib. de Duabus animab. cont. Manich. c. 11.*, & de ipſa loquitur *in Suppl. cont Iul. lib. 1. cap. 44.*, *& ſeq. Peccatum eſt voluntas retinendi. vel conſequendi, quod iuſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere.* Dicitur *voluntas*, quæ ponitur pro actu voluntatis, nam actus aliquando ſumit denominationem potentiæ. Dicitur *retinendi*, quod eſt reſpectu boni iam poſſeſſi in re prohibiti à lege. Vel *conſequendi*, quod non poſſidetur, ſed ſperatur. Dicitur, *quod iuſtitia vetat*; quod intelligendum eſt de iuſtitia legali, quæ præcipit omnes actus virtutum, & prohibet omnes actus vitiorum. Dicitur tandem *vnde liberum eſt abſtinere*; quia peccatum non eſt peccatum, niſi ſit volūtarium, & liberum. *Ita Fund. Doct. vbiſ. Beatiſſ. P. Auguſt.* tamen *in Suppl. vbiſ. c. 44.*, *& 47.*, ait hanc definitionem competere tantùm peccato actuali, quod eſt tantùm peccatum, non pœna peccati; non autem peccato originali, quod eſt peccatum ſimul, & pœna peccati. Cœterùm ſi vellemus eā adaptare etiam peccato originali, id præſtare poſſemus verbis ipſius referentibus *D. Ambr. in fine c. 47. Fuit Adam, & in illo fuimus omnes; periit Adam, & in illo omnes perierunt*; & in fine *c. 48. Peccatis, inquis, alienis non vtique perire debuerunt. Aliena ſunt, ſed paterna ſunt; ac per hoc iure ſeminationis, atque germinationis noſtra ſunt.* Vnde illa verba *liberum eſt abſtinere* intelliguntur, quòd ſicut omnes *in Adam* peccauerunt, ita liberū fuit *in Adam* à peccato abſtinere; & ſicut non peccauerunt in ſeipſis loquendo de peccato originali; ita nec in ſeipſis liberum fuit abſtinere.

5 Definitur 3. *à Beatiſſ. P. lib. 2. de Conſenſu Euangeliſt. c. 4; Peccatum eſt tranſgreſſio legis*; Addit *D. Ambr. Et inobedientia præceptorum Dei*; ait autem *Fund. Doct.*, quòd tranſgreſſio legis refertur ad ea, quæ ſunt mala ſecundùm ſe, inobedientia verò ad ea, quæ ſunt mala, quia prohibita; vt comeſtio pomi non erat mala ſecundùm ſe, fuit tamen mala, quatenus prohibita à Deo. Verùm ſi lex ſumatur generaliter pro lege naturali, & poſitiua, vt ſumitur *à Beatiſſ. P.*, adequatè definitur per tranſgreſſionem legis.

6 Definitur 4. *ab eod. lib. 12. de Ciu. Dei c. 6.*, vbi docet Angelos euaſiſſe malos, ex eo, *quòd ab illo, qui ſummè eſt, auerſi, ad ſe ipſos conuerſi ſunt, qui ſummè non ſunt.* Vnde *Fund. Doct. in 3. diſt. 33. q. 3. §. Habito* communiter *cum aliis* ſic format hanc definitionem: *Peccatum eſt auerſio ab incommutabili bono, & conuerſio ad commutabile bonum*; quam definitionem explicat *ita, vt auerſio ſit ibi ratio principalis formalis, conuerſio verò materialis, & ſecundaria.* Peccatum igitur principaliter importat auerſionem à Deo, per quam formaliter conſtituitur; *vt inf. art. 6.*

7 Ratio autem, quare vna tantùm non tradatur definitio peccati, aſſignatur *à Fund. Doct. in 2. diſt. 35. vbiſ.*, nam quotieſcumque res habet plures cauſas, tunc poteſt per ordinem ad illas pluribus definitionibus explicari; cùm definitur res per ſuas cauſas definitione cauſali, ſed peccatum habet plures cauſas, ad quas comparatur; nam vel comparatur ad agens, cuius eſt actus, & ſic habetur prima definitio aſſerens: *Eſt dictum, factum, &c.*, vel comparatur ad obiectum,

ſeu materiam, circa quam verſatur; & ſic eſt ſecunda definitio dicens: *Eſt voluntas retinendi, vel conſequendi id, quod iuſtitia vetat, &c.* Vel comparatur ad legem, à qua deficit, & ſic habetur tertia definitio; ſcilicet *eſt tranſgreſſio* legis; vel ad finem, à quo auertit; & ſic habetur quarta definitio; ergo plures peccati definitiones tradi debuerunt.

8 Quæres 1., an ad rationem peccati aliud quidpiam requiratur?

Reſp. *Fund. Doct. in 2. diſt. 22. q. 2. art. 4.*, quòd requiritur cognitio iuris, & cognitio facti. Cognitio iuris eſt cognitio legis prohibentis talem actionem, de qua ait *Apoſt. Rom. 3. Per legē enim cognitio peccati*. Cognitio facti eſt cognitio, qua cognoſcitur illam actionem in indiuiduo eſſe contra legem, quia *non eſt peccatum, niſi ſit voluntarium*; voluntarium autem præſupponit cognitionem.

9 Quæres 2., an hæc cognitio debeat eſſe actualis?

Reſp. *aliqui*, quòd ad peccatum ſufficit cogitare de aliquo obiecto; quod propter connexionem, aut ſimilitudinem poteſt excitare in intellectu cognitionem obligationis; tunc enim dicitur cognitio virtualis. *Ita Sua., Lorc., Rodriq; & alij apud noſtrum Gibb. Alij* verò volunt requiri actualem aduertentiam, vel dubium, vel ſcrupulum obligationis. *Ita Gibb., qui citat D. Tho., D. Bon., Vaſq., Sal., Sanch., & alios.*

10 Reſp. tamen *cum Fund. Doct. vbiſ.* non requiri cognitionem actualem formalem, ſed tantùm actualem interpretatiuam; nam ignorantia, quæ eſt carentia cognitionis, ſi ſit neglecta, quia negligat quærere, vt cognoſcat; vel affectata, quia nolit quærere, non cauſat inuoluntarium, & ideo non excuſat à peccato; patet autem, quòd cum tali ignorantia non ſtat ſimul cognitio actualis, cuius eſt priuatio; poteſt tamen dici cognitio actualis interpretatiua; ſicut enim qui negligit facere, cenſetur interpretatiuè velle nō facere; ita qui negligit ſcire, interpretatiuè dicitur ſcire. Sola ergo ignorantia inuincibilis excuſat à peccato, quæ adhibita omni diligētia non poteſt tolli; illa verò, quæ poteſt tolli, non excuſat iuxta documentum *Beatiſſ. P. lib. 3. de lib. arb. c. 15. Non tibi deputatur ad culpam, quod inuitus ignoras, ſed quod negligis quærere.* Quòd ſi ignorantia neglecta non excuſat, multò minùs excuſat affectata, quæ ſolet etiam vocari *craſſa*, quia propter laborem non vult inquirere, cùm tamen poſſit.

11 Vnde ſicuti cognitio illius obiecti, quod propter connexionem, & ſimilitudinem poteſt excitare in intellectu cognitionem obligationis, ſi ſit coniuncta cum ignorantia neglecta, aut affectata, ſatis eſt ad peccatum; ſi autem ſit coniuncta cum ignorantia inuincibili, non eſt ſufficiens ad peccatum. Ita ſi nomine actualis cognitionis, dubij, vel ſcrupuli intelligatur talis cognitio, qua ſaltem poſſumus inquirere, & conſultare de illa actione; non tamen actu inquirimus, & conſultamus; vt ſe explicat *Gibb.*, cùm hæc importet ignorantiam vincibilem, neceſſaria ſaltem eſt ad peccatum; ſi autem intelligatur cognitio actualis formalis illius actionis excludens ignorantiam vincibilem, dicitur non requiri neceſſariò ad peccatum; nam etiam ſine illa poteſt eſſe peccatum; quia ſi quis poſſit cognoſcere, & negligat, eligens manere in ſua ignorantia propter laborem annexum tali perquiſitioni; imò nec velit admittere ſcrupulum, aut dubitare; tunc enim dubitamus, & ſcrupulum concipimus, quando incipimus perquirere; verè, & propriè peccat; quia hæc eſt vera ignorantia neglecta, aut etiam affectata; & cenſetur habere cognitionem interpretatiuam.

12 Quæres 3., an ignorantia iuris, & facti poſſit eſſe inuincibilis?

Reſp. *Fund. Doct. vbiſ.* ignorantiam iuris non poſſe eſſe inuincibilem. Habetur in regulis *Iuris in 6. Ignorantia facti, non iuris excuſat, & Inſtit. de lege Aquilia, §. Præterea*; vbi dicitur; quòd ignorantia legum ad proprium ſtatum, vel officium pertinentium non excuſat. Ratio eſt; quia lex ſufficienter fuit promulgata ita, vt poſſit cognoſci; & ideo ſi non cognoſcitur, eſt, quia negligimus cognoſcere; quapropter eſt ignorantia neglecta; aut quia nolumus cognoſcere, & ideo eſt ignorantia affectata. Sola igitur ignorantia facti in indiuiduo, an ſcilicet hæc actio in particulari prohibeatur per legem, eſt inuincibilis; vt diximus *to. 3. de Act. hum. q. 6. art. 6., vbi vid.*

13 Eodem modo reſoluenda eſt altera difficultas, quam mouet *Gibb. hic*; an ſcilicet inaduertentia orta ex conſuetudine peccandi excuſet à peccato?

14 Dicendum enim; quòd ſi illa conſuetudo non fuerat interrupta per efficax propoſitum emendandi, & non peccandi, inaduertentia non excuſat; ſicut nanque cenſetur ſaltem moraliter durare primum peccatum, quod habituatum eſt, & tranſijt in conſuetudinem, ita cenſetur moraliter durare prima cognitio, quę concurrit ad illud peccatum; & ideo ſicut illa actio eſt voluntaria in cauſa; ita illa inaduertentia eſt virtualiter aduertentia. Si autem conſuetudo fuerit retractata; tunc vel inaduertentia eſt neglecta, aut affectata, quæ poterat tolli; & ſic non excuſat; vel eſt inuincibilis, vt in actibus primò primis, & tunc excuſat.

15 Collig. ex dictis factum ex ignorantia inuincibili duplex eſſe; aliud enim ad rationem ſubſequitur; ſed ita eſt ſecundùm ſe occultum, vt nulla diligentia, nulloque ſtudio poſſit penetrari. Aliud rationem præcedit; & duplex eſt; aliud nanque præcedit iudicium rationis, & etiā imaginationem ſenſitiuam; vt eſt motus carnis in dormiente; & hic dicitur motus primò primus,

& non

Digitized by Google

& non eſt peccatum mortale, nec veniale; ſed tantùm eſt pœna peccati originalis, vt cũ *Beatiſſ.* P. docet *Fund.Doct.in 2.diſt.24.par. 2.q.1. art.2.* Aliud imaginationẽ ſenſitiuam ſubſequitur, ſed præcedit rationem,& vocatur actus ſecundò primus; & tunc eſt peccatum veniale, ſi ratio antecedenter poterat illum impedire. Sed ſi iudicii rationis præceſſerit, & actus præniſus fuit, nec tamen impeditus, poteſt eſſe peccatum mortale, ſi tamen materia ſit grauis.

16 Collig. 2; quid dicendum ſit ad illam aliam difficultatem, quam mouent *Summiſtæ*; an ſcilicet ad peccatum mortale requiratur perfecta aduertentia, & imperfecta ad veniale, cui affirmatiuè reſpondent *cõmuniter omnes teſte Gibb.* dicendum namque eſt, quod ſi imperfectio aduertentiæ proueniat ex defectu diligentiæ, ſeu ex negligentia ipſius operantis, tunc aduertentia imperfecta ſufficit ad peccatum mortale iuxta regulam traditam à *Beatiſſ.P.*; *qnia negligis quærere*; nam ad illud ſufficit ignorantia vincibilis, quæ eſt priuatio cognitionis, ſeu aduertentiæ perfectæ. Si autem proueniat ex defectu rationis eo, quia talis actus præcedit rationem, & ſubſequitur ſolùm imaginationem ſenſitiuam; vel ex ipſa re, quę eſt adeò ſecreta, vt per quancunque diligentem inquiſitionem penetrari non poſſit; tunc non ſufficit ad peccatum mortale, ſed tantùm inducit peccatum veniale, vt dictum eſt.

A R T. V.

Afferuntur ſpecies peccatorum.

1 Diuiſionem rei deſeruire ad intelligendam definitionem habetur *in Summulis*; aptè igitur poſt definitionem peccati traditam eiuſdem diuiſiones ſubnectimus; vt quæ diximus de definitione, manifeſtiùs appareant.

2 Diuiditur 1. peccatum in originale, & perſonale. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt.30. per totã.* Originale *eſt illud, quod à primo parente origine, ſeu generatione transfunditur in filios ex illo deſcendentes*, de quo *Apoſt. Rom. 5. Per vnum hominem in hunc mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt.* Perſonale *eſt illud, quod à perſona peccante committitur, & ab alio non deriuatur*. Peccatum originale à *Beatiſſ. P. Aug* vocatur *peccatum ſimul, & pœna peccati*; qui filij contrahunt peccatum originale, quod eſt verè peccatum, in pœnam peccati *Adæ*. Perſonale dicitur *peccatum tantùm*, non pœna peccati.

3 Diuiditur 2. peccatum in mortale, & veniale. *Ita Fund.Doct.in 2.diſt.42.q.1.art.3.* Mortale eſt *lethalis animæ morbus ſeparans animam à Deo, & inferens animæ mortem*; quia priuat gratia, & charitate, quæ eſt animæ vita; per illam enim coniungitur Deo, qui ſolus viuit in æternum: Venialis eſt *lenis animæ morbus diſponens animam ad ſeparationem à Deo, & ad amiſſionem gratiæ, & charitatis; non tamen ipſam tollens, ſed aliqualiter diminuens*; quare veniale ſtat ſimul cum gratia, & charitate, in gradu tamen remiſſo, non intenſo. De peccato veniali habetur 1.Io.1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* De hoc *Beatiſs. P. in ſentent. decerptis ſent. 46. Sicut non impediunt ab æterna vita iuſtum quædã peccata venialia, ſine quibus vita non ducitur; ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt aliqua opera bona impio, ſine quibus difficillimè vita, cuius peſſima vita inuenitur;* & *lib.1.de Symb; ad Cathecum. c.6. Non vobis dico, quia ſine peccato hìc viuetis, ſed ſunt venialia, ſine quibus vita iſta non eſt.*

4 Diuiditur 3. peccatum in habituale, & actuale. *Ita Fund. Doct. in 3. diſt.7. q. 1. art.2. §. Eſt autem ſextus modus.* Et *Beatiſſ. P. ſer.44. de verbis Domini.* Actuale eſt *actus voluntatis difformis regulæ morum.* Habituale *eſt idem actus malus moraliter perſeuerans.* An autem conſiſtat in macula relicta, *inf.* dicemus.

5 Diuiditur 4. in peccatum commiſſionis, & omiſſionis. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt.35 p.1.art. 2. §. Reſpondeo.* Et *Beatiſs. P. lib.de Perfect. Iuſtit. c.3.* ait, *Duobus modis conſtat eſſe peccatum; ſi aut fiant illa, quæ prohibentur; aut illa non fiant, quæ iubentur.* Peccatum commiſſionis *eſt aliquod factum contra aliquod præceptum illud prohibens*; omiſſionis eſt *nõ factum contra aliquod præceptum illud iubens*. Peccatum commiſſionis opponitur præcepto negatiuo; omiſſionis verò affirmatiuo.

6 Diuiditur 5. peccatum in peccatum carnis, & peccatum ſpiritus. *Ita Fundat. Doct. in 2. diſt.42. p.2. art.3;* Et *Beatiſs. P. de verbis Domini ſer. 42.* ſuper illud *Rom.8. Si enim ſecund ũ carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Et *lib. de Salutarib. document. c. 17;* & *lib.14. de Ciuit. Dei c. 2; & 5;* & habetur etiam 2. *Cor. 2. Emundemus nos ab omni inquinamento corporis, & ſpiritus.* Peccata carnis ſunt illa, *quæ committuntur aliquo actu ſenſibili, & conſiſtunt in delectatione corporea contra legem Dei*; vt in delectatione nutrimentali, & venerea. Opera carnis enumerat *Apoſt. ad Gal.5. Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt adulteria, fornicationes, immunditiæ, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones. hæreſes, inuidiæ, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia.* Peccata ſpiritus ſunt illa, quæ conſiſtunt in aliquo actu mentis contra legem Dei; vt inuidia, ſuperbia.

7 Diuiditur 6. in peccatum ex infirmitate, ſeu ex paſſione; & ex ignorantia; & ex malitia, ſeu ex electione, vt loquitur *Phil.Ita Fund.Doct. in 2. diſt. 43. q.2. art.1.* dicens: *Nam ſecundùm Theologos quicunque peccat, vel hoc agit ex infirmitate, vel ex ignorantia, vel ex certa malitia, &c.*

In

In hanc autem eandem ſententiam incidit Phil. 3.Eth c.8. per alia tamen verba dicens, quod quicunque peccat, vel hoc agit ex paſſione, vel ex ignorantia, vel ex electione. De hoc *Beatiſs.P. lib.83. qq.* 26.ait: *Alia ſunt peccata infirmitatis, alia imperitia alia malitia.* De peccato ex infirmitate agit *lib. 14. de Ciu. Dei c.2; & 3.* De peccato ex ignorantia agit *Ep.*154. De peccato ex malitia *lib.4.de Bapt.cont.Donatiſt.c.5; & in pſ.*50. Peccatum ex infirmitate, ſeu paſſione, eſt quod *oritur ex aliqua graui tentatione carnis alliciente ad peccandum*; ex ignorantia, quod *oritur ex ignorantia culpabili*; ex malitia, quod *fit cum plena libertate, & ſcientia nullo paſſionis incitamento exiſtente.* Peccatum ex infirmitate dicitur contra Patrem; quia Patri appropriatur potentia, cui opponitur infirmitas; peccatum ex ignorantia dicitur contra Filium, cui appropriatur ſapientia, quæ opponitur ignorantiæ; peccatum verò ex malitia dicitur contra Spiritum S; cui appropriatur bonitas, quæ opponitur malitiæ.

8 Diuiditur 7. in irremiſſibile, & remiſſibile. *Ita B.Doct.in 2.diſt.*43.*q.2 art.1;*& *Beatiſs.P.Ep.* 60;& *in Enchir.c.*44;& *ſerm.*11.*de verb.Domin.* Hæc diuiſio habetur *Matth.*12. *Omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphemię non remittetur; et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei, neque in hoc ſaculo, nec in futuro.* Remiſſibile eſt, *quod faciliter remittitur, quia non habet tantam grauitatem, quæ remiſſionem difficultet.* Irremiſſibile, *quod habet in ſe tantam grauitatem, ut difficulter, & rarò remittatur.*

9 Remiſſibile ſubdiuiditur in ſeptem peccata capitalia, quæ ſunt radices aliorum; & ſunt *ſuperbia auaritia, luxuria inuidia, gula, ira, & accidia*; dicitur enim *Prou.6. Sex ſunt, quę odit Dominus, & ſeptimum* (idèſt ſuperbia) *deteſtatur anima eius.*

10 Irremiſſibilia ſunt ſeptem, nempe *deſperatio, prҿſumptio, impugnatio veritatis cognitę, inuidia ſupernę vel fraternæ gratię, obſtinatio, impœnitentia, & peccatum ex malitia. Mag.* aſſignat octo ſpecies; nam addit *propoſitum non pœnitendi.* Sed hæc eſt ſpecies ſubalterna, quia impœnitentia, *ut ſic*, diuiditur in propoſitum non pœnitendi, & impœnitentiam finalem.

11 Diuiditur 8. in peccatum in Deum, proximum, & ſeipſum. *Ita B. Doct. Ep.ad Rom.c.2. lect.8.§.Ponit ex Beatiſs.P.Ep.29.ad Hier*; vbi ait peccatum eſſe contra charitatem; charitas autem vel eſt erga Deum, qui eſt amandus ſuper omnia; vel erga proximum, qui eſt amandus, ſicut noſipſi; vel erga ſeipſum, qui infra Deum eſt amandus. Defectus ergo huius triplicis amoris eſt triplex peccatum aſſignatum.

12 Not. tamen, quòd peccatum etiam in proximum, & in ſe ipſum eſt etiam contra Deũ, quia eſt contra legem præcipientem proximum amandum eſſe æquè, ac ſemetipſum, & ſemetipſum ſubordinatè ad legem Dei. Cùm ergo diſtinguimus peccatum in proximum, & in ſe ipſum à peccato in Deum, loquimur de peccato, quo immediatè in Deum peccatur; vt ſunt peccata *primę Tabulę.*

13 Diuiditur 9. peccatum in peccatum cordis, oris, & operis. *Ita Fund.Doct. in 2.diſt.42. q.2. art.2. ex Beatiſs. P. lib.22. cont.Fauſt.c.27.*, vbi definit peccatum per ordinem ad has tres ſpecies peccatorum dicens: Peccatum eſt *dictum*; per quod explicatur peccatum oris, ore enim dicitur; *factum*; per quod indicatur opus, factum enim dicitur opus externum; & *concupitum*, per quod explicatur peccatum cordis. Peccatum cordis eſt illud; quod *intentione, & conſenſione committitur.* Peccatum oris eſt, *quod verbis patratur.* Peccatum operis eſt, *quod per potentiam externam exteriùs completur.*

14 *Mag.* addit *conſuetudinem*; & hoc *ex Diuo Greg 4.mor.c.27*; quæ innuitur *per Lazarum*

Reſp. *Fund.Doct.* conſuetudinem non eſſe membrum diuerſum ab alijs tribus ſpeciebus, ſed modum, & circunſtantiam; nam quælibet earum poteſt eſſe ex conſuetudine, & ſic intelligitur *D.Greg.*

15 Diuiditur tandem in proprium, & alienum; de quo *pſ.18. Ab occultis meis munda me; & ab alienis parce ſeruo tuo.* Peccatum proprium eſt *quod à nobis committitur.* Alienum, *quod nobis imputatur, tanquam proprium*; vt docet *Beatiſs.P.in pſ.*129. Imputatur autem ratione ſcandali, conſilij, auxilij, ſuaſionis, & cuiuſuis actionis, aut omiſſionis inducentis in peccatum.

ART VI.

A quo ſumatur diſtinctio ſpecifica peccatorum?

1 RAtio dubitandi eſt; nam cùm peccatum duo importet, ſcilicet auerſionem a Deo, & conuerſionem ad creaturas, vt dicitur in eius definitione; cùmque in auerſione à Deo omnia peccata conueniant; & illud, in quo plura conueniunt, non ſit diſtinctiuum, & vltimò ſpecificatiuum illorum, vt patet de animalitate reſpectu hominis, & brutorum; ideo videtur peccata conſtitui, & diſtingui per conuerſionem ad obiecta creata, quam primariò importat, non ab auerſione, quam ſecundariò tantùm importat.

2 Prima ſententia vult peccata diſtingui ſpecie per ordinem ad obiecta, in quæ tendunt; & ideo diſtingui ex parte conuerſionis; ac per conſequens importare conuerſionem primariò, & formaliter; auerſionem verò ſecundariò, & materialiter. *Cit. D.Tho. à Thomiſtis*; vt videre eſt *apud Godoy hic diſp.26. §.1. n.2; Caiet. hic ſup.q. 72. art.3; 4; & 5; Gonet hic diſp.2. art.* 2; vbi aſſerunt hanc eſſe ſententiam communem *omnibus Thomiſtis, & omnibus alijs Theologis.*

3 Secunda putat peccata diſtingui, & multiplicari ſpecie per ordinem ad diuerſa præcepta ita, vt tot ſint in quolibet peccato malitiæ, quot ſunt præcepta, quibus tale peccatum prohibetur. Tribuitur *Dur.in 4. diſt. 25. q.5; Nauar. in Sum. c.6. n. 3; & c.11. n. 4; Vaſq. diſp. 98. apud Auerſ; & D.Tho.q.1. de malo art.6.* videtur docuiſſe peccata mala, quia prohibita, diſtingui per ordinem ad diuerſa præcepta; illa verò, quæ sũt prohibita, quia mala, non diſtingui per ordinem ad diuerſa præcepta. *Caiet.* tamen ait retractaſſe ſuam ſententiam; vt teſtatur *Auerſa*. Diſtinctio tamen præceptorum attendi debet ex ſola diuerſitate legislatorum præcipientium; nam ſi attendatur etiam reſpectu diuerſæ materiæ, & reſpectu diuerſarum virtutum; iam diſtinctio nõ ſumeretur præcisè ex ſola diſtinctione præceptorum, ſed ex diuerſitate materiæ præceptæ, & virtutum, ſupra quas cadunt; in hac autem acceptione conueniunt etiam *Thomiſta, & alij*; ſed ſumus extra quæſtionem; quæ non eſt ampliùs de præceptis, ſed de virtutibus.

4 Noſtra tandem docet, quòd licèt peccatum, *vt ſic*, vti differt à virtute, *vt ſic*, formaliter conſiſtat in auerſione Deo; attamen peccata ſpecificè ſumpta conſtituuntur, & ſpecie diſtinguuntur, prout nos auertunt à bono virtutum, quibus opponuntur; & quia talia bona nos conducunt ad Deum, ideo formaliter important auerſionem à Deo, & diſtinguuntur per oppoſitionem ad diuerſas virtutes. *Ita Fund.Doct.in 2. diſt.21.q.2. art.2. §. Secundo modo*; vbi ait: *Nam non eſt peccatum, niſi quia auertit ab illa re altiſſima, quæ eſt Deus; & quia magis eſt auertere à Deo ſecundùm ſe, quàm ab ipſo Deo, vt eſt eius ſimilitudo in proximo; peccata primæ tabulæ, quæ deordinant hominem à Deo ſecundùm ſe, ſunt grauiora, quàm peccata ſecundæ tabulæ deordinantia hominem à proximo, in quo eſt ſimilitudo Dei; & diſt.35. q.1.art.3. §. Sed dices*; vbi habet: *Peccatum conſiſtit in duobus, in conuerſione, & in auerſione*. Quòd licèt ſibi obijciat; attamen quia illud non reijcit, intelligitur admittere; *& in 3. diſt.33. q.3. art.1. §. Habito. Ideo Sancti communiter definierunt peccatum, & culpam, quòd eſt auerſio ab incommutabili bono, & conuerſio ad cõmutabile ita, vt auerſio ſit ibi ratio principalis formalis; conuerſio verò materialis, & ſecundaria*. Tandem poſſent afferri loca, in quibus docet peccatum conſiſtere formaliter in priuatione; de quibus *inf.* Eandem ſententiam ſequitur, & validiſſimè probat de more *noſter Greg. in 2. diſt. 34. q.1. art.1; & ſeq; Argent. in 2. diſt. 42. q.1. art. 4.* Non obſcurè colligi poteſt etiam *ex D. Tho*; textum autem à *Caiet*; qui fuit *Auctor primæ ſententiæ*, explicantur de diſtinctione ſpecifica phyſica, non morali. Idem docet *Scot. apud Maſtr. in 2. diſp.6. q.1*; & præſertim *n.55. Alens; D. Bon; & communiter omnes*, qui docent peccatum conſiſtere in priuatiuo; vt *Sua; Granad; Val; Lezan; Paſqualig; & ferè innumeri alij*, quos refert *Sal; & quamplures ex Thomiſtis*, inter quos refertur *Araujo, & Monteſin; & Auerſ.q.72. ſect. 1. §. Quintò* ait rationem diſtinguendi peccata ex oppoſitione ad diuerſas virtutes eſſe optimã. Quæ cùm ita ſint, non videmus, cur hæc ſententia non ſit appellanda communior; cùm primam non ſequantur, niſi *Caietani* ſequaces; Iſtam autem plurimi *Thomiſtæ, noſtra Schola, Scotiſtarum, & aliorum*. Sed quidquid ſit de hoc.

5 Not. ex *Beatiſs.P. locis cit. to.2. de Vol.q.5. art. 4. n. 7*; quòd cùm peccatum importet complexum ex entitate actionis phyſicæ, & ex malitia, quæ in illa entitate fundatur, ideo oportet habere *ſenſus exercitatos ad diſcernendum* vitiũ ab ipſa natura, quæ bona eſt, quia à Deo eſt; vitium enim ſemper in aliqua entitate naturali fundatur, à qua propterea eſt diſtinguendum.

6 Vnica concl. Peccata conſiſtunt formaliter in auerſione à Deo; & ideo ſumunt ſolummodò ſuam diſtinctionem formalem per ordinẽ ad virtutes, quibus opponuntur.

Prob.1. *ex Beatiſſ. P. Aug. lib.12. de Ciuit. Dei c.6.* docente: *Cùm enim voluntas relicto ſuperiore ad inferiora conuertitur, efficitur mala; non quia malum eſt, quò ſe conuertit, ſed quia peruerſa eſt ipſa conuerſio; idcirco non res inferior voluntatem malam fecit.* Quo nil clariùs. Arguitur autem ſic. Ab illo ſumitur diſtinctio ſpecifica malitiæ moralis, à quo ſumitur ipſa malitia moralis; ſed tantùm ab auerſione à Deo peccata ſumunt diſtinctionem ſpecificam malitiæ moralis; atque adeo ſolùm per oppoſitionem ad diuerſas virtutes morales, quæ conſtituuntur formaliter per ſolam conuerſionem in Deũ; ergo. Ma. patet; quia ſpecificatiuum formale eſt formale diſtinctiuum; & ideo conſtitutiuum peccati in ſpecie mali moralis eſt diſtinctiuum ſpecificum ipſius in eſſe malitiæ. Prob. mi. 1. Peccatum non conſtituitur per conuerſionem ad creaturas; quia creaturæ, ad quas peccator conuertitur, non ſunt malæ, ſed bonæ; dicitur enim *Gen. 1. Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*; & per conuerſionem ad bonum non cõſtituitur peccatum, ſed ſolùm per conuerſionem ad malum; ergo ſolùm per ordinem ad auerſionem à Deo peccata ſumunt malitiam moralem. 2. Conuerſio ad creaturas præciſa auerſione à Deo non eſt moraliter mala; nam conuerſio ad creaturas referendo illas in Deum non eſt peccatum; ſed actus virtutis, & auerſio à Deo præciſa conuerſione ad creaturas eſt moraliter mala; ergo peccata ſumunt malitiam moralem ſolùm ab auerſione à Deo; nam illud eſt conſtitutiuum formale, quo habito, & præciſo omni alio intelligitur ratio formalis illius rei; ſicut illud non eſt conſtitutiuum formale, ſed tantùm de materiali, & ſecundariò ſe habet, quo poſito, & circumſcripto quocunque alio, non habetur, neque intelligitur eſſentia rei, ſic enim definitur conſtitutiuum.

7 Dices

7 Dices peccatum conſtitui per conuerſionem ad creaturas, vt diſſonas regulis morum; ſic enim ſunt malè.

Sed contra eſt, Sola diſſonantia ad regulas morum eſt moraliter mala,& conſtituit formaliter peccatum; nam entitas creaturæ eſt phyſicè bona, vt diximus;ergo ſola auerſio eſt moraliter mala, & conſtituit formaliter peccatum.

8 Replic. non ſolam diſſonantiam,ſed complexum ex diſſonantia, & entitate eſſe moraliter malum, & ſpecificare actum peccaminoſum.

Sed hoc eſt contra doctrinam *Batiſſ. Patris* ſuperiùs traditã; debet animi diſtingui id, quod ſecundùm ſe bonum eſt, & id, quod eſt malum fundatum in tali bono; & ratio eſt, Quotieſcunque aliquod complexum ex duobus ita ſe habet, vt vnum illorum ſit indifferens, alterum verò ſit determinatiuum; tunc illud, quod eſt indifferens ſe habet tantùm de materiali;& illud, quod eſt determinatiuum, ſe habet de formali, vt patet de animalitate, & rationalitate; ſed entitas phyſica eſt indifferens ad bonitatem, & malitiam moralem; & diſſonantia ad regulas morum ipſam determinat ad malitiam moralem; ergo illa ſe habet tantùm de materiali, hæc de formali; & ideo hæc ſola conſtituit formaliter peccatum in ratione peccati.

9 Conf. *ex Beatiſs. P. ibid. c. 8. Deficitur enim non ad mala, ſed malè; idèſt non ad malas naturas, ſed ideo malè, quia contra ordinem naturarum ab eo, quod ſummè eſt, ad id, quod minùs eſt.* Ex quo ſic. Illud,quod conſtituitur contra ordinẽ creaturarum in Deum, conſtituitur formaliter per auerſionem à Deo, & multiplicatur per oppoſitionem ad virtutes morales; ſed peccatum eſt huiuſmodi; ergo idem,quod ſupra.Prob.ma.Oppoſitum ordini creaturarum in Deũ eſt auerſio; nam ordo creaturarum in Deum eſt conuerſio in Deum, & conuerſioni opponitur auerſio; & in Deum conuertimur per actus virtutum, quibus in Deum ordinamur,tanquam in vltimum finem ergo illud,quod conſtituitur contra ordinẽ creaturarum in Deum, conſtituitur formaliter per auerſionẽ à Deo, & multiplicatur per oppoſitionem ad virtutes. Prob.mi. Peccatum eſſentialiter dicit deordinationem creaturæ à Deo; eſt enim actus inordinatus *contra legem Dei*, quæ habet ordinate creaturas in Deum; ergo conſtituitur formaliter contra ordinem creaturarum in Deum.

10 Prob.2. Bonitas, & malitia moralis opponuntur; at bonitas moralis non conſiſtit formaliter in auerſione à creaturis, ſed in conuerſione ad Deum, à quo eſt omnis bonitas, & ad quem per virtutes conuertimur; ergo malitia moralis non conſiſtit formaliter in conuerſione ad creaturas, ſed in auerſione à Deo per oppoſitionem ad virtutes; *oppoſitorum* enim *oppoſitę ſũt rationes*.

11 Conf. Virtutes conſtituuntur formaliter per ſolam ordinationem in Deum; nam entitas phyſica ſubſtrata ordinationi ſe habet tantùm de materiali; ergo à pari.

12 Vrgetur magis. Per entitatem actus phyſici non conſtituitur formaliter peccatum; nam entitas eſt ſubiectum deformitatis moralis, in qua conſiſtit formaliter peccatũ; ſubiectũ autem ſe habet, vt materia, conſtitutiuum verò ſe habet,vt forma; ſed per conuerſionem ad creaturas cõſtituitur formaliter entitas phyſica actus; quia actus phyſicus conſtituitur per ordinem ad obiectum; ergo per conuerſionem ad creaturas non conſtituitur formaliter peccatum.

13 Prob.3. Priuatio conſtituitur, & multiplicatur per ordinem ad formam, qua priuat; ſed peccatum formaliter eſt priuatio; ſicut enim malum phyſicum eſt priuatio formæ phyſicæ, vt ægritudo eſt priuatio ſanitatis; ita à pari; ergo conſtituitur per ordinem ad formam, idèſt virtutem, qua priuat.

14 Tandem *ex B.Doct. in 2.diſt.35.q.2.art. 3.§.Reſp.* Si peccatum conſiſteret in conuerſione, ſequeretur nullum dari peccatum immediatè contra Deum; quia peccatum per conuerſionem ad creaturas eſt contra Deum mediante creatura; ſed conſequens eſt falſum; quia peccata contra primam tabulam ſunt grauiora,quia ſunt immediatè contra Deum; & peccata contra ſecundam tabulam ſunt leuiora, quia ſunt contra Deum mediante creatura;ergo falſum eſt & ant.

15 Obijc. 1. *Godoy*. Peccatum eſt *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei*; ſed dicta, facta, vel concupita diſtinguuntur per obiecta; actus enim diſtinguuntur per obiecta; ergo peccata diſtinguuntur per obiecta.

Reſp. definiri peccatum per ſuum ſubiectum, & ideo hanc definitionem eſſe per additamenta; nam cùm peccatum ſit priuatio, vt *inf.* dicemus; & priuatio definiatur per ſubiectum; dicitur enim *carentia formæ in ſubiecto apto nato ad illam habendam*; ideo peccatum rectè definitur per *dictum, factum &c.* Non tamen ex hoc ſequitur importare formaliter ipſam actionem; ſicut priuatio non importat formaliter ipſum ſubiectum. Igitur diſt.mi.Diſtinguuntur per obiecta quantùm ad entitatem phyſicam, conc; quantùm ad malitiam moralem, neg.

16 Obijc.2.*idem*.Peccatum importat actum voluntarium, & priuationem rectitudinis debitæ; ſed ſecundùm priuationem diuerſificatur per ordinem ad virtutes oppoſitas; ergo prout importat actum voluntarium, ſpecificatur per ordinem ad obiecta. Præterea actus voluntarius, non priuatio dat ſpeciem peccato; ergo peccata diſtinguuntur ſpecificè per ordinem ad diuerſa obiecta, non per ordinem ad diuerſas virtutes. Prob. ant. Id, quod eſt extra rationem ſpeciei, non dat ſpeciem rei; quia quod eſt extra rationem ſpeciei, per accidens ſe habet; ſed priuatio eſt extra rationem peccati, quia per accidens ſe ha-

habet ad peccatum, eſt enim præter intentionem peccantis, actus autem voluntarius eſt per ſe intentus à peccante; ergo actus voluntatis, non priuatio dat ſpeciem peccato. Tandem ab illo ſumitur diſtinctio ſpecifica, à quo ſumitur conſtitutio ſpecifica; ſed hæc ſumitur ſolùm ab obiectis; quia ſumitur ſolùm à re per ſe intenta; priuatio autem nequit eſſe per ſe intenta, quia nullam rationem bonitatis poteſt per ſe habere; ergo & diſtinctio ſpecifica ſumitur ab obiectis.

Reſp. ad 1. retorq. arg. Peccatum importat actum voluntarium, & priuationem; & ſecundùm priuationem diuerſificatur per ordinem ad virtutes oppoſitas; ſed ſolùm ſecundùm priuationem eſt formaliter peccatum; & ſecundùm actum voluntarium eſt bonum phyſicum; ergo peccatum, vt peccatum, formaliter diuerſificatur per ordinem ad virtutes oppoſitas; & vt actus phyſicus ſpecificatur ab ordine ad obiecta. Igitur hoc probat noſtram concl. Ad aliud diſt. 2. pars ant. Priuatio non dat ſpeciem priuatiuam peccato, neg; poſitiuam, conc; cùm enim peccatum ſit defectus, ideo non habet ſpeciem poſitiuam, ſed priuatiuam. Ad prob. neg. mi. Ad prob. inſert. reſpondet *Fund. Doct. in 2. diſt. 24. p. 2. q. 2. art. 1.* quòd *ſi peccator poſſet habere delectationem fornicationis ſine inordinatione, potiùs vellet; ſed magis vult illam inordinationem, quàm velit perdere delectationem*. Neg. igitur, quòd priuatio per accidens ſe habeat ad peccatum. Cùm autem dicitur, quòd priuatio eſt præter intentionem peccantis; diſt. Priuatio, quatenus mala, conc; quatenus apparenter delectabilis, neg. Vel dicitur *cum eodem ibid. §. Reſp.* Priuatio eſt præter intentionem antecedentem, ſeu in vniuerſali, conc, concomitantem, ſeu in particulari, neg; peccans enim ſcit in vniuerſali, & antecedenter fornicationem v. g. eſſe malam, & inordinatam, adeoque fugiendam; attamen à paſſione iudicium eius ligatur, & reſtringitur ad actu conſiderandã illius delectabilitatem; & ideo dicitur *omnis peccans ignorans*; vnde licèt in vniuerſali non ſit per ſe intenta; benè tamen in particulari, quamuis erroneè; quia intenditur non vt mala, ſed vt bona, & vt inferens delectationem. Tandem dicitur, quòd peccata in moralibus ſunt, ſicut monſtra in naturalibus; ſunt enim deformitates; & ideo ſicut monſtra ſunt præter intentionẽ peccantis, & per conſequens non debent ſpecificari à per ſe intento, ſed ab eo, quod intenditur per aliud; quia *tale eſt ſpecificatiuum, quale eſt ſpecificatum* ita à pari. Demũ etiam ipſi *Aduerſarij* tenentur ſoluere; nam obiectum, vt diſſonum regulis morum, eſt præter intentionem peccantis, idem enim eſt dicere diſſonum regulis morum, ac priuatum conſonantia, & rectitudine, & ideo ſi priuatio per ſe non intenditur, ſed ſolùm entitas phyſica actus voluntarij, quæ eſt phyſicè bona; ita etiam diſſonantia ad regulas morum per ſe non intenditur, ſed ſolùm entitas ſubſtrata tali diſſonantiæ; quæ quia eſt phyſicè bona, ideo ſpecificat entitatem phyſicam actus, non autem formalitatem peccati, quæ eſt moraliter mala; quam reſponſionem tandem cogitur tradere *Godoy §. 3. num. 17*; qua ſoluit ſuum arg; & per hoc patet ad aliud.

17 Obijc. 3. cum *Gonet.* Motus ſpecificatur, & diſtinguitur à termino *ad quem*, non à termino *à quo*; ſed peccatum eſt motus, qui eſt inter auerſionem, quæ eſt terminus *à quo*, & conuerſionem, quę eſt terminus *ad quem*; ergo peccatum ſpecificatur, & diſtinguitur à conuerſione, non ab auerſione.

Reſp. diſt. ma. Motus, quatenus defectus, non ſpecificatur à termino *à quo*, neg; quatenus effectus, conc; defectus enim, & effectus dicuntur per oppoſitionem; & ideo ſpecificantur per terminos oppoſitos; qui ſunt terminus *à quo*, & *ad quem*; ſed peccatum, vt peccatum formaliter, eſt defectus, vt docet *Beatiſſ. P. vbiſ. c. 6*; & vt entitas phyſica, eſt effectus; ergo peccatum formaliter ſpecificatur ab auerſione, non à conuerſione, per quod magis probatur noſtra concl; nam motus non habet obliquare à ſcopo, niſi quia declinat à termino *à quo* directè reſpiciente ipſum ſcopum, qui eſt terminus *ad quem*.

18 Obijc. 4. Peccatum commiſſionis conſiſtit formaliter in aliquo poſitiuo; ergo nequit ſpecificari à priuatione; quia poſitiuum nequit ſpecificari à priuatione; alıter poſitiuum eſſet formaliter priuatiuum; ſpecificatiuum enim, & ſpecificatiuum ſunt eiuſdem rationis. Prob. ant. In hoc diſtinguitur peccatum commiſſionis à peccato omiſſionis, quòd illud importat actum, iſtud verò carentiam actus.

Reſp. neg. ant. Ad prob. diſt. Importat actum de materiali, conc; de formali, neg.

19 Collig. ex dictis, quòd quotieſcunque ſunt plura præcepta, ſeu leges præcipientes actum vnius tantùm virtutis, ſeu ex motiuo vnius tantùm virtutis; tunc peccatum eſt vnum tantũ, vt v. g. homicidium, quamuis ſit contra legem Diuinam, & humanam; attamen eſt vnum tantùm peccatum. At quando ſunt plures leges præcipientes eundem actum ex motiuo diuerſarum virtutum, tunc peccatum diuerſificatur ſpecie, & ſunt plures malitiæ ſpecie diuerſæ; vt cùm quis furatur in loco ſacro, quod eſt contra iuſtitiam; & religionem, & tunc dicitur furtum, ſacrilegum.

20 Dices. 1. Non recitare officium Diuinum, & non audire Miſſam in die feſto ſunt contra eandem virtutem religionis; & tamen ſunt ſpecie diſtincta; aliter non teneremur explicare in confeſſione, non audiuiſſe Miſſam, aut non recitaſſe officium, ſed ſufficeret dicere ſe peccaſſe contra præceptum in materia religionis; ergo ſola diuerſitas præceptorum ſufficit ad diuerſificanda ſpecie peccata. 2. Præceptum non

co-

Digitized by Google

comedendi carnes tempore quadrageſimæ, & præceptum non comedendi lacticinia procedunt ex eodem motiuo abſtinentiæ; & tamen peccata illis oppoſita differunt ſpecie. 3. Furtum, & rapina differunt ſpecie, & tamen opponuntur eidem virtuti iuſtitiæ. 4. Ieiunium quadrageſimæ præcipitur ab Eccleſia ex motiuo abſtinentiæ, & religionis; & tamen frangens ieiunium non contrahit duas malitias ſpecie diuerſas. Sic ſi Prælatus præcipiat ieiunium ſubdito ex motiuo caſtitatis ſeruandæ hoc ieiunium eſſet ex motiuo abſtinentiæ, & caſtitatis, & tamen inobſeruantia ieiunij non habet duplicem malitiam. Ita non audiens ſacrum in die Dominico, in quo eſt feſtum alicuius Sancti de præcepto, non peccat duplici malitia, quamuis non audire miſſam in die Dominico ſit contra virtutem latriæ, per quã exhibemus cultum Deo; & non audire in feſto alicuius Sancti ſit contra virtutem duliæ, per quã Sanctis veneratio exhibetur; ergo non virtutes, ſed præcepta diuerſificant malitiam peccati.

Reſp. ad 1. quòd licèt audire miſſam, & recitare officium ſpectent ad eandem virtutem generalem religionis, tamen ſpectant ad diuerſas virtutes ſpecificas; nam recitare officium ſpectat ad orationem, quæ eſt actus internus, & audire miſſam ſpectat ad ſacrificium, quod eſt actus externus; ideo diuerſificatur malitia illis oppoſita. Ad 2. neg. ant; nam comeſtio carnis eſt vtique grauior comeſtione ouorum; attamen eſt in eadem ſpecie; & ideo eſt ſolùm circumſtantia aggrauans notabiliter. Ad 3. dicitur; quòd iuſtitia habet duas rationes oppoſitas ſpecificè diuerſas, quæ ſunt tollere rem alienam neſciente, & ſciente domino; ſicut liberalitas habet prodigalitatem, & auaritiam, & hoc eſt de ratione virtutis eſſe inter duo vitia oppoſita, ideoq; habere duas rationes diuerſas, quibus opponuntur duo vitia. Ad 4. diſt. ant. Ieiunium præcipitur ex motiuo religionis explicitè, neg. implicitè, conc; hoc tamen non ſufficit ad diuerſificandam malitiam; & ſic ad aliud de de Prælato. Ad vlt. dicitur, quòd audire ſacrum ſiue in die Dominico, ſiue feſto alicuius Sancti præcipitur tantùm principaliter ex virtute latriæ; quia per ſacrificium exhibemus cultum Deo; quamuis feſtum Sancti præcipiatur minùs principaliter ex virtute duliæ.

21 Dices 2. Multiplicata lege multiplicatur ordo eſſentialis, quem dicit peccatum ad legem; ergo multiplicatur malitia peccati. 2. Si quis voueat caſtitatem, quæ præcipitur lege naturæ; tunc peccatum contra caſtitatem habet duplicem malitiam, etiamſi ſit vnicum motiuũ honeſtatis; ergo ſola multiplicatio præceptorum multiplicat peccata. 3. Si aliquis actus indifferens prohibeatur aliqua lege, cõmiſſio illius ſit mala, licèt non ſit ex motiuo virtutis; ergo lex ſola habet vim inducendi malitiam. 4. Plures leges induunt plures obligationes; ergo actus contra illas habet plures malitias. 5. Lex naturalis ordinat ad finem naturalem, & Diuina ad ſupernaturalem; ergo actus contra has leges habet duplicem malitiam à duplici fine. 6. Ex eo, quòd prohibeatur lege poſitiua aliquod vetitum lege naturali, actus oppoſitus contrahit nouam malitiam, quia ſit contra virtutem obedientiæ; nam ſi prohibeatur actus indifferens, contrahit malitiam inobedientiæ; & ideo ſi addatur hæc prohibitio actui iam prohibito per legem naturalem ſit additio nouæ malitiæ; ergo legum multiplicatio multiplicat malitiam.

Reſp. ad 1. neg. ant; illæ enim leges præcipientes eundem actum virtutis ſe habent per modum vnius ita, vt vna ſit firmatio alterius. Ad 2. dicitur votum inducere nouam obligationem ex motiuo Religionis; eſt enim actus illius. Ad 3. neg; quòd prohibitio non ſit ex motiuo alicuius virtutis; leges enim dantur ad regulandos bonos mores, qui procul dubio ſunt actus virtutum. Ad 4. neg. ant; nam plures leges firmant eandem obligationem, non autem nouam inducunt. Ad 5. neg. 1. pars ant; nam lex naturalis ordinat ad actus virtutum, quæ non ordinantur, niſi ad finem ſupernaturalem. Ad 6. neg. ant; niſi in prohibitione fiat expreſſa mentio obedientiæ; nam cùm non nominatur hæc virtus, cenſetur per legem poſitiuam ſolùm magis firmare legem naturalem timore pœnæ, quam comminatur lex poſitiua. Ad prob. infert. dicitur prohibitionem non inuenire obligationem in actu indifferenti, atque adeo illam fundare; at verò in actu iam prohibito illam inuenire, & ideo illam tantùm firmare.

22 Hæc regula igitur vniuerſaliter ſeruãda eſt; quòd quando aliquod peccatum eſt contra duas virtutes, tunc habet duplicem malitiam; vt cùm quis frangit ieiunium de præcepto Eccleſiæ, & de præcepto Confeſſarij; quia eſt contra virtutem temperantiæ; & pœnitẽtiæ quando autẽ eſt contra vnam tantùm virtutem; vt cùm quis frangit ieiunium in vigilia *S. Matthiæ* occurrente in quadrageſima, eſt vnum tantùm peccatum; & ſic reſpectiuè de alijs.

23 Quæres; an vnitas numerica peccatorum habeatur nedum ab vnitate ſubiecti, ſed etiam ab vnitate obiecti; vt v.g. nedum vna actio ſit vnum peccatum, quia eſt in vno ſubiecto (nam de pluribus actionibus non eſt difficultas, quòd ſint plura peccata) ſed etiam quia habet tantùm pro obiecto vnum, quod eſt ſufficiens materia peccati.

Reſp. in hoc diuidi *Auctores*; *aliqui* enim volunt, quòd ſi v.g. decernat non ieiunare per totam quadrageſimam; non recitare officium per vnum annum; occidere decem homines; mœchari cum decem mulieribus; tot peccata committi; quia ſinguli dies, ſinguli homines, & mulieres sũt materia ſufficiens peccati mortalis. *Ita Azor. & aly.*

24 Pro-

24 Probabilior tamen,& cõmunior eſt; quòd ſi ſit vna ratio non interrupta, eſt vnum tantùm peccatum; quia illa obiecta ſe habent, tanquam obiecta partialia, & inadæquata illius actionis; & quanuis ſingula poſſent eſſe obiectum totale; attamen dum ſimul attinguntur, partialitatem induunt. Sicut quanuis vnus homo poſſit eſſe obiectum totale viſus, quia ille ſolus poteſt videri, attamen ſi videatur ſimul cum alio, eſt obiectum partiale; & ſicut licèt vnus nummus aureus poſſit eſſe obiectum totale furti; attamen ſi rapiatur ſimul cum allo eſt obiectum partiale; ita à pari. Aſſerunt tamen in confeſſione eſſe explicandum; quia illa actio eſt æqualiter multiplex eo, quòd talia obiecta non coniunguntur, ſicuti nummi, & inſeruntur plures malitiæ. *Vid. Auerſ.*

A R T. VII.

Quodnam ſubiectum peccatorum?

1 Colligi poteſt reſolutio huius difficultatis *ex dictis q.1. de Virt.art.3;* ideo breuiter expedietur. Agimus autem hìc ſolùm de ſubiecto peccatorum perſonalium; nam de ſubiecto peccati originalis *inf.* erit ſpecialis tractatio.

2 Illa, quæ concurrunt ad peccatum, ſunt voluntas, quæ mandat actiones peccaminoſas; intellectus, qui illas proponit, & etiam elicit; appetitus ſenſitiuus, qui illas exequitur, quando ſunt ſenſitiuæ; & membra corporis, quæ ſunt organa coniuncta, quibus fit executio. De omnibus his quæri poteſt. Sed difficultas principaliter reſtringitur ad voluntatem; an ſcilicet nullum poſſit eſſe peccatum, quin in voluntate ſit actus malus imperans talem actum peccaminoſum elicitum ab alia potentia?

3 Vnica concl. Nullum poteſt eſſe peccatum, niſi in voluntate ſit actus malus imperans illud, aut non impediens; ſuppoſito tamen actu malo in voluntate poteſt eſſe peccatum etiam in intellectu, & in appetitu ſenſitiuo, tanquam in proprio ſubiecto; in membris verò, tanquam in organis, ſeu inſtrumentis. *Ita Fund. Doct. in 2.diſt.art.2;* vbi docet hanc concluſionem quoad omnes ſuas partes; & quaurùm ad appetitum ſenſitiuum ſpecialiter *diſt. 24. par. 2. q.1. art.2;* quantùm ad rationem *ibid. q. 2. art.1.* Eſt communis *cont. Corrad. apud noſtrum Gibb.* aſſerentem in voluntate non eſſe omne peccatum; & *cont. Caiet;* quem ſequitur *Gonet,* opinantem in appetitu ſenſitiuo poſſe eſſe peccatum veniale abſque eo, quòd in voluntate ſit actus malus; quanuis hoc peccatum ſit leuiſſimum. Quia tamen hoc docet etiam *Mag;* ideo explicandum eſt *iuxta doctrinam Fund. Doct. diſt.24. q.1. vbiſ.*

4 Prob. 1. pars concl. *à Fund. Doct. diſt.41. vbiſ. ex Beatiſs. P. lib. de Vera Relig.* docente: *Vſque adeo peccatum volontarium eſt; quòd nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium; & hoc quidem manifeſtum eſt, vt nulla hinc Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat. Quare aut negandum eſt peccatum committi; aut fatendum eſt voluntate committi;* non eſt autem voluntarium, niſi per actum, quo voluntas illud vult, qui actus procul dubio eſt peccatum; & eſt in voluntate, quia eſt actus immanens; *& lib. 1. de Ciu. Dei c.25. Quòd ſi illa concupiſcentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter noſtræ voluntatis legem, quaſi lege ſua mouetur; quantò magis abſque culpa eſt in corpore non conſentientis, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis? Et Trid. ſeſſ.5. in decret. de peccat. orig. Concupiſcentia, cùm ad agonem relicta ſit,* (vt docet *Beatiſſ. P. in Suppl. cont. Iul. lib. 1. c.*) *nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Ieſu Chriſti gratiam repugnantibus, non valet.* Ex quo ſic. Vbi nullus eſt conſenſus voluntatis, vel explicitus, & formalis; vel implicitus, & interpretatiuus; ibi nullum eſt peccatum, etianſi pars ſenſitiua moueatur contra rationem; aliter in dormientibus eſſet peccatum; imò in nolentibus, & repugnantibus, ac deteſtantibus peccatum, quod implicat; quia deteſtatio peccati opponitur peccato, & illud deſtruit; & ideo nequit ſimul eſſe cum peccato; ſed conſenſus voluntatis ad malum eſt peccatum; ſicut conſenſus ad bonum eſt bonus, & meritorius; & conſenſus eſt in voluntate, quia eſt actus immanens ipſius; ergo nullum reperitur peccatum in potentijs diſtinctis à voluntate, niſi reperiatur etiam in voluntate.

5 Conf. Nullus actus cuiuſcunq; potẽtiæ eſt moraliter malus, niſi aliquo modo ſit liber, vel formaliter, vel participatiuè; ſed ſolus actus voluntatis eſt liber formaliter; actus verò aliarum potentiarum ſunt liberi tantùm participatiuè, quatenus imperantur à voluntate; & imperium mali eſt actus malus, qui actus eſt in voluntate, cùm ſit ab illa immanenter elicitus; non enim ſufficit ad participationem libertatis actus coniungi ad potentiam liberam, ſed neceſſariò requiritur, quòd potentia libera influat in actum ſenſitiuum; quia ex tali influxu participat appetitus libertatem, aliter etiam motus dormientis eſſent liberi, quia coniunguntur cum voluntate; quæ tamẽ quia actu non influit in illos, ideo non ſunt participatiuè liberi; ergo nullus datur actus malus in quacunque potentia, niſi detur actus malus in voluntate.

6 Prob. 2. pars *ab eod. ibid.* Intellectus obediens voluntati imperanti actum malum, elicit actum malum; ſed actus malus elicitus ab intellectu eſt in eodem intellectu, quia eſt actus immanens; ergo in intellectu ſuppoſito peccato in voluntate eſt peccatum. Præterea *diſt. 24. vbiſ.* In intellectu poteſt eſſe ignorantia neglecta, & affectata; ſed hæc eſt peccatum; ergo in intellectu eſt peccatum. Tum quia infidelitas eſt in

in-

intellectu,in quo eſt fides; nam oppoſita habent fieri circa idem ſubiectum; ſed infidelitas eſt peccatum; ergo in intellectu eſt peccatum.

7 Dices intellectum eſſe circa verum,& falſum; & ideo non poſſe elicere actum malum moraliter.

Reſp. eſſe circa verum, & falſum formaliter; quia tamen cum veritate, & falſitate coniuncta eſt bonitas, & malitia moralis; ideo poteſt materialiter elicere actum malum; & in hoc ſenſu loquimur in præſenti.

8 Prob. 3. pars. Appetitus ſenſitiuus eſt aptus natus obedire rationis imperio, quapropter dicitur participatiuè liber; nam præſente proprio concupiſcibili poteſt in illud non tendere; vt docet *Beatiſſ. P. lib. 11. de Gen. ad lit.*; ergo in illo poteſt eſſe peccatum, tanquam in proprio ſubiecto; nam in illa potentia, tanquam in proprio ſubiecto eliciriuo, poteſt eſſe peccatum, in qua eſt actus liber elicitiuè, ſiue formaliter, ſiue participatiuè ſit liber; peccatum enim eſſentialiter eſt actus voluntarius, & ideo liber; ſed in appetitu ſenſitiuo eſt elicitiuè actus, qui eſt liber participatiuè; ergo in illo eſt peccatum. Tum quia in appetitu ſenſitiuo habent eſſe virtutes; ergo & peccata, quæ illis opponuntur priuatiuè; nam priuatio, & forma habent circa idem ſubiectum.

9 Prob. 4. pars. In membris corporis, tanquam in organis, & inſtrumentis, eſt motus, quo peccatum extrinſecè committitur; v. g. motus, quo quis occiditur, eſt in manu; motus, quo quis mœchatur, eſt in membris genitalibus; ſed talis motus eſt peccatum; eſt enim contra legem Dei; ergo in membris corporis, & in potentijs irrationalibus, quæ non habent obedire rationi, nec ſubduntur ciuili voluntatis imperio, ſed deſpoticè tantùm mouentur, eſt peccatum, tanquam in organis, & inſtrumentis, quibus committitur.

10 Obijc. 1. cont. 3. part. concl. Eadem numero malitia moralis eſt in actu interno, & externo; nam actus externus non addit malitiam interno; vt diximus *to. 3. de Act. hum. q. 5. art. 5. §. 3*; ſed iſta malitia eſt formaliter intrinſecè in actu voluntatis; ergo nequit eſſe formaliter in actu appetitus ſenſitiui; quia accidens idem numero nequit eſſe in pluribus ſubiectis. 2. Solus actus voluntatis eſt formaliter liber; & ideo ſolus eſt formaliter bonus, & malus; vt diximus *vbiſ*; ergo in illo ſolo eſt formaliter malitia peccati.

Reſp. *noſter Gibb.* malitiam eſſe formaliter intrinſecè in actu voluntatis, denominatiuè autem extrinſecè in actibus appetitus ſenſitiui; ſicut viſio eſt intrinſecè in oculo, & denominatiuè extrinſecè in pariete. Sed licèt malitia ſit extrinſecè tantùm denominatiuè in actibus externis; eſt tamen intrinſecè in actibus appetitus ſenſitiui, qui ſunt intrinſeci, cùm ſint immanentes, quia appetitus ſenſitiuus habet intrinſecè obedire rationi; nam ſecundùm ſuam naturam habet ab illa participare libertatem; ergo in illo eſt intrinſecè actus liber participatiuè & ideo peccatum non eſt tantùm extrinſecè denominatiuè, ſed intrinſecè participaliter.

11 Reſp. igitur diſt. mi. Iſta malitia eſt formaliter intrinſecè in actu voluntatis,& intrinſecè participaliter in actu appetitus ſenſitiui, conc. tantùm intrinſecè formaliter in actu voluntatis, neg. Ad id, quod ſubditur, dicitur; quòd eadem entitas phyſica accidentis nequit eſſe in diuerſis ſubiectis formaliter; ordinatiuè tamen moraliter poteſt eſſe; quia *vbi vnum propter aliud, vtrobique vnum tantùm*; eadem autem eſt ordinatio, qua actus voluntatis, & appetitus ſenſitiui ordinatur in prauum finem; & ideo idem actus ordinatiuè moraliter, non phyſicè, eſt in pluribus ſubiectis. Tum quia cùm plures potentiæ ſubordinatæ operantur, cenſetur moraliter vna actio, quando moralitas habetur formaliter ſolùm ab vna potentia, vt in caſu. Ad 2. diſt. ant. Eſt formaliter liber libertate dominij, conc. libertate obedientiæ, quę competit etiam appetitui ſenſitiuo, vt diximus *de Virt. vbiſ. n. 17*; neg.

Inſt. Si peccatum eſſet etiam in appetitu, ſequeretur, quòd peccans adulterio v. g. committeret plura peccata ſaltem numero diuerſa, quia eſſet priuatio gratiæ habitualis in anima, charitatis in voluntate, & caſtitatis in concupiſcentia; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant.

Reſp. neg. ma; nam illa plura ſunt per ordinem ad vnum, vt diximus; ſicut enim quanuis omnes humores corporis diſtemperentur, vna tamen eſt infirmitas per ordinem ad vnam ſanitatem animalis; quia ordinatio plurium analogorum ſumit vnitatem numericam à principali analogato; ita dicendum de peccato, quod eſt morbus animæ.

Replic. Quanuis plures filiationes ordinentur ad vnum patrem; attamen multiplicantur ad multiplicationem filiorum; ergo à pari.

Reſp. neg. conſ; nam vnus filius non eſt propter alium, & ideo pater non eſt principale analogatum, ſed principium efficiens eorum.

12 Obijc. 2. cont. 4. part. concl. In illis habet eſſe peccatum, in quibus eſt pœna peccati; dicitur enim *Sap. 11. Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur*; ſed pœna peccati habet eſſe in membris, quia hæc torquebuntur; ergo & peccatum.

Reſp. *Fund. Doct.* diſt. mi. Pœna habet eſſe in membris inſtrumentaliter organicè, conc; principaliter formaliter, neg; in tantùm enim pœna eſt in membris, in quantùm eſt diſplicentia in voluntate, vt dicitur de gaudio.

13 Quæres 1; an nedum in ratione inferiori, ſed etiam in ſuperiori ſit peccatum?

Reſp. affirmatiuè cum *Fund. Doct. diſt. 24. q. 2. vbiſ*; nam ratio ſuperior ſe habet, vt vir; inferior, ſicut mulier; appetitus, ſicut ſerpens;

in

in quibus omnibus fuit peccatum. Imò ratio ſuperior etiam non mota ab inferiori poteſt conſentire in verba otioſa circa Diuina, & peccare venialitèr; vel in idolatriam, & peccare mortaliter; quod dicendum etiam de ratione inferiori reſpectu ſenſualitatis.

14 Quæres 2; an in appetitu poſſit eſſe veniale, quin ſit in voluntate?

Reſp. *Fund.Doct.diſt.24.p.2.q.1.vbi;* quòd in ſenſualitate poteſt eſſe motus. 1. antecedenter ad iudicium rationis, & ad imaginationem. 2. antecedenter ad iudicium rationis, ſed conſequenter ad imaginationem. 3. conſequenter ad vtrunque. Primo modo non peccat; quia eſt motus purè naturalis. Secundo modo peccat venialiter, quia ratio poterat præuidere illum motum, & impedire. Tertio modo peccat mortaliter, ſi materia ſit grauis.

15 Ex hoc patet motus carnis in dormiente eſſe peccata venialia, ſi ratio poterat illos impedire, & aliquo modo cogitauit de illis; ſecus verò eſſe merè naturales.

16 Dices.1. Appetitus ſenſitiuus ſecundùm ſe habet libertatem participatiuè, & ideo dicitur moueri imperio politico, non deſpotico, quòd non eſſet, niſi in ipſo eſſet aliquo modo libertas; ergo in ipſo præcisè poteſt eſſe peccatum. 2. In ipſo dantur virtutes; ergo & peccata.

Reſp.ad 1.neg.ant; nam ſi habet libertatem participatiuè, illam habet ab alio, & ideo illam non habet ſecundùm ſe; quare illa propoſitio deſtruit ſe ipſam. Ad prob. inſert. dicitur appetitum ſenſitiuum moueri politicè ſecundùm aptitudinem, quia aptus natus eſt obedire rationi; non ſecundùm formalitatem, quia in illo non eſt formaliter libertas. Ad 2. diſt.ant. Dantur virtutes, quæ ordinantur eſſentialiter à ratione, à qua dependent in genere, conc; & ſic datur peccatum; independenter à ratione, neg. ant; & conſ.

17 Dices 2. *cum Gonet.* Cauſa inferior ex eo, quòd vniatur ſuperiori, aliquid ab illa participat; vt cogitatiua ex eo, quod vniatur intellectui, diſcurſum imperfectè participat; phantaſia ex eo, quòd vniatur intellectui, accipit vim producendi ſpeciem intelligibilem; ſic Cælum ex eo, quòd vniatur Angelo, accipit vim producendi hæc viuentia; ordo enim prouidentiæ Diuinæ habet ſic vnire inferiora cum ſuperioribus; ergo ex eo, quòd ſenſualitas vniatur cum voluntate, accipit vim producendi actum liberum, licèt imperfectum. 2. Quia libertas appetitus ſenſitiui eſt imperfecta; ideo poteſt producere peccatum veniale, quod eſt minimum inter peccata; ſicut libertas voluntatis, quæ eſt maxima, poteſt producere peccatum mortale, quod eſt maximũ.

Reſp; quòd appetitus ſenſitiuus ex eo, quòd vniatur voluntati, habet libertatem, quia voluntas eſt libertas; illam tamen non participat eius actus, quando operatur ſeorſim à volũtate. Diſt. igitur ant. Cauſa inferior ex eo, quòd vniatur ſuperiori in operatione, conc; ſecus, neg. Ad 2. dicitur libertatem actus ſenſitiui eſſe imperfectã, quando vnitur actui libero voluntatis; cùm autẽ non vnitur, nullo modo eſt liber.

QVAEST. II.

De peccato originali.

DE ſpeciebus peccatorum ſingulatim tractare exordientes à peccato originali, quod eſt primum, & radix aliorum, incipimus ea, quæ fuſiſſimè docet *Beatiſs.P.*, preſſiùs, quo fieri poterit, perſtringentes.

ART. I.

An detur peccatum originale?

1 PRimus inter rebelles à fide Chriſti, qui negauit peccatum originale, fuit *Pelagius*, quem ſequuti ſunt *Cæleſtius*, *& Iulianus.* Fides tamen oppoſitum docet.

2 Hanc fidei cauſam adeo ſolidè propugnauit *Eccleſiæ Magiſter Beatiſſ.P.Aug.* præcipuè *lib. 2.de Peccat.Orig., duobus de Nupt; & Concup; quatuor cont.duas Epiſt.Pelagian; tribus de peccatorum merit; & remiſs; ſex primis cont.Iul; nec non alijs cont.Pelagianos, vt de Perfect.Iuſt; de Grat. Chriſti &c;* & tandem *in ſuppl.cont.Iul.ſex libris* in fine vitæ, tanquam vltimo codicillo hæredibus Catholicæ fidei relicto; vt *Pelagiana hereſis* penitus extincta remanſerit; & *Innoc.III. Ep. 24. ad PP. Conc.Carthag.* confirmans acta *Concilij à Beatiſs. P. confecta* reſcripſerit: *Nec quicquam ſupereſſe duximus, quod dicemus, cùm nihil prætermiſſum à vobis, nihil conſtet eſſe ſuppreſſum, quo illi refutati, & penitus cognoſcantur eſſe conuicti;* & *S.Hier.lib.3.cont.Pelagianos,* qui tantùm duos libros *ad Marcellinum cont.Pelagianos à Beatiſs.P. conſcriptos* potuerat legere morte interdictus, teſtatus fuerit: *Superſedendum huic labori iam cenſeo, ne dicatur mihi illud Horatij: In ſiluam ne ligna feras; aut enim eadem dicemus ex ſuperfluo, aut ſi noua voluerimus dicere, à clariſſimo ingenio Auguſtini occupata ſunt meliora.*

3 Et quamuis poſt triplex *Concilium*, ſcilicet *Palaſtinum, ſeu Dioſpolitanum, Carthaginenſe, & Epheſinum,* in quibus *hereſis Pelagiana* fuit *Beatiſs. Patris ſcriptis* damnata, repullulauerit in quibuſdam *Pelagij* germinibus; vt *in Armenis apud Palao lib.12; Albigenſibus apud D.Antonin. 4.p.t.7.c.11.§.5; Abaylardo ep.188; Luciano ſuper Chriſoſt; Zuinglio lib. de pecc. orig; Eraſmo Roterod.in comm.c.5.ad Rom; & alijs Anabaptiſtis;* attamen doctrina *Beatiſſ. Patris* ſemper inconcuſſa conteruntur confoſſi, vt factum fuit *in Concil. Araux.II; Flor; & Trid;* nec opus eſt aliud quærere; cùm ab ipſo inuenta ſint meliora; vt ſi quid

nouum

nonum occurrat, minùs validum, ac ſolidum ſit grauiſſimo *D.Hier.* teſtimonio cenſendum.

4 Igitur in hoc diu immorandum non eſt; ſed tantùm aliqua ſelectiora *Scripturæ loca à Beatiſs.P.* adducta; nonnullaſque eiuſdem rationes *ex Scripturis*, *& Eccleſiæ* ritibus deductas afferemus.

5 Vnica concl. Omnes homines deſcendentes *ab Adam* via generationis de lege ordinaria contrahere peccatum originale eſt dogma Fidei. Hanc concl. docet, & probat *Fund.Doct.in 2.diſt. 30.q.1 art.2.,& ſeq.*

6 Diximus *via generationis*; quia Chriſtus Dominus, qui non fuit conceptus ex ſeminum commixtione, & ideo non via generationis; quãuis noſtram carnem aſſumpſerit iam à labe purgatam, non contraxit peccatum originale. Dicitur *de lege ordinaria* propter *Beatiſſimam Virginem Mariam*, de cuius præſeruatione *ſuo loco* dicemus; vnde concl. reſtringitur ad alios homines, quos nec priuilegium maternitatis excepit; nec extra viam humanæ generationis giguntur.

7 Prob. 1. ex illo *Iob. 14. Quis enim erit mundus à ſordibus? Ne vnus quidem, etiamſi vnius diei vita eius ſuper terram.* De hoc *Beatiſſ.P. in Suppl. lib.c. c.5; & 63*; arguitur ſic. Infans vnius diei non eſt liber à ſorde peccati; ſed ſordes huius peccati eſt peccatum originale; nam nequit eſſe peccatum perſonale commiſſum à perſona pueri vnius dici, quæ nequit peccare, cùm careat vſu rationis; & ideo erit originale; nullum enim aliud peccatum reperitur vltra perſonale, niſi originale; cùm per hæc duo diuidatur adæquatè peccatum; ergo datur peccatum originale.

8 Prob. 2. *ex pſ. 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* De quo *Beatiſs. P. vbiſ. c.52; & lib.2. c.73; & lib.1.c.112.* Ex quo ſic. Maculari peccato in ſui conceptione eſt contrahere peccatum originale; ſed omnes homines in ſua conceptione maculantur peccato; ergo omnes homines contrahunt peccatum originale.

9 Prob. 3. *ex Rom. 5. Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſijt; in quo omnes peccauerunt.* De quo *ibid. lib.1. c.106*; ex quo ſic. Ille, qui ab alio contrahit pœnam, contrahit etiam culpam; quia pœna eſſentialiter culpam ſupponit; ſed omnes *ab Adamo* contrahimus pœnam, quia contrahimus mortem, quæ eſt pœna; in tantùm enim morimur; in quantùm contrahimus carnem mortalem; nam ſi ſortiremur carnem immortalem, in illa mori nõ poſſemus; ergo omnes *ab Adamo* contrahimus culpam.

10 Huic *Apoſt.* teſtimonio reſpondent *Pelagiani* tripliciter. 1. Peccatum tranſijſſe per imitationem, & per exemplum. 2. Intelligendum eſſe de pæna peccati, non de peccato. Ita *Zuingliue ex Iulian. inf.* 3. Intelligendum eſſe de inclinatione ad peccandum, non de peccato.

Sed contra eſt *Beatiſſ.P. vbiſ. lib.2.c.47. vſque ad 70.* Ad 1. ergo à *c.47. act.* Per illum tranſit peccatum per exemplum imitandum, per quẽ primò tranſijt in mundum, & qui nullum imitando peccauit; ſed per Diabolum primò tranſijt peccatum in mundum, & Diabolus nullum imitando peccauit, *Adam* verò imitatus eſt Diabolum, & per *Adam* peccatum primò non tranſiji in mundum; ergo per Diabolum, non per *Adam* tranſit peccatum per exemplum imitandum. Præterea paruuli decedentes ante vſum rationis non poſſunt peccare exemplum *Adę* imitando, quia nequeunt in ſe ipſis peccare; ergo in ipſos non tranſijt peccatum imitatione, & exemplo. Præterea ſi peccatum tranſiiſſet ad exemplum, *Apoſt.* poſuiſſet *Euam*, à qua primò incepit peccatum; ſed poſuit *Adam*, vt oſtenderet peccatum tranſijſſe per generationem; quia vir priùs ſeminat, & poſteà fœmina concipit. Tum quia ita transfunditur peccatum *per Adam*; ſicut gratia per Chriſtum; hæc enim duo poſuit *Apoſt*; ſed gratia per Chriſtum non transfunditur ſolùm exemplo, & imitatione, primum enim exemplum iuſtitiæ dedit *Abel*; ergo nec peccatum *per Adam* transfunditur per imitationem, ſed per generationem, ſicut gratia transfunditur per Chriſtum per regenerationem. Ad 2. *ibid. c. 68. Apoſtolus* ait nedum tranſijſſe mortem, quæ eſt pœna peccati, ſed etiam ipſum peccatum, cui pœna debetur; ergo nequit intelligi de ſola pœna peccati. Ad 3. reſp. *ibid. lib.2. c.71.* quòd concupiſcentia peccati non eſt peccatum; quia ei reſiſtendo non peccamus; ſed inclinatio ad peccandum eſt concupiſcentia peccati; ergo inclinatio ad peccandũ non eſt peccatum, de quo loquitur *Apoſt.* Item *ibid.* Concupiſcentia ad peccandum non tollitur per Chriſti baptiſmum, & peccatum tollitur per baptiſmum; nam *Agnus, qui tollit peccata mundi, reatum peccati, quod generatione trahitur, regeneratione diſſoluit; & lib.1.c.71.* iam dixerat: *Reatus eius regeneratione ſolutus eſt; conflictus eius ad agonem relictus eſt*; ergo nomine peccati inclinatio ad peccandum nequit intelligi.

11 His inhærens *Conc.Trid. ſeſs.5. in decret. de peccat.orig.c.3.,& 4.* definit: *Si quis hoc idem peccatum, quod origine vnum eſt, & propagatione, non imitatione transfuſum omnibus &c.*; & per hoc damnatur prima reſponſio. *Et Conc.Araux.II. Si quis ſoli Adæ prauaricationem ſuam, & non eius propagini nocuiſſe; aut certè mortem tantùm corporalem, quæ eſt pęna peccati, non autem & peccatum, quod eſt mors animæ, per vnum hominem in omne genus humanum trãsyſſe teſtatur, iniuſtitiam Deo dabit &c.* Hoc repetit *Flor. & Trid.*, & per hoc damnatur ſecunda reſponſio. Tandem *Trid. vbiſ.can.5.* ſtatuit: *Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, S. Synodus declarat Eccleſiam Catholicam nunquam intelle-*

xiſſe peccatum appellari, quod verè, & propriè in renatis peccatum ſit; ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Quæ verba ſunt *Beatiſſ. Patris vbiſ. lib.* 2. *c.* 71. *& lib.* 1. *de nupt. c.* 23; *& lib.* 1. *Retract. c.* 15. Ex quibus patet *Concilia* nec quidem vnguem diſtare à *Beatiſs.* P. doctrina.

12 Inſt. *cum Iul.* Si *textus Apoſt.* intelligeretur de peccato per generationem contracto, debuiſſet dicere: *Per vnum hominem, & vnam mulierem*; quia generatio fit per virum, & fœminam.

Reſp. *Beatiſs.* P. *in Suppl. lib.* 2. *c.* 173., quòd ſatis fuit hominem nominaſſe, vt intelligeretur & mulier; quia vir, & mulier *erant duo in carne vna*; vnde cùm ex carne maculata traducatur peccatum, ſatis fuit dixiſſe: *Per vnum &c.* Secundò quia generatio à viro incipit; nam per ſolum virum ſeminatur fœtus, quem concipit fœmina; ideoque per ſolum virum actiuè traducitur caro, & cum carne peccatum.

13 Prob. autem ratione deſumpta *ex Suppl. lib.* 1. *c.* 3; 25; 35; *&* 49; *& pluribus alijs*. Pœna eſſentialiter ſupponit culpam; nam qui torquet innocentem, iniuſtus tyrannus, non iuſtus iudex habetur, ſed omnes homines naſcuntur cum pœna ab exitu ventris materni vſque ad mortem; ergo naſcuntur cum culpa; aliter Deus, qui eos punit, non iuſtiſſimus Iudex, ſed iniuſtus habetur.

14 Prob. 2. *ex eod. ibid. c.* 5. Pro paruulo iubebatur *Leuit.* 12. offerri ſacrificium pro peccato; aliter interitura erit anima paruuli; & hoc etianſi ex legitimo matrimonio natus eſſet; ergo quilibet naſcitur cum peccato; aliter ſacrificium offerretur pro peccato, quod non eſse in paruulo.

15 Prob. 3. *ex eod. c.* 50; *& lib.* 3. *c.* 200; *& lib.* 4. *c.* 76. Paruuli *ex Apoſt.* naſcuntur *filij iræ*; & ſub poteſtate Principis tenebrarum, qui eſt Diabolus; ſed nullus eſt ſub poteſtate Diaboli, niſi per peccatum; ergo paruuli naſcuntur cum peccato. Prob. ma. Paruuli in baptiſmo exufflàtur, & exorcizantur, vt eruantur à poteſtate Diaboli, & vt Diabolus mittatur foràs; ſed hoc non fieret, niſi naſcerentur ſub poteſtate Diaboli; ergo paruuli naſcuntur ſub poteſtate Diaboli. Prob. mi. Sicuti per gratiam efficimur membra Chriſti; ita per peccatum captiui efficimur Diaboli.

16 Conf. In collatione baptiſmi interrogatur puer, an velit abrenunciare peccato, quo tenetur ſeruus Diaboli; pro quo reſpondent parentes: *Abrenuncio*: ergo in illo eſt peccatum; aliter non haberet, cui renunciaret, nec quo teneretur ſeruus Diaboli.

17 Prob. 4. *ex c.* 53. Nullus poteſt excludi à regno Dei, niſi propter peccatum iuxta illud *Io. Qui peccat, non videt Deum*; ſed paruuli morientes ſine baptiſmo excluduntur à regno Dei iuxta illud pariter *Io. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non introibit in regnum Dei*: ergo idem.

18 Dicit *Iul.* baptiſmum non lauare à peccato, ſed innouare innocentes in melius adoptando ad filiationem Dei, & ad municipatum cæleſtis *Ieruſalem*.

Reſp. *Beatiſs.* P. *ibid.* In tantùm Deus ſummè beneficus negat gratiam alicui, in quantùm habet peccatum, ob quod gratiam demeretur; ſed pluribus paruulis denegatur gratia baptiſmi; quia plures moriuntur ſine baptiſmo; ergo in illis eſt peccatum. Tum quia non indiget lauari, *qui eſt mundus totus*; ſed per baptiſmum lauantur; ergo ſunt immundi.

19 Prob. 5. *ex c.* 64; *& lib.* 2. *c.* 29. Chriſtus Dominus pro omnibus mortuus eſt, qui per peccatum mortui ſunt; vt docet *Apoſt.* 2. *Cor.* 5; ſed etiam pro paruulis mortuus eſt; quia eſt vniuerſalis omnium Redemptor, & Iudex; ergo etiam paruuli per peccatum mortui ſunt; non perſonale; ergo origiale. Alias rationes *vid. apud eundem ibid.*

20 Obijc. 1. *Iul. Apoſtolus Rom.* 5. ſtatim addit per vnum hominem conſtitutos fuiſſe peccatores *multos*; qua particula explicat illud *omnes*, in quos dixerat tranſiſſe peccatum; ergo peccatum non traducitur per generationem, ſed per imitationem; & ideo *ly omnes* facit ſenſum diſtributionis accommodæ, vt ſcilicet omnes fiant peccatores, qui *Adæ* imitatione peccauerint.

Reſp. *Beatiſs.* P. *ibid. lib.* 2. *c.* 145, quòd *ly multi* dicitur per comparationem *ad paucos*, non per oppoſitionem ad omnes. Sic Deus dixit *Abrahæ*: *Conſtitui te Patrem multarum gentium*; ex hoc tamen non deducitur, quòd *Abraham* nō fuerit pater omnium gentium; ſed infertur, quòd fuerit pater omnium gentium, quæ multæ ſunt. Quia ergo reperiuntur *omnes*, qui pauci, ſunt; vt tres pueri fornaeis ſunt *omnes*, qui proiecti fuerunt in fornacem; & tamen pauci ſunt; non multi; ſic quinque digiti manus ſunt omnes; qui tamen pauci ſunt in comparatione omnium capillorum capitis, qui omnes, & multi ſunt, ita peccatum per *Adam* tranſijt in omnes homines, qui multi, non pauci ſunt.

21 Obijc. 2. *Idē ex Apoſt.* 1. *Cor.* 7. habetur: *Filij noſtri ſancti ſunt*; ergo filij fidelium non contrahunt peccatum originale. 2. *D. Hier. in Ezech.* 19; *& D. Ambr. in pſ.* 48., *& D. Chriſt. ep. ad Neophit.* apertè docent in infantibus non eſſe peccatum, 3. Si per originem traduceretur peccatum, ſequeretur nuptias eſſe malas, & opus diaboli; quia per actum matrimonij gigneretur filius diabolo mancipatus.

Reſp. ad 1. *Beatiſs.* P. *in Supp. lib.* 1. *c.* 68. neg. conſ; nam licèt parentes ſint ſancti; quia tamen in actu matrimonij traſgrediuntur limites procreationis filiorum, cùm agant ex libidine, & motu concupiſcentiæ carnalis, quæ mala eſt, coniugio, quod bonum eſt, bene vtuntur; ſed carnali voluptate orta ex concupiſcentia carnis aduerſus ſpiritum peccant venialiter, licèt

eos

eos à peccato mortali ſaluet connubium. igitur ille actus generationis, quatenus habet adiunctam libidinem, & concupiſcentiam carnalem, transfundit in filios originale peccatum. Ad *Apoſt.* autem dicitur nihil aliud intendere, quàm quòd filij orti ex parentibus, quorum alter eſt infidelis, eandem ſanctitatem accipiant in baptiſmo, quam accipiunt filij orti ex parentibus ambobus fidelibus. Ad 2. reſp. *Beatiſs. P. ibid. c.53;* vbi oſtendit DD. *Cypr., Hil; Ambr; Greg; Chriſoſt.* apertè docere peccatum originale. Idem habet *lib. 1. cont. Iul. c.2; & ſeq.* vbi ait; quòd quando SS.PP. aſſerunt in paruulis non eſſe peccatum, loquuntur de peccato perſonali, non originali. Ad 3. reſp. *ibid. c.65; & lib. 1. de nuptijs c.1; & lib.2. c.4;* quòd nuptiæ poſſunt conſiderari, quatenus important puram commixtionem maris cum fœmina cum ſola intentione procreationis filiorum, vt fuiſſent in ſtatu innocentiæ; & in hoc ſenſu bonæ ſunt, & eorum fructus bonus eſt, & ideo opus Dei, non diaboli. Vel poſſunt conſiderari, quatenus copula coniugalis habet adiunctam concupiſcentiam ortam ex peccato; & ſic ſunt malæ, quo malo bene vtuntur coniuges, non adulteri; & ideo illi, non iſti ſaluantur à peccato mortali, quapropter nuptiæ dicuntur eſſe in remedium libidinis; fructus autē nuptiarum, quatenus ex libidine deſcendens, cōtrahit peccatum originale; quatenus verò homo eſt, bonus eſt, & Deo tranſcribitur.

22 Dices. Si paruulus ex eo, quòd naſcatur ex actu libidinoſo, contraheret peccatum originale, ſequeretur, quòd parentes peccarent mortaliter; quia inficerent paruulum peccato originali, quod eſt mortale; nam ponerent actum generationis, ad quem ſequeretur peccatum originale.

Reſp. neg. ſeq; nam parentes ponunt tantùm actum generationis libidinoſum, qui eſt venialiter malus; quia tamen per illum communicatur natura infecta peccato *ab Adamo*; ideo filij naſcentes contrahunt peccatum originale.

23 Inſt. Natura parentum baptizatorum eſt purgata à peccato originali; ergo per communicationem ipſius non contrahitur peccatum.

Reſp. *ex Fund. Doct. in 2. diſt. 32. q 1. art. 2. ad 1.* diſt. ant. Natura eſt purgata, prout eſt aliquid in ſe, conc; prout eſt principium alterius, neg; ſicut enim triticum, quamuis ſit purgatum à palea, prout eſt aliquid in ſe reponendum in horreo; attamen prout eſt principium alterius tritici, ſi ſeminetur, naſcitur cum palea; & hoc exemplum traditur *à Beatiſs. P. lib. 3. de peccat. meritis & remiſs. c.3. Vid. lib. 6. cont. Iul. c. 2; & 3.* vbi ait, quòd ſicut oleaſter inſertus in oleam, fit olea, tamen ex eius ſemine generatur oleaſter, non olea; & ſicut *ex Hebræis* circuncisis naſcuntur filij incircuncisi; ita à pari.

24 Obijc. 3. *Deut. 24.* habetur: *Non morientur patres pro filijs, & filij non morientur pro patribus. Vnuſquiſque in ſuo peccato morietur.* Et *Ezech. 18. Filius non portabit iniquitatem patris*; ergo paruuli non contrahunt peccatum originale a parentibus.

Reſp. *Beatiſs. P. in Suppl. lib. 3. c. 12* Illud *Deut.* dictum fuiſſe de filijs iam natis, non in primo parente damnatis; & fuit præceptum datum *Iudicibus* populi, ne damnarent morte patrem pro filio, aut filium pro patre; ſed vnuſquiſque pro ſuo peccato perſonali damnaretur; & hoc eſt ſecundùm iuſtitiam humanam; nam ſecundùm iuſtitiam Diuinam filij damnātur pro patre, quapropter vniuerſali diluuio perditi ſunt filij ſimul cum patribus, & ſimul cum filijs *Sodomitas patres* ignis abſumpſit. Sic vnus *Acan* peccauit, & tamen ſimul cum filijs, ac filiabus occiditur. *Cain* peccauit; & eius filij vſque ad ſeptimam generationem maledictione puniuntur; & *Leuit. 26. Qui remanſerint ex vobis, diſperibunt propter peccata ſua, & propter peccata patrum ſuorum.* Et *Exod. 20. Reddam peccata patrum in filios.* Et *Deut. 5. Reddens peccata patrum in filios vſque in tertiam, & quartam generationem.* Et *Hierem 32. Reddens peccata patrum in ſinu filiorum eorū poſt eos.* Ad illud *Ezech. reſp. ibid. c 38.* per Prophetam deſignari promiſſionem *noui Teſtamenti*, in quo filij iam nati tranſeuntes ad Chriſtum per baptiſmum nihil damnationis cōtractæ à patre per generationem retinent; & ſi adulti fuerint, ſecundùm propria facta tantùm iudicantur.

25 Obijc. 4. 2. *Cor.* 5. habetur. *Omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque ſecundùm ea, quæ per corpus geſſit, ſiue bonum, ſiue malum*; ſed paruuli ſiue bonū, ſiue malū non geſſerunt aliquid in corpore; ergo non iudicabuntur à Chriſto; & ideo non habent peccatum originale, per quod erant in damnationem.

Reſp. *ibid. c.109.* hunc *textum* intelligi de adultis; nam paruuli, ſicut ſine vllo proprio bono opere viuificantur per Chriſtum in baptiſmo; ita ſine vllo malo opere proprio damnantur *in Adam.*

26 Obijc. 5. Anima non eſt ex traduce, ſed creatur à Deo; ergo nequit contrahere generatione peccatum.

Reſp. *ibid. c.93. & lib. 4. c.103*; quòd anima ſiue ſit ex traduce, ſiue per creationem, ex eo tamen, quòd recipiatur in corpore producto per viam generationis, contrahit peccatum originale.

27 Obijc. 6. Omne peccatum eſt voluntarium; ſed in paruulis nullus vſus eſt voluntatis; ergo in ipſis nullum eſt peccatum.

Reſp. *ibid. lib. 1. c. 47. & ſæpe alibi*; quòd peccatum aliud eſt peccatum tantùm, & hoc eſt voluntarium in ſe ipſo; aliud eſt peccatum ſimul, & pœna peccati, vt eſt peccatum originale; & hoc eſt tantùm voluntariū in alio. Sicut enim

patuuli in baptiſmo credunt voluntariè in parentibus; ſic potuerunt voluntariè *in Adam* peccare. *Aliæ obiect.* ſoluentur *inſeq.*

A R T. II.

An peccatum originale habeat rationem culpæ, & voluntarij?

1 QVoniam docet *Beatiſs P.* dari triplex peccatum, ſcilicet qood eſt tantùm peccatum, vt fornicatio; & peccatum, quod non eſt verè, & propriè peccatom, ſed tantùm pœna peccati; vt concupiſcentia, quæ *ab Apoſt.* vocatur peccatum, & tamen non eſt verè, & propriè peccatum, ſed tantùm pœna, & effectus peccati, & peccatum, quod eſt verè, & propriè peccatum ſimul, & pœna peccati, vt peccatum originale; peccarum antem culpa eſt, & oon eſt peccatum, niſi ſit voluntarium; ideo quæritur; an peccatum originale habeat rationem culpæ, & voluntarij.

2 Not. inſuper *Fund. Doct*; quòd quicunque defectus importat carentiam alicuius perfectionis ſibi debitæ, vel ſimpliciter, & abſolutè, idèſt ſecundùm naturam; vel ex quadam decentia Diuinæ honitatis, ſuppoſita ordinatione creaturæ in finem ſupernaturalem, & hoc eſt ſecundùm gratiam. Igitur peccatum originale, prout importat carentiam iuſtitię originalis, qua ratio perfectè ſubdebatur Deo, & ſenſus rationi, habet rationem peccati, quia habet rationem defectus alicuius perfectionis, quæ licèt ſit indebita ſecundùm naturam, cùm ſit donum ſupernaturale, per quod natura ordinabatur in finem ſupernaturalem: eſt tamen debita ſecundùm decentiam Diuinæ bonitatis, & ſuppoſita ordinatione naturæ rationalis in finem ſupernaturalem, & ſic dicitur debita ſecundùm gratiā. Ita gloria dicitur debita iuſto, non quidem ſimpliciter ſecundùm naturam, ſed ſuppoſita Diuina ordinatione ſecuodùm gratiam; ſic enim redditur ex iuſtitia.

3 Prima ſententia vult peccatum originale non habere rationem culpæ, aut peccati moralis, quia non habet rationem voluntarij. Refertur *Dur. hìc q.2 t*; qui tamen viodicatur *à Godoy hìc q.81. diſp.32. §.3. n. 32.* Tribuitur etiam *D.Bon. in 2. diſt. 30. art.1. q.2; Ruard; & Lorc. apud Gibb; & Mayr; Altiſiod; & alijs apud noſtrum Baſil. Legion. variar. dubit. reſol.3.*

4 Noſtra tamen docet peccatum originale eſſe verè, & propriè peccatum morale, & habere rationem culpæ, ac voluntarij. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 30. q.1. art.4; & dub. lat.1., & 2. ſeq; Greg. Arim. diſt.30. q.1. art.1; Argent. ibid. art.2; Gibb; Baſil. vbiſ. & omnes noſtri communiter.* Ita etiam *D. Thom*; quem ſequuntur *omnes eius Diſcipuli,* vt teſtantur *Gonet hìc diſp.7. art.2; & Godoy vbiſ., ac omnes alij Theologi.*

5 Vnica concl. Peccatum originale habet verè, & proptiè ratiooem deformitatis moralis; & ideo verè, & propriè rationem peccati, culpæ, & voluntarij.

6 Prob. 1. *ex Apoſt. Rom. 1.* docente: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt.* Deinde: *Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi; ita & per vnius obeditionem iuſti conſtituti ſunt multi.* Ex quibus ſic. Peccatum originale, quod fuit *ab Adam* traductum in poſteros, habet veram rationem delicti, cui reſpondet damnatio, tanquam pœna ipſi debita; & per illud homines verè conſtituuntur peccatores, à quo nequeunt liberari, & iuſtificari, niſi per gratiā Chriſti Redemptoris; ſed delictum, cui reſpondet damnatio, tanquam pœna ipſi debita; & per quod homines cooſtituuntur peccatores; & à quo non liberaotur, niſi per gratiam Chriſti Redemptoris, habet veram, & propriam rationem peccati, quia peccato ſolùm reſpondet damnatio; & culpæ pęoa, nā culpæ tantū pęna debetur; & culpa ſolùm redimitur per gratiam Chriſti; nam Chriſtus Dominus non venit tollere pęnas contractas per peccatum origioale, ſed culpā ſolùm; patet enim, quod adhuc omnes morimur, & miſerijs per illud couractis affligimur; & tandem illo peccato omnes peccauimus ita, vt potuiſſemos *cum ipſo Adam* non peccare; ergo peccatum originale habet veram, & propriam rationem peccati, culpæ, & voluntarij.

7 Conf. Peccato originali omnes Deo moriuntur; habet enim *idem Apoſt. In omnes homines mors pertranſijt*; & vt viuificarentur, mortuus eſt Chriſtus; qui *pro omnibus mortuus eſt*; non eſt autem mortuus pro morte corporis, quia hæc adhuc durat poſt mortem Chriſti; ſed pro morte animæ, quæ eſt priuatio vitæ æternæ; viuificamur autem, cùm per gratiam Chriſti à peccato iuſtificamur; ſed id, quo morimur Deo, & quo priuamur vita æterna, eſt verè, & propriè peccatum, culpa, & voluotarium; quia hæc ſolùm priuant nos vita æterna; & ab his ſolùm liberamur à gratia Chriſti *in iuſtificationem vitæ*; ergo peccatum originale habet verè, & propriè rationem peccati, culpæ, & voluntarij.

8 Prætetea Eccleſia *in Sabbatho Sancto* canit: *O felix Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt! O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem!* Atqui Chriſtus non deleuit ſolum peccatum, prout fuit in ſolo *Adam*; ſed prout eſt io omnibus hominibus, qui *cum illo* perieruot in condemoationem: ergo peccatū *Adæ*, prout transfuſum io poſteros, habet veram rationem culpæ, & voluutarij.

9 Prob. inſuper ex illis *Scripturæ* teſtimonijs, in quibus peccatum originale vocatur *ſordes,*

des,

des, vt *Iob.*14; *iniquitas*, vt *pſ.*59; *delictum*, vt *Rom.*5; & alijs conſimilibus vocibus, quæ ſignificant verè, & propriè peccatum, culpam, & voluntarium.

10 Item *Trid. ſeſſ. 5. in decret. de pecc. orig. n.*5. ſtatuit: *Si quis per Ieſu Chriſti Domini gratiam, quæ in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet &c.* Ex quo ſic. Reatus peccati originalis importat damnationem; ſed damnatio ſupponit culpam, aliter innocens damnaretur; ergo idem. Tum quia gratia Chriſti in baptiſmate tollit id, quod habet veram, & propriam rationem peccati; ſed peccatum originale tollitur per gratiam Chriſti in baptiſmate; ergo habet veram, & propriam rationem peccati.

11 Prob. 2. *ex Beatiſſ. P.*, qui licèt aliquando aſſerat peccatum originale non eſſe voluntarium; attamen loquitur de voluntario in ſe; nã *lib.* 1. *Retract. c.*13. ait: *Illud, quod in paruulis dicitur originale peccatum, cùm adhuc non vtantur voluntatis arbitrio, non abſurdè vocatur etiam voluntarium, quia ex primi hominis mala voluntate contractum factum eſt quodammodò hæreditarium.* Ex quo ſic. 1. Peccatum eo modo, quo committitur, eſt voluntarium; ſed peccatum originale committitur in *Adam*; ergo eſt in voluntarium in *Adam*. Ma. patet; nam ſi peccatum committatur à voluntate peccantis, eſt voluntarium in ſe ipſo; ſi verò à voluntate alterius, eſt voluntarium in alio. Mi. etiam coſtat; nam *omnes in Adam peccauerunt*. 2. Hæredes ſecundùm legem dicuntur voluntariè conſentire omnibus actibus pertinentibus ad hæreditatem, quos pater committit; ſed peccatum originale eſt hæreditarium, quia paternum; ſicut enim omnes hæreditario iure conſecuti fuiſſent iuſtitiam originalem, ita hæreditariè conſequuntur priuationem illius, in qua peccatum originale conſiſtit; ergo omnes conſenſerunt peccato *Adę*, & ideo omnibus eſt volnntarium in alio.

12 Conf. *ex eod. in Sup. lib.*4 *c.*103. *Propter Abrahã Leui accipiens decimam decimatus eſt; adhuc enim in lumbis patris ſui fuit, cùm ei occurrit Melchiſedech.* Ex quo ſic. Poteſt filius exiſtens in patre accipere decimas per voluntatem exiſtentem in patre; ergo à pari; ſicut enim acceptio decimarum fuit voluntatia *Leui* exiſtenti in patre; ita à pari.

13 Duas alias rationes aſſignat *Fund. Doct. dub.* 1. *vbi ſ.* Habitus vitioſus eſt voluntarius, quia gignitur ex actibus voluntarijs; & quia actiuè inclinat in actus malos, qui ſunt voluntarij; ſicut enim ignis dicitur piger, quia pigros facit, vt docet *Beatiſſ. P.*; ita habitus vitioſus dicitur voluntarius, quia inclinat in actus voluntarios, quamuis ipſe habitus tranſierit in naturam; ſed peccatum originale aſſimilatur habitui vitioſo, quia genitum eſt ex actu voluntario *Adæ*, & inclinat ad actus malos voluntarios; ergo idem.

14 Aduertit tamen *dub.* 2. *lat.* peccatum habituale, & originale quadrupliciter differre. 1. quia habituale dicit aliquid per modum appoſitionis, nempe facilitatem ſuperadditam potentiæ ad peccandum, originale verò dicit aliquid per modum ſubtractionis, nempe carentiam iuſtitiæ originalis. 2. habituale gignitur ex actibus procedentibus à potentia, ideo per ſe primò eſt infectio potentiæ; originale contrahitur per generationem, quæ eſt opus naturæ, ideo eſt infectio naturæ. 3. habituale eſt malum perſonale, originale eſt malum naturæ. 4. illud gignitur ex pluribus actibus, hoc ex vno inobedientiæ actu ortum eſt.

15 Secunda ratio *Fund. Doct.* eſt. Proxima diſpoſitio ad formam videtur eſſe eiuſdem generis cum forma, ad quam diſponit, & ad quam effectiuè concurrit; quia via eſt in eodem genere cum termino, ad quem tendit; & motus cum forma, ad quam eſt motus; ſed peccatum originale eſt diſpoſitio proxima, via, & motus ad peccatum perſonale; nam ſuo pondere trahit voluntatem ad peccata perſonalia, niſi baptiſmo deleatur; ergo peccatum originale eſt eiuſdem generis cum peccatis perſonalibus. Atqui peccata perſonalia ſunt voluntaria; ergo & peccatum originale.

16 Obijc. 1. Voluntariũ debet eſſe à principio intrinſeco, vt patet ex eius definitione; ſed peccatum originale non eſt huiuſmodi, quia eſt à voluntate *Adę*, quæ eſt extrinſeca omnibus naſcentibus; ergo non eſt voluntarium omnibus naſcentibus. 2. Illud dicitur voluntarium alicui, quod eſt in poteſtate illius, vt ſit, vel non ſit; ſed peccatum originale non eſt in poteſtate paruulorum, vt ſit, vel non ſit; ergo non eſt paruulis voluntarium. 3. Ideo eſſet voluntarium in alio, vel quia ille tranſtulerit ſuam voluntatem in alium; tunc enim ex conſenſu transferentis propriam voluntatem in alium, cenſetur voluntariũ tranſferenti, quiquid alius egerit; vel quia voluntas vnius reputatur pro voluntate alterius; ſed primum non poteſt eſſe; quia paruuli non potuerunt transferre ſuam voluntatem *in Adam*, cùm non eſſent in ſeipſis; & ſecundum non ſufficit; nam ſi caſtrum tradatur à Rege alicui militi prò ſe, & pro ſuis filijs, rebellante patre priuantur caſtro etiam ipſi filij; & tamen nullus diceret illam priuationem eſſe filijs voluntariam; ergo peccatum originale non eſt poſteris voluntarium.

Reſp. ad 1. *ex Fund. Doct. hic ad* 1. neg. mi; cùm enim peccatum originale ſit per ſe primò infectio naturæ, & ex conſequenti infectio perſonæ, cùmque natura ſit intrinſeca omnibus naſcentibus; ideo in omnibus eſt à principio intrinſeco. Et licèt peccatum originale, quatenus eſt primò commiſſum, ſit à voluntare *Adę*, quæ eſt extrinſeca paruulis; attamen quatenus eſt tranſ-

tranſfuſum, eſt ab ipſa natura infecta, à qua deriuatur in perſonam accipientis illam naturam; nam quatenus eſt commiſſum ex voluntate *Adę*, eſt perſonale, non originale; quatenus verò eſt tranſfuſum, eſt originale, non perſonale. Vel dicitur *cum eod*; quòd ſicut peccatum in ſe eſt à principio intrinſeco ſibi; ita peccatum in alio eſt à principio intrinſeco alteri; quia elicitur à voluntate alterius, quæ eſt intrinſeca alteri; licèt ſit extrinſeca illi, qui peccat in alio. Ad 2. eodem modo *ex eod. ibid.* diſt. ma. Illud dicitur voluntarium alicui, quod eſt in voluntate illius, prout eſt in ſe, vel in alio, conc; prout eſt in ſe tantùm, neg; vnde ſicut voluntarium in ſe eſt illud, quod eſt in poteſtate voluntatis propriæ, prout eſt in ſeipſo, vt ſit, vel non ſit; ita voluntarium in alio, eſt illud, quod eſt in poteſtate voluntatis, vt exiſtit in alio, non vt in ſeipſo; aliter non eſſet voluntarium in alio. Ad 3. neg. ma; ad hoc enim, vt ſit voluntarium in alio, ſufficit eſſe in illo ſecundùm naturã, vt videbimus *in ſeq. art.* Ad illud de milite reſp. *Fund. Doct. dub. 1. lat. §. eſt tamẽ*, quòd licèt exemplum militis currat quantùm ad aliquid; non tamen eſt omnino ſimile; nam licèt filij, prout homines contineãtur in milite, prout homo eſt; non tamen continentur in ipſo, prout miles eſt, & prout milites; at verò omnes homines continebantur in *Adam*, prout homines, & ſimul cum illo peccauerunt; & ideo voluntariè amiſerunt inſtitiam originalem. Quòd ſi filij militis ſimul cum patre rebellatent, dicerentur voluntariè caſtrum omittere. Diſt. ergo 2. pars mi. Nullus diceret illam priuationem eſſe filijs voluntariam, ſi filij ſimul cum patre in patre rebellarent; ſicuti omnes homines ſimul cum *Adam* in *Adam* peccauerunt, neg; ſecus, conc.

17 Dices. Quanuis Princeps habeat poteſtatem transferendi voluntatem filiorum in patrẽ; attamen Deus non habet poteſtatem transferendi voluntatem peccandi filiorum in patrem; aliter eſſet cauſa peccati filiorum; ergo quanuis Princeps poſſit priuare caſtro filios militis ob hanc rationem, non tamen poteſt Deus filios *Adę* priuare inſtitia originali.

Reſp. diſt. 2. pars ant. Non poteſt Deus transferre voluntatem filiorum ad peccandum determinatè, conc; ſic enim eſſet cauſa peccati; ad peccandum, & non peccandum indifferenter, neg; ſic autem non eſt cauſa peccati; aliter tribuendo homini voluntatem indifferentem ad peccandum, & non peccandum, eſſet cauſa peccati:

18 Obijc. 2. In tantùm peccatum habituale eſt nobis voluntarium, in quantùm generatur ex actibus voluntariè à nobis elicitis; ſed peccatum originale non generatur ex actu voluntariè à nobis elicito; ergo non eſt voluntarium.

Reſp. diſt. mi. Non generatur ex actu voluntariè à nobis elicito in *Adam*, in quo omnes peccauimus, neg; in nobis ipſis, conc.

19 Inſt. *Vaſq.* peccaſſe *in Adam* nihil aliud eſſe, quàm peccatum *Adæ* omnibus nocuiſſe; non verò, quòd omnes in *Adam* peccauerint.

Reſp. hoc eſſe *cont. Apoſt*; *& cont. Trid*; in quo dicitur omnes verè *in Adam* peccaſſe; peccare autem non eſt idem, ac ei nocere peccatum alterius; nam quando quis occiditur ab alio, ei nocet peccatum alterius; & corporaliter, quia ei adimit vitam corporalem; & etiam æternam, ſi occidatur in peccato mortali, & tamen nullus diceret, quòd occiſus peccet peccato occiſionis, & pro illo puniatur.

20 Inſt. 2. Vel paruuli peccauerunt *in Adam*, vt diſtincti ab illo; vel vt idem cum illo? Non primum; quia tunc non erant extra illum, ſed in illo; effectus autem in cauſa eſt idem, ac cauſa. Si ſecundum; ergo ipſi non peccauerunt, ſed ſolus *Adam* peccauit. 2. Exiſtere in alio nihil aliud eſt, quàm alium exiſtere; ergo peccare in alio nihil aliud eſt, quàm alium peccare. 3. Paruuli non peccauerunt *in Adam* ex natura ſua, vt notum eſt; aliter filij contraherent omnia peccata patris; neque ex pacto Dei; aliter Deus extẽderet peccatum *Adæ* ad filios, quod non minùs repugnat, quàm cauſare peccatum. 4. Obedientia *Adę* non fuiſſet voluntaria poſteris; ergo neque inobedientia. 5. Paruuli per peccatum originale conſtituuntur peccatores in ſeipſis; ergo non contrahunt peccatum originale, quatenus peccauerunt in alio.

Reſp. ad 1. paruulos peccaſſe *in Adam*, vt erant idem cum illo; peccauerunt enim, *vt erant in lumbis eius*; vt loquitur *Beatiſſ. P. vbiſ; & ep. 25. ad Bonifac. Traxit ergo reatum, quia vnus erat cum illo*; *& in Suppl. Omnes ille vnus fuerunt*; nec per hoc ſequitur ſolùm *Adam* peccaſſe; quia quando plura ſunt idem, & vnum; tunc operatio eſt plurium, non vnius, vt patet. Ad 2. neg. ant; nam exiſtere in alio importat exiſtentiam alterius in ſeipſo, & exiſtentiam huius in illo. Ad 3. dicemus *in ſeq. art.* Neg. ergo 1. pars ant. Ad prob. dicitur alia peccata eſſe perſonalia, & ideo non contrahi; originale autem eſſe peccatum naturæ, & ideo contrahi. Ad 4. neg. ma. Ad 5. diſt. ant. Conſtituuntur peccatores in ſeipſis paſſiuè, idèſt recipiunt peccatum originale, quando accipiunt eſſe extra *Adam*, conc; actiuè, idèſt committunt peccatum originale in ſe ipſis, neg; illud enim actiuè patrarunt ſolùm *in Adam*.

A R T. III.

Quomodò omnes in Adam peccauerint?

1 MOdum loquendi *Scripturarum*, ac *Beatiſſ. P. Aug. doctrinam* ex vna parte; nec non *Theologorum* præſertim *Recentiũ* ſcripta meditantes, non obſcurè videmus hos ab illis non parum diſcrepare. Quoniam autem *Beatiſſ. P.* hanc rem, quam diſputabat *contra Pelagianos*,

gianos, operoſiſſimè perfecit; ideo illi vni eſt adhærendum.

2 Prima ſententia vult omnes homines peccauiſſe *in Adam*, quatenus omnium voluntates fuerunt moraliter translatæ in voluntatem *Adæ*; & ex pacto inito inter Deũ, & *Adam* cõſtitutum fuiſſe ipſum *Adam* caput morale omnium hominum; adeoque peccaſſe, vt caput morale, non vt caput naturale; non fuiſſe autem *Adam* conſtitutum caput morale ex natura ſua; aliter etiam alij patres eſſent caput morale filiorum ab ipſis naſcentium; & in illis filij peccarent; & ideo conſtitutum fuiſſe caput morale per Diuinam ordinationem, qua illius poſteri ad eius peccatum obligati fuerunt. Sed hæc ſententia diuiſa eſt; *alij* namque volunt ordinationem Diuinam habuiſſe veram rationem pacti ex parte vtriuſq; ſcilicet Dei, & *Adæ*; adeoque hoc pactum debuiſſe innoteſcere *Adæ* ad hoc, vt filijs imputaretur, vt voluntarium. *Ita Godoy*, apud quem *Catherin*; *Veg. lib. 2. in Trid. c. 2; & 6; Sua. 3. par. diſp. 39. ſect. 1. in fine; & hic diſp. 9. ſect. 2. n. 18; Lorc. diſp. 44. §. Sed reſtat; Monteſ. hic diſp. 11. q. 6.* Conſentit *Gonet hic diſp. 7. art. 2; & ex noſtris Gibb. hic diſp. 12. dub. 3; apud quem Bellarm; Salas, Cur; Gran; Ouiedi; &c. Alij* verò putant talem ordinationem non habuiſſe veram rationem pacti, ſaltem ex parte vtriuſque extremi. Refertur *Sot. lib. 3. de nat; & grat. c. 10; Burgen; noſter Baſil. Legionen; Vaſq. diſp. 133. c. 1. in fine; & alijs. Gibb.* autem vult hos docere *Adam* peccaſſe, vt caput naturale, non vt caput morale.

3 Noſtra docet omnes homines *in Adam* peccaſſe, quatenus omnes in lumbis *Adæ* fuerunt; & ideo quatenus omnes homines fuerunt vnus homo *cum Adam*, & quatenus vnus *Adam* fuit ſeminaliter omnes homines ab illo deſcenſuri; adeoque peccaſſe *Adam*, vt caput naturale omnium hominum; & omnes homines, vt in illo ſeminaliter contentos; & ad hoc ſatis fuiſſe præceptum de non comedendo fructum vetitum; nec vllum pactum ſtrictè ſumptum neceſſarium fuiſſe. Hanc ſententiam fuiſſe SS. PP; quos refert *Beatiſſ. P. in Suppl. cont. Iul. lib. 1. c. 52; & omniũ antiquorũ DD. Theologorũ*; inter quos *Fund. Doct. in 2. diſt. 30. q. 1. art. 4. dub. 1. lat. §. Prima vice*, vbi poſtquam ſibi obiecit: *Sed dices. Si originale peccatum non eſt voluntarium, niſi ex voluntate Adæ; ergo non habet rationem culpæ, niſi in Adam; nos autem ſumus omnino inculpabiles.* Cui ſtatim reſpondet his verbis: *Ad quod dici poteſt, quòd argumentum arguit, quòd non habet directè rationem culpæ perſonalis; ſed quòd non habeat rationem culpæ naturalis* (idèſt naturæ) *argumentum non arguit; dicemus enim cum Aug. lib. 13. de Ciu. Dei c. 14; quòd omnes fuimus in illo vno, idèſt in Adam; ſed non erat nobis ſingulatim creata, & diſtributa forma, ſed iam natura erat ſeminalis, ex qua propagaremur. Et quia propagati ſumus omnes ab illo vno, & in illo vno; natura omnium noſtrum eſt voluntariè deprauata: illa deprauatio voluntaria naturæ omnibus nobis debet naturaliter imputari; vt natura omnium noſtrum dicatur voluntariè deprauata, quia natura omnium noſtrum erat aliquo modo virtualiter, idèſt ſeminaliter in Adam, qui eam voluntariè deprauauit. Et quia deprauata natura oportet, quòd deprauetur perſona; ſecundùm hanc deprauationem eſt in nobis ordo cõtrarius, qui fuit in Adã; quia in Adã priùs voluntariè fuit deprauata perſona, quæ voluntariè deprauata ex illa volũtate fuit deprauata natura; ideo natura noſtra, quam conſequimur ſeminaliter ex Adam, poteſt dici voluntariè deprauata, qua deprauata deprauatur perſona qualibet trahens originem ex Adam, & ſuſcipiens naturam talem.* Quibus verbis nedum clarè explicat ſententiam *Beatiſſ. Patris*, ſed & ſuam illi conformem eſſe oſtendit. Idem docet continuò aſſerens peccatum originale trahi per originem, ſeu per traductionem naturæ, nunquam recurrens ad continentiam moralem voluntatis, aut pactum, quod etiam *in D. Tho., alijſq; antiquis DD.* conformiter *ad SS. PP.* videre eſt; quibus propterea ſententia *Recentiorum* aut diſſona, aut nullo modo conſona iudicanda eſt.

4 Vnica concl. Omnes peccauerunt *in Adã*, quatenus omnes ſeminaliter fuerunt in lumbis *Adæ*; & ideo quatenus fuerunt vnus homo *cum Adam*; ac propterea peccante *Adam*, vt erat caput, & principium ſeminale totius naturæ, voluntariè peccauerunt omnes ſeminaliter in illo contenti, nec fuit neceſſe pactum, quo conſtitueretur caput morale omnium hominum, ad hoc, vt transfunderetur peccatum in omnes homines; ſed ſuppoſito præcepto ſatis fuit ipſum peccare ad hoc, vt omnes in illo ſeminaliter contenti voluntariè peccarent, non quidẽ perſonaliter in ſeipſis, ſed ſeminaliter in illo.

Prob. *ex Beatiſs. P. Aug. lib. 4. in Supp. cont. Iul. c. 103*; vbi referens *D. Ambr. li. 7. in Luc. c. 51. Fuit Adam, & in illo fuimus omnes, perijt Adam, & in illo omnes perierunt*, ait: *Sed poterat Ambroſius intelligere, quod tu non potes, non hoc dici propter liberum arbitrium ſingulorum, ſed propter originem ſeminis; vnde omnes futuri erant; ſecundùm quam originem omnes in illo vno erant, & hi omnes vnus ille erant, qui in ſeipſis nulli adhuc erant. Secundùm hanc originem ſeminalem etiam Leui in lumbis patris ſui Abraham fuiſſe dicitur, quando à Melchiſedech decimatus eſt Abraham; vnde & ipſe Leui, tunc decimatus oſtenditur, non in ſeipſo, ſed in illo, in cuius fuit lumbis, nec voluit, nec noluit decimari, quoniam nulla eius voluntas erat, quando ſecundùm ſubſtantiam ſuã, nec ipſe adhuc erat, & tamen ſecundùm rationem ſeminis non mendaciter, nec inaniter dictum eſt, quòd ibi fuit, & decimatus eſt.* Et paulò poſt: *Non iam ergo Ambroſio, ſicut dicebam, ſed illi dic, qui ſcripſit ad Hebræos, atque ait & ſic oportet dicere: propter Abraham Leui accipiens decimam, decimatus*

tus eſt ; adhuc enim in lumbis patris ſui fuit, cùm ei occurrit Melchiſedech. Hinc calumniare ceca loquacitate, *& dic, ſi audes: Cùm pater Abraham voluntate ſua fuerit decimatus, quomodo potuit per illius voluntatem decimari, hoc eſt decimas dari, Leui, cuius voluntas nulla erat, qui omnino ipſe nondum erat?* Tandem concludit: *Imò deſine vana garrire, & omnes, qui nondum nati nihil per proprias voluntates agere poterant boni, vel mali, in vno potuiſſe peccare, in quo per rationem ſeminis erant.* Idem dixerat *c.* 75. vbi ait omnes homines *in Adam* peccaſſe; quia *in lumbis Adæ fuit genus humanum, quando perpetrauit illud grande peccatum; Et lib.* 1. *c.* 52. refert pro hac ſententia *Cypr; Hil; Ambr; Greg; Chriſoſt, Baſil.* dicentem: *Quia non ieiunauimus, decidimus de Paradiſo; & alios* SS. PP. communiter docentes peccatum originale trahi *ex Adam* per viam originis, quæ habetur ex continētia *in lumbis*; non autem trahi ex continentia morali voluntatum in vna volnntate *Adæ*. Et *in Enchir. c.* 26. *Stirpem quoque ſuam, quam peccando in ſe, tanquam in radice vitiauerat*; quod repetit *c.* 48; vbi notanda eſt illa particula *in radice*; non enim ſignificat *in capite morali*, ſed in principio ſeminali generationis. Et *de Ciuit. Dei vbiſ. Omnes enim fuimus in illo vno, quando omnes vnus ille corrupit, &c. Nondum erat nobis ſigillatim creata, & diſtributa forma, ſed iam natura erat ſeminalis, ex qua propagaremur.* Ita ſemper loquimur, quando de hac re verba facere neceſſe eſt.

5 Ex his apparet, quàm longè diſtet modus loquendi SS. PP; *& antiquorum DD.* à modo loquendi *Scholaſticorum recentium*; nam illi docent omnes peccaſſe *in Adam*, quia omnes fuerunt ſeminaliter in lumbis *Adæ*; iſti verò quia omniũ voluntates fuerunt moraliter in voluntate *Adæ*.

6 Prob. ratione. Illud, quod exiſtit ſeminaliter in alio, ſeu in ſemine virtualiter illud continente, rectè dicitur peccante alio peccare, quatenus exiſtit in lumbis illius; ſed omnes homines fuerunt ſeminaliter *in Adam*, ſeu in ſemine ipſius virtualiter illos continente; ergo omnes homines peccauerunt *in Adam*, quatenus erant in lumbis illius. Mi. eſt certa. Prob. ma. Ita ſe habet exiſtens in ſe per ordinem ad peccandum in ſe; ſicut exiſtens ſeminaliter in alio per ordinem ad peccandum, quatenus exiſtit in lumbis illius; *nam operari ſequitùr ad eſſe*; & ſicut ad eſſe in ſe ſequitur operari in ſe; ita ad eſſe ſeminaliter in alio ſeqnitur operari, ptout exiſtit in lumbis illius; peccare autem eſt defectuosè operari; vt patet; ſed illud, quod exiſtit ſeminaliter in alio, exiſtit virtualiter in lumbis illius; nomine enim lumborum intelligitur ea pars corporis, in qua viget virtus generatiua, quæ virtualiter continet filios generandos; de qua dicitur *in Euang. Sint lumbi veſtri præcincti*; per quod *iuxta D. Greg.* præcipitur nobis continentia à deciſione ſeminis, quod ex illa parte decidit, vel in illa generatur; ergo exiſtens ſeminaliter in alio rectè dicitur peccante alio peccare, quatenus exiſtit in lumbis illius.

7 Conf. Illud rectè dicitur peccare in ſe ipſo, quod peccat per propriam formam exiſtentem extra ſuam cauſam; ergo illud rectè dicitur peccare in alio, quod peccat per formam alterius virtualiter illud continentem in ſemine, & ideo quatenus continetur in lumbis illius.

8 Prob. 2. Exercere actus malos voluntatis in alio eſt peccare in illo; ſed omnes homines, quatenus fuerunt in lumbis *Adæ* peccante *Adam* exercuerunt actum malum voluntatis in alio; ergo omnes homines, quatenus fuerunt in lumbis *Adæ* peccante *Adam* peccauerunt in illo. Ma. conſtat; quia ſicut exercere actus malos voluntatis propriæ in ſe ipſo eſt peccare in ſe ipſo; ita exercere actus malos voluntatis in alio eſt peccare in illo. Prob. mi. Omnes homines, prout exiſtunt in lumbis ſui patris, poſſunt exercere in illo actus liberos voluntatis illius; nam *Leui* exiſtens in lumbis *Abrahæ* ſui patris exercuit actum liberum voluntatis *Abrahæ*; quia accepit decimas, vt docet *Apoſt*; accipere autem decimas eſt actus liber voluntatis, vt patet; ergo homines, prout fuerunt in lumbis *Adæ*, peccante *Adam* exccuerunt actum malum voluntatis in illo.

9 Prob. 3. Peccare ſecundùm naturam contentam in alio eſt peccare, prout exiſtit in lumbis illius; ſed omnes homines peccarunt ſecundùm naturam contentam *in Adam*; ergo peccarunt, quatenus fuerunt in lumbis illius. Ma. conſtat; quia natura continetur ſeminaliter in lumbis, vt dictum eſt. Prob. mi. SI omnes homines non peccaſſent ſecundùm naturam contentam *in Adam*, non eſſet neceſſe, quòd ad contrahendum peccatum originale formaliter in ſe ipſis, illis communicaretur natura per viam generationis *ab Adam*; ſed ſufficeret, quòd eſſent homines qnomodocunque producti etiam non *ex Adam*; nam ad hoc, vt aliqui, qui moraliter transfuderunt ſuas voluntates in alterum, dicantur contrahere peccatum illius, non requiritur, quòd accipiant naturam per viam generationis ab illo; vt patet de Domino transfundente ſuam voluntatem in ſeruum de occidendo inimico; ſed ad hoc, vt omnes homines contrahant peccatum originale, eſt neceſſe, vt illis communicetur natura per viam generationis *ab Adam*; vt fatentur *Aduerſarij*, concedentes, quòd ſi aliquis homo crearetur ex nihilo, non contraheret peccatum originale, quia non deſcenderet *ex Adam*; ergo omnes peccarunt ſecundùm naturam contentam *in Adam*.

10 Conf. Per illud peccauimus *in Adam*, per quod facti ſumus filij iræ; quia *peccatum iram Dei operatur*; & ideo per illud peccamus; per quod conſtituimur filij iræ; ſed per naturam efficimur filij iræ dicente *Apoſt. Epheſ.* 2. *Eramus*

nu-

natura filij ira ; & ideo ſi non traheremus naturam *ab Adam*, non naſceremur filij iræ; ergo per naturam peccauimus *in Adam*, non verò per voluntatem in illum moraliter transfuſam.

11 Prob.4. *Ex Gen.* ſolùm habetur Deum præcepiſſe *Adæ*, non autem pactum iniiſſe cum illo de non comedendo fructum; dicitur enim *Gen.2. Præcepitque ei dicens Ex omni ligno Paradiſi comede; de ligno autem ſcientia boni, & mali ne comedas; in quacumque enim die comederis, morte morieris*; & *c.3.* ſerpens loquens *Eua* ait: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno Paradiſi?* Cui reſpondit *Eua*: *De fructu verò ligni, quod eſt in medio Paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud; ne fortè moriamur*; ergo omnes non peccauerunt *in Adam* ex vi pacti, ſed ex vi præcepti.

12 Conf.1. Si fuiſſet pactum, *Eua* non dixiſſet: *Præcepit nobis Deus*; ſed *pacti fuimus cum Deo*; ergo fuit præceptum, non pactum.

13 Conf.2. Pactum *vltro, citroque promiſſorium ex Iuriſtis* exigit libertatem ex vtraque parte ad ſe obligandum, & promittendum; ſed non fuit in libera poteſtate *Ada* non ſe obligare ad ſeruandum illud præceptum, quod fuit ex omni parte abſolutum; ergo non fuit pactum, ſed purum, & ſimplex præceptum; quod quomodò potuerit vocari pactum, *inf.* dicemus.

14 Tandem ex verbis *Gen.* manifeſtè colligitur fuiſſe præceptum factum *Adæ*; quòd autē differat præceptum à pacto, quis non videat? Videtur namque præceptum pacto opponi, nam præceptum cogit ad obediendum ſub pœna, quæ indicitur; pactum autem nequit eſſe coactum; hinc dicitur, quòd *omnis conuentio* (quæ eſt idē, ac pactum) *facta ex vi eſt irrita iure natura, & iure gentium.* Præterea conuenientiſſimum fuit Deum præcepiſſe *Adæ* abſolutè, non autem iniiſſe aliquod pactum cum illo, ad oſtendendum ſuum ſupremum dominium *in Adam*, *Adæque* ſubiectionem ad Deum. Quòd ſi dicatur ante, vel poſt tale præceptum Deum iniiſſe etiam pactum *cum Adam*; dicimus, quòd ſtante tali præcepto circunſcripto omni pacto ſubſecutiuo ad illud præceptum; adhuc peccante *Adamo* filij contraxiſſent peccatum originale; quia contraxiſſent carnem infectam peccato inobedientiæ, ſicut nunc; & priuatam iuſtitia originali per peccatum; & mortui fuiſſent, & ideo contraxiſſent peccatum originale, ad quod ſequitur mors, tanquam effectus illius; quia *Adam* fuiſſet eiectus à Paradiſo, extra quem genuiſſet filios, qui propterea non potuiſſent ſibi vitam perpetuare comedendo fructus ligni vitæ, quod erat in Paradiſo; ergo non peccauimus *in Adam* non ſeruando pactum per voluntates moraliter colligatas *cum Ada* voluntate; ſed tranſgrediendo præceptum per exiſtentiam phyſicam in lumbis illius.

15 Obijc. 1. *Oſea 6.* habetur: *Ipſi autem ſicut Adam, tranſgreſſi ſunt pactum; ibi præuaricati ſunt in me*; & *Gen.17. Eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum*; & mox: *Delebitur anima illa de populo ſuo; quia pactum meum irritum fecit*; ergo peccauerunt omnes *in Adam* ex pacto inito inter Deum, & *Adam*.

Reſp. ad 1. nomine *pacti* intelligi præceptum, quod præuaricatus eſt *Adam*; quod pactum dicitur, quia *Adam* promiſit illud ſeruare, quanuis non ſeruauerit. Ad 2. ſermonem eſſe de lege circuncíſionis; legem autem non eſſe propriè pactum ſatis conſtat; quia pactum obligat vtrunque; lex autem ligat ſolùm ſubditum; dicitur autem pactum, quia Deus *Abraha* ſeruanti circuncíſionem promiſit eum facere in gētem magnam, & conſtituere Patrem multarum gentium. Inſuper pactum, vt notat *noſter Ambroſius Galep*; ſignificat etiam legem ſub conditione, ſeu legem cum promiſſione, vt cùm dicitur: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis*; in quibus verbis habetur præceptum expreſsè cum promiſſione amicitiæ pro obſeruantia præcepti. Sic præceptum factum *Ada* fuit cum promiſſione vitæ immortalis in illo fœliciſſimo beatitudinis loco cum conditione obſeruantiæ ipſius præcepti, & in hoc ſenſu dicitur pactum. Non autem dicitur pactum, prout definitur *à Vulpian. de pollicitat. l. Pactum; & à Beatiſs. P. lib.83. qq. q.31*; *eſt conſenſus, ſeu conuentio duorum.*

16 Dices *cum Godoy*. Nihil eſt, quod cogat nos confugere ad improprium pacti acceptionem, cùm ex propria pacti acceptione nullum ſequatur inconueniens; ergo ibi ſumitur pactum propriè.

Reſp. inconueniens, quod ſequitur, eſſe; quòd *Adam* liberè acceptaſſet talem promiſſionem, quod repugnat cum præcepto abſolutè; nam pactum propriè ſumptum ſignificat conuentionem liberam ex parte vtriuſque paciſcentis cum libera poteſtate vtriuſque ad non ineundum pactum, quæ poteſtas non fuit in *Adam*, qui vellet, nollet, tenebatur obedire præcepto in ſignum ſuæ ſubiectionis. Quanuis pactum minùs propriè ſumptum extendatur etiam ad quancunque promiſſionem factam circa rem etiam lege præceptam.

17 Obijc.2. Vt omnes homines contraherent peccatum originale debuit *Adam* conſtitui caput morale omnium; ſed hoc non habuit, quatenus caput naturale, ſeu in eſſe naturæ, quatenus continebat omnes homines ſeminaliter in lumbis, tanquam in omnium radice; aliter filii contraherent peccata parentum proximorum cùm quilibet pater ſit caput naturale ſuæ poſteritatis, quia illam virtualiter in ſe continet; ergo neceſſarium fuit pactum ad hoc, vt omnibus imputaretur *Ada* peccatum.

18 Reſp; quòd licèt *Fund. Doct. in 2. diſt.33. q.1. art.1; & 2: D Tho; & omnes alij* explicent illum textum *Exod.20; & 34. Reddam peccata pa-*

trum in filios; de transfuſione peccatorum quoad pœnam, non quoad culpam; attamen quia videtur non poſſe iuſtè transfundi pœnam ſine culpa, quia pęna neceſſariò infligitur culpæ, quam ſupponit; ideo *Beatiſs.P.* concordans hunc textum cum alio *Ezech.*18; qui videtur oppoſitus, nempe: *Filius non accipit iniuſtitiam patris*; ait fortè peccata parentum proximorum extendi vſq; ad tertiam, & quartam generationem ex vi generationis, vt ait primus *textus*; non extendi autem ex vi regenerationis, quia per baptiſmum delentur, *Ita in Suppl.cont.Iul.lib.*3. *c.*50. Quòd autem transfundatur etiam culpa vſque ad quartam generationem, docet *pſ.*54, dicens: *Ea enim peccata parentum non pertinent ad filios, quæ faciunt parentes iam natis filijs; iam enim nati filij ad ſe pertinent, & parentes ad ſe pertinent.* Sed clariùs *in pſ.*105, ſuper illud: *Peccauimus cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus*; ait: *Quid eſt cum patribus noſtris? An ſicut habet epiſtola ad Hebræos, quia & Leui cum Abraham decimatus eſt, quoniam in lumbis eius fuit, quando decimas dedit Sacerdoti Melchiſedech; ſic & iſti peccauerunt cum patribus ſuis, in quorum lumbis erant, quando illi in Aegypto fuerunt?* Idem habet *ſuper Deut.lib.*5.*q.*42, *& in Enchir cap.*46, *& ſeq. Sed de peccatis aliorum parentum, quibus ab ipſo Adam vſque ad patrem ſuum pro generatoribus ſuis quiſque ſucedit, non immeritò diſceptari poteſt, vtrum omnium malis actibus, & multiplicatis delictis originalibus, qui naſcitur, implicetur; vt tanto peius, quanto poſteriùs quiſque naſcatur. An propterea Deus in tertiam, & quartam generationem de peccatis parentum eorum poſteris comminetur; quia iram ſuam quantùm ad progeneratorum ſuorum culpas non extendit vlteriùs moderatione miſerationis ſuæ; ne illi, quibus regenerationis gratia non confertur, nimia ſarcina in ipſa ſua æterna damnatione premerentur, ſi cogerentur ab initio generis humani omnium præcedentium parentum ſuorum originaliter peccata contrahere, & pęnas pro eis debitas pendere. An aliud aliquid de re tanta in Scripturis Sanctis diligentiùs perſcrutatis, atque tractatis valeat, vel non valeat reperiri, temerè non audeo affirmare. Illud tamen vnum peccatum &c.* Idem habet *cont. Iul. ſæpiſſimè in ſuppl. cont. Iul.* Hoc tamen dubitatiuè dicit per modum interrogantis, non aſſerentis.

19 Aliam reſponſionem, quam dat *Fund.D.* *vbi ſ.* affert *in Sup.lib.*6.*cont.Iul.c.*21. dicens: *Ipſarum duorum prauaricatio tam magnum peccatum debet intelligi, vt poſſet omnium ex viro, & muliere naſcentium in deteriùs mutare naturam, & communi reatu, tanquam hæreditarij debiti obligare chirographum. Quiſquis ergo dicit talem conditionem quorumlibet delictorum, quæ nunc committuntur, eſſe debuiſſe &c.* Ideo omiſſa prima reſpōſione dicitur peccata proximorum parentum nō inficere naturam per ſe primò, ſed perſonam; nam licèt natura etiam in parentibus proximis ſit radix filiorum; attamen quia illa iam eſt infecta per *Adę* peccatum; ideo non inficitur in parentibus proximis per ſe, ſed tantùm inficitur perſona; & dat exemplum *Fund.Doct.* de aqua, quæ ſi fuerit infecta in ſuo fonte, non inficitur tranſiens per fiſtulas; quod tamen debet intelligi ſeruatis ſeruandis. Cùm ergo perſona, quia eſt incommunicabilis, non tranſeat in filios, ideo neque tranſeunt peccata. Vel dicitur *cum eod.*, quòd parentes proximi ſe habeant, vt miniſtri *Adę*, qui eſt principale agens, & primum principium omnium generationum; & ideo iſti non agunt, niſi in virtute *Adę* ab ipſo in iſtos deriuata; ergo non poſſunt plus transfundere in filios, quàm transfuderit *Adam*; miniſter enim nihil de proprio ſuperaddere poteſt principali. Vt quia ignis dat virtutem calori generandi ignem; non poteſt calor, qui eſt inſtrumentum ignis, per illam virtutem producere aquam. Sic *Adam* dedit patribus proximis virtutem ſeminalem trāſfundendi primum peccatum; patres autem proximi, qui ſunt eius miniſtri, non poſſunt per talem virtutem acceptam transfundere etiam peccata propria. *Vid. alias rationes art.*1.*vbi ſ.*

20 Obijc. 3. *Gibb.* Si voluntas *Adæ* fuiſſet totius naturæ ex natura rei, non ſolùm fuiſſet voluntas omnium poſterorum quoad effectum conſeruandi, vel amittendi iuſtitiam originalem; ſed etiam quoad alias actiones, v. g. recuperandi gratiam ſanctificantem, agendi pœnitentiam, &c. Nec non ſequeretur, quòd fuiſſet voluntas omnium etiam quoad alia peccata, quæ *Adam* commiſit; ſed hoc eſt falſum, vt conſtat; quia non recuperauit nobis gratiam ſanctificantem; ergo falſum eſt, & ant.

Reſp. neg. ſupp. 2. partis mi; nam gratias ſanctificans, actus pœnitentiæ, & cœteræ gratiæ, quas habuit *Adam* poſt commiſſionem peccati, fuerunt per Chriſtum; quapropter docet *Apoſt. Rom.*5; quod non eſt par ratio de delicto, & gratia dicens: *Sed non ſicut delictum, ita & donum.* Et mox: *Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ; ſicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi; ita & per vnius obeditionem iuſti conſtituuntur multi.* Igitur acquiſitio gratiæ ſanctificantis, actio pœnitentiæ, & cæteræ actiones ſupernaturales non deſcenderunt ex viribus liberi arbitrij *ipſius Adæ*; hoc enim eſt *Pelagianum*; ſed illas habuit *Adam* ex meritis Chriſti futuri; ſicut ex meritis Chriſti has actiones, & gratias habemus & nos. Ad aliud quoque neg. ſupp; quòd ſcilicet *Adam* commiſerit alia peccata; facti enim pœnitens pœnitentiam egit nongentorum annorum ſpatio, quibus vixit. Imò dicunt *aliqui Adam* non obſtantibus vehementiſſimis carnis ſtimulis non cognouiſſe vxorem, niſi poſt centum annos; ſed circa hoc nulla eſt certitudo. Præterea dicitur, quòd *ſi*

Adam

Adam poſt primum peccatum commiſiſſet alia peccata, illa fuiſſent perſonalia; & ideo infeciſſent perſonam, non naturam, quia natura per primum peccatum infecta fuit, quantùm infici potuit; & ſic de illis loquendum eſſet, ac locuti ſumus de peccatis patrum proximorum.

21 Inſt. Perſona infecta vno peccato poteſt magis infici alio peccato perſonali, & ſic deinceps; ergo natura infecta vno peccato, poteſt magis infici alio, & alio peccato.

Reſp. *cùm Fund. Doct.*, quòd peccatum inficiens naturam debuit reſpicere naturam generaliter, prout participabilis eſt ab omnibus perſonis; non verò ſpecialiter, prout contractam ad vnam tantùm perſonam; peccatum autem reſpiciens naturam generaliter debuit illam priuare generaliter rectitudine ei debita ſecundùm gratiam, quæ rectitudo erat iuſtitia originalis; vnde cùm ſolùm primum peccatum *Adę* potuerit naturam generaliter priuare rectitudine ei debita ſecundùm gratiam; coetera enim peccata ſubſequentia ſupponunt naturam iam priuatam tali rectitudine; ideo ſolùm primum peccatum potuit inficere naturam. Cetera autem peccata priuant aliqua rectitudine ſpeciali, ſeu debita huic, vel illi perſonæ; ideo inficiunt perſonam, non naturam. Hinc quia plures rectitudines ſpeciales poſſunt competere eidem perſonæ; ideo perſona poteſt infici pluribus peccatis, & ideo magis infici per plura peccata. Quòd autem vna tantùm eſſet rectitudo generaliter conceſſa naturæ, conſtat ex eo, quòd ei conceſſa fuerit iuſtitia originalis, cum qua fuit creata humana natura; cetera autem dona ſpectant ad perſonam, vel quia ſunt actiones, *quę ſunt ſuppoſitorum*; vel quia non fundantur immediatè in natura, in qua immediatè fundabatur iuſtitia originalis; ſicut in ipſa immediatè fundatur gratia ſanctificans, quæ eſt loco iuſtitiæ originalis, ergo ſolùm illud vnum peccatum, quòd priuauit iuſtitia originali, quod fuit primum, potuit inficere naturam; quæ propterea non potuit magis infici per ſubſequentia peccatà, quibus magis inficitur perſona. Ad arg. igitur neg. conſi nam perſonæ competunt plures rectitudines in illa fundatæ, quibus poteſt priuari; & ideo poteſt magis infici; at naturæ non competit, niſi vna rectitudo in illa immediatè fundata, qua priuatur per vnum tantùm peccatum; & ideo nequit infici magis per peccata ſubſequentia.

22 Obijc. 4. *Godoy*. Ordinatio Dei de transfundenda, vel non transfundenda iuſtitia originali ſub conditione adimpletionis legis cognita *ab Adam* virtualiter conſentiente eſt pactum implicitum ex parte ipſius *Adæ* explicitum autem ex parte ipſius Dei; ſed hæc omnia competunt Dei ordinationi; ergo fuit verum pactum. Ma. patet; quia ſi fuiſſet conſenſus explicitus *Adæ*, fuiſſet pactum explicitum ex parte vtriuſque; ex defectu autem conſenſus expliciti non tollitur, quin ſit pactum implicitum. Prob. mi. Omnes docent Deum ſtatuiſſe *Adam* transfuſurum ſuam iuſtitiam in poſteros, ſi obediens fuiſſet; præterea ſi *Adam* non cognouiſſet ſe amiſſurum iuſtitiam etiam poſteris, tale peccatũ non fuiſſet ei voluntarium, in quantùm reſpicit poſteros; & ideo culpa originalis non eſſet nobis voluntaria. Tandem *Adam* non diſſenſit tali ordinationi; aliter tunc peccaſſet, & tunc amiſiſſet iuſtitiam; ergo implicitè conſenſit; & ideo omnia ſupradicta competunt Dei ordinationi.

Reſp. diſt. ma. Eſt pactum proprijſſimè ſumptum, neg; minùs propriè, conc; nam pactum proprijſſimè ſumptum importat liberam poteſtatem ad illud non ineundum licitè, vt dictum eſt; ex eo enim, quòd quis nolit inire pactum cum alio, nullam culpam committit, aut poenam incurrit; *Adam* autem non habuit poteſtatem liberam ad licitè non obediendum præcepto, ideo illud non fuit pactum propriè ſumptũ, ſed præceptum abſolutum cum promiſſione adiuncta, quod vocatur pactum, quia quælibet promiſſio obligatoria pactum dici poteſt.

23 Obijc. 5. Chriſtus Dominus fuit in lumbis *Adę*; ergo idem.

Reſp. *Fund. Doct. in 2. diſt. 33. q. 1. art. 1. §. Tertia via ex Beatiſs. P. lib. 10. de Gen. ad lit.* diſt. ant. Fuit in lumbis *Adę* ſecundùm carnem, quæ formata eſt ex puriſſimo ſanguine *Beatiſs. Virginis Mariæ*, quæ deſcendit *ab Adam*, conc. Secundùm rationem ſeminalem, neg; nam corpus Chriſti non fuit formatum per commixtionem ſeminis, ſed per opus Spiritus S; omnes autem peccauerunt in lumbis *Adæ* ſeminaliter, idèſt prout ab illo deſcendunt vi ſeminis.

24 Obijc. 6. Ita omnes peccauerunt *in Adã*, ſicut omnes viuificati ſunt in Chriſto, vt docet *Apoſt*; ſed Chriſtus fuit ſolùm caput morale; ergo & *Adam*.

Reſp. retorq. mi. Sed à Chriſto non deſcendimus per viam generationis; ergo neque *ab Adam*. *Apoſt.* itaque docet, quòd ſicut omnes peccauerunt in *Adam*, qui fuit princium generationis naturalis omnium hominum, & ideo fuit caput naturale; ita omnes in Chriſto regenerantur ad gratiam, quæ eſt vita ſupernaturalis.

§. I.

Afferuntur quædam corollaria.

25 QVæres; an de potentia abſoluta potuiſſet *Adam* eſſe ſolùm caput morale, non naturale?

Reſp. hoc ad rem noſtram nihil facere; nihilominùs dicitur nullam apparere implicantiã. Eſt *cont. Zam; & Monteſin*; apud quem *Medi & Cur.*

26 Probant *Godoy*, & *Gonet*. Omnes *in Adã* peccauimus, non quia in illo fuimus, vt in capite naturali, ſed quia noſtræ voluntates morali-

ter tranſlatæ fuerunt in voluntatem ipſius; ſed Deus potuit transferre voluntates omnium in voluntatem vnius abſq; eo, quòd eſſent ab illo per generationem; cùm ſit Dominus omnium voluntatum; ergo potuit *Adam* eſſe caput morale tantùm, non naturale.

27 Sed hæc ratio falſa eſt, vt diximus, peccauimus enim *in Adam*, quatenus in lumbis eius eramus.

28 Prob. igitur meliùs *ex Beatiſs. P. de Cor; & grat. c. 14.* Potuit Deus transferre moraliter omnium voluntates in voluntatem vnius; hinc *1. Par. 12.* dicitur Dominum tranſtuliſſe voluntatem ſubditorum in Principem *Amaſai*, vt eligeret *David* in regem: *Spiritus induit Amaſai Principem ſuper triginta, & dixit: Tui ſumus David, & tecum futuri filij Ieſſe.* Super quod *Beatiſs. P.* ait: *Hoc in eis egit, qui in cordibus hominum, quod voluerit, operatur;* ergo potuit trãsferre voluntates omnium in voluntatem *Adæ*; nam Deus *magis habet in poteſtate volũtates hominum, quàm ipſi ſuas;* vt docet *Beatiſs. P. ibid;* ergo potuit præſtare, vt *Adam*, quatenus caput morale tantùm, non naturale, transfunderet peccatum originale in omnes homines.

29 Dices homines actualiter exiſtentes poſſe transferre ſuas voluntates in alium, non autem homines non exiſtentes; ergo Deus licèt poſſit transferre voluntates hominum exiſtentium, non tamen hominum futurorum, qui non exiſtunt; cùm non poſſit ſe ſolo elicere conſenſum hominum, & illum transferre.

Sed contra eſt; nam *Deus vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt;* vt habetur *Rom. 4;* ergo ſicut poteſt transferre conſenſum eorum, qui ſunt; ita poteſt transferre eorũ, qui non ſunt.

30 Conf. Poteſt quis, qui eſt tantùm caput morale, obligare ſe, & omnes ſuos ſubditos tam præſentes, quàm futuros ad obſeruantiam alicuius legis; ſed *Adam* potuit à Deo conſtitui tantùm caput morale; quia poterat Deus ſe ſolo producere omnes homines, ſicut produxit *Adam* abſque propagatione vnius ex alio; ergo potuit *Adam*, vt caput morale tantùm, ſe obligare ad ſeruandum præceptum, & moraliter transfundere peccatum in omnes.

31 Vrgetur ampliùs. Ideo potuit Deus conſtituere *Adam* caput naturale; quia continet in ſe ipſo eminenter eſſe omnium hominum; & ideo potuit ſeminaliter illud producere in primo homine; ſed Deus eodem modo continet in ſe ipſo voluntates omnium hominum; vt patet; ergo potuit illas moraliter ponere in voluntate primi hominis; atqui ponendo moraliter voluntates omnium hominum in vno homine non coarctabatur ponere eſſe omnium ſeminaliter phyſicè in illo; quia eſſe ſeminale liberè poſitum eſt à Deo in primo homine; & ideo poterat non poni; ſicut enim animalia imperfecta producuntur per propagationem ſeminis, & ſine tali propagatione; ita poterat fieri in hominibus; & ſicut productus eſt *ipſe Adam* à ſolo Deo; ita poterant produci alij homines; nam *quidquid Deus poteſt facere cum cauſis ſecundis efficientibus poteſt facere ſe ſolo;* vt communiter dicitur. Nec eſſe phyſicum, & eſſe morale eſſentialiter connectuntur; vt patet de Rege, qui eſt caput morale, non naturale ſuorum ſubditorum.

32 Dices. *Beatiſs. P. vbiſ.* ait ideo in *Adam* omnes peccaſſe, quia phyſicè continebantur in lumbis illius; ergo non potuit eſſe caput tantùm morale. 2. Peccare in alio ſupponit eſſe in illo; ſicut peccare in ſe ſupponit eſſe in ſe; ſed ſi *Adã* eſſet caput tantùm morale, omnes homines non eſſet in illo; ergo. 3. Vt vnus trãsfundat peccatũ in alium, debet per aliquam actionem illum contingere; ſed ſi *Adam* eſſet caput tantùm morale, non contingeret alios homines per aliquam actionem; quia non contingeret actionem generatiuam; ergo non transfunderet peccatum in omnes homines. 4. Sequeretur ex ratione allata potuiſſe *Adam* conſtitui caput morale etiam adultorum; quia Deus habet ſupremum dominium voluntatum eorum; ſed conſ. eſt falſum; aliter peccante capite morali v. g. peccato furti adultus peccaret eodem peccato, etianſi pro eo tunc furtum execraretur, quod implicat; quia haberet ſimul duos actus morales oppoſitos.

Reſp. ad 1. *Beatiſs. P.* loqui de peccato in *Adam*, prout de facto eſt, non prout de poſſibili eſſe potuit. Ad 2. diſt. ma. Peccare in alio ſupponit eſſe in alio vel phyſicè, & moraliter ſimul, conc; phyſicè ſolùm, neg; nam populus non eſt phyſicè in Rege, & ſeruus in Domino, & tamen peccat in illo. Ad 3. eodem modo diſt. ma. Debet per aliquam actionem phyſicè, vel moraliter contingere, conc; phyſicè ſolùm, neg. Ad 4. neg. mi. Ad prob. inferr. neg. ſupp; nam ſi adultus execraretur furtum, iam non transfudiſſet ſuam voluntatem adæquatè in caput morale quoad actum furandi; aliter vellet furtum moraliter, ſicut ille; nam transferre ſuam voluntatem in alium eſt velle illud, quod vult alius; ergo ſi nollet, & repugnaret, iam non eſſet tranſlata voluntas, ſed potiùs oppoſita translationi.

33 Collig. 2. peccatum *Adæ*, quà primum, infeciſſe naturam; vnde ſi quoduis aliud prius fuiſſet, illud infeciſſet, non iſtud. Eſt *cont. Cather; Alen; Salmer; Lorc; & Merat. apud Godoy hìc q. 81. diſp. 35. S. 5. n. 42.* Traditur tamen *à Fund. Doct. inf; & omnibus alijs communiter.*

34 Prob. 1. *ex Beatiſs. P. in Enchir. c. 23.* docente: *Hoc primum eſt creaturæ rationalis malum, id eſt prima priuatio boni.* Conſonat *Fund. Doct. in 2. diſt. 33. q. 1. art. 1. ad 5. Imaginamur ergo, quòd primum peccatum Adæ fuit quaſi quidam paries tollens lumen illius doni gratuiti. Dato ergo, quòd Adam commiſerit ſecundum, & tertium peccatum, vel etiam quæcunque peccata; & ex hoc fecerit ſecundum, & tertium parietem, vel*

quoſ-

quoſcunque parietes, propter hoc non plus priuauerint illo lumine &c. Ex quibus ſic. Peccatum, quod infecit natutam, fuit illud, quod ipſam ſpoliauit bono originalis iuſtitiæ, per quam conuertebatur in Deum; & per cuius priuationem auerſa eſt à Deo; ſed per primum peccatũ, quodcunque illud fuiſſet, natura ſpoliata fuiſſet originali iuſtitia; ergo per primum peccatum, quodcunque illud fuiſſet, natura eſſet infecta. Ma. conſtat; quia nomine infectionis naturæ nihil aliud intelligimus, quàm priuationem originalis iuſtitiæ, vt *inf.* dicemus. Prob. mi. Per iuſtitiam originalem conſtituebatur natura bona, ſancta, & recta; dicitur enim *in Scriptura: Deus fecerat hominem rectum*; quod nequit eſſe niſi per iuſtitiam originalem; ſed quodlibet peccatum mortale tollit rectitudinem, ſanctitatem, & bonitatem; quia eſt priuatio rectitudinis, ſanctitatis, & bonitatis, vt *inf.* vel ſaltem defert ſecum hanc priuationem; ergo per primum peccatum, quodcunque illud fuiſſet, natura ſpoliata fuiſſet iuſtitia originali. Tum quia gratia habitualis ſtat loco iuſtitiæ originalis, & ideo Chriſtus dicitur recuperaſſe nobis gratiam; ſed gratia habitualis tollitur per quodcunque peccatum; ergo & iuſtitia originalis.

35 Conf. & ſimul reijciuntur duæ euaſiones. Si per primum peccatum natura non fuiſſet infecta maximè, quia *Adam* per illud perdidit iuſtitiam tantùm pro ſe, non pro alijs; vel quia illud non fuiſſet capitale; non enim fuiſſet contra pactum initum à Deo cum *Adam*; ſed primũ probat oppoſitum, & ſecundum eſt falſum; ergo idem. Prob. 1. pars mi. *Adam* per primum peccatum perdidit iuſtitiam pro ſe; ergo & pro alijs; nam licèt ad transfundendam iuſtitiam in alios, non ſufficiat illam habere in ſe, ſed requiratur illam habere in ſe, vt principium alterius, ſeu vt caput naturale, vel morale; attamen ad illam non transfundendam in alios, ſatis eſt illam non habere in ſe; quia *nemo dat, quod non habet*, ergo ſi *Adam* perdidiſſet iuſtitiam pro ſe, illam etiam perdidiſſet pro alijs; non enim potuiſſet transfundere in alios id, quod non habuiſſet in ſe. Prob. 2. pars mi. Falſum eſt pactum neceſſarium fuiſſe ad hoc, vt *Adam* transfunderet peccatum in poſteros, ſed ſatis fuit illos continere ſeminaliter in lumbis; ex eo namque, quòd communicaret poſteris per generationem naturam priuatam iuſtitia originali (non enim poterat illam communicare alio modo, ac illam habebat, & ideo ſi per primum peccatum natura *Adæ* fuiſſet priuata iuſtitia originali, non potuiſſet, niſi cum tali priuatione illam communicare) neceſſariò ſequitur transfundere peccatum in poſteros; ergo falſum eſt pactum requiri ad talem transfuſionem, quod, cùm ſupponatur *ab Aduerſarijs*, in falſo nituntur ſuppoſito.

36 Vrgetur magis. Primum peccatum fuiſſet contra naturam; ergo fuiſſet infectio naturæ. Ant. patet; nam omne peccatum eſt contra naturam, vt diximus *q. 1. art.* 2; tum quia primum peccatum neceſſariò fuiſſet contra legem naturę, ſi enim non fuiſſet contra legem poſitiuam de non commedendo fructum, neceſſariò debuiſſet eſſe contra legem naturæ; aliter non fuiſſet peccatum; quia peccatum eſſentialiter eſt contra legem, vel naturalem, vel poſitiuam. Prob. conſ. Natura magis inficitur per id, quod ei immediatè opponitur, quàm per id, quod ei opponitur tantùm mediatè, ſed peccatum contra legẽ naturæ immediatè opponitur naturæ; & peccatum contra legem poſitiuam opponitur naturæ tantùm mediatè; quia opponitur naturæ, quatenus lex poſitiua fundatur in lege naturæ; lex enim naturæ iubet, vt creatura obediat omni præcepto Dei, qui eſt Auctor naturæ; ergo ſi primum peccatum fuiſſet contra legem naturæ, à fortiori infeciſſet naturam magis, quàm præceptum de non comedendo fructum, quod fuit contra legem poſitiuam.

37 Tandem primum peccatum fuiſſet capitale; nam fuiſſet primum, & radix cęterorum peccatorum; ergo fuiſſet infectio naturæ, quæ eſt radix, in qua fundatur perſona; primum enim, & radicale eſſentialiter reſpicit id, quod habet rationem primarij, & radicis, à quo ſolùm denominatur primum, & radicale; ergo primum peccatum *Adę* eſſentialiter reſpexit naturam, quæ eſt radix perſonæ; non perſonam, quæ cùm eſſentialiter ſupponat naturam, quam contrahit, & in qua radicatur, non poſſet denominare illud peccatum primarium, & radicale.

38 Dices 1. Si *Adam* ante comeſtionem fructus prohibiti commiſiſſet aliud peccatum v.g. ſuperbiæ, illud peccatum non eſſet primum, & capitale; quia non potuit eſſe primum ex natura rei, ſed ſolùm ex pacto Dei; pactum autem fuit ſolùm de non commedendo fructum vetitum, vt colligitur ex illis verbis: *In quacunque die commederis ex eo, morte morieris*; ergo non infeciſſet naturam. 2. Primum peccatum *Adę* fuit peccatum ſuperbiæ; vt docent *Beatiſs. P. lib de Gen. ad lit. lib. 8. c. 13; & lib. 12. c. 70. Greg. lib. 4. mor. c. 9; Cypr; Baſil, Leo ſer. 5. de natali, & alij SS. PP*; & tamen peccatum, quod fuit transfuſum in poſteros, fuit peccatum inobedientiæ; ergo primum peccatum non infecit naturam. 3. Humilitas *Adę* non fuiſſet cauſa transfuſionis iuſtitiæ originalis in poſteros; ergo neque ſuperbia, quæ opponitur humilitati fuiſſet cauſa transfuſionis peccati; *oppoſitorum* enim *eadem eſt ratio.*

Reſp. ad 1. neg. ant. Ad prob. inſert. dicitur non fuiſſe neceſſarium pactum, vt dictum eſt. Vel etiam hoc admiſſo dicitur fuiſſe præceptum naturale de non peccando contra legem naturæ vltra præceptum poſitiuũ de non comedendo. Ad 2. dicitur *cum Fund. Doct. in 2. diſt. 22. q. 1. art. 1. ad 2; & art. 2*; quòd primum peccatum *Adę* fuit peccatum ſuperbiæ includens

etiam

etiam cupiditatem, & gulam; ſuperbia enim ingreditur omne peccatum, & eſt radix omnis peccati; quia omne peccatum habet certum ab amore ſui, ſecundùm quem attenditur ſuperbia. Hæc doctrina eſt *Beatiſſ. Patris in Enchir. c. 45.* vbi ait: *Quanuis & illo peccato vno, quod per vnum hominem intrauit in mundum, & in omnes homines pertranſiit; propter quod etiam paruuli baptizantur; poſſint intelligi plura peccata; ſi vnum ipſum in ſua quaſi membra diuidatur ſingula; nam & ſuperbia eſt illic, qua homo in ſua potiùs eſſe, quàm in Dei poteſtate dilexit. Et ſacrilegium, quia Deo non credidit, & homicidium, quia ſeipſum præcipitauit in mortem; & fornicatio ſpiritualis, quia integritas mentis humanę ſerpentina ſuaſione corrupta eſt; quia cibus prohibitus vſurpans eſt; & auaritia, quia pluſquàm illi ſufficere debuit, appetiuit;* & in hoc ſenſu locuti ſunt SS. PP. *Vid. to. 3. de Ang. q. 9. art. 3. n. 14. ſed de hoc inf.* Ad 3. diſt. ant. Perſeuerantia in humilitate coniuncta cum obſeruantia aliorum præceptorum non fuiſſet cauſa transfuſionis iuſtitiæ, neq; coniuncta cum tranſgreſſione alterius præcepti, conc; quia iuſtitia tollitur per quodcunque peccatum. Sed neg. ſup., nam humilitas nequit coniungi cum tranſgreſſione, cùm quælibet tranſgreſſio inuoluat ſuperbiam, vt dictum eſt.

38 Collig. 3. Peccatum originale traduci per carnem, ſeu per corpus; nam hoc ſolùm traducitur ab *Adamo*, anima verò non traducitur, ſed creatur, vt nunc temporis tenetur communiter.

39 Sed quæres 1; an *Beatiſs. P.* docuerit animam fieri ex traduce; vel ſaltem dubius fuerit circa hoc?

Reſp. *noſtrum Herricum de Neris in vind. c. 4. §. 3.* hoc accuratiſſimè pertractare, iiſque, quę *ibid.* docet ritè expenſis; dicimus, quòd ſententia dubitans de hac re maximè vigebat tempore *Beatiſſ. Patris*, vt ſolidè probat *idem Noris*, quam ſententiam noluit *B. P.* decidere, nec in *Ep. 157. ad Optat.*, *& lib. 10. de Gen. ad lit. c. 6; & ſeq; & quatuor lib. de orig. animæ; & ep. 28. ad Hier.*, & hoc propter maximam litem, quam habebat *cum Pelagianis* de peccato originali; attamen hoc non obſtante non eſt dicendum *ipſum* fuiſſe dubium circa hanc rem, ſed ſolùm noluiſſe decidere, vt colligitur *Epiſt. 157.*, vbi ait: *In neutram aſſertionem meus inclinetur aſſenſus, ſed adhuc inter vtramque diſſeptem; & lib. 1. de orig. an. c. 16. Ego nec defendo, nec refello;* ex quo colligitur ſolùm ipſum noluiſſe hanc rem determinare, ſed in ſua dubietate, quæ *apud alios* reperiebatur, relinquere. Quòd autem non fuerit dubius, probatur ex eo, quòd ille dicitur dubius, qui eſt æquè ſuſpenſus in partem affirmatiuam, & negatiuam circa aliquam rem; ſed *Beatiſſ. P.* non fuit æquè ſuſpenſus circa hanc rem; nam *inconſideratę temeritatis* damnat aſſertores traductionis animarum; dicit enim *in ep. 157. Itaque illi, qui propaginem animarum inconſiderata temeritate defendunt; & lib. 10. de Gen. ad lit. c. 24;* vt vidimus *to. 3. in Hexam. q. 1. art. 12. n. 41; & n. 40;* vbi allatæ ſunt rationes, quas affert pro ſententia negante; hanc ſententiam non notat aliqua calumnia, ſicut notat ſententiam affirmantem, non ideo non ſe habet æqualiter ſuſpenſus ad vtranque; ergo nec fuit dubius.

40 Quæres 2; quomodò per carnem, quæ eſt ſubſtantia corporea, poſſit traduci peccatum originale in animam, quæ eſt ſubſtantia incorporea?

Reſpondent *aliqui* in ſemine eſſe quandam *qualitatem morbidam, ſeu mortiferam* ab *Adamo* traductam à ſibilo Serpentis *in Adam* cauſatam. Hanc ſententiam, quæ eſt *noſtri Gregorij*, *Gonet*, & vocat *mentis delirium*. Sed nõ fuit talis Theologus *Gonet*; vt poſſet vocare delirum tantum Doctorum. Dicitur ergo Serpentem cauſaſſe peccatum originale, & infectionem moralem *in Adam* ſuadendo peccatum; ex quo concupiſcentia, quæ eſt qualitas animæ, fuit morbo affecta; quapropter concupiſcentia morbo affecta dicitur vocatur *qualitas morbida, ſeu mortifera*; quia cauſat emiſſionem ſeminis cum libidine, & delectatione ſenſuali, & ideo cum diſſonantia ad rationem, quæ dictat coeundum tantummodò ob finem generandæ prolis, non cognoſcendæ voluptatis carnalis; quæ diſſonantia, cùm opponatur iuſtitiæ originali, quæ ſubijciebat appetitum ſenſitiuum rationi, eſt obex, quo impeditur anima, quæ coniungitur cum carne generata ex tali ſemine, ne recipiat iuſtitiam originalem; & ideò quòd illa caret; ac propterea quod recipiat peccatum originale, quod conſiſtit in carentia originalis iuſtitiæ. Quæ doctrina traditur *à Beatiſs. P. loc. cit. to. 3. in Hexam. q. 1. art. 12;* & veriſſima eſt ſi benè intelligatur.

41 *Alij* dicunt in ſemine eſſe quandam qualitatem fluentem deriuatam *ab Adamo* inſtrumentaliter productiuam peccati originalis. *Alij* verò, quòd ſicut ante peccatum erat in ſemine *Adæ* virtus naturalis productiua hominis in eſſe naturæ; & virtus ſupernaturalis inſtrumentaliter productiua iuſtitiæ originalis; ita poſt peccatum remanſit virtus naturalis, ſed priuatus fuit virtute ſupernaturali productiua iuſtitiæ; & illa priuatio eſt ratio inſtrumentaliter productiua peccati originalis in anima. *Ita Gonet hìc diſp. 7. art. 3;* vbi citat *Ferrar; Conr; Salm; & alios.*

Sed vel illa qualitas fluens eſſet phyſicè bona, & moraliter mala; & ſic iſta ſententia non differt à prima. Vel non eſſet phyſicè, nec moraliter bona; & ſic non eſſet qualitas; ſed defectus qualitatis; quia qualitas eſt ens phyſicè, & ideo eſt phyſicè bona; adeoque qualitas phyſicè mala eſt defectus entitatis phyſicæ, quia eſt defectus bonitatis phyſicæ. Vel eſſet phyſicè, & moraliter bona; & ſic non poſſet cauſare peccatum originale, quod eſt malum morale; quia *non poteſt arbor bona facere fructus malos*. Ad *Gonet* dicitur,

tur, quòd ſicut loquimur in naturalibus, ita loquendum eſt in moralibus; vnde ſicut priuatio formæ ignis in materia eſt ratio, cur forma ligni exiſtens in tali materia careat calore, vt octo, qui eſt qualitas formæ ligni; non tamen talis priuatio dicitur cauſa inſtrumentalis productiua carentiæ caloris in forma ligni; ita priuatio iuſtitiæ originalis in ſemine eſt ratio, cur anima, quę infunditur, careat iuſtitia originali; non tamen eſt dicenda vis inſtrumentaliter cauſans talem priuationem in anima. Tum quia priuatio iuſtitiæ originalis debet eſſe in eodem ſubiecto, in quo eſt iuſtitia originalis; quia priuatio, & forma habent fieri circa idem ſubiectum; ſed iuſtitia originalis eſt in anima; ergo & priuatio illius. Tandem de ratione inſtrumenti, quia reducitur ad cauſam efficientem, vt dicitur *in Phyſicis*, eſt, quòd habeat aliquam actionem, vt quædam res eſt; priuatio autem iuſtitiæ originalis nullam actionem poteſt habere in animam, qua producatur in illa peccatum originale; ideo nequit habere rationem inſtrumenti.

42 Dicendum ergo *cum Fund. Doct. in 2. diſt.30. q.1. art.3. in corp; & diſt.31. q.2. art. 2. §. Ad hoc; & q.1. art. 1. ad 1*; quòd ſicut gratia habitualis, quæ eſt in eſſentia animæ, tanquam in ſubiecto; ſecum defert virtutes exiſtentes in ratione, vt charitatem in voluntate; & in appetitu ſenſitiuo, vt temperantiam in concupiſcentia; autē quodlibet peccatū ſiue exiſtens in ratione, ſiue in appetitu ſenſitiuo tollit gratiam habitualem exiſtentem in anima; ita iuſtitia originalis, quæ ſe habebat, veluti gratia habitualis, cùm gratia habitualis data ſit ad reparandum defectū iuſtitiæ originalis, exiſtebat in eſſentia animæ, & ſecum deferebat virtutes exiſtentes in ratione, per quas ratio ſubdebatur Deo; & alias exiſtentes in appetitu ſenſitiuo, per quas appetitus ſenſitiuus ſubdebatur rationi; quapropter iuſtitia originalis dicebatur redūdare in potentias ſenſitiuas; quæ etiam per quandam redundantiam colligationis habebant attingere potentias naturales; quapropter nutritiua non attingebat, niſi purum alimentum; augmentatiua, niſi puram quantitatem; & generatiua non emittebat, niſi purum ſemen. Ablata ergo per peccatum *Adę* iuſtitia originali ab anima, ſublatæ ſunt pariter virtutes exiſtentes in ratione, & in appetitu ſenſitiuo; per quas ratio ſubijciebatur Deo, & appetitus rationi; & potentię naturales appetitui rectè ordinato. Hinc concupiſcentia priuata tali rectitudine ad malum inclinat; & ex hac mala inclinatione transfundit in actum imperatum potentiæ generatiuæ diſſonantiam ad rationem; quapropter ſemen emiſſum à potentia generatiua dicitur immundum *Iob. 14. Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine?* quia eſt emiſſum cum prurituu, & libidine ad malum; dicitur enim immundum, non quia peccatum formaliter ſit in illo, quia peccatum eſt ſolùm in anima, & in eius potentijs; ſed quia dicit ordinem ad concupiſcentiam priuatam iuſtitia originali; & ideo non per aliquam qualitatem malam exiſtentem formaliter in illo; ſed per ordinem ad concupiſcentiam priuatam virtute ſubijciente illam rationem. Sicut autem ſemen mundum dicens ordinem ad concupiſcentiam habētem virtutem iuſtitiæ originalis erat diſpoſitio ad animam habentem iuſtitiam originalem; ita ſemen immundum dicens ordinem ad concupiſcētiam priuatam iuſtitia originali eſt indiſpoſitio, ſeu diſpoſitio contraria ad iuſtitiam originalem; quia ſicut priuatio iuſtitiæ originalis exiſtens in concupiſcentia opponitur iuſtitiæ originali; ita ordo ad priuationem iuſtitiæ exiſtens in ſemine eſt obex ad ipſam iuſtitiam; ergo anima recepta in carne formata ex tali ſemine nequit recipere iuſtitiam originalem ratione talis oppoſitionis; ratione cuius dicitur traduci peccatum originale, quod non eſt, niſi priuatio iuſtitiæ originalis, vt *inf.*

43 Explic. ampliùs *ex eod. diſt. 31. q.1. vbi.* Quotieſcunque aliquod componitur ex duobus, tunc ad corruptionem alterutrius corrumpitur natura totius; quia *ſufficit vnum ad deſtruendum*; ſed natura humana phyſicè componitur ex carne, & anima; ergo ad corruptionem carnis corrumpitur natura totius hominis. Atqui in generatione traducitur caro corrupta, quia traducitur caro priuata iuſtitia originali; priuatio autem iuſtitiæ eſt corruptio hominis, quia per illam tollitur iuſtitia, quæ eſt ſanitas naturæ; ergo in generatione traducitur peccatum originale, quod eſt corruptio naturæ totius hominis.

44 Dices priuationem iuſtitiæ originalis eſſe in ſola anima, non in corpore; & ideo non traduci carnem corruptam.

Reſp. priuationem iuſtitiæ eſſe in tota natura humana, licèt in anima ſit formaliter, & in carne per redundantiam, vt dictum eſt; quatenus caro eſt rebellis animæ, ſicut anima rebellis eſt Deo; ideo cum traducatur caro, vt rebellis ſpiritui; vt docet *Apoſt; Caro concupiſcit aduerſum ſpiritum; Video in membris meis legem repugnantem, &c;* traducitur, vt corrupta. Sed cū corruptione carnis nequit ſtare integritas, & ſanitas animæ; ergo cum corruptione carnis nequit ſtare iuſtitia originalis animæ; & ideo anima coniuncta carni corruptæ remanet priuata iuſtitia originali, & per conſequens cum peccato originali.

45 Tandem prob. Ad hoc, vt aliquis dicatur peccare in alio; ſufficit, vt in illo contineatur cauſaliter ſeminaliter; ergo ad hoc, vt aliquis dicatur contrahere peccatum ex alio, ſufficit, vt ex illo traducatur aliquod, in quo ſeminaliter peccauit; atqui omnes homines peccauerunt, prout ſeminaliter cauſaliter erant in ſemine, ſeu in carne *Adæ*; ergo quatenus traducitur ſemen, aut caro *Adæ* in illos, dicuntur contrahere peccatum

catum

catum; quanuis peccatum non ſit formaliter, ſed tantùm cauſaliter in ſemine, & carne traducta; quatenus illud ſemen, ſeu caro cauſat infectionem in anima illi infuſa. Hinc ait *Beatiſs. P. lib. 10. de Gen. ad lit. c. 16. Contagio peccati ex carne peccati, qua obruitur anima, cùm his inſeritur membris, oberit ei poſt mortem*. Sit exemplum. Sicut aliquod vas ex eo, quòd in illo nonnunquam fuerit humor mali odoris, habeat in ſe ipſo malum odorem, non quidem formaliter, quia ſecundùm ſe ipſum formaliter non malè olet, ſed tantùm cauſaliter, quatenus potens eſt cauſare illum malum odorem in humorem ponendum intra ſe, diceretur traducere malum odorem in alium humorem, qui infunderetur in ipſum; ita caro *Adæ* ex eo, quòd in illa fuerit malus odor peccati, deciſa in generatione *ab Adamo*, quanuis in ipſa non ſit formaliter peccatum, quod non eſt, niſi in anima; attamen cauſat peccatum in anima, quæ in illam infunditur; quia cùm ſit caro peccati, cùm in illa fuerit peccatum per redundantiam, quatenus fuit coniuncta cum anima *Adæ*, cauſaliter traſfundit peccatum in animas poſterorum, quæ in illam infunduntur. Sed hoc *inf.* magis patebit.

46 Ex his habentur cauſæ peccati originalis; nam cauſa permiſſiua eſt Deus; cauſa finalis huius permiſſionis eſt oſtenſio Diuinæ bonitatis in his, qui gratia Chriſti liberantur; & iuſtitiæ in illis, qui iuſto Dei iudicio damnantur. Cauſa materialis eſt eſſentia animæ, in qua recipitur; vt *inf.* Cauſa formalis eſt tranſgreſſio præcepti, per quam formaliter conſtitutum eſt peccatum originale. Cauſa efficiens phyſica entitatis phyſicæ ſubſtratæ deformitati morali, prout illa entitas phyſica eſt phyſicè bona, eſt Deus, *& Adam*; vt dicitur de peccato actuali; prout verò eſt moraliter mala, non habet cauſam efficientem, ſed deficientem, cùm ſit defectus. Cauſa moralis tantùm ſuaſiua fuit Diabolus. Cauſa efficiens, moralis, vt *quod*, commiſſionis fuit ipſe *Adam*, & omnes in illo exiſtentes; & vt *quo* fuit voluntas deficiens. Cauſa efficiens moralis, ſeu principium *quod* morale principale productionis fuit ipſe *Adam*; alij patres verò intermedij ſunt cauſæ miniſteriales proximæ traductionis ipſius peccati in filios genitos. Cauſa efficiens moralis remota, vt *quo* traductionis eſt ipſa natura infecta; proxima verò eſt concupiſcentia, quæ licèt ſit effectus peccati originalis, vt fuit propriū, & perſonale ipſi *Adæ*, eſt tamen cauſa moralis, vt *quo*, traductionis ipſius peccati in poſteros; quapropter ait *Trid. ex Beatiſs. P.*; quòd concupiſcentia eſt effectus ipſius peccati originalis, prout fuit in *Adam*; & ad peccatum inclinat, vt traducitur in poſteros. De effectibus verò peccati originalis ſermo erit *inferiùs*.

47 Collig. 4. *Adam* non peccante, peccante tamen *Cain* filios *Cain* non contracturos peccatum originale inficiens naturam, ſed perſonam; quia *Cain* non fuit caput naturale totius naturæ, ſed perſona particularis deſcendens ex capite; ergo eius peccatum non infeciſſet naturam primò; & per ſe, ſed ſecundariò tantùm, & materialiter, quatenus ſcilicet natura reperiebatur tantùm in tali perſona.

48 Collig. 5; quòd ſi aliquis homo formatus fuiſſet ex corpore *Adæ*; vt *Eua* ex oſſe *Adæ*; non contraxiſſet peccatum originale; quia non deſcendiſſet per ſeminalem propagationem, & per actum concupiſcentiæ libidinoſæ; hinc *Trid. ſeſſ. 9. c. 3.* ait: *Homines niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur iniuſti*. Idem dicendum eſt *de Eua*, quæ quia non eſt producta *ab Adam* per viam generationis, ideo ſi non peccaſſet ſimul *cum Adam*, adhuc peccante ſolo *Adam* non contraxiſſet peccatum originale.

49 Collig. 6; quòd ſi *Eua* ſola peccaſſet, filij nati *ex Adam* non contraxiſſent peccatum originale; bene tamen è contra; quia vt diximus *ex Beatiſs. P.* ſolus *Adam* eſt caput naturale totius generationis ſeminalis; nam *ſolus vir eſt, qui ſeminat*; mulier verò concipit. Cùm autem dicitur *Eccli. 25. A muliere initium factum eſt peccati*; reſp. peccatum quantùm ad commiſſionem habuiſſe initium in muliere; quantùm verò ad ſeminationem initium habuiſſe *in Adam*, quia *Adam*, non *Eua* potuit ſeminare. Addit *Fund. Doct. in 2. diſt. 31. q. 1. art. 2. ad 5*; quòd poſſet dici filios ex *Eua* peccante natos cōtracturos fuiſſe defectus corporis; nam filij habent corpus à matre; non animæ, quam diſpoſitiuè habent à patre.

50 Collig. 7; quòd ſi *Adam*, poſtquam genuit aliquos filios, peccaſſet, illi non contraxiſſent peccatum *Adæ*, quia deſcendiſſent ex ipſo per puram generationem, non per concupiſcentiam libidine infectam, ſed ab arbore innocente innocens fructus productus fuiſſet; quanuis autem arbor infecta fuiſſet poſt fructus deciſionem, non tamen propterea fructus infectus fuiſſet; quia fructus non inficitur, niſi quatenus continetur, vel deſcendit ab arbore infecta. Si autem *Adam*, poſtquam genuit aliquos filios, peccaſſet; probabiliter dici poſſet, quòd alij filij poſteriores ad tale peccatum non contraxiſſent peccatum originale; quia illud peccatum fuiſſet perſonale, non capitale; nam peccatum capitale eſt illud, quod inficit totam naturam; illud autem non infeciſſet totam naturam, quia non infeciſſet filios præcedentes tale peccatum; ideoque non fuiſſet capitale, ſed perſonale.

51 Collig. 8; quòd licèt *Eua* peccauerit, antequam peccaret *Adam*; attamen peccatum *Euæ* non infecit naturam, ſed tantùm perſonam illius, quia fæmina non eſt primum in generatione, ſed vir, qui ſeminat; fęmina autē cōcipit ſemē; ideoq; ſolus *Adam* fuit caput omnium hominum deſcendentium per viam generationis; *Eua* autem fuit caput omnium hominum per conceptionē;

quia

Digitized by Google

quia prima omnium concepit ſemen viri; vnde vocata eſt *mater omnium viuentium*; ideoque peccatum originale dicitur *ab Apoſt.* deſcendere *ab Adam*, non *ab Eua*; *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum &c.*

ART. IV.

In quo conſiſtat eſſentia peccati originalis?

1 QVanuis peccatum, cùm ſit defectus bonitatis, & nihil, eſſentiam non habeat, quæ ſolùm ab ente dicitur; attamen id, per quod peccatum originale formaliter conſtituitur, eſſentiam illius vocamus. Contra hanc hanc rem multi fuerunt *Hæreticorum* errores, & plures *Scholaſticorum* ſententiæ; quarum aliquę *à Recentibus* inter errores reputantur, ſed immeritò; vt videbimus.

2 Primus error fuit *Matthia Flacci Illirici apud Vaſq*; qui putauit peccatum originale non eſſe quid ſuperadditum animæ, ſed eſſe ipſam animæ ſubſtantiam, quæ tota ex peccato *Ada* manſit ſubſtantialiter corrupta; & ex imagine Dei facta eſt imago Diaboli.

Hic error redarguitur *à Beatiſſ. P. Aug. in libris cont. Manich; vt lib. de Nat. Boni; & in Suppl. cont. Iul. lib. 1. c. 63.* dicente: *Sibi vindicat Diabolus imaginem Dei, non per ſubſtantiam, quam creauit Deus; vitiata eſt enim natura, non vitium eſt; & c. 66. Non habet exercitatos ſenſus ad ſeparandum bonum à malo; & hominum, & Angelorum natura, atque ſubſtantia vel bonorum, vel malorum Deo Creatore ſubſiſtit. Sed vitia naturarum, atque ſubſtantiarum, quæ Manichęi naturas dicunt eſſe, atque ſubſtantias; veritas autem negas, Deus iuſtus, atque omnipotens ordinatione iudiciaria eſſe permittit; & ipſa ſunt mala, quæ niſi ex bonis, & in bonis naturis eſſe non poſſunt. Sic ſunt in Diaboli poteſtate, quæcunque illi Deo iudicante ſubduntur; vt à Dei poteſtate, ſub qua & Diabolus ipſe conſtitutus eſt, aliena eſſe non poſſunt; & c. 114. Non poteſt eſſe vllum malum, niſi in aliquo bono; quia non poteſt eſſe, niſi in aliqua natura; omnis autem natura, in quantùm natura eſt, bonum eſt.* Ex quibus patet hanc fuiſſe *Manichęorum* ſententiam. Ex eo ergo, quòd ſubſtantia animæ afficiatur peccato originali, non deſinit eſſe bona phyſicè, nec phyſicè corrumpitur, nec deſinit eſſe phyſicè imago Dei; ſed tantùm fit moraliter mala, & bonitas moralis corrumpitur; & moraliter fit ſub poteſtate Diaboli; manet tamē phyſicè ſub poteſtate Dei, ſub qua phyſicè eſt etiam ipſe Diabolus.

3 Arguebat *Matthias* 1. Quidquid eſt difforme legi Dei, eſt peccatum; ſed anima infecta peccato eſt huiuſmodi; ergo eſt peccatum. 2. *Ex illo Apoſt. ad Coloſſ. 3. Expoliantes vos veterem hominem*: Vetus homo eſt peccatum; ſed homo eſt ſubſtantia; ergo peccatum eſt ſubſtantia.

Sed ad 1. diſt. mi. Anima phyſicè accepta eſt difformis legi Dei, neg; moraliter, conc; vnde ſemper iuxta documentum *Beatiſſ. P.* diſtinguenda eſt natura, quæ phyſicè bona eſt, à vitio, quod eſt moraliter malum. Ad 2. eodem modo diſt. ma. Vetus homo moraliter ſumptus eſt peccatum, conc; phyſicè, neg.

4 Secundus error eſt *Kemnitij, & aliorum*, qui referente *Bellarm. lib. 5. de amiſs gratię c. 2.* dicebant peccatum non eſſe ſubſtantiam animæ, ſed aliquod ſubſtantiale corporeum; vt cor, hepar, vel etiam ipſum compoſitum. Quod reijcitur; quia iſtæ partes corporis, & ipſum compoſitum phyſicè eſt bonum, vt potè creatum à Deo, qui non niſi boni eſt conditor; tum quia peccatum formaliter non eſt, niſi in actu libero, qui corporeus eſſe nequit, cùm ſit actus voluntatis, quæ eſt potentia ſpiritualis.

5 Tertius error eſt *Caluiniſtarum, & Lutheranorum* dicentium ipſum peccatum originale formaliter conſiſtere in concupiſcentia, & fomite, qui ad malum inclinat; quam concupiſcentiam, & fomitem conſtituebant nedum in carne, ſeu in appetitu ſenſitiuo, ſed etiam in mente, ſeu in appetitu rationali, quem dicebant ex natura ſua inclinare ad malum. Hoc probant *ex Apoſt. Rom. 7. Iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum; & ex Beatiſſ. P. Aug lib. 5. cont. Iul. c. 3., & ſeq.*, vbi ait, quòd concupiſcentia eſt *effectus peccati, & peccatum ſimul*; & alibi quòd concupiſcentia eſt *pęna peccati, & peccatum.* Tum quia concupiſcentia eſt formaliter mala moraliter. 1. Quia opponitur legi mentis *iuxta Apoſt. Video in mēbris meis legē repugnantem legi mentis meę.* 2. Quia Deus odit concupiſcentiam; vt docet *Beatiſs. P. in pſ. 35.* Tandem quia Deus non cauſat concupiſcentiam, aliter inclinaret ad malum.

6 Sed hic error refellitur *ex Apoſt. Rom. 8. Nihil damnationis eſt in illis, qui ſunt in Chriſto Ieſu*; quod habet *Trid. in decret. de peccat. orig. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil eſt damnationis ijs, qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem; & Io. 1. Sanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato.* Sed concupiſcentia, & fomes manent poſt ablatum peccatum originale; vt docet *Apoſt. Rom. 7. Video in membris me s &c*; & ex illo *Trid. vbiſ. Manere autem in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem hęc S. Synodus fatetur; & Beatiſs. P. in ſuppl. cont. Iul. lib. 1. c. 71. Reatus eius regeneratione ſolutus eſt; conflictus eius ad agonem relictus eſt*; ergo concupiſcentia non eſt formaliter peccatum originale. Præterea *ex Apoſt.* concupiſcentia eſt in membris, non in mente, quia eſt repugnantia ad legem mentis; mens autem nequit repugnare ſibi ipſi. Ad *Apoſt.* reſpondent *Trid., & Beatiſs. P. ibid.* concupiſcentiam vocari peccatum, quia peccato effecta eſt, & ad peccatum inclinat. Ad *Beatiſs. P.* dicitur, quòd *ibid.* ſe explicat dicens concupiſcentiam eſſe peccatum, non ratione ſui,

ſed ratione reatus annexi; & in hoc ſenſu aliquando vocatur peccatum originale; vt *inf.* videbimus *ex noſtro Greg.* Ad rationem neg. aſſumpt. Ad 1. prob. diſt. Concupiſcentia opponitur legi mentis ratione ſui, neg; ratione reatus, vel peccati, ad quod inclinat, conc. Sic ad 2; nam Deus non odit concupiſcentiam ratione ſui, ſed ratione peccati, ad quod inclinat; & ita ad 3. His reiectis *Hæreticorum* erroribus.

7 Prima ſententia vult peccatum originale eſſe ipſum *Adæ* peccatum, prout extrinſecè denominans peccatores omnes poſteros ita, vt nihil intrinſecum in poſteris ſit, per quod conſtituatur peccatum. Referuntur *Pighius contrau. 1. de pecc. orig., Cather. de caſu hominis c. 8., & Salm. ad Rom. 5. diſp. 45. 46., & 47., & diſp. 46. arg. 8. §. cùm autem peccatum &c.* docet peccatum originale eſſe vnum numero in omnibus.

Sed hæc ſententia reijcitur 1. *ex Rom. 5. Per vnum hominem peccatum intrauit in mundū;* & deinde: *Sicut enim per inobedientiam vnius peccatores conſtituti ſunt multi; ita per vnius obeditianem iuſti conſtituuntur multi;* ſed illud, quod extrinſecè tantùm denominat, non dicitur intrare in illud, vt viſio nō dicitur intrare in parietem; hoc enim contradictorium eſt; nam illud, quod intrat, dicitur intrinſecum *ab intranda*; & quod eſt extrinſecum, dicitur non intrare. Præterea homines non conſtituuntur iuſti tantùm per iuſtitiam Chriſti extrinſecè denominatiuè, ſed per gratiam intrinſecè in illis receptam; ergo peccatum originale poſterorum non conſiſtit in actuali peccato *Adæ* extrinſecè tantum denominante. 2. *Trid. ſeſs. 5.* habet, quòd *Adæ peccatum ineſt vnicuique proprium, & Beatiſſ. P. in ſupp. cont. Iul. c. 48.* docet; quòd peccatum originale *alienum eſt, ſed paternum eſt, ac per hoc iure ſeminationis, atque germinationis, & noſtrum eſt;* quapropter *Trid. vbiſ.* ait: *Propagatione transfuſum omnibus ineſt vnicuique.* Ex quo ſic. Illud, quod traducitur propagatione, & ſeminatione, non ſe habet merè extrinſecè, & denominatiuè, ſed intrinſecè, & inhæſiuè, aliter caro, quæ traducitur non eſſet intrinſecè in nobis; ſed peccatum originale eſt huiuſmodi; quia traducitur per generationem ſeminalem ſimul cum carne, vt dictum eſt *ſup.*; ergo non extrinſecè, ſed intrinſecè in omnibus reperitur.

8 Dices *cum Salmer.* Peccato actuali *Adæ* competunt omnes conditiones peccati propriè ſumpti; fuit enim *factum, & concupitum contra legem Dei*; ergo in ipſo ſaluatur eſſentia peccati originalis. 2. Omnes peccauerunt *in Adam*; ergo peccatum *Adæ* fuit omnibus commune. 3. Per peccatum *Adæ* omnes conſtituti ſunt peccatores; ergo ſolum *Adæ* peccatum denominat poſteros extrinſecè peccatores. 4. Omnes per inobedientiam *Adæ* moraliter perſeuerantem conſtituuntur peccatores; ſicut enim *Adam* per inobedientiam moraliter perſeuerantem, & non dimiſſam conſtitutus fuit peccator habitualiter peccato perſonali; ita poſteri, qui peccauerunt *in Adam*, ſufficienter conſtituuntur peccatores per *Adæ* peccatum moraliter perſeuerans.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Peccato *Adæ*, vt eſt in ipſo tantùm, competunt conditiones peccati perſonalis, conc; originalis, neg; nam illud peccatum non dicitur originale, niſi quatenus origine, & generatione transfunditur in filios. Ad 2. diſt. conſ. Fuit omnibus commune, prout continebantur *in Adam*, in quo omnes peccauerunt, conc; prout naſcuntur *ab Adam*, neg; ſic enim fit proprium vnicuique, & intra omnes transfunditur. Ad 3. diſt. ant. eodem modo. Conſtituti ſunt peccatores in illo, conc; extra illum, ſubdiſt; originatiuè, & transfuſiuè, conc; ſolùm extrinſecè denominatiuè, neg. Ad 4. eodem modo. Conſtituuntur peccatores in illo, conc; in ſe ipſis ſubdiſt. Originatiuè, & transfuſiuè, conc; denominatiuè extrinſecè, neg. Ad prob. inſert. neg. paritas; nam ſicut *Adam* non potuit conſtitui habitualiter peccatum per peccatum in alio moraliter perſeuerans, ſed per peccatum, quod fuit intrinſecè in ipſo perſeuerans; ita poſteri non poſſunt conſtitui peccatores habitualiter per peccatum moraliter perſeuerans *in Adam*, ſed formaliter receptum in illis.

9 Secunda ſententia vult eſſentiam peccati originalis conſiſtere in reatu pænæ. Tribuitur *Roffen. art. 2. cont. Luth; Altiſſiodor. tract. 28. c. 2; & Dur. in 2. diſt. 30. q. 3. 3. n. 10.* aſſerenti condignitatem carendi iuſtitia originali eſſe culpam, carentiam verò eſſe pænam. Cui ſententiæ adhæret *Sal. tract. 73. diſp. 11. ſect. 2. apud Godoy hic §. 4. n. 30.* Hanc ſententiam *Vaſq. 1. 2. q. 83. art. 6. diſp. 132. c. 3.* conatur impingere *Beatiſs. P. Aug.*; ideo erronea *Vaſquis* hallucinatio eſt demonſtranda.

§. I.

An Beatiſs. P. Aug. conſtituerit peccatum originale in reatu?

10 VAſq; *vbiſ. n. 12.* loquens *de Beatiſs. P.* ſententia circa eſſentiam peccati originalis ait. 1. *Affirmat igitur peccatum originale eſſe concupiſcentiam, non ſecundùm ſe, ſed ratione reatus; itaque reatum putat eſſe formalem rationem peccati originalis; materialem verò eſſe ipſam concupiſcentiam.*

11 Dicit 2. *n. 13. Beatiſs. P. lib. 6. cont. Iul. c. 8.* docere huiuſmodi reatum non eſſe ſubſtantiam, ſed accidens; & manere non in corpore, nec in anima, ſed in occultis Dei legibus conſcriptis in mentibus Angelorum.

12 Dicit 3. *nu. 14. Verùm opinio Auguſtini hoc modo intellecta Theologis Scholaſticis non probatur, & meritò; ex ea enim cogimur incidere in ſententiam Pelagij.*

13 Præterea *n. 18.* ne videatur ipſum damnare noua excuſat calumnia inquiens: *Sed quid im-*

Digitized by Google

immoror? Ipſe Auguſtinus ingenuè faſſus eſt ſibi eſſe admodũ difficile explicatu,quid eſſet in paruulis peccatũ originale,nã lib.de mor. Eccl.c.22.dicit hoc peccato antiquo nihil eſſe ad prędicãdũ notius,nihil ad intelligendum ſecretius. Et lib.3. de peccat.merit; & remiſſ. non erubuit ſuam confiteri ignorantiam; nam c.4.eius libri ita ſcribit: Etianſi refellere iſtorum argumentum non valeam, video tamen inhærendum eſſe ijs, quæ in Scripturis ſunt compertiſſima:Et in ep.ad Hier. non ſemel, ſed iterum, atque iterum hanc ſuam ignorantiam fatetur cupiens ſe ab Hieronymo edoceri; inter reliqua verò inquit: Sed cum ad pœnas ventum eſt paruulorum, magis mihi crede coarctor anguſtijs, ne quid reſpondeam, prorſus inuenio.

14 Tandem *in ead. diſp.c.1. n.3;* poſtquam aſſerit *Beatiſſ.* Patrem *lib. 1. de nupt; & concup. c.26.* docere in renatis tolli reatum, & manere concupiſcentiam, quæ tamen non imputatur in peccatum; ait: *Sentit igitur concupiſcentiam quidem eſſe peccatum, eam tamen non imputari ad peccatum in renatis, quamuis maneat; quare fauere videtur errori eorundem, qui aſſerunt originale tegi, & non tolli; radi, ſed non eradicari; hoc èſt manere, ſed non imputari, aut puniri. Hic error expreſſè damnatur in Conc. Trid.ſeſſ.5.&c.*

15 His,ſimilibuſue calumnijs laceſſitus non ſemel *Beatiſs. P.* propheticè reſpondit *in Suppl. cont.Iul.lib.1.c.58. Si emeres iſta conuicia,te prodigum dicerem; gratis tibi adiacent; cur non eis fruaris, quibus animum maledicum paſcas?* Et quamuis *Monteſinus apud Godoy hìc §.4. n.34; & ſeq* ſolidè, validèque contuderit *Vaſquem* docens reatum aliquando ſumi pro culpa; & in hoc ſenſu locutum fuiſſe *Beatiſſ. Patrem*; & hunc modum loquendi habere *Scripturas*; vt *Exod.32. Percuſſit Deus populum pro reatu vituli*;quod nequit, niſi ineptè intelligi de obligatione ad pœnam; faceret enim ſenſum, quòd Deus pœnam inflixerit pro pœna; quod quàm inſulſum ſit,de ſe eſt manifeſtum. Eodem modo ſequitur *Trid. ſeſſ.5; & D.Tho. q.81. art.3. ad 1*; vnde non niſi ſimul *cum Scriptura,Conc;& PP.* modus loquendi *Beatiſſ.Patris* poteſt redargui. Ratio autem, cur reatus ſumatur pro culpa, eſt quia reatus propriè ſignificat conſtrictionem, & vinculum quoddam; culpa autem tenet conſtrictum,& vinculatum peccatorem,donec liberetur à Deo iuxta illud *Io.8. Si vos Filius liberauerit, tunc verè liberi eritis*.Sed ſi reatus propriè dicitur de culpa actuali; à fortiori dici debet de culpa originali; quia culpa originalis ſimul eſt culpa,& pœna; vt docet *Beatiſſ. P. in Suppl. cont. Iul. lib. 1. c.47; & c. 105; & ſæpe alibi*; ſicut enim cæcitas cordis, de qua *Matth.27*; eſt peccatum, & ſimul pœna præcedentium peccatorum; ita peccatum originale contractum à nobis eſt peccatum nobis intrinſecè inhærens; & eſt ſimul pœna peccati *Adę*; vnde ſi reatus obligationem ad pœnam propriè ſignificat, propriè dicitur de peccato originali, quod etiam eſt pœna, quam ſubire conditione naſcendi conſtringimur.

16 Quamuis, inquam, iſta ſufficere poſſent ad oſtendendam inſufficientem acceptionem reatus allatam *à Vaſq*:reatus enim nedum pro obligatione ad pœnam conſequente ad culpam, ſed etiam pro ipſa culpa vſurpatur; & ideo ſatis eſſe ad euertenda generaliter omnia, quæ affert *Vaſq*; attamen ad ſingula ſigulatim eſt reſpondendum.

17 Ad 1. reſp; quòd in hoc *Beatiſſ.P.* ſequitur *Apoſt. Rom. 7*; vbi concupiſcentiam carnis vocat peccatum: *Si autem quod nolo, illud facio; iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me, peccatum*; ſed concupiſcentia nequit dici peccatum formaliter; ergo ſolùm materialiter, vel quatenus coniuncta peccato, vel quatenus ad peccatum inclinat; vt loquitur *Trid; & ipſe Beatiſſ.P.inf*; ergo hæc locutio rectiſſima eſt.

18 Ad 2. dicitur non eſſe ad rem noſtram, quia *ibid.* loquitur de peccato actuali; redarguit enim ſententiam *Iuliani*; qui loquens de peccato actuali iam præterito dixit reatum manere in conſcientia illius,qui deliquit. Verba *Beatiſſ. Patris* ſunt hæc: *Cur quęram, quid reſpondeas, & non potiùs verba tua ponam? Actu, inquis, prętereunte manet eius reatus in illius conſcientia, qui deliquit, donec dimittatur* Quam opinionem reijcit ſic: *Quòd ſi obliuiſcatur ſe deliquiſſe, nec eius conſcientia ſtimuletur; vbi erat reatus ille, quem tranſeunte peccato manere concedis, donec remittatur? Non eſt certè in corpore, quia non eſt eorum accidentium,quæ accidunt corpori;non eſt in animo* (ſupple ex *Iul.* ſẽtẽtia dicẽte manere in conſcientia) *quia eius memoriam deleuit obliuio; & tamen eſt.*Deinde loquens de memoria reatus ait: *Vbi ergo manet, niſi in occultis legibus Dei, quę conſcripta ſunt quodammodo in mentibus Angelorum; vt nulla ſit iniquitas impunita?* Ait ergo, quòd memoria peccati manet in occultis legibus Dei, vt nulla iniquitas ſit impunita; peccatum verò eſſe in nobis,ſubdit enim: *Quia verò in illo eſt, aut cum illo punietur, aut illo ab eius reatu liberato,&c.* Tandem concludit peccatum eſſe languorem naturæ, & ideo eſſe in ipſa natura: *Sed quia noſtra naturæ languor eſt; ſanetur in nobis.*

19 Ad 3. iam dictum eſt, quòd *Beatiſs. P.* nomine *reatus* intelligit culpam; & ideo probans *contra Pelagianos* reatum intrinſecè ineſſe omnibus probat culpam eſſe in omnibus; quapropter *Pelagianorum* dogma rectiſſimè improbat, non probat. Præterea continuò aſſerit peccatum trahi *ab Adamo* ſimul cum carne per viam generationis; caro autem eſt intrinſeca vnicuiq; naſcentium; ergo & peccatum, quod cum illa traducitur. Tandem tota eius ſucepta contra hæreſim *Pelagianam* conſiſtebat in hoc, quòd erat in paruulis peccatum, ob quod ſolùm iuſtè puniebantur à Deo iugo tot miſeriarum temporalium, & excludebantur à regno Dei; & hoc

peccatum licèt ſit alienum, attamen quia paternam, ideo iure hæreditario contrahitur, & ſit proprium vnicuique. Hæc paſſim leguntur *in omnibus eius operibus* tractantibus hanc materiam; vnde neceſſe eſt *Vaſquē* clauſis oculis ipſum legiſſe, ne hæc videret. Vel ſi *à ſuis notarys*; qui in ſuo opere Theologico fortè illum adiuuaruut, deceptus ſit; notam nequit effugere, inquit enim *Beatiſs.P.in Suppl.lib.2.c.42. Quid autem nequius; ſi hoc ipſe finxiſti; quid ſtolidius, ſi fingentibus credidiſti?*

20 Ad 4. dicitur *Beatiſs. P. illis in locis* fateri difficultatem in probando teſtimonijs *Scripturarum*, non quidem exiſtentiam peccati originalis in omnibus, quam probat *plurimis textibus*, ſed traductionem ipſius; an ſcilicet traducatur cum anima, vel ſolùm cum carne traducta? Hæc eſt difficultas, quam fatetur; non illa, quam fingit *Vaſq.* Quanuis enim plures, efficaceſq; rationes, quæ videri poſſunt *to.3. in Hexam. q. 1.art.12.n.40.*, quibus probat animam non traduci; attamen coarctabatur anguſtijs quærens *in Scripturis* auctoritates. Audiamus, quid dicat *lib.3. de peccat. merit; & remiſs. c.2.* in fine: *In ceteris, quæ Pelagius inſinuat eos dicere, qui contra originale peccatum diſputant, in illis duobus prolixi mei operis ſatis, quantùm arbitror, dilucidèq; reſpondi*. Et deinde. *Quæ pro natura quæſtionum dilucidè dicta exiſtimo &c.* Dilucida autem reſponſio nequit eſſe cum obſcuritate, & difficultate, vt patet. Mox *c.3.* aſſerens, in quo difficultatem habeat, ait: *Si anima non eſt ex traduce, ſed ſola caro, ipſa tantùm habet traducem peccati &c*; & pauló poſt ait; quòd *etſi refellere eorum argumenta non valeam; video tamen inhærendum eſſe ijs, quæ in Scripturis ſunt apertiſſimis.* Quod intelligitur vel de argumentis contra traductionem peccati; nam etiam *c.10.* hoc oſtendit; vel etiam intelligitur in hoc ſenſu; *Etſi*, idèſt dato quòd non poſſem reſpondere eorum rationibus; attamen inhærendum eſt *Scripturis*, quæ præualent omni rationi; quæ ſunt in hac re apertiſſimæ. Ad *ep. D.Hier.* audiat *Vaſq.*, quod illi epiſtolæ reſpondeat *idem D.Hier.ep.inter Auguſtinianas 30. Certè quidquid dici potuit, & ſublimi ingenio de Scripturarum Sanctarum hauriri fontibus, à te poſitum, atque diſertum eſt*. Quomodo autem ſtare poteſt ignorantia cum ſublimi doctrina omnium, quæ dici poſſunt? Apertè autem *in ep.29.* fatetur difficultatem circa traducem, non circa eſſentiam peccati; quod debebat *Vaſq.* aduertere, non craſſa lectione ſubuertere.

21 Præterea ſic arguitur *Vaſq.* Quæſtio ſuſcepta *cum Pelagianis* erat de exiſtentia peccati originalis in omnibus deſcendentibus *ex Adam*, non de modo, quo traducebatur in omnes; nec de ratione formali conſtitutiua peccati; vt *apud omnes* eſt manifeſtum; nam de modo, & de ratione formali ſatìs fuiſſet *Beatiſs. Patri eos* concedere peccatum originale eſſe in omnibus hominibus; & ponerent eius rationem formalem, in quocunque vellent; nam licèt *Doctores Catholici* diſſentiant in aſſignanda ratione formali; attamen quia conueniunt in confitenda exiſtentia illius in omnibus hominibus, ideo catholici sūt; & ita fuiſſent *Pelagiani*; ergo difficultas, quam ſentit *Beatiſs.P.* circa peccatum originale, non fuit circa eſſentiam, ſed circa modum, quo traducitur, & exiſtit in omnibus. In quo ſupinè deceptus eſt *Vaſq.*

22 Ad aliud tandem dicitur *ipſum Vaſq c.3. n.12.* negare, quod affirmat; poſtquam enim dixit *c.1. Beatiſs. Patrem* docere peccatum originale *tegi, & non tolli*; deinde ſui immemor *c.3.* aſſerit *in eiuſdem Beatiſs. Patris* ſententia tolli peccatum, inquit enim: *Non quia exiſtimet* (ſupple *Auguſtinus*) *ſolùm tegi, & occultari id, quod veram, & propriam rationem culpæ habet; ſed quia cùm reatus ſit ipſum peccatum, reatus verò non maneat, ſed tollatur, peccatum quoque tolli neceſſe eſt*. Vnde *Vaſq.*, quem falsò accuſat, ſtatim innocentem fatetur. Sed hanc calumniam objiciebat *Beatiſs.Patri Iulianus*; cui reſpondet *in Suppl. lib.2.c.71. Non hoc dico, nihil dicis. Aliud eſt peccatum, aliud concupiſcentia peccati, cui non conſentit, qui per gratiam Dei non peccat, quanuis & ipſa concupiſcentia peccati vocetur peccatum, quia peccato facta eſt*. Sic loquitur *Conc. Trid. Vid.* circa hoc *art.1.n.11.* Aſſerit ergo manere in renatis concupiſcentiam, quæ non imputatur ad peccatum, ſi ei non conſentimus; non tamen manere culpam. *Vid. etiam in Suppl. lib.1.c.71*; hoc enim ferè ſemper objiciebat *Iulianus* contendēs concupiſcentiam bonam eſſe, non malam; propter quod *concupiſcentiæ laudator à Beatiſs.P.* appellatur.

23 Denique *Beatiſs. P.* generaliter docet omne peccatum mortale formaliter conſiſtere in priuatione rectitudinis debitæ; vt videbimus *in ſeq. q.*, & hoc docet de peccato originali; vt oſtendemus *in ſeq. §.*, ſed hoc ſequitur *Vaſq*; ergo *Vaſq*; velit, nolit, cogitur ſequi doctrinam *Beatiſs. Patris*, quem tamen redarguere conatur.

24 Quòd autem peccatum originale non conſiſtat in reatu, niſi pro reatu intelligatur culpa, quæ ſimul eſt pœna, & per generationem traducitur, prob. Nomine reatus vel intelligitur obligatio ad pęnam, vel dignitas pœnæ, vel conſtrictio, qua tenemur ſub pœna; ſed reatus primo, & ſecundo modo ſumptus non eſt peccatum; tertio autem modo ſupponit culpam, ſub qua tenemur; ergo peccatum originale non conſiſtit in reatu.

§. 2.

Reſoluitur articulus.

25 TErtia ſententia vult peccatum originale conſiſtere in quadam morbida

bida qualitate; qua anima inclinatur ad peccandum, traducta per ſeminalem propagationem. *Ita Aureol. in 2. diſt. 30. art. 2; Henr. Quodl. 2. q. 11, noſter Greg. diſt. 30. q. 1. art. 2; Argent. in 3. diſt. 3. q. 1. art. 1, Holcot, & Driedo apud noſtrum Gibb.* Hæc autem qualitas morbida eſt concupiſcentia, quam *Mag.* dicit eſſe peccatum originale.

26 Quarta vult conſiſtere in poſitiua conuerſione habituali ad creaturas, ſeu in termino poſitiuo morali ex actuali tranſgreſſione *Adæ* in nos transfuſo, quo conſtituimur poſitiuè legi difformes, realiter auerſi à Deo, & conuerſi ad creaturam. *Ita Godoy hìc diſp 36. §. 9. concl. 3*; vbi refert *Maior; Burgen; Driedo, D. Bon; Ban. in M.S; Sot, Med; & alios*; quibus additur *Herr; & Martinon.*

27 Quinta conſtituit peccatum originale in priuatiuo. Sed diuiſa eſt; *alij* nanque volunt conſiſtere in priuatione iuris ad omnia dona ſupernaturalia, quæ comitabantur iuſtitiam originalem. *Ita Dur. in 2. diſt. 30. q. 3. apud noſtrum Gibb. Alij* in priuatione ſolius gratiæ ſanctificantis, quæ conceſſa fuit *Adæ*, & qua anima ſubdebatur Deo, non verò in priuatione iuſtitiæ originalis, qua vires inferiores ſubdebantur rationi. Ita omnes *alij Thomiſtæ communiter* relte *Gonet hìc diſp. 7. art. 5. §. 4; & Gibb. hìc diſp. 13. dub. 3. §. 2. n. 7*; vbi refert *noſtrum Bernardin; Caiet; Med, Sot. lib. 1. de nat; & grat. c. 8; Monteſin. q. 82. art. 3. q. 6; Vaſp. diſp. 132. c. 8; & 9; Suar. diſp. 9. de peccat. ſect. 2; Sal. diſp. 11. ſect. 2; & 3; Bellarm. lib. 5. de amiſſione grat. c. 19; Tanner. diſp. 4. de peccat. q. 7. dub. 4; Eſparz. lib. 5. de Iuſtific. q. 6. Val; Amic, & alios.*

28 Noſtra tandem ſententia docet cōſiſtere formaliter, & per ſe primò, ac principaliter in carentia originalis iuſtitiæ perficientis eſſentiam animæ cum debito habendi illam; & ex conſequenti, ac per redundantiam in carentia omnium donorum illam concomitantium; inter quæ tamen non fuit gratia Chriſti ſanctificans, quia *Adam* non fuit creatus cum gratia ſanctificante, ſed cum originali iuſtitia, quæ reddebat hominem ſanctum, iuſtum, charum Deo, non tamen erat idem, ac gratia Chriſti ſanctificans, quia hæc non ſubdit ſenſus rationi, & rationem Deo, nec tollit rebellionem, vt præſtabat gratia originalis. Vid. *to. 3. de Ang. q. 8. art. 2. Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 30. q. 1. art. 5*; vbi §. *Viſo* ait: *Patere poteſt, quid ſit originale peccatum ſecundùm ſe, & principaliter; quia eſt carentia originalis iuſtitia perficientis eſſentiam; & quid ſit per redundantiam; quia eſt carentia originalis iuſtitia perficientis potentiam, à qua dependiſſent alia virtutes; & art. 2. §. Fuit ergo*; vbi ait, quòd per gratiam Chriſti abſoluimur à debito habendi iuſtitiam originalem; *& in ead. diſt. 30. dubit. 3. lit. §. ſciendum* ait: *Cùm originale peccatum priuet nos originali iuſtitia, priuat nos omnibus bonis, qua faciebat præfata iuſtitia; ſed præfata iuſtitia primò, & principaliter decorabat eſſentiam anima, quod nunc facit gratia, & per quandam redundantiam decorabat omnes animæ potentias &c.* Idem proſequitur *dubit. 4; & diſt. 31. q. 1. art. 1; & 2; & q. 2. art. 2; & ſæpe alibi*. Hanc ſequitur *Scot. in 2. diſt. 3. q. 1. §. Quantùm ad 2; D. Bon. in 2. diſt. 30. art. 2. q. 1; Ric; Maior; Caiet; Conr; Sot. vbiſ. c. 9; Med; Alu; Merat, Vaſq; Sal; Lorc; Monteſin; Becc. apud Gibb. §. 5. n. 39; & alij quamplures*. Porrò non niſi diſtortè negari poteſt hanc eſſe *D. Tho.* ſententiam; vt patebit.

29 Not. *ex Fund. Doct. diſt. 30. dub. 3. lit.* peccatum originale decem nominibus *à Mag.* appellari, quæ nomina ſumpta ſunt vel *ex Scripturis*, vel *ex SS. PP; & DD.* Dicitur *originale peccatum*; quia eſt primum, & radix aliorum, & quia per originem contrahitur. 2. Dicitur *fomes peccati*; quia fouet inclinationem ad peccandum. 3. Dicitur *concupiſcentia*; quia eſt radix omnium malorum cupiditatum. 4. *Concupiſcibilitas*; quia habet modum habitus. 5. *Lex membrorum*; quia per ipſum vires inferiores dictant eſſe operandū contra rationem. 6. *Languor naturæ*, quia per ipſum natura infecta eſt infirmata. *Tyrannus, qui eſt in membris*; quia cogit in bona ſenſibilia, quæ ſunt particularia, ommiſſo bono ſpirituali, quod eſt commune. 8. *Lex carnis*; quia per ipſum caro rebellat ſpiritui. 9. *Carentia iuſtitia originalis*; quia per ipſum priuamur bonitate, & rectitudine in prima rerum conditione nobis *in Adam* collata. 10. *Vitium concupiſcentiæ*; quia vitiat concupiſcentiam, vt tendat in malum. Quoniam autem hæc nomina partim habentur *in Scripturis*, partim *in libris SS. PP*; & ferè omnia reperiuntur *apud Beatiſſimum Patrem*; ideo notat *Fund. Doct.* rem appellari nedum à ſua eſſentia, ſeu formalitate, per quam conſtituitur eſſentia; ſed etiam à ſuo ſubiecto, proprietate, effectu, vel ab aliqua alia re coniuncta cum ipſa. ſic noſtra beatitudo dicitur *viſio beata, gratia conſumata, gaudium, requies &c*; cùm tamen conſtet *apud omnes* ipſam non conſtitui per omnia iſta; ſed per vnum horum, cetera verò tantùm materialiter ad illam ſe habere.

30 Cùm igitur iuſtitia originalis ſe habuerit, ſicut ſe habet nunc gratia habitualis, quæ in locum illius per merita Chriſti Domini ſubrogata eſt; vt diximus *art. 3. §. 1. n. 47*; ſicut gratia habitualis eſt per ſe in eſſentia animæ; & ſecum defert virtutes in potentijs ipſius animæ, vt charitatem in voluntate, per quam voluntas vnitur Deo; temperantiam in concupiſcentia, & fortitudinem in iraſcibili, aliaſque virtutes, per quas hic duplex appetitus ſenſitiuus ſubditur rationi; ita iuſtitia originalis per ſe, & principaliter erat in eſſentia animæ; & per redundantiam in potentijs ſiue rationalibus, quia ſecum deferebat virtutem exiſtentem in voluntate, per quā voluntas vniebatur Deo, quæ virtus à *Fund. Doct.*

Digitized by Google

Doct. vocatur iuſtitia originalis originata ad differentiam iuſtitiæ originalis exiſtentis in eſſentia animæ, à qua iſta, tanquam proprietas, oriebatur; & non videmus, cur iſta non potuerit appellari charitas; quia per ipſam *Adam* Deum diligebat; ait enim *Beatiſs. P.*, quòd fuit creatus *cum amore caſto*; ſicut dicit de Angelis; vt diximus *to.3. de Ang. q.8. art.* 2. Siue in potentijs ſenſitiuis appetitiuis, quia ſecum deferebat temperantiam in concupiſcentia; & fortitudinē in iraſcibili; per quas virtutes vterque appetitus ſubdebatur obedienter rationi. Siue in potentijs naturalibus; quia ſic rectificabat generatiuam, vt non inſurgeret, niſi cùm tempus generandæ prolis inſtaret; rectificabat nutritiuam; quæ tantùm cibi ſumebat, quantùm exigebat vitæ conſeruandæ neceſſitas; & augmentatiuam, quæ abhorrebat ab alimento ſuperfluo, quod poſſet monſtruoſam corpulentiam efficere. Er ex hac adeo concordi potentiarum harmonia reſultabat quietiſſima pax interna, ac propria illius feliciſſimi ſtatus innocentis beata tranquillitas.

31 Certum eſt autem, quòd peccatum originale priuauit nos iuſtitia originali, ſiue conſiſtat formaliter in ipſa priuatione, ſiue priuationem tantùm conſecutiuè importet; & ex hac priuatione turbata eſt pax in regno animæ; nam inſurrexit voluntatis rebellio ad Deum, appetitus ſenſitiui, & membrorum, in quibus reſident, tanquam in organis, potentiæ naturales, ad rationem; per remotionem enim iuſtitiæ originalis ſublatum eſt id, per quod pax inter iſta conſeruabatur. Cùm autem priuatio habeat eſſe in eodem ſubiecto, in quo eſt forma, qua priuat; vt docent *Philoſophi*; ideo priuatio iuſtitiæ originalis primò, & principaliter habuit eſſe in anima, in qua principaliter erat ipſa iuſtitia illam decorans; & per redundantiam in voluntate, in qua erat charitas, quam ſecum deferebat iuſtitia. & in vtroque appetitu ſenſitiuo, in quo erant temperantia, & fortitudo, ac aliæ virtutes morales; & tandem in ipſis membris, in quibus erant, tanquam in organis, potentiæ naturales rectificatæ per ipſam originalem iuſtitiam. Si igitur quælibet forma rectè appellatur nedum ab eo, quod per ſe, & principaliter importat, ſed etiam ab eo, quod importat ex conſequenti, & materialiter, vt *ſup.* dictum eſt; & quod dicitur de forma, dici debet etiam de priuatione illi oppoſita; quia *oppoſitorum eſt eadem ratio*, ideo peccatum originale, quod importat priuationem iuſtitiæ in anima, in appetitu, & in membris, rectè appellatur illis decem nominibus. Et in hoc ſenſu veræ ſunt, & concordantur ſententiæ ſuperiùs allatæ.

32 Inſuper aduertendum, quòd non loquimur de ipſo peccato originali, prout fuit *in Adam*; quia ſic acceptum fuit actuale, non originale; vt docet *Fund. Doct. in* 2. *diſt.* 30. *q.* 1. *art.* 2. *dub.* 1. *lat.* *Adam* enim illud non contraxit per originem; aliter ipſum habuiſſet à Deo, à quo ſolùm fuit creatus; & ſic Deus eſſet Auctor peccati; *Adam* ergo illud commiſit propria voluntate. Sic nec loquimur de illo, prout in *Adam* nos omnes illud commiſimus. Sed loquimur de ipſo, prout *ex Adam* traducitur in nos, ſic enim propriè dicitur originale; quia ſcilicet per originem traducitur, & contrahitur. Quid autem dicendum ſit de illo, prout fuit *in Adam*, & prout *in Adam* nos omnes illud cōmiſimus; *inf.* videbimus, cùm quæremus, an peccatum cōmiſſionis conſiſtat in priuatiuo; generaliter enim de omni peccato cōmiſſionis, & ideo etiam de peccato *Adæ*, quod ſic acceptum fuit peccatum actuale commiſſionis, loquemur. *His not.*

33 Vnica concl. Peccatum originale non conſiſtit formaliter in poſitiuo; ſed in priuatione iuſtitiæ originalis cum debito illam habendi per ſe, & principaliter; & in priuatione omnium donorum per redundantiam.

Prob. 1. pars concl. *ex Beatiſſ. P. in Suppl. cont. Iul. lib.* 2. *c.* 41. docente: *Qui poſſunt in natura vitiata bonum eius à malo eius ita diſcernere, vt neque putent naturam malum eſſe, neque vitiū naturam eſſe, ipſi poſſunt diſcernere, quid horum duorum ad Deum creare pertineat, quid ſanare.* Et *lib.* 6. *cont. Iul. c.* 8. *in fine* habet, quòd peccatum originale *noſtra natura languor eſt*. Ex quibus ſic. Peccatum originale nequit formaliter conſtitui per illud, à quo formaliter diſtinguitur; aliter conſtitueretur per illud, quod formaliter non eſt, & de quo formaliter negatur; ſed entitas poſitiua diſtinguitur formaliter à peccato originali; ergo peccatum originale nequit formaliter conſtitui per entitatem poſitiuam, & in illa formaliter conſiſtere. Prob. mi. Omnis entitas poſitiua eſt quædam natura; dicitur enim natura *à naſcendo* ab alio, tanquam à cauſa efficiente, ſeu ponente illam ſub eſſe; propter quod omnis entitas poſitiua dicitur formaliter ſpectare ad ordinem naturæ; ſed natura diſtinguitur formaliter à peccato originali; quia peccatum originale eſt vitium, ſeu languor naturæ, non natura; ergo entitas poſitiua formaliter diſtinguitur à peccato originali.

34 Conf. Ordo phyſicus, & ordo moralis formaliter diſtinguuntur, quia ordo phyſicus dicitur per ordinem ad Deum, tanquam ad cauſam efficientem; ordo autem moralis dicitur per ordinem ad Deum, tanquam ad vltimum finem; ſed entitas poſitiua ſpectat ad ordinem phyſicū, & peccatum originale, & entitas phyſica formaliter diſtinguuntur; ergo illud nequit in iſta formaliter conſiſtere.

35 Dices entitatem poſitiuam non eſſe abſolutè, & ſimpliciter malam, ſed tantùm quatenus eſt difformis rationi, & legi Dei, ſeu fini à ratione intento.

Sed contra eſt. Entitas poſitiua ſecundùm ſe

ſe abſolutè non eſt mala; ſed ſolùm quatenus eſt difformis rationi, legi, aut fini; ergo peccatum non conſiſtit formaliter in illa entitate poſitiua; aliter conſtitueretur formaliter per id, quod non eſt malum; & ideo nec peccatum eſſet malum, quia tale eſt conſtitutum, quale eſt conſtitutiuum; ergo formaliter conſtituitur per illam difformitatem, quæ cùm importet relationem, neceſſariò diſtinguenda eſt formaliter virtualiter ſaltem ab illa entitate poſitiua, ſupra quam fundatur; qui relatio ſaltem virtualiter diſtinguitur ab abſoluto. Hoc eſt, quòd continuò repetit *Beatiſs. P. contra Pelagianos* accuſantes eum *Manichaiſmi* eo, quòd diceb at concupiſcentiam, quæ eſt entitas poſitiua, eſſe malam, ad quod euertendum docebat diſtinguendam eſſe entitatem concupiſcentiæ à difformitate ad rationem, ſeu à reſpectu ad malum finem; & in hoc reſpectu, & dicebat conſiſtere malum morale; quod propterea in eius ſententia nequit formaliter conſiſtere in ipſa entitate poſitiua.

36 Tum quia auerſioni, quæ eſt in peccato, correſpondet ſola pæna damni; & conuerſioni correſpondet pæna ſenſus; vt docent *Aduerſarij*; ſed peccato originali correſpondet ſola pæna damni; vt etiam aſſerunt *ijdemet Aduerſarij* docentes, quòd paruuli cum ſolo originali decedentes puniuntur tantùm pæna damni, non ſenſus, vt *inf.* ergo coguntur ponere in peccato originali ſolam auerſionem.

37 Dices pœnam ſenſus correſpondere cōuerſioni actuali, non habituali. Addit *Godoy* §. 10.*n*.43. pœnam ſenſus deberi ſolùm conuerſioni, quæ propriam voluntatem contrahitur in ſe ipſo.

Sed contra eſt; nam peccatum perſonale, ſiue actuale, ſiue habituale punitur pæna ſenſus; ſed peccatum perſonale habituale dicit ſolam conuerſionem habitualem, ſicut actuale dicit conuerſionem actualem, per quam conſtituitur in eſſe peccati actualis; velut per conuerſionem habitualem conſtituitur peccatum in eſſe peccati habitualis; nam conuerſio actualis eſt tendentia actualis, quæ eſt actus, quo tenditur in creaturam, vt in vltimum finem; & conuerſio habitualis eſt facilitas ad tendendum in creaturam; ergo peccatum dicens ſolam habitualem conuerſionem ad creaturas punitur pæna ſenſus; atqui peccatum originale non punitur pæna ſenſus; vt volunt *Aduerſarij*; ergo non dicit conuerſionem habitualem; & ideo hæc ſententia *cum Diuo Tho.* ſubſtineri non poteſt. Ad *Godoy* ſic arguitur. Auerſioni ſiue in ſe, ſiue in alio debetur pæna damni; ergo conuerſioni ſiue in ſe, ſiue in alio debetur pæna ſenſus.

38 Tum quia illud eſt conſtitutiuum formale cuiuſcunq; rei, quod primò intelligitur in illa re, & eſt radix aliorum; ſed auerſio eſt primum, quod intelligitur in peccato originali; quia terminus, *à quo* incipit motus, eſt prior termino, ad quem deſinit motus; quapropter priuatio, quæ eſt terminus *à quo*, dicitur habere rationem principij ipſius motus; & forma, quæ eſt terminus *ad quem*, habet rationem eff.ctus; ergo peccatum originale formaliter conſtituitur per auerſionem, quæ eſt pura carentia, & priuatio, non per conuerſionem, quæ includit entitatem poſitiuam, licèt tantùm de materiali; vt *inf.* dicemus.

39 Præterea omnis entitas poſitiua immediatè fundata in anima eſt ſimpliciter indelebilis, & inſeparabilis ab illa; vt patet de intellectu, voluntate, ceteriſque potentijs immediatè fundatis in anima; & ratio eſt; quia à fundamēto immobili trahit res fundata immobilitatem; ſic videmus albedinem, & alias qualitates ſenſibiles eſſe mobiles, & ſeparabiles, quia fundantur in quantitate, quæ ſecundùm ſe eſt mobilis, cùm ſit accidens, & non eſt immobilis, niſi ratione ſubſtantiæ, in qua fundatur; vnde ſolùm per aliud eſt immobilis; ſed peccatum originale per ſe, & principaliter fundatur in anima, vt *inf.* dicemus; ergo non importat entitatem poſitiuā; aliter non poſſet deleri, & ſeparari ab anima ſecundùm curſum, quem videmus, ſed ſolùm miraculosè. Sed de hoc fuſiùs *in ſeq.q.*, vbi oſtendemus omne peccatum, quatenus peccatum, formaliter conſtitui per priuationem.

40 Prob.2. pars, & magis euertitur prima. 1. Languor naturæ in phyſicis formaliter nō eſt, niſi defectus, & priuato fortitudinis naturalis; defectus enim formaliter idem eſt, ac priuatio; nam deficere aliquid alicui eſt illo priuari, vt patet; ergo languor naturæ in moralibus formaliter non eſt, niſi defectus, & priuatio fortitudinis moralis, quæ eſt gratia fortificans animam ad bene agendum; atqui peccatum originale eſt languor naturæ; ergo non eſt, niſi defectus, & priuatio fortitudinis moralis, ſeu iuſtitiæ originalis, quæ fortificabat naturam ad bene agendum. Prob. ant. Quanuis languor naturæ in phyſicis oriatur ab aliquo humore excedente, vel opprimente alios humores, ex quorum æquilibrio conſurgit ſanitas, & fortitudo naturæ; nullus tamen diceret illum humorem eſſe formaliter languorem naturæ; quia nullus diceret nimium vinum eſſe formaliter ebrietatem, aut languorem naturæ, cùm potiùs ſecundùm ſe naturam fortificet; nec illam debilitet, niſi quatenus ex illo reſultat intemperies humorum, quæ eſt priuatio, & defectus æquilibrij, in qua priuatione conſiſtit languor naturæ; ergo languor naturæ in phyſicis formaliter non eſt, niſi defectus, & priuatio naturalis fortitudinis. Conſ. patet paritate rationis. Prob. mi. ſubſumpta. 1. auctoritate *Beatiſs. P. ſup.* allata; & *omnium SS.PP; & DD.* aſſerentium naturam humanam vulneratam, infirmatam, debilem, ac languidam effectam fuiſſe per peccatum originale. 2. ratione. Priuatio fortitudinis in naturalibus eſt languor naturæ, in phy-

phyſicis; ergo peccatum originale,quod eſt priuatio iuſtitiæ originalis, quæ erat fortitudo naturæ in moralibus, eſt languor naturæ in moralibus.

41 Prob.2. ex *Fund. Doct.in 2. diſt.30.q.1. art.2; & art.4. dub.2. lat; & art.5. dub.lat. §.Aduertendum*. Quanuis peccatum originale aſſimiletur habitui vitioſo, quatenus importat pronitatem ad malum; attamen ab illo diſtinguitur, quia non eſt per modum alicuius appoſiti; ſed per modum ſubſtractionis alicuius qualitatis impedientis naturam tendere proniter in malũ; at id,quod eſt per modum ſubtractionis conſiſtit in priuatione, cùm priuatio nihil aliud ſit,quàm ſubtractio formæ;ergo peccatũ originale formaliter conſiſtit in priuatione. Prob.1. pars ma.Illud dicitur conſiſtere in aliquo per modum appoſitionis, quod conſiſtit in aliquo ſibi ſuperaddito; ſed peccatum habituale conſiſtit in aliquo ſuperaddito potẽtiæ genito ex eius actibus frequentatis eo modo, quo diximus *de Habit. art.* 2; ergo peccatum habituale conſiſtit in aliquo per modum appoſitionis. Prob.2. pars. Ex eo, quòd peccatum originale tollat iuſtitiam originalem, per quam natura fortificabatur, ne laberetur in peccatum, reſultat pronitas in natura ad peccandum; quoniam loquens de iuſtitia originali docet *Beatiſs. P. de Corr; & Grat. c.* 11. *Si autem hoc adiutorium vel Angelo, vel homini, cùm primùm facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, vt ſine Diuino adiutorio poſſet manere, ſi vellet, non vtique ſua culpa cecidiſſent; adiutorium quippè debuiſſet, ſine quo manere non poſſent*; & ratio ipſius eſt, quam *ſæpiſsimè* affert: quia quod *ex nihilo eſt,in nihilum tendit*; & ideo ſecundùm ſuam naturam præcisè habet pronitatem ad deficiendum; ergo peccatum originale dicit pronitatem ad malum ſolùm per modum ſubſtractionis illius qualitatis, per quam fortificabatur,ne rueret in malum.

42 Conf.Per ſolam ſubſtractionem impedimenti, quo lapis detinetur, ne ruat in centrum, abſque appoſitione alicuius qualitatis poſitiuæ inclinantis illum ad centrum dicitur pronus, & inclinatus ad centrum; quia naturaliter habet annexam grauitatem, per quam inclinatur ad centrum; ſed natura creaturæ, vtpotè facta ex nihilo, naturaliter inclinatur in nihilum; & ideo in peccatum, quod eſt nihil; ergo per ſolam ſubtractionem iuſtitiæ originalis, qua detinebatur, ne laberetur in peccatum, habetur pronitas naturæ in malum.

43 Explic. magiſ.Ita ſe habet voluntas per ordinem ad malum; ſicut intellectus per ordinẽ ad falſum; ſed per ſolam ſubſtractionem ſcientiæ abſque appoſitione alicuius habitus vitioſi intellectus eſt pronus ad falſum; ergo & voluntas ad malum.

44 Prob. 2. *ex eod.* In illo conſiſtit formaliter quodcunque ens poſitiuum, vel priuatiuum, quo habito habetur formaliter eſſentia illius entis; ſed habita ſola priuatione iuſtitiæ originalis habetur eſſentia peccati originalis; ergo peccatum originale formaliter conſiſtit in ſola priuatione iuſtitiæ originalis. Ma.patet; eſt enim definitio conſtitutiui formalis.Prob.mi.Habita priuatione iuſtitiæ originalis habetur defectus perfectionis moralis, quæ ſecundùm decentiam Diuinæ bonitatis debetur creaturæ rationali iuxta illud *Iſaiæ* 5. *Quid eſt, quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei? Auferam ſepem eius, & erit in direptionem*; ex quibus verbis colligitur nedum iuſtitiam originalem fuiſſe debitã animæ, quæ eſt vinea,ex decẽtia Diuinæ bonitatis,& ex indigentia ſui, ne laberetur in peccatũ,ſed etiã, quòd ſola ablatio ipſius iuſtitiæ originalis, quæ erat ſepes circũdãs animã,ne dirueretur à vitijs, fuit cauſa tẽdẽtiæ in peccata; & ideo ſola priuatio iuſtitiæ eſt defectus perfectionis debitæ ſecundùm indignitatem naturæ, non ſecundùm exigentiam naturalem; quia nullum donum ſupernaturale naturaliter exigitur; quanuis natura illo indigeat, ne labatur in peccatum; ſed habito defectu perfectionis moralis debitæ naturæ pro ſtatu originali habetur peccatum originale; quia ſolùm peccatum originale priuauit iuſtitia originali;ergo habita priuatione iuſtitiæ originalis, habetur eſſentia peccati originalis.

45 Conf. *ex eod.* Habito defectu alicuius perfectionis naturalis naturaliter debitæ habetur defectuoſitas, & monſtruoſitas naturalis, vt v. g. quia naſus debet naturaliter faciei, & manus corpori; ideo defectus ſimplex naſi in facie, & defectus manus in corpore abſque poſitione cuiuſcunque alterius partis poſitiuæ, eſt defectuoſitas,& monſtruoſitas naturalis; ergo ſolus, & ſimplex defectus perfectionis moralis abſque poſitione alicuius entitatis poſitiuæ, eſt defectuoſitas, & monſtruoſitas moralis; atqui iuſtitia originalis eſt debita naturæ humanæ ſecundùm decentiam bonitatis Dei, & ſecundùm indigentiam ipſius creaturæ, quæ illa indigebat, ne laberetur in peccatum; ergo defectus illius iuſtitiæ eſt defectuoſitas, & monſtruoſitas moralis,in qua conſiſtit formaliter peccatum; & ideo ſola, & præciſa priuatio iuſtitiæ originalis, quæ eſt idem, ac defectus illius, conſtituit peccatum originale.

46 Prob.3. In illo formaliter conſiſtit ratio peccati originalis, quod eſt radix omnium effectuum, qui dimanant à peccato originali, quia eſſentia rei eſt radix omnium illorum, quæ ab ipſa dimanant; ſed omnes effectus peccati originalis dimanant à priuatione iuſtitiæ originalis; ergo ſola, & præciſa priuatio iuſtitiæ originalis eſt eſſentia peccati originalis. Prob. mi. Effectus priuatiuè oppoſiti alijs effectibus poſitiuis dimanant à priuatione illius formæ, à qua dimanant effectus poſitiui, quibus opponuntur illi effectus priuatiui; vt v.g. obſcuritas, inuiſibilitas

&c.

Digitized by Google

&c; quæ opponuntur claritati, viſibilitati &c. dimanant à tenebris, quæ ſunt priuatio ipſius lucis, quæ eſt forma illi priuationi oppoſita, à qua poſitiuè dimanant claritas, & viſibilitas &c; ſed effectus peccati originalis; nam rebellio voluntatis ad Deum, appetitus ſenſitiui, & membrorum ad rationem opponuntur obedientiæ volũtatis ad Deum, & appetitus, ac membrorum ad rationem, quæ obedientia erat effectus iuſtitiæ originalis; ſic mors, & miſeriæ temporales opponuntur immortalitati, & felicitati, quæ erat effectus illius iuſtitię, & ita de reliquis; ergo effectus peccati originalis dimanant à ſola, & præciſa priuatione inſtitiæ originalis.

47 Tandem *contra Godoy*. Si peccatum originale conſiſteret in aliqua entitate poſitiua, ſequeretur conſiſtere *in qualitate morbida*; ſed hoc ab ipſo impugnatur; ergo idem. Prob. ſeq. Illa entitas poſitiua non eſſet ſubſtantia, nec quantitas, nec pura relatio, vt patet; ergo eſſet qualitas habens modum actionis, vel relationis. Præterea illa entitas eſſet peccaminoſa; ergo eſſet morbo peccati affecta. At ſic eſſet *qualitas morbida*. Tandem traduceretur ſimul cum carne, quia traducitur peccatum originale, quod in illa conſiſteret; impoſſibile eſt enim traduci conſtitutum non traducto conſtitutiuo; ergo ſententia *Godoy* penitus non differt, niſi verbis à ſententia aſſerente *qualitatem morbidam*.

48 Obijc. 1. *Greg. Rom. 6.* habetur: *Non ergo regnat peccatum in noſtro mortali corpore, vt obodiatis concupiſcentijs eius*; quapropter quod *Beatiſſ. P.* ſæpiſſimè vocat peccatum concupiſcẽtiam; ſed concupiſcentia eſt qualitas morbo peccata affecta; hinc *Beatiſſ. P.* ſæpiſſimè eam vocat *malam affectionem*; ergò peccatum originale conſiſtit formaliter in qualitete morbida.

Reſp. concupiſcentiam *ab Apoſt. & à Beatiſſ. P.* appellari peccatum; *quia peccato effecta eſt*, vt *idem Beatiſſ. P. & Trid.* expitcant. Quod intelligendum eſt de concupiſcentia in renatis per baptiſmum; de concupiſcentia autem in non baptizatis dicitur, quòd eſt peccatum originale materialiter per redundantiam, vt *ſup.* dictum eſt.

50 Obijc. 2. *Godoy ex noſtro Greg.* Priuatio iuſtitiæ originalis eſt pęna peccati originalis; ergo in tali priuatione nequit conſiſtere peccatum originale. Ant. habetur expreſsè *ex Beatiſs. P. & ex D. Tho.* Prob. conſ. Vnum peccatum nequit eſſe pœna alterius; tum quia pœna ſupponit culpam; & ideo ſupponit peccatum; tum quia pęna eſt à Deo; peccatum verò nequit eſſe à Deo.

Reſp. ad hoc arg. *cum Beatiſs. P. in Supp. cont. Iul. lib. 1. c. 44. &* 47. vbi habet; quòd peccatum originale eſt pœna peccati, & peccatum ſimul; idem docet *c. 105*; diſt. ergo ant. Priuatio iuſtitiæ originalis eſt pœna peccati, & peccatum ſimul, conc; pœna tantùm peccati, neg. Ad 1. prob. conſ. neg. aſſumpt; nam excœcatio, quæ eſt peccatum, eſt pœna peccatorum antecedentium. Ad aliud diſt. Pœna, quæ eſt pœna tantùm, ſupponit culpam vel in ſe, vel in alio, conc; in ſe tantùm, neg. Vnde peccatum originale, quod eſt pœna peccati *Adę*, ſupponit culpam in ipſo *Adam*; non autem in eius poſteris. Ad aliud diſt. Pœna eſt à Deo vel permiſſiuè, & ſic peccatum non eſt à Deo, neg; vel effectiuè, & ſic peccatum non eſt à Deo, conc. Ita ſoluitur faciliter hoc arg; quod *Godoy* vocat adeo ſolutu difficile.

51 Obijc. 2. *idem*. Si *Adam* non accepiſſet iuſtitiam originalem transfundendam in poſteros, adhuc ipſo peccante filij eius contraxiſſent peccatũ originale; quia potuiſſet tãtùm conſtitui *Adam* caput morale omniũ hominum illos obligando ad culpam *Adæ*; nam talis obligatio fundatur ſuper ſupremum dominium, quod habet Deus in omnium volũtates; ſed in tali caſu peccatum originale non eſſet priuatio, ſed negatio iuſtitiæ; ergo nec modo.

Reſp. *communiter* in tali caſu peccatum non futurum fuiſſe eiuſdem rationis. Addit *Gonet* tunc peccatum futurum fuiſſe tantùm intrinſecè in *Adam*, & in poſteris tantùm extrinſecè; quia denominarentur tantùm extrinſecè peccatores per peccatum exiſtens in *Adam*.

52 Inſt. *Godoy* tale peccatum in caſu conſiſtere debuiſſe in difformitate, vel in priuatione conformitatis ad legem de non comedendo fructum vetitum, ſicut nunc de facto eſt; ergo eſſet eiuſdem rationis. Ad aliud difformitatem ad legem intrinſecè futuram fuiſſe in vnoquoq; præterquamquod eſſentia peccati non variatur à ſubiecto, ſed ab obiecto, ſeu fine, quem reſpicit; & virtute, cui opponitur; vt diximus *q. 1. art. 6.*

53 Reſp. igitur omiſſa hac reſp; quòd ſi *Adam* nullo mopo recepiſſet iuſtitiam originalem nec pro ſe, nec pro poſteris, peccaſſet quidem ſed tale peccatum non imputaretur ſibi; aut eius poſteris, vt diximus *to. 3. q. 8. de Ang. art. 2.*, quia *natura ſine gratia ſua culpa non cecidiſſet*, vt *ſup.* dictum eſt *ex Beatiſs. P.* Si autem accepiſſet iuſtitiam pro ſe, non pro alijs; tunc priuatio iuſtitiæ originalis in poſteris fuiſſet peccatum originale; non quia eſſet priuatio iuſtitiæ communicandæ per viã generationis, ſed quia eſſet priuatio iuſtitiæ infundẽdæ à Deo per inſpirationẽ; nam poſteris ex decentia Diuinæ bonitatis, & ex indigẽtia naturæ ex gratia debita fuiſſet iuſtitia; aliter eorum natura peccaſſet ſine ſua culpa; & tale peccatum refuſum fuiſſet in Deum Auctorem illius naturæ, & talis priuatio eſſet obex ad infuſionem talis gratiæ, qui non tolleretur, niſi per gratiam.

54 Obijc. 3. *Godoy ex Greg.* Priuatio gratiæ in nobis non eſt culpa, ſed pœua; quia priuatio gratiæ ſequitur ad culpam; intuitu cuius priua-

mur gratia; tum quia priuatio gratiæ eſt à Deo, qui ea nos priuat; culpa nequit eſſe à Deo; ergo à pari. 2. Peccatum actuale *Adæ* non conſtitit in mera priuatione iuſtitiæ originalis; fuit enim peccatum commiſſionis, quod conſiſtebat in poſitiua tendentia ad fructum vetitum; ergo neque peccatum originale, quod ex illo deducitur. 3. Homo poſt peccatum non ſolùm manet auerſus à Deo, ſed etiam poſitiuè conuerſus ad creaturam, tanquam ad vltimum finẽ; ergo etiam tranſacto actu peccati *Adæ* adhuc poſteri remanent auerſi à Deo, & poſitiuè conuerſi ad creaturam; & ideo peccatum originale includit poſitiuam conuerſionem eſſentialiter. 4. Iuſtificatio impij etiam, prout includit iuſtificationem paruulorum, eſt motus; & in hoc diſtinguitur à iuſtificatione non impij; vt fuit iuſtificatio *Adæ* in inſtanti ſuæ creationis; ſed motus petit eſſe inter terminos poſitiuos; ergo peccatum originale, quod in paruulis eſt terminus *à quo* iuſtificationis, eſt quid poſitiuum.

Reſp. ad 1. neg. ant. Ad prob. dicitur priuationem gratiæ eſſe formaliſſimè ipſam culpam, ideoque ad illam non ſequi. Ad aliud dicitur priuationem gratiæ phyſicè acceptã eſſe à Deo, & in hoc ſenſu non eſt culpa; moraliter tamen eſſe à nobis; quatenus voluntariè illam abijcimus, & in hoc ſenſu eſt culpa. Ad 2. neg. ant. Ad prob. dicitur, quòd in peccato commiſſionis duo reperiuntur, ſcilicet poſitiua tendentia phyſica, quæ eſt actus phyſicus, & ideo phyſicè bona; & hæc non ingreditur conſtitutionem formalem peccati, cùm ſit extra genus moris, & eſt merum ſubiectum, in quo fundatur moralitas; & reperitur deformitas moralis, quæ formaliter conſtituit peccatum; & hanc dicimus conſiſtere in mera priuatione. Peccatum ergo commiſſionis differt à peccato omiſſionis, quod illud inuoluit actum formalem phyſicum; hoc verò illud excludit, vt *ſuo loco* dicemus. Ad 3. diſt. 2. pars ant. Ita, vt conuerſio ſit quid materiale peccato, conc; quid formale, neg. *Vid. q. 1. art. 6. n. 41. & ſeq.* Ad 4. neg. mi; nam motus ad formam eſt inter priuationem, quæ eſt terminus *à quo*, & formam, quæ eſt terminus *ad quem*; dicitur ergo motus eſſe inter duos terminos poſitiuos materialiter; quia priuatio debet eſſe in ſubiecto poſitiuo; non autẽ inter terminos poſitiuos formales; quia priuatio formaliter non eſt quid poſitiuum; vnde ſicut motus generationis incipit à termino *à quo*, qui eſt priuatio, & deſinit ad formam, quæ eſt quid poſitiuum; ita iuſtificatio, quæ eſt regeneratio ſpiritualis, incipit à peccato, quod eſt priuatio, & deſinit ad gratiam, quę eſt forma; vnde hoc arg. prob. noſtra concl.

55 Obijc. 4. Peccatum originale eſt habitus; ſed habitus eſt quid poſitiuum: ergo & peccatũ originale. 2. In illo conſiſtit formaliter peccatum originale, quod tollitur per baptiſmum; quia baptiſmus inſtitutus eſt ad tollendum peccatum originale; ſed priuatio iuſtitiæ originalis non tollitur per baptiſmum; quia per baptiſmum non reſtituitur nobis iuſtitia originalis, per quã ſolùm tollitur priuatio illius; ergo in priuatione iuſtitiæ originalis non conſiſtit peccatum originale.

Reſp. ad 1. *cum Fund. Doct.* neg. ma; quanuis enim peccatum originale habeat ſimilitudinem quoad aliquid cum peccato habituali; attamen non eſt propriè habitus propter quatuor diſcrimina allata *ſuperiùs art. 2. n. 14.* Ad 2. *cum Fund. Doct.* neg. mi. Ad prob. inſert. dicitur, quòd per baptiſmum confertur nobis gratia sãctificans, per quam abſoluimur à debito habendi Iuſtitiam originalem; & ideo tollitur priuatio iuſtitiæ originalis cum debito habendi illam; in qua ſolùm diximus conſiſtere pecatum originale. Dat exemplum de eo, qui haberet debitum tranandi aliquem fluuium, ſi natim non haberet, poſſet ab hoc debito abſolui tranſeundo per pontem, per quem tranſiret faciliùs. Addimus, quod cùm gratia ſanctificans ſit forma longè perfectior iuſtitia originali; vt ſubtiliter probat *Beatiſs. P. lib. de Corr. & Grat. c. 10*; quia perfectior eſt gratia, quæ datur nobis per ſecundum *Adam*, qui eſt Chriſtus Dominus; quàm quæ nobis transfuſa fuiſſet per primum *Adam*, & forma perfectior virtualiter contineat formam imperfectiorem; ideo per gratiam ſanctificantem tollitur priuatio iuſtitiæ originalis; ſicut per animam rationalem, quæ virtualiter continet animam ſenſitiuam, & vegetatiuam, tollitur priuatio animæ ſenſitiuæ, & vegetatiuæ.

56 Obijc. 5. *Gibb.* Per baptiſmum non tollitur rebellio virium inferiorum ad rationem; ergo non tollitur priuatio illius doni originalis, quod perfectè ſubijciebat vires inferiores rationi. Similiter per baptiſmum non tollitur mors, quæ eſt priuatio illius doni, quo *Adam* reddebatur immortalis; ergo idem.

Reſp. *cum Fund. Doct. ex Beatiſs. P. in Suppl. cont. Iul. lib. 1. c. 71.* diſt. ant. Non tollitur rebellio quantùm ad reatum, ſeu culpabilitatem, neg; quantùm ad pœnalitatem conſequentem ad reatum, conc. *Reatus eius regeneratione ſolutus eſt; conflictus eius ad agonem relictus eſt.* Cùm enim multæ pœnalitates, quæ non ſunt culpabiles, conſequantur peccatum; ideo poteſt tolli peccatum abſque eo, quòd tollantur illius pœnalitates, inter quas numeratur conflictus cum viribus inferioribus, mors corporalis &c. Et ratio eſt; quia iſtæ pœnalitates in tantùm ſunt culpabiles; in quantùm habemus debitum carendi eis, ſeu habendi iuſtitiam originalem, qua iſtæ tolluntur; ergo cùm per gratiam baptiſmalem abſoluamur ab hoc debito, iſtæ pœnalitates deſinunt eſſe culpabiles; v.g. in tantùm auditio miſſæ in die Dominico eſt culpabilis; in quantùm habemus debitum illam audiendi contractum

ex

ex præcepto;ſi tamen Deus transferret hoc præceptum in diem Lunæ;tunc non auditio miſſæ in die Dominico non eſſet culpabilis; quia ceſſaret debitum translato præcepto ad aliam diem. Sic per præceptum *Adæ* habebamus debitum ſeruandi iuſtitiam originalem, per quam vires inferiores ſubdebantur rationi; at per baptiſmum tollitur tale debitum; quia ſubijcimur nouo præcepto *in lege Euangelica* nobis collato ſeruandi gratiam baptiſmi, quæ non habet tollere rebellionem ſenſuum; ideo etiamſi remaneat rebellio; attamen non eſt culpabilis; & hoc eſt, quod frequentiſſimè docet *Beatiſſ.P.contra Pelagianos*; quòd ſcilicet manet concupiſcentia, & lex membrorum in renatis, non tamen imputatur ad culpam; quia ſoluitur debitum habendi perfectam ſubiectionem appetitus ſenſitiui ad rationem.

57 Inſt. *Gibb* 1. Poſteri *Adæ* fuerunt à Deo ordinati ad habendam gratiam ſanctificantem, & donum iuſtitiæ originalis, quo vires inferiores ſubdebantur rationi; ſed ſi per baptiſmum conferretur ſola iuſtitia originalis ſine gratia ſanctificante, maneret priuatio gratiæ ſanctificantis in ratione culpæ; ergo ſi peccatum originale conſiſteret in priuatione iuſtitiæ originalis; quamuis in baptiſmo conferatur gratia ſanctificans; attamen quia non confertur iuſtitia originalis;ideo remanet priuatio illius in ratione culpæ. 2. Suppoſito, quòd *Adam* accepiſſet gratiam ſanctificantem transfundendam ſine vlla conditione in poſteros; & iuſtitiam originalem transfundendam ſub conditione alicuius præcepti; tunc transgreſſo hoc præcepto poſteri non contraherent peccatum originale, quia contraherent gratiam ſanctificantem,quæ eſt incompoſſibilis cum hoc præcepto; ergo peccatum originale non conſiſtit in priuatione iuſtitiæ originalis.

Reſp. hæc fundari in falſo ſupp; ſupponunt enim *Adam* creatum fuiſſe cum gratia ſanctificante; quod reiecimus *to.3. vbiſ.* Neg.igitur 1. pars ma. Sed etiam omiſſa ma. dicimus mi. eſſe impoſſibilem, & inuoluere implicantiam, quia iuſtitia originalis reddebat animam Deo caram, & gratam, eique ſubiectam; eſſe autem priuatam gratia ſanctificãte dicit eſſe Deo inimicam, eique rebellem; vnde in hac ſententia neg.ſupp. mi. Sic ad 2. neg. ant; nam ſi *Adam* in tali caſu transgreſſus fuiſſet præceptum, amiſiſſet nedum iuſtitiam originalem, ſed etiam gratiam ſanctificantem, quia peccaſſet contra præceptum de ſeruanda iuſtitia, & cum tali peccato nequit ſimul ſtare gratia ſanctificans; vt fatetur etiam *ipſe Gibb.* Quare in hac ſententia dicendum eſt non poſſe priuationem vnius ſtare ſimul cum poſitione alterius; ſicut dicimus de gratia habituali, & charitate.

58 Obijc. 6. *idem*. Peccatum originale eſt mors animæ,vt docent *Trid;Araux; & Beatiſſ.P;* ſed mors animæ eſt formaliter priuatio gratiæ ſanctificantis,quæ eſt vita ſupernaturalis animæ; vt *omnes* fatentur; ergo peccatum originale formaliter conſiſtit in ſola priuatione gratiæ ſanctificãtis. 2. Sequeretur iuſtitiam originalem reſtitui in baptiſmo, quia per baptiſmum reſtituitur nobis id quod fuit ablatum per peccatum; & ſic per reſtitutionem illius formæ tolleretur peccatum,non per gratiam ſanctificantem, quæ ſubſequeretur ad illam formam;ſed hoc eſt *cont.Trid. ſeſſ.*5; ergo & illud. 3. Formale peccati originalis importat priuationem ſubiectionis ad Deum; ſed anima ſubijcitur Deo per gratiam ſanctificantem; ergo importat priuationem gratiæ ſanctificantis.

Reſp. ad 1.diſt. mi. Mors animæ eſt priuatio, vel gratiæ ſanctificantis, vel iuſtitiæ originalis, in cuius locum ſuffecta eſt gratia ſanctificãs, conc; tantùm gratiæ ſanctificantis, neg. Vnde nedum gratia ſanctificans, ſed etiam iuſtitia originalis erat vita ſupernaturalis. Ad 2. neg. ſeq; dicitur enim in baptiſmo reſtitui nobis gratiam amiſſam, non quia reſtituatur eadem numero; nam conſtat non reſtitui iuſtitiam originalem, ſed quia reſtituitur gratia potentior, quæ eſt neceſſaria ad ſanandam naturam vulneratam per peccatum, ad vincendas tot tentationes internas, quæ non erant in ſtatu innocentiæ; ideo ait *Apoſt. Rom.*5; quòd *gratia ſuperabundauit*; quia gratia reſtituta eſt potentior, & excellentior, quàm amiſſa. *Vid. Beatiſſ.P. lib.de Corr;& Grat. c.* 10; vbi plures differentias aſſignet inter gratiam amiſſam *in primo Adam*; & gratiam nobis reſtitutam per Chriſtum, qui dicitur *ſecundus Adam*. Ad 3. dicitur, ſicut ad 1;quòd anima ſubdebatur Deo etiam per iuſtitiam originalem; ſicut modò ſubijcitur per gratiam ſanctificãtem.

§. 3.

Afferuntur duo corollaria.

59 Collig. 1. ex dictis *in ſup.*§. peccatum originale per ſe, & principaliter eſſe in eſſentia animæ, & per quandam redundantiam eſſe in potentijs. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt.31. q.2. art.1; & omnes alij*, quos retulimus pro noſtra ſententia *in ſup.*§.

60 Prima pars, quæ eſt *cont. Scot. in 2. diſt.* 32. *q.*1. aſſerentem peccatum originale immediatè recipi in ſola voluntate; quem ſequitur *Vaſq.diſp.133.c* 4. in fine; *& cont.Dur.diſt.31.q.* 3. putantem recipi in voluntate, & appetitu; prob. 1. *ex Fund. Doct.* Priuatio recipitur in eodem ſubiecto, in quo recipitur forma oppoſita; ſed peccatum originale eſt priuatio iuſtitiæ originalis; vt dictum eſt *in ſup.*§., ergo recipitur in eodem ſubiecto, in quo recipitur iuſtitia originalis; atqui hæc recipitur immediatè in eſſentia animæ; quia recipitur in eodem ſubiecto, in quo re-

recipitur gratia ſanctificans, quæ in illius locum ſubrogatur; gratia autem ſanctificans recipitur immediatè in eſſentia animæ; vt *ſuo loco* dicetur; ergo peccatum originale immediatè recipitur in eſſentia animæ. 2. Peccatum originale eſt peccatũ naturæ, non perſonæ, vt dictũ eſt; ſed natura principaliter dicitur de forma; vt habet *Phil. 5. Met. c. 5; & in 2. Phyſ. t. c. 12.*, ergo peccatum originale principaliter ſubiectatur in anima, quæ eſt forma. 3. Hoc eſt diſcrimen inter agens creatum, & Deum; quòd illud procedit de imperfecto ad perfectum; introducit enim priùs accidentia, deinde formam ſubſtantialem; *Dei autem perfecta ſunt opera*; quia introducit formam ſubſtantialẽ cũ perfectionibus circunſtantibus, quæ tamen ſunt in poſteriori naturæ, cùm dependeant à forma; ergo Deus in prima rerum conditione in primo inſtanti naturæ ornauit animam rationalem iuſtitia originali, & in poſteriori potentias illius; & ideo iuſtitia immediatiùs fuit in anima, & per redundantiam in potentijs; atqui priuatio iuſtitiæ originalis eodem modo ſe habet, cùm ſit illi oppoſita; ergo peccatum originale, quod eſt priuatio originalis immediatè eſt in eſſentia, & per redundantiam in potentijs. 4. Ita ſe habuit iuſtitia originalis, & illius priuatio; ſicut gratia habitualis, ac eius priuatio; ſed gratia habitualis, & illius priuatio immediatè eſt in anima; vt *inf.* dicemus; ergo idem. 5. Sicut operari in ordine naturali ſupponit eſſe naturale; ita operari in ordine ſupernaturali ſupponit eſſe ſupernaturale; ſed eſſe naturale immediatè recipitur in eſſentia, cuius eſt actus; ergo & eſſe ſupernaturale immediatè recipitur in eſſentia creaturæ; atqui eſſe ſupernaturale in ſtatu innocentiæ habebatur à iuſtitia originali; ſicut in ſtatu culpæ habetur à gratia habituali; ergo iuſtitia originalis immediatè recepta fuit in eſſentia; & idem dicendum eſt de priuatione illius eſſe. 6. Peccatum originale contrahitur per carnem; nam ſola caro traducitur; vt dictum eſt; ergo peccatum originale immediatè recipitur in illo, quod immediatè vnitur carni; ſed hæc eſt anima; nam potentiæ vniuntur carni ſolùm mediante anima; ergo peccatum originale immediatè recipitur in anima. Hæc ratio eſt etiam *D. Tho.*, quamuis alio modo explicetur. *Vid. inf. de grat. q. 2.*

61 Dices. 1. Anima non eſt capax peccati, niſi mediante voluntate; quia omne peccatum eſt voluntarium, & voluntarium ineſt animæ mediante voluntate. Tum quia anima non ſubiacet legi, niſi ratione actuum voluntatis, qui ſoli præcipiuntur, vel prohibentur à lege; & de ratione peccati eſt eſſe contra legem; ergo peccatum originale non recipitur immediatè in anima. 2. Peccatum habituale *Adæ* non fuit immediatè receptum in anima, ſed tantùm mediante actuum voluntatis; ergo idem dicendum de peccato originali, prout in nobis.

Reſp. *ad 1. ex Fund. Doct. vbiſ. art. 1. ad 5.* diſt. ant. Peccati actualis, quod committitur per voluntatem, conc. peccati naturalis, quod contrahitur per generationem, neg. omne peccatum autem vel eſt voluntarium in ſe, & ſic eſt immediatiùs in voluntate; vel in alio, à quo contrahitur per naturam, & ſic immediatiùs eſt in natura. Ad aliud dicitur eodem modo, quòd lex præcipit, & prohibet actus voluntatis in ſe, vel in alio; & ideo diſt. Anima ſubiacet legi ratione actuum voluntatis in ſe, vel in alio, conc. in ſe tantùm, neg. peccatum autem, quod contraxit in alio, poteſt contrahere in ſe ipſa immediatè per viam generationis, non per proprium actum elicitum ab ipſa. Ad 2. neg. conſ. nam *Adam* non contraxit peccatum in anima per generationem ab alio, ſed ſolùm mediante actu voluntatis; & ideo priùs fuit in voluntate, quàm in anima; at de poſteris oppoſitum dicendum eſt.

62 Inſt. Anima contrahit peccatum per viã generationis; ergo peccatum immediatè fundatur in potentia generatiua, & mediante ipſa in anima.

Reſp. *Fund. Doct. ibid. ad 3.* diſt. conſ. Immediatè fundatur in potentia generatiua cauſaliter, quia per ipſam cauſatur, conc. formaliter, neg. quia potentia generatiua non cauſat peccatum, niſi quatenus emittit ſemen immundum, in quo nequit eſſe peccatum formaliter; quia eſt quid corporeum, & omnino naturale, ſed tantùm cauſaliter, quatenus poteſt illud transfundere in animam ſibi vnitam.

63 Prob. 2. pars iiſdem ferè rationibus. Priuatio iuſtitiæ originalis in anima defert ſecum priuationem virtutum exiſtentium in potentijs ipſius animæ concomitantium ipſam iuſtitiam; ſicut priuatio gratiæ habitualis defert ſecum priuationem virtutum, & donorum ſequentium ipſam gratiam; ergo peccatum originale per redundantiam eſt etiam in potentijs ipſius animæ. Tum quia iuſtitia originalis nedum rectificat ipſam animam ſubijciendo ipſam Deo, ſed etiam alias potentias ſiue ſenſitiuas, ſiue naturales ſubijciendo illas rationi; ergo per ablationem ipſius iuſtitiæ originalis priuatur nedum anima ſua rectitudine, ſed etiam aliæ potentiæ ſenſitiuæ, & naturales connexæ cum anima; atqui in hac priuatione conſiſtit peccatum originale; ergo idem.

64 Dices. Peccatum originale in vnoquoque homine eſt vnum tantùm; ſed vnum peccatum nequit eſſe in pluribus ſubiectis; quia vnitas numerica ſumitur ab vnitate ſubiecti; ergo non eſt in anima, & in eius potentijs. Prob. ma. Peccatum commiſſum *ab Adam* eſt vnum tantùm; ergo & peccatum, quod trahimus ab illo. 2. Sola voluntas poſterorum fuit *in Adam*, ſecus autem appetitus; quia ad hoc, vt *Adam* eſſet caput morale omnium hominum, ſatis fuit, vt ſolæ voluntates omnium eſſent in illo; ergo peccatum originale eſt in ſola voluntate.

Reſp.

Reſp. ad 1. *ex Fund. Doct. ſic diſt.* 33. *q.* 1. *art.* 3. diſt. ma. Eſt vnum per eſſentiam, & multiplex per redundantiam conc; vnum per eſſentiam, & redundantiam, neg; ſicut enim idem peccatum exiſtens in voluntate redundat etiam in potentias ſenſitiuas, & operationes externas, ita à pari. Dicitur ergo peccatum originale vnum per eſſentiam ratione ſubiecti, in quo eſt principaliter; & ratione termini, idèſt Dei, à quo animam auertit. Ad 2. neg. antec. Ad prob. infert. neg. ſupp; nam *Adam* fuit caput naturale, non morale tantùm. Sed etiam hoc admiſſo dicitur voluntatem hominis eſſe eſſentialiter colligatam cum his potentijs; & ideo non poſſe illam transferri, quin transferantur, & iſtę.

65 Sed quæres: in qua potentia priùs habeat eſſe peccatum?

Reſp. *Fund. Doct. diſt.* 31. *vbiſ. art.* 2; quòd ſi peccatum originale conſideretur transfuſiuè, poteſt dupliciter accipi. Vel transfuſiuè imperatiuè, & motiuè; & ſic per priùs habet eſſe in voluntate, quæ ſola habet imperare, & mouere alias potentias, vt exequantur generationem, per qoam transfunditur peccatum. Vel transfuſiuè; & ſic immediatiùs reſidet in potentia generatiua, & tactu, quo immediatè emittitur ſemen. Si autem conſideretur inhæſiuè, tunc in illa potentia immediatiùs exiſtit, quæ magis immediatè vnitur animæ.

Collig. 2. peccatum originale, vt in nobis, reatum pœnæ, concupiſcentiam mali, miſerias temporales; & mortem corporis eſſe effectus, ſeu pœnas, aut pœnalitates peccati *Adæ*.

66 Prob. 1. *ex Fund. Doct. in* 2. *diſt.* 30. *q.* 1. *art.* 3. generaliter. Effectus principalis iuſtitiæ originalis erant tres, ſcilicet ſubijcere mentem Deo, ſubijcere appetitum ſenſitiuum rationi; & potentias naturales habentes organa in membris eidem rationi; ergo peccatum *Adę*, quod eſt defectus iuſtitiæ originalis, habet tres effectus principales, qui sũt auerſio à Deo, quæ eſt peccatum originale in nobis, quod eſt culpa, ad quã conſequitur reatus pœnæ; rebellio appetitus ad rationem, quæ eſt concupiſcentia; & rebellio potentiarum naturalium, ac membrorum, quæ ſunt organa earum; ratione cuius conſequimur ſitim, famem, ægritudines, & alia huiuſmodi, & mortem; quia nutritiua ſumit cibum immũdum, ex quo talia generantur.

67 Prob. 2. ſingillatim. Primum, quod eſt *cont. aliquos Recentes, ex Beatiſs. P. vbiſ;* nam peccatum originale, vt in nobis, ſequitur ad peccatum *Adæ*, quod fuit ratio, & cauſa, cur transfundatur in nos peccatum originale; tum quia ſicut vnum peccatum perſonale eſt effectus alterius peccati perſonalis præcecedentis, quatenus peccatum præcedens ſuo veluti pondere trahit in aliud; inclinat enim naturam ad peccandum, vt docet *Fund. Doct. ex D. Greg;* ita peccatum *Adę* eſt cauſa peccati originalis in nobis; quia *Adam* priuando naturam humanam in ipſo exiſtentem fuit cauſa, cur natura ſic priuata trãſfundatur in nos; ſed illud, quod ſequitur ad aliud, habet rationem cauſæ; cauſa enim definitur illa, *ad cuius eſſe ſequitur aliud*; ergo peccatum originale, vt in nobis, habet rationem effectus peccati *Adæ*, loquendo tamen de effectu largè ſumpto, prout eſt aliquid ſequens ad aliud; nõ autem ſtrictè ſumpto, prout eſt quid poſitiuũ; & ideo habet potiùs rationem defectus.

68 Secundum etiam conſtat ex *illo Apoſt. Rom.* 5. *ex vno omnes in condemnationem*; nam cuilibet culpæ debet correſpondere pęna illi æqualis ex vi iuſtitiæ vindicatiuæ iuxta illud *Apoc.* 12. *Quantùm ſe in delicijs glorificauerat, tãtùm illi tormentum, & luctum date*; ergo ex culpa contrahimus obligationem, ſeu debitum ſubeundi pœnam; ſed reatus importat obligationẽ, ſeu debitum ſubeundi pœnam; ergo reatus ad pœnam eſt effectus peccati originalis.

69 Dices. In tantùm culpa meretur pœnã, in quantùm eſt tranſgreſſio legis Diuinæ; ſed peccatum originale, vt in nobis, non eſt huiuſmodi; quia tranſgreſſio legis Diuinæ eſt actus, quo lex violatur; peccatum verò originale in paruulis non eſt actus, quo violant legem; cùm ſint incapaces operationis rationis; ergo in illis non merentur pœnam.

Reſp. diſt. ma. In quantùm eſt tranſgreſſio legis in ſe, vel in alio, conc; ſed in hoc ſenſu neg. mi; in ſe tantùm, neg; nam ad hoc, vt quis habeat culpã in ſe, ſufficit, vt tranſgreſſus fuerit legem in alio. 2. diſt. In quantùm eſt tranſgreſſio formaliter, vel terminatiuè, conc; formaliter tãtùm, neg; nam dupliciter aliquid poteſt habere rationem tranſgreſſionis, & culpæ; ſcilicet formaliter, & ſic eſt actus; & terminatiuè, quatenus eſt terminus talis actus, vt macula relicta in anima à peccato; & hoc modo peccatum originale eſt culpa. Prima reſponſio magis conſonat verbis *Apoſt.*

70 Tertium, quod eſt *cont. Pelagianos* aſſerentes concupiſcentiam eſſe bonam, & à natura inſitam, explicatur. Concupiſcentia poteſt ſumi dupliciter. 1. vt eſt paſſio naturalis à Deo efficienter cauſata in homine; & in hoc ſenſu eſt bona, nec eſt effectus peccati *Adæ*, ſed Dei; ſic enim fuit in Chriſto Domino ita perfectè ſubiecta rationi, vt non potuerit appetere illicita. 2. vt eſt rebellio ad rationem, vt eſt motus carnis contra ſpiritum; & ſic eſt morbus naturæ relictus à peccato, quo ſublata eſt iuſtitia originalis, quæ ſubiectionem appetitus ad rationem præſtabat. Audiamus *Beatiſs. Patrem in Suppl. lib.* 4. *c.* 67. increpantem modum loquendi *ipſius Iuliani*, qui concupiſcentiam carnis confundens cum concupiſcentia naturali, quæ eſt paſſio, communi nomine eas vocat; inquit igitur *Beatiſs. P. Ecce adhuc dicis concupiſcentiam naturalem; ecce adhuc, quantùm potes, ſuceptam tuam, ne poſſit,*

qua

quæ ſit, intelligi, contegis ambigua veſte verborũ. Cur enim non dicis; Concupiſcentia carnis; ſed dicis: Concupiſcentia naturalis? Nonne concupiſcentia beatitudinis eſt concupiſcentia naturalis? Cur ambiguè loqueris? Quam tuendam ſuſcepiſti, appella ſuo nomine; quid vereris? An in mala cauſa eius fortè turbatus oblitus es, quid vocatur? Imò verò vigilante memoria non vis eam carnis concupiſcentiam nominare; noſti enim laude eius offendi eos, qui hoc nomen in Scripturis Sanctis non niſi rei malę ſignificatione legerunt. Iſto autem nomine vtens, & appellans eam concupiſcentiam naturalem inter eius opera locare conaris; qui, vt dicis, & verum eſt, mundum fecit, & corpora; cùm dicat eam Ioannes à Patre non eſſe. Deus quidem mundũ fecit, & corpora prorſus omnia, ſed vt corpus corruptibile aggrauet animam, & caro concupiſcat aduerſus ſpiritum, non eſt præcedens natura hominis inſtituti, ſed conſequens pœna damnati. Concupiſcentia igitur, vt eſt paſſio naturalis, qua bonum appetimus obedienter ad rationem, vt cùm appetimus beatitudinem, *vt ſic*, eſt bona, eſt à Deo; & eſt qualitas, ſeu perfectio accidentalis naturæ à Deo inſtitutæ; prout verò dicit rebellionem ad rationem, motum carnis contra ſpiritum; eſt effectus peccati originalis; vt *ex Apoſt.* docet *Trid. cum Beatiſs.P.* vocante ipſam peccatum; *peccato effecta eſt, & ad peccatum inclinat.*

71 Dices. Nulla inclinatio naturalis eſt effectus peccati; quia inclinatio naturalis eſt ab Auctore naturę, qui nequit effectum peccati, nec ipſum peccatum cauſare; ſed concupiſcentia eſt inclinatio naturalis in bonum ſenſibile; ergo nõ eſt effectus peccati. 2. Concupiſcentia in brutis conſequitur ad naturam, non ad peccatum, quod in ipſis non eſt; ergo & in homine.

Reſp. 1. *ex ead. doctrina* diſt. ma. Nulla inclinatio naturalis obedienter ad rationem, eſt effectus peccati, conc; ſic enim eſt effectus Dei, *qui hominem fecit rectum ab initio*; & ideo creauit in illo inclinationem naturalem perfectè ſubiectam rationi; in qua ſubiectione conſiſtit rectitudo. Nulla inclinatio naturalis rebellanter ad rationem. neg. Ad mi. diſt. Concupiſcentia eſt inclinatio naturalis, prout obediens rationi, conc; ſic enim genita, & nata eſt; prout rebellis rationi, neg. Vel conc. totum de concupiſcentia naturali; & neg de concupiſcentia carnis, quæ nõ eſt naturalis, quia non fuit producta ſimul cum natura. Ad 2; quod eſt arg. *Iuliani*; vt patet *in Suppl. lib. 4. c. 56.*, vbi vocat Beatiſs.P. *accuſatorem Sanctorum, & patronum Aſinorum*; quia abſoluit ſues, carnes, & aſinos à peccato originali, damnat autem homines; reſp. *Beatiſs.P.* his verbis: *Quid eſt, quod dicis? Quem tantæ ſtoliditatis pudere deberet, etianſi tibi aſinina frons eſſet? Nonne accuſator Sanctorum, & patronus aſinorum ab homine huius cordis, cuius & ipſe es, appellari poſſet, qui diceret ignorantia veritatis homines fieri miſeros poſſe: aſinos verò neſciendo veritatem miſeros eſſe non poſſe? Et tamen veriſſimè diceret. Cur ergo non intelligis, aſine, ſimiliter eſſe verum ex commixtione maris, & feminę expertes delicti homines naſci non poſſe, & aſinos poſſe? An ideo te arbitraris effugere inſequentes plagas auctoritatis, atque rationis, quia in ſocietate libidinis ad currum erroris tui homines, & aſinos iungis?* Neg. igitur conſ; nam in homine concupiſcentia eſt ſubiecta rationi apta nata illi obedire; & ideo illius inobedientia poteſt eſſe affectus peccati à ratione commiſſi; in brutis verò, in quibus non eſt ratio, nequit à peccato infici.

72 Vltimum prob. *Gen. 3. Multiplicabo ærumnas tuas &c. In laboribus comedes &c. Spinas, & tribulos germinabit tibi &c. In ſudore vultus tui &c; & in puluerem reuerteris.* Ex quibus verbis apertè deducitur miſerias, & ærumnas temporales, nec non mortem corporis fuiſſe effectum, & pœnam peccati *Adæ*. De miſerijs *vid. Beatiſs.P. in Suppl. lib. 1 c. 26., & 27; & ſæpe alibi.* De morte corporis ſatis egimus *to. 3. in Hexam. q. 1. art. 12.*, vbi oſtendimus *Adam* creatum fuiſſe immortalem, & in pœnam peccati morti ſubiectum fuiſſe. Formatur autem ratio ſic. Miſerię, & mors corporalis ſunt pœnæ, & ſupplicium; ijs enim maximè torquetur homo; ſed pœna ſupponit culpam, quæ in paruulis non eſt, niſi originalis; nullam enim perſonalem poſſunt habere; ergo ſunt pœnæ peccati originalis.

73 Dices pueros naſci inter miſerias, vt ab illis edocti diſcant fugere peccatum, quod eſt ſumma miſeria.

Reſp. *Beatiſs.P. in Suppl. lib. 6. c. 27. fuſiſſimè*; quòd ſi hoc eſſet, debuiſſet Deus creare *Adam* inter ſummas miſerias, vt ex ijs didiciſſet fugere peccatum omnium grauiſſimum; quæ tamen non potuiſſent ſtare cum illa felicitate, in qua conditus fuit. Tum quia plurimi paruuli moriuntur ante rationis vſum; & tamen patiuntur miſerias *à die exitus ventris matris ſuę*; ergo ex ijs non poſſunt diſcere fugam peccati. Aliunde Deus eſt iuſtiſſimus, & ideo iuſtis nequit pœnas infligere; ergo omnes miſeriæ, & pœnæ temporales ſunt effectus peccati *Adę*.

Sed quid dicendum ſit de pœnis ſubeundis in alia vita, *in ſeq. art.* erit ſermo.

ART. V.

Qua pœna puniantur paruuli decedentes cum peccato Originali?

1 HAnc difficultatem adeo ſolidè, & conuincenter reſoluũt *noſter* Greg; *& noſter Henricus de Noris in Vindicijs Auguſtinianis c. 3. S. 5*; vt vix quidquam ſubijci poſſit, quod *ab eruditiſſimis Viris* præoccupatum non fuerit.

2 Certum eſt *apud omnes* paruulos decedentes

tes cum ſolo peccato originali puniri pœna dãni, ſcilicet priuatione viſionis Dei, & excluſionis perpetuæ à regno Dei, in quo regnant Sancti in æternum. Eſt cont. *quendam Vincentium*, quem refert, & refellit *Beatiſ.P. lib.1.de orig. an c.9; & lib.2. c.12; & lib. 3. c. 13.* Prob. ex illo *Io.3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S; non poteſt introire in Regnum Dei; & Rom. 5. Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem.* Quibus teſtimonijs ſæpiſſimè vtitur *Beatiſ.P.* ad probandum *cont. Pelagianos* peccatum originale; vt *lib. 1. de peccat. merit; & remiſſ. c.23; & 28; de peccat. orig. c.21; lib.5. cont.Iul.c.8; in Enchir. c.91;* & *in Supp.lib. 2.161; & lib.6. c.12; & ſępe alibi.* Accedit *Conc. Dioſpolit. apud Beatiſ. P. ep. 106. ad Paulinam; Carthag. ep.92; Flor. ſeſſ.vlt; & Trid. ſeſſ. 5. de peccat. orig.* Hoc nec ipſi *Palagiani* auſi fuerunt negare propter manifeſtam *Scripturarum* auctoritatem. Tota igitur lis ad pœnam ſenſus reducitur.

3 Prima ſententia vult paruulos non puniri pœna ſenſus, ignis, aut vermis conſcientiæ, aut quauis alia pæna poſitiua, aut priuatiua, ſeu interiori dolore, aut triſtitia proueniente eſt carentia boni amiſſi. *Ita Mag. in 2. diſt. 33;* quem ſequuntur *D. Bon; Fund.Doct; D.Tho; Scot; Dur; Capr; Sot; Med; Zum; Monteſin; Lore; Vaſq; Sua; Bec; Sal.* apud *Godoy*, qui illis ſubſcribit. *Item Gonet; Gibb, & alÿ Thomiſtæ quamplures, & nonnulli Scotiſtæ.* Iſti tamen negant paruulis beatitudinem naturalem.

4 Secunda vult paruulos non puniri priuatione naturalis beatitudinis, nec priuatione loci, aut lucis, aut naturali ſenſuum exercitio, ſed potituros fore naturali beatitudine, habitaturos ſuper faciem vniuerſæ terræ, viſitandos ab Angelis, animabuſque Sanctorum, ex quorum colloquijs magnum recipient ſolatium. *Ita Gather. de ſtatu paruulor; Campen; & alÿ apud Godoy.*

5 Tertia vult puniendos eſſe, non quidem igne, aut conſcientiæ verme, aut quauis alia pœna poſitiua, ſed tantùm pœnis priuatiuis; ſcilicet carentia viſionis beatæ, beatitudinis naturalis, carentia lucis, & loci ſuper faciem terræ, omnis boni naturalis naturæ non debiti, interiori afflictione, dolore, & triſtitia. *Ita Abul. Matt.25. à q.661. ad 674; Bellarm. lib.6. de amiſſ. grat; & ſtatu peccati c.1. vſq; ad 6; & Val.* Hanc ſententiam probabilem cenſent *Sot; Zum; & alÿ.*

6 Noſtra tandem docet paruulos puniri pena ſenſus, licèt mitiſſima comparatiuè ad pœnam, quam priuantur peccatores adulti. Hãc eſſe *Beatiſ.P.Aug; omniumq; SS. PP. antiquorum* ſententiam probant *ex noſtris Greg. in 2.diſt.30. q.3; Auguſtinus Muſæus in Apologet. ad Paulum III; Alipius Reyloſ lib.8. de Anima c.2. §.13; Paludan.in ep. ad Conrium Archiep. Thuamen;* quæ extat *apud eundem Conrium* mox afferendum; *Carolus Moreau to.1. Tertull. p.2. pag.89; & ſeq; Mag. Noris vbiſ;* apud quem *iſti. Ex alÿs* verò *Sonnius de extremo Iudicio c.6; & 7; Driedo lib.1. de Grat; & lib.arb. tract.3. c.2. p.1; Alphonſus a Caſtro aduerſus Hereſ. verbo Baptiſmus; Matthias Neuzerus to.2. Anatomię Auguſtinianę pag.764; Poncius in Curſu Theologico diſp.18. q.6; & in 2. ſent. diſt.33., Macedo de Clauibus D. Petri c.18. de peccat.orig.ſect.3., Florentius Conrius Archiep. Thuamen.integro volum. hac de re conſcripto.* Probabilem cenſent *Alber.Magn.in ſumma tract.18; & Palmanus in calce Breuiarÿ Theologici n.469;* quos refert *Naris.*

7 Sed quid dicendum ſit *ad Fund. Doct.*, quem vſque nunc recedere *à Beatiſ.* P. ſententia nunquam comperimus?

Reſp., quòd *Fund. Doct.* in hoc opere Theologico, vt patet *ex Prolog. 1. ſent.* ſibi propoſuit exponere ſententiam *Magiſtri ſententiarum*, à quo nunquam diſcedit, niſi cùm *communiter Theologi ſui temporis* illum relinquunt; vt patet *ex illa q; an charitas ſit Spiritus S. nobis aſſiſtens*; in qua oſtendit, quomodò ſententia *Magiſtri* poſſit ſuſtineri; aſſerit tamen in hoc *Magiſtrum* communiter non teneri. Cùm ergo hæc opinio *de pæna* paruulorum tunc temporis communiter teneretur *cum Magiſtro*; noluit *humillimus Doctor* contrariam docere, ſed contentus ſimul *cum Magiſtro, alÿſque magnis DD.* ſententiam *Beatiſ. Patris* piè exponere alienam ſententiam tantundem probauit, ſuamque reticuit. Idem cenſemus *de D. Thoma, alÿſque grauibus DD.*

8 Vnica concl. Cõformius eſt *Diuinis Scripturis, & SS. PP.* pueros decedentes ſine baptiſmo cruciari pœna ſenſus, licèt mitiſſima.

Prob. 1. pars concl. 1. *ex Matt.25. Cùm autem venerit Filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedẽ maieſtatis ſuæ; & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ad inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ob hædis; & ſtatuet oues quidem à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris. Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei poſſidete paratum nobis Regnum &c. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare &c. Tunc dicet & his, qui à ſiniſtris erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius; eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare &c.* Tandem concludit: *Et ibũt in ſupplicium æternum; iuſti autem in vitam æternam.* Super quod *Beatiſ. P. ſerm.14. de Verb. Apoſt. Nullus relictus eſt medius locus, vbi ponere queat infantes. De viuis, & mortuis iudicabitur; alÿ erunt ad dextram, alÿ ad ſiniſtram &c. Ecce in dextera regnum Cælorum eſt: Percipite regnum. Qui ibi non eſt, in ſiniſtra erit. Quid erit in ſiniſtra? Ite in ignem æternum.* Idem ſæpe repetit; vt *lib.1.de peccat. merit; & remiſs.c.28. Nec eſt vllus vlli medius locus, vt potuit eſſe, niſi cum Diabolo, qui non eſt cum Chriſto.* Idem firmatum fuit in

Conc.

Conc. Carthag. celebrato *anno* 418; vbi *can.*3. dicitur: *Item placuit, vt ſi quis dicit, ideo dixiſſe Dominum: In Domo Patris mei manſiones multa ſunt; vt intelligatur, quia in regno Cælorum erit aliquis medius aut vllus alicubi locus &c. Qui enim dextera caret, procul dubio ſiniſtram incurret.* Et quamuis hic canon in aliquibus codicibus omiſſus fuerit; attamen in vetuſtis reperitur; vt probat Noris ex Photio, & Binio. Et D. Gelaſius Papa in epiſt. ad Epiſcopos per Picenum contra Senecam Pelagianum: *Et quia non niſi dexteram partem legimus, & ſiniſtram &c. Tollant ergo de medio, neſcio, quem ipſi tertium, quem decipiendis paruulis faciunt locum.* Patet autem hãc epiſtolam eſſe ex cathedra; agebatur enim de re fidei ſtabiliẽda. Sed de fide eſt paruulos non eſſe collocandos in dextera, nec admittendos ad vitam æternam; ergo erunt in ſiniſtra damnãdi ad ignem; & ideo ad pœnas ſenſibiles.

9 Reſpondet 1. *Cather.* paruulos non eſſe ſiſtendos in iudicio. *Moraines* non eſſe dogma fidei, quòd paruuli debeant comparere ad iudicium generale; & ſi comparebunt, hoc erit, vt videant gloriam Iudicis, non vt ab ipſo iudicentur.

10 Sed hoc eſt *contra Euang;* habetur enim expreſsè; *Et congregabuntur ante eum omnes gentes;* qui autem dicit omnes, nullum excludit. Et quis à numero gentium excluderet paruulos? *Gens* propriè ſignificat genitum, & gignentem; ecquis negaret paruulos eſſe genitos ex hominibus gignentibus? Ergo nomine *omnium gentium* ſignificantur etiam paruuli, qui ad iudicium vniuerſale cogentur. Præterea *in Epiſt. Gelaſij* definitur paruulos futuros eſſe in ſiniſtra Iudicis; ergo ex definitione Eccleſiæ paruuli comparebunt ad iudicium. Item *Act.* 10. habetur; quòd Chriſtus *conſtitutus eſt à Deo Iudex viuorum, & mortuorum*; quod nequit intelligi de vita, & morte corporis; omnes enim corporaliter morientur ante iudicium; quia pœna peccati originalis eſt omnem hominem corporaliter mori; ergò intelligitur de morte animæ; ſed mors animæ eſt peccatum; ergo Chriſtus conſtitutus eſt Iudex omnium habentium peccatum, & ideo etiam paruulorum, quos de fide eſt habere peccatum; non perſonale, ſed originale. Tum quia Chriſtus ſua morte meruit poteſtatem iudiciariam; ſed mortuus eſt pro omnibus etiam paruulis; ergo ſibi meruit poteſtatem iudicandi etiam paruulos. Tum quia ſi non indicarentur, daretur culpa iniudicata, quæcunque illa ſit; ſed hoc repugnat Diuinæ iuſtitiæ; quæ vniuerſaliter extenditur ad vindicandam omnem culpam; ſicut omnipotentia extẽditur ad omnem entitatem creatam; ergo etiam ipſi iudicabuntur.

11 Dices. 1. *ad Cor.* 5. habetur. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſiue bonum, ſiue malum;* ſed paruuli non geſſerunt aliquid boni, vel mali, quia non habuerunt vſum rationis; ergo non præſentabuntur ad iudicium. 2. *Godoy cum alijs* ait talem ſententiam eſſe tantùm pro adultis; additur enim: *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare, &c.*

Reſp. *Beatiſſ. P. ep.* 107. *ad Vital;* quòd ſicut paruuli baptizati, qui crediderunt per alios, qui pro illis in eorum baptiſmo reſponderunt: *Renuncio* Diabolo; & *Credo in Deum*; ſtabunt ante tribunal Chriſti; vt referant. quid geſſerunt in corpore, non per ſe ipſos, ſed per alios; & audiant ſententiam: *Venite benedicti*; ita paruuli decedentes ſine baptiſmo ſtabunt ante idem tribunal; vt referant, quid geſſerunt in corpore, non per ſe ipſos, ſed per alios; & ideo referent ſe non crediſſe per alios; & audient ſententiam condemnationis; quia qui *crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui autem non crediderit, condemnabitur.* Inquit autem: *Vtique ſecundùm ea, quæ per corpus geſſerunt, idẽſt tempore, quo in corpore fuerunt, quando per corda, & ora geſtantiũ crediderunt, vel non crediderunt; quando baptizati, vel non baptizati ſunt.* Ad 2. dicitur, quòd licèt *ibi* non nominentur, niſi opera facta contra præceptum miſericordiæ; attamen certum eſt iudicanda eſſe etiam opera facta contra alia præcepta, puta adulteria, furta, &c. vel in ſe, vel in alio.

12 Conf. Sententia ignis indicetur omnibus Angelis, & omnibus hominibus, qui ſunt ſub poteſtate Diaboli; vt patet ex verbis allatis *Matth.* 25; nam cùm Diabolus poſt diem iudicij recludendus ſit in inferno; ibi pariter cum eo recludendi ſunt, qui ſunt ſub eius poteſtate; quam non habebit ampliùs extra infernum; ſed paruuli decedentes cum peccato originali decedunt ſub poteſtate Diaboli; nam per peccatum originale naſcuntur ſub eius poteſtate; vt probabimus *art.* 5. *n.* 15. *ex Beatiſſ.* P. afferente ritum Eccleſiæ exufflantis, & exorcizantis pueros in baptiſmo, vt eos auferat à poteſtate Diaboli; non eruuntur autem à poteſtate Diaboli, niſi per baptiſmum, per quem tollitur peccatum originale, quo conſtituuntur ſub illius poteſtate; ergo paruulis indicetur ſententia ignis.

13 Dicunt *aliqui* paruulos non naſci ſub poteſtate Diaboli. *Cathar.* verò ait in die iudicij eruendos eſſe ab hac poteſtate. *Arriag.* vult eſſe ſub poteſtate Diaboli nihil aliud eſſe, quàm eſſe peccatores. *Alij* verò in hac vita eſſe ſub poteſtate Diaboli, quia Diabolus habet poteſtatem eos tentandi; quæ poteſtas ceſſabit poſt diem iudicij.

14 Reſp. ad 1. paruulos naſci ſub poteſtate Diaboli colligi *ex Epiſt. S. Cæleſtini ad Epiſc. Galliæ c.* 12; *ex c. Sacerdotes de conſecrat. diſt.* 4; *& c. Paruuli; & c. ſicut noſtis; &c. Dehinc; & ex Trid. ſeſſ.* 5. definiente *Adam incurriſſe cum morte captiuitatem ſub eius poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt Diaboli.* Vnde ſicut *Adam* tra-

traduxit in poſteros illud peccatum; ita traduxit captiuitatem ſub poteſtate Diaboli. Ad 2. dicitur paruulos non erui à poteſtate Diaboli, niſi per ablationem peccati originalis; ſed poſt iudicium non aufertur peccatum originale; ergo paruuli non eruentur de poteſtate Diaboli. Ad 3. dicitur falſum eſſe; nam fidelis peccator, quãdo abſoluitur à peccato per baptiſmum penitentiæ, non exufflatur, aut exorcizatur; ſicut paruulus in baptiſmo. Addimus, quòd ſi eſſe ſub poteſtate Diaboli nihil aliud eſt, quã eſſe peccatorẽ; cùm omnis peccator poſt iudicium futurus ſit ſub poteſtate Diaboli; tunc enim nulla erit ſpes veniæ, ideo paruuli, qui remanebunt peccatores, remanebunt ſub poteſtate Diaboli. Ad aliud dicitur, quòd Diabolus habuit poteſtatem tentandi *Adam* innocentem, & tamen propter hoc *Adam* non fuit creatus ſub poteſtate Diaboli.

15 Prob. 2. concl. *ex Conc*; nam vltra *Carthagin. ſup.* allarum, *& Epiſtolam Gelaſij*, adeſt epiſtola *Synodica einſdem Conc. ad Innoc*; quæ *inter Auguſtinianas eſt* 90; & epiſtola PP.*Numidię ad eundem Innoc*; quæ *inter eaſdem eſt* 92; & epiſtola *einſdem Innoc. ad eoſdem*, quæ *inter eaſdem eſt* 95; in quibus epiſtolis negant felicitatem conceſſam paruulis *à Pelagianis*; ſed hæc felicitas erat naturalis immunis ab omni pęna ſenſibili; nam illis concedebant priuationem viſionis beatæ, quæ eſt pęna damni propter irrefragabile teſtimonium; *Niſi quis renatus &c*; ergo *hæc Concilia, & Innocentius* ſtatuerunt paruulis pœnam ſenſibilem. Item *Synodus Bizacenorum PP. in Sardinia* exulantium *c.* 14. ait, quòd quiſquis non ingreditur regnum Dei, *interminabilibus ignis æterni cruciabitur pœnis*; *& c.* 3. ait; *quòd ſine baptiſmate mortuos æternis cruciatibus damnat.* In hac fuerũt quindecim ſancti, & doctiſſimi Epiſcopi, inter quos fuit *S.Doctor noſter Fulgentius*. Tandem *Petrus Diaconus* parans tranſmittere in Orientem rogauit *S.Fulgentium*, vt breuem fidei ſynopſim ei remitteret; propter quod Fulgentius ei ſcripſit *librum de Fide ad Petrum*; vbi *c.* 27. ponit xxiv. dogma fidei credendum; in quo ait paruulos, qui moriuntur ſine baptiſmo *ignis æterni ſempiterno ſupplicio puniendos*; *quia etſi proprię actionis peccatum nullum habuerunt; originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione, & natiuitate traxerunt.* Ex quibus patet *omnium Aphricanarum Eccleſiarum cum Beatiſſ. P.* hanc fuiſſe communem ſententiam.

16 Addimus *Conc. Flor. ſeſſ. vlt.* ſtatuens: *Illorum animas, qui in actuali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas. Io. diſt. 30. q. 1. can. Ad limina. Ne animam perpetua morte pereuntem dimitteret, ſacri unda baptiſmatis lauit, vt eum de poteſtate Auctoris mortis, & tenebrarum eriperet*; *S.Leo ep.*86. iubet fieri *Synodum*, & damnaui dicentes: *Paruulos, ſi ſine baptiſmo hinc de ſæculo exierint, non poſſe damnari.*

17 Prob. 3. *c. ex SS. PP. D.Hier.* in fine 3. *lib. Dialog.* loquens de paruulis ait: *Æterna miſeriæ cruciatus miſeris præparantur.* Beatiſſ. P. *in Io. tract.* 44. ſuper illud *Apoſt. Fuimus, & nos aliquando natura filij iræ, ſicut cæteri. Si filij iræ, filij vindictæ, filij pœnæ, filij gehẽnę, & in Enchir. c* 25; *& ſępiſſimè alibi. S.Auitus Epiſc.Vienn*; qui præſedit *Synodo Epaunenſi* in carmine ad ſororem Fuſcinam: *Quæ flammis tantùm genuerunt pignora matres. S.Fulgentius de Fide ad Petrum vbiſ; & lib.1. de Præd. & Grat. c.12. Æternis eſt ignibus deputatus. S.Gregor. Magnus lib.9. Mor. c.12. Perpetua tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccarunt. S.Iſidor. lib.2. Different. Spirit. n.26. Damnabuntur in ignem æternum; & lib. 1. ſent. c.22. Pro ſolo originali reatu luunt in inferno nuper nati infantuli pœnas. S. Prudentius lib. de Præd. c.16. Perpetua plexione damnantur. S.Anſelmus: Poſt diem iudicij nullus erit Angelus, aut homo, niſi aut in regno Dei, aut in inferno. S. Aelredus lib.1. Speculi Charitatis c.15 Cogita quæſo totum genus humanum, quaſi lignum aridũ, lignum infructuoſum, lignum in ipſa radice vitiatum, vtpotè veneno antiqui Serpentis vitiatum, iuſtiſſimè addictum flammis, igni deſtinatum adiudicatum damnationi. Bed. proęm in Cant. Qui negat paruulos iudicandos, contradicit Eccleſia Catholica.*

18 Addimus *S. Greg. Naz. orat.2. in Paſch.* quem tamen citant *Aduerſarij* pro ſua ſententia, ſed falsò. *Nos enim à Diabolo detinebamur, &c. Vt tyranno per vim ſuperato nos liberaret, ad ſeq. per interiectum Filium reduceret. S.Cypr. ſerm. de Circumciſ. Supererat poſt mortem carnis anima labor, & afflictio ſpiritus. Non poterat vlla ratione abſolui illa damnatio, niſi morti omnium vita omnium ſubuenerit. S.Thomas Villan. in ſerm. S. Adeleſmi* ait paruulos *damnari, & pati.*

19 *Hęc Concilia, hos Sanctiſſimos Pontifices, & hos SS.PP.* opponimus *Scholaſticis* contrarium affirmantibus; illos enim iſtis præponderare non dubitamus. Videant modò *Aduerſarij*, præſertim *Sot*; quos vocet *tortores puerorum*; quam calumniam mutuarunt *à Iuliano*, qui *in Suppl. lib. c.* primus omnium illam iniuſſit *Beatiſſ. Patri*. Videat quoque, an ſit magis tutum ſequi ſententiam *Scholaſticorum*, quos pro ſe refert; an verò horum *SS.PP*; qui oppoſitum docent.

20 Reſp. 1. *aliqui Beatiſs. Patrem* exceſſiuè locutum fuiſſe propter magnum feruorem, quo inuehebatur *in Pelagianos*. 2. *Alij* communiùs dicunt nomine *ignis* generaliter ſignificari quamlibet pœnam; & nomine ſpeciei ſignificari genus; ac propterea poſſe accomodari ad ſignificandam pœnam damni. Addit *Gonet* 3. *Godoy* ait, quod ibunt in ignem non cruciandi ab igne.

21 Sed prima reſponſio damnata fuit à *Ce-*

leſtino; vt vidimus *to.3.* Addit *Greg.* hanc reſpõſionem nimis iniurioſam eſſe *tot SS.PP*; qui eundem modum loquendi ſecuti ſunt;& multò magis, quia non omnes inſecuti ſunt *Pelagianos*; & ideo non haberent, quo excuſarentur erroris, ſicut *Beatiſs.P.* Tum quia nimis iniurioſum eſt dicere, quòd errore errorem confuderit. Tandem *in Enchir. Beatiſs.P.* non impugnabat *Pelagianos*; ſed tradebat ſynopſim totius fidei Catholicæ; incredibile autem eſt, quòd *ibidem* tradiderit aliquod falſum, tanquam credendum.

22 Ad 2; quod communiter aſſerunt *Thomiſtæ*, reſp. *Greg*; quòd nomine *ignis* intelligũt SS PP. eam pęnam, quam paſſuri ſunt damnati cum Diabolo; vt patet præcipuè ex verbis *Enchir.*, ſed nomine *ignis* non ſignificatur Diabolum, & damnatos paſſuros ſolam pœnam damni; ergo idem dici debet de paruulis. Addimus, quòd nomine *ignis* intelligunt eam pœnam, quã negabant paruulis *Pelagiani*; & quam *Catholici* contra illos probabant;ſed *Pelagiani* non negabant paruulis priuationem viſionis beatæ; vt *ſup.* dictum eſt; ergo nomine *ignis* non intelligunt priuationem viſionis beatæ. Tandem nulla eſt veriſimilitudo, quòd in re tam graui vſi fuiſſent SS.PP. nomine in tam lata ſignificatione; cùm nulla prorſus eſſet neceſſitas;cùmq; potuiſſent vti nomine *excluſionis à regno*, quod ſæpe præſtat *Beatiſs.P*; nunquam tamen, cùm hanc excluſionem nominat, vtitur nomine *ignis*; ergo hæc interpretatio eſt vana, & abſque fundamento. Ad *Gonet* dicitur non *q.9.* ſed *c.9.* hoc non haberi; ſed nomine ignis intelligit verum ignem crematiuum. Ad 3. dicitur, quòd ridiculum eſt dicere eos ire in ignem,& non torqueri ab illo; & eo magis, quòd *Matt.* addit, quòd *ibunt in ſupplicium*; ire autem in ſupplicium, & cruciati quis non videt idem eſſe?

23 Prob.4; & ſimul euertitur principalis ratio *Aduerſariorum*. Ideo paruuli non puniuntur pęna ſenſus, quia non peccauerunt in ſe ipſis, ſed in alio; & ideo eis non debetur pęna ſenſus, quæ debetur ſolùm illis, qui ſenſerunt delectationem peccati; iuxta illud *Apoc.18. Quantùm ſe in deliciis glorificauerat, tantùm illi tormentum, & luctum date*; quapropter pena ſenſibilis non correſpõdet, niſi delectationi perſonali, quam paruuli non habuerunt; ſed hoc eſt falſum; quia peccans in alio, quanuis non habeat delectationem ſenſibilem illius peccati in ſe ipſo, attamen ei debetur pęna ſenſibilis correſpõdens illi peccato; nam qui conſentit adulterio alterius, non ſentit profectò delectationem carnalem, quæ percipitur in illa copula carnali; & tamen certum eſt illum puniri pęna debita illi delectationi carnali; ergo quanuis paruuli non peccauerint in ſe ipſis; attamen eis debetur pęna ſenſibilis; quia verè peccauerunt in alio; & ſicut peccauerunt in alio, ita delectati ſunt in alio; & ideo iuxta menſuram delectationis peccaminoſæ habitæ in alio recipiunt pęnam ſenſibilem correſpondentem tali delectationi.

24 Conf, Paruuli decedentes cum baptiſmo habebunt in alia vita gloriam eſſentialem,& accidentalem, quanuis nihil meruerint in ſe ipſis, ſed tantùm in Chriſto; ergo decedentes ſine baptiſmo habebunt pœnam damni; & ſenſus, licèt non demeruerint in ſe ipſis, ſed tantùm *in Adam*.

25 Prob.5. Peccato originali debetur pęna ſenſibilis; ergo ruit altera ratio. Prob. ant. Peccato originali infligitur in hac vita pęna ſenſibilis; ergo illi debetur; aliter iniuſtè infligeretur. Hoc ſæpe vrget *Beatiſs.P.* Prob. conſ. Debitum ſubeundi in altera vita pęnam ſenſibilem non ſoluitur, niſi per gratiam Chriſti; & ideo niſi per hanc ſoluatur debitum, quod homines habent in hac vita, manet in alia vita; ſed paruulis non confertur gratia Chriſti, niſi per baptiſmum; ergo decedentes ſine baptiſmo remanent cum debito ſubeundi pœnam ſenſibilem.

26 Dices pœnam ſenſibilem deberi tantùm per accidens, ratione ſcilicet priuationis iuſtitiæ originalis, per quam homines eximebantur à pœnis temporalibus, quas ſubſtinere debuiſſent in pura natura.

Sed contra eſt. 1. Pœna eſt inflicta tantùm propter peccatum; vt patet *ex Scriptura*; ergo gratis aſſeritur, quòd fuiſſet debita puræ naturæ. Præterea *de conſecr. diſt. 4. c. Placuit igitur* anathematizatur dicens *Adam* moriturum, ſi non peccaſſet, *non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ*; ex quo habetur miſerias non eſſe debitas naturæ puræ, ſed peccato. 2. Pœna ſenſibilis etiam adultis debetur in alia vita ratione priuationis gratiæ, quæ ſola eximit ab omni pœna; ſed paruuli etiam in alia vita habent amiſſionem gratiæ, & iuſtitiæ originalis, & ſunt in puris naturalibus; ergo ſi ratione puræ naturæ debent ſubiacere pœnæ ſenſibili, hoc etiam dicendum eſt de eis in alia vita.

27 Tandem prob. euertendo aliam rationem, qua dicunt *Aduerſarij* nullam pœnam ſentiri à paruulis amiſſionis beatitudinis eo, quia beatitudo non eſt eis naturaliter debita; & ideo non dolent de eo, quod eis non debetur. Prob. *ex Beatiſs.P. lib. 3. cont. Iul. c. 3.* ſic increpante *Pelagianos*: *Verùm vos excellentiſſimi amatores illius vitę, quę futura eſt ęterna cum Chriſto, nullam pœnam putatis eſſe imaginem Dei exulare à regno Dei; cùm ſi paruam pœnam diceretis, non eſſet hac vox beati amatoris illius regni, ſed miſeri contemptoris.* Arguitur autem ſic. Paruuli clarè cognoſcunt ſe amiſiſſe ſummum bonum, quod *Adamo* non peccante poterant conſequi; & ad quod *in Adam* erant ordinati per iuſtitiam originalem; ſed cognitio amiſſionis ſummi boni debiti etiam ex gratia, & ex decentia Diuinæ bonitatis cauſat ſummum dolorem; ergo paruuli ſummum percipiunt dolorem ex pœna damni-

Ma.

Digitized by Google

Ma. conſtat; quia anima in inſtanti ſeparationis à corpore non intelligit dependenter à corpore, ſed tanquam forma ſeparata per ſe ſubſiſtens per ſpecies ab Auctore naturæ infuſas rerum pertinentium ad proprium ſtatum, ſicut paruuli baptizati recipiunt ſpecies naturales rerum pertinentium ad eorum ſtatum; ſicut autem conſecutio ſummi boni pertinet ad ſtatum iſtorum; ita amiſſio ad ſtatum illorum. Prob. mi. 1. Cognitio conſecutionis ſummi boni cauſat ſummum gaudium; ergo cognitio amiſſionis cauſat ſummum dolorem, *oppoſitorum* enim eſt *eadem ratio*. 2. Pęna damni ex ſententia *SS.PP.* ſuperat quencunque ignem inferni, & ideo eſt atrocior omni poena ſenſibili; ergo ex cognitione amiſſionis ſummi boni percipiunt ſummum dolorem. 3. Ex eo, quòd alicui in hac vita dicatur, ſe in alia vita priuandum eſſe ſumma felicitate, quam tamen poterat conſequi per gratiam; & quamuis ei dicatur non ex propria culpa perſonali, ſed ex culpa ſuorum parentum priuandum eſſe, ſummam percipit triſtitiam; ergo multò magis in alia vita, in qua id clarè cognoſcunt paruuli, ſummam ſentiunt triſtitiam. 4. Poena, quæ non affligit, non eſt poena, ſed impertinenter ſe habet ad poenam, & gaudium; ſi non affligat, nec delectet; ergo ſi paruuli ex cognitione amiſſionis nullam afflictionem ſummi boni percipiunt, poena damni non eſſet eis poena, ſed quid indifferens ad poenam, & gaudium. 5. Cognoſcent ſe eſſe filios iræ, inimicos Dei, deformes propter peccatum originale non dimiſſum; ſed hæc ſunt obiecta triſtitiæ, & ſummæ afflictionis internæ; ſicut cognoſcere eſſe filios gratiæ, amicos Dei, pulcherrimos propter gratiam eſt obiectum gaudij, & conſolationis internæ; ergo ſummam triſtitiam, & afflictionem ex hac cognitione percipient. 6. Si nullam poenam ſentirent, fruerentur omni bono naturali; nam priuatio boni naturalis debiti eorum naturæ eos affligeret, vt fatentur *Aduerſarij*; dicunt enim priuationem gloriæ non affligere, quia non eſt eis naturaliter debita; cùm ergo bonum naturale ſit naturaliter debitum, ideo debent ipſo frui; aliter ex priuatione illius afflictionem ſumerent; ſed fruens omni bono naturali eſt naturaliter beatus; ergo eſſent naturaliter beati, vt aſſerebant *Pelagiani*.

28 Obijc. 1. *Apoc. 18. Quantùm ſe glorificauit, & in delicijs fuit, tantùm illi tormentum, & luctum date*; ex quo colligunt poenam ſenſibilem dari tantùm ob delectationem perſonalem. 2. *Marc. 9. Ignis eorum non extinguetur*, & paulò poſt: *Vermis eorum non moritur*; ſed paruuli non habent vermem conſcientiæ, quia conſcientia eos non remordet alicuius peccati ab ipſis commiſſi; ergo neque ignem patiuntur.

Reſp. ad 1. iam dictum fuiſſe tormentum, & luctum dari nedum delectationi, & delicijs in ſe, & in alio. Ad 2. neg. mi. nam vermis remordet conſcientiam cuiuſcunque peccati commiſſi in ſe, vel in alio.

29 Obijc. 2. *ex Innoc. 3. in c. 3. Maiores extra de bapt. tit. 42.* habetur, quòd *pęna originalis peccati eſt carentia viſionis Dei; actualis verò peccati pęna eſt gehennę perpetuę cruciatus*; prima autem pars intelligenda eſt de carentia viſionis cum excluſione cruciatus; aliter eadem poena correſponderet peccato originali, & actuali. 2. *Eugen. IV. in lit. vnionis Gręcorum* definit *illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, deſcendere mox in infernum, pęnis tamen diſparibus puniendas*; hoc autem nequit intelligi de diſparitate pęnarum ſenſibilium ſecundùm intenſionem, quia etiam peccata actualia puniuntur diſparibus pęnis ſenſibilibus; ergo intelligitur de diſparitate pęnæ damni, & ſenſus.

Reſp. ad 1. *ex Greg. hic ad 3.*, quòd illa *decretalis* non ait ſolam carentiam viſionis eſſe pęnam peccati originalis; nec ſolam gehennam eſſe poenam peccati actualis; patet enim, quòd poena peccati actualis eſt nedum gehenna, ſed etiam carentia viſionis; *& de conſecrat. diſt. 4. c. 136. Regenerante de paruulis* habetur: *Ex Beatiſs. P. lib. 1. de peccat. merit. c. 15. & 16. In damnatione omnium mitiſſima futuros*; quapropter *Gloſ.* vocat illam rationem *ſuperficialem*; & *Poncius* ait fuiſſe inſertam ab aliquo *Secretario* indocto, non aſſertam à Pontifice, nam ſine contradictionem dici non poſſet. Pontifex igitur reſoluit dubium, an liceat dari baptiſmum adulto dormienti, & amenti; & reſpondet, quòd non; *quia Dominus, qui totum hominem ſanum fecit in Sabbatho, opus imperfectionis non nouit, & ob hoc peccata, non ex parte, ſed ex toto dimittit*. Præter hanc rationem addit, quia per talem baptiſmum tolleretur carentia viſionis Dei, & tamen ſic baptizatus maneret in gehenna, quia maneret peccatum actuale, quod infert damnationem ad vtrãque poenam, baptiſmus autem tollit vtranque; inferre autem, & tollere vtranque poenam ſunt contradictoria; vnde Pontifex vrget ad contradictionem, & ideo concludit: *Sed hęc tanquam incompatibilia ſe minimè patiuntur, imò ſibi mutuò aduerſantur*. Si autem pęna peccati originalis eſſet ſola carentia viſionis Dei, & pęna peccati actualis eſſet ſola gehenna, hæc poſſent ſtare ſimul; quod negat *Decretalis* aſſerens hæc eſſe incompatibilia; ergo ex hoc potiùs deducitur oppoſitum. Præterea ratio vrgens ad contradictoria ſemper aſſumit propoſitionem falsã, & ab objiciente conceſſam, vt conſtat; aliter non poſſet vrgere ad contradictionem; ergo non licet dicere illam à reſpondente eſſe aſſertam. Ex hoc patet falsò aſſerere *Godoy* Pontificem *ibid.* intendere tradere differentiam inter poenam peccati originalis, & actualis; intendit enim ſolùm baptiſmum non eſſe cõferendum dormienti, & amenti; quod probat vrgendo ad contradictorium, vt dictum eſt. Cùm autem ait *Gonet*,

quòd ſequeretur eandem pœnam correſpondere vtrique; reſp. verum eſſe cum diuerſa intenſione; ſed de hoc *inf.* Ad 2. dicitur per illud probari noſtram concluſionem, vt *ſup* viſum eſt. Ad rationem dicitur, quòd omnis comparatio propriè loquendo eſt inter ea, quæ ſunt eiuſdem generis, & ſpeciei; inter ea enim, quæ ſunt diuerſi generis, eſt proportionalitas, & improportionalitas. Pęna ergo vnius peccati actualis eſt minor pęna aliorum peccatorum actualium; non tamen eſt minor toto genere omnium pœnarũ omnium peccatorum actualium, quia non eſt minor ſe ipſa, quæ pariter eſt pœna peccati actualis; pœna autem peccati originalis eſt minor totu genere pœnarum omnium peccatorum actualium; ipſa enim eſt pœna originalis, non actualis; & ideo à *Beatiſs.P.* in hoc ſenſu vocatur omnium *leuiſſima, & mitiſſima.*

30 Obijc.3. *Beatiſs.P. lib 3. de lib.arb.c.23.* ait: *Non enim metuendum eſt, ne vita eſſe potuerit media inter rectè factum, atque peccatum; & ſententia iudicis media eſse non potuit inter præmiũ, & pœnam.* Addit *Gonet Beatiſs.Patrem* dubium fuiſſe in hac materia; vt patet *ex ep.28. ad Hier. Cùm ad pęnas peruentum eſt paruulorum, magnis, mihi crede, coarctor anguſtijs; nec quid reſpondeã, prorſus inueneo.* 2. *Idem lib.5. cont. Iul. c.8.* ſuper illud: *Melius eſset illi, ſi natus non fuiſset*; ait: *Quis dubitauerit paruulos non baptizatos, qui ſolum habent originale peccatum, nec vllis proprijs aggrauantur, in damnatione omnium leuiſſima futuros; quæ, qualis, & quanta erit, quamuis definire non poſſim; non tamen audeo dicere, quòd eis, vt nulli eſsent, quàm, vt ibi eſsent, potiùs expediret.* Ex quo arguit *Godoy* 1. Si paruuli paterentur pęnam damni, & pœnam ſenſus, licèt leuiſſimam, expediret illis potiùs non eſſe; nam quãuis vnus adultus patiatur pęnam ſenſus leuiorem alio; attamen illi expediret non eſſe natum; quia illud *Iudę* applicatur omnibus adultis; ergo paruuli non patiuntur pœnam ſenſus. 2. Pœna paruulorum eſt leuiſſima; & *in Enchir.c.93.* dicitur *mitiſſima*; ergo non eſt pęna ſenſus; nam poteſt dari caſus, quòd quis moriatur cum peccato actuali, cuius grauitas ſit minor grauitate peccati originalis, & ideo leuiori pœna plectatur. 3. *Maſtr.in 2.diſp 4.q.6.n.163.* refert *Beatiſs.P. de peccat. merit. & rem ſs. c.27.* aſſerentem *infantes in limbo non triſtari, nec dolorem pati.*

Reſp. mirum eſſe *Aduerſarios* fulcimentum quærere, vnde euertuntur. Ad 1. quod eſt arg. *Maſſilienſium*; vt ſcribit *S. Hil. ep.ad Beatiſs. P.* dicens: *Quam* (ſupple cauſam paruulorum) *& tuam ſanctitatem dicunt eatenus attigiſſe, vt incertum eſſe volueris, ac potiùs de eorum pęna dubitare, quod in libro 3. de lib.arb. ita poſuiſſe meminiſti, vt hanc eis occaſionem potuerit exhibere*; reſp. *ex Noris. Beatiſs.Patrem* hanc obiectionem ſoluere *lib de Dono Perſeu. c.12.* dicendo; quòd tunc quia agebat contra *Manichæos*, non curauit ſoluere hanc quæſtionem *contra Pelagianos.* Item licèt dubitaſſet de pœnis paruulorũ, nemo tamẽ poſſet eſſe ita inuidus, & iniuſtus, vt diceret non potuiſſe *in Scripturis* proficiendo ſe determinare; verba eius ſunt hæc: *Nemo, vt opinor, eſset tam iniuſtus, atque inuidus, qui me proficere prohiberet atque in hac dubitatione remanendum mihi eſse iudicaret. Cùm verò rectiùs poſſit intelligi non me propterea de hac re dubitaſse, quia contra quos mea dirigebatur intentio, ſic mihi viſi ſunt refellendi, vt ſine pœna eſset peccati originalis in paruulis, quod veritas habet; ſiue non eſset, quod nonnulli errontes opinantur; nullo tamen modo, quam Manichæorum error inducit, duarum naturarum, boni ſcilicet, & mali permixtio crederetur; abſit vt cauſam paruulorum ſic relinquamus incertam; vtrum in Chriſto regenerati, ſi moriantur paruuli, tranſeant in æternam ſalutem; non regenerati autem tranſeant in mortem ſecũdam.* Mors autem ſecunda eſt pœna ſenſibilis, ſicut mors prima. Hoc non vidit *Bellarm.* ſcribens *Beatiſſ. Patrem* non retractaſſe id, quod ſcripſit *de lib. arb*; non enim ſe retractauit, quia ſic non ſenſit; & ſi ita ſenſiſſet, retractauit ſatis, ſeu ſe explicauit *in hoc lib de Dono Perſeu. Et in ep.28.ad Hier. Non tamen de damnatione eorum paruulorum, qui ſine baptiſmo ex hac vita emigrant, tunc aliquid dicendum putaui, quia non, quod nunc agitur, agebatur.* Ad id *Gonet* dictum fuit *art.4. §.1.n. 21.* Ad 2. dicitur colligi oppoſitum; nam ſi *Beatiſſ.P.* concedit paruulis pœnam leuiſſimam, & mitiſſimam, hæc profectò nequit eſſe pœna damni, quę *in illius, & SS. PP.* ſententia eſt grauiſſima, & atrocior omni pœna ſenſus. Ad 1. rationem dicitur non concludere; nam quamuis vnus adultus patiatur pœnam leuiorem alio; attamen non patitur pœnam leuiorem omni pœna debita peccato actuali ſicut patitur paruulus; ideoque quamuis melius eſſet omni adulto natum non, non eſſe, non infertur hoc etiam de paruulis, qui patiuntur pœnam omni pœna adultorum mitiorem, & ideo tolerabiliorem. Præterea dicimus *Beatiſſ. Patrem* illud *Iudæ* interpretari de non eſſe ſecundùm quid, & per accidens, non ſimpliciter, & primariò; vt diximus *q.de Paſſionib.art.4.n.24. & ſeq.* Ad 2. neg.conſ. Ad prob. inferr. dicitur, quòd qualecunque peccatum actuale eſt maioris grauitatis in poſteris peccato originali, quia habet minus de voluntario; nam minùs voluntarium eſt volũtarium in alio, quàm in ſe; & ideo minus habet de grauitate peccaminoſa, quæ formaliter attenditur ſecundùm rationem voluntarij; quamuis materialiter attendatur reſpectu obiecti. Peccatum ergo vt in *Adam*, fuit grauiſſimum omnium propter fortitudinem liberi arbitrij roborati per iuſtitiam originalem ad illud vitandum; ideo in illo fuit ſummè voluntarium, & ſummum peccatum; at verò in poſteris habet minimam grauitatem, quia eſt voluntarium in alio. Ad 3. neg. ſupp; limbus

enim

enim negatur *à Beatiſs. P. Aug.* qui dicit ipſum eſſe *Paradiſum Pelagianorum*; vt diximus *to. 1. q. 5. proem. art.* ; *& in tribus libris de peccat. meritis* non habet illa verba.

31 Obijc. 4. *Gonet.* D. *Greg. Naz. orat 40.* aſſerit *paruulos decedentes ſine baptiſmo nec gloriam, nec ſupplicia habituros.* 2. *Auctor Commentarij in Ep. Pauli ad Rom*; qui tribuitur *Ambr. Eſt & alia mors, quæ ſecunda dicitur, in gehennā, quam non peccato Adæ patimur, ſed eius occaſione proprijs peccatis acquiritur.* 3. *Greg. Niſſ. or. de Infantibus*: *Immatura mors infantium demonſtrat neque in doloribus, neque in meſtitia futuros eſſe.* 4. *Bern. ſerm. 3. de Reſurrect. Tolle propriam voluntatem, & non erit infernus; nihil ardebit in inferno præter propriam voluntatem.* 5. *Euthim. in Panoplia*, quæ componitur ex ſententijs *Chriſoſtom. lib. 2. c. 22.* ait infantes non eſſe cruciandos pęna ignis.

Reſp. ad 1. *Gregorium* eo loci diſtinguere tria genera hominum decedentium ſine baptiſmo, alij enim contemnunt baptiſmum; alij tantùm negligunt; alij verò, vt pueri, nec contemnunt, nec negligunt; concludit autem, quòd primi habebunt pęnam contemptus; ſecundi habebunt pęnam negligentiæ, quæ erit minor pęna contemptus; paruuli autem non habebunt pœnam contemptus, aut negligentiæ; non tamen propter hoc habebunt gloriam, quia habent peccatum originale. Ex hoc ergo non deducitur nec remotè intentum; quia quamuis non habeant pœnam contemptus, aut negligentiæ, non arguitur, quòd non habeant pœnam peccato originali debitam; quam tamen ipſe fatetur; vt diximus *ſup. Ad Auctorem* ait *Bellarm.* illud opus falsò tribui *Ambroſio*; ſcatet enim erroribus *Pelagianorum*; quod fusè probat etiam *Conrius*, ſed dicit *Gonet Auctorem* vixiſſe *ſub Damaſo III.* ante *Innocentium* Pontificem, antequam hæreſis *Pelagiana* erumperet. At reſp. *Noris Pelagium* diu *Romæ* vixiſſe, antequam eius hæreſis erumperet, & tunc ſpargebat ſuos errores. Præterea hoc nihil facit; nam hæreſis *Pelagiana* habuit initium *in Origene*, vt fatetur etiam *Gonet*; & ideo fuit ante *Pelagium*. Præterea iſte *Auctor* non habet auctoritatem in Eccleſia; eſt enim *anonymus*. *Ad Niſſ.* ait *Noris* locutum fuiſſe in *illa oratione* ſemper dubitatiuè; ait enim ſe neſcire, an vnaquæque anima ante tribunal Iudicis ſiſtetur; adeoque vocat *quæſtionem perplexam, atque difficilem*. *Ad D. Bern.* dicitur non loqui de paruulis, vt patet; ſed aſſerere, quòd omne peccatum deſcendit ſolùm ex amore proprio; ex quo quomodò poſſint inferre aliquid contra nos, ipſi iudicent. Quamuis etiam peccatum originale deſcendat ex amore proprio ipſius *Adæ*; & ideo optimè dicitur, quòd ſublata propria voluntate, ſeu amore in omnibus hominibus, non erit infernus; quia ſublato amore proprio *Adæ* tolleretur peccatum originale in nobis, quod ab illo traducitur. Ad *D. Chriſoſt* iam *ſup.* dictum eſt.

Ex his apparet cogi SS. PP. *ab Aduerſarijs* ad ſentiendum, quod non ſenſerunt; ac propterea oppoſitam ſententiam nullū penitus habere fundamentum *in Scripturis*, *aut* SS. PP; & dato etiam, quòd vnus, vel alter hoc aſſereret; attamen adhęrendum eſt potiùs maiori eorum numero.

32 Obijc. 5. *Godoy.* Pœna ſenſus non eſt proportionata culpæ originali; ergo idem. Prob. ant. Quodlibet peccatum non punitur pęna ſenſus, quatenus eſt offenſa Dei; ſic enim culpa eſt infinita; & creatura non eſt capax pęnæ infinitæ; ſed punitur, vt auerſio à Deo, & ſecundùm propriam rationem differentialem; ſic enim eſt finita; ſed culpa, quatenus eſt auerſio ſecundùm propriam rationem differentialem, contingit ſolùm per actionem huius particularis perſonæ; culpa autem originalis contingit per voluntatē naturæ, non per voluntatem perſonæ; ergo pœna ſenſus non eſt proportionata culpæ originali. 2. Eccleſia in taxandis pęnis pro peccato imitatur Deum; ſed Eccleſia nullam ſtatuit pęnam pro peccato originali; ergo neque Deus. 3. Nullus poteſt puniri pro peccato, pro quo nequit reprehendi; ſed nullus poteſt reprehendi pro peccato originali; quia 3. *Eth. c. 6.* dicitur neminem reprehendi, niſi illa faciat, quæ potuit non facere, pueri autem nequeunt non contrahere peccatum; ergo non puniuntur.

Reſp. ad 1; quòd licèt Deus non puniat peccatum ad menſuram offenſæ, ſed ad menſuram malitiæ, quapropter dicitur punire citra condignum; attamen quia malitia poteſt eſſe commiſſa in ſe, vel in alio, ideo punit culpam nedum actualem, ſed etiam originalem. Neg. igitur mi; nam ſi culpa, quatenus eſt auerſio, contingeret ſolùm ratione actionis perſonalis propriæ illi perſonæ, in qua eſt culpa, ſequeretur peccatum originale non eſſe auerſionem, & ideo nec peccatum, quod per illam conſtituitur. Licèt ergo culpa originalis non ſit in nobis per actionem perſonalem commiſſam à nobis in nobis, eſt tamen per actionem perſonalem *Adę* cōmiſſam à nobis in illo, quæ, quia infecit naturam, dicitur peccatum naturæ; vnde illa diſtinctio voluntatis naturæ, & perſonę vana eſt. Ad 2. dicitur pęnas temporales peccati originalis eſſe à Deo taxatas, ſunt enim miſeriæ temporales; & ideo non taxari ab Eccleſia, quæ taxat ſolùm pęnam peccatis actualibus, pro quibus non eſt à Deo taxata. Ad 3; quod eſt *Iuliani in Suppl. lib. 1. c. 47.* diſt. ma. Nullus poteſt puniri pro peccato, quod eſt tantùm peccatum, pro quo nequit reprehendi, conc; quod eſt peccatum, & pęna peccati, neg Vel om ſſa ma. neg. mi; nam paruuli potuerunt facere in alio. Sic dicitur pęnam damni correſpondere auerſioni, & pęnam ſenſus cōuerſioni; nam paruuli ſe conuerterunt in alio, ſicut in alio ſe auerterunt, & ideo vtramque pęnam meruerunt.

33 Obijc.

Google

33 Obijc.6. Crudelitas eſt Divinæ bonitati incongrua punire infantes, qui propria voluntate non peccarunt; ergo non puniuntur pœna ſenſus.

Reſp. hoc etiam arg. eſſe *Iuliani in Suppl. lib. 1. c. 35. & ſæpe alibi*; cui reſp. *Beatiſs. P. Dic ergo qua iuſtitia retributum ſit paruulis tam graue iugum tam magnæ miſeriæ; & c. 39. Ecce duo paruuli iacent; unus baptizatus, alter non baptizatus expirat. Cui eorum dicis Deum fuiſſe clementē? Si uni; doce alterius meritum malum, qui negas originale peccatum.* Neg. ergo ant; nam crudelis non eſt Deus puniendo miſeriis temporalibus infantes, qui peccauerunt in alio; ergo nec puniendo pœnis æternis.

34 Ex his patet omnia argumenta facta à *Scholaſticis* fuiſſe à *Pelagianis* obiecta *Beatiſs. Patri*; & ab ipſo ſoluta; vt legenti *eius libros* puro animo addiſcendi, non pertinaciter contendendi pro ſua ſententia poteſt euidenter conſtare. Quæ tamen unica reſponſione dilui poſſunt; quia malè procedunt de peccato in ſe, non in alio.

QVAEST. III.

De peccato veniali, & mortali.

POſt peccati originalis notitiam ad agendum de peccato perſonali progredimur; cùmq; de illo in genere, nihil ſuperſit agendum, quod *q.* 1. actum non ſit; ideo ad tractandum de illius ſpeciebus deſcendimus; & 1. de prima illius diuiſione, qua diuiditur in veniale, & mortale.

A R T. I.

An ſit, & quid ſit peccatum veniale?

1 FVnd. *Doct. in 2. diſt. 42. q. 1. art. 3.* ait, quòd peccatum poteſt quinque modis dici veniale. 1. ex cauſa. 2. ex euentu. 3. ex ſtatu. 4. ex opere operantis. 5. ex opere operato.

2 Illud dicitur peccatum veniale ex cauſa, quod habet in ſe aliquam cauſam, per quam veniam meretur; ut cùm quis peccat ex infirmitate, ſeu ex ignorantia, magis meretur veniam, quàm qui peccat ex malitia. Hinc *Apoſt. 1. ad Tim. 1.* ait: *Miſericordiam conſecutus ſum, quoniam ignorans feci; & Beatiſs. P. lib. 83. qq. q. 26.* ait: *Imperitia eſt contraria ſapientiæ, malitia contraria eſt bonitati. Quiſquis igitur novit, quid ſit virtus, & ſapientia Dei, poteſt exiſtimare, quæ ſint peccata venialia; & quiſquis nouit quid ſit bonitas Dei, poteſt exiſtimare, quibus peccatis certa pœna debeatur & hìc, & in futuro ſæculo.* In hoc ſenſu non accipitur à nobis in præſenti veniale; quia *hic* ſumimus veniale, prout contradiſtinguitur à mortali; & in allata acceptione illud peccatum dicitur veniale, quod, licèt ſit mortale, eſt tamen dignum venia comparatiuè ad mortale grauius illo.

3 Illud dicitur peccatum veniale ex euentu, quod licèt ſit mortale, per pœnitentiam tamen veniā meretur; & dicitur fieri veniale adueniente confeſſione; quia per illam ſoluitur pœna æterna illi debita, & etiam temporalis, ſi intenſa ſit contritio; ſecus verò obligatur ad pœnam temporalem, ſicut obligatur peccatum veniale; vt docet *Beatiſs. P. lib. de vera, & falſa pœnit. c. 18.* dicens: *Quædam enim peccata ſunt quæ ſunt mortalia, & in pœnitentia fiunt venialia, non tamen ſtatim ſanata.* In hoc ſenſu quoque non ſumitur peccatum veniale propter eandem rationem.

4 Illud dicitur veniale ex ſtatu, quod ratione ſtatus, in quo ſumus, poteſt conſequi veniam; quoniam autem quandiu ſumus in ſtatu viæ, poſſumus conſequi veniam omnium peccatorū etiam grauiſſimorum; ideo omnia peccata mortalia, etiam grauiſſima in hoc ſenſu poſſunt dici venialia. In alia vita verò nullum peccatum poteſt dici veniale, quia nunquam abſoluitur, etiam loquendo de peccatis venialibus, prout coniunguntur cum mortalibus; nunquam enim remittuntur, ut *inf.* dicemus. Neque in hoc ſenſu ſumitur *hìc* veniale.

5 Illud dicitur veniale ex parte operantis; in quod operans non conſentit per rationem, nec delectatur, ſed contradicit; & in hoc ſenſu motus primò primi, dum ſunt in ſenſualitate, ſunt peccata venialia, non mortalia.

6 Tandem illud dicitur peccatum veniale ex opere operato, quod ſecundùm ſe eſt opus in materia leui; vt verbum otiſum, mendacium iocoſum, &c. In his duobus ſenſibus poſtremis ſumitur *hìc* peccatum veniale.

7 Quoad 1. dogma fidei eſt præter peccata mortalia dari venialia, quæ ex ſua natura non inferunt animæ mortem, nec priuant gratia, charitate. Eſt *cont. Stoicos, & Iouinian. teſte S. P. ep. 29. ad Hier.* putantes omnia peccata eſſe paria; & ideo nullum eſſe diſcrimen inter mortalia, & venialia, *& cont. Vvicleff. Lutheran; & Caluiniſt.* dicentes venialia ex ſua natura eſſe mortalia, & damnationem mereri; addunt tamen *Lutherani* dici venialia, quia à Deo non imputantur fidelibus, quibus ſolum peccatum infidelitatis imputatur; omnia verò peccata infidelium eſſe mortalia, & imputari. *Caluiniſtæ* verò omnia peccata reproborum etiam fidelium eſſe mortalia; electorum verò venialia; *& Gerſon. p. 3. tract. de vita ſpir. lect. 1; Almain. tract. 3. mor. c. 2; & Roffen. art. 32. cont. Luth.* dicentes dari quidem peccata mortalia, & venialia in infidelibus, & fidelibus ſiue reprobis, ſiue prædeſtinatis; attamen peccata venialia non eſſe ex ſua natura venialia, ſed ſolummodo ex miſericordia Dei, qui ab æterno decreuit non omnia peccata eſſe nobis mortifera, aut priuare nos gratia Diuina, quamuis ſi reſpiciatur eorum natura, priuent nos gratia, & digna ſint, ut puniantur à Deo morte, & pœna æterna.

8 Pro-

78 Prob.1.*à Beatiſs.P. hom.*50.*c.* 7. ex illo 1.*Cor.* 7., ubi *Apoſt.* præcipiens coniugatis ait: *Nolite fraudare inuicem, niſi forte ad tempus, vt vacetis orationi; & iterum reuertimini in idipſum, ne tentet vos Sathanas propter incontinentiam veſtram. Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam,*vel vt *alij* legunt, *ſecundùm veniam, non ſecundùm imperium*. Super quod ait *Beatiſs. P.Aug. Quod vt peccatum demonſtret eſſe,ſed infirmitati conceſſum, ſubiecit ſtatim: Hæc autem dico ſecundùm veniam, non ſecundùm imperium; & in Enchir.c.*78. *Poſſet ergo, vt dixi, putari non eſſe peccatum, niſi addidiſſet: Hoc autem dico ſecundùm veniam,non ſecundùm imperium. Quis autem iam eſſe peccatũ neget; cùm dari veniam facientibus Apoſtolica auctoritas fateatur?*

9 Prob.2.*ab eod.in Enchir.c.*78.ex illo *Iac.*3. *In multis offendimus omnes; & lib. de S.Virginit. c.*49*;&* 50. *Sed quoniam ſatagentibus, vigilantibuſque, ne peccent, ſubrepunt quodammodo ex humana fragilitate peccata, quamuis parua, non tamen nulla, pro quibus* iubemur quotidie orare. *Dimitte nobis debita noſtra. Nam ſi non habemus peccata* (inquit *hom.*50.) *& tondentes pectora dicimus: Dimitte nobis debita noſtra; ex hoc certè, & grauiter nullo dubitante peccamus, cùm inter ipſa ſacramenta mentimur. Item in ſent.decerptis ſent.* 46. *Sicut non impediunt ab æterna vita quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur.*

10 Conformiter *ad hac Cõc.Mileu.II.can.*6. *Sanctorum eſſe illam vocem: Dimitte nobis debita noſtra; quæ peccata venialia ſibi à Deo dimitti petunt;& Aphric.ep.Synodic.inter Auguſtinianas* 95. *Non tamen ſunt ſine quotidianis, & leuibus offenſionibus;et Trid.ſeſſ.*6.*c.*11.*Licèt enim in hac mortali vita quantumuis iuſti,& ſancti in leuia ſaltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur,peccata quandoque cadant, non propterea deſinunt eſſe iuſti; nam iuſtorum illa vox eſt, & humilis,& verax: Dimitte nobis &c.* Tandem *in Bulla Pij V.*, *& Greg.XIII.* damnatur 21.propoſitio *Baij* aſſerentis: *Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pęnam æternam.* Ex quibus ſic. Peccata, quæ non tollunt ſanctitatem, ſunt venialia; nam nomine peccati venialis intelligimus peccatum, quod non tollit gratiam ſimpliciter, vt *inf*; ſed dantur peccata, quæ non tollunt ſanctitatem; quæ ſancti orant ſibi dimitti, aliter non eſſent ſancti;ergo dantur peccata venialia.

11 Præterea ſi omnia peccata ex natura ſua eſſent mortalia, eſſent eſſentialiter talia; eſſe námque ex natura ſua eſt eſſe ex eſſentia; cùm natura, & eſſentia idem ſit; ſed quod eſt eſſentialiter tale, nequit ex gratia Dei fieri non tale, quia Deus non immutat naturas rerum; aliter poſſet facere, quòd homo nõ ſit animal rationale, quod eſt abſurdum; ergo ſi omnia peccata ex natura ſua eſſent mortalia, non poſſent ex gratia Dei fieri venialia.

12 Tandem ſicut ſe habet morbus corporalis ad mortem corporis, ita morbus moralis ad mortem animæ; ſed morbus corporalis alius eſt mortalis inferens mortem corporis; alius non, mortalis non inferens mortem corporis,ſed tantùm ad illam diſponens;ergo peccatum aliud eſt mortale, quod infert mortem animæ; aliud veniale, quod ad illam tantùm diſponit. Mi. patet; non enim per quencunque morbum leuem moritur homo. Ma. prob; nam iuxta documentum *Apoſt.* ex ijs, quæ videmus in naturalibus, arguimus res ſpirituales, quas non videmus. Sic dicendum, quòd ſicut ſunt quædam offenſæ leues, quæ non tollunt amicitiam; & quædam graues, quæ amicitiam tollunt; ita dicendum dari peccata venialia, quæ non tollunt amicitiam Dei, & mortalia, quæ illam tollunt.

13 Obijc.1.*Ezech.*18. *Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur; & Rom.*6. *Stipendium peccati mors; hic* eſt ſermo de peccato abſolutè ſumpto; *& Iac.*2. *Qui offenderit in vno,factus eſt omnium reus; & Deut.*27. *Maledictus, qui non permanet in ſermonibus legis huius; & D.Baſil.* ſcribens ad *quoſdam monachos* ait: *Differẽtiam magnorum, & paruorum peccatorum in nouo teſtamento dicere nõ datur.*2.ratione.Peccatum veniale offendit maieſtatem Dei infinitam;ergo ex ſua natura eſt mortale; nam grauitas offenſæ ſumitur ex dignitate perſonæ offenſæ.3.Deus poteſt iuſtè punire pœna æterna quodlibet peccatum, vt eſt offenſa ſui ipſius; ergo quòd non puniat æternaliter peccatum veniale, prouenit ex eius miſericordia. 4. Nequit homo viribus naturæ ſatisfacere pro peccato veniali; ergo peccato veniali debetur pęna æterna; quia illi debetur pęna, quouſque remittitur culpa; hæc autem non remittitur, niſi ex gratia Dei; & ideo illi ex ſua natura eſt debita pęna æterna.5.Potiùs eſt eligẽda pęna æterna, quàm quoduis veniale, quantumuis leuiſſimum; ergo peccatum veniale meretur pœnam æternam.

Reſp. *Ezechiel.* manifeſtè loqui de peccato mortali; ſubdit enim: *Si oculos ſuos non leuauerit ad idola domus Iſrael, & vxorem proximi ſui non violauerit &c. Per vim nihil rapuerit &c. Ad vſuram non commodauerit &c.* Eodẽ modo loquitur *Apoſt*; loquitur enim de immunditia, & iniquitate, quæ procul dubio eſt peccatum mortale. Idem dicitur *ad D.Iac*; nam loquitur de tranſgreſſione legis; ſcilicet *non mœchaberis, non occides &c. Vid.Beatiſs. P. ep.*29. *ad Hier.* Idem habet *Deut*; enumerat enim præcepta dicens: *Maledictus homo, qui facit ſculptile &c; Maledictus, qui non honorat patrem, & matrem ſuam*; & ſic de reliquis; tandem concludit: *Maledictus, qui non permanet in ſermonibus legis* Ad *D.Baſil.* dicitur, quòd in lege noua nullum eſt diſcrimen inter peccata mortalia quantùm ad priuationem vitæ æternæ, licèt differant quantùm ad grauitatem malitiæ; & venialia eſſe vitanda, quia diſponunt

Digitized by Google

ad mortalia. Ad 2. diſt. ant. Peccatum veniale offendit maieſtatem Dei grauiter, neq; leuiter, conc. Ad prob. conſ. dicitur, quòd ſicut ex dignitate perſonæ grauiter offenſæ ſumitur grauitas illius, ita ex dignitate perſonæ leuiter offēſæ ſumitur leuitas. Ad 3. neg. ant. abſolutè loquendo etiā de peccato veniali; nec ex eo, quòd homo viribus naturæ nequeat ſatisfacere pro veniali, infertur ei deberi pœnam æternam, ſed ſolùm puniri, quouſque ſit pro illo ſatisfactum; & ſic ad 4. Ad vlt. neg. conſ; committere enim culpam eſt actus malus; bonum autem eſt eligibile, non verò malum; nec ex hoc deducitur malo deberi pœnam æternam.

14 Quoad 2. definitur peccatum veniale à *Fund. Doct. in 2. diſt. 42. vbi: ſ. leuis animę morbus aliqualiter diſponens ad mortem ſpiritualem, quæ eſt ſeparatio ipſius animæ à Deo.* Vt autem hæc definitio intelligatur, tradendæ ſunt differentiæ, quæ ſunt inter peccatum veniale, & mortale.

15 Prima eſt; quia mortale ſeparat animam à Deo, qui illius eſt vita, vt ait *S.P. Aug. ſerm. 6. de verb. Domini. Sicut anima eſt vita corporis, ſic anima vita Deus. Sicut expirat corpus, cùm animam emittit; ita expirat anima, cùm Deum amittit. Deus amiſſus mors animæ; anima emiſſa mors corporis. Mors corporis neceſſaria, mors animę voluntaria.* Veniale verò non ſeparat animam à Deo, quia non tollit gratiam, & charitatem, qua Deo coniungimur. Hanc differentiam tradit *Fund. Doct. vbi ſ. art. 3. §. Quinto modo.* Hoc tamen ita debet intelligi, vt peccatum mortale ſuapte natura poſſit ſeparare animam à Deo, ſi ſit cum Deo coniuncta; non autem quòd actu ſemper ſeparet; nam ſecundum peccatum ſupponit animam iam ſeparatam per primum peccatum mortale.

16 Ad hanc differentiam reducitur alia, qua dicitur peccatum mortale tollere charitatem; veniale verò minuere eius feruorem. Item alia, quæ aſſerit peccatum mortale eſſe mortem animæ; veniale autem languorem.

17 Secunda eſt; quòd peccatum mortale meretur pœnam æternam; veniale verò pœnam temporalem. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 42. q. 1. art. 4. §. Tertia via.* Ratio ipſius eſt. Delectationi culpabili ſine fine debetur pœna ęterna; delectationi autem ſolùm ad tempus debetur pœna temporalis: ſed mortale importat delectationem ſine fine, veniale verò delectationem ad tempus: ergo illi debetur pœna æterna, huic temporalis. Ma. patet, quia pœna debet eſſe iuxta menſuram culpæ. Prob. mi. Mortale dicit formaliter deordinationem ab vltimo fine, qui eſt Deus, & conuerſionem ad creaturas, quæ ſunt media; veniale verò non dicit deordinationem ab vltimo fine, ſed à medijs; ſed finis *ex Phil. 1. Polit. c. 2.* eſt diligibilis in infinitum, media verò finitè, idèſt vſque ad conſecutionem finis; nam intendens ſanitatem intendit illam maiorem, & diuturniorem, quo poteſt, imò ſemper duraturam; intendens verò medicinam non intendit maiorem, & ſemper duraturam, hæc enim potiùs ſanitatem euerteret, ſed quouſque conſequatur ſanitatem; dilectioni autem reſpondet delectatio; ergo idē, quod ſupra. Hanc doctrinam tradit *S.P. ep. 49. ad Deograt. q. 4. Voluntas quippe ipſa punitur ſine animi ſupplicio, ſine corporis, vt qua delectatur in peccatis, ipſa plectatur in pœnis &c. In eadem igitur menſura, quamuis non æternorum malefactorū, æterna ſupplicia remetiuntur; vt quia æternam voluit habere peccati perfruitionem, æternam vindictā inueniat ſecuritatem.*

18 Ad hanc differentiam reducitur illa, qua mortale dicitur contra finem, veniale contra media, quia illud tollit ordinationem ad finem, hoc ordinationem ad media; & illa, qua dicitur mortale eſſe contra legem, veniale præter legem.

19 Dices nedum circa Deum, ſed etiam circa creaturas poteſt eſſe veniale, & mortale; ergo ruit allata doctrina. 2. Implicat dari peccatum, quod non ſit contra legem; ergo veniale non eſt præter legem.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Circa Deum poteſt eſſe peccatum etiam veniale cum deordinatione ſimpliciter ab ipſo, tanquam ab vltimo fine, neg; ſine deordinatione, conc; & ſic circa creaturas poteſt eſſe peccatum veniale cum deordinatione à Deo ſimpliciter, conc; ſine deordinatione, neg; tunc autem eſt peccatum non ratione ordinationis ad creaturam, ſed ratione deordinationis à Deo; vnde ſi detur ordinatio ad creaturam ſine deordinatione à Deo, non eſt peccatum mortale, ſed veniale; & hoc intelligitur in præſenti. Ad 2. diſt. ant. Implicat eſſe peccatum, quod non ſit aliqua lege prohibitum, vel per ſe, & principaliter, vt eſt peccatum mortale; vel ratione alterius, & ex conſequenti, vt eſt peccatum veniale, conc; tantùm per ſe, & principaliter, neg. Lex ergo per ſe, & principaliter prohibet tātùm mortale, ex conſequenti verò veniale, vt diſponit ad mortale.

20 Sic intelligendæ ſunt aliæ differentiæ, quæ traduntur à *DD*; vt quòd mortale eſt opus moraliter malum intenſiuè, veniale verò remiſſiuè; illud ſe habet, vt forma; hoc, vt diſpoſitio; illud, vt defectus læthalis; hoc, vt torpor, languor.

21 Aliam differentiam tradunt *Scot. in 2. diſt. 25. q. 1. §. Dico; Rubion q. 1. art. 1. Gabr. diſt. 22. q. 1. art. 3. dub. 1*; quòd mortale eſt contra præceptum, veniale contra conſilium. Refertur etiam *Argent. in 2. diſt. 21. q. 1. art. 1. ad 1*; ſed falsò; ibi enim manifeſtè illam reijcit.

22 Reijcitur autem communiter; quia quod eſt contra conſilium præcisè, & non contra præceptum, non eſt peccatum; nam 1. *Cor. 7.* traditur conſilium de ſeruanda virginitate ſine præcepto: *De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do*; & tamen qui fecit contra hoc con-

conſilium,non peccat dicente *eodem Apoſt. Si autem acceperis uxorem, non peccaſti; & ſi nupſerit virgo, non peccauit.* Et quamuis ſubdat: *Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi; ego autem vobis parco*, verbum autem *parco* refertur ad peccatum; attamen dicimus, quòd verbum *parco* refertur non ad actum matrimonij præcisè, quatenus eſt ex intentione generandæ prolis; ſic enim non eſt peccatum; ſed quatenus eſt ex libidine, ſic nanque eſt peccatum veniale: vt inferiùs explicat *idem Apoſt.* Tum quia vel conſilium obligat ad pœnam, vel non? Si primum: ergo nō purum conſilium, ſed eſt conſilium ſimul cum præcepto; quia præceptum importat formaliter obligarionem ad pœnam. Si ſecundum; ergo illius transgreſſio non eſt peccatum; quia peccatum formaliter importat reatum ad pœnam. Tū quia opera conſilij ſunt opera ſupererogationis; ergo omiſſio illorum non eſt peccatum; nam peccatum eſt defectus à debito; opera autem ſupererogationis non ſunt ex debito, quia ſunt ſupra debitum; aliter ſi eſſent ex debito, non eſſent ſupererogationis. Hanc doctrinam tradit *Beatiſs.P. ſerm.61.de tem.* dicens: *Aliud eſt conſilium, aliud præceptum. Conſilium datur, vt virginitas conſeruetur; vt à vino, & carnibus abſtineatur; vt vendantur omnia, & pauperibus erogentur. Præceptum verò datur, vt iuſtitia cuſtodiatur; vt omnis homo diuertat à malo, & faciat bonum. Denique de virginitate dicitur: Qui poteſt capere, capiat. De iuſtitia verò non dicitur: Qui poteſt facere, faciat; ſed omnis arbor, quę non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Conſilium qui libenter audierit, & fecerit, maiorem habebit gloriam. Præceptum qui non impleuerit, niſi pœnitentia ſubuenerit, euadere pœnam non poterit.*

23 Dices. Non licet vouere contra conſilium; quia ſic vouens poneret obſtaculum motioni Spiritus S; ergo operari contra conſilium eſt peccatum.

Reſp. non licere, quia votum ſemper eſt de meliori bono; vnde votum contra conſilium non tenet, quia deficit materia voti; ſicut autem non licet iritum facere votum; ita non licet vouere contra conſilium.

24 Alia autem differentia, quam tradit *Gibb. hic n.11.*, ſcilicet quòd mortale conſtituit vltimum finem in creatura, veniale autem non, ſed refertur in Deum; reijcitur ex dictis *to.3.de vlt. fine art.3.n.8; & ſeq;* peccatum enim veniale, vt defectus formaliter, non reducitur in Deum, tanquam in finem, quia non reducitur in ipſum tanquam in cauſam, cùm Deus non ſit cauſa peccati, vt peccatum eſt. Ideo hæc differentia omittitur.

25 Quamuis autem iſtæ differentiæ diſtinguant peccata venialia, & mortalia; attamen illas agnoſcere difficillimum eſt; quapropter *Beatiſs.P. in Enchir.c.78.* ait: *Quæ ſint autem leuia, & quæ grauia peccata, non humano, ſed Diuino ſunt penſanda iudicio.* Regula autem, quæ traditur ad illa dignoſcenda *à Fund. Doct.* eſt grauitas, vel leuitas materiæ, defectus, vel perfectio deliberationis attentis tamen circunſtantijs loci, temporis, perſonarum, damni &c; nam licèt furari duos nummos diuiti rationem arerię non ſit peccatum mortale; attamen illos furari pauperi habenti extremam neceſſitatem, eſt mortale; ſic negarè eleemoſinam pauperi non habenti extremam neceſſitatem eſt veniale; habenti tamen neceſſitatem, vt fame pereunti, eſt mortale. Sic exiſtenti inter ſomnum, & vigiliam cogitatio carnalis ex defectu perfecti vſus rationis non deputatur ad peccatum mortale, ſed ad veniale; niſi tamen præcedenter occaſionem ei dederit intemperanter edendo, & bibendo; vel deliberatè cogitando de eodem obiecto venereo; habenti autem expeditam rationem talis cogitatio firma, & determinata eſt peccatum mortale. Ita de reliquis.

§. I.

Soluuntur aliquot quæſita.

26 Quæres 1; an diuiſio peccati in veniale, & mortale ſit vniuoca, vel analogica?

Reſp. eſſe analogicam. Ita *Fund. Doct in 2. diſt.42. q.1. art.3. ad 1; & dub. 5. lit;* quem ſequuntur *noſter Gibb.hic diſp.6.dub 3;* apud quem *Sua; Vaſq; Granad; Lorc; Cur; Monteſin; Outed; Gonet.& alij.* Eſt tamen *cont.Maior; Val.& Azor. to.1.lib.4.c.8.q.4.* Ratio eſt. Illa, quæ dicuntur ſimpliciter, & ſecundùm quid, analogicè dicuntur; ſed peccatum mortale eſt peccatum ſimpliciter; & veniale eſt peccatum ſecundùm quid; ergo analogicè dicuntur; & ideo diuiſio peccati in veniale, & mortale eſt analogi in analogata. Mi. patet de ſubſtantia, & accidente; de Deo & creaturis reſpectu entis. Prob.mi. Peccatum ſimpliciter eſt priuatio gratiæ ſimpliciter; & peccatum ſecundùm quid eſt diminutio tantùm ipſins gratiæ; ſed peccatum veniale minuit tantùm gratiam, non autem priuat; ergo eſt peccatum ſecundùm quid. Tum quia peccatum ſimpliciter eſt peccatum completum; peccatum verò ſecundùm quid eſt peccatum incompletum, vt patet de ente ſimpliciter, & ſecundùm quid; ſed peccatum veniale eſt incompletum; ergo eſt peccatum ſecundùm quid.

27 Conf. Sanitas analogicè dicitur de animali, de pulſu &c; ergo & morbus eodem modo dicitur, ſed peccatum eſt morbus animæ; ergo analogicè dicitur de veniali, & mortali. Sicut enim mors corporis, & languor diſponens ad mortem analogicè dicuntur; ita peccatum mortale, quod eſt mors animæ, & veniale, quod eſt diſpoſitio ad mortale, dicuntur analogicè.

28 Dices. Peccatum abſolutè dicitur de veniali, & mortali; vt 1.Io.1. *Si dixerimus, quoniam*

niam peccata non habemus ipſi nos ſeducimus; ergo vniuocè dicitur de vtroque; nam analoga dicuntur ſolùm per ordinem ad principale analogatum.

Reſp. neg. conſ. Ad prob. inſert. dicitur, quòd accidens abſolutè dicitur ens, quamuis ſit analogum ad ſubſtantiam, quæ eſt principale analogatum.

29 Quæres 2; an peccatum veniale fieri poſſit mortale, & è contra?

Reſp; quòd licèt entitas phyſica ſubſtrata deformitati veniali poſſit ſubſterni deformitati mortali; & ſic tranſire de peccato veniali ad mortale; attamē ipſa deformitas venialis nequit fieri mortalis formaliter; quia rationes eſſentiales rerum ſunt inuariabiles. Hanc rem ſatis diſcuſſimus *to. 3. de Act. hum. q. 5. art. 5.*

30 Pluribus autem modis peccatum veniale poteſt fieri mortale. 1. ex nimia complacentia; poteſt enim quis tantùm complacere v. g. de mendacio, vt illud non omitteret, etiamſi Deus illud prohiberet ſub peccato mortali; ſic autem peccaret mortaliter. 2. peccatum veniale, quantumuis leuiſſimum, coniunctum cum contemptu Dei eſt peccatum mortale; quia tunc eſt in materia graui, quia eſt contra virtutem religionis. 3. Peccatum contemptus legis Diuinæ eo, quia iudicatur vana, & inutilis eſt grauiſſimum peccatum blaſphæmiæ; quia tribuitur Deo vanitas in præcipiendo. 4 Peccatum ex contemptu poteſtatis, quam habet ſuperior, licèt ſit de re leui, eſt mortale, non ratione materiæ, ſed contemptus poteſtatis Diuinæ collatæ homini, qui le habet, vt Dei Vicarius; *hinc Luc. 10. Qui vos ſpernit, me ſpernit.* 5. Veniale fit mortale ratione conſcientiæ erroneæ; vt cùm quis putat veniale eſſe mortale, & tamen illud committit. 6. Veniale fit mortale ratione periculi præuiſi cadendi in mortale; nam *qui amat periculum peribit in illo*. 7. Defectu plenæ aduertentiæ, vt diximus de ſemidormiente. Hæc autem ita intelligenda ſunt, non quidem, vt deformitas venialis fiat mortalis, ſed vt entitas phyſica ſubſtrata deformitati veniali ſubſternatur mortali; ſicut paries licèt poſſit coniungi cum hoc, vel illo colore, attamen hic color nequit fieri formaliter alter color; ita à pari. *Vid. Fund. Doct. in 2. diſt. 4. p. 2 art. 5.*

31 Quæres 3, an idem numero actus poſſit habere ſimul malitiam venialem, & mortalem?

Reſp. affirmatiuè reſpectu diuerſorum; vt reſpectu obiecti poteſt eſſe venialis, & reſpectu finis mortalis; v. g. cùm quis profert mendacium ad inducendam vxorem alterius in adulterium. *Vid. to 3. vbi ſ. art. 4. §. 1. n. 10; & ſeq.*

32 Quæres 4; an ex pluribus peccatis venialibus poſſit fieri vnum mortale?

Reſp. negatiuè, *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 24. dub. 1. lit.*

33 Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. ſerm. 41. de Sanctis*; vbi poſtquam dixit: *Et quamuis, quod peius eſt, non ſolùm maiora, ſed etiam minuta, ſi plura ſint, mergant*; enumeratis deinde peccatis mortalibus, & venialibus ſubijcit: *Quibus peccatis licèt occidi animam non credamus, ita tamen ea, veluti quibuſdam puſtulis, & quaſi horrenda ſcabie replentes deformem faciunt; vt eam ad amplexus illius Sponſi cæleſtis aut vix, aut cum grandi confuſione venire permittant; de quo ſcriptum eſt: Aptauit ſibi Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam. Et ideo continuis orationibus & frequentibus ieiunijs, & largioribus eleemoſinis, & præcipuè per indulgētiam eorum qui in nos peccant, aſſiduè redimantur, ne fortè ſimul collecta cumulum faciant, & demergant animam. Quidquid enim de iſtis peccatis à nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum eſt, de quo dicit Apoſtolus: Quia in igne reuelabitur.* Ex his patet, quòd quando ait *Beatiſſ. P.* peccata venialia plura ſimul collecta demergere animam, non eſt intelligendus ita, vt ſentiat plura peccata venialia facere vnum mortale; ait enim plura ſimul non occidere, & purgari igne Purgatorij; at hoc peccato mortali conuenire non poteſt, quod occidit animam; & non purgatur ab igne purgatorio, ſed ab igne inferni. Intelligitur ergo, quòd plura peccata demergunt animam in Purgatorium, de quo agit *in illo ſermone*, igne purgandam, quouſque ſatisfiat Iuſtitiæ Diuinæ.

34 Dices. *Beatiſs. P. ep. 108. ad Seleucianam* prope finem ait: *Quæ ſi collecta cōtra nos fuerint, ita nos grauabunt, & opprimens, ſicut vnum aliquod grande peccatum.* Hoc repetit etiam *tract. 12. in Io.* prope finem; ergo videtur ſentire plura venialia facere vnum mortale.

Reſp; quòd grauare ſtat dupliciter. 1. formaliter ita, vt plura venialia habeant eandem grauitātem, quam habet vnum peccatum mortale. 2. inclinatiuè ita, vt plura venialia habeant æqualem vim inclinandi in peccatum mortale, quam habet vnum peccatum mortale; certum enim eſt vnum peccatum inclinare, & trahere in aliud. *Beatiſſ. P.* locutus eſt in ſecundo ſenſu, non in primo; ſubijcit enim: *Quid enim intereſt ad naufragium, vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur, & obruatur; an paulatim ſubrepens aqua in ſentinam, & per negligentiam derelicta, atque contempta impleat nauim, atque ſubmergat.* Patet autem, quòd aqua ſentinam ingreſſa non eſt naufragiū formaliter, ſed ad naufragium trahit, quia nauim ad profundum inclinat, vbi naufragium ſubitur; ita plurium venialium aceruus nō eſt peccatum mortale formaliter, ſed inclinatiuè, quia ad illud inclinat, & trahit. Et hoc conformiter ad illud *Eccli. 19. Qui ſpernit modica, paulatim decidet.*

35 Prob. 2. *ex Scripturis, & Concilijs ſuperiùs allatis n. 8, 9; & 10*; vbi dicitur in hominibus iuſtis eſſe plura peccata venialia, qui tamen iuſti, & ſancti ſunt; ergo plura venialia non faciūt vnum mortale; aliter homines habentes plura ve-

venialia non eſſent ſancti,& iuſti; quia haberent peccatum mortale, quod tollit ſanctitatem, & iuſtitiam.

36 Prob. 3. *ex Fund. Doct. vbiſ.* Implicat, quòd plura vnius generis conſtituant formaliter vnum alterius generis; vt v.g. plura accidétia conſtituant vnam ſubſtantiam, plures qualitates vnam quantitatem; ſed peccata venialia ſunt diuerſi generis à peccato mortali; nam vt *ſup.* dictum eſt, peccatum veniale, & mortale dicuntur analogicè, & ideo non ſunt eiuſdem generis, quia genus eſſentialiter importat vniuocationem: ergo idem.

37 Conf. Quotieſcunque ſingula vnius generis ſingulatim ſumpta nequeunt præſtare aliquem effectum non adæquatè, nec inadæquatè; tunc nec ſimul ſumpta illum poſſunt efficere; vt quia ſingulæ qualitates ſenſibiles ſingillatim ſumptæ nequeunt priuare ſpiritum vita naturali; ideo nec omnes ſimul ſumptæ id poſſunt præſtare; ſed ſingula peccata venialia nequeunt priuare animam gratia, & charitate, quæ eſt vita ſupernaturalis illius; ergo neque omnia peccata venialia ſimul ſumpta poſſunt priuare animam gratia, & charitate; & ideo nequeunt efficere vnum peccatum mortale, quo anima priuatur gratia, & charitate.

38 Præterea quia morbus leuis corporeus non infert mortem corporis, ideo nec plures morbi leues ſimul ſumpti illam inferunt, quanuis diſponant ad morbum læthalem;ergo à pari de morbis leuibus animæ.

39 Item plura venialia nequeunt mereri pœnam æternam,damni, & ſenſus; quia plura delicta, quæ merentur pœnam exilij,ſingillatim ſumpta, ſi ſumantur ſimul, non merētur pœnam mortis. Tandem ſequeretur, quòd confeſſio plurium peccatuum venialium eſſet de neceſſitate ſalutis, quod eſt *cont. Trident. ſeſſ.*14. *c.*5; *& praxim Eccleſiæ.*

40 *Noſter Gibb.* ſic probat vlteriùs. Si plura venialia efficerent vnum mortale, haberent vim partialem inadæquatam expellendi gratiam; vnde ſimul ſumpta adæquatè illam expellerent; ſed hoc eſt abſurdum; quia poſſet dari caſus, quòd gratia eſſet in gradu adeo remiſſo,vt ſufficeret vnum peccatum veniale ad illam expellendam; & ſic illud peccatum non eſſet veniale, ſed mortale, quia priuaret animam gratia, quæ eſt vita ſupernaturalis illius, eique mortem vitæ ſupernaturali oppoſitam inferret.

Sed hæc ratio nulla eſt; nam certum eſt peccatum veniale remittere charitatem; quapropter peccatum vocatur etiam *tepor charitatis*,ſeu opus factum cum tepore; & tamen quanuis tollat gradum charitatis; non ſequitur, quòd poſſit prorſus extinguere charitatem.

41 Dices 1. Diſpoſitio poteſt fieri habitus; vt diximus *de Habitib. art.*2; ſed peccatum veniale eſt diſpoſitio ad mortale; ergo poteſt tantùm radicari per repetitionem,vt fiant mortale.

Reſp. diſt.mi. Peccatum veniale eſt diſpoſitio ad mortale, tanquam ad habitum,neg; tanquam ad formam diuerſam, conc. Ia tantùm ergo diſpoſitio poteſt fieri habitus; in quantùm diſpoſitio, & habitus ſunt vna, & eadem qualitas habens rationem mobilis, & immobilis à ſubiecto; vt diximus *ubiſ*; & ſic veniale, quod eſt per modum diſpoſitionis, poteſt fieri veniale per modum habitus; non tamen veniale per modum habitus eſt mortale;neque in hoc ſenſu veniale eſt diſpoſitio ad mortale,ſed tantùm eſt diſpoſitio diuerſi generis, vt accidens eſt diſpoſitio ad ſubſtantiam;vnde ſicut accidens nunquam poteſt fieri ſubſtantia; ita à pari.

42 Dices 2. Voluntas committendi omnia venialia, quæ ſe offerunt, eſt peccatum mortale, ergo plura venialia faciunt vnum mortale. Prob. ant. 1. *ex Scripturis,vt Eccli.*19. *Qui ſpernit modica,paulatim decidet.* 2. Plura venialia ita diſponunt ad peccatum mortale, vt illud infallibiliter inferant; ſed exponens ſe periculo infallibiliter peccandi peccat mortaliter; ergo voluntas committendi omnia venialia, quæ ſe offerunt, eſt peccatum mortale. 3. Voluntas committendi omnia venialia, quæ ſe offerunt, non eſt ſine contemptu legis Diuinæ; ſed contemptus eſt peccatum mortale; ergo idem. 4. Religioſus tenetur ſub mortali tendere ad maiorem perfectionem; ſed volens committere omnia venialia prohibita à Conſtitutionibus Ordinis ſub veniali non tendit ad maiorem perfectionem; ergo peccat mortaliter.

Reſp; quòd ſi voluntas committendi omnia venialia ſit cum contemptu legis tunc illa voluntas eſt peccatum mortale; ſi autem attendatur ſolùm ad delectabilitatem venialium, eſt peccatum veniale. *Ita Gibb. hìc dub.* 5. *n.* 10; *Caiet; Syluestr; Granad;Sal; & Oued.hìc controu.* 3.*punct.*6.*n.*81. Quia poſſumus committere omnia venialia abſque peccato mortali, cùm omnia peccata venialia ſimul non faciant vnum peccatū mortale; ergo poſſumus velle cōmittere omnia venialia abſque peccato mortali. Ant. patet ex dictis. Prob. conſ. Maius malum eſt externè committere omnia peccata venialia,quàm internè ſolùm illa velle committere; quia opus externum continet totam malitiam operis interni eique ſuperaddit malitiam accidentalem; vt diximus *to.*3. *de Art.hum.q.*5.*art.*2.§.3; ſed ſi actu committerentur omnia peccata venialia, non committeretur peccatum mortale; ergo multò minùs,ſi vellet tantùm internè. 2. Actus voluntaris ſumit malitiam ab obiecto ſpecificatiuo illius; ſed obiectum illius propoſiti eſt malitia omnium venialium, quæ non eſt mortalis, vt patet; ergo illud propoſitum non eſſet mortaliter malum.

43 Ad 1. prob. dicitur *Scripturam, & PP.* aſſerere ſpernentes, idèſt contemnentes legem.

Ad 2.dicitur diſponere remotè, non proximè, & ideo non eſſe periculum proximum, cui ſolùm ſe exponens peccat. Ad 3. dicitur poſſe attendere ad ſolam delectationem venialium, non ad contemptum legis. Ad vlt. dicitur religioſum ſatisfacere obſeruando ea, quæ præcipiuntur in regula ſub mortali, & quæ præcipiuntur de nouo à Superiore. Ad ea verò, quæ non iubentur ſub mortali, non teneri, niſi ex frequenti tranſgreſſione oriretur ſcandalum, aut damnum Religionis, ratione cuius eſſet peccatum mortale.

44 Dices 3. Qui plura furta leuia committit, quæ ſimul ſumpta efficiunt materiam grauē, peccat mortaliter; ergo multa venialia faciunt vnum mortale.

Reſp. diſt. ant. Peccat mortaliter ratione materiæ, quæ poteſt continuari, conc; ratione aggregationis ipſorum peccatorum venialium, neg.

45 Sed petes, quomodo materia furti continuctur?

Reſp. tunc continuari materiam, quando certa quantitas illius taxata eſt, ut ſit materia peccati mortalis; v.g. ſuppoſito, quòd materia furti mortalis ſit unus *Iulius*; ſi quis decem vicibus furetur decimam partem, decima vice ſit materia grauis; & ideo decimum furtum ratione materiæ iam auctæ ad taxatam quantitatem eſt peccatum mortale. Sic etiam plures comeſtiones leues in eadem die ieiunij, quia continuantur in refectione corporis, & ratione talis continuationis efficiuntur materia peccati mortalis ita, vt comeſtio, quæ peruenit ad materiam grauem, ſit mortaliter mala.

46 Si quis tamen plura furta leuia committeret intentione continuādi vſque ad materiam grauem, peccaret mortaliter; imò ſemper multiplicaret peccatum mortale repetendo furtum leue; quoties replicaret illam intentionem; illa enim intentio tenderet circa materiam grauem; & ideo ſemper eſſet peccatum.

47 Item peccaret mortaliter, qui à diuerſis perſonis ſurriperet materiam, quæ licèt eſſet leuis reſpectu cuiuslibet illarum perſonarum in particulari; attamen collectiuè tota ſimul eſſet grauis; quia illæ perſonæ particulares eſſent ſubiecta partialia, quæ integrarent vnum totale. Hinc qui doloſis menſuris, & ponderibus vendunt merces pluribus perſonis, quamuis leuiter vnamquamque ſingillatim decipiant, peccant tamen mortaliter iuxta illud *Prou.* 11. *Statera doloſa abominatio eſt apud Deum*. *Ita communiter DD.*

48 Inſuper plura furta committēs ſine intentione continuandi peccat mortaliter, niſi ignorantia inuincibilis, ob quam nequeat cognoſcere materiam factam fuiſſe grauem, eum excuſet; quia fit contra iuſtitiam in re graui.

49 Ex hoc reijciuntur *Nauarr. in Summ. c.* 17. *n.* 139; *Tolet. lib.* 5. *c.* 16; *Leſſ. lib.* 2. *de Iuſt. c.* 17. *dub.* 18; *Amic; Ouied; & alij* docentes in hoc caſu non peccare mortaliter furantes, peccare tamen retinentes; & ideo teneri ſolùm ad reſtitutionem ſub mortali; & hoc dicunt etiam cum exceptione, nimirum ſi magnum temporis interuallum, v.g. vnius anni non intercelſerit inter illa parua furta; tunc enim illa parua furta non continuantur, quia magno temporis interuallo interpolantur, nec magnum inferunt damnum. Reijciuntur (inquam.) Agere contra iuſtitiam in re graui eſt grauiter peccare, vt dictum eſt; ſed committens vltimum furtum, quo completur materia grauis, operatur contra iuſtitiam in re graui, quia tollit, quod alienum eſt; & quod tollit, non eſt leue, ſed graue; ſupponitur enim per vltimum furtum compleri materiam in eſſe grauitatis; ergo grauiter peccat. 2. Retinere eſt continuatum furari; ſed retinere illam rem eſt peccatum mortale; ergo & illam furari. 3. Quòd interuallum vnius anni, vel menſis ſufficiat ad interpolandum moraliter vnum furtum ab alio, omnino gratis dicitur; non enim habet fundamentum *in Scriptura*, aut in *regulis Iuris*; ergo eſt reijciendum. 4. Quòd magnum non inferant damnum, non eſt ſufficiens ad excuſandum à peccato; nam quale damnum infert furtū vnius nummi aurei factum habenti centum milliones nummorum aureorum; illo enim ablato non efficitur pauper, nec poſito efficitur diues; quòd ſi ſurreptio vnius nummi aurei infert damnum homini tam diuiti; multò magis inferet damnum ſurreptio nummi aurei minùs diuiti, etiamſi pluribus vicibus fiat; nam quòd fiat ſimul, vel ſucceſſiuè; attamen eadem quantitate priuatur; ergo ratione ſolius grauitatis materiæ eſt peccatum mortale. 5. Peccatum adulterij, v.g. ſemel commiſſum, quamuis interpoletur per alios actus; attamen dicitur moraliter durare ad quoduis tempus, niſi retractetur; ergo paruum furtum, quamuis interpoletur per quoduis tempus, dicitur moraliter durare, vſquedum fiat ſatisfactio rei ablatæ. 6. Adhoc, vt illa furta moraliter continuentur, ſufficit, quòd vniantur in perſona, & in memoria furantis; ergo etiam dato quocunque tempore fiunt materia grauis. Prob. ant. Intentio actualis plurium furtorum leuium ſufficit ad continuandam materiam vſque ad grauitatem; ſed illa intentio durat in memoria, & ſe offert intellectui, fitq; actualis, quoties furari contigerit; ergo ſufficit memoria ad moralem continuationem illius; & ideo ſola ignorantia inuincibilis poſſet à peccato excuſare.

50 Reijcitur 2. *Rubellus apud Gibb*; qui cēſet furta leuia continuari, quando fiunt animo diteſcendi, contra enim eſt; nam ſi quis furetur animo latiùs viuendi, quàm exigat eius ſtatus; & diſſipet nedum rem propriam, ſed etiam alienā; adhuc continuatur materia furti; ergo ſola intētio furandi durans in memoria, & ſe actualiter

præ-

præſentans intellectui, & trahens conſenſum voluntatis ſufficit ad materiæ continuationem.

51 Sequitur 1. ex dictis; quòd cùm plures per furta leuia intulerunt damnum notabile alicui; ſi de communi conſilio hoc fecerunt, vnuſquiſque illorum peccauit mortaliter,& tenentur ad reſtitutionem in ſolidum; quia vnuſquiſque fuit cauſa nedum ſui furti, ſed etiam ſociorum; nam in illorum furta conſenſit. Si tamen vnus ignoret inuincibiliter furtum alterius, non peccat mortaliter, & tenetur ſolùm ſub veniali ad reſtitutionem materiæ leuis ab ipſo ſurreptæ.

52 Sequitur 2; quòd quis poſtquam peruenit furando ad materiam grauem, quoties furatur materiam leuem ſupra illam grauem, toties peccat mortaliter; quia toties approbat furta præterita, quibus addit nouum furtum, & facit materiam grauiorem. *Ita Gibb.*

§. 2.

An Adam potuerit priùs peccare venialiter?

53 HAEc difficultas communiter agitatur *de Adamo*, & de Angelis conſideratis in ſtatu innocentiæ cum hoc ſolùm diſcrimine, quòd in Angelis non potuit eſſe peccatum veniale proueniens ex ſenſualitate, qua Angeli, vt potè ſubſtantiæ incorporeæ, carent. De peccatis ergo venialibus, quæ habent eſſe, & oriuntur à ratione, eadem eſt difficultas *de Adamo*, & de Angelis.

54 Prima ſententia vult *Adam* potuiſſe in ſtatu innocentiæ peccare priùs venialiter, quàm mortaliter. Sed diuiſa eſt; nam *aliqui* volunt Adã potuiſſe committere quodlibet peccatum veniale ſiue ex genere, & obiecto, vt mendacium leue; ſiue ex paruitate materiæ; vt intemperantia leuis, ſiue ex imperfecta deliberatione; vt motus ſecundò primus. Tribuitur *Scot. in 2. diſt. 21. q. 1; Gabr; Maior; Altiſiodor. apud Gonet; & Sua. de Angelis lib. 3. c. 8; Val. hic q. 19. punct. 10; Vaſq; 1. 2. q. 89. art. 4; Granad. tract. 13. dub. 1. apud Gibb; & Zum.* probabilem iudicat. *Alij* verò aiunt *Adam* potuiſſe committere peccatum veniale ex genere, & ex paruitate materiæ, non autem ex deliberatione imperfecta. *Ita Almain. tract. 3. mor. c. 21; & 22; Dualius hic q. 5. art. 5. apud Gonet.*

55 Secunda docet Angelos non potuiſſe peccare priùs venialiter, quàm mortaliter. Sed hæc quoque diuiſa eſt; nam *aliqui* volunt talem impeccabilitatem *Adæ* non proueniſſe ex dono iuſtitiæ originalis præcisè, ſed ex ſpeciali prouidentia, & protectione, qua à Deo impediebatur, ne peccaret; quæ prouidentia, & protectio erat debita ſtatui innocentiæ. *Ita Sua. de peccat. tract. 2. ſect. 7; Vaſq. hic diſp. 148. c. 3. n. 7; Cur. hic q. 79. art. 3. dub. 1; Canus apud Gonet.* His accedit *Gibb. de Ang. diſp. 26. dub. 2. Alij* tandem docent talem impeccabilitatem deriuaſſe ex ipſo dono iuſtitię originalis perfectè ſubijcientis Deo rationem ſuperiorem, & rationi ſuperiori rationem inferiorem, & rationi inferiori appetitum ſenſitiuũ. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 21. q. 2. art. 3;* cuius rationes affert, & ſequitur *Argens. ibid. q. 1. art. 1. noſter Bernardin. apud Gibb; & omnes alij ex noſtris communiter.* Hinc ſententiam ſequuntur communiter *Thomiſtæ*, vt teſtatur *Gonet de pecc. diſp. 9. art. 5.* Accedunt *Mol; & Azor. apud Gibb.*

56 Vnica concl. *Adam* in ſtatu innocentiæ ratione iuſtitiæ originalis non potuit peccare venialiter priùs, quàm mortaliter.

Prob. 1. *ex Beatiſs. P. lib. de Corr; & Grat. c. 10;* vbi loquens *de Adam* in ſtatu innocentiæ ait; *Quia in eo bono, quo ſine vitio fuit, non perſeuerauerit; cœpit enim habere vitium, ex quo cecidit; & ſi cœpit, antequam cœpiſſet, vtique ſine vitio fuit.* Et paulò *inferiùs* poſtquam dixit beatitudini Angelorum, in qua creati fuerant, ſucceſſuram fuiſſe æternam beatitudinem, quæ fuiſſet præmium perſeuerantiæ in illa beatitudine, in qua creati fuerunt, ait: *Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant; ſed quia neſciebant ſuam futuram miſeriam, minore quidem, ſed tamen beatitudine ſine vllo vitio fruebantur &c. Sic & hominem fecit cum libero arbitrio, & quanuis ſui futuri caſus ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori, & miſerum fieri in ſua poteſtate eſſe ſentiebat. In quo ſtatu recto ac ſine vitio &c;* & rationem reddit. *Nam neque ipſe poſſet etiam in paradiſo beatus eſſe; imò ib. non eſſes, vbi eſſe miſerum non deceres.* Item habet *lib. 14. de Ciu. Dei c. 10;* vbi docet miſeriam cuiuſcunque peccati incompoſſibilem fuiſſe cum illa felicitate; *& c. 26. Nullus intrinſecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinſecus. Summa in carne ſanitas, in anima tota tranquillitas. Sicut in paradiſo nullus æſtus, aut frigus; ſic in eius habitatore nulla ex cupiditate, vel timore accedebat bonę voluntatis offenſio. Nihil omnino triſte, nihil erat inaniter latum.* Quibus verbis clarè demonſtratur peccatum etiam veniale deſcriptũ illis verbis *inaniter latum* (inanis enim lætitia peccatum veniale eſt) pugnare cum illa felicitate innocentiæ originalis. *Et in Suppl. cont. Iul. lib. 1. c. 70.* loquens de ſtatu innocentiæ ait; *An voluntas ſtimulabat animum, & propellebat in concubitus, vel quoſque damnabiles, vel cum coniuge veniales? Si enim talis erat, qualis nunc eſt; hoc ſine dubitatione faciebat, ſiue illi reſiſteretur per temperantiam, ſiue per intemperantiam cederetur. Ac ſic homo libidini, aut peccando ſeruire cogeretur, aut bello intimo repugnare; quorum alterum honeſtati, alterum paci felicitatis illius, ſi humanum ſenſum habetis, non conuenire ſentitis. Remanet igitur, vt ſi libido ibi eſſet, ita eſſet ſubdita voluntati, vt rectam, quietamque mentem, nec ad delictum traheret, nec ad prælium prouocaret; & ſpiritum obedientem Deo, ac fruentem Deo nec peccare, nec pugnare compelleret.* Hoc

ſæpe

ſæpe repetit *contra Iul*; qui admittendo hos motus veniales in ſtatu innocentiæ turbabat felicitatem, & pacem illius beatitudinis. Quamuis autem *hic* ſermo ſit ſolùm de venialibus prouenientibus ab appetitu ſenſitiuo; attamen hac doctrina generaliter omnia venialia reprobantur; non enim ſolùm pugnare debemus contra venialia prouenientia ex appetitu ſenſitiuo, ſed etiam contra ea, quæ oriuntur ab ipſo appetitu rationali, imò fortiùs, quia difficilius eſt voluntatem vincere ſe ipſam, quàm alia à ſe; & ideo ſi pugna contra venialia orta ex appetitu ſenſitiuo non poterat ſtare cum rectitudine, quiete, tranquillitate, pace, & beatitudine mentis in illo ſtatu feliciſſimo experte omnis miſeriæ, quæ eſt incompoſſibilis cum beatitudine; multò magis hoc dicendum eſt de pugna contra venialia orta ex ipſa voluntate, vel ratione.

57 Arguitur autem 1. Miſeria ſiue ſimpliciter, ſiue ſecundùm quid nequit ſtare ſimul cum beatitudine; ſed peccatum mortale eſt miſeria ſimpliciter, & veniale eſt miſeria ſecundùm quid: ergo peccatum mortale, aut veniale nequit ſtare ſimul cum beatitudine perfecta; atqui *Adam* in ſtatu innocentiæ fruebatur beatitudine, quæ poteſt competere viatori; ergo *Adam* in ſtatu innocentiæ non potuit habere peccatum mortale, aut veniale; & per conſequens non potuit peccare venialiter; quia cùm peccatum veniale non expellat gratiam, ſicut eam expellit peccatum mortale; ideo veniale ſtetiſſet ſimul cum iuſtitia originali, quoniam illam non expuliſſet; & non ſtetiſſet ſimul cum illa, quia eſt incompoſſibile cum illa. Ma. patet; quia miſeria ſimpliciter eſt infelicitas ſimpliciter; & miſeria ſecundùm quid eſt infelicitas ſecundùm quid; beatitudo autem eſt felicitas ſimpliciter, quæ excludit omnem infelicitatem ſiue ſimpliciter, ſiue ſecundùm quid; nam ſi non excluderet infelicitatem ſecundùm quid, non eſſet beatitudo; quia illi deeſſet felicitas ſecundùm quid excludens infelicitatem ſecundùm quid; infelicitas autem, & felicitas opponuntur priuatiuè, vel poſitiuè; & ideo nequeunt ſtare ſimul. Mi. etiam conſtat; quia peccatum mortale eſt priuatio vitæ æternæ; & ſicut vita æterna eſt felicitas ſimpliciter; ita priuatio illius eſt infelicitas, & miſeria ſimpliciter; & ſicuti priuatio vitæ æternæ eſt miſeria, & infelicitas ſimpliciter; ita diſpoſitio ad priuationem vitæ æternæ eſt infelicitas, & miſeria ſecundùm quid; & ideo peccatum veniale, quod eſt diſpoſitio ad mortale, eſt miſeria, & infelicitas ſecundùm quid. Mi. ſubſumpta probata eſt *tom. 3. de Ang. q. 8. art. 1*; quia *Adam* fuit creatus cum rectitudine ſupernaturali ſine ulla culpa, & ideo ſine vlla pœna, quæ culpam præſupponit; ergo cum omni felicitate, quam potuit habere in illo ſtatu; & ideo in ſtatu innocentiæ fruebatur beatitudine, quæ poteſt haberi per gratiam in via à viatore innocente.

58 Vrget *Fund. Doct.* Ratione iuſtitiæ originalis habuit *Adam* donum immortalitatis ipſius corporis, qua poterat non mori abſtinendo à comeſtione fructus vetiti; ergo ratione iuſtitiæ originalis habuit immortalitatem animæ, qua poterat non peccare. Ant. probatum eſt *in ſup. q. 2. art. 3. §. 1. n. 47; & art. 4. §. 2. n. 30; & 31; & to. 3. q. 1. in Hexam. art. 12. n. 26; & ſeq*; tum quia ſi non habuiſſet immortalitatem corporis, non fuiſſet creatus felix, & beatus, cùm mors ſit omnium miſeriarum ſumma; tum quia mors eſt pœna peccati; & ideo in eo ſtatu, in quo nullum erat peccatum, non erat mors. Conſ. patet; quia iuſtitia originalis fuit adiutorium, *ſine quo* non poterat ſtare in ea bonitate, & felicitate, in qua conditus fuit; & ideo per quod poterat non peccare, & non mori ſpiritualiter. Atqui *Adam* ex eo, quòd ratione iuſtitiæ originalis habebat immortalitatem corporis, non potuit habere febres, & morbos corporeos diſponentes ad mortem corporis, aliter non habuiſſet felicitatem corporis; ergo ex eo, quòd habebat immortalitatem animæ, non potuit habere peccata venialia, quæ ſunt diſpoſitiones ad peccatum mortale, aliter non habuiſſet animæ felicitatem; & ideo non potuit peccare venialiter; niſi poſtquam peccauit mortaliter; quia per peccatum mortale amittendo iuſtitiam originalem ſubiectus fuit diſpoſitionibus ad peccatum mortale.

59 Arguitur 2. Iuſtitia originalis erat ratio formalis ſummæ pacis, & tranquillitatis internæ, & externæ, qua fruebatur *Adam* in illo feliciſſimo ſtatu; quia per iuſtitiam originalem ratio ſuperior obediebat Deo, ratio inferior rationi ſuperiori, appetitus ſenſitiuus rationi, potentiæ naturales, & membra appetitui; ſed ſi *Adam* peccaſſet venialiter, non habuiſſet hanc pacem internam, ſed bellum, & pugnam, qua debuiſſet pugnare contra inclinationem rationis, vel appetitus ad peccandum, debuiſſet enim tali inclinationi reſiſtere, eamque debellare, ne minueret ſuam felicitatem, & ad infelicitatem diſponeret; inſuper debuiſſet peccata venialia commiſſa deteſtari, & expellere, quod non fuiſſet ſine pugna, ſicut nunc experimur; ergo ratione iuſtitiæ originalis non potuit *Adam* venialiter peccare.

60 Conf. Quæcunque obſcœnitas etiam venialis pugnat cum honeſtate illius puriſſimi ſtatus innocentiæ; ergo *Adam* non potuit venialiter peccare peccato concupiſcentiæ vel orto ex ipſo appetitu, vel deſcendente à ratione; non enim peccatum carnis ſemper oritur à ſenſu, ſed etiam aliquando à praua ratione; nam ut docet *Fund. Doct. in 2. diſt. 24. q. 2. art. 3*; aliquando ex libera electione deſcendunt cogitationes carnales; ut patet in his, qui non ſentientes ſtimulum carnis in membris ſumunt cibos calidos ad excitandam venerem.

61 Prob. 2. *à Fund. Doct.* In tantùm vires infe-

inferiores poſſunt operari contra rationem; in quantùm ratio ſuperior inobediendo ſeparauit ſe à Deo; nam quouſque ratio ſuperior fuit Deo obediens, ratio inferior fuit obediens rationi ſuperiori, & appetitus ſenſitiuus rationi inferiori, & potentiæ naturales, ac membra appetitui ſenſitiuo; ſed inobedientia ſeparans rationem ſuperiorem à Deo fuit peccatum mortale; ergo peccatum veniale ſupponit peccatum mortale; nam certum eſt, quòd peccatum veniale poteſt committi vel per ſolam rationem inferiorem, per quam recedimus à Deo, & à ratione ſuperiori, per quam ſolùm tendimus in Deum; vel per appetitum ſenſitiuum, per quem recedimus à Deo, & à recta ratione, per quam tendimus in Deum; peccatum enim eſſentialiter eſt contra rectam rationem.

62 Conf. *ex Fund. Doct.* Dicere, quòd *Adam* potuit peccare venialiter in ſtatu innocentiæ prorumpendo v. g. in verba otioſa, eſt non bene diſtinguere naturam ſanam à natura infirma, & corrupta per peccatum; diſtinctionem tamen vtriuſque poſſumus colligere ex homine ſano, & ægro in ſtatu culpæ; ſicut enim videmus, quòd febricitans appetit aquam frigidam ex omnibus fontibus, quos frigidiores cognouit; & proponit, cùm ſanus factus fuerit, illos adire, eorumque bibere aquam; ſed recuperata ſanitate nec habet appetitum aquæ, nec ampliùs meminit fontium; ita quamuis in hoc ſtatu corrupto habeamus multa opera otioſa, & inutilia, quæ ſunt venialia; attamen ex hoc licèt potiùs arguere, quòd in ſtatu ſanitatis naturæ non fuerint, non è contra; ergo peccata venialia ſunt defectus proprij ſtatus peccati repugnantes ſtatui innocentiæ.

63 Prob. 3. *ab eod.* Iuſtitiæ originali, quæ eſt rectitudo, cum qua *Adam* à Deo factus eſt, iuxta *Eccl. Deus fecit hominem rectum*, repugnat omnis obliquitas; ergo repugnat peccatum veniale, quod eſt obliquitas ſecundùm quid. Ant. patet; nam rectitudo, & obliquitas opponuntur; & ideo nequeunt ſimul coniungi; manifeſtum etenim eſt rectitudinem tolli per quancunque obliquitatem.

64 Prob. 4. Si *Adam* potuiſſet peccare venialiter, daretur aliquod peccatum, quod non poſſet puniri pœna condigna neque in hac, neque in alia vita; ſed conſ. eſt falſum; quia cuilibet culpæ eſſentialiter debet correſpondere pœna illi debita inſligibilis ſaltem per Diuinam iuſtitiam; aliter Diuina iuſtitia non eſſet omnipotens; quia non poſſet applicari omni culpæ pœnam dignam; ergo & ant. falſum eſt. Prob. ma. Cum iuſtitia originali eſt incompoſſibilis omnis pœna; quia eſt incompoſſibilis quæcumque miſeria, aut infelicitas, ut dictum eſt; ſed iuſtitia originalis poſito ſolo peccato veniali remanſiſſet in hac, & in alia vita; nam tolli nequit, niſi per peccatum mortale; ergo idem.

65 Obijc. 1. In ſtatu innocentiæ potuit eſſe peccatum mortale; ergo multò magis veniale, quod eſt diſpoſitio ad mortale; vbi enim poteſt reperiri forma, ibi poteſt reperiri diſpoſitio ad illam formam; & ubi poteſt reperiri maius, ibi poteſt eſſe & minus. Tum quia quod poteſt maius, poteſt, & minus, ut qui poteſt portare centum poteſt portare decem; ergo ſi *Adam* poterat peccare mortaliter; quia non erat confirmatus in gratia, poterat etiam peccare venialiter. Tum quia magis repugnat rectitudini innocentiæ peccatum mortale, quàm veniale; ſed *Adam* potuit peccare mortaliter; ergo & venialiter.

Reſp. diſt. ant. In ſtatu innocentiæ potuit eſſe peccatum mortale retinendo illum ſtatum, neg; amittendo, conc. Ad aliud reſp. *Fundat. Doct. ad* 2. valere de virtutibus actiuis, non de paſſiuis, vt qui poteſt vincere reſiſtentiam maiorem, poteſt etiam vincere minorem; at verò, qui poteſt vinci à maiori, non ſequitur, quòd poſſit vinci à minori. Ad vlt. diſt. mi. eodem modo. *Adam* potuit peccare mortaliter amittendo iuſtitiam originalem, conc; retinendo, neg; ſicut enim rectitudo poteſt tolli, non tamen obliquari; quia implicat, quòd rectum ſit obliquum; non implicat autem, quòd rectum fiat obliquum amiſſa rectitudine; ita à pari.

66 Obijc. 2. Gratia, & charitas habita per Chriſtum Dominum perfectiùs coniungunt hominem Deo, quàm coniungebat iuſtitia originalis; ſed cum gratia poteſt ſtare peccatum veniale; ergo & cum iuſtitia originali. 2. *Adam* in ſtatu innocentiæ merebatur abſtinendo à venialibus; ergo liberè ab illis abſtinebat; quia libertas eſt conditio neceſſariò requiſita ad meritum; ergo poterat peccare venialiter; libertas enim eſt ad oppoſita: 3. *Adam* poterat mentiri iocosè cum iuramento, & ſic peccare mortaliter; ergo & ſine iuramento, & ſic peccare venialiter. 4. Poterat habere motum infidelitatis imperfectè indeliberatum; quia ille motus, quamuis non eſſet ab appetitu ſenſitiuo; poterat tamen eſſe à ratione; ſed talis motus fuiſſet peccatum veniale; ergo idem. 5. Potuit Deus prohibere fructum ſub veniali, ſicut prohibuit ſub mortali; ergo idem. 6. Datur ſtatus damnationis, in quo quis poteſt peccare mortaliter, non venialiter durante ipſo ſtatu; ergo poteſt dari ſtatus, in quo cum duratione ipſius poteſt dari peccatum veniale, non mortale; nam ſicut datur hic ſtatus naturæ corruptæ, in quo poſſumus peccare venialiter, & mortaliter; & ſtatus gloriæ, in quo non poſſumus peccare venialiter, neque mortaliter; ita à pari.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Perfectiùs coniungunt hominem Deo cum perfecta obedientia, & ſubordinatione virium inferiorum, ex qua proueniebat rectitudo, cum qua incompoſſibile erat quoduis peccatum, neg; cum inobedientia, & rebel-

rebellione, in qua conſiſtit peccatum veniale, conc. Ad 2. diſt. ant. Potuit mereri liberè abſtinendo à venialibus immediatè, & directè, neg; mediatè, & indirectè, ſcilicet abſtinendo à peccato mortali, ad quod conſecutura erant peccata venialia, conc. Ad 3. diſt. eodem modo. Potuit mentiri ſine iuramento immediatè, & directè, neg; & ſic ad 4. Ad 5. neg. ant; quia prohibitio ſupponit in illo, cui fit prohibitio, potentiam ad tranſgrediendum, quæ non fuit in *Adam*, vt dictum eſt. Ad 6. neg. conſ. loquendo de ſtatu iuſtitiæ originalis; nam ſtatus, in quo poteſt eſſe veniale, non mortale, eſt ſtatus confirmationis in gratia in via; *Apoſtoli* enim poſt confirmationem potuerunt peccare venialiter, non mortaliter. Præterea dicitur hunc modum arguendi non tenere in omnibus; quia non valet. *Eſt dabilis natura creata peccabilis ab intrinſeco; ergo & ab intrinſeco impeccabilis.*

67 Obijc. 3. Iuſtitia originalis non præſeruabat à peccato mortali; ergo neque à veniali; nam non eſt intelligibile, quòd aliquod donum habeat virtutem auertendi maius, & non minus malum. Tum quia iuſtitia originalis erat habitus ſubiectus libertati; ſed habitus non neceſſitat potentiam; ergo iuſtitia originalis non neceſſitabat libertatem ad non peccandum venialiter.

Reſp. neg. conſ; cùm enim iuſtitia originalis non eſſet ex natura ſua inamiſſibilis, ideo potuit tolli per peccatum mortale; ſed quia ex ſua natura fuit beatitudo, & pax; ideo ex ſua natura non potuit ſecum admittere peccatum veniale, quod eſt miſeria, & obiectum pugnæ. Ad aliud dicitur, quòd iuſtitia originalis erat habitus perfectè ſubijciēs, & ordinans in Deum; & ideo cum illo fuit incompoſſibilis quæcunque rebellio, & deordinatio, quantumuis leuiſſima.

§. 3.

An peccatum veniale in damnato puniatur pœna æterna?

68 DIximus *ſup. nu.* 17. veniali deberi pœnam durantem ad tempus, quod eſt intelligendum de peccato veniali per ſe præcisè conſiderato; nunc videndum eſt; an per accidens, quatenus ſcilicet coniungitur cum peccato mortali in damnato, puniatur pœna æterna?

69 Prima ſentētia vult peccatū veniale cōiunctū cū mortali in inferno puniri ſolùm ad tēpus. *Ita Scot. in 4. diſt. 21. q. 1; et diſt. 15. q. 1; Maſtr. in 2 diſp 6. q.* 8; apud quem *Faber, Vulp; Hiribarnes, Aretin; Caſpen; Ponc; & alij; Med. de Pœnit tract. 2; Nauarr. ibid. diſt. 6. c. 1., Veg. lib. 14. in Trid. c. 16; Almain; & Bellarmin. lib. 4. de Pœnit. c. 1; Arriag. hìc ſect. 4. ſubſecut. 1; & alij.*

70 Secunda vult non ſolùm veniale non remiſſum in hac vita, ſed etiam mortale iam remiſſum coniunctum cum mortali non remiſſo puniri pœna æterna. Tribuitur *Caiet; Capr; Sot; Adrian; Cur; Sua. in 3. p. diſp. 11. ſect. 2; Vaſq. diſp. 141; & alijs.*

71 Tertia docet veniale non remiſſum coniunctum cum mortali non remiſſo, puniri pęna æterna, etianſi remaneat ſatisfacienda pœna temporalis illi debita. *Ita Fundatiſs. Doct. in 2. diſt. 42. q. 1. art. 4. ad 2. in contrarium*; vbi ait: *Dicendum, quòd peccato veniali debetur pœna temporalis per ſe, ſed per accidens poteſt puniri pœna æterna; videlicet ratione peccati mortalis, cui ponitur eſſe coniunctum. Si quis ergo decedat cum peccato mortali, & veniali, pro vtroque punietur pœna æterna; quia in inferno nulla eſt redemptio; & ſine gratia non poteſt eſſe ſatisfactio; tamen longè leuiori, & mitiori pœna punietur pro peccato veniali, quàm pro mortali.* Ita etiam *Gibb*; apud quē *D. Tho. hìc q 87. art. 4. ad 3; Dur. in 4. diſt. 21. q. 1; Gonet hìc diſp. 8. art. 7; & alij.* Inclinant *Sal; Tarner; & Lorc.*

72 Vnica concl. Peccata venialia non remiſſa coniuncta cum peccato mortali non remiſſo puniuntur in inferno pœna æterna correſpondente leuitati culpæ; venialia verò, aut mortalia remiſſa non ſatisfacta in hac vita non puniuntur pœna æterna.

Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. ſerm. 11. de Verb. Domini*; vbi ait; quòd *peccata, quia præter Eccleſiam non dimittuntur, in eo Spiritu dimitti oportebat, quo in vnum Eccleſia congregatur; & inſ. Ideo ſocietas vnitatis Eccleſia Dei, extra quam non fit ipſa remiſſio peccatorum, tanquam proprium eſt opus Spiritus S; & l b. 21. de Ciu. Dei c. 24.* Super illud *pſ. 77. Nunquid obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas*; poſtquam dixit hoc eſſe intelligendum de electis ait *Sed quibus placet iſtam ſententiam, vſque ad illa impiorum tormenta protendere, ſaltem ſic intelligant, vt manente in eis ira Dei, quæ in æterno eſt pranunciata ſupplicio, non contineat Deus in hac ira ſua miſerationes ſuas, & faciat eos non tanta, quanta digni ſunt pœnarum atrocitate cruciari, non vt eos pœnas, vel nunquam ſubeant, vel aliquando finiant, ſed vt eas mitiores, quàm merita ſunt eorum, leuioreſque patiantur.* Ex quibus ſic. Eouſque durat pœna, quouſque durat reatus ad pœnam; ſed reatus venialis ad pœnam in damnato durat in æternum; ergo & pęna. Prob. ma. Ideo pęna æterna peccato mortali debita durat in æternum, quia ſemper durat reatus ad talem pęnam; nam ſi per confeſſionem tollitur reatus ad pęnam, tollitur quoque pœna æterna debita illi peccato; & in purgatorio eouſque durat pœna temporalis debita peccato mortali iam dimiſſo, quouſque durat reatus ad illam pœnam; & ſublato reatu ſtatim aufertur pœna; & ratio eſt; quia reatus ad pœnam nihil aliud eſt, quàm obligatio per peccatum contracta ad ſubeundam pœnam; quouſque autem manet obligatio ad

ſubeun-

ſubeundam pœnam, manet pœna; aliter obligaretur quis ad ſubeundam pœnam, quæ non eſſet; ergo eouſque durat pęna, quouſque durat obligatio ad pęnam. Prob. mi. Tandiu manet reatus ad pœnam, quandiu manet culpa, ad quam eſſentialiter conſequitur, & connectitur reatus; ſed culpa venialis in damnato manet in æternũ; quia damnatus eſt extra Eccleſiam, extra quam nulla remittitur culpa; tum quia culpa non redimitur, niſi per gratiam Chriſti, cuius eſt incapax damnatus; ergo reatus venialis ad pęnam in damnato manet in æternum.

77 Conf. Ideo poteſt remitti culpa venialis in hac vita extra ſacramentum; quia poſſumus elicere actiones meritorias ſatisfactorias pro malitia illius; vt recitando orationem Dominicam, impertiendo eleemoſinas, ieiunando, &c; ſed damnatus nequit elicere huiuſmodi actiones; quia caret gratia, quæ eſt principium meriti; ergo in ipſo nequit remitti culpa venialis, aut ſatisfieri pro malitia illius; ſed quandiu pro malitia ſatisfactum non eſt, manet pœna illi debita; ergo pœna debita peccato veniali in damnato eſt æterna.

78 Ampliùs. Manente merito quantumuis exiguo in patria manet pręmium illi correſpondens ex debito; ergo manente culpa quantumuis minima in inferno manet pœna illi correſpondens ex debito; nam in tantùm manente merito in patria manet præmium; in quantùm meritum, & præmium ſunt correlatiua; & correlatiua ſunt ſimul; ſed etiam culpa, & pœna ſunt correlatiua; opponuntur enim merito, & præmio; quia culpa, quæ eſt demeritum, opponetur merito; & pœna opponitur præmio; *oppoſitorum* autem *eadem eſt ratio*; ergo manente culpa manet etiam pœna; atqui non eſt aſſignabile, per quid deſtruatur culpa venialis in damnato; nam ſi eſſet aſſignabile aliquod, maximè ſatiſpaſſio, ſeu ſolutio pœnæ debitæ, quæ cùm finita ſit, finito tempore ſolui debet; ſed hoc eſt apertè falſum; quia licet per ſolutionem pœnæ ſoluatur reatus, & debitum ad pœnam, attamen non ſoluitur culpa, ad quam ſequitur talis reatus, & debitum, ſed ſupponit culpam ſolutam; etenim in purgatorio ſolutio pœnæ debitæ pro peccato mortali ſupponit culpam peccati iam dimiſſam, & ſoluit ſolum reatum ad pœnam temporalem illi debitam; peccatum autem veniale non dimiſſum in hac vita non ſolvitur in purgatorio præciſè per ſolutionem pœnæ illi debitæ, ſed per actus amoris Dei, & voluntariam ſufferentiam illatum pęnarum in deteſtationem illius peccati; per quam deteſtationem elicitam per gratiam remittitur culpa venialis; cùm autem damnatus ſit priuatus gratia; ideo nullum poteſt deteſtari peccatum, imò immobiliter ſuis peccatis adhæret; nec voluntariè, ſed omnino coactè, & inuitò ſuffert pęnas; quapropter illa ſatiſpaſſio non eſt ſatisfactoria; ut in anima purgante; ergo non eſt aſsignabile, per quid tollatur pęna veniali debita in damnato. Tum quia damnatus immobiliter adhæret ſuis peccatis, in quibus decedit, ut dicitur de Dæmonibus, & nunquam illa deteſtatur; ergo idem.

79 Tandem manente ira Dei manet pęna; ſed manente culpa manet ira Dei; ergo manet culpa. Ma. patet; quia correlatiuum iræ eſt vindicta; & terminus vindictæ eſt pęna.

80 Altera pars concl. ſequitur ex dictis; quãuis enim in inferno non poſsit ſolui culpa, quia ibi nequit eſſe gratia, qua ſoluitur; attamen poteſt ſolui pęna, cuius culpa eſt dimiſſa; quia ad ſoluendam pęnam non requiritur gratia; nam damnati ſoluent pęnam in æternum, & tamen in æternum carebunt gratia; & quanuis hæc ſolutio nunquam ſit finienda, quia nunquam eſt dimittenda culpa; attamen non ſequitur, quòd non ſit vera ſolutio, ſed ſolùm quòd non ſit ſolutio finita; ergo pœna debita peccato dimiſſo ſiue veniali, ſiue mortali non eſt æterna, ſed temporalis. Tum quia ad ſatisfactionem pœnæ tantùm ſufficit ſatiſpaſſio; ſatisfactio enim actiua meritoria requiritur ſolùm ad ſatisfactionem culpæ, ſed in inferno eſt ſatiſpaſſio; ergo eſt ſatisfactio pœnæ, non culpæ.

81 Ita intelligitur *Fund. Doct. ubiſ.* dicens; quòd *ſine gratia nequit eſſe ſatisfactio*; ſcilicet culpæ, quæ non tollitur, niſi per gratiam, non pœnæ præciſa culpa; quia ad ſatisfaciendum pœnæ non requiritur gratia; nam damnati patiendo per totam æternitatem ſatisfacient pœnæ, & tamen omni gratia carent.

82 Obijc. 1. Pœna peccati venialis eſt finita quoad durationem; ergo per ſatiſpaſſionem haberetur ſatisfactio illius: nam ad ſatisfactionem culpæ ſufficit proportio pœnæ ad æqualitatem; vt ſcilicet tantùm patiatur, quantùm exigit culpa. 2. Veniale ex coniunctione ad mortale non accipit maiorem grauitatem culpabilitatis; ergo neque maiorem condignitatem pœnæ; ſed condignitas pœnæ debitæ peccato veniali eſt finita quoad durationem, quia eſt temporalis; ergo in inferno punitur tempore finito. 3. Iniuſtum eſt in iudicio humano culpam leuem puniri maiori pœna eo, quia unitur culpæ graui; ergo eo magis in iudicio Diuino. 4. Deus punit citra condignum; ergo non punit veniale pęna æterna, quæ illi non debetur.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Eſt finita ablata culpabilitate, conc; ſecus, neg. Ad 2. neg. conſ; nam ex unione ad mortale acquirit irremiſſibilitatẽ, ratione cuius æternè punitur. Ad 3. neg. conſ; nam veniale vnitum cum mortali punitur maiori pœna extenſiuè, non intenſiuè. Ad 4; punit citra condignum quoad attrocitatem pœnæ, quia non dat tantam pœnam, quantam culpa meretur; non quoad durationem, quia peccatum mortale meretur pœnam æternam, & tamen non punitur temporaliter.

83 Inſt. Ex hoc ſequeretur veniali deberi pœnam æternam ſecundùm ſe, non ratione peccati mortalis, cui etiam debetur pęna æterna, quandiu manet; & temporalis, ſi ſit in hac vita dimiſſum.

Reſp. neg. ſupp; ſupponitur enim veniale poſſe æternaliter ſecundùm ſe manere, ſicut manet mortale; quod eſt falſum, quia veniale præciſè ſumptum eſt cum gratia, quæ eſt ratio ſatiſfaciendi.

84 Replic. Anima in purgatorio eſt in termino, in quo nequit dari meritum, aliter poſſet mereri maiorem gloriam; ergo nequit tollere veniale.

Reſp. neg. ant; nam purgatorium eſt via purgatiua, non profectiua, ideo poteſt purgare delicta venialia, non maiorem gloriam acquirere.

85 Obijc. 2. cont. 2. p. concl. *In inferno nulla eſt redemptio*; ergo nulla pęna poteſt ceſſare. 2. *B. P. Aug. in pſ.* 105. docet in inferno nullam pęnam ceſſare, aut mitigari, quod deſignatur per guttam aquæ *Epuloni* denegatam *ab Abraham*; ergo pęna peccati dimiſſi non ceſſat. 3. Vt ceſſet obligatio pęnæ, debet ſatiſpaſſio à Deo acceptari; Deus autem non acceptat paſſiones damnatorum ad ſatiſfactionem. 4. Sequeretur poſſe orari, & applicari miſſas, & indulgentias damnatis, vt relaxetur eis pęna. 5. Sequeretur damnatum grauiùs puniri propter mille venialia, quàm ob vnum mortale, vt liquet in eo, qui ob vnum mortale mereretur pęnam, ut quatuor; & in illo, qui ob decem venialia mereretur pęnam, vt decem.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Nulla eſt redemptio à culpa, & à pęna culpæ non dimiſſæ, conc; iam dimiſſæ neg; & in hoc ſenſu loquitur *B. P.* per quod ad 2; & ad 3; Deus enim, quia iuſtus eſt, non protrahit pęnam ultra id, quod eius iuſtitia decreuerit, ideo acceptat ſatiſpaſſionem damnatorum ad ſatisfactionem pęnæ, quæ debetur culpæ remiſſę. Ad 4. neg. ſeq; nam damnati ſunt extra Eccleſiam, ideo nequeunt eis ſuffragari Eccleſiæ theſauri. Ad 5. neg. ſeq; nam infinita venialia non cruciarent, quantum vnum mortale; ſunt enim diuerſi generis.

86 Quæres; an poſſit quis decedere cum ſolo veniali coniuncto cum peccato originali tantùm?

Reſp. *Gonet hic diſp. 9. art. vlt. §. 4.* negatiuè; & ratio eſt; quia ſic decedens non haberet locum, in quo puniretur; nam non puniretur in limbo, quia in limbo punitur ſolum originale; non in purgatorio, quia ibi puniuntur animæ decedentes cum gratia, & ad gloriam tranſmittendæ; neque in inferno, quia ibi punitur ſolùm peccatum mortale actuale.

87 Sed hæc ratio nulla eſt; quia limbus non datur; & decedentes cum peccato originali deſcendunt in infernum; vt *ſup.* diximus.

Reſp. ergo *Fund. Doct. vbiſ. ad 3.* negatiuè; quia vel decederet ante vſum rationis, & ſic nullum peccatum veniale poſſet habere; vel poſt vſum rationis; & ſic non poſſet decedere cum ſolo veniali; quia perueniens ad vſum rationis tenetur ſub mortali conuertere ſe in Deum; & ſic ſe conuertens à Deo illuminaretur, vt quæreret baptiſmum, quo purgantur à peccato originali; vel ſi non eſſet in loco, in quo poſſet baptizari, deteſtaretur originale, & cuperet baptizari; & ideo haberet baptiſmum in voto, qui eſt baptiſmus flaminis, quo reciperet gratiam illum expiantem ab originali; non enim Deus ita alligauit gratiam ſacramentis, vt illam non conferat etiam extra ſacramenta; vt patet de eliciente actum contritionis; cum quo ſi moriatur ante ſuſceptionem ſacramenti cum ſolo deſiderio illud ſuſcipiendi, decedit in gratia.

A R T. II.

An perueniens ad vſum rationis teneatur ſub mortali ſe conuertere in Deum?

1 MAgna eſt in hac re varietas dicendi *inter Theologos*; cùm enim præceptum conuerſionis in Deum ſit affirmatiuum; eſt nanque illud, quod habetur *Matt. 22; & Luc. 10; & Deut. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*, cùmque præceptum affirmatiuum non obliget ſemper, & pro ſemper; ſed tantùm pro aliquo determinato tempore; & cùm iſtud tempus determinatum nō colligatur apertè *in Scripturis*; ideo videtur non poſſe certò ſubſtineri puerum peruenientem ad vſum rationis obligari ſub mortali ad ſe conuertendum in Deum.

2 Quapropter *aliqui* dixerunt obligari tantùm in fine vitæ; *alij* in tota vita indeterminatè ſumpta ita, vt ſemel ſaltem ametur Deus; quæ ſententia damnata eſt ab *Innoc. XI. prop. 5*; *alij* omnibus diebus feſtiuis; *vt Scot; alij*, quando ſuſcipitur baptiſmus; *alij*, quando ſuſcipitur Eucharistia; *alij*, quando ſuſcipitur martyrium; *alij*, quando magnum recipitur à Deo beneficium; *alij* quando auditur blaſphæmia in Deum; *alij* quando grauis vrget tentatio; *alij* tandem, quando peruenitur ad vſum rationis. Iſti autem differunt in modo explicandi; nam *aliqui* volunt hanc conuerſionem conſiſtere in amore naturali boni honeſti, in quo cōtinetur virtualiter Deus, vt vltimus finis naturalis; quia amor explicitus, & formalis Dei, vt eſt finis ſupernaturalis, eſt nimis difficilis puero in illo ſtatu; & ideo hoc præceptum eſſet illi nimis onerosum. *Ita Caiet; & alij Thomiſtæ. Alij* verò obligari ad amorem ſupernaturalem explicitum; & formalem ordinatū ad ſalutem æternam. *Ita Fund. Doct. vbiſ.* docentis. *Cùm ergo quis peruenit ad rationis vſum, debet quærere viam ſalutis, ſed ſi non quærit, peccat mortaliter. Si quærit, & facit totum, quod in ſe eſt; credibile eſt, quòd Deus, qui non alligauit virtutem ſuam ſacramentis, dat illi gratiam, & reuelat quomodo*

modo

modò conſequatur ſalutem, ſicut fuit Cornelio.

3 Vnica concl. Puer perueniẽs ad vſũ rationis tenetur ad eliciendum actũ amoris ſupernaturalem diſponẽtem ad ſalutem æternã. Prob. 1. *Deut.* 30. *Conſidera, quòd hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam, & bonum; & è contrario mortem, & malum; vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & cuſtodias mãdata illius, et ceremonias, atque iudicia, & viuas; atq; multiplicet te, benedicatque tibi in terra, ad quam ingredieris poſſidendam. Si autem auerſum fuerit cor tuum, & audire nolueris, atq; errore deceptus adoraueris Deos alienos, & ſeruieris eis; prædico tibi hodie, quòd pereas;* & Eccli. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit in manu conſilij ſui. Adiecit mandata, & præcepta ſua. Si volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Poſuit tibi aquam, & ignem; ad quod volueris, porrige manum. Ante hominem vita, & mors; bonum, & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Ex quibus ſic. 1. Cùm proponitur homini bonum, vt diligat Deum; & malum, vt auertatur à Deo, tenetur homo ſub præcepto mortali conuerti ad Deum relicto malo; vt expreſsè docet *Scriptura*; ſed cùm peruenit ad vſũ rationis, proponitur ei bonum, vt ad Deum conuertatur; & malum, vt ab illo ſe auertat: nomine enim vſus rationis intelligimus illud tempus, quo diſcernit inter bonum, & malum morale, & quo ingreditur vitam moralem: ergo tenetur ſub præcepto mortali conuerti ad Deũ ipſum amando. 2. Quando Deus conſtituit hominem in manu conſilij ſui, vt poſſet conſiliari circa bonum, & malum morale; adiecit Deus homini mandata, & præcepta, vt ſi voluerit, ſeu elegerit bonũ, viuat; ſin autem malum, moriatur; quod intelligendum eſt de morte animæ; quæ datur in pœnam peccati; ſed homo, cùm peruenit ad vſum rationis, conſtituitur in manu conſilij ſui; nomine enim vſus rationis intelligitur tempus, quo poteſt conſiliari circa bonum, & malum morale; ergo tenetur ſub præcepto conuerti in Deum. 3. *Ex Beatiſs. P. q.* 11. *in Matt.* ſuper *Eccl.* 5. *Ne tardes conuerti ad Deum, neque differas de die in diem; ſubito enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ diſperdet te; illi enim conuertuntur, qui rectè viuere incipiunt.* Ex quo ſic. Homo perueniens ad vſum rationis tenetur ſub mortali incipere rectè viuere; aliter ſi malè incipiat, peccat mortaliter; ſed rectè viuere eſt conuerti in Deũ; ergo tenetur ſub mortali conuerti in Deum. Prob. ma. Si homo non teneretur ſub mortali incipere rectè viuere, malè viuendo non peccaret mortaliter; ſed rectè viuere eſt conuerti in Deũ; ergo idem. Prob. ma. Si non teneretur, maximè, quia pro illo inſtanti poſſet ſuſpendere omnem actum; ſed hoc non obſtat, quia nomine primi inſtantis intelligimus primum tempus, quo incipit bene, vel malè operari; ergo idem. Mi. patet; quia rectè viuere eſt ordinare ſe in Deum, quod eſt idem, ac ſe in illum conuertere. Tum quia cùm quis incipit operari cũ vſu rationis, incipit operari conformiter ad rationem, & ad legem; ſed operans conformiter ad rationem, & legem tenetur ſub mortali elicere amorem Dei, quia ratio; & lex naturæ hoc iubet; tum quia incipiens operari iuxta rationem tenetur operari ſecundùm virtutes, non ſecundùm vitia; nam tenetur bene viuere, *virtus* autem *eſt, qua bene viuitur*; ſed vera virtus ordinatur in Deum per charitatem, quæ eſt ſupernaturalis; ergo idem.

4 Ex his patet nos teneri ſub mortali amare Deum, quoties occurrit operari bene, vel malè in materia graui cadente ſub præcepto; quia nedum peccamus committendo malum vetitum, ſed etiam omittendo bonum præceptum. Diximus *ſub præcepto*: quia ad opera conſilij non obligamur. Amor autem Dei vel poteſt ſumi formaliter per ſe, & ſic eſt actus voluntatis; vel ordinatiuè, & ſic extenditur ad omnes actus aliarum potentiarum, quos ordinat; & in hoc ſenſu tenemur amare Deum in quocunque actu cuiuſuis potentiæ cadente ſub præcepto; ait enim *Apoſt. Rom.* 10. *Siue ergo manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* & c. 16 *Omnia veſtra in charitate fiant. Vid. de virt. q.* 1. *art.* 7.

5 Per hoc oſtenditur inſufficientia aliarum ſententiarum; nam reſtringere amorem Dei ad vnum actum tantùm in vita, vel in morte, vel ad ſolos dies feſtos &c. eſt nimiam immunitatem facere ab hoc primo mandato, à quo alia pendent, & reſtringere ad ſolum martyrium, Euchariſtiam, & audientes blaſphemiam eſt facere immunes, qui non moriuntur martyres, non ſumũt Euchariſtiam, vel non audiunt blaſphemias.

6 Obijc. 1. Præceptum conuertendi ſe in Deum in primo inſtanti rationis non habetur *in Scriptura, &* PP; ergo gratis aſſeritur. 2. Nimis durum eſt adſtringere ætatem adeo rudem ad actum tam difficilem. 3. Nullus vir doctus timoratæ conſcientiæ ſollicitus eſt ſciendi, an impleuerit hoc præceptum. 4. Sequeretur ferè omnes pueros baptizatos peruenientes ad vſum rationis amittere gratiam baptiſmalis, cùm ferè nullus impleat hoc præceptum. 5. Paruuli peruenientes ad vſum rationis laborãt ignorantia inuincibili, à qua excuſantur, cùm eadem laborent viri docti; ergo idem.

Reſp. ad 1. neg. antec. vt patet *ex textibus allatis.* Ad 2. neg. ſupp. ant; nihil enim eſt facilius amore. Ad 3. neg. conſ; nam cùm omnis Doctor Catholicus inſtructus ſit à parentibus Catholicis ad amorem Dei, probabiliſſimum eſt impleuiſſe hoc præceptum; & per hoc ad 4; tum quia omnis Doctor Catholicus examinat ſuam vitam à tempore vſus rationis, & confitetur omnia peccata, quæ recordatur, & deteſtatur oblita, hoc autem eſt examinare, an impleuerit hoc præceptum, vt patet. Ad 5. dicitur, quòd vel eſt ſermo de pue- ris

ris Catholicis, & ſic neg. ant; vel eſt ſermo de pueris enutritis in ſyluis; & ſic dicitur *cum Fund. Doct.* quòd habeat lumen rationis, & cetera auxilia ſufficientia, quibus ſi bene vtantur, & faciant, quantùm poſſunt, Deus, qui virtutem ſuam non ita alligauit ſacramentis, vt non poſſit etiam conferre gratiam extra ſacramenta, ſicut fecit *Cornelio*, ex decentia ſuæ benignitatis illos illuminaret circa myſteria fidei, vt præſtitit *multis Gentibus*.

7 Obijc. 2. Si puer perueniens ad vſum rationis teneretur conuerti in Deum, nullus daretur infidelis negatiuè, quia vnuſquiſque ſciret ea, quæ deberet implere; ſed conſ. eſt falſum, ergo & ant.

Hoc arg. vocatur difficile *à Gonet*; & ſanè ita implicatur, vt ſe ſoluere non videatur. Omiſſis tamen aliorum reſponſis reſp. faciliter iuxta ea, quæ diximus *to. 2. de Vol. Dei q.4. art. 4. n.22*; quæ poſſunt ſic magis explicari. Certum eſſe debet. 1. non dari infidelitatem negatiuam oppoſitam legi naturæ; quia lex naturæ ſcripta eſt naturaliter in cordibus omnium hominum ita, vt Deus à nullo poſſit inuincibiliter ignorari; vt docet *Apoſt*; & vt diximus *to. 1. de Subſt. Dei q.1. art.5*; infidelitas autem negatiua importat ignorantiam inuincibilem; & ideo infidelitas negatiua excludens fidem, ſeu legem naturæ dari nequit. Certum eſſe debet 2. non dari infidelitatem negatiuam excludentem fidem Incarnationis; quia nullus poteſt ſaluari ſine fide explicita Incarnationis, vt *inf.* dicemus; & nulli eſt negata, & clauſa via ſalutis; & licèt nullus naturaliter hoc poſſit agnoſcere, ex decentia tamen bonitatis Diuinæ omni facienti, quod in ſe eſt, & quod poteſt, reuelatur. Remanet ergo, quòd infidelitas negatiua detur tantùm reſpectu aliorum myſteriorum, quæ à Chriſto Domino prædicata ſunt; & colligitur ex verbis eiuſdem Chriſti Domini *Io. 15. Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*. Super quod *Beatiſſ. P. tract.89.* ait: *Reſpondeo illos habere excuſationem, non de omni peccato ſuo, ſed de hoc peccato, quo in Chriſto non crediderunt, ad quot non venit, & ad quos non eſt locutus. Sed non in eo ſunt numero hi, ad quos in Diſcipulis venit, & quibus per Diſcipulos eſt locutus; quod & nunc facit; nam per Eccleſiam ſuam venit ad Gentes, & per Eccleſiam ſuam loquitur Gentibus*. Illi ergo ſolùm ſunt infideles negatiuè, ad quos non peruenit notitia Chriſti, & eius fidei, vel per ipſum Chriſtum immediatè, vel per Apoſtolos, vel per Eccleſiam; ſed per Apoſtolos, & Eccleſiam venit Chriſti notitia per totum orbem terrarum; nulla enim eſt pars adeo remota, quæ nomen Chriſtianorum non audierit; ergo nullus modò eſt infidelis negatiuè. Supereſt igitur, quòd infideles negatiuè tantùm fuerint à tempore prædicationis Chriſti Domini vſque ad promulgationem fidei ipſius factam per Apoſtolos, & per Eccleſiam; interuallo enim illius temporis, qui viuebant ſecundùm [legem] naturæ, vel ſcriptam, poterant ſaluari. In hoc ſenſu tenemus locutum fuiſſe *D. Tho.*

8 Ad arg. ergo diſt. mi. Nullus daretur infidelis negatiuè poſt ſufficientem promulgationem fidei catholicæ, conc; nullus daretur infidelis negatiuè ante promulgationem ipſius fidei à Chriſto Domino prædicatæ, ſubdiſt. Nullus daretur infidelis negatiuè reſpectu legis naturæ, aut ſcriptæ, conc; reſpectu fidei Chriſti Domini, neg. Neque ex hoc ſequitur infidelem hoc modo non poſſe conuerti in Deum; quia poterat conuerti per legem naturæ, ſi erat *Gentilis*; vel per legem ſcriptam, ſi erat *Hebræus*.

ART. III.

An peccatum mortale habeat malitiam infinitam?

1 PEccatum mortale poteſt conſiderari in genere offenſæ, quatenus eſt offenſa Dei, qui eſt infinitus ſimpliciter; & in genere malitiæ; quatenus eſt actus difformis rationi, & legi Dei. De peccato, vt eſt offenſa, agemus *in 3. ſent*; *hìc* igitur agimus de illo tantùm, vt eſt actus malus difformis rationi, & legi Dei. Quoniam autem de hoc nulla eſt controuerſia, ideo breuiſſimè expedietur.

2 Vnica concl. Peccatum mortale eſt finitum ſimpliciter in genere malitiæ.

Prob. *ex Beatiſſ. P. ep.49. ad Deogratias q.4*; vbi probat, quòd licèt peccatum ſit finitum, punitur tamen pœna duratione, non autem acerbitate infinita explicans illud *Matth. 7. In qua menſura menſi fueritis, in ea remetietur vobis*; idèſt: *In voluntate quippe propria metitur bonus homo bona facta; & in ea metietur ei beatitudo. Itemque in mala voluntate propria metitur malus homo mala opera, & in ea metietur ei miſeria*; & deinde: *Propter menſuram etiam peccatorum, non in productione temporum, ſed in voluntate peccantium.* Ex quo ſic. Malitia peccati deſumitur, & menſuratur à voluntate peccantis; ſed voluntas hominis peccantis non eſt ſimpliciter infinita; ergo neque malitia peccati. Prob. ma. Quilibet effectus deſumitur, & menſuratur cum ſua cauſa; quia effectus, ſeu actus habet tantùm de eſſe, quantùm ei tribuitur à cauſa; hinc dicitur, quòd nullus effectus poteſt excedere ſuam cauſam; ſed peccatum eſt effectus, ſeu actus malus voluntatis; quia elicitur à voluntate; ergo malitia peccati deſumitur, & menſuratur à voluntate peccantis. Mi. patet; quia eſſentia hominis eſt finita, ergo & voluntas, quæ eſt eius proprietas; nam proprietas mẽſuratur cum eſſẽtia, cuius eſt proprietas. Tum quia ſubiectum finitum non eſt capax formæ infinitæ; ſed eſſentia hominis, quæ eſt ſubiectum voluntatis, eſt finita; ergo & ipſa voluntas; ſed peccatum, quatenus malum, de-

ſcendit

Digitized by Google

ſcendit à voluntate, & in ipſa ſubiectatur; ergo & ipſum peccatum eſt finitum.

3 Conf. Actus malus ſpecificatur ab obiecto; ſed obiectum, circa quod peccatur, vel eſt finitum, vt cùm peccatur circa creaturam; vel quanuis ſit infinitum ſecundùm ſe, proponitur tamen finito modo voluntati finitæ; quia voluntas finita nequit formaliter tendere in obiectum infinitum, prout infinitum; vt cùm peccatur immediatè contra Deum; v.g. blaſphæmando; ergo eſſet actus malus eſt finitus in genere malitiæ.

4 Præterea quælibet priuatio commenſuratur cum forma, qua priuat; forma enim eſt rectum, & priuatio obliquum; rectum autem eſt menſura ſui, & obliqui; ſed forma, qua priuat peccatum, eſt gratia, quæ eſt finita in genere bonitatis; ergo peccatum eſt finitum in genere malitiæ.

5 Tum quia actus bonus in genere moris nequit eſſe formaliter infinitus ſimpliciter; quanuis habeat pro obiecto Deum, qui eſt ſimpliciter infinitus, non ob aliam rationem; niſi quia Deus offertur voluntati ſub ratione finita; ergo actus malus in genere moris nequit eſſe ſimpliciter infinitus; nam *oppoſitorum eſt eadem ratio*.

6 Tãdem ſi peccatũ eſſet ſimpliciter infinitum, eſſet ſimpliciter irremiſſibile; ſicut enim Deus ita neceſſariò amat ſuam bonitatem, quia eſt ſimpliciter infinita, vt illam non poſſit non amare; ita neceſſariò odio haberet malitiam infinitam ſimpliciter, vt non poſſet illam non odiſſe; & ideo nunquam tolli poſſet; quia malum, quod non eſt, non odio habetur.

7 Obijc.1. Peccatum priuat nos Deo; ſed Deus eſt infinitus; ergo & peccatum. 2. Peccatum eſt deſtructiuum Dei; ſed deſtructiuum commenſuratur cum re deſtructa; ergo peccatum commenſuratur cum Deo; atqui Deus eſt infinitus ſimpliciter; ergo & peccatum. 3. Peccatum eſt offenſa; ſed offenſa commenſuratur cum perſona, quæ offenditur; ergo peccatum commenſuratur cum Deo. 4. Peccatum punitur pęna infinita; ergo eſt infinitæ malitiæ.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Peccatum priuat nos Deo, prout participatur à nobis, conc; prout eſt in ſe ipſo, neg; à nobis autem non participatur Deus, niſi finito modo. Ad 2. diſt. ma. Eſt deſtructiuum Dei in re, neg; in intentione noſtra, conc; noſtra enim voluntas intendit ponere rationem vltimi finis in creatura; quæ ratio ſi tolleretur à Deo, deſtrueretur Deus; ratio autem vltimi finis, vt eſt in noſtra intentione, eſt finita. Ad 3. dicitur, quòd peccatum habet rationem nedum offenſæ, ſed etiam malitiæ; quanuis autem, prout offenſa; menſuretur cum perſona, quæ offenditur; attamen prout malum, commenſuratur cum voluntate, & obiecto formali. Ad 4. diſt. ant. Punitur pęna infinita quoad duratione͂, conc, quoad intenſionem, neg.

ART. IV.

Quo actu compleatur peccatum mortale?

1 Tribus potiſſimùm actibus compleri peccatum mortale docet *Beatiſs. P. lib. 1. de Serm. Domini in monte c. 23.* ſcilicet ſuggeſtione, ſeu tentatione, delectatione, & conſenſu. Dubium eſſe poteſt, an quilibet illorum ſit peccatum mortale formaliter, & completiuè; an ſolùm initiatiuè?

2 Tentatio eſt *acceptio experientię de tentato, an reſiſtat, vel non, quantùm ad ea, quæ ſpectant ad fidem, vel ad mores.* Quinque autem Tentatores aſſignantur *à Fund. Doct. in 2. diſt. 21. q. 1. art. 1. dub. 1. lat;* ſcilicet Deus, homo, Diabolus, Mundus, & caro; qui tamen aliter, & aliter tentant; nam Deus tentat nos, vt erudiat; quapropter *Beatiſſ.* P. *Aug. ep.* 146. ait tentationem aliam eſſe probationis, & hæc eſt à Deo; & aliam deceptionis; & hæc eſt à Diabolo; homo, vt diſcat; Diabolus, vt ſeducat; & ideo hi tres ſemper aliquid intendunt tentando; Mundus autem, & caro nihil intendunt, quia non ſunt agentia per intellectum. Si tamen tentatio ſumatur, prout eſt inſtigatio ad malum, vt vulgariter ſumitur: non eſt à Deo poſitiuè, ſed tantùm permiſſiuè, habetur enim *Iac.* 1. *Deus intentator malorum eſt*. Et *Beatiſſ.* P. *lib. 2. de Serm. Domini in mõte c.* 14. in illud: *Et ne nos inducas in tẽtatione͂;* ait eſſe intelligendum; *Et ne permittas nos induci in tentationem*. Homo etiam tentans, vt diſcat, propriè non dicitur inſtigare ad malum; ſi enim hoc intendat, habet ſeducere, tanquam miniſter Diaboli, non autem quærit ſimpliciter diſcere, ſeu experimentum ſimpliciter ſumere. Quare ſi tentatio ſumatur pro inſtigatione poſitiua ad malum morale, tres ſolùm ſunt Tentatores, ſcilicet *Diabolus, Mundus, & caro*. Diabolus quidem tentat intendens nos ſeducere, & trahere in peccatum. Mundus autem nos tentat, non quidem intendens nos trahere in peccatum, ſed obiectiuè oſtendens aliquod, quo trahimur in peccatum; & hoc tripliciter iuxta illud 1. *Io.* 2. *Quidquid eſt in mundo, vel concupiſcentia carnis, vel concupiſcentia oculorum, vel ſuperbia vitæ*. Quantùm ad concupiſcentiam carnis tentat nos mundus oſtendendo obiecta ſenſibilia delectabilia, vel pertinentia ad guſtum, & ſic tentat per gulam; vel ſpectantia ad venerea, & ſic tentat per luxuriam. Quantùm ad concupiſcentiam oculorum tentat nos mundus oſtendendo bonum vtile, & ſic trahit ad auaritiam. Quantùm ad ſuperbiam vitæ tentat oſtendendo bona honorabilia, dignitates, & honores, & ſic allicit ad ſuperbiam. Caro tandem tentat nos materialiter, & ſubiectiuè, quatenus ex ipſa poteſt inſurgere calefactio cordis, & per ipſam incitamur ad venerea; vel eſuries, per quam incitamur ad gulam, &c.

3 Tentatio carnis eſt fortior alijs tentationibus;

nibus; quia contra carnem homo nequit pugnare ſe toto, habet enim partem ſui contra ſe pugnantem, quia caro eſt pars hominis; tum propter delectationem ſenſibilem, quam experimur in obtemperando motibus carnis; tum quia contra carnem bellare non poſſumus, niſi fugiendo obiectum, ad quod allicit.

4 Delectatio, *quæ eſt perceptio quieta voluptatis de aliqua re*, alia eſt moroſa, quæ diu permanet; alia non moroſa, quæ ſtatim tollitur.

5 De conſenſu iam diximus *to. 3. de Act. hum. q. 4. art. 4; quibus ſupp.*

6 Vnica concl. Tentatio, & delectatio ſimplex ſine conſenſu non eſt peccatum mortale; imò ſi ſit cum diſſenſu, & repugnantia voluntatis, eſt meritoria; delectatio autem moroſa, & conſenſus eſt peccatum mortale. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 24. p. 2. q. 2. art. 2. §. Ad quod reſpondet Mag*; vbi ait, quòd quæcunque delectatio moroſa includit conſenſum his verbis: *Si ſit delectatio moroſa in ratione inferiori, ibi eſt conſenſus ſuperioris rationis; & ſi ibi non eſt conſenſus in opus prauum, conſentit tamen in delectationem prauã; nam cùm delectatio ſit quid conſequens ad opus; oportet, quòd quale eſt opus, talis ſit delectatio; vt poteſt haberi ex Phil. 12. Met. t. c. 39. Si ergo opus erit bonum, delectatio erit bona; ſi prauum, praua.* Deinde ſubdit; quòd cùm ratio ſuperior habeat compeſcere inferiorem; erit conſenſus in ratione ſuperiori, quatenus negligit compeſcere rationem inferiorem; nam non compeſcendo dicitur conſentire, vt docet *D. Ambr.* ſuper illud *Rom. 1. Non ſolùm qui faciunt, ſed qui cõſentiunt*: ait: *Conſentis, ſi taces, cùm poſſis arguere.* Idem habet *dubit. 2. lit.*

7 Eſt contra *Martinum de Magiſtris* aſſerentem nullam delectationem eſſe peccatum mortale, dummodò non adſit intentio exequendi; cuius rationes cenſet probabiles *Arriag.* Eſt pariter *cont. Vaſq; Leſſ; Reginald; Granad; Tanner; Fillinc; Luyman; Ouied; Arriag. apud Gibb.* aſſerentes delectationem moroſam de opere prohibito à iure poſitiuo ſub mortali non eſſe peccatum mortale. Eſt quoque *cont. eund. Vaſq; Azor; Peſant; Leſſ; Sal; Tanner; & alios* opinantes poſſe dari delectationem, quæ non ſit peccatum mortale etiam de obiecto prohibito iure naturæ, dummodò illud attingat ſub aliqua ratione vtili, vel honeſta; vt poteſt quis licitè delectari de morte etiam iniuſta alicuius, quatenus hæres factus eſt occiſi; vel quatenus vitauerit infamiam; Addunt *Palao, & Ouied.* delectationem de obiectis intrinſecè malis, quæ nulla poſſunt honeſtate veſtiri, vt idololatria, blaſphemia &c; eſſe malam; ſecus autem ſi poſſint aliqua circunſtantia honeſtari; vt homicidium, quod ob defenſionem innocentis poteſt honeſtari; quod nuper fuit damnatum. Tandem eſt *cont. noſtrum Gibb. hìc diſp. 10. dub. 1. n. 9.* aſſerentem delectationem moroſam tendentem non in ipſum obiectum, ſeu actu prohibitum, ſed in ipſam cogitationem obiecti, aut actus mali non eſſe peccatum mortale.

8 Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. lib. 1. de Serm. Domini in Monte c. 23*; vbi ſuper illud *Exod. 20. Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo*; ait: *Sanè conſiderandum quòd non dixit: Omnis, qui concupiuerit mulierem; ſed qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam; idêſt hoc fine, & hoc animo attenderit, vt eam concupiſcat; quod iam non eſt titillari delectatione carnis, ſed plenè conſentire libidini ita, vt non refrænetur illicitus appetitus, ſed ſi facultas data fuerit, ſatietur, nam tria ſunt, quibus impletur peccatum, ſuggeſtione, delectatione, & conſenſione.* Et paulò inf. *Veruntamen delectatio ante conſenſionem vel nulla eſt; vel tam tenuis, vt prope nulla ſit; cui conſentire magnum peccatum eſt, cùm illicita ſit; cùm autem quiſque conſenſerit, committit peccatum in corde ſuo. Si autem etiam in factum proceſſerit, videtur ſatiari, & extingui cupiditas.* Ex quibus patet, quòd nedum conſenſus ad rem prohibitam, ſed etiam ad ipſam delectationem eſt peccatum mortale; vt docet *Fund. Doct. vbiſ.* Item *in pſ. 50.* referens caſum *Dauid* ait: *De longè enim vidit Dauid illam, in qua captus eſt. Mulier longè, libido prope. Alibi erat, quod videret; in illo, vnde caderet. Accendenda eſt ergo hæc infirmitas carnis, recordanda ſunt verba Apoſtoli: Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Non dixit: Non ſit; ſed non regnet. Ineſt peccatum, cùm delectaris, regnat, ſi conſenſeris. Carnalis delectatio præſertim vſque ad illicita, & aliena progrediens frænanda eſt, non relaxanda; imperio domanda, non in imperio collocanda.* Ex quibus patet delectationem etiam præciſo conſenſu ad externã conſummationem peccati eſſe peccatum. Igitur. Prob. 1. Nedum concupiſcere mulierem, ſed etiam mulierem videre cum conſenſu, ſeu determinatione illam concupiſcendi eſt peccatum mortale, ergo delectari nedum de ipſo actu peccati, ſed etiam de ipſa cognitione actus peccati cum conſenſu ipſius voluntatis in ipſam delectationem eſt peccatum mortale; nam ideo videre, & concupiſcere mulierem eſt peccatum mortale, quia adeſt conſenſus; ſed etiam in delectationem moroſam ſiue de ipſo actu, ſiue de cognitione actus adeſt conſenſus; dum enim voluntas illam elicit & volens manet in illa, illi conſentit; ergo delectatio moroſa nedum actus, ſed etiam cogitationis actus eſt peccatum mortale. Prob. 2. euertendo rationem *Gibb.* Si delectatio moroſa cognitionis actus mali non eſſet peccatum maximè, quia illa cogitatio non eſſet mala, ſed indifferens; ſed hoc eſt falſum; nam cogitatio mali per modum affirmationis, & cum delectatione voluntatis eſt mala; ſicut per modum negationis, & cum deteſtatione eſt bona; ergo delectatio moroſa nedum actus mali, ſed etiam cogita-

Digitized by Google

gitationis ipſius eſt mala. Tum quia licèt ipſa cogitatio eſſet bona; at tamen delectatio eſſet mala ratione finis ipſius cogitationis, qui eſſet actus malus; unde illa delectatio eſſet bona ex obiecto, & mala ex fine; ergo delectatio eſſet mala. Tum quia voluntas delectans moroſè de actu malo, & de cogitatione actus mali exponit ſe periculo concupiſcendi illud malum; habetur enim *Iob.31. Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine; quam enim partem haberet in me Deus*; ex quibus verbis manifeſtè deducitur nedum ipſam concupiſcentiam feminæ, ſed etiam ipſam cogitationem eſſe malam, & ſeparantem à Deo ſaltem ob periculum. Tum quia obiectum malum ſiue iure naturæ, ſiue lege poſitiua prohibitum nulla circumſtantia poteſt fieri bonum; ſi enim hoc eſſet, maxime fieret bonum ex fine, qui eſt circunſtantia principalior; hoc autem eſt falſum; aliter furans, ut det eleemoſinam propter Dei amorem, vel vt Deo offerret ſacrificium, non peccaret; aut ſi quis delectaretur de homicidio, quatenus bonũ ſibi, non peccaret; à fortiori poſſet de illo delectari, quatenus interfectus eſt homo inimicus Deo; & ſic delectari de homine mortuo in peccato, quatenus ordinatur ab bonum iuſtitiæ vindicatiuæ; quæ omnia ſunt abſurda. Tum quia delectatio eſt paſſio amoris; delectamur enim de eo, quod amamus; ſicut triſtamur de eo, quod odio habemus; ſed amare actum mortaliter malum eſt peccatum mortale, quia amare eſt velle; & velle peccatum eſt peccare; ergo delectari, quod inuoluit neceſſariò amorem, de actu malo eſt malum; & ſi ille actus eſt malus mortaliter, etiam delectatio erit talis. Tandem ſi liceret delectari de actu prohibito per legem ſiue poſitiuam, ſiue naturalem; liceret etiam illum exequi externè; quod enim licet internè, licet etiam externè; & è contra; vt quia internè licet amare proximum, ſicut ſe ipſum, licet etiam amare externè illum rebus temporalibus beneficando; & quia nõ licet internè ipſum Deo præponere; nec licet externè; hinc eadem lege prohibetur opus externum, & internum; vt patet in præceptis *Decalogi*, quibus prohibetur furtum, & deſiderium furti; ſed non licet externè exequi mortem proximi etiam ſub ratione vtilis, & honeſti, aliter occidere non eſſet peccatum; ergo neque licet internè velle occiſionem; & ideo nec delectari de occiſione; quia delectari vel eſt velle, vel ſaltem ſequitur ad velle.

9 Dices hoc valere de actibus efficacibus; non de inefficacibus.

Sed contra eſt; nam ſi quis deſideret mortem alicui, quam tamen non vult ipſe inferre ob metum iuſtitiæ, peccat mortaliter; & tamen ille actus deſiderij eſt inefficax, quia mortem externè non cauſat; ergo valet de actibus efficacibus, & inefficacibus. Item ad peccatum ſufficit conſenſus, vt docent *SS. PP. communiter*; ſed conſenſus datur nedum actibus efficacibus, ſed etiã inefficacibus; ergo peccatum in vtriſque inuenitur. Tandem lex nedum prohibet opus externum coniunctum cum deſiderio, quod eſt actus internus, ſed etiam prohibet ipſum deſiderium ſeparatum ab opere externo; atqui tale deſiderium eſt inefficax, quia non ponit opus à parte rei; ergo prohibet etiam actus inefficaces.

10 Quòd autem tentatio, vel delectatio, ſeu complacentia ſimplex præciſo conſenſu non ſit peccatum; imò ſit meritoria, ſi ei reſiſtatur, & ſtatim expellatur, patet; nam peccatum non eſt peccatum, niſi ſit voluntarium; ſed non eſt voluntarium, niſi per conſenſum; ergo præciſo conſenſu non eſt peccatum; atqui ſi ei reſiſtitur, ei diſſentitur, non conſentitur; diſſenſus autem eſt meritorius, ſicut aſſenſus eſt demeritorius; ergo ſi ei reſiſtatur, & ſtatim expellatur, eſt meritoria.

11 Obijc. 1. Ab eſu carnium in die Veneris poteſt ſeparari malitia, quia eſt illi accidentalis; ergo tunc delectatio de aliquo prohibito per legem poſitiuam poteſt non eſſe peccatum. 2. Lex humana prohibet ſolùm actus externos; nam actus interni ſoli Deo ſubijciuntur; ergo delectatio, quæ eſt actus internus, circa obiectum prohibitum per legem humanam, poteſt non eſſe peccatum. 3. Delectatio moroſa de actu prohibito per ius poſitiuum non eſt contra aliquod præceptum; ergo non eſt peccatum.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Poteſt ſeparari malitia manente lege poſitiua, neg; ſublata lege, conc. Ad 2. omiſſo ant. neg. conſ; nam licèt delectatio interna præciſa ab opere externo nõ ſit prohibita per legem humanam, eſt tamen prohibita per legem Diuinam poſitiuam; per difformitatem ad quam accipit malitiam. Ad 3. neg. ant; eſt enim contra idem præceptum, quo prohibetur actus externus. Addit *Gibb.* eſſe contra ius naturæ, quæ dictat non eſſe delectandum de malo, ſed de bono tantùm.

12 Obijc. 2. Bellum iniuſtum, & duellum ſunt prohibita iure naturali; & tamen qui delectatur de cognitione, vel viſione illorum, non peccat mortaliter. Item qui delectatur de lectione poematum etiam obſcænorum, & comædiarum, non peccat mortaliter; & tamen earum turpitudines vetantur iure naturæ.

Reſp. diſt. Qui delectatur de bello, duello, poemate, & actibus ludicris obſcænis conſentiendo, vel cum periculo turpium, & malarum cupiditatum, non peccat mortaliter, neg; non conſentiendo, & ſine tali periculo, tranſeat; ex hoc tamen nihil infertur; quia delectans de cognitione actus alieni, illum non approbat; & ideo illi non conſentit; at verò delectans de actu à ſe ipſo patrato, vel patrando, in illum conſentire cenſetur illi delectationi conſentiendo.

13 Aduert. tamen, quòd quandiu durat pu-

pugna voluntatis, ſeu aliqua reſiſtentia, quantumuis debilis, non cenſetur eſſe delectationem; quia delectatio importat quietem, quæ nequit ſtare ſimul cum reſiſtentia, aut pugna.

14 Quæres 1; an liceat viduæ delectari de actu coniugali præterito; & ſponſa de futuro?

Reſp. *Gibb. vbiſ. dub.* 2. licitam eſſe delectationem purè ſpiritualem, quæ eſt actus appetitus rationalis, quo delectatur de copula coniugali, & de delectatione ſenſibili habita, vel habenda in illa; non tamen eſſe licitam delectationem ſenſibilem veneream, quia cùm hæc ſit cum titillatione carnis, mouet voluntatem ad concupiſcendam copulam, ut præſentem, quæ non eſt licita.

15 Sed hic caſus eſt ferè metaphyſicus; nam ex diuturna mora delectationis ſpiritualis inſurgit delectatio in appetitu ſenſitiuo, & motus in membris, & calefactio ſanguinis, ex quibus cauſatur imminens periculum cupiendi nouam copulam, unde phyſicè loquendo dicendum eſt non licere diuturnam delectationem.

16 Idem dicendum eſt, cùm quæritur; an liceat delectari de obiecto malo ſub conditione; v.g. vellem coire cum hac fœmina, ſi eſſet mea vxor?

17 Quæres 3; an liceat delectari de opere prohibito facto ſine peccato ob ignorantiam inuincibilem, vel ob defectum libertatis; v.g. an licuerit *Iacob* detecta veritate delectari de copula habita cum *Lia*?

Reſp. licere delectari de ignorantia, vel de defectu libertatis, quatenus talis ignorantia, & defectus excuſant à peccato; non tamen licere de actu, quatenus libidinoſus, & peccaminoſus eſt; quia ſic eſt malus, & delectari de malo malum eſt; vnde non peccat, qui gaudet ei accidiſſe pollutionem nocturnam abſque ſua cauſa, quatenus ei accidit ſine peccato; gaudere enim ſe non habere peccatum licitum eſt. Peccat tamen, qui delectatur ſe habuiſſe illam delectationem ſenſibilem; quia ſic illam approbat.

18 Quæres 4; an omnes delectationes venereæ tantùm internæ habeant malitiam eiuſdem ſpeciei?

Reſp. negatiuè. *Ita Gibb.* apud quem *noſter Bernardin Bonac; Lore; Suar; Martinez; Leſs; Sal; Rodrig; Monteſin; Sot; Caiet; S. Antonin; Nauar; Med; & alij*. Eſt contra *Vaſq; Sayr; Coninch Dianam, Palao, Ouied; & Arriag.* putantes omnes delectationes venereas habere malitiam ſimplicis fornicationis, & ideo in confeſsione non eſſe explicandum; an delectatus ſit de conſanguinea, moniali, coniugata, virgine, &c. Prob. ex illo *Matth.* 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo*; quibus verbis apertè declaratur delectationem mentalem de coniugata non eſſe ſimplicem fornicationem, ſed habere malitiam adulterij. Inſuper prob. rationibus allatis *to. 3. de Act. hum. q. 5. art. 5. §. 3*; vbi oſtendimus actum internum, & externum non eſſe diuerſæ malitiæ. Tum quia delectatio ſumit ſpeciem ab actu; ergo ab actu diuerſæ malitiæ ſumitur diuerſa malitia. Sed de his ſatis.

§. 1.

An vnum peccatum poſſit eſſe pœna alterius peccati?

CErtum eſt *apud omnes* pœnalitates annexas peccato mortali, de quo *hìc* eſt ſermo; eſſe pœnas ipſius peccati, ſiue antecedant, ſiue ſubſequantur ad ipſum peccatum; ut amiſſio Dei, deperditio gratiæ, infectio naturæ, triſtitia, dolores, morbi, qui conſequuntur ad ipſum peccatum, labores, & dolores præcedentes; & cetera huiuſmodi. Dubium autem eſt; an peccatum, vt peccatum eſt, idèſt ſecundùm deordinationem, & malitiam intrinſecam poſſit habere rationem pœnæ?

Prima ſententia negat. *Ita Dur; Cur: apud Gonet;* qui cenſet hanc ſententiam eſſe *D. Th m.* licèt *ex textibus*, quos adducit, hoc non probetur, vt conſtabit. Ita etiam plures *recentes Thomiſtæ*.

Noſtra docet peccatum formaliter ſecundùm rationem voliti, non eſſe pœnam peccati; eſſe tamen pœnam ſecundùm rationem noliti. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 36. q. 1. art. 2.* In hoc ſenſu intelligendus eſt *D. Th 1. 2. q 87. ar. 2. & in 2. diſt. 36. q. 1. art. 3; D. Bon in 2. diſt. 36. ar. 1. q. 1; Scot. ibid q. 1; Dur. ibid. q. 2. Biel ibid. q. 1. Suar. bìc diſp. 7. ſect. 2; Val. & alij communiùs; pro quo.*

Not. *Fund. Doct. ex Phil. 3. Eth. c 1.* quòd aliquæ actiones non ſunt ſimpliciter voluntariæ, ſed ſunt mixtæ ex voluntario, & inuoluntario; quia tamen plus habent de voluntario, quàm de inuoluntario, ideo fiunt; nam ſi plus haberent de inuoluntario, non fierent. Ita eſt projectio mercium in mari ex metu naufragii; hæc enim eſt voluntaria, quia projiciens vult ſaluari à naufragio, & ob hoc vult projicère merces; & habet etiam de inuoluntario, quia nollet merces amittere, & ſi poſſet, vellet illas, & vitam ſaluare. Quia tamen magis amat vitam, quàm merces, ideo has projicit; & ideo projectio habet magis de voluntario, quàm de inuoluntario; quia efficaciter vult projicere, & inefficaciter nollet projicere. Eadem ergo actio, prout terminat actionem volitionis, eſt volita; & prout terminat actionem nolitionis, eſt nolita. Ita à pari in peccato contingit; eſt enim actio mixta ex voluntario, & inuoluntario; quia importat ſimul delectationem, & inordinationem; & quatenus eſt delectabilis, eſt volita; quatenus verò inordinata, eſt nolita. Dicimus ergo, quòd peccatum, licèt quatenus importat actionem delectabilem, nequeat eſſe pœna; quia

pœna

Digitized by Google

pęna affligit, non delectat; attamen quatenus importat eandem actionem, prout inordinatam, eſt pœna; quia ſic affligit, non delectat. Ita intelligendus eſt *D. Tho. in 2. vbiſ. Contigit idem eſſe culpam, & pœnam, non tamen ſecundùm eandem rationem; quia omnis pœna, in quantùm pœna eſt, voluntati contrariatur, omnis autem culpa voluntarij rationem habet*. Igitur ſi *idem* poteſt eſſe culpa, & pœna ſecundùm diuerſas rationes; non enim noſtra ſententia vult eſſe pœnam, & culpam ſecundùm eandem rationem; patet nanque rationem pœnæ diuerſam eſſe à ratione culpæ; euidenter ſequitur peccatum poſſe eſſe pœnam peccati.

5 Vnica concl. Peccatum poteſt eſſe pœna peccati.

Prob. 1. *ex pſ. 68. Appone iniquitatem ſuper iniquitatem ipſorum*. Super quod *Beatiſ. P.* ait: *Quis hanc iniquitatem appoſuit? Ille, qui dixit: Fortè reuerebuntur Filium meum, ipſum mittam; ſolebant enim occidere miſſos ad ſe ſeruos exactores locationis, atque mercedis. Miſit ipſum Filium, vt & ipſum occiderent. Appoſuit iniquitatem ſuper iniquitatem ipſorum. Et hęc Deus ſæuiendo fecit, an potiùs iuſtè retribuendo? Fiat enim illis, inquit, in retributionem, & in ſcandalum. Meriti erant ſic excæcari, vt Filium Dei non agnoſcerent. Et hoc fecit Deus apponens iniquitatem ſuper iniquitatem ipſorum; non vulnerando, ſed non ſanando*. Ex quo ſic 1. Deus iuſtè permittit vnum peccatum in pœnam præcedentis peccati; nam per primum peccatum homo demeretur gratiam, per quam ſolùm poteſt euitare ſequens peccatum; ergo vnum peccatum eſt pœna alterius; illud enim eſt pœna, quod permittitur in pœnam, aliter non eſſet in pœnam. 2. Excæcatio eſt pœna præcedentium peccatorum; ſed excæcatio eſt peccatum; quia excæcatio eſt malitia; dicitur namque: *Excæcauit enim illos malitia illorum*; ergo idem. 3. Malum, quod retribuitur alicui, eſt pœna peccati; ſicut bonum, quod retribuitur, eſt præmiũ meriti; retributio enim mali pertinet ad iuſtitiã vindicatiuam inflictiuam pęnæ, ſicut retributio boni ad iuſtitiam remuneratiuam diſtributiuam præmij; ſed vnum peccatum retribuitur pro alio; ergo idem. 4. Non minùs eſt pęna infirmo vulnerati, quàm permiſſio noui morbi, & infirmitatis; ergo peccatori non minùs eſt pęna malum purè afflictiuum, quàm permiſſio noui peccati, quod eſt nouus morbus.

6 Et *in Suppl. cont. Iul. lib. 1. c. 47.* ait; *Proinde iſta tria diſcernas; & ſcias aliud eſſe peccatum, aliud pęnam peccati, aliud vtrunque ſimul; id eſt ita peccatum, vt ipſum ſit etiam pœna peccati*; quod habet etiam *c. 44; 105; & ſæpiſſimè alibi; & lib. 2. Confeſſ. c. 12. Iuſſiſti, Domine, & ſic eſt; vt pœna ſua ſit ſibi omnis inordinatus animus* Idem habent communiter SS. PP. docentes ipſum peccatum *eſſe tormentum conſcientiæ*. Et communi firmatur adagio: *Peccatum eſt pœna peccati*.

7 Reſp. *Gonet* peccatum eſſe pęnam, non quãtùm ad malitiam, ſed quantùm ad alia, quæ antecedunt, concomitantur, vel conſequuntur ad ipſum peccatum.

Sed contra eſt 1. & magis prob. concl. Ipſa malitia formaliter diſplicet, ergo ipſa malitia formaliter eſt pęna. 2. Vel ea, quæ antecedunt, concomitantùr, & ſubſequuntur, ſunt formaliter peccata, vel non? Si primum; ergo eſt eadem ratio, ac de peccato, quod antecedunt, comitantur, & ſequuntur. Si ſecundum; ergo de ipſis nequeunt intelligi *Scripturę, & PP.* loquentes de peccato, vt peccatum eſt formaliter; & ideo nequeunt explicari de eo, quod non eſt peccatum; aliter explicarentur per oppoſitum ad id, quod dicunt; & ſic cùm quis dicit *tenebras eſſe*, poſſet intelligi, quòd diceret *lucem eſſe*; quia lux eſt antecedens tenebras illis oppoſitum; quod eſt omnino fatuum. *Ex Fund. Doct.* Malum, vt malum, eſt contriſtatiuum, & afflictiuum; quia malum non delectat, niſi quatenus cognoſcitur, vt apparenter bonum; ſed peccatum formaliter eſt malum; ergo peccatum ſecundùm ſe formaliter eſt contriſtatiuum, & afflictiuum; ſed omne contriſtatiuum, & afflictiuum eſt pœna; ergo idem. *Vid. alias rationes allatas q. 2. art. 4 § 3. n. 67.*

8 Obijc. 1. *Gonet.* De ratione pęnæ eſt, quòd ſit malum, diſconueniens & repugnans inclinationi voluntatis; ſed peccatum ſecundùm ſe non eſt huiuſmodi, quia eſt voluntarium; ergo nequit eſſe pęna. 2. De ratione pœnæ eſt, quòd ſit reparatiua culpæ, ſeu bonitatis deſtructæ; pœna enim ordinatur à iuſtitia ad reparandam culpam; ſed peccatum non eſt huiuſmodi; ergo idem. 3. Quælibet pœna eſt à Deo; ſed peccatum nequit eſſe à Deo; ergo idem.

Reſp. ad 1. retorq. mi. Sed peccatum, vt nolitum, eſt malum diſconueniens, & repugnans voluntati; ergo, vt nolitum, eſt pœna. Ad 2. reſp. *Fund. Doct. hic* ad 3. diſt. ma. Pœna eſt reparatiua culpæ per ſe, neg; nam in inferno non reparat culpam; & in via ex pœna fiunt deteriores; ratione gratiæ, conc. Ad 3. diſt. ma. Pœna eſt à Deo poſitiuè, vel permiſſiuè, conc; & in hoc ſenſu neg. mi; poſitiuè tantùm, neg.

9 Inſt. Si ſufficeret ad rationem pœnæ eſſe à Deo permiſſiuè, Deus non minùs eſſet Auctor culpæ, quàm pœnæ; quia etiam culpa eſt permiſſiuè à Deo.

Reſp. neg. aſſumpt; Deus enim ordinat peccatum, vt nolitum, ad pœnam, non autem illud effectiuè producit; neque ordinat, vt volitũ, ſic enim peccatum caret ordinatione; ergo non eſt Auctor poſitiuè illud efficiendo, ſed ſimpliciter illud ordinando, vt nolitum à voluntate creata, in pœnam illius.

A R T. V.

De pœnis, & loco pœnarum peccati mortalis.

1 DIximus peccato mortali iam dimiſſo deberi pœnam temporalem; peccato autem mortali non dimiſſo deberi pœnam æternam. De loco vtriuſque pœnæ breuiter eſt agendum; & deinde pœnis, quæ in illis reperiuntur.

§. I.

De Purgatorio.

2 IOannes Hus, & Vuicleff, quos poſtea ſecuti ſunt *Lutherani*, negarunt Purgatorium; quos *in Conc. Conſtant.* debellauit *noſter Mag. Io. Zacharias Erfordienſis*, qui à *Sixto Sen. in Biblioth.* dictus eſt *aduerſus Huſſitas, & Vuicleſitas hæreticos Catholicæ fidei Propugnator inſignis*, & ob tam inſignem pro fide victoriam à Summo Pontifice roſa fuit donatus; vt tradunt *Philipp. Elſſ; Lancill; Trith; & Felix Milen. Alphab. Germ.* Hunc errorem aliquando ſecuti ſunt etiam *Græci*, quem tamen *in Conc. Flor.* abiurarunt.

3 Dari ergo Purgatorium, qui eſt locus luendis peccatorum pœnis, quæ in hac vita ſolutæ non ſunt, deſtinatus, eſt dogma fidei.

Prob. 1. *ex 1. Cor. 3;* vbi poſtquam *Apoſt.* dixit, quòd gratia eſt fundamentum bonorum operum, & quòd in igne reuelabitur, an opera ſuperædificata ſuper hoc fundamentum ſint aurum, argentum, & lapides pretioſi, idèſt opera meritoria; vel ligna, fęnum, & ſtipula, idèſt opera mala igne combuſtibilia, & purganda; ait: *Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet; ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur; ipſe autem ſaluus erit; ſic tamen quaſi per ignem.* Idèſt ſi poſt hanc vitam opera animarum decedentium in gratia nihil habeant igne purgandum, ſtatim gloriam aſſequentur; ſi autem habeant aliquod comburendum, & purgandum, combuſtionis pęnam patientur; & poſtea purgatæ per ignem ſaluabuntur; ſuper hoc *vid. Beatiſſ. P. Aug. in Enchir. c. 68; & lib. 2. de Gen. cont. Mani. c. 20; & alibi.* Et 2. *Machab. 12. Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur*; ſed animæ defunctorum nequeunt ſolui à culpa, quæ in hac vita ſolùm dimittitur; ergo ſoluuntur tantùm à pęna, quæ pro peccatis infligitur; & ideo datur purgatorium, qui eſt locus pœnarum in alia vita deputatus. Quamuis autem *Hæretici* negent *hunc librum* eſſe Canonicum; Eccleſia tamen ipſum, vt Canonicum recipit *teſtibus D. Hier. in prol. ad 2. lib. Mathab; & Beatiſſ. P. lib. 18. de Ciu. Dei c. 36.* *Item Matt. 12. Qui dixerit verbum contra Spiritum S. non remittetur ei in hoc ſæculo, neque in futuro*; ergo dantur peccata leuia, quæ remittuntur in alia vita; vt optimè infertur *diſt. 25. c. Qualis*; ſed hæc remiſſio nequit fieri in paradiſo, in quo nihil eſt purgandum, aliter non eſſet paradiſus, qui eſt locus ſolus gaudij, non pęnarum; neque in inferno, quia non eſt locus remiſſionis; ergo in purgatorio. Item *Matth. 5.* poſtquam Chriſtus Dominus dixit, quòd dum ſumus in via, idèſt in hac vita, debemus reconciliari noſtris inimicis, ne inimici tradunt nos Iudici, qui mittet nos in carcerem, ait: *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem*; qui carcer nequit intelligi de inferno, à quo exire non datur.

4 Prob. 2. ex Traditione continua ipſius Eccleſiæ, quæ orat, & ſemper orauit pro mortuis, vt à pœnis ſoluantur; & ab hoc inſtituit *officium Defunctorum*, aliaſque orationes; & colligitur hæc traditio *ex SS. PP;* qui in Eccleſia fuere, & ab Apoſtolis vſque ad hæc tempora hanc doctrinam vnanimiter tradiderunt.

5 Tandem definitum fuit *in Conc. Carthag. in decreto Innoc. I; & Gelaſij in Conc. Epheſ; Flor; & demum in Trid. ſeſſ. 6. can. 30.* anathematizatur negans purgatorium; *& ſeſſ. 25. in decreto de Purgatorio* habetur hanc eſſe traditionem Eccleſiæ: *Cùm Eccleſia Catholica Spiritu S. edocta ex ſacris literis; & antiqua Patrum traditione in ſacris Concilijs, & nouiſſimè in hac OEcumenica Synodo docuerit purgatorium eſſe &c.*

6 Prob. 3. *ex B. P. Aug. lib. 21. de Ciu. Dei c. 16;* quam tangit *Fund. Doct. in Opuſc. lib. de Inferno c. 15.* Hæc eſt differentia inter baptiſmum, & pœnitentiam; quòd per baptiſmum tollitur omnis culpa, & omnis pœna, ſiue æterna, ſiue temporalis ſubeunda in alia vita; & ſolùm remanet pœna temporalis miſeriarum in hac vita inflicta peccato originali; per pœnitentiam verò tollitur omnis culpa, & pœna æterna, non temporalis; quapropter in ſacramento pœnitentiæ iniungitur pęna, quæ non iniungeretur, ſi omnes pœna tolleretur; ſicut non iniungitur in baptiſmo; propter quod in baptiſmo conſepelimur cum Chriſto, & nobis eius paſſio pleniſſimè ſuffragatur; ergo quando pœna pro peccatis in ſacramento pœnitentiæ expiatis adæquatè non ſoluitur in hac vita, remanet in purgatorio ſoluenda.

7 Obijc. *Hæretici. Apoc. 14.* habetur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur; amodò iam dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis*; ergo ceſſant pœnæ per mortem; magnus enim labor eſt in ſubſtinendis pœnis. 2. *Matt. 25.* ſolis damnatis dicitur: *Ibunt in ignem æternum.*

Reſp. ad 1. intelligi de laboribus huius vitæ, in qua laboramus, vt certam noſtram vocationem faciamus; cùm enim decedimus in gratia, non eſt ampliùs circa hoc laborandum; non intelligi tamen de pœnis, quas ſubire debemus in ſatisfactionem noſtrorum delictorum, quibus in hac vita non eſt ſatisfactum. Ad 2. dicitur illam ſententiam finaliter accipi, vt ſcilicet damnētur ad ignem, à quo nunquam valeant redimi; ani-

animæ verò iuſtorum ſententiam hæreditatis ad regnum accipiunt,quam tamen exequi non poſſunt,niſi priùs igne purgentur iuxta illud *pſ.65. Tranſiuimus per ignem, & aquam,& eduxiſti nos in refrigerium*.

8 Quæres 1;vbi ſit purgatorium ?

Reſp.communiter teneri eſſe in viſceribus terræ ſuper os inferni;& colligitur *ex SS.PP.* vt ex *Beatiſs.P.de Gen.vbiſ;* vbi docet eodem igne purgari ad tempus,vel æternaliter puniri. Idem habet *D.Greg.lib.4.Dialog;& alij SS.PP;*& colligitur *ex Scriptura;* nam purgatorium aliquando vocatur nomine inferni;vt *Iob.14. Vt in inferno protegas me.* Hoc autem eſt intelligendum de lege communi; nam ex diſpenſatione ſpeciali probabile eſt aliqua animas purgari , vbi peccauerunt ; vt narrat *D. Greg.in Dialogis de quodam Epiſcopo Capuano,*qui purgabatur in balneis; quæ diſpenſatio ſit ad viuentium eruditionem,vt diſcant purgare peccata in hac vita;vel vt purgantibus præſtent ſuffragia.

9 Quæres 2; an pęnæ purgatorij ſint in omnibus æquales ?

Reſp.negatiuè;nam qui plus peccauerunt, maiorem pęnam patiuntur.

10 Quæres 3;quanto tempore quis maneat in purgatorio ?

Reſp.hoc eſſe incertum ; quanuis enim *aliqui* dixerint neminē in purgatorio detineri plus, quàm quadraginta annos ; vt figuratum fuit in tranſitu *Hebræorū* per mare rubrū;*alij* viginti annos,*alij* decem; attamen *Beatiſs. P. ſerm. 44. ad Fratres in Eremo,*ait:*Conſulo,vt pro defunctis exorare non deſiſtatis*. Et ſtatim rationem reddit: *Multi enim fuerunt, qui reputati fuerunt ſancti,& tamen in conſpectu Dei,non boni,ſed mali inuenti ſunt. Accipe igitur,quod eſt certū,& dimitte, quod eſt incertum.*

§. 2.

De Inferno.

11 **B**Eatiſs. P. lib. 21.de Ciu. Dei à c.17. vſque ad 23;vt refert *Fund. Doct. in Opuſc. tract. de Inferno c.* 10; adducit ſeptem opiniones de inferno. Prima eſt *Platonicorum,& Origenis,* qui dicebāt nullam pęnam eſſe æternā, ſed omnem eſſe purgatoriam; vnde iſti ponentes alternationem beatitudinum,& miſeriarum, negabant veram beatitudinem,de cuius ratione eſt perpetuitas. Secunda, quæ eſt magis erronea, putabat, quòd Deus non poſt multa flagella miſerebitur dęmonibus, & damnatis. Tertia,quòd ſolis hominibus damnatis, non dęmonibus miſerebitur. Quarta,quòd non omnibus hominibus, ſed ſolis baptizatis,etiam hæreticis, qui fuerunt participes corporis,& ſanguinis Chriſti Domini miſerebitur Quinta,quòd miſerebitur omnibus baptizatis etiam hæreticis , qui veram fidem habuerunt , & aliquando fuerunt veri fideles Catholici ; quanuis poſtea in hæreſim lapſi mortui fuerint in impietate; non tamen miſerebitur eis, qui nunquam fuerunt catholici;vt volebat quarta ſententia. Sexta eſt aliorum dicentium, quòd Deus miſerebitur ſolis fidelibus catholicis,etiāſi peſſimè vixerint. Septima, quòd Deus miſerebitur illis ſolis catholicis,qui ſe exercitauerunt in operibus pietatis,& miſericordiæ.

12 Catholica veritas eſt Dęmones, & homines damnatos in æternum eſſe cruciandos.

Prob. 1. *Ex Matt.25.Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius; & Iſaiæ 66.Vermis eorum non morietur, & ignis eorum nō extinguetur;*quod habetur etiam *Marc.9.*

13 Obijc.1. *Pſ.7.* habetur: *Non obliuiſcetur miſereri Deus;*ergo aliquando miſerebitur etiam Dęmonibus 2. *Pſ.143. Non continebit in ira miſericordiam ſuā.* Tum quia *Iona* 3.habetur,quòd dixerat Deus *Niniuem* eſſe ſubuertendam, & tamen ſubuerſa non fuit ; ergo quanuis dixerit in æternum puniendos ; attamen in æternum non puniuntur.3.*Rom.* 11.dicitur; *Concluſit Deus omnia in infidelitatem,vt omnium miſereatur*; ergo miſerebitur etiam infidelibus.4. *Io 6.*habetur: *Si quis manducauerit ex hoc pane,viuet in æternum;* ergo illi, qui fuerūt participes corporis Chriſti, ſaluabuntur.5.*Marc.16 Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit* 6.*Cor.1.c.3.*habetur,quòd ſi quis ſuperædificauerit ſupra fundamentum, quod eſt fides, *ſaluus erit, ſic quaſi per ignem.* 7. *Iac.2. Iudicium Dei ſine miſericordia fiet illi, qui non fecerit miſericordiam.*

Reſp.ad 1.*Beatiſs.P.de Ciu.vbiſ.c.23;& locis cit.in ſup.§.*illum textum intelligi de hominibus ſolùm in ſtatu viæ, qui eſt ſtatus miſericordiæ;vel ſi volumus ipſum referre ad aliam vitā, dicitur Deus miſereri,quia punit citra condignū. *Ita etiam Fund. Doct. vbiſ. c.* 11. Eodem modo reſp. ad 2. *ex Beatiſs. P.de Ciu.c.24. & ex Fund. Doct.vbiſ.*Ad *Niniuem* dicitur ſententiā comminatoriam fuiſſe ad excitandam pęnitentiam;damnati autem mulctantur ſententia executoria,quia non ſunt ampliùs in ſtatu pœnitentiæ. Vel dicitur cum *Beatiſs.P.Niniuem verè fuiſſe ſubuerſam in malo,& ædificatā in bono.*Ad 3.ait *Fund.Doct. ex Beatiſs.P.de Ciu.c.24;*quòd *Scriptura* loquitur de ſolis prædeſtinatis, qui ſoli ſunt vaſa miſericordiæ. Ad 4. dicitur *illum textum* intelligi de dignè,non indignè manducantibus; nā 1.*Cor.11.* habetur *Qui enim manducat,& bibit indignè,reus erit corporis,& ſanguinis Domini.* Hinc *Beatiſs. P. de Ciu.vbiſ.c.25.*ait:*Non manducant corpus Chriſti,qui non ſunt in corpore Chriſti;*nam licèt hæretici manducent corporaliter corpus Chriſti;non tamen manducant ſpiritaliter,quia gratiā ſacramenti non recipiunt ; illi ergo qui manducant ſpiritaliter, viuent in æternum. Ad 5.dicitur, quòd labens in hæreſim ampliùs non credit, & fidem amittit;ideo ſaluus non erit; quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo,*vt dicitur *Hebr.11;* de

quo *vid. Beatiſs. P. lib. 4. cont. Iul. c. 3.* Ad 6. dicitur quòd ſuperædificans ſupra fidem opera bona ſaluus erit; quia *fides ſine operibus mortua eſt.* Ad vlt. dicitur, quòd qui non facit miſericordiam, damnatur; quia talis non habet charitatem, per quam ſolùm poteſt ſaluari.

14 Obijc. 2. *Traianum* ab inferno fuiſſe liberatum precibus *D. Greg.* tradit *Dam*; quòd factũ fuiſſe per potentiam Dei extraordinariam docent *D. Tho. in 4. diſt. 45. q. 2. art. 2; Fund. Doct. Quodl. 1. q. 2. Abul. in 4. lib. Reg. c. 4. q. 57. Nauar. in Enchir. c. 22; Sixtus Sen; Alphon. Ciacon*; apud quem *alij*. Et quanuis *Bellarmin. de Purg. & Baron. anno* 604. hanc hiſtoriam inter fabulas reijciant, attamen non ſunt audiendi, quia *Doctores* tam graues oppoſitum ſuſtinent.

Reſp. *Traianum, & alios* ab inferno ereptos non fuiſſe à Deo damnatos ad illum ignem finaliter per ſententiam definitiuam, ſed ſolùm per modum depoſiti vſque ad liberationem per ſententiam interlocutoriam, vt aiunt; nos autem *hic* loquimur ſolùm de damnatis definitiuè ſecundùm legem ordinariam.

15 Quæres; an infernus ſit locus corporeus?

Reſp. circa hoc difficultatem facere id, quòd docet *Beatiſs. P. 8. de Gen. ad lit. c. 5*; quòd ſcilicet anima exuta à corpore non feratur ad corporalia loca, ſed ad ſimilitudinem corporalium. Sed *Sanctiſs. P. ibid.* nihil aliud docet, niſi quòd anima ad corporalia loca non feratur localiter, ſicut fertur corpus; anima enim eſt ſpiritualis; & eodem modo mouetur, ac Angelus; ſicut ergo Angelus mouetur per tempora, non per loca; vt diximus *to. 3. de Ang q. 3. art. 1*; ita dicitur de anima. Infernus igitur eſt locus corporalis; vt manifeſtè docet *in pſ. 6.* ſup. illud: *In inferno quis confitebitur tibi; & ſæpe alibi.* Ratio *Fund. Doct. vbi ſ. c. 9.* eſt. Beati collocantur ſuper omnes Cęlos in parte corporali nobiliori, ergo damnati in parte inferiori ipſius terræ, quæ eſt locus ignobilior.

§. 3.

Quomodò ſpiritus crucientur igne?

16 EAdem eſt difficultas de Dęmonibus, & animabus ſeparatis, quia animæ ſeparatæ ſunt ſpiritus incorporei, ſicut dęmones.

17 Quidam *Epicureus apud Lactan. lib. 7. c. 7.* & *Lutherocaluiniſtæ*, quibus refertur adhærere *Cathar. lib. de Prǽmio bonorum, & ſupplicio malorum*, putarunt ignem cruciantem Dęmones nõ eſſe verum ignem, ſed per metaphoram ignem appellari, & re ipſa nihil aliud eſſe, quàm remorſum conſcientiæ peccatorum, qui metaphoricè dicitur ignis, & vermis *Iudith 16. Dabit ignem, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiãt in ſempiternum; & Iſaię 66. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*

18 Sententia tamen communis *SS. PP; ac DD.* eſt Dęmones, & animas damnatas cruciari vero igne corporeo, vt habetur *Matt. 25*; quod de vero igne explicat *Beatiſs. P. lib. 21. de Ciu. Dei c. 10.* dicens: *Adhærebunt ſpiritus incorporei corporeis ignibus cruciandi.* Non eſt autem idem iudicium faciendum de igne, & vermibus; nam non eſt tam certum, an animalia ſint perpetuò duratura, & ideo vermis ſumi poteſt methaphoricè pro remorſu conſcientiæ. At de igne certum eſt perpetuò duraturũ; quia certum eſt omnia elementa nunquam eſſe deſtruenda, ſi de igne corporeo intelligantur *Scripturæ*, quæ iuxta ſenſum literalem ſunt accipiendæ, quoties nullum ſequitur abſurdum, vt docet *Beatiſſ. P.* Quãdo autem aliqui *SS. PP.* videntur docere illum ignem non eſſe corporeum; nihil aliud intẽdunt, niſi quod quoties ille ignis conſeruatur ſine materia combuſtibili, quia ſine pabulo; non autem, quòd non ſit ignis materialis. Suppoſito igitur quoſcunque ſpiritus in inferno cruciari vero igne corporeo, lis eſt *inter DD.* de modo, quo crucientur. Cùm enim ignis ſit corporeus, & corporeum non poſſit agere, niſi in corpus, videtur, non poſſe agere in ſpiritus.

19 Prima ſententia vult ignem producere in ſpiritibus qualitatem diſconuenientem eorum naturis, per quam acerbiſſimè cruciantur. Sed diuiſa eſt; nam *alij* volunt illam qualitatem eſſe materialem; & nihil aliud eſſe, quàm calorem materialem, quanuis inextenſum, quia non repugnat accidens materiale inextenſum recipi in ſubſtantia ſpirituali. *Ita noſter Gibb. de Ang. diſp. 27. dub. vlt*; apud quem *Henric. Quodl. 8 q. 34. & Albertus. Alij* volunt eſſe qualitatem ſpiritualem fœdantem naturam ſpirituum, & productam per potentiam obedientialem ipſius ignis. *Ita Suar. lib. 8. de Ange. 14; Malon; Peſant; Arriag; & alij. Alij* eſſe qualitatem ſpiritualem immediatè ſubiectatam in potentijs operatiuis impedientem illas, nè operentur; & ideo ſpiritus torqueri per alligationem. *Ita Io. à S. Tho, & alij Thomiſtæ.*

20 Secunda vult ignem nihil producere in ſpiritibus, & tamen eos torquere. Sed pariter diuiſa eſt; nam *aliqui* volunt torqueri per ſolam apprehenſionem eo, quòd ſimpliciter ignem apprehendant. Tribuitur *D. Bon. Alij* per impreſſionem ſpecierum intentionalium dolorem afferentium. Tribuitur *Scot; & etiam Fund. Doct. & Gabr. Alij* per ſimplicem alligationem cognitam, & nolitam; quæ alligatio ſe habet per modum carceris detinentis illos in certo loco, ne poſſint ubique vagari; vel per modum obiecti determinãtis potentiam intellectiuam ad ſui conſiderationem, ne expeditè poſſit ſe conuertere ad alia obiecta; vel per modum ligaminis impedientis potentias, ne ſuas functiones exerceant. Hanc ait *Maſtr.* eſſe communiorem *diſp. 3. q. 6. art. 5. n. 127; vbi refert Thomiſtas, Nominales, & Recentiores.*

21 *Fund. Doct. Quodl. 2. q. 9; & in Opuſc. de Inferno c. 12; & 13.* rem hanc difficillimam cla-

riùs

ꝛiùs aperuit dicens, quòd ſpiritus cruciantur ab igne, cui alligantur à Diuina potentia, per fortem immutatione intentionalem cauſaram in eorum intellectu ab igne, tanquam ab inſtrumento Diuinæ iuſtitiæ quæ eſt principale læſiuum illorum, diuinitus eleuato ad agendum inſtrumentaliter in ipſos; *pro cuius explic.*

22 Not. *ex eod. ibid*; quòd hæc difficultas nunquam poteſt clarè explicari, niſi explicetur, in quo conſiſtat, & quomodò cauſetur dolor; quod quia omittunt ferè *omnes DD*; ideo ferè omnes obſcurè procedunt. Dolor ergo duplicem paſſionem, ſeu immutationem ſubiecti dolentis importat. Prima eſt immutatio realis, quæ fit à læſiuo; ad dolorem enim requiritur, quòd fiat aliqua læſio realis à contrario; quia cùm dolor ſit fortis immutatio intentionalis; & fortis immutatio intentionalis nequeat eſſe ſine immutatione reali; ideo ad dolorem requiritur immutatio realis; v, g. ad hoc, vt ignis cauſet dolorem in carne, non ſufficit, quòd ſenſus tactus per calorem quocunque modo immutetur; nam ſi temperatè immutetur, & vt exigit natura viuentis, potiùs erit delectatio, quàm dolor; quia ſicut doler de nimio calore corrumpente naturam; ita delectatur de calore temperato illam conſeruante. Ad dolorem ergo requiritur immutatio realis, quæ ſola poteſt cauſare fortem immutationem intentionalem in ſenſu, in quo conſiſtit formaliter dolor, vt mox dicemus. Secunda immutatio eſt intentionalis, ſecundùm quam ſenſus habet ſentire immutationem realem factam à læſiuo; & in hac conſiſtit formaliter dolor, ac propterea immutatio realis ſolùm præſuppoſitiuè ad dolorem requiritur; nam ſi tolleretur à carne immutatio intentionalis, caro non ſentiret; quia nequit fieri ſenſatio, niſi per ſpeciem intentionalem receptam in ſenſu, per quam ſenſus intentionaliter immutatur; oculus enim nequit videre, niſi per ſpeciem in ipſo receptam immutetur; nec doleret, aliter lapides, & ligna, cùm ſcinduntur, dolerent, cùm verè immutentur realiter à ſuo læſiuo; & ſic plantæ, cùm vita priuantur; & quodlibet corpus inſenſibile; cùm à contrarijs corrumpitur, doleret; quòd nullus diceret. Ex alia parte autem poteſt dari dolor abſque immutatione reali, quia ex forti immutatione imaginatiuæ poteſt falsò concipere aliquam læſionem, quæ non eſt, & ex illa excitari dolorem, vt experientia notum eſt. Ergo dolor conſiſtit formaliter in forti immutatione intentionali; ad hoc autem, vt ſit dolor de aliquo læſiuo reali, & non imaginario, præſupponit immutationem realem, à qua ſolùm cauſatur fortis immutatio intentionalis de læſiuo reali; quanuis fortis immutatio intentionalis de læſiuo imaginario poſſit etiam cauſari à forti impreſſione ſpeciei facta in phantaſia: vt dictum eſt.

23 Addit *Fund. Doct.* quòd dolor non ſolùm non conſtituitur formaliter per immutationem realẽ, ſed potiùs per illã impeditur, quotieſcunq; eſt in exceſſu; nam vehemens immutatio realis impedit ſenſum, & per conſequens dolorem; qui non fit, niſi per ſenſum; vt patet in recenter vulneratis, qui dum durat calor vulneris, non ſentiunt dolorem; & narrat *de quodam* habente pedes nimis infrigidatos, quos cùm poſuiſſet in aquam nimis calidam, aquam non ſenſit, niſi poſtquam pars carnis iam coctæ è pedibus cecidit; ergo immutatio realis, quantùm eſt ex ſe, potiùs impedit dolorem; requiritur tamen ad dolorem, quia requiritur læſiuum cõtrarium. Verùm ſi poſſet dari læſiuum contrarium abſque immutatione reali cum ſola immutatione intentione, maior eſſet dolor, quia nec impediretur, nec tolleretur ab immutatione reali; nam ſicut immutatio ſimpliciter tollit dolorem ſimpliciter; ita immutatio realis, ſecundùm quid tollit dolorem ſecundùm quid; & ideo non cauſat dolorẽ, quatenus immutatio eſt, ſed quatenus affert præſentiam læſiuĩ, & nociui, quod eſt dolenti contrarium.

24 Læſiuum autem, ſeu nociuum contrariũ debet eſſe tale, quod poſſit tollere vitam, & deſtruere eſſe ipſius patiẽtis; quapropter ait *Fund. Doct.* dolorem in corpore maximè fieri ſecundũ qualitates tangibiles, quæ poſſunt ipſum corpus deſtruere. Hoc autem intelligitur de læſiuo principali, non de inſtrumentali, quod nequit mortem, aut dolorem inferre, niſi in virtute læſiui principalis, vt patet de gladio, qui dolorem, & mortem non infert, niſi quatenus applicatur, & mouetur ab inimico, qui eſt læſiuus principalis.

25 Ex his deducitur, quòd quanuis ignis nequeat immutare realiter ſpiritus, qui ſunt incombuſtibiles, quia incorruptiles; attamen poteſt aſſumi, vt inſtrumentum Diuinæ iuſtitiæ vindicatiuæ, quæ eſt læſiuum, ſeu nociuum contrarium, quia eſt illis inimica, & vt inſtrumentum aſſumptum cauſare in intellectu ſpirituum immutationem intentionalem, per quam fit formaliter dolor; imò maximus dolor, quia eſt ſine immutatione reali cum præſentia tamen læſiui, ſeu nociui contrarij; nàm quanuis ignis ſit materialis, & quatenus talis, nequeat agere, vt agens principale in ſpiritus; attamen in virtute Dei, qui eſt immaterialis, poteſt inſtrumentaliter eleuari ad cauſandam immutationem intentionalem in intellectu ſpirituum; ſicut quanuis phantaſmata materialia ſint corporea; attamen in vi luminis intellectus agentis, qui eſt immaterialis, eleuantur ad cauſandam immutationem intentionalem in intellectu poſſibili; patet autem, quòd immutatio intentionalis eſt communis ſenſui, & intellectui; quia fit ſine materia; ergo ſi corpus ſentit dolorem combuſtionis, qu[a]tenus immutatur intentionaliter ab igne; idẽ dicendum eſt de ſpiritibus, qui poſſunt ab igne inſtru-

inſtrumentaliter eleuato intentionaliter immutari. *Hic nos.*

26 Vnica concl. Animæ, & Dœmones cruciantur ab igne per alligationem, quatenus intentionaliter immutantur ab illo, cui alligantur inſtrumentaliter eleuato à Diuina iuſtitia, quæ eſt eorum læſiua, nociua, inimica, & contraria.

Prob. 1. *Apoc. 20. Apprehendit Angelus Draconem, qui eſt Diabolus, & Sathanas, & ligauit eum per annos mille, & miſit in abyſſum*; & *ep. Iudæ. Vinculis æternis ſub caligine reſeruauit*; & *Thren 3. Aggrauauit compedem meum*; & *Iſaia 24. Claudentur ibi in carcere*, quibus in locis explicatur pena demonum per alligationem. Hinc *Beatiſs P. lib. 21. de Ciu. Dei c. 10.* ait: *Cur enim non dicamus, quamuis miris, tamen veris modis etiā ſpiritus incorporeos poſſe pena corporalis ignis affligi; ſi ſpiritus hominum etiam ipſi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari? Adhærebunt ergo, ſi eis nulla ſunt corpora, ſpiritus Dæmonum, licèt incorporei, corporeis ignibus cruciandi; non vt ignes ipſi, quibus adhærebunt, eorum iunctura inſpirentur, & animalia fiant, quæ conſtent ſpiritu, & corpore; ſed, vt dixi, miris, & ineffabilibus modis adhærendo excipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam.* Et poſtquam dixit, quòd poſſet reſponderi flammam illam eſſe incorporalem, ſicut fuerunt incorporales oculi *Epulonis*, quos leuauit ad videndum *Lazarum*; lingua, & digitus; ſicut incorporalia ſunt viſa dormientium, vel in extaſi cernentium res incorporales, ſubdit: *At verò gehenna illa, quod etiam ſtagnum ignis, & ſulphuris dictum eſt corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum &c.* Tandem cōcluſit, quòd *vnus vtriſque* (idèſt hominibus, & Dœmonibus) *ignis erit, ſicut veritas dicit.* Ex his ſic arguitur. Ex eo, quod aliquod immutetur intentionaliter ab aliquo obiecto dolorifero præſentato ab eius læſiuo contrario, verè dicitur cruciari ab illo; ſed ſpiritus ex eo, quòd alligentur igni, verè immutantur intentionaliter ab obiecto dolorifero illis præſentato ab eorum læſiuo contrario; ergo ſpiritus ex eo, quòd alligentur igni, verè dicuntur cruciari ab illo. Ma. patet ex dictis; nam dolor formaliter fit per immutationem intentionalem factam ab aliquo obiecto dolorifero præſentato à læſiuo contrario; non autem per immutationem realem. Mi. etiam probata eſt; nam quamuis ignis non poſſit immutare realiter ſpiritus, quia ſpiritus ſunt realiter incombuſtibiles, & incorruptibiles; & quamuis non poſſit immutare intentionaliter, tanquam cauſa principalis; quia cauſa principalis nequit eſſe inferior effectu; ignis autem, vt potè corporalis, eſt inferior ſpiritibus, & immutatione ſpirituali in ſpiritibus cauſata; attamen poteſt immutare intentionaliter, tanquam cauſa inſtrumentalis Diuinæ Iuſtitiæ; quia non repugnat cauſam inſtrumentalem inferioris ordinis agere in ſubiectum ordinis ſuperioris; vt dictum eſt de phantaſmatibus corporeis in ordine ad intellectum poſſibilem, qui eſt merè ſpiritualis, & immutatur à phantaſmatibus corporeis inſtrumentaliter producentibus in illo ſpeciem intelligibilem, quæ eſt purè ſpiritualis.

27 Conſ. 1. *Scripturæ* docent ſpiritus torqueri, quia alligantur ignibus, ſed nequeunt torqueri per immutationem realem, qua eorum eſſe corrumpatur, cùm ſint incorruptibiles; ergo torquentur per ſolam immutationem intentionalem.

28 Conſ. 2. Quamuis anima ſit ſpiritus; attamen ex vnione ad corpus poteſt cruciari; ergo quamuis anima, & Dœmones ſint puri ſpiritus; attamen ex vnione ad ignē poſsūt cruciari. Ant. experientia patet. Prob. conſ. Anima non cruciatur eo, quia informat corpus præciſè; nam ex informatione præciſa non habetur ſenſatio, & ideo nec dolor; ergo cruciatur ſolùm, quatenus per immutationem intentionalem percipit ſuum læſiuum; ſed anima ſeparata, & Dœmon poſſunt intentionaliter immutari ab igne, quatenus eſt inſtrumentum aſſumptum à Diuina iuſtitia, quæ eſt eis inimica, contraria, & læſiua; ergo idem.

29 Conſ. 3. Anima vt coniuncta, ſentit dolorem combuſtionis, & cremationis, quatenus immutatur intentionaliter, non realiter; quia immutatio realis minuit dolorem, vt dictum eſt; ergo anima ſeparata magis ſentit dolorem ambuſtionis, & cremationis, quia ſolùm immutatur intentionaliter, non realiter; & ſic explicatur maior intentio punæ in damnatis.

30 Conſ. 4. Item ignis cruciat Dœmones, & animas ſeparatas, qui cruciabit corpora poſt reſurrectionem; ſed tunc cruciabit corpora per alligationem immutantem intentionaliter animam; ergo & nunc.

31 Conſ. 5. *à Fund. Doct.* Ideo calor cruciat corpus, quia eſt inſtrumentum ignis, qui poteſt deſtruere ipſum corpus; ſed ignis eſt inſtrumentum Dei, qui poteſt fortiùs deſtruere animam, & Dœmones; ergo ignis poteſt à fortiori cruciare animas, & Dœmones modo, quo dictum eſt.

32 Conſ. 6. *ab eod. de Inferno c. 13.* AEquum eſt, vt in damnatis, qui ſubiecerunt rationem ſenſibus, ratio fungatur vice ſenſuum patiendo pœnam ſenſibilem; ſed ſenſus patiuntur pœnam ignis per immutationem intentionalem; ergo & intellectus.

33 Prob. 2. reijciendo aliorum ſententias, vt patebit in ſolutione obiectionum.

34 Obijc. 1. *Glbb.* Dicendo, quòd ſpiritus torquentur per calorem materialem inextenſum productum ab igne, & receptum in ipſis ſpiritibus, magis literaliter explicantur *Scripturę*, & *PP*; aſſerentes ſpiritus torqueri vero igne materiali; ergo ſic cruciantur. 2. Non implicat accidens

cidens

cidens materiale inextenſum recipi in Angelo; ſicut non implicat accidens ſpirituale recipi in corpore; vt patet de ſacramentis, quæ eleuantur ad producendam gratiam per qualitatem ſupernaturalem in illis intrinſecè per modum tranſeuntis receptam. Addi poteſt, quòd anima rationalis, quæ eſt ſpiritualis recipitur in corpore. 3. Quãtitas miraculosè poteſt exiſtere modo inextenſo, vt patet in corpore Chriſti exiſtente in hoſtia; ergo non implicat calorem inextenſum recipi in Angelo.

Reſp. ad 1. neg. ant; nam etianſi calor inextẽſus poſſet recipi in Angelo, tamen per ipſum non torqueretur Angelus; nam dolor non fit, niſi per immutationem intentionalem, vt dictum eſt; non autem per immutationem realem materialem. Tum quia calor inextenſus non eſſet ſenſibilis, quia non poſſet videri, aut tangi, aut cadere ſub alio ſenſu, ergo eſſet ſpiritualis; & ideo ſenſibiliter non torqueret. Ad 2. vel omiſſo aſſumpto dicitur eodem modo, quòd ſpiritus per illum calorem non doleret; cùm dolor fiat ſolùm per immutationem intentionalem. Tum quia ſi illa qualitas eſſet corporea, eadem ratio eſſet de illa, ac de igne; vnde ſicuti ignis, quia corporeus eſt, nequit ſpiritus torquere, idem dicendum de illa qualitate. Vel negamus accidens materiale eſſentialiter, dependet à materia, tanquam à ſubiecto; ſecus nõ eſſet materiale. Ad illud de Sacramentis *vid. to. 3. de Creat. q. 2. art. 1. n. 25.* Ad illud de anima rationali *vid. de Virt. q. 1. art. 8. n. 32; & 33.* Ad 3. dicimus quantitatem exiſtere modo inextenſo in ordine ad locum, non autem in ordine ad ſe; quia extenſio in ordine ad locum eſt proprietas accidentaliter conueniens quantitati ab ea ſeparabilis; extenſio autem in ordine ad ſe eſt eius eſſentia, ideoque ab ea inſeparabilis, quia nulla res eſt ſeparabilis à ſe ipſa. Hoc probat etiam quantitatem poſſe eſſe in Angelis, licèt inextenſam; quod nullus diceret.

35 Obijc. 2. Dœmones apprehendentes ignẽ, vt ſibi diſconuenientem, & nociuum ſufficienter ab illo cruciantur; ergo cruciantur per ſolam apprehenſionem. Prob. ant. Videmus, quòd aliquis ex ſola apprehenſione obiecti terribilis in ſomnis magis cruciatur, quàm ex læſione reali; tum quia poteſt Dęmon gaudere de ſimplici apprehenſione rei impoſſibilis; ergo & triſtari. Tum quia *D. Greg. 4. mor. c. 30. ait: Anima crematur in inferno, quia videt ſe cremari*; ergo per ſolam viſionem.

Reſp. neg. ant; *Scriptura* enim, *& SS. PP.* docent cruciari vero igne, ignis autem apprehenſus non eſt verus, ſed imaginatus. Hanc ſententiam expreſsè reijcit *Beatiſs. P. vbiſ.* Ad 1. prob. dicitur, quòd licèt quis in ſomnis poſſit triſtari per ſolam apprehenſionem; attamen non cruciatur per verum læſiuum, ſed per imaginarium. Ad 2. eodem modo dicitur, quòd poteſt gaudere de obiecto non vero, & reali, ſed imaginario; damnati autem triſtantur de igne reali, non imaginario. Ad 3. reſp. *Fund. Doct. D. Gregorium* nihil aliud velle, quàm quòd cremantur per verum ignem immutantem intentionaliter eorum potentiam viſiuam, vt dictum eſt; aliter tormenta Dęmonum non eſſent cauſata ex igne vero, & reali, ſed imaginario.

36 Obijc. 3. Ignis per potentiam obedientialem poteſt introducere in ſpiritus qualitatem ſpiritualem fœdantem, & deturpantem eorum ſubſtantiam; ſed hæc qualitas eſt illis contraria; ergo per illam maximè cruciantur.

Reſp; quòd vel illa qualitas immutaret intellectum eorum; vel non? Si primum; ergo hæc ſententia non differt à noſtra. Si ſecundum; ergo non cauſaret dolorem, qui non efficitur, niſi per immutationem, vt diximus.

37 Obijc. 4. Spiritus cruciantur verè, & realiter *iuxta B. P.* aſſerentem *cruciari veris, & miris modis*; tum quia *Scriptura* aſſerit, quòd verè cremantur; ergo non cruciantur per immutationem intentionalem, quæ eſt merè imaginaria. 2. Ad pœnam realem neceſſaria eſt aliqua actio phyſica, & realis; ergo non ſufficit immutatio intentionalis; nam *Scripturę* docent ſpiritus verè, & realiter torqueri ab igne. 3. Videmus, quòd nullus poteſt realiter dolere in corpore, niſi ex aliqua læſione reali, vt ex ſciſſione carnis, alteratione, &c; ergo non ſufficit immutatio intentionalis ſine immutatione reali.

Reſp. ad 1. neg. conſ; nam immutatio intentionalis non eſt quid imaginarium, ſed eſt vera actio realis; dicitur autem intentionalis, quatenus non eſt materialis, & corporea, ſed tantùm immaterialis; ſicut ſpecies dicitur intentionalis, non quia non ſit realis, ſed quia non eſt materialis. Ad 2. neg. ant, nam actio phyſica potiùs impedit, quàm pariat dolorem, vt dictum eſt. Sufficit ergo, quòd immutet intentionaliter, & importet præſentiam læſiui realis. Ad 3. dicitur, quòd licèt in hac vita, in qua nullus dolor poteſt eſſe ita intenſus, vt in damnatis, nullus poſſit dolere, niſi ex aliqua immutatione reali, ſeu materiali, quæ ſemper dolorem minuit; attamen in alia vita, in qua eſt dolor intenſus, ſola immutatio intentionalis eſſe debet, quia nulla imminutio doloris eſſe debet.

38 Obijc. 5. *Scriptura, & PP.* docent damnatos pati nedum alligationem, ſed etiam cruciatum; nam *Epulo* non petijt exire à loco pœnoſo, ſed à cruciatu liberari; ergo vltra immutationem mentalem datur cruciatus realis. 2. Aliter martyres magis paſſi fuiſſent, quàm damnati, quia illi paſſi ſunt cruciatum realem prouenientem ab immutatione reali. 3. Aliter Dęmones ante diem iudicij non paterentur ab igne, quia illi non alligantur. 4. Sequeretur etiam Deum, non ignem torquere damnatos. 5. Sequeretur omnes damnatos æqualiter torqueri,

quia

quia æqualiter alligantur igni. 6. Sequeretur hominem damnatum poſt diem iudicij magis torqueri, quàm Luciferum; quia ille patietur in anima, & in corpore. 7. Pœna purgatorij nequit conſiſtere in tali alligatione; quia animæ ſciunt ſe inde exituras; ergo neque pœna inferni. 8. Sequeretur etiam pueros mortuos ſine baptiſmo pati pœnam ſenſus; quia illi loco alligantur.

Reſp. ad 1. neg. conſ. non enim torquentur per ſimplicem alligationem præciſè; quia ſic non explicaretur pœna ignis, cùm potuerint alligari alteri corpori pœnoſo, & ab ipſo cruciari. Torquentur ergo per alligationem ad ignem, à quo immutantur intentionaliter, in qua immutatione conſiſtit cruciatus combuſtionis. Ad 2. neg. ſeq; nam martyres per immutationem realem, quæ minuit dolorem, minorem pœnam patiuntur. Ad 3. iam reſponſum fuit *to. 3. de Ang. q. 9. art. 7. n. 5. vſque ad* 10; quamuis enim Dæmones modò non portent ſecum ignem inferni; attamen eandem pœnam patiuntur, quia Deus facit ſine igne, quidquid poteſt efficere cum igne, cùm poſſit efficere ſine cauſis ſecundis, quidquid efficit cum illis. Ad 4. neg. pariter ſeq; nam Deus vindicat illos mediante igne, tanquam inſtrumento ipſius pœnæ. Ad 5. neg. ſeq; nam licèt æqualiter alligentur igni, attamen inæqualiter immutantur; quia vnus fortiùs, alius leuiùs. Ad 6. neg. ſeq; nam immutatio realis facta in corpore minuit dolorem; & ideo homo damnatus immutatus realiter in corpore minorem ſentiet dolorem, quàm Lucifer, qui hoc modo immutari non poteſt. Ad 7. diſt. ant. Pœna purgatorij nequit conſiſtere in tali alligatione perpetua, conc; ad tempus, ſubdiſt. In tali alligatione immutante intentionaliter, neg; ſecus, conc. Ad 8. conc. ſeq. Vel in aliena ſententia dicitur non immutari terribiliter, quamuis alligentur; & ideo non torqueri.

39 Objic. 6. Ex eo, quòd intellectus damnatorum cognoſcat ignem, non torquetur ab eo; ſed ex eo, quòd immutetur intentionaliter, cognoſcit; ergo ex eo, quòd immutetur intentionaliter, non torquetur. 2. Immutari intentionaliter eſt commune omnibus obiectis; ergo ex immutatione intentionali non arguitur pœna ignis in particulari.

Reſp. non ex quacunque immutatione intentionali cauſari dolorem; patet enim, quòd ſi ignis calefaciat corpus iuxta exigentiam ipſius, non torquet, ſed delectat. Igitur ex immutatione forti, & violenta excedente exigentiam naturalem cauſatur dolor. Diſt. ergo ma. Ex eo, quòd cognoſcat per fortem, & violentam immutationem, non torquetur, neg; per immutationem accommodatam, & attemperatam exigentiæ naturali, conc. Ad 2. diſt. ant. Immutari intentionaliter per modum combuſtionis eſt commune omnibus obiectis, neg; præſcindendo à tali, vel tali modo immutationis, conc.

40 Deus itaque volens punire damnatos aſſumpſit ignem, tanquam inſtrumentum; quia ignis eſt fortius, & violentius immutatiuum; & ideo maiorem cauſat dolorem.

Ceteræ tandem ſententiæ non explicant pœnam propriam ignis allatam ab ipſo igne, quæ tamen continuò inculcatur *in Scripturis*; ideo propter hoc relinquuntur.

QVAEST. IV.

De peccato omiſſionis, & commiſſionis.

AD alteram diuiſionem, qua diuiditur peccatum in peccatum omiſſionis, & commiſſionis accedimus. Quia tamen de omiſſione diximus *to. 3.* ideo illis ſuppoſitis, quæ huic loco propriè conueniunt, ſolùm explicabimus.

ART. I.

An omiſſio pura poſſit eſſe peccatum?

1 HIc non quærimus; an poſſit dari pura omiſſio ſine omni actu; de hoc enim ſufficienter actum eſt *to. 3. de Act. hum. q. 1. art. 3.* Solùm dubium eſt; an ſuppoſita pura omiſſione poſſit illa eſſe peccatum.

2 Supponit *hîc Godoy diſp. 21; & ex illo Gonet*, tanquam certum *apud omnes*, quòd nequit dari omiſſio culpabilis abſque actu poſitiuo intellectus; & ratio eius eſt; quia omiſſio nequit eſſe libera, niſi voluntas ſit conſtituta in actu primo ad omittendum; ſed voluntas non conſtituitur in actu primo, niſi per actualem cognitionem intellectus; ergo omiſſio nequit eſſe libera, & per conſequens culpabilis, niſi detur actus poſitiuus intellectus.

3 Sed hanc doctrinam falſam eſſe diximus *to. 3. vbi ſ*; & negatur communiter à defendentibus omiſſionem puram ſine omni actu ſiue ipſius voluntatis, ſiue cuiuſcunque alterius potentiæ ſubiectæ imperio voluntatis; vnde falſa eſt ſuppoſitio. Ad rationem neg. ſupp. ma; ſicut enim ad agere requiritur agens eſſe in actu; quia *agens in tantùm agit, in quantùm eſt in actu ſecundùm illam formam, ſecundùm quàm agit*; vnde ignis nequit actu calefacere, niſi actu habeat formam caloris; & ideo ad actum commiſſionis, qui eſt actio poſitiua, requiritur voluntatem conſtitui in actu primo poſitiuo; ita ad non agere non requiritur agens in eſſe in actu primo; quia actus primus ordinatur ad agere, non autem ad non agere, quod opponitur actioni; vnde omiſſio, quæ eſt non agere, quando debet agere, non importat voluntatem eſſe conſtitutam in actu primo; cùm potiùs actus primus ei opponatur, quia ordinatur ad commiſſionem, quæ opponitur omiſſioni. Nec hoc requiritur ad libertatem ipſius omiſſionis; quia ſufficit vo-

lun-

luntatem ita ſuſpendere omnem actum cuiuſcunque potentiæ, vt poſſit illos ponere; libertas enim ſaluatur nedum in poſitione, ſed etiam in ſuſpenſione, & omiſſione, quia per vtranque conſtituitur libertas contradictionis. Ideo ſicuti liberè committit, quia liberè præcipit intellectui, vt cogitet de tali obiecto, & per illum actum cogitationis conſtituat eam in actu primo; & tandem ita committit, vt poſſit non committere; ita liberè omittit, quia liberè ſuſpendit actum intellectus, qui ipſam non conſtituit in actu primo ad committendum; & tandem ita omittit, vt poſſit non omittere; ergo ad hoc, vt omiſſio pura ſit libera, non requiritur actus poſitiuus in intellectu.

4 Prima ſententia vult, quòd licèt poſſit dari omiſſio culpabilis ſine actu voluntatis, directè ad ipſam terminato, quia in hoc diſtinguitur omiſſio à commiſſione, quòd commiſſio eſſentialiter importet actum poſitiuum, & omiſſio priuationem eiuſdem actus; attamen nequit dari omiſſio culpabilis ſine actu voluntatis præcedente, aut concomitante, qui ſit cauſa, vel occaſio omittendi. *Ita Mag. Sent; Albert; D. Bon; Capr; Conr; Caiet; Vaſq; Lorc; Monteſin; Aluar; Serra, Io. à S. Tho. Salm. tract. 10. diſp. 4. dub. 1; & Gonet hic diſp. 3. art. 2.*

5 Secunda vult poſſe dari puram omiſſionem ſine omni actu voluntatis. *Ita Godoy hic diſp. 21*; apud quem *Duran; Ricc; Adrian; Marſ; Almain; Val; Sua; Merat; Med; Cur; Arriag; & alij*;

6 Tertia docet poſſe dari puram omiſſionem culpabilem abſque omni actu tum volnntatis, tum intellectus, & cuiuſcunque alterius potentiæ ſubiectæ imperio voluntatis. *Ita Fund. Doct. loc. cit. to. 3; & alij ibid. relati.*

7 Vnica concl. Poteſt dari omiſſio culpabilis ſine omni actu.

Prob. 1. *ex Iac. 4. Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi; & Beatiſſ. P. in Enchir. c. 81. Duabus ex cauſis peccamus; aut nondum videndo, quid facere debeamus; aut non faciendo, quod debere fieri iam videmus; quorum duorum illud ignorantiæ malum eſt, hoc infirmitatis; & lib. de Perfect. Iuſtit. c. 9. Duobus modis conſtat eſſe peccatum, ſi aut fiant illa, quæ prohibentur, aut non fiant illa, quæ iubentur.* Ex quibus ſic. Poteſt voluntas liberè ſuſpendere omnem actum, qui eſt in ſua poteſtate, & ſubiacet eius imperio inſtante præcepto; ſed in tali caſu peccat omittendo ipſum actum; ergo poteſt dari omiſſio culpabilis ſine omni actu. Ma. patet; aliter ille actus, quem non poſſet ſuſpendere, non eſſet in eius poteſtate quoad poni, vel non poni. Prob. min. In tali caſu voluntas tranſgrederetur præceptum; ergo peccaret. Nec ſufficeret ad ſaluandam eam à peccato carentia cognitionis actualis, dummodo poſſet illam cognitionem pro ſuo libito habere; aliter ignorantia neglecta, & ſupina excu-

ſarent à peccato; ergo peccaret, etiamſi ſuſpenderet omnem actum cuiuſcunque potentiæ. Præterea ſic arguit *Fund. Doct.* Ita ſe habet homo, qui eſt bonum deficiens, ad bonum indeficiens, quod eſt Deus, ſicut Deus, qui eſt bonum indeficiens, ad malum; at Deus erga malum ſe habet merè permiſſiuè, quia illud non vult, aliter eſſet cauſa mali; nec nonvult, aliter nunquã fieret; ergo homo poteſt ſe habere circa bonum nec volendo, nec nolendo; atqui inſtante præcepto volitionis peccat ſic ſe habendo; ergo poteſt dari pura omiſſio culpabilis.

8 Conf. Ad peccatum ſufficit non facere, quod poteſt inſtante præcepto; ſed voluntas purè omittens non faceret, quod poſſet facere; ergo peccaret.

9 Vrgetur. Commiſſio culpabilis conſtituitur per actum formalem poſitiuum ipſius voluntatis contra præceptum negatiuum præciſo quocunque actu antecedente, vel concomitante ipſius voluntatis, qui ſit cauſa, vel occaſio illius, & præciſo quocunque actu intellectus, vel alterius potentiæ; ergo à fortiori omiſſio culpabilis formaliter conſtituitur per carentiam, vel ſuſpenſionem actus poſitiui contra præceptum affirmatiuum præciſis quibuſcunque actibus antecedentibus, vel concomitantibus ipſius voluntatis, qui ſint cauſa, vel occaſio ipſius omiſſionis, & præciſis actibus intellectus, vel alterius potentiæ ſubiectæ imperio voluntatis. *Vid. alias rationes to. 3. vbi ſ.*

10 Obijc. 1; Vt omiſſio ſit culpabilis, debet eſſe voluntaria; quia *peccatum non eſt peccatum, niſi ſit voluntarium*, vt docet *Beatiſſ. P*; ſed ſecluſo quocunque actu voluntatis non eſt voluntaria; quia voluntarium debet procedere ex inclinatione voluntatis; nihil autem poteſt procedere ex inclinatione voluntatis, niſi ſit cum motu, & influxu, & per conſequens cum actione ipſius voluntatis; ipſe enim motus, & influxus voluntatis eſt actus ipſius; vnde facta ex violentia non ſunt voluntaria, quia non procedunt ex inclinatione voluntatis; ergo omiſſio ſine omni actu non eſt peccatum.

Reſp. 1. diſt. mi. Secluſo quocunque actu omiſſio non eſt voluntaria poſitiuè, conc. priuatiuè, neg; non enim minùs eſt voluntaria ipſi voluntati carentia actus cum aptitudine ad illum ponendum, quàm ſit voluntaria poſitio actus; aliter voluntas non eſſet potẽtia libera ad vtrunque, ſcilicet ad poſitionem, & ſuſpenſionem actus, & ſic non eſſet libera libertate contradictionis, quod nullus dicit. Ad prob. infert. diſt. Voluntarium debet procedere ex inclinatione voluntatis vel poſitiuè, vel priuatiuè, conc; poſitiuè tantùm, neg; quia voluntas non minùs voluntariè ponit actum, quàm voluntariè ipſum ſuſpendat; & ſicut poſitio actus, dicitur poſitiuè deſcendere ex inclinatione voluntatis; ita ſuſpenſio actus dicitur ex inclinatione ipſius pri-

uatiuè deſcendere; hoc enim exigit ratio priuationis, quam non benè capiunt *Aduerſarij*, quæ, cùm ſit defectus, ſeu non ens, non poteſt poſitiue deſcendere; ſic enim deſcendit ſolùm actus poſitiuus; ſed tantùm priuatiuè; ſic namque deſcendit priuatio, quia deſcendere poſitiuè eſt deſcendere per *facere*; & deſcendere priuatiuè, eſt deſcendere per *non facere*; actus autem poſitiuus deſcendit per *facere*; & priuatio per *non facere*; & vtrunque liberum eſt; quia vtrunque eſt poſitum in poteſtate voluntatis,& ideo vtrunque voluntarium; ergo voluntarium procedit ex inclinatione voluntatis vel poſitiuè, vel priuatiuè. Hinc neg. vniuerſaliter, quòd procedens ex inclinatione voluntatis ſit ſemper cum motu, & influxu poſitiuo ipſius voluntatis; quamuis enim verum ſit de procedente poſitiuè, falſum tamen eſt de procedente priuatiuè.

11 Reſp.2.diſt.ma.Vt omiſſio ſit culpabilis, debet eſſe voluntaria, vel formaliter, vel imputatiuè, conc; formaliter tantùm, neg.

12 Inſt. 1. *Gonet.* Eo modo, quo aliquid habet rationem culpæ, debet habere rationem voluntarij; ſed omiſſio habet rationem culpę independenter à prudentum exiſtimatione;habet enim malitiam à parte rei præciſo quocumque intellectu illam iudicante; ergo nequit habere rationem voluntarij ab actu imputatiuo, qui non eſt in ipſa ommiſſione, ſed in intellectu imputantis. 2. Id, à quo omiſſo denominatur voluntaria, debet eſſe aliquid à parte rei in ipſo omittente; ſed actus imputatiuus non eſt in omittente, ergo ab ipſo omiſſio nequit dici voluntaria.

Reſp. ad 1; quòd actus imputatus poteſt ſumi dupliciter; vel formaliter, & ſic eſt actus poſitiuus exiſtens in intellectu iudicantis; vel obiectiuè, & ſic non eſt actus poſitiuus, ſed priuatio illius habens modum exercitij, quem habet actus ſecundus, & per hunc dicitur voluntaria omiſſio; per quod patet ad 2.

13 Obijc.2. Omiſſio eſt fuga, & receſſus; ſed fuga, cùm ſit ergo malum, neceſſariò ſupponit affectum ad bonum, quia nihil fugit à malo,niſi quia amat bonum oppoſitum; ergo omiſſio importat actum poſitiuum ad bonum. 2.Voluntas manens in actu primo non peccat; ſed ſine omni actu phyſico voluntas eſt in actu primo; nam præceptum non eſt ſufficiens ad extrahendam voluntatem ab actu primo; & idem dicitur de aduertentia ad præceptum; quia præceptum, & aduertentia ſtant etiam, quando voluntas eſt in actu primo; ergo nequit dari omiſſio culpabilis ſine omni actu phyſico. 3. In pura omiſſione nequit dari exercitiũ actuale libertatis; nam exercitium libertatis debet eſſe vitale; vita autem conſiſtit in operatione actuali, & voluntas carens operatione actuali eſt mortua in actu ſecundo; nullus autem diceret mortuum peccare; ergo pura omiſſio nequit eſſe culpabilis. 4.Si daretur omiſſio ſine omni actu, puniretur tantùm pœna damni, non ſenſus; quia non procederet poſitiuè à voluntate; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant.

Reſp. ad 1. diſt. mi. Fuga poſitiuè volita ſupponit affectum ad bonum, conc; fuga merè priuatiua,quę nihil aliud eſt,quàm pura deſiſtentia ab actu, neg; Ad 2. neg.mi. Ad prob.inſert. diſt. Præceptum pro eo tempore, quo obligat, non eſt ſufficiens ad extrahendam voluntatem à ſua indifferentia, neg; pro illo tempore, quo nõ obligat, conc; & ſic dicitur, quòd præceptum pro illo tempore, quo non obligat, poteſt ſtare ſimul cum indifferentia voluntatis; non tamen pro illo tempore, quo obligat; quia ſic acceptum neceſſariò importat determinationem exercitam voluntatis vel poſitiuam, vel priuatiuam, cùm enim, vt ait *Fund Doct. vbiſ;* præceptum, contra quod eſt omiſſio, ſit affirmatiuum,& præcepta affirmatiua non obligent ſemper, ſed pro loco, & tempore; ideo pro tempore, quo obligat, nequit ſtare ſimul cum indeterminatione voluntatis. Ad 3. diſt. ant. In pura omiſſione nequit dari exercitium poſitiuum voluntatis, conc; priuatiuum, neg. Ad prob.inſert. dicitur, quòd exercitium vitale aliud eſt poſitiuum,aliud priuatiuum; & voluntas habens exercitium priuatiuum tantùm dicitur mortua per ordinem ad exercitium poſitiuum, quo caret; non tamen dicitur mortua ſimpliciter, quia habet exercitium priuatiuum, quod pariter eſt exercitium vitale; cùm ſit exercitium ipſius voluntatis, quæ eſt potentia vitalis. Vel diſt. Exercitium voluntatis debet eſſe vitale, ſi ſermo ſit de exercitio poſitiuo, conc; ſi de priuatiuo, ſubdiſt. Debet eſſe vitale radicaliter, idèſt debet eſſe à voluntate, quæ eſt radicaliter vitalis, cùm ſit potens ſe mouere, conc; formaliter, neg; quia vitale formaliter importat motum, qui eſt actus. Ad 4.neg. ſeq;nam licèt omiſſio nõ procedat poſitiuè à voluntate, attamen procederet priuatiuè, ideo puniretur pœna ſenſus.

14 Inſt.1. *Godoy n.60.& ſeq*; cui non placet 1. reſponſio ad 3. Vita propriè in motu proprio conſiſtit; ſed omiſſio pura non eſt propriè motus; quia motus propriè eſt actus, quo voluntas propriè mouetur; ergo omiſſio pura non eſt vitalis. 2. Solus motus poſitiuus eſt propriè motus; quia ſola volitio poſitiua eſt propriè volitio;ſola autem volitio eſt motus proprius voluntatis; ſicut ſola intellectio eſt motus intellectus; ſed vita propriè dicta conſiſtit in ſolo motu propriè dicto; quia definitur *per ſe mouere ab intrinſeco*; ergo ſolus motus poſitiuus eſt propriè vitalis; & ideo omiſſio non eſt vitalis. 3.Si voluntas, vt omittens, eſſet propriè viuens, ſequeretur, quòd voluntas, vt omittens, eſſet propriè volens; quia vt omittens, eſſet viuens vita volitiua; viuens autem vita volitiua eſt volens; quia per volitionem conſtituitur viuens vita vo-

litiua

litiua; & ideo vt omittens volitionem, eſſet volens; quod repugnat in terminis, vt patet.

Sed adhuc ſine ſcrupulo videtur poſſe ſuſtineri primam reſponſionem; nam licèt voluntarium quoque definiatur per eſſe ab alio, vt à principio intrinſeco; eſſe autem ab alio propriè importet motum; & tamen hoc non obſtante dicitur omiſſio propriè voluntaria; ita à pari de vita. Ad 1. diſt. mi. Omiſſio non eſt propriè motus poſitiuus, conc; priuatiuus, neg. Ad 2. neg. ma; nam voluntas propriè mouetur ad exercitium actus ſecundi nedum per motum poſitiuum, ſed etiam per priuatiuum. Ad prob. inferr. dicitur, quòd omiſſio non eſt formaliter volitio, ſed carentia volitionis, per quam determinatur exercitè. Neg. autem, quòd ſola volitio ſit propriè motus voluntatis; nec currit paritas de intellectione; quia intellectus ſecundùm ſe eſt potentia ad vnum determinata, ideo ſola intellectio eſt motus proprius intellectus; at verò voluntas eſt veluti duplex potentia; ad volitionem ſcilicet, & carentiam volitionis; vnde propriè mouetur ad vtranque; ad illam poſitiuè, ad iſtam verò priuatiuè; nam voluntatem moueri nihil aliud eſt, quàm ipſam determinari ad vnum, & extrahi à ſua indifferentia; determinatur autem, & extrahitur nedum per volitionem, ſed etiam per omiſsionem ipſius. Et cùm dicitur vitam conſiſtere in ſe mouere ab intrinſeco; reſp. hoc nihil aliud eſſe, quàm determinari à ſe ipſa; per quam autem omiſsionem determinatur à ſe ipſa; & ideo ſe mouet priuatiuè. Et ſi dicatur motum definiri *actum entis in potentia*; reſp. illam definitionem eſſe motus phyſici potentiæ ad vnum determinatæ, non autem potentiæ determinabilis per actum, & omiſſionem illius, vt eſt voluntas; quòd ſi volumus eam extendere etiam ad motum voluntatis; dicere poſſumus, quòd ponitur *actus* in definitione motus, tanquam id, quod eſt perfectius, & notius; ceterùm per illum etiam ſignificari priuationem actus, per quam etiam mouetur priuatiuè voluntas; nam *rectum eſt index ſui, & obliqui*. Ad 3. neg. ſeq; nam voluntas, vt omittens, eſt viuens vita omiſsiua, non volitiua; quia vita volitiua dicit volitionem; voluntas autem nedum eſt potentia volens, ſed etiam omittens; vnde vita volitiua inadæquatè explicat vitam voluntatis, non adæquatè. Ex his apparet poſſe etiam primam reſponſionem commodè ſubſtineri; & rationes contra illam factas eſſe magis ſubtilis, quàm validas.

15 Obijc. 3. Nequit eſſe omiſsio, niſi ſit coniuncta cum aliqua actione exteriori, vel cum aliquo poſitiuo, vt nequit eſſe omiſsio ſacri, niſi ſit in alio loco; ſed illa actio exterior eſt volita, quia omittens miſſam voluntariè vult eſſe in alio loco; ergo idem.

Reſp. diſt. ma. Niſi ſit coniuncta cum aliqua actione exteriori actu volita, & cogitata, neg; poteſt enim quis eſſe in alio loco abſque eo, quòd cogitet, vel actu velit eſſe in illo loco, cùm non ſit ex illo per cogitationem, & volitionem.

16 Obijc. 4. Præceptum, ſeu obligatio non omittendi non dat omiſſioni, quòd ſit libera, & voluntaria, ſed tantùm, quòd ſit imputabilis ad culpam, ſuppoſita libertate, & voluntarietate in ipſa omiſſione; aliter darentur infinitæ actiones, quæ poſſent elici; ergo niſi omiſſio ſit coniuncta cum actu voluntatis, ob quem ſit libera, & voluntaria, non erit culpabilis.

Reſp. *aliqui* neg. ant; nam illæ ſolæ omiſſiones ſunt voluntariæ, ad quas voluntas proximè ſe habet, ad infinitas autem ſe habet remotè. Vel reſp. *ex to. 4. vbi ſ. n. 5. & 6.* diſt. ant. Præceptum non dat omiſſioni, quòd ſit voluntaria, tanquam cauſa formalis, conc; tanquam conditio, neg.

17 Obijc. 5. Nequit voluntas voluntariè omittere, niſi ex motione finis; nulla enim potentia poteſt ferri extra ſuum ſpecificatiuum; finis autem eſt ſpecificatiuus voluntatis; ſed ex eo, quòd voluntas moueatur à fine, includit actum poſitiuum; quia non mouetur, niſi quatenus finis producit in ipſa actum, vt qualitas eſt, vt diximus *to. 3. de Act. hum. q. 3. art. 2*; ergo idem.

Reſp. diſt. ma. Niſi moueatur à fine priuatiuè, conc; poſitiuè, neg.

18 Obijcies 6. voluntas ſub indifferentia eſt ſub priuatione actus, ſed priuatio non tollitur, niſi per actum poſitiuum, qui illi opponitur; ergo non extrahitur ab indifferentia, niſi per actum poſitiuum.

Reſp. voluntatem ſub indifferentia eſſe ſub priuatione communi actui, & omiſſioni, hæc autem priuatio tollitur nedum per actum, ſed etiam per omiſſionem; vt indifferentia aeris, *vt ſic*, quia eſt ſub priuatione lucis, & tenebrarum, ideo etiam per tenebras tollitur talis indifferentia, & priuatio communis, quamuis ponantur tenebræ, quæ ſunt priuatio ſpecialis lucis. Diſt. ergo ma. Sub priuatione communi actui, & omiſſioni, quæ tollitur nedum per actum, ſed etiam per omiſſionem, vtrique enim opponitur, conc; ſub priuatione ſolius actus, neg. Vel diſt. mi. Non tollitur, niſi per actum poſitiuum, vel imputatiuum, conc; poſitiuum tantùm, neg; priuatio autem actus eſt actus imputatiuus.

A R T. II.

An opus incompatibile cum obſeruantia præcepti vitietur ab omiſſione?

1 Omne opus influens in omiſſionem ab illa viriari certum eſt *apud omnes* exceptis *Marſ. & Heruæo. additur* etiam *Dur;* quem tamen vindicat *Godoy.* Ratio eſt; nam omnis actio ex obiecto malo vitiatur; ſed omne opus influens in omiſſionem actus præcepti habet

bet obiectum malum, quia habet pro obiecto omiſſionem, quæ mala eſt; ergo ab illa vitiatur. E contra verò opus nullo modo influens in omiſſionem, ſed concomitanter, & conſequenter, ac diſparatè ad illam ſe habens non vitiatur; quia non vitiatur, niſi quatenus ordinatur ad malum, vt ad obiectum, vel finem; quando autem ſic ordinatur, non ſe habet diſparatè, & non influenter, ſed comparatè, & influenter. Quare ſi quis aſſumat ſtudium, vt omittat miſſam in die feſto, ſtudium eſt malum, & idem dicitur, ſi omittat miſſam, vt ſtudeat; ſic enim ſtudium influit in omiſſionem. Quæritur modò; an omne opus de ſe incompatibile cum obſeruantia præcepti, etiamſi nullo modo influat in omiſſionem, nec vt medium ordinatum ad illam, nec vt finis illius; & ideo omnino diſparatè ſe habens vitietur ab illa ex eo præciſè, quòd eſt incompatibile cum obſeruantia præcepti oppoſita illi omiſſioni; v. g. decreuit quis firmiter non audire miſſam in die feſto ob vitandam aeris inclementiam; poſtea ne domi maneat otioſus decernit illo tempore ſtudere; quæritur, an ſtudium ex eo, quòd ſit incompatibile cum auditione miſſæ, quamuis ſit conſequens ad decretum de omittenda miſſæ auditione, ab illa vitietur? Loquimur autem tantùm de actu bono ex genere; nam de actu malo nullum eſt dubium.

2 Prima ſententia affirmat. *Ita Val. hìc punct. 4; Azor; Lorc; Granad; & noſter Cornejus apud Gibb.*

3 Secunda vult, quòd opus exterius primò volitum poſt decretum omittendi vitietur, reliqua verò opera conſequentia non vitiari. *Ita Vaſq. diſp. 92. c. 2 n. 7; Canus hìc q. 4; noſter Gibb. hìc diſp. 4. dub. 3. n. 11; apud quem Cur.*

4 Noſtra tam ea docet nullum opus conſequens, & diſparatè ſe habens ad omiſſionem ex illa vitiari. Deducitur *ex Fund. Doct; & ex doctrina communi,* vt mox dicemus. Ita expreſsè *Coninch. de Bonit; & malit dub. 15; & maior parti Theologorum; Med. hìc dub. 2; Aluar. diſp. 126. n. 2; Monteſin. diſp 2. q 3. diffic. 4; Serra, Sua; Sal; Tanner; Merat. & alij.*

5 Vnica concl. Nullum opus conſequens, & diſparatè ſe habens ad omiſſionem, quamuis incompoſſibile cum obſeruantia præcepti, poteſt vitiari ex omiſſione.

Prob. 1. Actus vitiari poteſt ſolùm ex his, à quibus ſumit malitiam; ſed nullum opus ab omiſſione, ad quam conſequitur, & diſparatè ſe habet, ſumit malitiam; ergo nullum opus poteſt vitiari ab omiſſione, ad quam conſequitur, & diſparatè ſe habet. Ma. patet; quia vitiari ſumitur, prout idem eſt, ac malum fieri, ſiue malitiari, aut induere, & recipere malitiam. Prob. mi. Actus ſumit malitiam ſolùm ab obiecto, vel fine, vel circunſtantijs; vt diximus *to. 3. de Act. hum. q. 5. art. 2; 3; & 4. ex Beatiſſ. P. lib. 15; de Ciu. Dei c. 7.* docente: *Non autem rectè diuiditur, dum non diſcernuntur vel loca, vel tempora, vel res ipſa, quæ offeruntur, vel qui offert, vel cui offertur.* Quibus verbis perſpicuè docet actum vitiari ex circunſtantijs, cùm dicit *loca, vel tempora &c;* vel ex obiecto, cùm dicit *res ipſa;* vel ex fine, cùm ait: *Cui offertur,* & illi conſentiunt *omnes noſtri Magni Doctores Greg. Arim; Argent; Ger. Sen: Alphonſ. Toletan; AEgid. Luſit; & alij, ac omnes exteri communiter;* ſed omiſſio, ad quam actus diſparatè ſe habet, non eſt obiectum, finis, aut circunſtantia; quia hæc non ſe habent diſparatè; ſunt enim cauſæ malitiæ actus, adeoque influunt in actum, quia omnis cauſa, vt cauſa, habet influere; & per conſequens non ſe habent diſparatè; quia *diſparati* nomine intelligitur id, quod nullo modo ſpectat ad actum vel vt cauſa, vel vt effectus; cauſa namque, & effectus comparatè, non diſparatè ſe habent, quia vnum ordinatur ad aliud; ergo nullum opus ſequens, & diſparatè ſe habens ad omiſſionem, quamuis incompoſſibile cum obſeruantia præcepti oppoſita omiſſioni, ab ipſa omiſſione ſumit malitiam.

6 Prob. 2. Incompatibilitas cum obſeruantia alicuius præcepti non eſt formaliter mala moraliter; ergo nullum opus ex eo, quòd incompatibile cum obſeruantia præcepti, eſt peccatum. Prob. ant. Quamuis auditio miſſæ in die feſto ſit incompatibilis cum actu ſubuentionis in extrema neceſſitate occurrente in loco extra Eccleſiam pro eo tempore, quo auditur miſſa; attamen nullus diceret, quòd auditio miſſæ in tali caſu ſit mala moraliter; ergo incompatibilitas cum obſeruantia alicuius præcepti non eſt formaliter mala moraliter; aliter vbicunque haberetur, eſſet moraliter mala.

7 Prob. 3. Studium domi, quamuis poſſit influere in omiſſionem miſſæ, ſi quis, vt ſtuderet, decerneret miſſam omittere; quia tunc ſtudium eſſet finis, & finis eſt cauſa influens; attamen poſt decretum firmum omittendi miſſam nihil cogitando de ſtudio, ſi quis eligat ſtudium, ne maneat otioſus; tunc ſtudium non influit in omiſſionem miſſæ, quia nec eſt medium, nec finis illius; ſed eſt quid omnino diſparatum pertinens ad alium finem omnino diſparatum, qui eſt non manere otioſus; & ſupponit ex integro ipſam omiſſionem; ergo ex illa non vitiatur; quia in illam non influit; quamuis enim vna cauſa de ſe poſſit cauſare aliquem effectum; attamen ſi ſupponat illum effectum iam cauſatum antecedenter, non dicitur influere in illum, neque illum cauſare, & ad illius productionem pertinere.

8 Obijc. 1. Opus fit tempore indebito; quia fit tempore, quo erat præceptum faciendi aliud; ſed tempus eſt circunſtantia; ergo ex illa opus vitiatur. 2. Præcipiens auditionem miſſæ v. g. prohibet omne illud, quod eſt incompatibile pro eo tempore cum illa; ſed ſtudium eſt incompatibile; ergo prohibet ſtudium; & ideo ſtudium

eſt

eſt peccatum, quia eſt contra prohibitionem.

Reſp. *Godoy* diſt. ma. Opus ſit in tempore indebito formaliter ipſi operi ratione ipſius operis, neq; indebito materialiter operi, ſcilicet ratione omiſſionis, cui illud tempus non debetur, cùm debeatur auditioni miſſæ, conc.

9 Sed inſtabis. Si quis intendat omittere miſſam, vt ſtudeat, tempus eodem modo eſt indebitum ſtudio, & tamen ſtudium eſt peccatum; ergo ruit reſponſio.

10 Si dicatur tunc ſtudium eſſe peccatum, quia influit in omiſſionem; non ratione temporis; dicimus hoc ſolui argumentum abſque recurſu ad materialitatem, & formalitatem temporis. Diſt. igitur ma. Opus ſit tempore indebito, & influit in omiſſionem, neg; & non influit, conc.

11 Ad 2. diſt. ma. eodem modo. Prohibet omne incompatibile influens, conc; non influens, neg.

12 Obijc. 2. Voluntas volens ſtudium tempore omiſſionis vult virtualiter ipſam omiſſionem; nam vult permanere in omiſſione; tum quia ſtudium facit, vt voluntas non retractet decretum omittendi; tum quia ſtudium eſt cauſa omiſſionis; quia eſt incompoſſibile cum auditione; & volens cauſam virtualiter vult effectum; ergo voluntas ſtudij, & ſtudium peccata ſunt.

Reſp; quòd ſi verum ſit ant; ſtudium non eſt ampliùs quid diſparatum, ſed influens; & ſic nihil contra nos; qui concedimus actus ordinatos ad omiſſionem vel vt media, vel vt finem, eſſe peccata; negamus tamen de actibus omnino diſparatis, & non ordinatis. Ad arg. neg. ant. Ad 1. prob. inſert. neg. aſſumpt; nam voluntas ſtudendi eſt omnino diſparata à voluntate omittendi; & ideo non eſt volitio perſeuerantiæ omiſſionis; quia per volitionem, qua decreuit omittere miſſam, decreuit etiam durare tanto tempore, quanto durat tempus miſſæ. Ad 2. neg. pariter aſſumpt; quia ne voluntas retractet, impeditur ab ipſo decreto, quod opponitur retractationi; quodlibet enim impeditur à ſuo oppoſito; non autem à ſtudio, quòd eſt diſparatum, non oppoſitum. Ad 3. neg; quòd ſtudium ſit cauſa omiſſionis, cùm ſit diſparatum ad illam.

13 Obijc. 3. Voluntas conſiliandi aliquem iam determinatum firmiter ad furandum eſt cauſa virtualis furti, quanuis homo non moueatur ad furtum ab illo conſilio, ſed tantùm à ſe ipſo; ergo quanuis ſtudium non influat in decretum de omittendo; attamen eſt cauſa virtualis omiſſionis. Idem dicitur de vulnerante aliquem iam vulneratum mortaliter; peccat enim peccato occiſionis, quanuis ille moriturus eſſet ex vi primi vulneris. 2. Propoſitum firmum occidendi aliquem non ſufficit ad occiſionem, ſed requiritur venenum, vel ferrum &c; ergo propoſitum omittendi non ſufficit ad executionem omiſſionis, ſed requiritur aliquod opus externum, quo mandetur executioni ipſa omiſſio; hinc nequit omitti miſſa, niſi ſit in alio loco ab Eccleſia. 3. Ideo ſtudium non influit, quia ſupponit cauſam ſufficientem omiſſionis; & ideo etiam ſublato ſtudio ſequeretur omiſſio; ſed hoc non probat; nam quanuis *Petrus* firmiter decernens incendere aliquam domum, & habens omnia ad hoc requiſita ſit cauſa ſufficiens combuſtionis, & combuſtio ſequeretur, etiamſi alius ipſum non adiuuaret; attamen ſi alius ei deferat ignem, eſt etiam ipſe cauſa combuſtionis; ergo à pari. 4. Sublato omni opere externo incompoſſibili cum auditione miſſæ tolleretur omiſſio miſſæ; nam neceſſariò eſſet in Eccleſia, quia ſublata eſſet omnis alia præſentia ad alium locum; ergo opus externum eſt cauſa omiſſionis, & ideo peccatum. 5. Sequeretur, quòd Sacerdos nauigans poſt firmum decretum de non recitando officium in toto illius nauigationis decurſu proijciens breuiarium in mare non peccaret; quod nullus affirmat.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Eſt cauſa virtualis furti quantùm ad executionem, neg; ſi enim in illam non influit, non cauſat; nam cauſare eſt influere; Quantùm ad intentionem, conc; & neg. conſ; nam conſilium furti habet pro obiecto rem prohibitam etiam in intentione, & deſiderio, & ideo eſt malum, quanuis nõ influat in externam executionem; vnde eo ipſo, quòd quis determinat conſiliari aliquem ad furandum, peccat; quia peccatum fit verbo, cogitatione, & opere. At ſtudium de ſe non eſt actus malus, ideo niſi ordinetur ad actum malum, non eſt peccatum. Ad aliud dicitur ſecundum vulneratorem eſſe cauſam partialem; accelerat enim mortem ex multiplicatione vulnerum. Ad 2. neg. conſ; quia furtum, vel venenum influit inſtrumentaliter in occiſionem; præſentia autem localis non influit, vt ſupponitur; alıter ſi influit, nihil contra nos, qui loquimur ſolùm de opere externo non influente. Ad 3. diſt. ma. Quia ſupponit cauſam adæquatam omiſſionis actu influentem, conc; inadæquatam, neg; ſic neg. mi; ad cuius prob. inſert. dicitur, quòd licèt *Petrus* poſſit eſſe cauſa ſufficiens adæquata; attamen actualiter non eſt talis, quia de facto alia cauſa actu concurrit, & ideo eſt tantùm partialis. Sicut quanuis vnus homo ſit ſufficiens ad portandum pondus decem librarum; attamen ſi ad illud portandum actu concurrat alter homo, ille iam non eſt cauſa totalis, ſed partialis; ita à pari. At verò ſtudium nullo modo actu concurrit ad omiſſionem, vt ſupponitur; ideo non eſt eadem ratio. Ad 4. dicitur, quòd aliquod opus externum aſſumitur tanquam medium, vel finis ad omiſſionem; vt cùm quis vult omittere miſſam, vt maneat domi, tunc præſentia localis domi eſt finis omiſſionis, quæ propterea influit in omiſſionem; vnde omiſſo ant. diſt. conſ. Aliquod opus externum aſſumptum, vt medium, vel vt finis conc; aliter, neg. Vel neg. conſ; nam hic modus arguendi non valet, quia ſublata approximatione tollitur effe-

ctus;

ctus; & tamen approximatio non influit. Ad 5. neg. ſeq; Sacerdos enim proijciens breuiarium in illo inſtanti, in quo determinat nunquam recitare officium, peccat mortaliter per illam intentionem non recitandi, externa autem proiectio non addit peccatum diſtinctum; quia eſt reductio ad actum externum, ſeu externa quædam conſummatio actus interni; quæ non addit malitiam diſtinctam à malitia actus externi; vt diximus *to.3.* Si autem proijciat poſt aliquod temporis ab illa determinatione, committit nouum peccatum, quia elicit nouam intentionem non recitandi, & eſt cauſa nouæ omiſſionis, quia tempore interrumpitur illa prima intentio omittendi.

14 Obijc. 4. Qui poſt firmum propoſitum non ſeruandi votum caſtitatis iam emiſſum contrahit matrimonium, peccat mortaliter; & qui poſt propoſitum non reſtituendi rem alienam illam diſtrahit, & conſumit, peccat; ergo à pari.

Reſp. neg. conſ. nam contrahens matrimonium poſt votum de non contrahendo committit nouum actum diſtinctum à propoſito non ſeruandi caſtitatem, qui actus ſecundùm ſe eſt malus, quia irritum facit ſacramentum, & tranſgreditur votum; & conſumens rem alienam impoſſibilitat, vel ſaltem difficultat reſtitutionem; & ideo influit in omiſſionem reſtitutionis; prætereà cõſumptio rei alienæ eſt actus de ſe malus; non ſic autem in propoſito; in quo tantùm loquimur de actu bono ex genere, vel indifferenti; nam ſi loquamur de actu malo ex obiecto; vt cùm quis poſt firmum propoſitum omittendi miſſam furetur, aut mœchatur, nulli dubium eſt, talem actum eſſe peccatum.

15 Quæres, an ludens cum eo, qui firmiter ſtatuit omittere miſſam, vel officium, peccet mortaliter?

Reſp. quòd ſi nullo modo influat in illam omiſſionem voluntariè ad illam non concurrendo, non peccat; ſi autem aliquo modo influat impediendo auditionem miſſæ, vel firmando magis propoſitum illius, peccat; quia aliquo modo influit; vnde bonum eſt abſtinere à ludo, quia conſtare non poteſt euidenter firmitas illius decreti.

ART. III.

Afferuntur aliquot quæſita.

1 EGimus *in ſup. art.* de operibus, quæ non influunt, modò de illis, quæ influunt in omiſſionem, agendum eſt. Quia tamen parum ſecum ferunt difficultatis, & à DD. oppoſitum docentibus ſolùm incidenter tanguntur; ideo *in hoc art.* quæ dici poſſunt de illis, concludimus.

2 Quæres 1; an quando quis eligit v.g. ſtudium propter omiſſionem miſſæ, ille actus habeat duplicem, vel vnam tantùm ſpeciem malitiæ?

3 *Suar. hîc diſp.3.ſect.3.n.22.* ait talem actum habere duplicem ſpeciem malitiæ, quia eſt contra duplicem virtutem, ſcilicet contra religionem, quatenus eſt omiſſio miſſæ; & contra ſtudioſitatem, quatenus tale ſtudium caret ordinatione ad debitum finem, per quam ordinationem conſtituitur formaliter virtus ſtudioſitatis; & per conſequens per carentiam huius ordinationis opponitur ſtudioſitati. *Ita etiam Granad.* Refertur etiam *Henriq. Gabr. apud Gonet.*

4 *Alij verò Theologi communiter*, inter quos *Med. Martinez, Lor. Serra, Monteſin. Cornejus, Godoy hîc diſp. 23. Gibb. hîc diſp.4. dub.4.* apud quem *Vaſq. Coninck. Sal. Zum. Tanner. Ouied. Arriag. & Gonet.* volunt talem actum habere vnam tantùm ſpeciem malitiæ.

5 Dicendum *cum iſtis*, quòd licèt quando actus malus ex obiecto influit in omiſſionem, ſit duplex malitia ſpecie diuerſa; attamen quando actus eſt bonus ex obiecto, tunc eſt vna tantùm malitia.

Prima pars probata eſt *to.3. de Act hum. q.1. art.4. §.1. n.10. & ſeq.* nam ſi quis omittat miſſam, vt mœchetur, habet malitiam oppoſitam religioni, in quantum omittit miſſam; & malitiam oppoſitam caſtitati, in quantum mœchatur; vnde ſicut actus malus influens in commiſſionem malitiam geminat; ita actus malus influens in omiſſionem diſtinctam malitiam ſuperaddit malitiæ, quam importat omiſſio; quia *oppoſitorum eadem eſt ratio. Vid. ibid.*

5 Prob. 2. pars. Ille actus, qui non habet, niſi malitiam omiſſionis, non habet, niſi vnicam malitiam; ſed ſtudium v. g. tempore auditionis miſſæ non habet, niſi malitiam omiſſionis; ergo non habet, niſi vnicam malitiam. Ma. patet; quia non multiplicatur malitia niſi ad multiplicationem eorum, à quibus ſumitur. Prob. mi. Studium non habet malitiam ex ſe ipſo, quia ex ſua natura eſt bonum; vnde potiùs habet bonitatem; neque ex circunſtantia temporis, quia nullum eſt præceptum prohibens ſtudium ſecundùm ſe pro illo tempore; ſed tantùm eſt præceptum prohibens pro illo tempore omiſſionem; vnde illud tempus eſt circumſtantia omiſſionis per ſe; & ideo facit ſolam omiſſionem per ſe malam pro illo tempore, quæ pro tempore antecedente non erat mala; ergo ſtudium non habet, niſi malitiam omiſſionis.

6 Conf. Ideo ſtudium eſt malum per *Aduerſarios*, quia afficitur circunſtantia temporis, & mali euentus; ſed hæc eſt malitia omiſſionis; quia omiſſio non eſt mala, niſi pro illo tempore, quo debet audiri miſſa; & malus euentus pro illo tempore eſt ipſa omiſſio; ergo ſtudium non habet, niſi malitiam omiſſionis.

7 Vrgetur. Circunſtantia tribuens malitiam alicui actui nequit tribuere aliam malitiam alteri actui coniuncto cum illo; nam ab vno nequit ſumi, niſi vna malitia; ſed tempus tribuit mali-

malitiam omiſsioni; quia omiſsio non eſt mala, niſi pro eo tempore, quo eſt præcepta; ergo nequit tribuere malitiã diuerſam ſtudio coniunctò cum omiſſione.

8 Prob. 2. In tantùm actus malus ex obiecto, & ſimul ex fine habet duplicem malitiam; in quantùm malitia obiecti alia eſt à malitia finis; atqui ſtudium non eſt malum ex obiecto, ſed tantùm ex fine; ergo non habet duplicem malitiam.

9 Euertitur alia ratio *Aduerſariorum*. In tantùm ſtudium habet malitiam oppoſitam virtuti ſtudioſitatis, in quantùm caret debita ordinatione in Deum, qui eſt finis omnium virtutum, vt diximus *ſuo loco*; ſed carentia rectitudinis ſumitur tantùm ab omiſſione; quia ab illa tantùm habetur deordinatio, in qua conſiſtit talis carentia; ergo ſtudium non habet, niſi malitiam omiſſionis. Prob. ampliùs mi. Ab auditione miſſæ habetur rectitudo, & ordinatio actuum bonorum, qui cum illa coniunguntur; ergo ab omiſſione, quæ eſt priuatio oppoſita auditioni, habetur priuatio rectitudinis, & ordinationis, quæ opponitur poſitioni rectitudinis, & ordinationis, rationes enim oppoſitæ non niſi ab oppoſitis poſſunt deſumi.

10 Tandem prob. Si ſtudium coniunctum cum omiſſione importaret malitiam diuerſam à malitia omiſſionis, ſequeretur, quòd pura omiſſio eſſet minùs mala; quia hæc vnam tantùm malitiam importaret; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. Prob. mi. Pura omiſſio habet malitiam otioſitatis, quam non habet omiſſio coniuncta cum operoſitate; ergo pura omiſſio eſt magis mala, quàm omiſſio operoſa. Tum quia ſi actio bona ex genere adderet omiſſioni ſpeciem malitiæ diſtinctam, teneretur pœnitens illam explicare in confeſſione; quia *iuxta Trid.* tenemur explicare omnes circumſtantias variantes ſpeciem; ſed conſ. eſt contra praxim Eccleſiæ; ergo & ant.

11 Dices pœnitentem non teneri explicare ſpecies veniales, ſed tantùm mortales; malitia autem ſtudij eſt tantùm venialiter mala.

Reſp. *Aduerſarios* cogi ad fatendam leuitatem ſuæ ſententiæ, quæ ſolam malitiam venialem poteſt obtinere; rationes autem illorum probant malitiam mortalem; vt mox patebit.

12 Obijc. 1. Actus bonus non poteſt ex ſe ipſo influere in peccatum; ergo in ſe ipſo habet malitiam, aliter non poſſet illam in peccatum influere. 2. Omittens miſſam propter ſtudium ponit in ſtudio rationem vltimi finis; ergo ſtudium magis appretiatur, quàm Deus; & ideo in ſtudio eſt malitia mortalis. 3. Studium cauſans omiſsionem caret rectitudine ſtudioſitatis ſibi debitæ, quæ dictat eſſe ſtudendum tempore debito, & corrigit nimium affectum ſtudendi; ergo importat malitiam oppoſitam virtuti ſtudioſitatis, vltra malitiam omiſsionis. 4. Intentio ſpecificatur à fine, non à medijs; ſed intendens omiſsionem propter ſtudium habet intentionem malam habentem pro fine ſtudiũ, & pro medio omiſsionem; ergo illa intentio accipit malitiam à ſtudio, non ab omiſsione; & ideo illius malitia eſt diuerſa à malitia omiſſionis; quia malitia finis eſt diuerſa à malitia mediorum; ſicut dicimus de bonitate.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Actus bonus moraliter nequit in peccatum influere, conc; bonus ex genere, ſeu phyſicè, neg; poteſt enim malè ordinari, & ſic influere in peccatum; vnde non habet malitiam moralem ex ſe ipſo, ſed illam accipit à prauo fine, vel medio. Ad 2. diſt. ant. Ponit rationem vltimi finis in ſtudio ratione omiſſionis, conc; ratione ipſius ſtudij, neg; & ideo ſolùm ratione omiſsionis eſt peccatum. Ad 3. eodem modo diſt. ant. Caret rectitudine ſtudioſitatis ratione omiſsionis, conc; ratione ſui, neg. Ad 4. diſt. ma. Intentio ſpecificatur à fine, vt aſſequibili per media, conc; abſolutè, neg; finis enim eſt relatiuus ad media; ſtudium autem, vt aſſequibile per omiſſionem peccaminoſam eſt malum malitia deriuata in illud ab omiſſione; quapropter docet *Beatiſs. P.* quòd non ſempee peccamus declinando ad mala, ſed etiam tendendo ad bona, ſed malè.

13 Quæres 2. an actus cauſans omiſſionem habeat malitiam numero diuerſam à malitia ipſius omiſſionis?

Reſp. negatiuè. *Eſt cont. Scotiſtas, Granad. & alios relatos to 3. de Act. hum. q. 5. art. 5. §. 3.* vbi probata eſt hæc concl. quæ ſic ampliùs roboratur. Actus cauſans omiſſionem vel directè cauſat, vel indirectè? Si primum; ergo non habet malitiam numero diuerſam; quia actus directè cauſans omiſſionem nihil aliud eſt, quàm volitio omiſſionis; volitio autem omiſſionis, & omiſſio, ſe habent, vt actus internus, & externus; ſicut enim velle committere, & actualis commiſſio ſunt actus internus, & externus; ita dicendum eſt de velle omittere, & omiſſione; ſed actus externus non addit malitiam interno, vt habitum eſt *loc. cit.* ergo actus directè cauſans omiſſionem non importat malitiam diuerſam numero à malitia ipſius omiſſionis. *Vid. alias rationes ibid. allatas.* Si ſecundum; ergo non habet malitiam diuerſam numero propter eandem rationem, nam in tantùm actus exterior non ſuperaddit malitiam interiori; quia *vbi vnum propter aliud, vtrobique vnum tantùm*; ſed actus externus eſt propter omiſſionem, vel è contra; ergo vtrobique eſt eadem malitia. Tum quia duæ malitiæ ſolo numero diuerſæ nequeunt eſſe in eodem ſubiecto; ſicut non poſſunt eſſe duæ bonitates, aut entitates. Tum quia opus externum eſt tantùm denominatiuè extrinſecè malum; quia malitia formaliter eſt ſolùm in voluntate, ſicut veritas in intellectu; ſed forma, quæ eſt formaliter in vno, & denominatiuè tantùm in alio, non multi-

multiplicatur; vt patet de viſione, quæ quia eſt formaliter in oculo, & denominatiuè in obiecto colorato; & ſanitas in animali, ac denominatiuè in aere, medicina &c; ideo non eſt duplex, ſed vna, & eadem viſio,& ſanitas.

14 Dices 1. Idem accidens numero nequit eſſe in diuerſis ſubiectis; ergo eadem numero malitia nequit eſſe in diuerſis actibus; ſed volitio omiſſionis, & omiſſio ſunt diuerſa inter ſe; ergo in illis eſt diuerſa numero malitia.

Reſp. diſt. ant. Idem accidens nequit eſſe in diuerſis ſubiectis formaliter,conc; in vno formaliter, & in alio denominatiuè, neg; vt patet de viſione.

15 Inſt. 1. Si malitia eſſet formaliter in vno tantùm, maximè in actu voluntatis; ſed conſ. eſt falſum; quia volitio dicitur mala ab omiſſione; ſicut volitio furti dicitur mala à furto; ergo & ant. 2. Malitia volitionis ſpecificatur à malitia omiſſionis; ergo non eſt eadem malitia; aliter idem ſpecificaretur à ſe ipſo. 3. Malitia volitionis eſt cauſa malitiæ omiſſionis; ſicut actus internus eſt cauſa actus externi; ſed cauſa, & effectus realiter diſtinguuntur; ergo malitia volitionis diſtinguuntur realiter à malitia omiſſionis. 4. Malitia volitionis eſt quid poſitiuum; & malitia omiſſionis eſt quid priuatiuum; quia illa eſt malitia commiſſionis, hæc omiſſionis; ſed poſitiuum realiter diſtinguitur à negatiuo; ergo malitia volitionis realiter diſtinguitur à malitia omiſſionis.

Reſp ad 1. neg. mi. Ad prob. infert. reſp; quòd volitio dicitur ab ordine ad omiſſionem, non autem ab ipſa omiſſione; ex eo enim, quòd voluntas ordinet volitionem ad omiſſionem, volitio dicitur mala. Ad 2. eodem modo dicitur ad ant, ſcilicet malitiam volitionis ſpecificari ab ordine, quem dicit ad omiſſionem, & non ab ipſa omiſſione; ſpecificatiuum autem, & ſpecificatum non diſtinguuntur realiter,vt patet de rationalitate in homine. Ad 3. diſt. ma. Malitia volitionis eſt cauſa, ſeu ratio malitiæ omiſſionis,conc; eſt cauſa phyſica, neg; ſicut enim viſio eſt cauſa, ſeu ratio, propter quam paries dicitur viſus, ita à pari. Ad 4. neg.mi; quamuis enim forma poſitiua diſtinguatur realiter à negatione ſui exiſtente in alio ſubiecto, vt v.g. rationalitas à negatione ſui exiſtente in equo; non tamen diſtinguitur à negatione fundata in ſe ipſa, vt rationalitas, in qua fundatur negatio equinitatis,non diſtinguitur à negatione equinitatis, quia negatio nullam entitatem addit ſubiecto, in quo eſt, ſed eſt ipſum ſubiectum excludens rem negatam. *Sed de hoc inf.*

16 Obijc. 2. Volitio reflexa, qua quis vult omittere actum amoris præceptum à Deo, non habet eandem malitiam, quam habet omiſſio amoris; ergo à pari. Prob. ant. 1. Volitio reflexa amoris, & poſitio ipſius amoris non habent eandem bonitatem;ſunt enim duo actus volun-tatis numero diuerſi, ergo neque eandem malitiam. 2. Omiſſio amoris eſt voluntaria ratione ſui, ſicut ratione ſui eſt voluntaria volitio; ergo ratione ſui eſt mala.

Omiſſis reſponſionibus *Recentior*;quòd dicitur amor poteſt conſiderari dupliciter, vel vt obiectũ cognitionis reflexæ, vel vt actus formalis elicitus à voluntate. Neg. ant. Ad 1.prob. diſt. ant. Volitio reflexa amoris, & amor, vt obiectum, non habet eandem bonitatem, neg, & amor, vt actus formalis elicitus, conc. Sic puta omiſſio conſiderata, vt actus interpretatiuus elicitus à voluntate, & volitio formaliter elicita, ſeu commiſſio, non habent eandem malitiam, quia ſic non ordinantur inter ſe modum actus,& obiecti, & ideo non habent eſſe vnum ordinatiuè, quia vnum non eſt propter aliud; at verò omiſſio ſumpta, vt obiectum volitionis, & volitio ordinata ad omiſſionem, habent eandem malitiam, quia actus dicitur malus per ordinem ad obiectum, & obiectum per ordinem ad actũ, vt dictum eſt, & ideo habent vnam, & eandem rationem malitiæ, quia vnum eſt propter aliud. Ad 2. Eodem modo. Omiſſio amoris eſt voluntaria ratione ſui, quatenus eſt obiectum volitionis, neg; quatenus habet rationem quaſi actus interpretatiuè eliciti; neg.

17 Quæres 3; an actus poſitiuus cauſans omiſſionem ſit peccatum omiſſionis, vel commiſſionis?

Reſp. eſſe peccatum omiſſionis. *Eſt contra Godoy*, apud quem *alij*. Traditur tamen *à noſtro Gibb, Gonet, Becc, Vaſq; & alijs.* Prob. Actus denominatur ab obiecto,ſeu per ordinem ad obiectum; ſed actus influens in omiſſionem habet pro obiecto omiſſionem; ergo denominari debet peccatum omiſſionis. 2. Actus influens ſecundum ſe ipſum præcisè non eſt peccatum,quia uel eſt bonus ex ſuo genere, ut ſtudium; uel eſt indifferens, ut uolitio, quæ, ſi ordinetur ad boniũ, eſt bona; ſi ad malum,mala; ergo non habet malitiam, niſi per ordinem ad obiectum; atqui malitia obiecti eſt omiſſionis; ergo & actus habet malitiam omiſſionis. 3. Eodem præcepto prohibetur obiectum, & actus internus ad illud; vt eodem præcepto prohibetur comeſtio carnis in die Veneris, & intentio comedendi carnem; ergo actus, & omiſſio ſunt contra idé præceptum; atqui præceptum, contra quod eſt omiſſio, eſt negatiuum; & contra præceptum negatiuum eſt peccatum omiſſionis; ergo actus habens pro obiecto omiſſionem eſt contra præceptum negatiuum,& ideo eſt peccatum omiſſionis. 4.Quanuis volitio ſit actus poſitiuus; attamen quia non tendit in obiectum poſitiuum; ideo non eſt peccatum commiſſionis; quia peccatum commiſſionis nedum eſt actus poſitiuus, ſed etiam tendit in obiectum poſitiuum; vt cùm quis furatur, vel vult furari rem alienam, nedum actus furandi,& intentio eſt actus poſitiuus,ſed etiam res aliena,

in

in quam poſitiuè, & affirmatiuè tendit per modum proſecutionis, eſt quid poſitiuum; ergo eſt peccatum omiſſionis; nam peccatum commiſſionis conſtituitur formaliter per actum poſitiuum, & per tendentiam poſitiuam per modum proſecutionis ad obiectum poſitiuum.

18 Obijc. 1. *Godoy*. Peccatum omiſſionis eſt non dictum, non factum, non concupitum contra legem Dei; ſed volitio poſitiua omiſſionis non eſt negatio dicti, facti &c; ergo non eſt peccatum omiſſionis. 2. Peccatum omiſſionis in hoc differt à peccato commiſſionis, quòd illa dicit carentiam, hæc uerò poſitionem actus; ſed uolitio omiſſionis dicit poſitionem actus; ergo eſt peccatum commiſſionis.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Eſt non dictum, non factum &c. externum, uel internum, conc; externum, & internum ſimul, neg. Vnde illa definitio ſic explicata in hoc ſenſu optimè intelligitur. Ad 2. iam patet ex dictis; quòd peccatum commiſſionis importat nedum actum poſitiuum internum, ſed etiam obiectum poſitiuum, & tendentiam ad obiectum poſitiuum per modum proſecutionis, quæ cùm deficiant in caſu, ideo quamuis actus ſit poſitiuus; attamen non eſt peccatum commiſſionis.

19 Inſt. Peccatum conſtituitur formaliter per id, quod eſt internum; quia conſtituitur per ipſum actum liberum uoluntatis; ergo quamuis obiectum externum ſit priuatiuum, attamen erit peccatum commiſſionis.

Reſp. diſt. ant. Conſtituitur formaliter per id, quod eſt internum, per ordinem ad obiectum, quod poteſt eſſe externum, conc; omnis enim actus conſtituitur per ordinem ad ſuum obiectum, ut docent *omnes Philoſophi*; cùm ſit relatiuus ad illud; præciſo tali ordine, neg.

ART. IV.

Quo tempore omiſſio imputetur ad culpam?

1 Aliqui uolunt omiſſionem imputari ad culpam ſolùm, quando inſtat tempus præcepti, & omittitur actus exterior. Refertur *Marſ; Altiſiodor; Pallat; & Sylueſter*. *Alij* verò tunc ſolùm imputari ad culpam, quando ponitur cauſa voluntaria omiſſionis, non verò quando ſequitur exterior omiſſio, tunc enim ſolùm eſt effectus peccati, non autem peccatum; v.g. quando quis præuidens inſtare tempus audiendi miſſam ſomno ſe tradit, & perſeuerat in illo vſque, dum tranſeat tempus illam audiendi ita, vt non poſſit ampliùs illam audire, nec vitare omiſſionem, tunc omiſſio imputatur ad culpam, quando ille ſomno ſe tradit; quando verò ſequitur omiſſio labète tempore auditionis miſſæ, eſt effectus peccati, non autem peccatum, quia pro eo tunc non eſt in ſua poteſtate ad euitandum peccatum. *Ita Vaſq. hic diſp. 94. c. 3; Aluar; Granad; Merat; Azor; Sayr; & Onied. de Bonit; & malit. tract. 4. controu 6 punct. 7.*

2 Vnica concl. Omiſſio imputatur ad peccatum nedum, quando volumus omittere, & quādo omittimus, & eſt in noſtra poteſtate non omittere; vt quando volumus v.g. hora 15. omittere, & hora v.g. 16. omittimus, & poſſumus omittere, quia vigilamus, & nullum eſt impedimentum ad non omittendum; ſic enim *omnes* concedunt eſſe peccatum vtroque tempore; ſed etiam quando volumus omittere, & tempore, quo omittimus, etianſi non ſit in noſtra poteſtate ad non omittendum; *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 24. p. 2. q. 1. art. 2. §. Propter quod* dicens: *Sed aliquando ſequuntur iudicium rationis; vt cùm quis conſenſit in opus illicitum, & poſt talem conſenſum inſurgit caro, talis inſurrectio carnis poteſt eſſe peccatum mortale*: vbi loquitur de nobis ſiue vigilantibus, ſiue dormientibus, vt patet *ex ſuperiori §. Propter argumenta*. Refertur etiam *D. Tho. q. 76. ar. 2. ad 3; & q. 77. art. 7; Caiet. ibid. Cour; Med; Sua; Val; Sal; Lorc; Monteſin; Arriag; Sanchez, Pallao apud Gibb*; qui eandem ſententiam ſequitur; *Gonet hic diſp. 3. art. 4; Godoy diſp. 24; & omnes alij communiter.*

3 Prob. 1. pars concl. Solus conſenſus ad peccatum eſt peccatum; vt habetur *Leuit. 20*; vbi dicitur de homine negligente, & quaſi paruipendente imperium Domini; *Succidamque & ipſum, & omnes, qui conſenſerunt ei, vt fornicaretur cum Moloch*; & communis eſt *Scripturarum, & Eccleſiæ* doctrina, quòd peccatum committitur corde, idèſt conſenſu voluntatis; ore, idèſt verbis; & opere, idèſt facto externo; ſed volens omittere conſentit omiſſioni; ergo peccat mortaliter. Præterea *Exod. 20; & Rom. 5. Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo*; ſuper quo *Beatiſſ. P. lib. de Honeſtat. Mulierum c. 5.* ait: *Voluntas prona faciendi reputatur pro opere facti; & lib. 1. de Serm. Domini in Monte c. 23.* ponderans illud *viderit* ait: *Sanè conſiderandum, quòd non dixit: Omnis, qui concupiuerit mulierem; ſed qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, idèſt hoc fine, hoc animo attenderit, vt eam concupiſcat*; ex quo ſic. Præuidens ſe concupiturum mulierem peccat peccato adulterij; ergo volens omiſſionem peccat peccato omiſſionis; nam non eſt volens, niſi videns, ſeu cognoſcens. Tum quia ſi volitio omiſſionis non eſſet peccatum, maximè quia non vult expreſsè illam omiſſionem, ſed tantùm illam præuidet, & eam non cauet; vt cùm quis præuidens dando ſe ſomno non auditurum miſſam, non vult expreſsè omiſſionem miſſæ; ſed hoc non officit, quia ad peccatum ſufficit volitio virtualis, & implicita; nam ſufficit negligentia ad illud non euitandum, & præuidentia, vt patet *ex Scripturis* allatis; negligentia autem, & præuidentia non important, niſi conſenſum virtualem, & implicitum voluntatis; ergo volitio omiſſionis eſt peccatum. Tum quia, qui ſe exponit periculo

morali peccandi, peccat in omnium ſentẽtia; ſed qui vult dormire præuidens ſe omiſſurum miſſam, ſe exponit periculo morali omittendi; ergo peccat. Tandem omiſſio pro eo tempore, quo ſuccedit, eſt peccatum; ſed omne peccatum eſt in voluntate, vt diximus *q.1. art.6*; ergo in voluntate debet eſſe actus voluntarius, per quem illa omiſſio reddatur peccatum; at quando actualiter omittitur miſſa, nullus actus voluntarius eſt in voluntate, quia à dormiente nullus actus voluntarius elici poteſt; ergo remanet, quòd ſit volitio expreſſa, vel virtualis præcedens, & ideo volitio omiſſionis eſt peccatum.

5 Prob. 2. pars concl. *ex Beatiſſ. P. ſerm. 231. de temp:* vbi ait: *Quòd de ebrietate naſcitur, igni preparatur*; ex quo ſic. Illud, quod igni præparatur, eſt peccatum, quia ſolum peccatum igne punitur; ſed actualis omiſſio externa igni præparatur; ergo actualis omiſſio externa eſt peccatũ. Prob. mi. Poteſt quis ex cauſa ebrietatis non minùs, quàm ſomni omittere miſſam; tum quia poteſt per ebrietatem priuari vſu rationis, & debita aduertentia ad auditionem miſſæ; tum quia ex ebrietate poteſt ſomno corripi; & impediri, ne audiat miſſam; ſed id, quod prouenit ex ebrietate, præparatur igni; ergo actualis omiſſio externa igni præparatur.

6 Item qui ſcienter dormiens miſſam omittit, verè peccat mortaliter, quia tranſgreditur præceptum Eccleſiæ; ſed præceptum Eccleſiæ obligat pro eo tempore, quo miſſam omittit; quia præcepta affirmatiua obligant tantùm ad tempus; ergo eo tempore quo fit omiſſio externa, eſt peccatum.

7 Præterea ſi omiſſio non eſſet peccatum, ſed tantùm effectus peccati, maximè, quia illa omiſſio pro eo tunc non eſſet voluntaria, nam voluntas pro eo tunc non haberet volitionem omittendi miſſam; ſed hoc non obſtat; ergo eſt peccatum. Ma. patet, nam ſi vigilans actu vult omittere miſſam tempore auditionis miſſæ, illa omiſſio procul dubio eſt peccatum; ergo ſi eſt aliqua ratio, quare omiſſio externa non ſit peccatum, maximè quia omittens pro eo tempore, quo obligat præceptum, non habet actualem volitionem omiſſionis. Prob. mi. Ad hoc, vt aliqua actio ſit peccatum, ſufficit, quòd fuerit voluntaria in cauſa, quanuis non ſit actu volita; vt cùm quis ſcienter ſe inebriat præuidens, quòd ex nimia uini potatione excitanda ſit libido ad mœchandum, peccat etiam, quando mœchatur, licèt per ebrietatem ſit priuatus uſu rationis, & ideo actu non uelit uoluntariè mœchiam; ad uolitionem enim uoluntariam neceſſariò requiritur uſus rationis; ſed actualis omiſſio tempore, quo quis dormit, eſt uoluntaria in cauſa, quia fuit præcedenter uolita expreſsè, uel implicitè; ergo eſt peccatum.

8 Tandẽ cùm quis actu uult omittere, & omittit, omiſſio externa eſt peccatum; quia tunc omiſſio externa coniungitur cum nolitione interna, quæ eſt peccatum, & quæ actu exiſtit in uoluntate; ſed omiſſio in ſomno coniungitur cũ uolitione præcedente, quæ eſt peccatum, & quæ moraliter durat; non enim eſt retractata, aut dimiſſa; ergo eſt peccatum. Tum quia ſi omiſſio actualis non eſſet peccatum, non eſſet accuſanda in confeſſione; ſed conſ. eſt contra praxim Eccleſiæ; ergo eſt peccatum.

9 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. Præceptum audiendi miſſam non uiolatur, niſi eo tempore, quo obligat; eſt enim præceptum affirmatiuum; ſed pro illo tempore, quo quis dat cauſam omittendi, non obligat tale præceptum; ergo pro illo tẽpore, dãs cauſã nõ peccat. 2. Sequeretur, quòd voluntariè incidens in infirmitatem, aut committens aliquod delictum, ob quod recludendus ſit in carcerem ita, ut miſſam audire non ualeat, peccaret mortaliter, quoties miſſam omitteret; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Præceptum audiendi miſſam non uiolatur externè, niſi eo tempore, quo obligat, conc; internè, ſubdiſt. Non uiolatur ſuſpenſiuè non ponendo actum præceptum, conc; negatiuè ponendo actum oppoſitum, neg; quanuis enim præceptum affirmatiuum non obliget affirmatiuè ad ſemper ponendum actum præceptum; obligat tamen negatiuè ad nunquam ponendum actum internum oppoſitum; quia nunquam licèt nolle ponere pro tempore determinato actum præceptum; u. g. licèt quis non obligetur ad ſemper actu colendum Deum; attamen ſemper obligatur ad nũquam iniuriandũ; tunc enim habet rationem præcepti negatiui. Sicut licèt non teneamur ſemper affirmatiuè amare inimicum; obligamur tamen ad nunquam eum odiendum. Ad 2. diſt. ma. Si certò, uel ſaltem probabiliter præuideat, quòd dando cauſam tali infirmitati, uel committendo tale delictum incurret miſſæ omiſſionem, conc; ſecus, neg.

10 Obijc. 2. De ratione peccati actualis eſt actualis libertas; nam peccatum in tantùm eſt peccatum, in quantùm eſt liberum; ſed omiſſio contingens in ſomno non eſt actus liber; quia pro eo tunc non eſt uſus rationis; ergo non eſt peccatum actuale. 2. Ad hoc, ut omiſſio ſit libera, oportet, ut actus uoluntatis moraliter perſeueret, vt ſupra dictum eſt; ſed actus voluntatis in dormiente non perſeuerat moraliter; quia ad perſeuerandum moraliter requiritur, quòd prudenter exiſtimemus dormientem velle omiſſionem, etiamſi vigilaret; quod tamen eſt falſum; quia ſi vigilaret, non omitteret; omittit enim, quia dormit; ergo omiſſio non eſt peccatum. 3. Omiſſio eſſet ſolùm voluntaria in cauſa non in ſe; ergo eſſet ſolùm peccatum in cauſa, non in ſe ipſa; & ideo in ſe ipſa eſſet ſolùm effectus peccati. 4. Ad inceptionem actus liberi requiritur actualis vſus rationis; ergo ad

con-

continuationem ipſius requiritur actualis continuatio vſus rationis, quæ non eſt in dormiente. 5. Sequeretur, quòd poſtquam quis voluntariè ſe occidit, adhuc poſt mortem peccaret transgrediendo præcepta, quia dedit cauſam transgreſſionis; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Actualis libertas vel in ſe, vel in cauſa, conc; in ſe tantùm, neg. Sic ad prob. dicitur ſufficere, quòd ſit liberum in ſe, vel in cauſa. Ad 2. neg. mi. Ad prob. Inſert. dicitur, quòd ad hoc, vt prudenter exiſtimemus peccatum perſeuerare, ſufficit, vt exiſtimemus illud non fuiſſe retractatum, & quòd durante tali volitione etiam vigilans omitteret; nam ſi vigilans non omitteret, hoc eſſet; quia retractaret talem volitionem virtualem omittendi per volitionem actualem non omittendi. Ad 3. neg. conſ; & inſtatur de peccato originali; quod quãuis ſit ſolùm voluntarium in alio, non in ſe; attamen in ſe eſt peccatum, non tantùm *in Adam*; ergo ad hoc, vt aliquod ſit peccatum in ſe, non requiritur, vt ſit liberum in ſe, ſed ſufficit eſſe liberum in alio. Illa igitur propoſitio: *In tantùm eſt peccatum, in quantùm eſt voluntarium*; valet tantùm comparatiuè; ſcilicet illud eſt maius, vel minus peccatum, quod eſt magis, vel minùs voluntarium; non autem valet aſſimilatiuè in omnibus; nam non valet; ſicut aliquis actus eſt tantùm interpretatiuè voluntarius, non formaliter; ita non eſt peccatum formaliter, ſed tantùm interpretatiuè; ita à pari. Ad 4. dicitur, quòd ſicut ad inceptionem actus liberi moralis, & interpretatiui ſufficit virtualis vſus moralis rationis; ita ad continuationem. Ad 5. neg. ſeq; nam per mortem vnuſquiſque firmatur in ſuis peccatis, quibus immobiliter adhęret, & non eſt amplius in ſtatu merendi.

11 Obijc. 3. Sequeretur aliquem eſſe in gratia, & ſimul peccare mortaliter, quia poſſet voluntariè tendere in locum remotum, vbi non poſſet miſſam audire, & in eodem inſtanti elicere actum contritionis; ſed hoc repugnat; ergo, & id, ex quo ſequitur. 2. Sequeretur motus primò primos ſenſuales eſſe peccata, quia ſequuntur ad defectum iuſtitiæ originalis, qui fuit nobis voluntarius *in Adam*; ſed conſ. eſt falſum; ergo, & ant. 3. Sequeretur, quòd vnus homo magis peccaret, quàm alter, etianſi vterque æqualiter vellet peccare; nam ſi duo homines æqualiter præuidentes omiſſionem miſſæ ſe traderent ſomno, & vnus illorum excitaretur, ac miſſam audiret, minùs peccaret, quàm alter, quia non peccaret peccato omiſſionis. 4. Præuidens ſe effecturum in ſomno aliquos bonos actus, quos dormiendo efficeret, non mereretur; aliter validè poſſet conſecrare, & votum emittere; ergo à pari. 5. Sequeretur Deum obligare ad aliquod impoſſibile, quia auditio miſſæ eſt impoſſibilis dormienti. 6. Sequeretur, quòd propinans venenum alicui lentè diſponens ad mortem, peccaret toto illo tempore, quod eſt abſurdum.

Reſp. ad 1. neg. ant, quia per actum contritionis retractatur illa volitio virtualis peccaminoſa, à qua omiſſio redditur culpabilis. Ad 2. neg. ſeq. quia peccatum originale eſt peccatum naturæ, non perſonæ, & ideo non eſt cauſa, quòd motus primò primi, qui ſunt perſonales, ſint peccata. Inſuper dicitur, quòd *Adam* non præuidit illos motus, aliter non fuiſſet perfectè beatus, quia ſuum caſum præuidiſſet, & miſeriam, in quam labi debebat, vt docet *Beatiſs. P. de corr. & grat. c. 11*; & colligitur *ex Scriptura* docente, quod poſt peccatum *aperti ſunt oculi eorum*; ad videndas ſcilicet miſerias per peccatum contractas. Vel quòd *Adam* retractauit ſuum peccatum; ideo motus ſequentes ad peccatum illius non ſunt ampliùs voluntarij. Ad 3. diſt. ſeq. Magis peccaret extenſiuè, conc; intenſiuè, neg; nam actus externus non addit interno nouam malitiam, vt diximus *to* 3; patet autem, quòd æqualis volitio poteſt, eſſe maius peccatum extenſiuè in vno, quàm in alio, vt ſi quis æquali volũtate magis delectetur externè, quàm alter. Ad 4. dicitur, quòd licèt in ſomnis poſſit eſſe aliquod meritum extenſiuum ex voluntate præcedente, v.g. ſi quis deſideret ſomniari res Diuinas, non autem turpes, tunc enim illa bona volitio cenſetur moraliter durare, vt *ex Scriptura 3. Reg. 3.* refert *Beatiſs. P.*; quòd *Salomonis* petitio in ſomnis facta placuit Deo, & remunerationem inuenerit, non taman hoc valet de Sacramentis, quia miniſter debet eſſe certus ſenſibiliter circa materiam debitam, quàm certitudinem dormiens nequit habere, quia habet ſenſus ſopitos; nec valet de voto, quia votum formaliter importat actum internum promiſſorium formaliter exiſtentem in uoluntate explicitè, non implicitè; qui actus non eſt in dormiente. Ad 5. diſt. Ad aliquod impoſſibile impotentia conſequente, & voluntariè contracta, conc; impotentia antecedente, & inuoluntariè contracta, neg. Ad 6. diſt. ſeq. Si nunquam retractet ſuum propoſitum, conc; ſi retractet, neg.

12 Inſt. 1. Quanuis retractetur volitio, attamen manet cauſa liberè poſita, quia manet ſomnus, qui eſt cauſa omiſſionis; ergo adhuc illa omiſſio eſſet peccatum, & ſic eſſet ſimul peccatum, & gratia. 2. Adhuc poſita retractatione tenetur confiteri omiſſionem. 3. Si per retractationem tolleretur peccatum ante omiſſionem, teneretur retractare ante transgreſſionem præcepti, quod nemo dixit.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Manet cauſa moraliter voluntaria, neg; retractata enim volitione ſomnus fit inuoluntarius; moraliter non voluntaria, conc; ſed hæc non ſufficit ad peccatum. Ad 2. dicitur teneri ad confitendum, quia nemo eſt certus, an fuerit ſufficienter retractata volitio; ſi autem fuerit expiata in confeſſione, non tenetur; vnde ſi quis ob nimium cibum præuiderit ſe

cauſam dediſſe pollutioni nocturnæ; & antequam dormiat, confiteatur, & ponat impedimentum, quod poteſt, ac ſequatur talis pollutio, eliciens firmum diſſenſum ad illam; tunc non tenetur illam confiteri, etianſi ſequatur. Homicida autem retractans, antequam ſequatur, tenetur confiteri, vt Confeſſarius ſciat ei iniungere reſtitutionem damni faciendam. Ad 3. conc. aſſunpto eo tamen modo, quo omnes dicunt teneri vnumquemque poſt commiſſionem peccati mortalis illud retractare.

A R T. V:

An peccatum omiſſionis, & commiſſionis ex eodem motiuo poſſint eſſe eiuſdem ſpeciei in genere moris?

1 QVæritur, an medicus v.g. cui incumbit cura alicuius infirmi, omittens ordinare medicinam neceſſariam ſimpliciter ad recuperandam ſalutem ex propoſito, & intentione, vt moriatur, ſit homicida æquè, ac ſi ei præbeat venenum, vt illum interimat? Additur *in genere moris*; quia licèt certum ſit in genere phyſico omiſſionem, & commiſſionem differre pluſquam ſpecie; quia omiſſio dicit priuationem entitatis phyſicæ, & commiſſio poſitionem illius; attamen quæ differunt ſpecie in genere phyſico, poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei in genere moris; vt diuerſæ ſpecies mortis v.g. combuſtio, vulneratio, præfocatio, &c. pertinent in genere moris ad eandem ſpeciem homicidij. Tandem dicitur *ex eodem motiuo*; vt eſt v.g. ad inferendam mortem in caſu propoſito; nam ſi quis omittat medicinam ex motiuo non grauandæ nimis naturæ infirmi, quamuis mors ſequatur ex tali omiſſione; attamen medicus non cenſetur homicida, quia mors euenit præter intentionem illius; & quod eſt præter intentionem, non eſt voluntarium; & ideo nec eſt peccatum.

2 Prima ſententia vult omiſſionem, & commiſſionem ſemper eſſe diuerſæ ſpeciei. Referuntur *Vaſq;Cur;Zam; Cornejo, Philippus à SS.Trin. hìc diſp.8.dub.3. Gibb. hìc diſp.5.dub.2.*

3 Secunda docet omiſſionem, & commiſſionem ex eodem motiuo eſſe eiuſdem ſpeciei in genere moris. *Ita Fund.Doct.in 2.diſt.25. q.1.art.3.dub.2.lat.Caiet; Conr; & Med. hìc q.72. art.6. Monteſin de Pecc. diſp.4.q.3; Suar.lib.5.de Voto c.3.* Ita etiam *Gonet. hìc diſp.3. art.5; Laymon.lib.3.de iuſt.tract.3 p.3.c.4.n.vlt;* apud quem *Nouar.c.24.n. 8; Auila lit.C;Henriq.lib.14.c.12. n.7.in Com.lit.D;* qui docent medicum ſic omittentem eſſe homicidam, & irregularem.

4 Vnica concl. Omiſſio, & commiſſio ex eodem motiuo ſunt eiuſdem ſpeciei in genere moris.

Prob.1. *ex Beatiſ.P. loc.cit.in ſup.art.n 22. Voluntas prona faciendi reputatur pro opere facti;* ſed omittens ex motiuo committendi habet voluntatem pronam faciendi; vult enim, quòd mors v.g. ſequatur, ſicut ſequeretur ex commiſſione; ergo reputatur commiſſio; & ideo commiſſio, & omiſſio ſunt eiuſdem ſpeciei in genere moris.

5 Conf. Omittens ſubminiſtrare medicinam infirmo neceſſariam ſimpliciter ad ſalutem ex motiuo inducendæ mortis eſt verus homicida; quia verè mortem inducit; ergo peccat peccato homicidij; atqui homicidium eſt peccatum commiſſionis; ergo omiſſio eſt eiuſdem ſpeciei cum commiſſione.

6 Prob.2. Sola omiſſio, quæ habet diuerſum motiuum à commiſſione, diſtinguitur ſpecie à commiſſione; ergo omiſsio, & commiſsio, quæ habent idem motiuum, ſeu obiectum, & finem, ſunt eiuſdem ſpeciei. Ma. explic. & prob. Omiſſio vel poteſt dici reſpectu medij, quia omittitur ponere medium poſitiuum ad conſequendũ finem, vt cùm medicus intendens mortem infirmi omittit medicinam neceſſariam ad reſarciendam vitam, ex qua omiſsione ſequitur mors infirmi; & hæc omiſſio dicitur omiſsio ſecundùm quid, quia denominatio ſimpliciter habetur ab obiecto, vel fine ſpecificatiuo illius actus; vel dicitur omiſſio reſpectu obiecti, ſeu finis; quia omittitur tendentia in obiectum, ſeu finem ſpecificatiuum; & hæc omiſſio dicitur omiſſio ſimpliciter. Tunc ſic. Diuerſitas ſpecificatiua actus habetur ex diuerſitate ſpecifica obiecti, ſeu finis, non à diuerſitate mediorum; ex eo enim, quòd quis inferat mortem medio veneno, vel medio gladio, committit homicidium eiuſdem ſpeciei; ſed ſola omiſſio, quæ habet diuerſum motiuum à commiſſione, habet diuerſum obiectum, ſeu finem; motiuum enim eſt obiectum, vel finis; ergo ſola omiſſio, quæ habet motiuum diuerſum à motiuo, quod habet commiſſio, diſtinguitur ſpecie à commiſſione. Conſ patet; quia omiſsio, & commiſsio, quæ habent idem motiuum, habent idem obiectum, vel finem ſpecificatiuum; & ſolùm differunt, quia commiſsio ponit medium poſitiuum conducens infallibiliter ad finis conſecutionem; omiſsio verò non ponit mediũ, ex defectu cuius ſequitur infallibiliter cõſecutio eiuſdem finis.

7 Conf. 1. Habens intentionem poſitiuam tendendi in aliquod obiectum, vel finẽ, & omittens medium externum conducens ad conſecutionem externam illius committit idem peccatum ſpecie, ac ille, qui habens eandem intentionem circa eundem finem ponit medium externum; quapropter *Exod.20.* dicitur: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo;* habens autem ſolum deſiderium mœchandi omittit, vt patet, medium externum conducens ad actualem conſecutionem mœchiæ; & tamen dicitur mœchari, ſeu committere peccatum adulterij, quod committit ponens medium externum; ergo omiſſio, & com-

commiſſio, quæ habent idem motiuum, ſunt eiuſdem ſpeciei in genere moris.

8 Conf. 2. Externa poſitio actus non addit malitiam ſpecie diuerſam actui interno; vt diximus *to.* 3; ergo ex eo, quòd omittatur aliquod medium externum poſitiuum, eſt idem actus ſpecie, dummodò ſit idem motiuum, obiectum, ſeu finis; atqui omiſſio, & commiſſio ex eodem motiuo differunt ſolùm ratione poſitionis, vel ſuſpenſionis diuerſi medij externi; ergo non differunt ſpecie.

Prob. 3. Omittere vinum, & bibere aquam ob ſeruandam continentiam eſt actus eiuſdem ſpeciei, quia eſt actus eiuſdem virtutis ſobrietatis; ab eadem enim virtute nequeunt procedere actus ſpecie diuerſi, & habent eundem finem, à quo ſpecificantur illi actus, & illa virtus; ergo omiſſio boni, & commiſſio mali per ordinem ad eundem finem ſunt eiuſdem ſpeciei, quia pertinent ad idem vitium.

9 Obijc. 1. Priuatio, & forma nequeunt eſſe eiuſdem ſpeciei, quia nequeunt conuenire in aliquo prædicato reali illis communi; cùm nullum prædicatum reale ſit commune enti, & non enti; affirmationi, & negationi; ſed omiſſio eſt priuatio, & commiſſio eſt forma poſitiua; ergo nequeunt eſſe eiuſdem ſpeciei.

Reſp. hoc arg. nihil concludere; æquiuocat enim de omiſſione, commiſſione, & de peccato omiſſionis, & commiſſionis; nam omiſſio, & commiſſio ſunt denominatiuè extrinſecè peccatum; quia peccatum eſt intrinſecè in voluntate; omiſſio autem, & commiſſio, de quibus *hic* loquimur, ſunt extrinſecæ; vnde neg. conſ. quia arg. non eſt in forma, ſunt enim in eo quatuor termini; quorum 1. eſt priuatio, & forma. 2. eiuſdem ſpeciei. 3. omiſſio, & commiſſio. 4. peccatum. Præterea diſt. ma. Priuatio, & forma nequeunt eſſe eiuſdem ſpeciei, ſi ſumantur per ordinem ad ſe inuicem, tranſeat; ſi per ordinem ad aliud, neg; ſic enim habent conuenientiam in illo; quia priuatio lucis, & lux conueniunt eidem aeri ſumpto nedum ſpecificè, ſed etiam numericè. Sic omiſſio, & commiſſio per ordinem ad ſe non conueniunt; conueniunt tamen per ordinem ad actum malum exiſtentem in voluntate; & ideo ille actus malus coniunctus ſiue cum omiſſione, ſiue cum commiſſione externa eſt idem nedum ſpecificè, ſed etiam numericè. Item diſt. min. Omiſſio eſt priuatio, & commiſſio eſt forma, à quibus ſpecificatur peccatum eſſentialiter, neg; à quibus denominatur tantùm denominatione accidentali, quæ non variat rationem ſpecificam peccati, conc. Tandem non valet: *Venenum, & gladius differunt ſpecie; ergo homicidium illatum per venenum differt ſpecie ab homicidio illato per gladium*; non valet inquam; quia ſpecificatio actus non habetur à medio, ſed à fine, vel obiecto.

10 Obijc. 2. Si peccatum omiſſionis, & commiſſionis ex eodem motiuo eſſent eiuſdem ſpeciei, non eſſet neceſſarium illud explicare in confeſſione in ſententia aſſerentium non eſſe explicandas, niſi circunſtantias variantes ſpeciē; ſed conſ. eſt falſum, nam ſi quis inſtante præcepto omittat amorem Dei, & ponat odium non ſufficit confiteri ſe peccaſſe contra præceptum charitatis; ergo falſum quoque eſt conſ.

Reſp. *Gonet* neg. ſeq; nam omiſſio, & commiſſio non ſunt circunſtantiæ, ſed partes integrantes ſubſtantiam ſpeciei peccati, ideo ſunt explicandæ.

11 Sed contra eſt; quia auxilia, quibus exercetur actio, ſunt circunſtantiæ, vt diximus *to. 3. de Act. hum. q. 4. art. 2. n. 4. &* 5; vt quòd quis occidat cruce, igne, veneno, dieta &c; dieta autem eſt omiſſio cibi neceſſarij ad vitam conſeruandam; ergo omiſſio, & commiſſio ſpectant ad circunſtantias.

Reſp. ergo neg. mi. Ad prob. inſert. dicitur, quòd omiſſio duplex eſt; alia eſt carentia ipſius actus interni, in quo formaliter conſiſtit peccatum; & hęc differt ſpecie à peccato commiſſionis, cui opponitur; quia eſt priuatio, quæ tollit eſſentiam ipſius peccati commiſſionis, & ideo ab ipſo diſtinguitur; quia de ipſo negatur, cùm ipſi priuatiuè opponatur. Alia eſt omiſſio actus externi, quæ eſt medium aſſumptum ad conſecutionem finis, vt cùm quis vult omittere medicinam, vel cibum neceſſarium ad vitam ad hoc, vt aliquis intereat; tunc ſicut cibus eſt medium ad vitam; ita omiſſio illius eſt medium ad mortem; & ideo hæc omiſſio non eſt priuatio actus interni, quia in voluntate datur actus volitionis poſitiuus, quo vult mortem; & aſſumit omiſſionem cibi, tanquam medium ad illã; & hæc omiſſio ſtat ſimul cum actu interno poſitiuo, quo vult mortem; qui actus dicitur omiſſio ſecundùm quid per ordinem ad externum, non autem ſimpliciter per ordinem ad ſeipſum. Igitur dicitur, quòd licèt non teneretur in illa ſententia explicare in confeſſione omiſſionem, quæ eſt medium; quia medium non eſt ſpecificatiuum actus intentionis; v. g. an mors inducta ſit per ferrum, vel per lignum; attamen teneretur confiteri odium Dei; quia odium eſt poſitio actualis receſſus à Deo, per quam formaliter intrinſecè conſtituitur peccatum; & teneretur explicare omiſſionem amoris inſtante præcepto; quia per illam pariter conſtituitur intrinſecè, & eſſentialiter peccatum.

12 Obijc. 3. Omiſſio, & commiſſio ſunt duę ſpecies ſubiectiuę diuidentes peccatum; ſicut rationale, & irrationale diuidentia animal; ergo nequeunt eſſe eiuſdem ſpeciei.

Reſp. eodem modo diſt. ant. Omiſſio actus, in qua conſiſtit formaliter peccatum, conc; omiſſio alicuius medij ad peccandum, neg. Igitur idē actus poſitiuus internus voluntatis, in quo conſiſtit formaliter peccatum, poteſt ſtare cum poſitione

tione actuali alicuius medij poſitiui conducentis ad finem per peccatum intentum ; & eum omiſſione alicuius medij conducente pariter ad conſecutionem eiuſdem finis abſque eo, quòd varietur eſſentia peccati conſiſtente in illo actu interno.

13 Obijc.4.*Gibb.* Præceptum affirmatiuum, & negatiuum ſufficiunt ad diuerſificanda ſpecie peccata ; ſed omiſſio eſt contra præceptum affirmatiuum; & commiſſio contra præceptum negatiuum ; ergo idem.

Reſp.eodem modo diſt.ma. Reſpectu actus formalis interni, in quo conſiſtit peccatum formaliter, conc; reſpectu medij, quod non habet diuerſificare, ſicut non habet ſpecificare peccatum, neg.

ART. VI.

An peccatum commiſſionis conſiſtat in priuatiuo?

1 TAnta eſt rerum congeries, quam in hunc *articulum* inuexerunt *Auctores*, vt nedum eas breuiter præſtingere difficile ſit; ſed nec etiam citra nauſeam legi, & colligi poſſint. Ea autem huius fortè fuit cauſa ; quia nihil ſolidi inuenientes multa inſtabilia ad ſuam ſtabiliendam coaceruarunt ſententiam. Et quamuis hæc res ſatis peracta ſit *q.1.art.1;& q.2.art.4.§.2;* attamen iterum diſcutienda eſt.

2 Prima ſententia vult peccatum commiſſionis adæquatè conſiſtere in aliquo poſitiuo. Primus huius ſententiæ defenſor cenſetur *Gaiet. 2.2.q. q.6. art.1; & q.10. art.3; & pluries alibi; Med.hic; Zum.diſp.70; Aluar; Martinez; Gouet; Vaſq. hic diſp. 95; & ex noſtris Gibb. hic diſp. 5. dub.1:* vbi refert *Mag.Bernardin: Leſs.de perfect. Diuinis lib.3. c.26. n.182: Perez, Car. Ouied. de Bonit; & mal.tract.4 controu.5. punct.1; Amicus, Arriag; & alij.*

3 Secunda vult peccatum commiſsionis formaliter adæquatè conſiſtere in priuatiuo, & poſitiuo. *Ita Godoy hic diſp. 25;* apud quem *alij; Auerſa q.18.ſect.29; & 30; & alij.*

4 Sed magnus tumultus *inter hos Auctores* eſt in aſsignando poſitiuo, in quo conſiſtit peccatum ; illud enim ſibi fingit ferè vnuſquiſque ; nam *Vaſq; Hurt; & Perez* aiunt eſſe quendam reſpectum rationis diſconuenientiæ ad naturam rationalem ; *alij* verò eſſe denominationem extrinſecam diſconuenientiæ ad legem; *alij* eſſe reſpectum realem tranſcendentalem intrinſecum actui realiter ab actu indiſtinctum reſpicientem obiectum, quatenus legi contrarium. *Alij* poſitiuum ſe habere, vt genus, priuationem, vt differentiam. *Alij* è contra priuationem, vt genus, poſitiuum, vt differentia. *Alij* priuationem importari in recto, priuationem verò de connotato &c.

5 Noſtra docet peccatum generaliter conſtitui formaliter per priuationem; poſitiuum verò in peccato commiſsionis importari ſolùm materialiter, tanquam ſubiectum. *Ita Fund.Doct. in 2.diſt.5.q.1. art.1. §.Quodlibet enim peccatum eſt in ſe quadam priuatio; & fit per defectum regulæ, quia peccans, ſecundùm quod huiuſmodi, non agit ſecundùm debitam regulam; & eſt ſemper quodammodo præter intentionem, quia ipſa deordinatio, & ipſa priuatio non poteſt eſſe per ſe ob agente intenta. In quantùm ergo omne peccatum eſt quadam priuatio boni; ſic quodlibet peccatum caret ſpecie, quia priuatio, ſecundùm quod huiuſmodi, non eſt ſpecies; ſed carentia ſpeciei;* vnde *B.P.Aug.12. de Ciu.c.7.* dicit : *Ea quippe, quæ non in ſpecie, ſed in eius priuatione ſciuntur (ſi dici, aut intelligi poteſt) quodammodo neſciendo ſciuntur; talia autem ſecundùm ipſum ſunt delicta, & peccata.* Idem docet *Quodl.1.q.15; & in 2. diſt.37. q.2. art.2. §.Sexta via, & ſæpe alibi.* Idem ſequitur *noſter Greg.Arim.in 2.diſt.34.art.1. concl.1;* vbi ſtatuit, quòd malum ſubſtantiuè, ſeu abſtractè ſumptum *non eſt aliqua entitas, ſed pura priuatio, ſeu defectus boni debiti; & ex Beatiſs.P; S.Ambr; S.Leone; & S.Anſel.* id probat. Hanc ſententiam, vtpotè Paternam, tuentur veri *noſtræ Scholæ* Diſcipuli. Ex alijs *Alen.2.p.q.94.mem.2; D.Bon.in 2.diſt.34. art.2.q.3; Dur.ibid.q.2; Scot; Gabr; OKam; Ric; Sal; Maſtr.diſp.5. Met. q.3; & in 2. diſp.6.q.1; & alij Scotiſtæ.* Sequuntur etiam *ex Thomiſtis* veriùs interpretantibus *S.Th.1.2.q.79. art.2. Arauius, Monteſin; & alij. Ita etiam Sua; Val; Merat; Lorc; Lez; Paſqualig.diſp.25.ſect.5.Morand; & alij apud Maſtr, & Hacquet.de Pecc.controu.16.*

6 Not. *ex noſtro Greg;* quòd peccatum ſumi poteſt vel ſubſtantiuè, ſeu in abſtracto; vel adiectiuè, ſiue in concreto. Si ſumatur primo modo, idem eſt, ac malitia moralis; ſi ſecundo modo, importat entitatem, in qua eſt malitia moralis; quæ entitas eſt phyſicè bona, & eſt à Deo, tanquam ab Auctore omnium naturarum, ſeu entitatum ſiue ſubſtantialium, ſiue accidentalium.

7 Hoc vnum eſt, quod hac in re *Beatiſs. P.* continuò monebat tum *Manichæos*, vt ſuum eiurarent errorem; tum *Pelagianos*, vt Catholicos à *Manichæis* diſtinguerent; ſcilicet vt haberent ſenſus exercitatos ad diſtinguendam entitatem naturalem, in qua recipitur malitia peccati; & ipſam malitiam, quæ in entitate naturali recipitur; & agnoſcerent Deum creatorem entitatis, malitiæ autem non creatorem, ſed ſanatorem. *Lib.de Grat. Boni cont. Manich. c.17. Non ergo mala eſt, in quantùm natura eſt; ſed cuique naturæ non eſt malum, niſi minui bono; & lib.2. de morib. Manich.c.3. Quidquid tale eſt, in quantùm eſt, à ſummo Deo ſit, neceſſe eſt; quia in quantùm eſt, bonum eſt;* quod ſæpiſſimè repetit. Contra *Pelagianos;* autem ait *in Suppl.lib. 1. cont. Iul. c.46. Non habes exercitatos ſenſus ad ſeparandum bonum à malo, & ibid. lib.2. c.41. Qui poſſunt in natura vitiata bonum eius a malo eius ita diſcernere*

nere, vt neque qui putent naturam malum eſſe, neque vitium naturam eſſe, ipſi poſſunt diſcernere, quid horum duorum ad Deum creare pertineat, quod ſanare. Sed hoc vos non poteſtis, quandiu Pelagiani, non Catholici eſtis; & c.44. indignans indocilem peruicaciam: *Multiloquio tibi excitas caliginem, quæ te non permittit malitiam vitiorum à natura bonitate diſcernere; & ibid. c.*88. *Si malum vitiorum, quod niſi in aliquo bono eſſe non poteſt, à naturarum bonitate diſcernas, nec excuſabis Diabolum, nec accuſabis Deum.* Quamobrem neceſſe eſt, vt *Aduerſarij* exerceant ingenium ad diſtinguendam entitatem naturalem, ſiue ſubſtantialem, vt eſt entitas, in qua fundatur peccatum originale, quod recipitur in eſſentia animæ, vt *ſup.* diximus; ſiue accidentalem, vt eſt entitas, in qua fundatur peccatum actuale; nam *Beatiſſ. P.* loquitur vniuerſaliter de vtraque; quia loquitur de omni ea entitate, quæ eſt; vtraque autẽ eſt; vt patet *ex textu de Morib. Manich*; vbi paulò poſt explicat quid intelligat nomine *naturæ* his verbis: *Nam & ipſa natura nihil eſt aliud, quàm id, quòd intelligitur in ſuo genere aliquid eſſe;* patet autem, quòd etiam actus accidentalis in ſuo genere aliquid eſt. Hanc autem entitatem neceſſe eſt diſtinguere à malitia, quæ in illa fundatur; & ſic facile erit agnoſcere, in quo conſiſtat malitia, quę ab entitate, quæ bona eſt, neceſſariò ſeparanda eſt; adeoque manifeſtè conuincitur illam formaliter importare non poſſet; quia nulla res formaliter importat id, quod eſt à ſe ipſa ſeparatum, & diſcretum, & facile erit cognoſcere, quomodò Deus ſit cauſa illius entitatis, non peccati, ſeu malitiæ in illa entitate exiſtentis; quod non niſi ægrè *Auctores oppoſiti* valent præſtare, vt *inf.* patebit.

8 Vnica concl. Peccatum commiſſionis ſubſtantiuè, ſeu abſtractè ſumptum conſiſtit formaliter in ſola priuatione rectitudinis debitæ.

9 Prob. 1. ex illo *Io.* 1. *Sine ipſo factum eſt nihil;* idèſt peccatum; vt explicant *Beatiſſ. P. ibid; & alij SS. PP.*

10 Prob. 2. *ex Beatiſſ. P. in Enchir. c.9. Quid eſt aliud, quod malum dicitur, niſi priuatio boni? & c.*11. *Sicut in corporibus animalium nihil aliud eſt morbis affici, quàm ſanitate priuari; ita animarum quæcunque ſunt vitia naturalium ſunt priuationes bonorum; lib. de Fid. ad Petr. c.*21. *Malum nihil aliud eſt, quàm priuatio boni; & lib.* 83. *qq. q.* 6. *Totum hoc nomen mali de ſpeciei priuatione repertum eſt; & lib.* 2. *de Morib. Manich. c.. Malum non ſecundùm eſſentiam, ſed ſecundùm priuationem rectiſſimè dicitur; & lib.* 8. *de Gen. ad lit. c.*22. *Neque enim vlla natura mali eſt, ſed amiſſio boni hoc nomen accepit; & lib. de Nat. Boni c.*15. comparat malum ſilentio, & tenebris, quæ procul dubio ſunt priuationes, & concludit: *Cuique naturę non eſt malum; niſi minui bono; & lib. de duab. animab. c.*6. *Priuant enim tantùm, & non eſſe indicant, quod vſquequaque eandem vim habent, ſicut ipſa negationes; nam cùm dicimus: Non eſt aurum, non eſt virtus; quamuis inter aurum, & virtutem ſit plurimum; nihil tamen inter negationes, quas eis adiunximus, diſtat. Verùm enim verò peius eſt non eſſe virtutem, quàm non eſſe aurũ; nemo ſanus hic ambigit; quòd non propter ipſas negationes, ſed propter res, quibus adiunguntur, accidere quis non intelligat? Auro enim virtus quantò præſtat, quantò eſt virtute, quàm auro carere miſerius.* Quibus verbis docet peccata nedum tantùm eſſe priuationes, ſed nullum omnino importare eſſe, & ideo non eſſe naturas; nomine enim *natura* intelligit id, quod habet eſſe; vt conſtanter repetit *contra Manich, & lib.* 12. *de Ciuit. Dei c.*7. *Vitiabat eam* (ſupple naturam) *& corrumpebat, eratque illi noxia, ac per hoc bono priuabat;* & mox: *Porrò ſi nocuit, bonum auferendo, vel minuendo vtique nocuit; & c.* 8. *Nemo ergo quærat efficientem cauſam malæ voluntatis; non enim eſt efficiens, ſed deficiens, quia nec illa effectio eſt, ſed defectio; deficere namque ab eo, quod ſummè eſt, ad id, quod minùs eſt, hoc eſt incipere habere voluntatem malam. Cauſas porrò defectionum iſtarum, cùm efficientes non ſint, vt dixi, ſed deficientes, velle inuenire tale eſt, ac ſi quiſquam velis videre tenebras, vel audire ſilentium; quod tamen vtrunque nobis notum eſt; neque illud niſi per oculos; neque hoc niſi per aures non ſanè in ſpecie, ſed in ſpeciei priuatione. Nemo ergo ex me ſcire quærat, quod me neſcire ſcio; niſi fortè, vt neſcire dicat, quod ſciri non poſſe ſciendum eſt. Ea quippe non in ſpecie, ſed in eius priuatione ſciuntur.* Hæc doctrina nihil eſt frequentius *in eius libris contra Manichæos;* ipſa enim principaliter vtitur ad euertendam eorum hæreſim; vnde negare, quòd ita non ſenſerit, eſt ei adimere principale fundamentum, quo eos confudit. Tandem *lib.* 3. *Conf. c.*7. ait multis erroribus ſe perturbatum fuiſſe, & receſſiſſe à veritate, quia adhuc non nouerat malum non eſſe niſi priuationem boni; verba ſunt hæc: *Quibus rebus ignarus perturbatus, & recidens à veritate ire in eam mihi videbar; quia non noueram malum non eſſe, niſi priuationem boni, vſque ad quod omnino non eſt.* Sed ſi hæc tam clara, & apertiſſima teſtimonia poſſunt aliqua tergiuerſante expoſitione diſtorqueri, nihil eſſet, quod non poſſet diſtrahi in ſenſum contrarium; nihil enim euidentius, & manifeſtius *his textibus* reperitur; qui fusè poſiti ſunt, vt appareat contrariè opinantes *contra Beatiſſ. Patrem* ſentire; ipſumque legiſſe, non vt ſequerentur, ſed vt derelinquerent.

11 Reſpondet *quidam priuari à Beatiſs. P. non ſumi ſtrictè pro vera carentia formæ debita, ſed largè pro qualibet læſione, ſeu alienatione rei à ſuo ſtatu naturali, ſiue ab integritate ſua naturæ; conſtat enim, quòd non omnis morbus eſt priuatio phyſica, vt patet de febribus, quæ fiunt ex exceſſu caloris, non ex carentia alicuius qualitatis.*

Sed iam diximus non poſſe, niſi diſtortè

al-

Digitized by Google

allatos textus exponi; quod procul dubio fit hac reſponſione communi, qua quælibet doctrina apertiſſima poteſt ad alium ſenſum etiam falſum conuerti. Igitur *Beatiſs.P. allatis in locis* quærit definitionem, & cauſam peccati; vt patet; inſulſum autem eſt dicere, quòd tradiderit definitionem per verba impropria, & metaphorica. 2.Ait, quòd peccatum *rectiſſimè priuatio dicitur*; id autem, quod largè dicitur de alio, non dicitur rectiſſimè; quia id, quod dicitur ſtrictè, rectiùs dicitur, quàm id, quod dicitur largè. 3.Si locutus fuiſſet largè, nihil penitus egiſſet contra *Manichaeos*; qui reſpondiſſent, quòd licèt peccatum largè loquendo non ſit natura aliqua; quia ſic eſt priuatio; attamen ſtrictè loquendo eſt aliqua natura, quia ſic acceptum eſt aliquod ens poſitiuum, quod eſt aliqua natura. 4. Patet peccatum non habere cauſam efficientem, ſed tantummodò deficientem; ſed ſola priuatio ſtrictè ſumpta non habet cauſam deficientem; cùm ſit non ens poſitiuum; ergo docuit peccatum eſſe priuationem ſtrictè ſumptam. 5. Docet peccatum ſe habere, ſicut ſilentium, & tenebras, & hoc ſæpe repetit; vnde non eſt incidenter, ſed ſtudiosè dictum; ſed ſilentium, & tenebræ ſunt priuationes ſtrictè; ergo, & peccatum. 6.Docet peccatum non habere eſſe, & eſſe purum defectum ipſius eſſe, & contradiſtinguit ſemper illud ab eſſe; defectus autem ipſius eſſe eſt [illegible], & propria priuatio ſtrictè ſumpta, vt patet; ergo hęc reſponſio ex omni parte eius menti, & doctrinæ aduerſatur.

12 Ad illud de febribus dicitur, quòd calor, vt calor eſt, non eſt morbus, niſi quatenus priuat moderata, & debita temperie primarum qualitatum; priuari autem debita temperie poteſt eſſe vel per defectum, vel per exceſſum, non autem per ipſam entitatem caloris, vt entitas eſt; ideo non entitas caloris, ſed priuatio morbus eſt. Præterea ſi de hac dubium eſſet, adducit tenebras, & ſilentium; de quibus nullum dubium eſſe poteſt.

13 Arguitur igitur 1. *ex allatis textibus*. Ita ſe habet malum morale reſpectu voluntatis, & falſum reſpectu intellectus; ſicut tenebræ reſpectu potentiæ viſiuæ, & ſilentium reſpectu potentiæ auditiuæ; ſed tenebræ, & ſilentium ſunt meræ priuationes; ergo, & malum morale. Prob. ma. Malum morale opponitur bono morali, quod eſt obiectum ſpecificatiuum adæquatum voluntatis; & falſum opponitur vero, quod eſt ſpecificatiuum adæquatum intellectus; ſicut tenebræ opponuntur luci, quæ eſt ſpecificatiua potentiæ viſiuæ, & ſilentium opponitur voci, aut ſono, qui eſt ſpecificatiuum potentiæ auditiuæ, ergo malum morale reſpectu voluntatis, & falſum reſpectu intellectus ita ſe habet; ſicut tenebræ reſpectu potentiæ auditiuæ, & ſilentium reſpectu auditiuæ. Atqui ex eo, quòd tenebræ, & ſilentium ſint priuationes, etiam actus terminati ad illa ſunt priuationes; vnde videre tenebras importat puram carentiam viſionis, & audire ſilentium dicit priuationem auditionis; ergo quia malum morale obiectiuè ſumptum eſt pura priuatio moralis rectitudinis debitæ; ideo peccatum, quod eſt actus terminatus ad illud, dicit puram puram priuationem moralis rectitudinis debitæ; nam actus ſpecificantur ab obiectis, ad quæ terminantur.

14 Arguitur 2. Nullum oppoſitum poteſt formaliter conſtitui per aliud; ſed peccatum opponitur enti; ergo peccatum nequit formaliter conſtitui per ens; & ideo conſiſtit formaliter in priuatiuo. Ma. patet; quia ſi aliqua res conſtitueretur formaliter per ſuum oppoſitum, oppoſita eſſent ſimul, & affirmarentur ad inuicem, vt patet de homine, & de rationalitate. Prob.mi. tum auctoritate *Scripturarum*, *& SS.PP.* aſſerentium peccatum eſſe nihil; nihil autem opponitur enti; vt conſtat; tum ratione. Peccatum eſt defectus, ſeu receſſus à Deo, qui eſt omne ens, & à quo habetur omnis ratio entis per acceſſum ad illum; ergo peccatum opponitur enti ſimpliciter; & ideo nequit formaliter conſtitui per ens; v.g. ſi ab igne haberetur omnis calor; ſicuti per acceſſum ad ignem, participaretur ratio caloris; ita per receſſum, & elongationem ab igne, haberetur priuatio caloris; ergo quia Deus eſt omne ens, & ab illo habetur omnis entitas; ſicuti per acceſſum ad Deum participatur entitas; ita per receſſum, & elongationem à Deo habetur priuatio omnis entitatis; ſed per peccatum formaliter recedimus à Deo; ergo per peccatum formaliter habetur priuatio omnis entitatis; & ſicuti per acceſſum ad Deum conſtituitur actio formaliter in eſſe entis; ita per receſſum conſtituitur formaliter in priuatione.

15 Conf. 1. Peccatum eſt tendentia in nihil; nã per peccatũ auertimur ab eo, qui eſt; ſed tendentia in nihil eſt mera priuatio, quia quælibet tendentia ſpecificatur à ſuo termino formali; nihil autem, quod eſt terminus peccati, eſt priuatum omni entitate; aliter non eſſet nihil; ergo idem.

16 Conf. 2. Quodlibet peccatum in eo, quod peccatum, formaliter cõſiſtit in deuiatione, deordinatione, & auerſione à Deo; vt diximus *q. 1. art. 6*; ſed deuiatio, deordinatio, & auerſio eſt mera priuatio; ergo peccatum commiſſionis in eo, quod peccatum, conſiſtit formaliter in priuatione.

17 Prob. 3. redarguendo motiuum, *Aduerſariorum*, & ſimul explicando oppoſitionem contrariam, & priuatiuam, quam fortè bene non capiunt. In tantùm peccatum commiſſionis conſiſtit formaliter in poſitiuo; in quantùm opponitur contrariè actui virtutis oppoſitæ; vt docet *D.Th. ex Beatiſs.P. lib. categ. c.* 18; ſed termini oppoſitionis contrariæ abſtractè ſumpti opponuntur priuatiuè; ergo peccatum commiſſionis abſtractè

ſtractè ſumptum conſiſtit in ſola priuatione. Ma. conc. Prob. mi. *Oppoſitio contraria eſt repugnantia duarum propoſitionum habentium idem ſubiectum, & idem prædicatum, quarum vna eſt affecta affirmatione, altera negatione*; vt cùm dicitur: *Omnis homo eſt albus; nullus homo eſt albus*; ſed albedo, & non albedo, qui ſunt termini, in quibus iſtæ duæ propoſitiones opponuntur, abſtractè ſumpti, opponuntur priuatiuè inter ſe; quia albedo dicit formam; & non albedo dicit carentiam formæ, quæ in homine, qui eſt ſubiectum vtriuſque, eſt cum aptitudine ad recipiendam albedinem; oppoſitio autem, quæ eſt inter formam, & carentiam formæ cum aptitudine ipſius ſubiecti ad recipiendam formam, eſt priuatiua, vt conſtat; ergo termini oppoſitionis contrariæ abſtractè ſumpti opponuntur priuatiuè.

18 Conf. Oppoſitio contraria importat idêtitatem ſubiecti communis formæ, & priuationi ipſius; & importat formam, & priuationem ipſius; quia importat aliquod affirmatiuum, & aliud negatiuum; cùm neceſſariò ſit inter duas propoſitiones, quarum vna eſt negatiua, altera affirmatiua; iſtud autem negatiuum nequit eſſe pura negatio; quia iſtud negatiuum debet competere ſubiecto, cui poteſt competere affirmatiuum, quod eſt forma negata; nam debent eſſe de eodem ſubiecto; aliter ſi eſſent de diuerſis ſubiectis, non eſſent oppoſita, ſed diſparata; vt *omnis homo diſcurrit; nullus canis diſcurrit*; ſubiectum autem, de quo negatur aliqua forma cum aptitudine ad illam habendam, dicitur verè, & propriè priuatum; ſed nullum prædicatum abſtractè ſumptum conſtituitur formaliter per ſubiectum commune, vt conſtat; quia conſtitutiuum formale eſt differentia ſpecifica ipſius rei; ergo peccatum commiſſionis abſtractè ſumptum non conſtituitur formaliter per entitatem poſitiuam, ſed per ſolam priuationem.

19 Explic. magis *ex Beatiſs. P. vbiſ.* Quanuis homo videns, & homo cœcus opponantur contrariè; quia homo cœcus eſt idem, ac homo non videns, cùm cœcitas ſit negatio viſionis in ſubiecto apto ad illam habendam; vnde ſicuti ſunt contrariæ iſtæ duæ propoſitiones: *Omnis homo eſt videns; nullus homo eſt videns*; ita ſunt contrariæ iſtæ duæ; *Omnis homo eſt videns; omnis homo eſt cæcus*; quia hæc ſecunda propoſitio æquiualet illi: *Nullus homo eſt videns*; attamen viſio, & cœcitas in abſtracto opponuntur priuatiuè; ergo quanuis peccatum commiſſionis, & actus virtutis oppoſitus; vt actus iuſtitiæ, & iniuſtitiæ, ſi ſumantur concretè, opponantur contrariè; attamen ſi ſumantur in abſtracto, opponuntur priuatiuè. Sic *ex eodem Beatiſs. P.* explicata manet doctrina *eiuſdem*, quam ſumpſit *D. Thom*; & ſublatum eſt motiuum *Caietani, eiuſque ſequacium* conſtituendi peccatum commiſſionis in poſitiuo. Et hoc eſt ſeparare malitiam peccati à natura, ſeu entitate, quæ bona eſt; conſiderare ſcilicet malitiam in abſtracto, ſeu extra entitatem, quæ eſt ſubiectum illius; vt docebat *Iulianum Beatiſs. P*; cuius inaduertentiam vocabat caliginem, quæ impedit cognitionem huius veritatis.

20 Prob. 4. rationibus *communiter* allatis. 1. Si peccatum commiſſionis conſiſteret in poſitiuo; daretur aliquod poſitiuum, quod non eſſet à Deo Auctore; vel Deus eſſet Auctor peccati; quia cauſaret id, per quod formaliter conſtituitur peccatum; vtrunque eſt abſurdum; ergo, & id, vnde ſequitur. 2. *Fund. Doct.* Ex eo tantùm, quòd alicui rei in ordine phyſico deficiat aliqua perfectio debita in tali ordine, dicitur phyſicè mala; & ex eo, quòd ei ſuperaddatur aliqua entitas indebita, pariter dicitur mala; quia deficit ei modus, & ordo ſuorum prædicatorum, quæ illi debentur; quia faciunt ad illius perfectionem, ſeu integritatem illius; ergo ex eo, quòd alicui actui in genere morali deficiat aliqua perfectio ei debita, ſeu ordinatio in finem debitum, eſt moraliter malus. 3. Eadem actio bona ex obiecto poſita ſola deuiatione ab vltimo fine eſt moraliter mala abſque poſitione alicuius poſitiui diſtincti ab ipſa entitate; vt collatio eleemoſinæ poſita ſola deordinatione à Deo eſt moraliter mala; ſed talis actio eſt peccatum commiſſionis, vt patet; ergo idem. 4. Illud poſitiuum vel eſſet phyſicum, vel morale? Non primum; quia phyſicum nequit formaliter conſtituere ens morale, ſunt enim genera primò diuerſa; & vnum nequit formaliter conſtitui per aliud primò diuerſum. Nec ſecundum; quia ens morale vel eſſet diſſonantia ad legem, & rationem, per hoc enim conſtituitur peccatum, vt dicitur in eius definitione, diſſonantia autem eſt priuatio conſonantiæ, & conſtat, & conſonantia eſt quid poſitiuum; idem dicitur de conformitate, & difformitate; ergo diſſonantia, quæ opponitur conſonantiæ, eſt quid priuatiuum.

21 Tandem quòd non conſtituatur ex poſitiuo, & negatiuo ſimul, patet ex dictis; tunc enim non ſumitur peccatum abſtractè tantùm pro malitia, ſed concretè pro ſubiecto habente malitiam; ſicut autem ineptè diceretur albedinem formaliter conſtitui per hominem, & qualitatem diſgregatiuam viſus; ita à pari.

22 Inſt. 1. communiter *Aduerſarij* cont. 4. rationem. Etianſi peccatum commiſſionis non conſiſtat in poſitiuo; attamen ex eo, quòd cauſet entitatem poſitiuam, in qua fundatur priuatio, ſequitur cauſare etiam ipſam priuationem; quia quod eſt cauſa poſitiui, eſt etiam cauſa priuationis cum illo neceſſariò connexæ; vt quod eſt cauſa caloris, eſt etiam cauſa priuationis frigoris connexæ cum calore; tum quia Deus neceſſariò cauſat entitatem poſitiuam formaliter, vt eſt fundamentum illius priuationis; quia talis entitas, vt eſt fundamentum illius priuationis,

eſt ens poſitiuum; tum quia creatura non cauſat illam priuationem, niſi cauſando entitatem, vt eſt fundamentum illius priuationis; non enim priuatio habet cauſam per ſe, ſed cauſatur ratione alterius; ergo cogimur vel deuorare idem inconueniens; vel aſſerere, quòd detur aliquod poſitiuum non cauſatum à Deo.

Reſp. neg. ſeq. A 1. prob. inſert. neg. ſupp; quòd ſcilicet priuatio rectitudinis debitæ ſit neceſſariò connexa cum entitate poſitiua; vt neceſſariò conectitur priuatio frigoris cum calore; entitas enim poſitiua omnino indifferenter ſe habet ad illam priuationem, & ad poſitionem bonitatis moralis; vt eadem entitas actus eleemoſinæ phyſicè accepta poteſt eſſe bona moraliter, ſi referatur in Deum; & mala, ſi referatur ad inanem gloriam; quod autem merè contingenter vnitur cum bonitate, & malitia, poteſt ab vno produci, vt bonum; quia poteſt ab illo referri in bonum finem; & ab alio, vt malum; quia in prauum finem poteſt ordinari. *Aduerſarij* igitur, quibus durum videtur cõcedere entitatem actus odij Dei phyſicè bonam, & indifferentem ad bonitatem, & malitiam, tollant caliginem, quæ quæ impedit, ne videant, quomodò ſit ſeparanda malitia ab entitate, quæ bona eſt; & à Deo, vt talis, producitur. Ad 2. diſt. Deus cauſat entitatem, vt eſt fundamentum indifferens reſpectu creaturæ per ordinem ad bonitatem, & malitiam moralem, conc; vt determinatum ad malitiam moralem, neg. Ad 3. dicitur creaturam cauſare illam priuationem determinando ipſam entitatem, quæ ſecundùm ſe eſt indifferens, ad malum finem; Deus autem producit illam entitatem tantùm determinatè, vt phyſicè bonam; & omnino indifferentem ad bonitatem, & malitiam moralem.

23 Inſt. 2. Peccatum non eſt res facta, ſed facere ipſius rei, ſeu elicere qualitatem actus tendendo ad obiectum prohibitum; ergo licèt Deus producat illam qualitatem; attamen quia illam non elicit per ordinem ad obiectum prohibitum, ideo non peccat.

Sed contra. Ergo ſi peccatum non eſt res facta, nec eſt ens poſitiuum, quia ens, & res idem eſt; & ſi eſt tendentia ad obiectum prohibitum, quia per talem tendentiam formaliter priuatur rectitudine actus, ideo peccatum conſiſtit in priuatione.

24 Obijc. 1. *Godoy.* Ante priuationem intelligitur in peccato poſitiua tendentia ad obiectum diſſonum legi, & rationi; ſed illa tendentia pro priori ad priuationem eſt moraliter mala; ergo malitia peccati non conſiſtit in priuatione. Prob. mi. Talis tendentia pro illo priori eſt in genere moris; quia eſt circa furtum v. g. quod eſt malum in genere moris; ergo & ipſa tendentia eſt mala in genere moris; quia nihil eſt in obiecto, quod non ſit in tendentia ad illud. Tum quia tendentia habitus vitioſi ad obiectum diſſonum eſt mala ante priuationem; quia habitus vitioſus non conſtituitur per priuationem virtutis oppoſitæ; nam ſi Deus conſeruaret habitum vitioſum ſimul cum virtute oppoſita, non interueniret priuatio virtutis; ergo peccatum pro priori ad priuationem eſt malum. 2. Odium Dei priùs intelligitur malum per ordinem ad legem negatiuam illud prohibentem; quàm per ordinem ad legem affirmatiuam præcipientem amorem Dei, ſed oppoſitio ad legem negatiuam cõuenit odio ratione alicuius poſitiui; quia lex iubet negationem odij; & frangitur per oppoſitum negationis odij; oppoſitum autem negationis eſt poſitiuum; ergo odium conſtituitur in ratione mali per aliquod poſitiuum.

Reſp. ad 1. ma. implicare in terminis; nam tendentia ad obiectum diſſonum eſt tendentia priuata rectitudine, & ideo intelligitur priuatio ſine priuatione; & neg. mi. Ad 1. prob. neg. ant; illa enim tendentia primò eſt circa rem phyſicam; & ſic non eſt mala reduplicatiuè; quia tamen illa res phyſica eſt prohibita à Deo, ideo reſultat priuatio rectitudinis moralis, per quam illa tendentia fit moraliter mala. Vnde in re aliena, quæ eſt obiectum furti, duo ſunt conſideranda; ſcilicet entitas phyſica, circa quam verſatur phyſicè tendentia phyſica; & in hoc ſenſu neutra eſt mala moraliter; & eſt oppoſitio ad legem, & ſic vtraque mala. Ad aliam neg. ant; & eius probat; vt diximus *q. de Habit. art. 2; & 3; & q. 1. de virt. art. 1. §.* 1; vnde ſi Deus poſſet ſimul conſeruare habitum vitioſum cum virtute, poſſet ſimul conſeruare formam cum priuatione; quia quanuis poſſit conſeruare entitatem habitus ſine difformitate ad legem; attamen hoc non eſt conſeruare habitum vitioſum, qui formaliter conſtituitur per deordinationem ab vltimo fine; ſicut virtus formaliter conſtituitur per ordinem ad vltimum finem; ordinatio autem, & deordinatio ab vltimo fine nequeunt eſſe ſimul. Ad 2. omiſſa ma. diſt. mi. Oppoſitio ad legem negatiuam conuenit odio ratione alicuius poſitiui materialiter importati, quod eſt phyſicè bonum, conc; formaliter importati, neg.

25 Inſt. Lex prohibet entitatem talis actionis, non autem difformitatem ad ſe ipſam; ergo entitas actionis mala eſt.

Reſp. diſt. 1. part. ant. Prohibet entitatem actionis, prout difformis ſibi, conc; præciſa difformitate, neg.

26 Obijc. 2. *Beatiſſ. P. lib. cont. Secundin. c. 13.* ait conſenſionem erga obiectum illicitum eſſe formaliter malam. 2. *Lib. 12. Conf. c. 11.* ait motum voluntatis ad id, quod non eſt, eſſe peccatum, & non eſſe à Deo. 3. *De Nat. Boni c. 16.* ait priuationes eſſe à Deo, ergo fruſtra ponitur peccatum in priuatione ad ſaluandum non cauſari à Deo. 4. Definitur peccatum: *Dictum, factum, concupitum contra legem æternam; & de Duab. Animab. c. 11.* definitur *voluntas conſequendi,*

di, vel retinendi id, quod iuſtitia vetat; & vnde liberum eſt abſtinere; in quibus definitionibus nulla ponitur priuatio. 5. *Lib. Catheg c.* 18. ait iuſtum, & iniuſtum opponi contrariè; ergo actus iniuſtitiæ importat quid poſitiuum.

Reſp. quòd ſicut conſenſus, inclinatio, & motus ad bonum eſt quid poſitiuum, quia eſt ad terminum poſitiuum; ita conſenſio, inclinatio, & motus ad malum, quod eſt nihil, vt docet *Scriptura*, eſt quid priuatiuum; hæc enim ſpecificantur à termino formali. Ad 1. igitur dicitur conſeſionem ad malum eſſe puram priuationem; ſic ad 2; nam inclinatio, & motus ad nihil, ſeu ad id, quod non eſt, eſt quid priuatiuum. Ad 3. diſt. ant. Priuationes ſunt à Deo effectiuè, neg; non enim producuntur, quia quod producitur, eſt ens poſitiuum; negatiuè loquendo de priuationibus phyſicis, & permiſſiuè loquendo de moralibus, conc; & neg. conſ. ex eo enim, quòd priuatio ſit non ens, & non ens verè non efficiatur à Deo, ideo optimè probatur ex hoc peccatum non effici à Deo. Ad 4. dicitur peccatum eſſe dictum, factum, & concupitum habens pro obiecto formali nihil, ſicut viſio tenebrarum habet pro obiecto nihil; & ideo ſicut iſta eſt priuatio; ita & illud. Ad aliud eodem modo dicitur, quòd ſicut voluntas ad bonum tendit poſitiuè; ita priuatiuè ad malum. Ad 5. dicitur, quòd ex illo, in quo magnam vim faciunt *Aduerſarij*, potiùs prob. noſtra ſententia; ex eo enim, quòd peccatum, & actus virtutis oppoſitæ in concreto dicantur contrariè; omnis enim oppoſitio cõtraria eſt ſolùm in concreto, vt *ſup.* oſtenſum eſt, arguitur, quòd peccatum in abſtracto ſit mera priuatio; ſola enim priuatio concretè ſumpta cum ſubiecto facit oppoſitionem contrariam, vt diximus.

27 Obijc. 3. Facere contra legem eſt quid poſitiuum; ſed peccatum commiſſionis eſt facere contra legem; ergo eſt quid poſitiuum. 2. Commiſſio contradiſtinguitur ab omiſſione; ſed omiſſio conſtituitur per priuationem; ergo commiſſio per poſitiuum; aliter non diſtinguerentur. 3. Cõmiſſio dicit actualem tendentiam ad prauum finem; ſed hæc eſt poſitiua; ergo idem. 4. Multi ſunt actus omnino incapaces rectitudinis moralis, vt odium Dei, blaſphœmia, mendacium, &c; ergo eorum malitia non conſiſtit in priuatione, quæ dicit aptitudinem ad formam oppoſitam.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Facere contra legem formaliter eſt quid poſitiuum, neg; materialiter, conc; nam ſemper diſtinguenda eſt poſitiua tendentia in obiectum poſitiuum, hæc enim eſt omnino phyſica, & materialiter ſe habet ad deformitatem moralem; & oppoſitio, ſeu repugnantia ad legem, & iſta eſt mera priuatio, quia eſt auerſio à Deo; & in hoc conſiſtit formaliter peccatum. Non enim poteſt negari motus phyſicus in facere poſitiuo, qui tamen ſecundùm ſe non eſt peccatum, ſi ſit ſine debita aduertentia, vt in dormiente, vel capto vſu rationis; & ſi ſit ſine prohibitione; ergo malitia in illo formaliter non conſiſtit, ſed tantùm materialiter. Ad 2. commiſſionem, & omiſſionem optimè diſtingui, quòd illa includit, hæc uerò excludit entitatem phyſicam. Ad 3. dicitur, ſicut ad 1. Ad 4. reſpondent *Thomiſtæ apud Godoy hic n.* 4; quòd datur triplex priuatio; alia in ente, quæ dicit carentiam formæ, quæ poteſt haberi ab aliquo ente; vt lapis habet priuationem vitæ, quæ poteſt haberi ab aliquo ente; alia in genere, quæ dicitur carentia formæ, quæ poteſt haberi ab aliquo eiuſdem generis, vt talpa dicitur priuatus viſu, qui poteſt haberi ab animalibus eiuſdem generis, non ſpeciei; & alia in ſpecie, quæ dicit carentiam formæ in ſubiecto apto ad illam habendam. Dicunt ergo, quòd odium Dei dicit priuationem in genere, non in ſpecie. *Alij* dicunt illam carentiam eſſe in voluntate, non in actu.

28 Sed meliùs reſp. *cum Fundat. Doct.* neg. ant; eadem enim entitas phyſica eſt indifferens ad odium, & ad amorem; & per illam eandem poſſumus recedere à Deo odio habendo, blaſphœmando, &c; & ad Deum accedere amando, laudando, &c; amare enim, & odiſſe non differunt, niſi per ordinationem in Deum, & deordinationem à Deo.

29 Inſt. *Gonet.* cont. reſp. ad 2. Diſtinctiuum, & conſtitutiuum ſunt idem; ſed commiſſio diſtinguitur formaliter ab omiſſione per poſitiuum; ergo conſtituitur per poſitiuum formaliter.

Reſp. iterum diſt. mi. Commiſſio concretè ſumpta, conc; abſtractè, neg; commiſſio enim ſic accepta diſtinguitur per eſſe contra diuerſam virtutem, & contra diuerſum præceptum.

30 Repl. *Caiet.* Si hoc eſſet verum, non poſſent dari duo vitia oppoſita eidem virtuti; quia eidem formæ non opponitur, niſi vna priuatio; ſed conſ. eſt falſum; quia virtus eſt inter duo vitia ſpecificè diuerſa; ergo & ant.

Reſp. neg. ſeq. Ad prob. inſert. diſt. Eidem formæ conſiſtenti in medio duorum oppoſitorum, neg; ſicut enim aer, quia eſt medius inter aquam, & ignem, ideo habet duas priuationes oppoſitas exiſtentes in aqua, & igne; ita virtus, quia mediat inter duo vitia, quibus ſecundùm rationes virtualiter diuerſas opponitur; ideo habet opponi duabus priuationibus. Eidem formæ non conſiſtenti in medio duorum extremorum, tranſeat.

31 Obijc. 4. Malum naturale non conſiſtit in ſola carentia bonitatis oppoſitæ; ergo nec malum morale. Prob. ant. Error non conſiſtit in ſola carentia ſcientiæ; nec dolor in ſola carentia voluptatis.

Reſp. neg. ant. Ad prob. diſt. Error non conſiſtit in ſola carentia ſcientiæ cum debito habendi ſcientiam, neg; ſine debito, conc; ex eo enim, quòd intellectus debeat habere actum co-

gnitionis alicuius rei, ſi habeat actum carentem veritate, ex hoc præciſè habet errorem. Idem dicitur de dolore. Entitas tamen illius actus erronei non eſt de conſtitutiuo formali erroris abſtractè ſumpti; cùm poſſit etiam habere rectitudinem ſcientiæ.

32 Obijc. 5. Dictum fuit *q. 1. de Virt. art. 1.* §. 1; quòd virtus, & actus virtutis important eſſentialiter entitatem, & qualitatem; ergo idem dicendum eſt de vitio, & actu vitij.

Reſp. ad ant; quòd *ibid.* locuti ſumus de virtute concretè ſumpta, non abſtractè; vt *ibid.* diximus.

33 Obijc. 6. Carere actu amoris Dei non eſt peccatum; non enim ſemper tenemur amare Deum; ergo peccatum non conſiſtit in carentia formæ oppoſitæ. 2. Poteſt quis peccare, quando non debet ponere actum virtutis oppoſitæ; ergo non conſiſtit in carentia rectitudinis debitæ. 3. Quando quis occidit, vel furatur, non tenetur habere actum iuſtitiæ; quia nulla perſona priuata tenetur ſeruare indemnia bona ſui proximi.

Reſp. hæc quærere, quænam rectitudo ſit illa, qua priuat peccatum actuale? *Aliqui* dicunt eſſe gratiam habitualem; ſed hoc reijcitur; quia ſequeretur peccata eſſe eiuſdem ſpeciei, quia priuationes oppoſitæ eidem formæ ſunt eiuſdem ſpeciei. *Alij* dicunt eſſe bonum naturæ rationalis. Sed etiam hoc exploditur; quia natura rationalis eſt ſubiectum peccati; ergo nequit eſſe forma oppoſita peccato; quia forma nequit eſſe ſubiectum priuationis. *Alij* volunt eſſe conformitatem ad legem, non autem actum oppoſitum virtutis ob rationes allatas in obiectione. *Ita Maſtri & alij.*

34 Sed ex eo, quòd quis habeat actum conformem ad legem, habet actum virtutis; quia illo actu *quiſque rectè viuit, & nemo malè vtitur.* Igitur dicendum rectitudinem debitam eſſe actũ virtutis oppoſitæ, qui eſt conformis legi, rationi, & fini debito. Ad 1. diſt. ant. Carere actu amoris Dei non eſt peccatum, quando viget præceptum, neg; quando non vrget, conc. Sic ad 2. neg. ant; tenetur enim quiſque vitare actum prohibitum, quod nequit præſtare, niſi ponendo actum oppoſitum vel explicitè, vel implicitè. Ad 3. neg. aſſumpt. Ad prob. infert, diſt. Nulla perſona priuata tenetur ſeruare bona ſui proximi indemnia ab alijs perſonis, conc; à ſe ipſa, neg; tenetur enim non tollere, quod alienum eſt.

35 Obijc. 7. Si Deus negaret homini auxilium ſupernaturale ad amorem, tunc homo non haberet debitum ponendi amorem; quia debitum nequit ſtare cum impotentia; ſed tunc odiēs Deum peccaret; ergo peccatum non eſt priuatio rectitudinis debitæ.

Reſp. *Godoy vbiſ. n. 22; & 25;* quòd ad hoc, vt Deus obliget inexcuſabiliter, ſufficit, quòd homo ſit liber libertate contradictionis; hoc enim ipſo poteſt odium vitare per negationem, ſeu per ſuſpenſionem ipſius odij.

36 Sed hæc reſponſio non bene ſonat; quia ſine gratia nedum non poſſumus vitare peccata, ſed nec etiam à peccato reſurgere; vt ſtatuunt *Concilia contr. Pelag;* quod tamen fieret, ſi per ſolas vires arbitrij poſſet peccatum odij Dei vitare, ſuſpendere, & tollere.

Reſp. ergo neg. mi; nam ſine auxilio ſupernaturali homo eſſet impotens ſimpliciter ad euitandum peccatum, & impotentia ſimpliciter à peccato excuſat.

37 Quæres; an malum alteri conſiſtat in priuatione?

Reſp. *noſter Greg. vbiſ.* affirmatiuè; & ratio deducitur *ex Beatiſs. P. lib. 2. de Mor. Manich. c. 3. Quidquid enim nocet, aliquo bono priuat*; in tantùm enim venenum eſt malum homini, non ſerpenti; quia priuat hominem vita, non ſerpentem.

38 Dices. 1. Entitas caloris eſt mala aquæ; ergo malum alteri conſiſtit in poſitiuo. 2. Vna res fugit aliam, quatenus ſibi contrariam, & malam; ſed non fugit priuationem; ergo malum alteri non conſiſtit in priuatione.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Entitas caloris eſt mala aquæ, quatenus ipſam priuat frigiditate, quæ eſt perfectio illi naturaliter debita, conc; præſcindendo ab hac priuatione, neg; nam ſi aqua poſſet ſimul habere frigiditatem, & calorem, calor non eſſet malus, ſed bonus aquæ; daret enim ei perfectionem, quam non habet. Ad 2. neg. mi; fugit enim priuationem ſuæ perfectionis naturalis.

Aliæ obiectiones *vid. in ſeq. q. art. 1.*

QVAEST. V.

De peccato habituali.

VIdenda ſunt ea, quæ iam diximus *in queſt. de Habitib;* ex ijs enim faciliter colligi poterit reſolutio omnium difficultatum, quæ in præſenti ſolent moueri; quapropter breuiter expedienda ſunt, vt ad alia tranſeamus, antequam tranſeamus nos.

ART. I.

In quo conſiſtat peccatum habituale?

1 PEccatum habituale poteſt ſumi dupliciter: 1. Pro habitu vitioſo peccaminoſo ex frequentatione eiuſdem peccati generato, & de hoc ſufficienter *q. de Habitib. art. 2.* locuti ſumus. 2. Pro macula, qua ſordidata fuit anima ab aliquo peccato actuali, quæ macula vocatur etiam reatus culpæ *à Beatiſs. P. lib. 6. cont. Iul. c. 8; & ſæpe alibi;* quia reum tenet peccatorem; *& ſerm. 244. de temp. Dominic. 22. poſt Trin. ſerm. 3.* vocat maculam, immunditiam, plagam, & ſordem, quæ

non

..it purgatur, abluitur, aut tergitur; niſi per ..tiſmum, vel pœnitentiam. Vocatur autem ..c macula peccatum habituale, non quòd pro..iè ſit habitus; quia non eſt genita ex frequen..tatis peccatis, quolibet enim peccato impingitur animæ; ſed quia habet modum habitus, cum habeat ſemper durare in anima, quouſque à Deo dimittatur. Quæritur modò, in quo propriè conſiſtat hæc macula?

2 Prima ſententia vult maculam peccati cõſiſtere in habitu vitioſo relicto à peccato præterito. Tribuitur hæc ſententia *noſtro Greg. in 2. diſt.30.q.2.art.2*; ſed falsò; quia *illic* hac de re nec verbum habet. Reijcitur autem hæc ſententia *à Fund.Doct.in 2.diſt.30.q.1.art.4.dub.2.lat.* ſic. Habitus fit ex frequentatis actibus; ſed macula fit etiam ex vno tantùm peccato; ergo non eſt habitus.

3 Secunda vult conſiſtere in reatu ſeu in obligatione, ſeu condignitate ad pœnam, ad quam ex ordinatione Diuina propter actum peccati præteritum peccator manet obligatus. Tribuitur *Scot.in 4.diſt.14.q.1 art.1. §.Dico*; quem fusè defendunt *Ganat.& Maſtr.in 2.diſp.6.q 9.* à cenſuris: *Anuol.apud Capr in 4.diſt.14.q.1.ar.2. Dur.in 2.diſt.32.q.1; OKam; Gabr; Med. cod. de Pœnit.tract.1.q.7.apud Gibb.inf.*

4 Sed hæc reijci ſolet *ex Trid ſeſs.6.c.14;& can.30.Si quis poſt acceptam iuſtificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti; & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit &c*; vbi Conc. diſtinguit culpam à reatu pœnæ æternæ; & ideò ſupponit culpam eſſe aliud à reatu. Item *in Bulla B.Pij V; & Greg. XIII.* damnatur propoſitio 52.*Baij* aſſerentis: *Tranſeunte autem actu* (ſupple peccati) *nihil manet, niſi reatus.*

5 Reſp. *Maſtr.* nomine reatus vel poſſe intelligi ordinationem Diuinæ voluntatis, qua homo per peccatum deputatur ad pœnam; vel relationem ad pœnam conſurgentem ab actu peccati. Primo modo non eſt peccatum, & in hoc ſenſu loquuntur *Conc.& Bulla*. At verò ſecundo modo eſt peccatum habituale; ſic enim ſumitur *in Scriptura* reatus pro peccato, *& à Beatiſs.P.lib.1.Retract.c.15.* docente: *Quia verò peccatum, quod nos ex Adam dicimur originale contrahere, idèſt reatu eius implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios detineri.*

6 Sed reatum importare ordinationem Diuinæ voluntatis impropiiſſimè dicitur; nullus enim propriè fit reus ex ordinatione Diuina, ſed tantùm fit reus ex proprio peccato; quamuis ſuppoſito reatu ordinetur poſtea à Deo in pœnam. Nec ex eo, quòd lex ſtatuat pœnam peccati, dicitur lex Diuina facere reum propriè; ſicut ex eo, quòd præcipiat, vel vetet aliquem actum, non dicitur propriè facere peccatorem, ſed ſolùm quòd ſit occaſio peccati; ita ex eo, quòd ſtatuat pœnam, non dicitur facere reum, ſed tantùm eſſe occaſionem, quare aliquis tranſgrediendo ipſam legem fiat reus. Igitur reatus propriè ad pœnam oritur ab ipſa culpa; & de hoc loquitur *Conc.& Bulla*, non enim dici licèt, quòd loquantur de reatu impropriè. Sed quidquid ſit de hac cenſura. Ipſi videant.

7 Ad *Beatiſſ.P.* iam diximus *q.2.art.4. §.1*; quomodo ſit intelligendus; & ex ipſis verbis allatis *ab ipſo Maſtr. in 2. diſp.4. q.5. art.3. n.94.* manifeſtè deducitur reatum culpæ formaliter non eſſe obligationem ad pœnam; ſed tantùm vinculum, quo tenemur in culpa; ait enim paruulos *reatu peccati eſſe implicatos; & ob hoc pœnæ obnoxios detineri*. Ideo ergo pœnæ obnoxij, & obligati ſunt, quia reatu eius ſcilicet peccati, ſunt implicati; ergo obligatio ad pœnam diſtinguitur à reatu culpæ, & eſt quid conſequens ad illam, aliter faceret hunc ſenſum nugatorium; *Ideo ſunt obligati ad pœnam, quia ſunt obligati ad pœnam*; vel *quia ſunt obligati ad pœnam, ob hoc ſunt obligati ad pœnam*; quod ineptiſſimè diceretur. Igitur pro reatu culpæ intelligit ipſam culpam intrinſecè inficientem naturam, ad quam ſequitur obligatio ad pœnam. Ratio eſt. Pœna ſupponit culpam, & eſt aliud à culpa, loquendo de pœna, quæ tantùm eſt pœna, vt loquimur in præſenti; ergo obligatio ad pœnam ſupponit culpam, & eſt aliud ab ipſa; nam obligatio ad pœnam eſt quædam relatio ad pœnam; ſed relatio eſt ſimul cum ſuo correlatiuo; & quoties duo ſunt ſimul, ſi vnum illorum ſit poſterius tertio; etiam alterum ſit poſterius, neceſſe eſt. Tum quia ordinatio ad pœnam eſt digna, & iuſta, & laudabilis, peccatum autem eſt indignum, iniuſtum, & damnabile. Tum quia quòd aliquis paſſiuè obligetur ad pœnam, eſt conforme iuſtitiæ Dei, & legi ipſius decernenti pœnam peccanti; peccatum autem eſſentialiter eſt contra iuſtitiam, & legem Dei; ergo non conſiſtit formaliter in obligatione paſſiua ad pœnam conſurgente ex actu peccati.

8 Prob. vlteriùs. Culpa habitualis tollitur per gratiam iuſtificantem, & manet reatus ad pœnam; vt docent *Trid; & Beatiſſ.P.vbiſ.* ergo non ſunt formaliter idem.

Reſp. *Maſtr. n. 313; & 314.* per gratiam ſanctificantem tolli culpam, & pœnam; quatenus tollit culpam æternam, quæ debita eſt peccato mortali, & mutat pœnam æternam in minorem pœnam, quæ eſt temporalis.

9 Sed contra eſt; nam obligatio ad pœnam æternam mutatur in obligationem ad minorem pœnam; & ideo non tollitur totaliter; nam mutari eſt nõ totaliter tolli; ſed culpa habitualis totaliter tollitur, non autem mutatur in minorem culpam; ergo culpa habitualis non eſt formaliter obligatio ad pœnam.

10 Conf. magis. Obligatio ad minorem pœnam non eſt formaliter minor culpa; nam docet fides per gratiam tolli omnem culpam, & nihil damnabilitatis remanere; ergo obligatio ad ma-

maior culpa, ſcilicet culpa habitualis, quia ſicut ſe habet obligatio ad maiorem pœnam per ordinem ad maiorem culpam, ita obligatio ad minorem pœnam per ordinem ad minorem culpā.

11 Tandem *Maſtr. diſp. 6. q. 2. n. 32; & ſeq.* vult peccatum actuale conſiſtere in priuatione rectitudinis debitæ, quæ rectitudo attenditur penes conformitatem ad legem, & præceptum Dei; ergo peccatum habituale conſiſtit in priuatione rectitudinis debitæ per conformitatem ad legem Dei; ſicut enim ſe habet peccatum actuale per ordinem ad rectitudinem actualem; ita peccatum habituale per ordinem ad rectitudinē habitualem, quæ eſt gratia ſanctificans manens in anima, quouſque per peccatum tollatur; ergo, conuenienter ad ſuam doctrinam debet ponere *Maſtr.* peccatum habituale conſiſtere in priuatione gratiæ ſanctificantis.

12 Tertia vult peccatum habituale nihil aliud eſſe, quàm ipſum peccatum præteritum, & non retractatum, ac non condonatum à Deo. *Ita Sua. hìc diſp. 9. ſect. 2; Vaſq. diſp. 133. c. 2; Tanner. diſp. 4. ſect. 6; ConinK de pœnit. diſp. 2. dub. 10; Granad tract. 8. diſp. 1. ſect. 1; Sal. tract. 13. diſp. 14. ſect. 4; Palao, Ouied; & Arriag. diſp. 49. ſect. 4.* Sed diuiſi ſunt; *alÿ* enim peccatum præteritum, & has duas negationes eſſe de conſtitutiuo eſſentiali peccati habitualis; *alÿ* verò illas duas negationes eſſe puras conditiones neceſſariò requiſitas; eſſentiam autem peccati formaliter conſiſtere in actu præterito; *alÿ* tandem dicunt ſolam non remiſſionem, ſeu non condonationem ex parte Dei eſſe de illius eſſentia; aliam verò negationem eſſe tantùm quid conſequens, quatenus ex hoc, quòd hominem non pœnituit, ſequitur ei non eſſe remiſſum peccatum.

13 At reijcitur 1. Anima per peccatum habituale eſt actu intrinſecè, ac formaliter maculata, & infecta; ergo peccatum habituale nequit conſiſtere in actu præterito, & duabus negationibus aſſignatis; nam peccatum præteritum non eſt; & ab eo, quod non eſt, nequit anima intrinſecè, & formaliter actu maculari; ſicut veſtis à ſorde, quæ fuit in ipſa, & non eſt actu, nequit dici actu intrinſecè, & formaliter maculata, ſed tantùm poteſt dici fuiſſe maculatam; & illæ negationes conſecutiuè ſe habent ad ipſam maculam; priùs eſt enim maculam eſſe, quàm non eſſe remiſſam, aut condonatam. 2. Peccatum habituale conſiſtit formaliter in ea macula, & ſorde, quam reliquit in anima ipſum peccatum præteritum, vt docent *Scriptura, & SS. PP*; ergo nequit formaliter conſiſtere in ipſo actu præterito; nam ſicut deformitas cicatricis, quam relinquit in corpore vulnus, non conſiſtit formaliter in ipſo vulnere iam præterito, quod non eſt; quamuis ſit effectus illius ab ipſo actualiter relictus in corpore; ita deformitas peccati, quam relinquit in anima actus peccati, non conſiſtit formaliter in ipſo actu peccati iam præterito, ſed in aliquo ab ipſo actualiter relicto, & actualiter exiſtente in anima. 3. Peccatum originale non conſtituitur per peccatum præteritum *Adæ* cum negatione remiſſionis, & condonationis; ſed per aliquod intrinſecum formaliter inficiens naturam; vt tenent *Aduerſarÿ cont. Pighium, & Catherin*; ergo neque peccatum actuale; ſi enim peccatum actuale *Adæ* ita potuit inficere naturam, vt potuerit cum infectione, & macula intrinſeca traduci in alios; à fortiori dicendum eſt de peccato actuali inficiente naturam, in qua commiſſum fuit tale peccatum actuale.

14 Noſtra igitur docet maculam peccati formaliter conſiſtere in priuatione gratiæ ſanctificantis, quæ priuatio eſt in anima, eamque deformat, & inficit. Collig. *ex Fund. Doct. locis cit. q. 4. art. 6. n. 5; ex Greg. Arim. ibid.* & etiam *S. Tho. hìc q. 86. art. 1. ad 3. apud Gonet hic diſp. 8. art. 3. §. 2. §. Dico tertiò. Caiet; Conr; Med; Val; Sua; Aluar; Serra, Monteſin; Lorc; Io. à S. Thom; Auerſ, Lez; Peſant.* Adhæret etiam ex parte *noſter Gibb. hìc diſp. 7. dub. 1; & alÿ.*

15 Vnica concl. Macula relicta à peccato, quæ ſolet vocari peccatum habituale, conſiſtit formaliter in priuatione gratiæ ſanctificantis.

Prob. 1. auctoritatibus *Beatiſſ. Patris q. 4. art. 6. n. 10*, illis enim generaliter probatur omne peccatum formaliter conſiſtere in priuatione formæ oppoſitæ; quia omne peccatum eſt defectus; & omnis defectus eſt priuatio, cùm dicat in ſubiecto capacitatem ad habendam bonitatem oppoſitam; ſed forma oppoſita peccato habituali eſt gratia habitualis; ergo peccatum habituale formaliter conſiſtit in priuatione gratiæ habitualis.

16 Prob. 2. ex dictis *q. 2 art. 4. §. 2.* Per illud conſtituitur formaliter peccatum habituale, per quod conſtitutum fuit *in Adam*; quia ſicut cauſans peccatum habituale in nobis eſt peccatum actuale; ita cauſans maculam in anima *Adæ* fuit peccatum actuale; ſed peccatum habituale *Adæ* fuit conſtitutum formaliter per priuationem iuſtitiæ originalis, quæ erat loco gratiæ habitualis; vt diximus *vbiſ.* etiam *cum Auctoribus oppoſitę ſententia*, qui propterea *hìc* ſuis doctrinis inconuenienter loquuntur; ergo idem *Vid. vbiſ.*

17 Prob. 3. In eo conſiſtit formaliter peccatum habituale tranſacto actu peccati, per quod ſordidatur anima, & vulneratur præſente actu peccati; peccatum enim habituale eſt ſordes, macula, & vulnus inflictum animæ à peccato actuali; vt docet *Beatiſs. P. ſerm. 244. de Temp.* docens: *Cùm ergo in corpore tuo plagas, nec in veſte tua ſciſſuras, vel maculas fieri acquieſcis; qua conſcientia hoc facere in anima tua non metuis? Ac ſic quicunque hoc fecerit plus amat veſtem, & carnem ſuam, quàm animam. Cùm enim ad imaginē Dei facti ſimus; quoties aliquid turpe, aut loquimur,*

aut

aut facimus, toties imaginem Dei ſordidamus; ſed id, quo ſordidatur, & vulneratur anima præſente actu peccati, eſt priuatio gratiæ habitualis, per peccatum enim actuale anima priuatur gratia habituali, quæ nequit ſtare ſimul cum peccato; & per ſolam priuationem gratiæ habitualis anima vulneratur mortaliter, quia amittit gratiam, quæ eſt vita ſupernaturalis ipſius; ergo idem.

18 Conf. Quotieſcunque vnum aliquod eſt tantùm principium formale vitæ, puritatis, & pulcritudinis; tunc per ſolam priuationem illius habetur formaliter mors, macula, & deformitas; ſed ſola gratia habitualis eſt tantùm principium formale vitæ ſupernaturalis, puritatis, & pulcritudinis animæ; ergo per ſolam priuationem gratiæ habitualis habetur mors, macula, & deformitas animæ; atqui mors, macula, & deformitas animæ eſt peccatum habituale. Ma. patet; quia *oppoſitorum oppoſitæ ſunt rationes* formales, ſecundùm quas ſumitur oppoſitio; vnde quia lux eſt vnicum principium formale pulcritudinis aeris; ideo tenebræ, quæ ſunt priuatio lucis, ſunt conſtitutiuum formale deformitatis illius; peccata autem ſunt tenebræ ipſius animæ, vt docet *Beatiſſ. P. lib. 1. de Bapt. cont. Donatiſtas c. 11.* dicens: *Peccata enim tenebræ animarum ſunt; audiuimus quippe Ioannem dicentem: Qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt vſquead huc.* Mi. eſt certa.

19 Vrgetur magis. Poſitiuum in eo, quòd poſitiuum formaliter, non habet mortem inferre, maculare, & deformare; quia poſitiuum formaliter dicit eſſe; & ideo ſecundùm ſe affert eſſe, & per conſequens non affert mortem, quæ eſt non eſſe; & eſſe dicit perfectionem, à qua ſumitur puritas, & pulcritudo, *pulcrum enim, & perfectum idem ſunt*; & pulcrum, & purum conuertuntur; ergo poſitiuum non infert mortem, maculam, & deformitatem, niſi quatenus habet adiunctam priuationem vitæ, puritatis, & pulcritudinis, & ideo mors, macula, & deformitas ipſius animæ non conſiſtit formaliter, niſi in priuatione gratiæ ſanctificantis, quæ eſt vita, puritas, & pulcritudo illius.

20 Prob. 3. Malitia peccati commiſſionis, & omiſſionis conſiſtit formaliter in priuatione, vt docet *Scotus apud Maſtr. diſp. 6. q. 2. n. 32*; ſed peccatum habituale formaliter importat malitiam peccati commiſſionis, vel omiſſionis; ergo formaliter conſiſtit in priuatione. Prob. mi. Si peccatum habituale non importaret formaliter malitiam peccati commiſſionis, vel ommiſſionis, ſequeretur, quòd malitia peccati commiſſionis, vel omiſſionis iam tranſacto ipſo actu peccati remitteretur etiam ſine pœnitentia; & quòd contraheretur noua malitia; & ſic etiam nouiter non peccando nouiter peccaret; quia non contrahitur noua malitia peccati, niſi nouiter peccando; ſed vtrunque eſt abſurdum; ergo idem.

21 Tandem euertitur præcipua ratio, quam toto conatu vrget *Maſtr.* Si peccatum habituale non conſiſteret in priuatione, maximè quia omnia peccata eſſent æqualia; priuatio enim non ſuſcipit magis, & minus; nam eſt æqualis in omnibus, qui ſunt in peccato mortali, quia in omnibus tollit totam gratiam; ſed conſ. eſt falſum; quia gratia habitualis ſuſcipit magis, & minus; tum quia hoc idem ſequeretur etiam in quolibet peccato commiſſionis, quod tamen in *Scoti* ſententia conſiſtit in priuatione, nam in omnibus habentibus peccatum commiſſionis æqualiter tollitur conformitas ad legem, & præceptum Dei; in qua vult *Scotus* conſiſtere peccatum commiſſionis *apud Maſtr. vbi ſ.* non enim remanet in vno conformitas ad legem, & magis in vno, quàm in alio; ergo hæc ratio non valet; militat enim contra argumentem.

22 Obijc. 1. *Maſtr. ex Scot. in 2. diſt. 37. §. Iſta quæſt.* Priuatio gratiæ eſt æqualis in omnibus, qui ſunt in peccato mortali, cùm ſit priuatio in facto eſſe; ſed macula peccati non eſt æqualis in omnibus; ergo non eſt pura gratiæ priuatio. 2. Sequeretur omnia peccata habitualia eſſe eiuſdem ſpeciei, quia omnis priuatio gratiæ eiuſdē ſpeciei; nam priuationes ſumunt diſtinctionem ſpecificam ab habitibus; gratia autem habitualis eſt vna ſpecie, & ideo vna eſt illius priuatio. 3. Sequeretur ſecundum peccatum non eſſe peccatum, quia non priuaret hominem gratia; ſupponeret enim ipſam iam ablatam per primum peccatum. 4. Priuatio gratiæ eſt pœna peccati; ergo non eſt peccatum.

23 Reſp. *Godoy cum Caiet. & aliquibus alijs vbi ſ. §. 3.* priuationem aliam eſſe in facto eſſe, ſeu corrupto eſſe, quæ vocatur priuatio ſimplex; aliam in fieri, ſeu in corrumpi, quæ dicitur priuatio non ſimplex. Prima non ſuſcipit magis, & minus; ſecunda autem ſuſcipit; peccatum autem eſt priuatio ſecundo modo, & ideo ſuſcipit magis, & minus.

Sed contra eſt. Priuatio in corrumpi ſtat actu ſimul cum forma oppoſita; ſed peccatum nō ſtat actu ſimul cum gratia habituali; ergo non eſt priuatio in corrumpi. Nec ſatisfacit *Godoy* vnum peccatum non opponi directè bonitati morali, cui opponitur aliud peccatum. Contra enim eſt; quamuis namque non opponatur directè, attamen actu non ſtat ſimul cum illa; ergo non eſt priuatio in corrumpi, quæ ſtat actu ſimul cum forma. Præterea priuatio in corrumpi ſtat ſimul cum forma, cui directè opponitur; ſed peccatum non ſtat ſimul cum forma, cui directè opponitur; ergo non eſt priuatio in corrumpi.

24 Reſp. *Vaſq.* quòd licèt priuatio in corrupto eſſe non ſuſcipiat magis, & minus in ratione priuationis; attamen ſuſcipit in ratione mali, quia ratio priuationis ſumitur per ordinem ad formam; ratio autem mali per ordinem ad formam, quatenus conuenientem ſubiecto.

Sed

Sed contra eſt; quia priuatio in ratione priuationis formaliter eſt peccatum; quod in iſta formaliter conſiſtit; ergo in ratione priuationis formaliter eſt mala; & ideo nulla diſtinctio.

25 Reſp. *Gonet. cum alijs* priuationem dicere reſpectum ad gratiam,qua priuat,& ad actum peccaminoſum, à quo cauſatur, & hoc ſecundo modo ſuſcipere magis, & minus.

Sed contra eſt; quia cauſa efficiens nequit ſpecificare actionem; cùm ſpecificatio habeatur tantùm ab obiecto. Omiſſis ergo his reſponſionibus in ſua difficultate, quam patiuntur.

26 Reſp.1. hoc arg. vrgere ſententiam *Stoicorum*, qui *teſte B.P.ep.29.* aſſerebant omnia peccata eſſe paria, quia putabant, quòd committens vnum peccatum committeret omnia peccata eo, quòd peccata eſſent connexa, ſicut connexæ ſunt virtutes; quod videtur habere fundamentum in illo *Iac.2. Qui offenderit in vno factus eſt omnium reus.* Huic autem ſententiæ tenetur reſpondere etiam *Scotus*; nam certum eſt, quòd peccans peccato commiſſionis committere poteſt peccatum grauius in eadem ſpecie, quia magis peccat, qui furatur mille, quàm qui furatur decem;& tamen peccat contra eandem virtutem, & præceptum; & hoc peccatum conſiſtit in priuatione, vt etiam ipſe fatetur. Quòd ſi hoc ſaluetur, quia maioritas, vel minoritas numerica priuationis ſumitur à ſubiecto; inſtatur de diuerſitate ſpecifica, nam peccans peccato adulterij habet priuationem conformitatis ad legem, & nullam omnino habet relationem poſitiuam conformitatis, quia *offendens in vno factus eſt omniū reus*; ergo æqualiter peccat, ac alter peccans peccato homicidij; qui pariter habet priuationem conformitatis, & nullam conformitatem ad legem. Eadem ergo reſponſione, qua ſoluerit *Scotus* hoc argumentum, ſoluet ſuam rationem.

27 Reſp.ergo *cum Beatiſs.P. vbi ſ.* docente: *An fortè, quia plenitudo legis charitas eſt, qua Deus,et proximus diligitur,ex quibus præceptis charitatis tota lex pendet, & prophetæ, meritò fit reus omnium, qui contra illam facit, in qua pendent omnia? Nemo autem peccat,niſi aduerſus illam faciendo.* Ex quo ſic. Charitas vel eſt idem cum gratia habituali, vt dicunt *Scotiſtæ*; vel eſt proprietas illius, vt docent *alij*; & proprietas dicitur ad conuertentiam cum eſſentia,& ideo æquè latè patet, ac illa. Charitas autem eſt quodammodò omnis virtus,quia eſt forma omnium virtutum ordinans illas in Deum; & ideo tota lex præcipiens omnes virtutes pendet à charitate; ergo gratia habitualis,quæ vel eſt idem cum charitate, vel eſt eſſentia, à qua profluit charitas, eſt quodammodò omnis virtus; & ideo ſicut charitas tollitur per quodlibet peccatum, quia omne peccatum eſt contra charitatem Dei, vel proximi; ita gratia habitualis tollitur per quodlibet peccatum. Et ſicut contra omnes virtutes non eſt vna tantùm priuatio, ſed plures,& diuerſæ, ac inæquales priuationes; ita contra charitatem, & gratiam, quæ ſunt omnes virtutes, non eſt vna tantùm, ſed plures, diuerſæ, & inæquales priuationes, vnde poſſunt tolli modò per priuationem minùs grauem, modò per grauiorem, &c. Ad arg.igitur diſt.ma. Priuatio gratię genericè ſumptæ eſt æqualis in omnibus peccantibus; prout ſcilicet conſideratur gratia ſecundùm ſuam entitatem præcisè, non autem prout correſpondet huic, vel illi virtuti ſpecificè diuerſæ, conc. ſic enim quodlibet peccatum æqualiter tollit totam entitatem gratiæ; ſpecificè acceptæ, prout correſpondet huic, vel illi virtuti, neg; ſic namque quanuis ſemper tota tollatur; attamen inæqualiter tollitur, quia rationes correſpondentes virtutibus ſpecie diuerſis ſunt inæquales. Ad 2. eodem modo neg.ſeq;nam gratia eſt omnis virtus, & ideo ſicut priuationes oppoſitæ virtutibus differunt ſpecie; ita priuationes oppoſitæ gratiæ poſſunt ſpecie differre, ſi illi opponantur ſecundùm diuerſas rationes correſpondentes virtutibus diuerſis. Vid. aliam reſponſionem *noſtri Argent.in 3.diſt.19.q.1.ar.1. concl.1. ad 4*; quòd ſcilicet peccata materialiter conſiderata, prout dicunt conuerſionem ad creaturas, differunt ſpecie; non autem formaliter, prout dicunt auerſionem à Deo. Ad 3.neg.ſeq; quanuis enim ſecundum peccatum actu non priuet gratia; attamen ex ſua natura habet aptitudinem ad priuandum, & hoc ſufficit; quia eſſentiæ rerum conſiſtunt in aptitudine, non in actualitate. Ad 4. diſt. ant. Priuatio corruptiua, & deſtructiua gratiæ eſt pœna peccati, neg; hæc enim eſt peccatum; & cùm dicimus peccatum conſiſtere in priuatione, intelligimus de priuatione corruptiua gratiæ, non autem de quacunque priuatione; nam ſi eſſet dabilis ſtatus puræ naturæ, daretur priuatio gratiæ; quæ quia non eſſet corruptiua ipſius, non eſſet peccatum. Priuatio non corruptiua gratiæ, quæ eſt ſimplex denegatio gratiæ, eſt pœna peccati, conc; ſed nihil inde ſequitur.

28 Obijc. 2. Si quis in ſtatu puræ naturæ peccaret, contraheret maculam; ſed tunc non daretur priuatio gratiæ nec in recto, nec in obliquo; quia non habet locum priuatio, quando forma non eſt debita ineſſe; illi autem ſtatui non eſſet debita gratia; ergo macula non conſiſtit in priuatione.

Reſp. neg. ma. cum ſuo ſuppoſito; nam ſi quis conderetur in ſtatu puræ naturæ, eſſet naturaliter imporens ad vitanda peccata; quia natura creaturæ non habet poſſe viribus naturalibus vitare peccata, vt *alibi* docuimus *cum Beatiſſ.P.*; vnde ſi quis in tali ſtatu peccaret,tale peccatum non tribueretur creaturæ, ſed Deo, qui ſine culpa creaturæ denegaſſet gratiam ad vitanda peccata, & ideo creatura non contraheret macu-

maculam. Vel omiſſa ma. diſt. mi. Non daretur priuatio corruptiua gratiæ conc;impeditiua,neg; nam ſi Deus crearet ignem, cui eſt adiuncta priuatio ligni; tunc in materia ignis eſſet priuatio ligni, non corruptiua, ſed impeditiua; impediret enim, ne ex illa materia immediatè educeretur forma ligni, niſi per expulſionem formæ ignis. Ad prob.inſert. dicitur, quòd gratia non eſt debita ſimpliciter naturæ puræ; eſt tamen debita ex decentia Diuinæ bonitatis, quam decet diffundere ſua dona in creaturas ad illas præſeruandas à peccatis;

29 Obijc. 3. Peccatum veniale habituale intelligitur abſque priuatione gratiæ, & cuiuſuis formæ ſanctificantis; ergo & mortale.

Reſp. diſt. ant. Veniale intelligitur abſque priuatione gratiæ ſimpliciter, conc; ſecundùm quid, neg; conſiſtit enim in priuatione,ſeu defectu feruoris; & ideo dicitur peccatum,& defectus ſecundùm quid; ergo mortale,quod eſt defectus ſimpliciter, conſiſtit in priuatione gratiæ ſimpliciter; vnde ex hoc probatur magis noſtra ſententia.

30 Obijc. 4. Si quis offendat Regem, poſt talem offenſionem nihil remanet, niſi reatus ad pœnam; ergo à pari.

Reſp.neg.ant;remanet enim culpa,ob quam pœnam meretur.

31 Obijc. 5. *Fund.Doct.in 3.diſt.19.p.1.q.1. art.2.ad* 1.ait:*Licèt peccata præterita non ſint actu; quia cùm quis deſinit peccare; ceſſat actus peccandi; ſicut cùm ceſſat mouens, ceſſat motus; remanent tamen peccata quantùm ad infectionem, idèſt quantùm ad habitum vitioſum;quia licèt actus tranſeat, habitus tamen manet. Manent etiam quantùm ad obligationem ad pœnam*; ergo peccatum habituale conſiſtit in habitu. Tranſacto actu homo remanet habitualiter auerſus ab eo, & conuerſus ad creaturam; ſed conuerſio eſt quid poſitiuum;ergo cōſiſtit in poſitiuo.3. Peccatum actuale conſiſtit in poſitiuo;ergo & habituale.

Reſp. ad 1. Satis ſe explicare *vbiſ.* maculam habere tantùm ſimilitudinem cum habitu. Ad 2.diſt.mi. Eſt quid poſitiuum, & in ipſo conſiſtit formaliter peccatum,neg; materialiter,cōc; & ſic ad 3. neg.ant.

A R T. II.

An Deus poſſit producere habitum vitioſum?

1 G*Odoy hìc diſp.*19. ait habitum produci à Deo ſimul cum creatura, nulli *Theologorum* eſſe dubium;ſed tantùm controuerti, an a ſolo Deo poſſit produci?

2 Sed hoc falsiſſimum eſt; nam quòd Deus poteſt producere cum cauſis ſecùndis efficientibus, poteſt ſe ſolo producere; ergo ſi Deus ſimul cum creatura poſſet producere habitum vitioſum, quatenus eſt vitioſus formaliter, nulla eſſet ratio, quare ipſum non poſſet producere ſe ſolo. Tum quia Deus nec ſe ſolo, nec ſimul cum creatura poteſt producere peccatum, quia peccatum eſt malum morale, quod nequit à Deo cauſari,quia ſummè bonus eſt; ſed habitus vitioſus formaliter eſt malus moraliter, vt fatetur *Godoy*; ergo Deo nec ſe ſolo, nec ſimul cum creatura poteſt producere habitum vitioſum. Tum quia ex eo, quòd Deus ſimul cum creatura producat aliquam entitatem phyſicam,dicitur cauſa,& auctor illius non minùs, ac cùm illam ſe ipſo producit; ergo ſi produceret ſimul cum creatura habitum vitioſum,non minùs eſſet cauſa, & auctor illius, quàm ſi illum ſe ſolo produceret. Tandem ex eo, quòd Deus producat entitatem actus, ex cuius repetitione producitur habitus vitioſus, non ſequitur, quòd producat habitum vitioſum formaliter; quia illa entitas phyſica eſt indifferens ad bonitatem, & malitiam; & non fit mala niſi quatenus à voluntate creata ordinatur ad malum finem; ad quam ordinationem cùm non concurrat Deus, aliter cōcurreret ad defòrmitatem moralem peccati;ideo non concurrit ſimul cum creatura ad producendum habitum vitioſum formaliter, quia ſimul cum creatura non ordinat illam entitatem ad malum finem, ex qua ordinatione mala generatur tantùm habitus vitioſus.

3 Hac doctrina, quam continuò tradit *Beatiſſ.P.*;& conſtantiſſimè ſequitur *Fund.Doct.*;quòd ſcilicet entitas phyſica ſubſtrata deformitati morali ſit indifferens ad bonitatem, & malitiam moralem, tolluntur omnes difficultates, & anguſtiæ, ad quas adiguntur *Theologi* circa cauſalitatem peccati. Igitur

4 *Vaſq. hìc diſp.90. cap. 4. n.* 11; quem ſequuntur *Tanner. diſp.4.q.*11.*dub.*1; *Arriag.diſp.* 39.*ſect.4.ſubſect.* 1; & alij pauci, vult Deum ſe ſolo poſſe producere habitum vitioſum.

5 Noſtra tamen ſententia docet Deum nec ſe ſolo, nec ſimul cum creatura poſſe habitum vitioſum producere. Deducitur *ex Fund. Doct. in 2. diſt.30.q.1. art.4.dub.2.lat.§. Secunda differentia*; vbi ait: *Nam quia malus habitus a generatus eſt ex malis actibus; & actus immediatè procedunt à potentia; oportet, quòd habitus malus, per ſe, & primò ſit quadam infectio potentiæ*,ſed infectio moralis potentiæ eſt moraliter mala; ergo habitus malus nequit eſſe à Deo. Hanc ſententiam docent *omnes alij Theologi communiter.*

6 Vnica concl.Deus nec ſimul cum creatura, nec ſe ſolo poteſt habitum vitioſum formaliter producere.

Prob.1. *ex Beatiſſ.P. lib.3. de lib.arb. c* 13; 14; 15; *& ſeq*; vbi fuſiſſimè hanc quæſtionem pertractat; ait enim *c.* 13. *Omne quippe vitium eo ipſo, quo vitium eſt, contra naturam eſt; & c.* 16. *Quòd ſi tribuere volueris Conditori, peccantem purgabis, qui nihil præter ſui Conditoris inſtituta commiſit; & in pſ.68. conc.1. Vitia enim ex nobis, & ex noſtra voluntate habemus.* Ex quibus ſic 1.

Id, quod eſt contra naturam, nequit eſſe à Deo, qui eſt Auctor naturæ, nec ſe ſolo, nec ſimul cum creatura; ſed vitium, quod eſt idem, ac habitus malus, qui dicitur etiam habitus vitioſus, eſt contra naturam; ergo vitium, ſeu habitus malus nequit à Deo formaliter produci, nec ſe ſolo, nec ſimul cum creatura. Ma. patet; nam quod producitur à Deo, eſt ab ipſo, vt eſt Auctor naturæ, & eſt iuxta, non contra naturã. Mi. prob. rationibus allatis *q.1. art.3.* Præterea ſi Deus produceret io nobis habitũ vitioſũ, non peccaremus operando per illum habitum, quia non peccamus operando per potentias productas in nobis à Deo per ordinem ad finem nobis à Deo præſtitutum; io tantùm enim per voluntatem productam à Deo in nobis peccamus, in quantùm illam referimus in malum finem, ad quem non ſumus ordinati à Deo, cùm potiùs talis finis ſit nobis à Deo interdictus; at verò habitus malus ex ſua natura eſt determinatus ad malum finem, ideo ſi produceretur à Deo in nobis, per illum à Deo determinaremur ad malum finem; tendendo autem in finem à Deo nobis præfixum nõ peccamus; ideo ſi Deus produceret in nobis habitum malum, operando per talem habitum non peccaremus; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant.

7 Prob. 2. *ex Fund. Doct.* ratione allata *q. de Habit. art.2.* Habitus malus, & actus malus noo differunt, niſi ſecundùm iotenſionem, & remiſſionem; ſed Deus nequit producere actum formaliter malum; ergo multo minùs habitum malum, quia habitus malus eſt magis malus, quàm actus malus; ſicut calor magis intenſus eſt maior calor, quàm minùs intenſus. *Vid. vbiſ.*

8 Conf. Deus oequit ordioare creaturam ad malum finem; ſed per habitum malum creatura ordinatur ad malum finem; ergo Deus nequit producere habitum malum. Prob. ma. Deus nequit auertere creaturam à ſe ipſo; ſicut enim non poteſt facere, quòd aliqua creatura non ſit efficienter ab ipſo, quia ipſe eſt principium omnium creaturarum; ita non poteſt facere, quòd aliqua creatura non ordinetur ad ipſum, quia ipſe eſt finis omnium creaturarum, eſt enim *Alpha, & Omega*; ſed ordinando creaturam ad prauum finem non ordinaret illam ad ſe ipſum, quia ipſe eſt finis optimus, cùm ſit ſummè bonus; ergo Deus nequit ordinare creaturam ad malum finem. Prob. 1. Per habitum virtuoſum creatura ordinatur ad bonum finem; ergo per habitum malum ordinatur ad malum finem; habitus enim ordinatur ad eundem finem, ad quem ordioatur actus mediante illo habitu elicitus.

9 Prob. 3. Habitus malus non producitur, niſi à cauſa deficiente; eſt enim defectus, qui eſſentialiter eſt à cauſa deficiente; ſed Deus non eſt cauſa deficiens, quia eſt omne bonum, & ideo eo ipſo nequit eſſe vnus defectus, qui conſiſtit in carentia bonitatis; ergo Deus nequit producere habitum malum.

10 Prob. 4. Habitus vitioſus producitur formaliter per actus moraliter malos; ſicut habitus virtuoſus producitur per actus formaliter bonos; ſed Deus nequit elicere actum formaliter malum; ergo idem. Tum quia ſi Deus produceret habitum vitioſum poſitiuè induraret, peccator enim habituatus eſt durior ad pœnitendum, quàm non habituatus; ſed hoc eſt contra *SS. PP.*; ergo & illud. Item habitus vitioſus eſt iohoneſtus, & deformis moraliter; quia virtus ei oppoſita eſt pulcra, honeſta moraliter; ſed Deus nequit producere aliquod inhoneſtum, turpe, & deforme moraliter; aliter poſſet producere peccatum; ergo idem. Item Deus nequit producere potentiam determinatam ad peccatum, aliter eſſet cauſa peccati; ſed habitus vitioſus eſt huiuſmodi; ergo idem. Item ſeqoeretur, quòd homo nolens Deo volente fieret deterior; quia peccator habituatus eſt deterior nõ habituato; ſed hoc eſt falſum; ergo & illud. Tandem facilitare, & ioclinare ad malum morale eſt peccatum, vt patet de conſulente, & auxiliante; ſed habitus vitioſus inclinat, & facilitat ad peccatum; ergo idem.

11 Obijc. 1. Poteſt Deus ſe ſolo producere habitum malum abſque quòd efficientia illius terminetur ad deformitatem moralem; ergo ruit, conc. Prob. ant. Quia in voluntate creata datur conceptus potentiæ operatiuæ boni, & conceptus potentiæ operatiuæ mali, poteſt Deus producere voluntatem creatam reduplicatiuè, quatenus eſt potentia productiua boni, non quatenus eſt productiua mali; ſed in habitu malo datur entitas phyſica, quæ eſt bona, & deformitas moralis, quæ eſt mala; ergo poteſt Deus ſe ſolo producere entitatem phyſicam, quæ eſt bona abſque eo, quòd illius productio terminetur ad deformitatem moralem, atqui producendo illam entitatem producit habitum; ergo poteſt ſe ſolo producere habitum.

Reſp. omiſſis alijs reſponſionibus neg. ant. Ad prob. conc. totum arg; & neg. mi. ſubſumpta; nam illa entitas eadem numero eſt indifferens ad eſſendum habitum virtutis, vel vitij, & ideo illam producendo non producit habitum vitioſum, imò non minùs habitum vitioſum, quàm virtuoſum, cùm illa entitas poſſit æquè eſſe fundamentum vtriuſque.

12 Obijc. 2. Appetitus ſenſitiuus inclinat ad malum; vt dicitur *Gen.8. Senſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua*; ſed Deus producit appetitum ſenſitiuum; ergo poteſt producere etiam habitum inclinantem ad malum.

Reſp. diſt. ma. Appetitus ſenſitiuus inclinat ad malum, prout rebellis rationi, conc; & in hoc ſenſu neg. mi; nam Deus non producit appetitum, vt rebellem rationi, cùm non ſit rebellis, niſi per peccatum; Deus autem nequit eſſe

cauſa

cauſa peccati, & ideo nec rebellionis ad ipſum conſequentis. Inclinat ad malum ſecundùm ſe, neg; nam ſecundùm ſe eſt aptus natus obedire rationi. *Vid.q.1 art.2.*

13 Obijc. 3. Deus ſe ſolo conſeruat habitum vitioſum abſque eo, quòd inclinet ad peccatum; ergo ſe ſolo poteſt illud producere; quia conſeruare eſt continuò producere. Prob. ant. Conſeruatio non eſt, niſi media actione; at tempore, quo creatura non agit mediante habitu vitioſo, creatura nullam habet actionem; ergo ille habitus non conſeruatur à creatura, ſed à Deo; quia nullus præter Deum, & creaturam concurrit ad conſeruationem illius.

Reſp. neg. ant. Ad prob. dicitur, quòd quanuis Deus conſeruet entitatem phyſicam, quæ bona eſt, & indifferens ad habitum malum, vel bonum; attamen non conſeruat habitum malū formaliter, quia non conſeruat illam deformitatem moralem, per quam formaliter conſtituitur habitus malus. Conſeruatur autem à creatura, non quidem per aliquam actionem, quia eſt mera priuatio, & ad conſeruandam priuationem non requiritur actio; ſed quia non introducit formam illi oppoſitam, per quam tollitur illa priuatio.

14 Obijc. 4. Non repugnat Deum producere habitum inclinantem ad materiale peccati; ſed talis habitus non eſſet virtuoſus; nec eſſet actus indifferens, quia actus indifferens in indiuiduo non datur; ergo eſſet vitioſus. 2. Poteſt Deus inclinare ad formale malitiæ abſque eo, quòd ſit Auctor peccati; quia poteſt Deus producere in intellectu hominis cognitionē adulterij, vt qualitas eſt; nam intellectio, vt qualitas eſt, producitur ab obiecto in genere cauſæ efficientis, vt docet *Fund. Doct. & quidquid Deus facit cū cauſis ſecundis efficientibus, poteſt facere ſe ſolo*; talis autē cognitio inclinat ad malitiam adulterij; ergo poteſt producere habitum malum inclinantem ad malitiam formaliter abſque eo, quòd ſit Auctor malitiæ. 3. Poteſt Deus infundere in intellectum creaturæ habitum erroris, ergo & habitum malum.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Ad materiale peccat determinatè, neg; indifferenter, conc; talis enim habitus ex parte Dei eſſet virtuoſus, quia eſſet ordinatus ad bonum finem, per quam ordinationem virtus conſtituitur formaliter; quanuis poſtea illa entitas ex parte creaturæ ſe haberet indifferenter; quia creatura illam poſſet ordinare in malum finem, & ſic illam efficeret malam moraliter; ex quo ſemper ſequitur Deum, quantùm eſt ex ſe, non poſſe infundere habitū moraliter malum, ſed bonum, quia ſummè bonus eſt; creaturam verò poſſe illum malum efficere ordinando ad malum finem; & ſic non daretur actus indifferens in indiuiduo. Ad 2. eodem modo neg. ant. Ad prob. infert. dicitur illam cognitionem, vt qualitas eſt, & quatenus à Deo productā, inclinare ad fugam adulterij; quanuis voluntas ex ſua malitia poſſet per illam adulterium proſequi. Ad 3. neg. ant; eadem enim ratio eſt de habitu erroneo, qui opponitur ſummæ Dei veritati; ac de actu malo, qui opponitur ſummæ eius bonitati.

15 Obijc. 5. Habitus malus non importat formaliter malitiam moralem; quia poteſt ſtare ſimul cum gratia, cum qua nequit ſtare malitia moralis; ergo poteſt à Deo produci abſque eo, quòd Deus ſit Auctor malitiæ moralis.

Reſp. neg. ant. Ad prob. neg. aſſumpt; gratia enim habitualis tollit omnem deformitatem moralem, & ideo tollit omnem habitum vitioſum; & quanuis remaneat quædam diſpoſitio ad peccandum faciliter; attamen non manet formaliter habitus; ſicut in Theologo diſcredente vnum articulum fidei non manet Theologia catholica, quia non manet fides, cui innititur Theologia; quanuis in ipſo maneat quædam diſpoſitio ad theologizandum faciliter, ſi denuo ponatur fides, & cum ipſa habitus Theologicus. In hoc ſenſu locutus eſt *D. Tho;* cùm dixit *manere habitum per modum diſpoſitionis*; quanuis *recentes Thomiſtæ* aliter cum explicent.

§. 1.

An potentia peccandi ſit à Deo?

16 Ratio dubitandi eſt; quia *quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati*; ergo ſi Deus eſſet cauſa potentiæ ad peccandum, eſſet cauſa peccati, quod cauſatur à potentia peccandi.

17 *Aliqui* dixerunt, quòd *Beatiſſ. P.* quinquennio inſudauit, vt reſponderet huic argumento. Sed hoc dictū falſiſſimum eſt; licèt enim cùm adhuc valde iuuenis eſſet, hoc argumento fatigaretur, vt fatetur *lib. 1. de lib. arb. c. 2;* attamen ab illo expeditus fuit tempore, vel ante tempus baptiſmi; ait enim *ibid. Eam quæſtionem moues, quæ me admodum adoleſcentem vehementer exercuit &c. Et quoniam mecum ſedulò actum eſt, vt iſta quæſtione liberarer, eo tecum agam ordine, quem ſecutus euaſi*; ex quo patet multos *Auctores* plura attribuere *Beatiſſ. Patri*, quæ falſa ſunt, & ab ipſis falsò excogitata.

18 *D. Tho.* videtur negare potentiam peccandi eſſe à Deo, nam ideo creatura peccat, quia eſt ex nihilo, vt docet *Beatiſſ. P.*

19 *Fund. Doct. in 2. diſt. 44. q. 1. art. 1.* ait potentiam peccandi eſſe à Deo, quia potentia peccandi eſt voluntas, quæ eſt à Deo.

20 Vnica concl. Entitas potentiæ, quæ poteſt ſe determinare ad peccandum, eſt à Deo, non autem determinatio, ſeu potentia, vt determinata. Prob. *ex B. P. lib. 2. de lib. arb. c. 1.* docente: *Si enim homo aliquid bonum eſt, & non poſſet, niſi cùm vellet, rectè facere, debuit habere liberam voluntatem, ſine qua rectè facere non poſſet. Non*

enim quis per illam etiam peccatur, ad hoc eam Deum dediſſe credendum eſt. Satis ergo cauſæ eſt, cur dari debuerit, quoniam ſine illa homo rectè non poteſt viuere; ex quo ſic arguitur. Potentia ad operandum meritoriè eſt efficienter à Deo; ergo, & potentia peccandi; eadem enim eſt potentia ad peccandum, & meritoriè operandum. Idem *lib.2.c.18.& 19.* diſtinguit tria bona, quæ nobis donantur à Deo, ſcilicet bona, quibus malè vti non poſſumus, vt virtutes; & bona, ſine quibus rectè viuere poſſumus, vt bona corporalia, & bona, quibus rectè, & malè viuere poſſumus, vt potentiæ ad oppoſitum, ergo potentia ad peccandum eſt à Deo.

21 Prob.2. pars concl. Determinatio, ſeu potentia, vt determinata ad peccandum, dicit puram imperfectionem, & defectum moralem; ſed creatura contrahit imperfectionem, & defectum, quatenus eſt ex nihilo, non quatenus eſt à Deo; quia Deus, cùm ſit ſummè bonus, nequit eſſe cauſa mali; ergo determinatio potentiæ ad peccandum non eſt à Deo.

23 Ad rationem dubitandi diſt.ant. Si cauſatum ſit neceſſariò, & infallibiliter connexum cum cauſa, & neceſſariò ſequatur ad illam, conc; ſi omnino contingenter ſe habeat ad illam, & ex libera determinatione ipſius cauſæ, ad quam non determinatur à cauſa cauſæ, neg. Tunc enim cauſa cauſata, ſicut eſt primum determinans, ita eſt prima cauſa; & ideo nulla cauſalitas attribui poteſt cauſæ cauſanti ipſam cauſam primò ſe determinantem; aliter cauſa cauſata nec eſſet primum determinans, nec prima cauſa illius determinationis.

QVAEST. VI.

De peccatis in Spiritum Sanctum.

Circa hanc ſpeciem peccati non occurrit controuerſia aliqua *inter Theologos* adeo, vt de illa agere *à Recentioribus* omittatur. Ne tamen omnino prætereamus notitiam huius rei, quæ ſpectat ad fidem, omnia breuiter, quæ communiter tenentur, afferemus, & explicabimus.

ART. I.

Quid, & quotuplex ſit peccatum in Spiritum Sanctum?

1 QVoad 1.notat *Fund.Doct.in 2.diſt.43.q.1.art.1.§.His itaque*; quòd peccare contra Spiritum S. poteſt ſumi dupliciter. 1.Pro peccare contra perſonam Spiritus S; vt quando quis de eo malè ſentiens credit ipſum eſſe creaturam, vt dixerunt *Macedoniani*; vel miniſtrum Patris, & Filij natura inferiorem; ſicut *Arriani* peccarunt contra perſonam Filij docentes eſſe creaturam; & *Sabelliani* contra naturam Patris aſſerentes eſſe vnam perſonam cum Filio, & Spiritu S. Peccatum cõtra Spiritum S. in hoc ſenſu eſt peccatum infidelitatis; & ſic non ſumitur à nobis in præſenti. 2. Sumitur pro peccare contra attributum appropriatum Spiritui S; cui cùm approprietur bonitas, ſicut Patri appropriatur potentia, & Filio Sapientia; vt diximus *tom.3. de Trin q.7.art.2* ideo ſicut peccare ex infirmitate, quæ opponitur potentiæ, eſt peccare in Patrem; & peccare ex ignorantia, quæ opponitur ſapientiæ, eſt peccare in Filium; ita peccare ex malitia, quæ opponitur bonitati, eſt peccare in Spiritum S. Quoniam autem infirmitas, & ignorantia aliquo modo minuunt, & excuſant à peccato, propter quod ſic peccans habet aliquam cauſam excuſationis, ob quam aliquo modo veniam meretur; peccare autem ex malitia nullam habet excuſationem, aut cauſam, ob quam veniam mereatur; ideo peccatum in Spiritum S. dicitur irremiſſibile; peccatum verò in Patrem, & Filium remiſſibile, vt mox dicemus.

2 Hæc doctrina ſumpta eſt *ex Beatiſs.P. lib. de vera, & falſa pænit.c.4*; vbi docet: *Non itaque ſoli infideles peccant in Patrem, & Filium, ſed quicunque peccata committunt. Sed ſoli peccant in Spiritum S; qui impænitentes exiſtunt vſque ad mortem; Spiritus enim S. charitas eſt Deitatis, amor eſt Genitoris, & geniti Veritatis, qui ſuam gratiam nobis tribuit ſui ipſius arrham. Qui igitur peccat, & gratiam ipſius recuperare non amat, & nunquam curat ab eo diligi, qui totus eſt amor, & charitas; nec ad eum tendit, vnde ſumpſit arrham, in Spiritum S. peccat; & nunquam poſt mortem, ſicut nec viuens conſequetur veniam. Sicque nullus peccat in Spiritum S; qui fugit ad ipſum.* Quibus verbis apertiſſimè deſcribit, quid ſit peccatum in Spiritum S; quod *Matth.12.* dicitur irremiſſibile in hac, & in alia vita: *Omne peccatum, & blaſphamia remittetur hominibus; Spiritus autem blaſphemia, non remittetur; & quicunque dixerit verbum contra Filium, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum S; non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro.* Ille igitur peccat in Spiritum S; qui committit peccatum intentione nunquam recuperandi gratiam, & charitatem, quæ datur nobis per Spiritum S.

3 Itaque ſic poteſt deſcribi peccatum in Spiritum S: *Eſt commiſſio actus mali cum intentione impænitentiæ, ſeu permanentia in peccato vſque ad mortem; & cum propoſito nunquàm recuperandi gratiam, qua liberetur à tali peccato.*

4 Ex hoc patet, quomodò peccatum in Spiritum S. dicatur irremiſſibile; dicitur enim irremiſſibile ex parte peccatoris, qui habet propoſitum firmum non quærendi veniam, & remiſſionem; aliter non haberet peccatum in Spiritum S; vt dictum eſt. Non eſt autem irremiſſibile ſimpliciter ex parte rei; quamuis enim Deus ſecundùm viam, & curſum ordinarium, quem videmus, non det gratiam ad reſurgendum à

pec-

peccato, niſi eam quærentibus per auxilia, quæ continuò tribuit peccatoribus; & peccantes in Spiritum S. continuò ſpernant hæc auxilia, & conſtantes ſint in ſua peruerſitate nulentes ab illa vnquam liberari; attamen potens eſt Deus de ſua potentia extraordinaria illis infundere talem gratiam, per quam conuertatur ad Deum, & remiſſionem precetur. Sed tunc non eſt peccatum in Spiritum S; quia non eſt peccatum vſque ad mortem; vt docet *Beatiſs. P.* de quo habetur 1. *Io: c. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt oret quis.*

5 Quoad 2. eſt aliqua variatio inter DD. aliqui enim dicunt ſex tantùm eſſe peccata in Spiritum S; ſcilicet *deſperatio, præſumptio, impugnatio veritatis agnitæ, inuidia ſupernæ gratiæ, obſtinatio, & impœnitentia.* *Alij* verò volunt eſſe ſeptē, enumeratis enim addunt peccatum, quod fit ex certa malitia, vt apertè colligitur *ex Beatiſs. P. ſup.* *Alij* tandem his ſuperaddunt impœnitentiam finalem; diſtinguunt enim impœnitentiam in impœnitentiam actus, ſeu propoſiti, quæ nihil aliud eſt, quàm propoſitum firmum non pœnitendi de ſuis peccatis vſque ad mortem; & in impœnitentiam facti, quæ dicitur etiam euentus, & eſt illa, qua quis redditur impœnitens ex eo, quòd moriatur ſine pœnitentia. Sed quoniam circumſtantia mortis non dat nouam ſpeciem peccato; per mortem enim fit tranſitus ad ſtatum, in quo non poſſumus amplius mereri, aut demereri; quamuis mors det nouam ſpeciem irremiſſibilitatis; aliter enim dicitur irremiſſibile propoſitum non pœnitendi vſque ad mortem; & aliter irremiſſibilis eſt impœnitentia poſt mortem; cùmque peccata in Spiritum S. diuidantur nedum per diuerſas irremiſſibilitates, ſed etiam per diuerſas malitias, ideo poſſunt in in hoc ſenſu dici ſeptem tantùm. Igitur,

6 Dicendum, quòd ſi peccata in Spiritum S. ſumantur penes irremiſſibilitatem ſunt octo ſpecies; ſi verò ſecundùm malitiam, ſunt ſeptem.

Prob. nam ſi ſumantur ſecundùm irremiſſibilitatem, ſunt *deſperatio, præſumptio, impugnatio veritatis agnitæ, præſertim veritatis fidei, inuidia ſupernæ gratiæ, obſtinatio, propoſitum non pœnitendi, peccatum ex malitia, ſeu ex electione, & impœnitentia finalis facti.* De deſperatione habet *Beatiſs. P. vbiſ. c. 5. Quid enim eſt deſperare, quàm Deum ſibi comparare? Namque qui de Deo non præſumit veniam, non animaduertit plus peccata ſuo poſſe Dei clementiam; & ſerm. 69. de Temp. Deſperatio enim nec confiteri de ſcelere, nec indulgentiam nouit ſperare de Iudice,* quod autem non noſcit ſperare confeſſionem, & indulgentiam, irremiſſibile eſt; quia non remittitur, niſi per confeſſionem, & indulgentiam Iudicis; & ideo eſt peccatum in Spiritum S. De præſumptione *vbiſ. de Pœnit. c. 6. Sunt alij inimici deſperationis, qui adeo præſumunt, & de Deo confidunt; quòd quando ſibi licentiam acquirunt peccandi, & ſine pœnitentia expectant veniam.* De impugnatione veritatis agnitæ, de inuidia ſupernæ gratiæ, & charitatis, ac de peccato ex malitia agit *lib. 1. de Serm. Domini in monte c. 44.* dicens: *Et hoc forſaſſe peccare in Spiritum S; idest per malitiam, & inuidiam, fraternam oppugnare charitatem.* De propoſito non pœnitendi agit *lib. de vera, & falſa pœnit. c. 4. vbiſ. Peccant in Spiritum S; qui impœnitentes exiſtunt vſque ad mortem;* De obſtinatione *lib. de Fide ad Petrum c. 3. Sicut enim miſericordia ſuſcipit, abſoluitque conuerſos; ita iuſtitia repellet, punietque obduratos. Iſ ſunt, qui peccantes in Spiritum S. neque in hoc ſæculo, neque in futuro remiſſionem accipient peccatorum.* Tandem de impœnitentia finali fusè agit *de Verbis Domini in Euang. Matth. ſerm. 11. Hac omnino impœnitentia non habet remiſſionem neque in hoc ſæculo, neque in futuro;* vbi per non remiſſionem *in hoc ſæculo* deſignatur propoſitum non pœnitendi; & per *neque in futuro* demonſtratur impœnitentia finalis.

7 Si autem ſumantur ſecundùm actum, & ſecundùm circumſtantiam actus, tunc ſunt ſeptem tantùm; quia impœnitentia facti aduenit omnibus alijs ſeptem peccatis; ex eo enim, quòd quis moriatur cum quolibet illorum, fit impœnitens irremiſſibiliter; imò quodlibet peccatum, etiamſi non ſit contra Spiritum S; fit irremiſſibile in alia vita; ergo impœnitentia in alia vita non eſt propriè peccatum contra Spiritum S; ſed circumſtantia illi adueniens, communis tamen etiam alijs peccatis, vt dictum eſt.

8 Sufficientia autem huius diuiſionis ſuadetur ſic *à Fund. Doct. vbiſ.* Ita ſe habet peccator ad Deum; ſicut reus ad Iudicem; ſed delictum rei poteſt dici irremiſſibile ſeptem modis, & altero modo ex circunſtantia mutante ſtatum peccatores; & ſic ſeptem ſunt peccata ex parte actus, & aliud ex parte circunſtantiæ. Maj. patet; quia Deus eſt Iudex omnium, & peccator reus. Prob. mi. Delictum vel eſt irremiſſibile per ordinem ad Iudicem, & hoc dupliciter. 1. Quia reus credit Iudicem eſſe iuſtum, non miſericordem, & ſic habetur deſperatio. 2. Quia credit eſſe miſericordem non iuſtum; & ſic eſt præſumptio. Vel per ordinem ad bona reo donara à Iudice, vt ijs medijs expurgemus delictum; hæc autem bona præcipuè ſunt, vel inſtructio ipſius Iudicis oſtendens reo veritatem modi expurgandi ſe à delicto; reus autem reijciens hanc inſtructionem non purgatur à delicto; & ſic habetur impugnatio veritatis agnitæ præſertim fidei, quæ docet nos pœnitendum eſſe ad expurgandum peccatum. Vel gratia, & amor ipſius Iudicis, qui eſt potens dimittere delictum; & reus hæc reijcit; & ſic habetur inuidia gratiæ, & charitatis fraternæ, quam peccator nollet in alio, & in ſe. Vel per ordinem ad rem, circa quam deliquit, ei pertinaciter adhærendo; & ſic eſt obſtinatio. Vel per ordinem

dinem ad legem, a qua ſe auertit; & ſic eſt propoſitum non pœnitendi. Vel per ordinem ad ipſum delictum, quod non habet cauſam excuſationis, & ſic habetur peccatum ex malitia. Vel tandem per ordinem ad circunſtantiam euentus; quia antequam remittatur delictum, reus moritur, & ſic habetur impœnitentia facti; ergo ſeptem ſunt propriè peccata in Spiritum S. ex parte actus,& alterum ex parte circunſtantiæ euentus in alia vita.

9 Solet etiam hæc ſufficientia prob.à *Fund. Doct*; per comparationem infirmi ad medicum; nam infirmitas non remittitur; vel quia infirmus credit medicum non poſſe illam remittere, & ſic habetur deſperatio. Vel quia credit remittendam eſſe, etſi non ſumat medicinam, & ſic habetur præſumptio. Vel quia non vult ſumere medicinam remittentem peccatum; medicina autem eſt duplex; ſcilicet fides, quæ oſtendit ei veritatem, per quam poteſt recedere ab errore peccati; & ſic eſt impugnatio veritatis;& gratia, quæ inducit ſanitatem, & ſic eſt inuidia gratiæ ſupernæ, & fraternæ charitatis. Vel quia conuertit ſe pertinaciter ad cauſam morbi, quam non vult deſerere, & ſic habetur obſtinatio. Vel quia ſe auertit conſtanter à bono ſanitatis, & ſic habetur propoſitum non pœnitendi. Vel quia ex habitu reperit cauſas morbi, & ſic habetur peccare ex electione. Vel tandem quia infirmus moritur, & ſic habetur circunſtantia impœnitentiæ facti.

10 Not. *Fund. Doct*; quòd primæ quatuor ſpecies peccatorum in Spiritum S. ſunt determinati generis, quia differunt ex obiecto; nam deſperatio reſpicit Deum, vt iuſtum ſine miſericordia; præſumptio reſpicit Deum, vt miſericordem ſine iuſtitia; impugnatio veritatis reſpicit ipſam veritatem fidei;& inuidia gratiæ,& charitatis reſpicit ipſam gratiam, & charitatem; quæ ſunt ſpecies determinatæ obiectorum differentes inter ſe. Reliquæ verò ſpecies ſunt indeterminati generis, quia poſſunt eſſe in qualibet ſpecie peccati; vt quis poteſt obſtinari in quolibet vitio &c.

11 Obijc.1. Deſperans non credit remiſſionem peccatorum eſſe in Eccleſia; ergo deſperatio eſt peccatum infidelitatis. 2. In tantùm præſumptio eſſet peccatum, in quantùm nimis dilataret Diuinam miſericordiam; ſed hoc repugnat, quia miſericordia Diuina eſt infinita; ergo non eſt peccatum. 3. Impugnatio veritatis eſt contra Filium, qui eſt ipſa veritas; ergo non eſt contra Spiritum S. 4. Inuidia eſt vnum ex ſeptem vitijs capitalibus; ergo non eſt vnum ex peccatis in Spiritum S. 5. Repugnat peccatum ex malitia; quia *nemo intendens ad malum operatur*; ergo ſunt tantùm ſex.

Reſp. *cum Fund. Doct.* ad 1. diſt.conſ. Eſt peccatum infidelitatis, quatenus non credit, conc; quatenus non vult remiſſionem peccatorum, neg. Ad 2. neg. ma; nam præſumptio eſt peccatum, quia abijcit iuſtitiam, non quia dilatat miſericordiam. Ad 3. diſt. ant. Impugnatio veritatis, vt veritas eſt, conc; vt donum eſt, neg. Ad 4. diſt.ant. Inuidia fraternæ excellentiæ naturalis, conc; fraternæ gratiæ, neg. Ad 5. neg. ant. Ad prob. diſt. Ad malum præcisè per ſe ipſum tantùm, conc; ad malum, prout coniunctum cum bonitate apparente, neg; ſic autem eſt peccare ex malitia, quia non vult cognoſcere malitiam, quam poteſt cognoſcere,& attendit ad ſolam delectabilitatem annexam.

QVAEST. VII.

De comparatione peccatorum intèr ſe.

AD complementum huius tractatus ſuperest agendum de grauitate, & leuitate peccatorum comparatiuè ad ſe inuicem. Quia tamen plura ſunt, quæ difficultatem non patiuntur; & aliqua, quæ in diſſidium vocantur; ideo illa ſolùm attingemus, hæc aliquantò fuſiùs diſcutiemus morem gerentes *Fund. Doctori*, qui duobus tantùm articulis omnia reſoluit.

ART. I.

An omnia peccata ſint inæqualis grauitatis; & vnde ſumatur eorum inæqualitas?

1 STOici, quos ſequutus eſt *Iouinianus* impugnatus à *D.Hier*; vt refert *Beatiſſ.P.ep.29*; voluerunt omnia peccata eſſe paria; quia dicebant omnia peccata eſſe connexa, ſicut ſunt connexæ omnes virtutes; & ideo, qui committit vnum peccatum, committere omnia peccata. Tum quia peccatum conſiſtit in priuatione rectitudinis debitæ; priuatio autem non ſuſcipit magis, & minus, nam vnus non dicitur magis mortuus, vel cœcus, quàm alter.

2 Noſtra tamen ſententia docet peccata eſſe inæqualia. Eſt de fide, & traditur *à Fundat. Doct.in 2.diſt.21.p.2 art.2; & diſt.35.p.2. art.3.* Ita etiam *omnes Doctores Catholici.*

3 Vnica concl. Non omnia peccata ſunt æqualia, & inæqualitas ipſorum deriuatur ex principio actus, obiecto, fine, & ex circunſtantijs. Prob.1. *ex Beatiſſ.P.vbiſ.* docente: *An fortè quia magis facit contra charitatem, qui grauiùs peccat; minùs, qui leuiùs? & hoc ipſo, quod admittit, fit quidem omnium reus; ſed grauiùs peccans; vel in pluribus peccans magis reus. Leniùs autem, vel in paucioribus peccans minùs reus; tanto maiori ſcilicet reatu, quanto ampliùs, tanto minore, quanto minùs peccauerit.* Ex quo ſic. Bonitas, & malitia ſumitur à principijs, obiecto, fine, & circunſtantijs, vt diximus *10.3*; ſed principia, finis, & circunſtantiæ ſunt inæqualiter bona, & mala; ergo peccata ſunt inæqualiter mala. Ma.probata eſt *ibid.* Mi. prob.à *Fund. Doct.* Voluntas, quæ eſt

eſt principium actus mali, peccans ex ignorantia, vel ex paſſione, ſeu infirmitate non habet tantam malitiam, quantam habet voluntas peccans ex malitia, ſeu ex electione, idèſt non decepta, neque affecta aliqua paſſione; & ideo principium actuum malorum eſt inæqualiter malum. Item Deus,& creaturæ, quæ ſunt obiecta actuum malorum, ſunt inæqualiter bona; & ideo peccata primæ tabulæ, quæ ſunt immediatè contra Deum, ſunt grauiora, quàm peccata ſecundæ tabulæ, quæ ſunt immediatè contra hominem, & mediatè tantùm contra Deum, & ex peccatis ſecundæ tabulæ ſunt grauiora, quæ ſunt contra proximum immediatè in ſe ipſo, vt homicidium, quàm contra rem proximi,ſiue illa res ſit perſona coniuncta, vt adulterium; ſiue ſit res inanimata, vt furtum; & peccata, quæ ſunt contra perſonam coniunctam proximo, vt eſt adulterium; ſunt grauiora, quàm contra rem ipſius proximi, vt furtum. Item illa peccata,quæ ſunt mala ex genere, & ex fine; quia habent duplicem malitiam, vt diximus *to.3.vbiſ*, ſunt grauiora, quàm illa, quæ ſunt tantùm mala ex genere, quæ habent vnam tantùm malitiam. Tandem circunſtantiæ variantes ſpeciem transferũt peccatum ad aliud obiectum, quod eſt maius bonum, vt locus ſacer facit furtum eſſe contra Deum, qui eſt magis bonus, quàm creatura; & aggrauantes important magis, & minus in eadem ſpecie,vt patet; & ideo ſunt inæquales; ergo principia, obiecta, fines,& circunſtantiæ peccatorum ſunt inæqualiter mala.

4 Conf. Illi actus ſunt inequaliter mali,qui priuant bonis inæqualibus; nam malum dicitur per oppoſitionem ad bonum;ſed peccata priuant bonis inæqualibus; quia priuant virtutibus,quæ ſunt inæqualiter bonæ; ergo ſunt inæqualia.

5 Tum quia omnia peccata nõ eadem pœna puniuntur, ſed vnum atrociùs, aliud leuiùs punitur nedum in hac vita, vt patet de pœnis inflictis per legem poſitiuam;quæ decernit aliquibus peccatis pœnam mortis, alijs pœnam exilij,ceteris &c;ſed etiam in alia vita; vt habetur *Matt. 5. Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio; qui dixerit fratri ſuo, Raca, reus erit concilio; Qui autem dixerit fatue; reus erit gehennæ ignis*; de quo *Beatiſſ.P. in Enchir.c.79.& Matt. 11. Tolerabilius erit Sodomis, quàm vobis in die iudicij*; ſuper quod *Beatiſſ.P. de bapt. cont.Donatiſt. lib.4. c.19. Nec dubitandum eſt quidem ipſas pœnas, quibus cruciabuntur, qui regnum Dei non poſſidebunt, pro diuerſitate criminum eſſe diuerſas, & alias alijs attrociores; vt in ipſo igne æterno pro diſparibus ponderibus peccatorum ſint diſparia tormenta pœnarum*; & *Apoc.18. Quantùm ſe in delicijs glorificauerat, tantùm ei tormentum, & luctum date*; ergo nec eandem habent grauitatem; quia pœna tribuitur ad menſuram culpæ.

6 Ad rationes *Stoicorum* iam reſponſum eſt *q.5.art.1.n.26.& 27.*

7 Obijc. 1. Omne peccatum mortale eſt offenſa Dei; ſed offenſa Dei eſt infinita; ergo omnia peccata ſunt æqualia; quia vnum infinitum non eſt maius alio.

Reſp; quòd licèt admittatur peccatum in ratione offenſæ eſſe infinitum, de quo in *3.ſent*; attamen quia vnum infinitum eſt maius alio materialiter, ideo peccata non ſunt æqualia.

8 Obijc. 2. Sequeretur peccatum veniale aliquando eſſe grauius, quàm mortale; quia motus imperfectè liber circa homicidium v.g. eſt peccatum veniale, quod tamen eſſet leuius furto perfectè libero; quia eſt circa obiectum grauius.

Reſp. neg. ſeq; quanuis enim vnum peccatum habeat obiectum grauius,quàm aliud, attamen quia ad peccatum non ſufficit obiectum,ſed requiritur etiam perfectus vſus rationis, ideo defectu huius deficit grauitas peccati. *Vid. art. ſeq.ad 3.*

9 Obijc. 3. Schiſma eſt peccatum minùs graue, quàm infidelitas, & tamen Schiſma eſt contra charitatem; quæ eſt perfectior fide, contra quam eſt infidelitas. Sic beſtialitas eſt grauior furto; & tamen eſt contra caſtitatem, quæ eſt minùs perfecta, quàm iuſtitia, contra quam eſt furtum. Sic homicidium eſt grauius omiſſione miſſæ,quæ eſt contra Religionem, religio autem excedit iuſtitiam, contra quam eſt homicidium. Tum quia eidem virtuti opponuntur duo vitia, inter quæ mediat virtus; ergo à virtutibus non ſumitur grauitas peccatorum.

10 Propter has inſtantias *Merat; & alij* putant grauitatem peccatorum non eſſe menſurandam à dignitate virtutum. *Alij* verò ſolum grauiſſimum peccatum ex oppoſitis præſtantiori virtuti excedere in grauitate eſſentiali omne peccatum oppoſitum virtuti inferiori. *Ita Godoy*, apud quem *Med; Aluar; & Lorc.*

11 Reſp. tamen peccata omnino ſumere grauitatem per oppoſitionem ad virtutes, quia ſunt priuationes illarum. *Fund.Doct.tenent Gibb; Vaſq; Cur; Zum; Monteſin; Martinez, & alij.* Ad 1. dicitur infidelitatẽ eſſe contra fidẽ,& charitatẽ,diuidit enim ab vnitate Eccleſiæ in omnibus;ſchiſma verò eſt tantũ contra charitatẽ;ideo eſt minùs graue, quã infidelitas,quę eſt grauior ſchiſmate. Ad 2. dicitur beſtialitatem eſſe contra virtutem heroicam, quæ eſt maior iuſtitia; & licèt iuſtitia ſecundùm quid ordine prælationis ſit maior caſtitate; attamen formaliter eſt minor; quia virginitas, quæ eſt virtus Angelica,eſt ſpecies caſtitatis,& eſt maior iuſtitia; & ſic dicendũ ſodomiam eſſe grauiorem furto ab eandem rationem. Ad 3. dicitur homicidium eſſe maius ratione damni irreparabilis illati proximo, non ſecundùm ſuam ſuam ſpeciem; vt *in ſeq.art.* Ad 4. dicitur duo vitia extrema opponi eidem virtuti ſecundùm diuerſas rationes, & diſtingui ſecundùm exceſſum, & defectum, vt auaritia

magis

magis opponitur, prodigalitas minùs.

11 Quæres; an inæqualitas peccatorum ſumatur etiam ex diuerſitate præceptorum?

Reſp. *cum Fundat. Doct. vbiſ.* affirmatiuè; quia grauius eſt peccatum, quod eſt contra præceptum naturæ, quàm quod eſt contra legem poſitiuam; & grauius eſt illud, quod eſt contra præcepta primæ tabulæ, quàm illud, quod eſt contra præceptum ſecundæ tabulæ. Hæc autem grauitas ſumitur formaliter ex grauitate rei præceptæ; materialiter verò ex ipſo præcepto, quatenus coniungitur cum re præcepta.

ART. II.

An peccatum grauius ex ſua ſpecie poſſit eſſe leuius peccato leuiori ſecundùm ſuam ſpeciem.

1 Certum eſt, quòd peccatum leuius ſecundùm ſpeciem coniunctum cum circunſtantia mutante ſpeciem ſit grauius ſimpliciter, & ſpecificè, quàm peccatum magis graue ſecundùm ſpeciem; vt furtum licèt ſit minùs graue ſecundùm ſpeciem, quàm homicidium; attamen ex eo, quòd fiat in loco ſacro, fit grauius homicidio; quamuis enim circunſtantia manens circunſtantia, non det ſpeciem peccato; attamen, quando tranſit in rationem obiecti, vt in caſu, dat ſpeciem peccato; vt docet *Fund. Doct. in 2. diſt. 43. q. 2. art. 1. §. Vt ergo ſciamus.* Quæritur ergo; an peccatum leuius ex ſua ſpecie fieri poſſit grauius ſimpliciter ex circunſtantijs aggrauantibus in eadem ſpecie; non quòd ſola differentia ſpecifica peccati inferioris fiat maior differentia ſpecifica peccati ſuperioris; hoc enim impoſſibile eſt, quia eſſentiæ rerum ſunt immutabiles, ſicut numeri; ſed quòd eſſentia peccati inferioris conſiderata ſimul cum circunſtantia, dicenda ſit abſolutè, & ſimpliciter peccatum grauius, quàm aliud peccatum ſuperius conſideratum abſque ſimili circunſtantia.

2 Prima ſententia vult peccatum leuius ſimul cum circunſtantia aggrauante abſolutè, & ſimpliciter non eſſe grauius, quàm peccatum ex ſua ſpecie ſuperius; vt furtum, quantumcunque creſcat, nequit eſſe maius homicidio. *Ita Vaſq; Dur. in 4. diſt. 22. q. 1. n. 8; Cur. hic ſup. art. 3. §. 2; Mont. ſin. ibid. diſp. 5. qu. 6. & Martinez art. 3. dub. 2.*

3 Secunda vult eſſe dicendum ſimpliciter, & abſolutè peccatum maius. *Ita Caiet. 2. 2. q. 158. art. 4. §. Ad 2; Sot. lib. 4. de Iuſt; & Iure q. 6. art. 3; & lib. 5. q. 10. art. 3. ad 1; Med. hic q. 3. Zum. dub. 2; Aranio dub. 2; qui primam ſententiam temerariam opinantur. Alnar. diſp. 135. oppoſitam improbabilem cenſet. Val. hic q. 2. punct. 2; Azor; Suar. in 3. par. diſp. 66. ſect. 2; Sal. hic diſp. 5. ſect. 2; Granad. hic contron 6. diſp. 2. concl. 2, Tanner. diſp. 4. q. 3. dub 1; Merat. diſp. 6. ſect. 2, Godoy hic diſp. 30;* qui oppoſitam vindicat à cenſuris; *& ex noſtris Gibb. diſp. 8. dub. 3; apud quem Bernardin; & Korc.*

4 Noſtra tandem docet peccata minùs grauia non poſſe fieri grauiora ex circunſtantijs aggrauantibus ſimpliciter, & abſolutè, ſed tantùm proportionaliter, & ſecundùm quid. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 21. q. 2. art. 2,* vbi docet, quòd peccatum *Adæ*, licèt ex circunſtantia nocumenti, quia nocuit omnibus hominibus, & ex circunſtantia facilitatis, qua poterat præceptum obſeruare, fuerit grauiſſimum, vt docet *Beatiſs. P. 14. de Ciui Dei c. 12;* attamen non fuit abſolutè, & ſimpliciter grauiſſimum, quia non fuit ex malitia, ſed ex deceptione; neque fuit ex ſua ſpecie malum, quia comedere fructum fuit malum ſolùm ex prohibitione, non ſecundùm ſe; neque ex fine; quia non intendit eſſe Deum per naturam, vt intendit Lucifer; ſed fuit tantùm grauiſſimum ex circunſtantia, quæ non arguit grauitatem ſimpliciter, & abſolutè, ſed tantùm ſecundùm quid, & proportionaliter; *pro cuius explic.*

5 Not; quòd ſicuti peccatis ſpecie diuerſis debentur pœnæ ſpecie diuerſæ; quia pœna correſpondet culpæ, vt patet nedum in pœnis decretis per legem humanam, ſed etiam in pœnis decretis per iuſtitiam Diuinam; nam *Hebræi idololatriæ Exod. 32.* dehiſcente terra viui abſorpti ſunt cæteris cœleſti igne conſumptis; & traditores libri Prophetici, qui iuſſu *Ioacim* Regis exuſtus fuit, bellica cæde puniti fuerunt *Ierem. 36;* vt docet *Beatiſs. P. lib. 2. de Bapt. cont. Donatiſt. c. 6;* vnde peccatum ex ſua ſpecie grauius punitur pœna ex ſua ſpecie grauiori; vt ſi fornicatio punitur igne carbonum, adulterium quod maius eſt, punitur igne flammarum; inceſtus igne ſulphuris &c; quæ ſunt pœnæ ſpecie differentes; & vna eſt ſpecificè grauior alia. Ita peccatis inæqualiter intenſis correſpondent pœnæ inæqualiter intenſæ; vt v. g. qui occidit hominem vno ictu, & in inſtanti, minùs punitur, quàm qui lentè atrociſſimis tormentorum inſtrumentis illum occidit; ſic magis punitur, qui furatur mille, quàm qui decem; & ſic de alijs. Si ergo fiat comparatio inter pœnam eſſentialiter debitam peccato grauiori ex ſua ſpecie, eſt grauior pœna eſſentialiter debita peccato minùs graui ex ſua ſpecie; ſi autem comparetur intenſio peccati grauioris ex circunſtantia, licèt illud peccatum ſit minùs graue ex ſua ſpecie, cum intenſione peccati minùs grauis ex circunſtantia, & magis ex ſua ſpecie; tunc pœna illius eſt magis grauis, quàm pœna iſtius proportionaliter loquendo; quia comparatio inter res ſpecie diuerſas eſt proportionalitas; vt dicitur *lib. 5. Geometr.* non autem proportio, quæ eſt inter res eiuſdem ſpeciei. Igitur homicidium, quod non eſt graue ex circunſtantia, punitur pœna ſpecificè grauiori, quàm ſit pœna debita furto, quod eſt peccatum minùs graue homicidio, at furtum grauiſſimum ex circunſtantia, vt furtum ærarij Ciuitatis, punitur quidem pœna debita furto, quæ eſt pœna ſpecificè minor pœna debita homicidio,

dio, ſed eſt intenſiuè longè grauior; nam ſi homicidium punitur pœna ſibi debita ſecundùm duos gradus, tale furtum punitur pœna ſibi debita ſecundùm ſex, vel octo gradus; quæ pœna eſt maior intenſiuè proportionaliter, non autem ſpecificè; & ſic dicendum de grauitate culpæ, cui pœna correſpondet. Hoc putamus velle primam, & ſecundam ſententiam. Diſputant autem, an peccatum minus debeat vocari minus abſolutè, & ſimpliciter; & ſic inducunt puram quæſtionem de nomine; pro qua.

6 Vnica concl. Peccatum minùs graue ex ſua ſpecie aggrauatum tamen ex circunſtantia non eſt ſimpliciter, & abſolutè, ſed tantùm ſecundùm quid, & proportionaliter grauius peccato ex ſua ſpecie grauiori.

Prob.1. *ex Beatiſs.P.vbiſ.* vbi aſſerit, quòd licèt traditores libri Prophetici nedū tradidiſsēt librum, ſed etiam ſuis manibus ipſi incendiſſent; in quo caſu procul dubio ſuiſſet aggrauatum eorum delictum; adhuc ſcelus minùs graue commiſiſſent, quàm ſi ſchiſma commiſiſſent, his verbis: *Qui ſi non libros incendendos tradidiſſent, ſed eos ipſi ſuis manibus incendiſſent, minoris vtique fuiſſent ſceleris, quàm ſi ſchiſma commiſiſſent; quia illud mitiùs, iſtud grauiùs vindicatum eſt, non humano arbitrio, ſed Diuino iudicio.* Ex quo ſic. Pœna eſſentialiter debita peccato grauiori ex ſua ſpecie eſt eſſentialiter grauior pœna peccato minùs graui ex ſua ſpecie eſt eſſentialiter grauior pęna peccato minùs graui ex ſua ſpecie, quia pœna debet correſpondere delicto; vnde ſi delictum eſt grauius ſecundùm ſuam ſpeciem, etiam pœna illi correſpondens debet eſſe grauior ſecundùm ſuam ſpeciem, aliter non daretur proportio inter pœnam, & culpam, quod eſt contra iuſtitiam; quanuis intenſio pœnæ minoris culpæ poſſit eſſe maior proportionaliter intenſione culpæ grauioris; ergo grauitas peccati grauioris ex ſua ſpecie eſt eſſentialiter grauior peccato minùs graui ex ſua ſpecie, & tantùm minor proportionaliter ſecundùm quid; nam res ab eſſentia denominatur ſimpliciter, & ab intenſione tantùm denominatur ſecundùm quid; quia ab eſſentia habet eſſe ſimpliciter, & ab intenſione tantùm ſecundùm quid.

7 Conf. Intenſio rei non facit rem maiorem ſimpliciter, ſed tantùm ſecundum quid; atqui circunſtantia aggrauans cauſat ſolùm intenſionem peccati; ergo circunſtantia aggrauans non facit peccatum maius ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid. Prob. ma. Intenſio rei facit tantùm, quòd illa res, quæ priùs habebat minus de eſſe, habeat magis de eſſe; vt intenſio caloris facit tantùm, vt calor, qui habebat minus de eſſe in ligno, habeat magis de eſſe; non autem facit, vt lignum habeat eſſe ſimpliciter, quia lignum ante intenſionem iam habebat eſſe calidum; ideo illi calori addit tantùm gradum, quem non habebat; illud autem, quod ſupponit eſſe, non dat eſſe ſimpliciter, vt patet; ſed illud, quod non dat eſſe ſimpliciter alicui rei, nequit facere illam rem maiorem alia re ſimpliciter maiori, quanuis illum augeat in ordine ad ſe, quia maioritas ſimpliciter in ordine ad aliam rem habetur tantùm ab eſſe ſimpliciter; ſicut maioritas ſecundùm quid habetur tantùm ab eſſe ſecundùm quid; ergo intenſio rei non facit rem maiorem ſimpliciter, ſed tantùm quid. Mi. patet; nam circunſtantia aggrauans non mutat ſpeciem, neque dat ſpeciem peccato; ergo tantùm illud intendit.

8 Vrgetur magis. Nullum accidens poteſt dare eſſe ſimpliciter, quia omne accidens eſt ens ſecundùm quid; ſed circunſtantia aggrauans eſt accidens actus, non enim dat ſpeciem peccato; ergo nequit dare eſſe ſimpliciter peccato; atqui ab eſſe ſimpliciter ſumitur maioritas ſimpliciter, ſicut ab eſſe ſecundùm quid ſumitur maioritas ſecundùm quid; ergo à circunſtantia nequit ſumi maioritas peccati ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid.

9 Prob.2. *ex Fund. Doct.* Illud eſt tale ſimpliciter, & abſolutè, quod ſecundùm ſuam rationem formalem ſpecificā eſt tale; ab ipſa enim ſumitur eſſe ſimpliciter in tali ſpecie; vt homo dicitur ſimpliciter perfectior brutis, quia ſecundùm ſuam rationem formalem differentialem eſt talis; ſed peccatum minùs graue ex ſua ſpecie auctum ex circumſtantijs non eſt grauius peccato grauiori ex ſua ſpecie ſecundùm ſuam rationem formalem ſpecificam; aliter non eſſet minùs graue ex ſua ſpecie; idem enim eſt ex ſua ſpecie, ac ſecundùm ſuam rationem formalem ſpecificam; ergo peccatum minùs graue ex ſua ſpecie, quantuncunque auctum ex circunſtantijs, non eſt grauius ſimpliciter peccato grauiori ex ſua ſpecie.

10 Conf. Ita ſe habet circunſtantia aggrauans reſpectu peccati, ſicut accidens reſpectu ſubiecti; ſed ex eo, quòd aliquod ſubiectum habeat aliquod accidens, non dicitur ſimpliciter maius alio accidente maiori ſecundùm ſe carente illo accidente; quia ab eo, quod eſt ſecundùm quid, nequit ſumi denominatio ſimpliciter; ergo idem. Ma. patet; in hoc enim diſtinguitur circumſtantia aggrauans à mutante ſpeciē; quòd hæc ſpecificat, & ideo tranſit in obiectum ſpecificatiuum, illa verò non ſpecificat, & ſine ipſa poteſt eſſe tale peccatum ſpecie; ſed illud, quòd non ſpecificat, & ſine quo res poteſt eſſe; ſe habet accidentaliter ad illam rem; ergo circumſtantia aggrauans ſe habet, ſicut accidens reſpectu ſubiecti.

11 Tandem *Beatiſs.P lib.4. vbiſ. c.20.* non audet præcipitare ſentētiam; an catholicus peſſimis moribus, idèſt pluribus peccatis ſpecie diuerſis contaminatus ſit peior, quàm infidelis habens ſolum peccatum infidelitatis; his verbis: *Vtrum autem Catholicum peſſimis moribus alicui*

hæretico, in cuius vita præter id, quod hæreticus eſt, non inueniunt homines, quod reprehendant, præponere debeamus, non audeo præcipitare ſententiam; ergo multò minùs vnum peccatum ſpecie, & numero, quantumuis auctum ex circunſtantijs aggrauantibus, non eſt præcipitanter cenſendum grauius, quàm aliud peccatum ſpecie diuerſum ex ſua ratione formali longè grauius, & peius.

12 Obijc.1. *Godoy*. Peccatum dignum maiori pœna ſimpliciter eſt ſimpliciter grauius peccato, cui illa maior pœna non debetur; ſed peccatum ex ſua ſpecie leuius poteſt ratione circunſtantiarum eſſe dignius maiori pœna ſimpliciter, quàm peccatum grauius ex ſua ſpecie; nam volitioni occidendi centum homines pœna ſimpliciter maior debetur, quàm vnicæ omiſſioni Diuini officij, vel miſſæ; & tamen omiſſio officij, vel miſſæ eſt peccatum ex ſua ſpecie grauius, quàm homicidium; ergo idem. 2. Peccatum magis diſplicens Deo eſt grauius, quia diſplicentia commenſuratur cum grauitate malitiæ; ſed Deo magis diſplicent mille furta, quàm vnicum ſacrilegium; vnicum autem furtum poteſt adæquare grauitatem mille furtorum, ſi vnico furto ſurripiatur totum id, quod ſurripitur mille furtis, ergo idem.

Reſp. hæc faciliter elui ex dictis. Ad 1. diſt.ma. Peccatum dignum pœna ſimpliciter maiori ſecundùm ſpeciem eſt ſimpliciter grauius peccato digno pœna ſimpliciter minori ſecundùm ſpeciem, conc; ſed neg.mi; nam licèt intentioni occidendi centum homines debeatur pœna maior in linea ſpeciei debitæ homicidio, non tamen debetur pœna debita ſacrilegio, vel maior, aliter pœna non reſponderet culpæ. Peccatum dignum pœna ſimpliciter maiori ſecundùm intenſionem indiuidualem eiuſdem ſpeciei, vel lineæ, neg. ma; & in hoc ſenſu conc. mi. Sic ad 2. diſt.ma. Eſt grauius vel ſecundùm ſpeciem, vel ſecundùm indiuiduum, conc; tantùm ſecundùm ſpeciem, neg; nam peccatum minùs graue ſecundùm ſpeciem, minùs diſplicet Deo ſecundùm ſpeciem; & ſi ſit magis graue ſecundùm intenſionem, magis diſplicet ſecundùm intenſionem, & eodem modo dicitur ad mi.

13 Obijc.2. Peccatum veniale odij Dei eſt ſuperiùs ſpecificè peccato mortali furti; & tamen exceditur à furto mortaliter malo; ergo idem.

Reſp. neg.1.p.ant; nam nullum peccatum veniale auertit à Deo, vt mortale.

14 Obijc.3. Sequeretur nec etiam circunſtantias mutantes id efficere ob eandem rationē.

Reſp.neg.ſeq; nam circunſtantiæ mutantes euadunt obiectum, vt diximus.

§. 1.

De Scandalo.

15 Scandalum, de quo *Matt.* 18; communiter ſumptum eſt *occaſio data, vel ſumpta ruinæ ſpiritualis*. Aliud eſt actiuum, quod eſt *dictum, vel factum præbens alteri occaſionem ruinæ ſpiritualis*. Aliud paſſiuum, quod eſt *occaſio ſumpta ab aliquo cadendi in peccatum*. Paſſiuum aliud *Phariſaicum*, aliud *puerile*. Primum eſt *occaſio peccandi ſumpta ex actione bona*; quia *Phariſæi* ex bonis Chriſti operibus ſumebant occaſionem machinandi ei mortem. Secundum eſt *occaſio ſumpta ex aliqua actione indifferenti iudicata, vt mala*. Dicitur *puerile*, quia proprium eſt puerorum ob ignorantiam malè ſuſpicari de omnibus. *Vid.B.P.in pſ.49.& Fund.D.in ep.ad Rom. c.14.lect.48.dub.1.* Remedium contra ſcandalum paſſiuum eſt benè ſentire de omnibus actionibus proximi; vt docet *Beatiſs. P. in pſ.30.* Contra *Phariſaicum* eſt fugere à ſocietate peruersè loquentium. *Vid.Fund.Doct.vbiſ.*

16 Quæres 1; an ſcandalum ſit circunſtantia tribuens peccato nouam ſpeciem malitiæ?

Reſp; quòd ſi inducat nouam ſpeciem peccati, tribuit nouam ſpeciem malitiæ, quia tunc eſt circunſtantia mutans ſpeciem; ſecus vero, ſi non inducat nouam ſpeciem malitiæ.

17 Quæres 2; an inducens fœminam ad peccandum grauiùs peccet, quam homicida?

Reſp; quòd ſi habeat pro fine mortem animæ ipſius fœminæ, grauiùs peccat; nam peccati grauitas menſuranda eſt etiam à fine peccantis. Si autem habeat pro fine delectationem carnalem; quæ eſt minùs mala, quàm mors corporalis, minùs peccat; quamuis enim ſequatur mors animæ, quia tamen non intenditur directè, & expreſsè, ideò non ſuperat homicidij malitiam, quæ directè, & explicitè intenditur. *Vid. Gibb. diſp.8.dub.vlt.n.13.*

18 Quæres 3; an inducens aliquem ad peccandum venialiter intendens damnum ſpirituale illius peccet mortaliter?

Reſp.diſt. Si intendat tantùm damnum veniale, neg; ſi verò intendat damnum mortale ſequens ad peccatum veniale, in quod inducit, conc; nam peccati grauitas menſuranda eſt ab obiecto, fine, & alijs circunſtantijs, vt diximus; ergo quotieſcumque hæc omnia ſunt venialia, eſt ſolùm peccatum veniale; quoties verò vnum ex iſtis eſt mortale, tunc eſt peccatum mortale. *De reuiniſcentia peccatorum, & alijs in tract. de Pænit.* agemus.

DE IVSTITIA, ET IVRE.

CREATVRA vi Diuinæ potentiæ ad eſſe ex non eſſe tranſlata medium æqualiter diſtans à nihilo, & à Deo debet ſeruare, vt ſeruetur; quantumuis enim perfecta à Dei perfectione infinitè elungatur; quantumcunque imperfecta à nihili defectu immenſo interuallo ſeiungitur. Iuſtitiam igitur, quę medij ęquilibrium æqua lance cuſtodit, creatura obſeruet, neceſſe eſt, quòcunque voluntariè ſe mouens operando conceſſerit. At inter has duas veluti parallelas æquè interiecta id ſubit diſcriminis, quòd quò magis accedit ad Deum, eò magis firmatur in medio; vix autem à Deo diuertitur, quòd medium illico amittens in nihilum videatur refluere. Verùm quoniam totum eſſe, quod habet creatura, Dei eſt; & nihil ſuum, niſi ipſum nihil, quod erat ſe ipſa ſine Deo, antequam eſſet; ideo ſuapte natura in nihil propendit; & eſſe, quod à Deo ſuſcepit, inclinatur abijcere; vt quaſi amore quodam ingenito remearet ad ſua, & aliena defereret. Huic tamen miſerabili ingenio bonitate ſubuentum eſt Creatoris, qui vinculis legum fortiſſimis eam ligauit, vt contineret in eſſe, quod dederat. Ne ruat in præceps, lege, veluti frœno, firmauit, & vnde multiplicabantur ruinæ, multiplicauit & leges, quibus detenta conſiſteret. Naturæ leges, naturæ Auctor deſcripſit. Legem poſuit Cœlis, vt ſuos ordinatè peragant motus; elementis, vt ſua religioſè ſeruent confinia; plantis, vt annualis cenſus erogent fructus; animalibus, vt fœtus quotannis reſpondeant; hominibus autem, & Angelis, vt ad bonum malo poſthabito ſe ipſos ſine auerſione conuertant. Sed leges inutiles eſſe, nullumque in Rempublicam bonum inuehere quis neſciat; niſi vt impleantur, ſeruenturque, Legiſlator ſollicitet? Idcirco tranſgredientibus decreuit Deus ſupplicia; obſeruantibus præmia; illis miſeriam nulla fœlicitate delendam propoſuit; vt alij timore pœnæ malum effugerent; alij amore præmij erudirentur ad bonum, ſicque eadem lex, vt cum *Noſtro Beatiſſimo Patre* loquamur (*lib. 1. de Simplician.*) quæ *eſt timentibus lex, eſt amantibus gratia*; quæ tranſgredientibus pœna, fit implentibus gaudium. *Lex*, quæ legitur, & non impletur, non eſt adiutrix legentium, ſed irrefragabilis teſtis peccantium; adeoque decreti index ſupplicij. At lex, quæ per charitatem impleta perficitur, quoniam *plenitudo legis eſt charitas* (*Rom. 13.*) eſt irreuocabile vitæ beatæ chirographum. Moritur legi (inquit *Apoſtolus*) qui legem per Chriſti gratiam obſeruat, gloſat *Beatiſsimus P. ibidem*; quia iam non ex lege, ſed amore operatur; ſicque legis eludit ſupplicia, & amoris conſequitur præmia. Legem noſcentibus, ſed non ſeruantibus lex pura *litera eſt*, quæ *occidit*; quia extremum indicit exitium; at noſcentibus, ſimulque ſeruantibus *ſpiritus eſt*, qui *viuificat*; quia latam in omne facinus teſtatur mortis euaſiſſe ſententiam. De Iuſtitia itaque, & legibus, quæ iuſtitiam tuentur, in præſenti eſt nobis agendum; vt legem diſcamus amanter ſeruare non vindicantem flagitia, ſed remunerantem iuſtitiam.

QVAEST. I.

De Iuſtitia.

DE Iuſtitiæ definitione, & eius partibus integralibus, ſubiectiuis, & potentialibus, nec non de vitijs oppoſitis ſermonem habuimus *q. 4. de Virtutib. art. 2; & to. 2. de Iuſtit. Dei.* Vnde *hic* ſolùm, quæ *illis in locis* omiſimus, ſpectantia tum ad habitum, tum ad actus iuſtitiæ explicanda aſſumemus.

ART. I.

An iuſtitia legalis ſit virtus ſpecialis?

1 IVſtitia diuiditur in legalem, & æqualem, ſeu ſpecialem, quæ habet determinatam materiam; vt diximus *q. 2. de Virt. art. 2. n.* Iuſtitiam autem æqualem eſſe virtutem ſpecialem manifeſtum eſt; nam illa eſt virtus ſpecialis, quæ verſatur circa obiectum formale ſpeciale; ſicut illa eſt ſcientia ſpecialis, quæ verſatur circa obiectum ſpeciale, & determinatum ſpecie diſtinctum ab obiecto alterius ſcientiæ ſpecialis; vt philoſophia, quæ verſatur circa corpus mobile, quod ſpecie diſtinguitur à corpore quanto, circa quod verſatur mathematica; metaphyſica autem dicitur ſcientia communis, quia habet pro obiecto ens, quæ eſt commune omnibus obiectis aliarum ſcientiarum; ſed iuſtitia æqualis habet pro obiecto formali aliquod ſpeciale, & determinatum ſpecie diſtinctum ab obiecto formali aliarum virtutum; quia habet pro obiecto formali res exteriores æquandas; cęteræ autem virtutes habent pro obiecto paſſiones internas æquandas per ordinem ad Deum; ergo iuſtitia æqualis eſt virtus ſpecialis. Dubium ergo eſt ſolùm de iuſtitia legali, quæ verſatur circa actus omnium aliarum virtutum; quia habet pro obiecto impletionem legis, quæ impletur per actus omnium virtutum, quos præcipit.

2 Supp. autem iuſtitiam legalem eſſe propriè, & formaliter iuſtitiam. *Ita Fund. Doct. loc. cit. vbiſ;* quem ſequuntur *ex noſtris Petrus de*

Aragon, *& Salon;* *ex alijs* verò *Ban. hìc art. 7; Tanner. diſp.4 q.2.dub.1.n.20.& Afflict.hìc diſp. 2.ſect.3. concl.2.*Eſt contra *Val.hìc diſp.5.punct. 2; Leſſ.lib.2.de Iuſt.c.1.dub.3.*putantem iuſtitiam legalem identificari cum virtute pietatis. Prob. tamen *ex Beatiſs.P. in ſententijs ſent. 312. Iuſtitia, ſecundùm quàm iuſtus ex fide viuit, quoniam per ſpiritum gratiæ homini ex Deo eſt, vera iuſtitia eſt;* ſed iuſtitia, ſecundùm quam iuſtus viuit ex fide, eſt iuſtitia legalis; fides enim, & lex idem eſt; ergo iuſtitia legalis eſt propriè, & formaliter iuſtitia. 2. Iuſtitia legalis eſt vera ſpecies ſubiectiua iuſtitiæ; vt diximus *vbiſ;* ergo eſt propriè, & formaliter iuſtitia; nam ſpecies formaliter importat genus, & differentiam. 3. Iuſtitia legalis eſt ad alterum, quia eſt ad Legislatorem; habet pro obiecto formali ius, quia habet pro obiecto legem; reddit, quod debet; ait enim Chriſtus Dominus *Matth. 22. Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; quæ ſunt Dei, Deo;* quibus verbis præcepit implendam eſſe legem humanam, & Diuinam; ergo nihil ei deeſt, ob quod non habeat propriam, & formalem rationem iuſtitiæ. 4. Iuſtitia vindicatiua habet propriam, & formalem rationem iuſtitiæ; ergo & legalis; nam vindicatiua in tantùm habet rationem formalem iuſtitiæ, in quantùm adimplet legem impartiendo delinquentibus pœnas; ſed etiam legalis legem adimplet exequendo actus virtutum præceptos à lege; ergo habet rationem formalem veræ iuſtitiæ,

3 Dices 1. Inter totum, & partem non eſt vera iuſtitia, quia pars id, quod eſt, totius eſt; & ſicut inter patrem, & filium non eſt vera iuſtitia, quia filius id, quod eſt, totum eſt patris; ita à pari; ſed iuſtitia legalis reſpicit bonum publicum, quod eſt bonum totius, cuius eſt pars habens iuſtitiam legalem; ergo non eſt vera, & propria iuſtitia. 2. De ratione iuſtitiæ eſt, quòd tribuat alteri, quod ſuum eſt; ſed per iuſtitiam legalem non tribuitur alteri, quod ſuum eſt; nam quando ciues tribuunt ciuitati propria bona, non tribuunt, quod eſt ciuitatis; ergo non eſt vera iuſtitia. 3. Sequeretur peccatum contra iuſtitiam legalem teneri ad reſtitutionem. 4. Virtus, per quam redditur ius debitum patriæ, & parentibus, eſt pietas; ſed huiuſmodi eſt iuſtitia legalis; ergo iuſtitia legalis non differt à pietate.

Reſp. communiter reſponſione, qua dicitur, quòd inter totum, & partem, quæ ita eſt pars, vt ſit ſui iuris, non eſt vera iuſtitia, neg; quæ ita eſt pars, vt non ſit ſui iuris, conc; ideo inter patrem, & filium non eſt vera iuſtitia, quia filius eſt pars patris, & non eſt ſui iuris; ciuis autem ita eſt pars ciuitatis, vt ſit ſui iuris; quia poteſt ſe transferre ad aliam ciuitatem, filius autem nequit ſe transferre ad alium patrem. Habens ergo iuſtitiam legalem eſt pars ciuitatis, & ſui iuris; ideo in illo eſt vera iuſtitia. Reſp. 2. *cum Fundat. Doct.* diſt. mi. Iuſtitia legalis reſpicit bonum publicum immediatè, neg; mediatè, conc; nam immediatè reſpicit impletionem legis, lex autem immediatè reſpicit bonum publicum; vt docet *Beatiſſ.P. lib.1. de lib. arb. c.6;* ſed hoc *infra* explicabitur. Ad 2. dicitur ma. eſſe veram de ſola iuſtitia commutatiua; nam de ratione iuſtitiæ legalis eſt tantùm legem implere; vt dictum eſt. Ad 3. neg. ſeq; reſtitutio enim eſt tantùm de illis bonis exterioribus, quæ ſunt ſub dominio alterius; impletio autem legis non eſt aliquod externum exiſtens ſub dominio alterius, vt patet; quia eſt actus liber, qui eſt ſub poteſtate operantis; ideo transgrediens non tenetur reſtituere. Ad 4. neg. mi; nam filij non ſunt ſui iuris, vt dictum eſt ad 1; ideo reddere ius debitum patriæ, & parentibus non ſpectant ad iuſtitiam, ſed ad pietatem; at verò tranſgrediens legem eſt ſui iuris, & ideo iuſtè operari conformiter ad legem ſpectat ad iuſtitiam. *His ſupp.*

4 Prima ſententia vult iuſtitiam legalem non eſſe virtutem vna ſpecie, ſed in ſubdito eſſe aggregationem omnium virtutum, quibus obtemperat legi; in ſuperiore autem eſſe aggregationem virtutum inclinantem illum, vt leges curet ſeruari. Refertur *Leſſ. lib.2. c.1. n.15;* apud quem *Euſtrat. 5.Eth. c.1. Burid. q. 4; & Girald. q. 5.* Refertur etiam *Veg. lib. 5. in Trid.* Addi poteſt *Eſparza lib.8. de Virt. Iuſt.q.11;* vbi licèt doceat virtutem legalem diſtingui ſpecie à iuſtitia particulari; attamen *ad 3.ar.1;2;& 3.*ait iuſtitiam legalem intendentem bonum familiæ diſtingui ſpecie à iuſtitia legali intendente bonum Ciuitatis, vel Regni, militiæ &c.

5 Noſtra tamen docet iuſtitiam legalem eſſe vnicam ſpecie formaliter, & communem ſolùm materialiter, quatenus habet pro obiecto materiali actus omnium virtutum, quibus impletur lex. *Ita Fund.Doct.in 3.diſt.9.p.1.q.1.art.2;* vbi *§.Primus modus* ait: *Iuſtitia ergo ſpecialis materialiter, & quantùm ad actus, & ad opera eſt omnis virtus, quia agit opera omnium virtutum; nam vt diximus, omnia huiuſmodi opera præcipit lex. Tamen formaliter iuſtitia legalis non eſt omnis virtus; imò eſt quædam ſpecialis virtus, & formaliter eſt diſtincta ab omni alia virtute; quia ſub alia ratione virtutes faciunt opera propria, & iuſtitia legalis facit omnia huiuſmodi opera; quia virtutes faciunt illa opera propter ſe ipſa, & quia delectantur in talibus operibus; ſed iuſtitia legalis facit omnia huiuſmodi opera, non propter ſe ipſa, ſed ſub ſpeciali ratione, vt quia vult implere legem, & quia omnia opera virtutum præcipiuntur in lege.* Idem docet *de Regim. Princip lib.1. p.2. c.10; & & ſæpe alibi. Ita etiam noſtri ſapientiſſimi Salon; & Aragon,* ex exteris verò *Sot. lib.3. q.2. art.5. concl.2, Val.q.2.punct.2; Tanner.diſp.4.q.2.dub.2;* quos citat, & ſequitur *Afflict.hìc n.34; pro cuius explic.*

6 Not. *ex Fund. Doct;* quòd iuſtitia legalis

for-

formaliter, & primariò reſpicit impletionem legis Dei, & ideo à legis impletione ſpecificatur; vnde licèt datio eleemoſinæ ſit actus miſericordiæ, & ſubuentio parentum, imo & patriæ ſit actus pietatis; attamen ſi conſideretur, quatenus impletiuus legis, quæ præcipit pauperes, & parentes, & patriam eſſe ſubleuandos à miſeria, & bonum publicum eſſe præponendum priuato; eſt actus iuſtitiæ legalis. Idem dicendum de omni alio actu cuiuſcunque alterius virtutis; & ſic euitatur doctrina *Recentium*, & ſoluitur obiectio ſuperiùs poſita. Quòd autem iuſtitia legalis non conſiſtat formaliter in antepoſitione boni publici ad bonum priuatum; vt volunt ferè *omnes Recentes*, patet ex eo, quòd quoties exercemus etiam actum virtutis, in quo non anteponimus bonum publicum bono priuato, vt cùm ieiunamus, pœnitentiam agimus adoramus Deũ &c. ex motiuo implendi legem habemus iuſtitiam legalē; aliter iuſtitia legalis non præcipuit actus omnium virtutum, nec eſſet communis omnibus actibus virtutum; ergo non conſiſtit in antelatione publici boni. Cùm ergo dicitur iuſtitiam legalem reſpicere bonum commune, hoc intelligendum eſt materialiter, & ex conſequenti; quatenus ſcilicet reſpicit legem, à qua denominatur *legalis*; & lex principaliter intendit bonum commune; vt acutè docet *Fund. Doct. de Regim. vbi ſ.*

7 Vnica concl. Iuſtitia legalis eſt vna ſpecie formaliter; & ideo formaliter eſt virtus ſpecialis diſtincta ab omni alia virtute; & ſolùm materialiter eſt omnis virtus.

Prob. 1. pars concl. *ex Beatiſſ. P. lib. 19. de Ciu. Dei c. 21.* docente: *Non eſt autem ius, vbi nulla iuſtitia eſt; procul dubio colligitur; vbi iuſtitia non eſt, non eſſe rempublicam. Iuſtitia porrò ea virtus eſt, qua ſua cuique diſtribuit. Quæ igitur iuſtitia eſt hominis, qua ipſum hominem Deo vero tollit, & immundis Dæmonibus ſubdit? Hoccine eſt ſua cuique diſtribuere? An qui fundum aufert eius, à quo emptus eſt; & tradit ei, qui nihil in eo habet iuris, iniuſtus eſt; & qui ſe ipſum aufert dominanti Deo,] à quo factus eſt; & malignis ſeruit ſpiritibus, iuſtus eſt?* Ex quo ſic. Virtus, quæ habet pro obiecto vnam rationem formalem ſpecificatiuam ſpecificè diuerſam à rationibus formalibus ſpecificatiuis aliarum virtutum, eſt vna formaliter ſpecificè ab alijs diuerſa; ſed iuſtitia legalis eſt huiuſmodi; ergo eſt virtus ſpecialis vna formaliter ſpecificè ab alijs diuerſa.

Prob. ma. Ad conſtituendam ſpecialem ſcientiam ſufficit vna ratio formalis obiectiua; vt fusè habitum eſt *to. 1. q. 3. proem. art. 1*; ita ad conſtituendam virtutem ſpecialem ſufficit vna ratio formalis ab alijs ſpecificè diſtincta. Prob. mi. Iuſtitia legalis habet pro fine ius Dei implēdum à creatura; dicitur enim iuſtitia à iure, quod eſſentialiter reſpicit, & à quo ſpecificatur; & ideo *vbi ius non eſt, nec iuſtitia eſſe poteſt*; quia ſublato ſpecificatiuo aufertur ſpecificatum; ſed ius Dei implendum à creatura diſtinguitur ab obiecto miſericordiæ, quod eſt ſubleuatio a miſeria, & ſic de reliquis, de quibus diximus *q. 3. de Virt. art. 2. n. 7*; ergo iuſtitia habet pro obiecto ſpecificatiuo vnam rationem formalem diſtinctam à ratione formali aliarum virtutum.

8 Conf. 1. *ex Fund. Doct.* Iuſtitia legalis non delectatur de operibus virtutum propter ipſa opera; ſed propter adimpletionem legis; vt cùm quis intendit implere legem Dei præcipientem eleemoſinam, non delectatur formaliter de factione eleemoſinæ, ſed de impletione legis Diuinæ illam præcipientis; ergo iuſtitia legalis eſt virtus diſtincta à virtutibus particularibus; virtus enim ſpecificatur ab actu ſuo, qui eſt delectabiliter operari, vt ſæpe diximus *cum Phil*; vnde ex diuerſa delectatione formali optimè arguitur diuerſitas ſpecifica virtutum.

9 Conf. 2. *ex eod.* Si iuſtitia legalis non eſſet diſtincta à virtutibus particularibus, maximè quia exercet opera virtutum particularium; ſed hæc ratio nulla eſt; nam quanuis magnanimitas exerceat opera magna aliarum virtutum, qui facit opera fortitudinis, temperantiæ &c; vt docet *Phil. 4. Eth. c. de Magnanimit*; attamen quia facit talia opera ſub alia ratione formali, ſcilicet vt habeat ex illis honorem, ideo magnanimitas eſt virtus diſtincta ab alijs virtutibus; ergo quanuis iuſtitia legalis faciat opera omnium virtutum; attamen quia illa facit ſub alia ratione, ſcilicet, vt legem adimpleat; ideo eſt virtus diſtincta formaliter à virtutibus particularibus. Idem dicendum eſt de virtute latriæ, quæ poteſt ex voto ſe obligare ad exercendos actus omniũ virtutum; & tamen eſt virtus ſpecialis, quæ eſt ſpecies iuſtitiæ.

10 Prob. 2. Ens per aggregationem nihil aliud dicit formaliter, quàm ipſa aggregata; vt patet de aceruo lapidum, qui nihil aliud importat, niſi vnionem ipſorum lapidum, ſed iuſtitia legalis dicit aliquid formaliter diuerſum à virtutibus particularibus; quia formaliter dicit eſſe ad alterum; nam eiuſdem ad ſeipſum non eſt iuſtitia; iuſtitia enim neceſſariò exigit pluralitatem ſuppoſitorum, cùm ſit æqualitas, quæ neceſſariò eſt inter duo; & ideo iuſtitia legalis eſt per ordinem ad legiſlatorem; aliæ autem virtutes (excepta iuſtitia particulari) ſunt ad ſe, cùm ſint reſpectu ſuarum paſſionum; ergo iuſtitia legalis non eſt aggregatio omnium virtutum.

11 Prob. 2. pars concl. *ex Beatiſſ. P. lib. de Salutarib. Documentis c. 9.* docente: *Iuſtitia verò duobus adimpletur, vt quæ prohibita ſunt ab eo, non faciamus; & quæ iuſſa ſunt ab eo, faciamus iuxta Prophetā pſ. 33. Diuerte à malo, & fac bonum.* Ex quo ſic. Iuſtitia legalis habet pro obiecto impletionem legis, vt dictum eſt; ſed lex impletur per executionē actuum omnium virtutum; nam lex præcipit fugam à malo, & tendentiam in bonum;

omnes

omnes autem virrutes tendunr in bonum, & fugiunt à malo; cùm virtus definiatur; qua *quiſque bene vtitur*; *& qua nemo malè vtitur*; & bene vti ſit tendere in bonum, & non vti malè ſit fugere à malo; ergo iuſtitia legalis materialiter eſt omnis virtus; quia exercet actus omnium virtutum.

12 Prob.2. *à Fund.Doct.* Iuſtitia legalis eſt connexa cum omnibus virtutibus; nam *Iac.*2.habetur: *Qui autem offenderit in vno, factus eſt omnium reus*; vnde qui non implet legem in vno, non habet iuſtitiam legalem, quæ conſiſtit in perfecta impletione legis; ſed illud, quod eſt connexum cum alio, dicitur eſſe materialiter illud; quapropter dicitur: *Muſicus ædificat, ædificator cantat*; quando muſica, & ædificatoria connectuntur in eodem ſubiecto; ergo iuſtitia legalis eſt materialiter omnis virtus.

13 Prob.3. *ab eod.* Iuſtitia legalis generaliter concurrit ad actus ad omnium virturum, quanuis ſub diuerſa ratione formali, vt dictum eſt; ergo actus omnium virtutum ſunt materia, circa quam verſatur iuſtitia legalis; ergo ſicuti ex eo, quòd non tendat in obiectum formale illarum, nequit denominari omnis virtus formaliter; ita ex eo, quòd tendat in actus illarum materialitrr, poteſt denominari quodammodò omnis virtus.

14 Tandem omnes virtutes ordinantur in Deum, tanquam in vltimum finem illarum; ſed iuſtitia legalis ordinat omnrs actus in Deum, tanquam in vltimum finem; quia ordinat omnes actus ad impletionem legis; lex verò eſt per ordinem ad vltimum finrm, quia eſt regula ad illum conſequendum; ergo iuſtitia legalis eſt materialiter quodammodò omnis virtus.

15 Quòd autrm iuſtitia legalis non ſit omnis virtus per prædicationem; vt videtur ſenſiſſe *D.Tho. in* 4. *diſt.*9.*qu.*1.*art.*1, *ad* 1; reijcit *Fund, Doct*, quia quòd eſt commune pluribus per prædicationem, prædicatur de illis ſecundùm definitionrm; vt patrt de animali reſpectu hominis, equi &c; ſed Iuſtitia legalis non prædicatur de omnibus virtutibus ſecundùm definitionem, vt patet; ergo non eſt grneraliter omnis virtus per prædicationem.

16 Obijc. 1. *Phil.6.Eth.c.*1. ait iuſtitiam legalem eſſe vniuerſam virtutem, non illius partem; ſicut iniuſtitia legalis eſt vniuerſa malitia. Addit virtutem in genere eſſe idem realiter cum iuſtitia legali, & differre ſolùm ratione; ergo iuſtitia legalis nō eſt formaliter detinere ab alijs virtutibus, 2. Iuſtitia legalis eſt virtus implens legem; ſed omnis virtus ex ſua ratione formali implet legem; ergo iuſtitia legalis formaliter eſt omnis virtus. 3. Executio legis eſt actus perfectæ obedientiæ; ſed iuſtitia legalis eſt executio legis; ergo eſt virtus obedientiæ.

Reſp.ad 1. iuſtitiam legalem eſſe vniuerſam virtutem materialiter, non formaliter, vt dictum eſt. Addit autem *Phil.* virtutem in genere non differre à iuſtitia legali reſpectu actuum aliarum virtutum, prout imperantur à iuſtitia legali, quia ſic idem actus elicitur à virtute, & imperatur à iuſtitia legali; differre tamen ſecundùm ſe formaliter quia ſpecificantur à diuerſis obiectis formalibus. Ad 2. neg. mi; nam virtutes implent legem ſolùm materialiter; quia non tendunt formaliter in impletionem legis, ſed tendunt tantùm in bonum, vt bonum eſt. Ad 3. diſt. ma. Executio legis ex motiuo obſequendi ſuperiori, tanquam Patri, eſt actus obedientiæ, conc; ex motiuo implendi mandata Legiſlatoris, tanquam Iudicis, neg. Neque implicat, quòd idem actus imperatus à pluribus virtutibus varias denominationes ab illis accipiat.

17 Inſt.1. Quælibet virtus ex ſui natura inclinat ad obſeruantiam legis; ergo fruſtra ponitur iuſtitia legalis, quæ voluntatem taliter inclinet. 2.Imperare actus aliarum virtutum non eſt proprium munus iuſtitiæ legalis; quia hoc poſſunt præſtare aliæ virtutes particulares, vt dictum eſt; ergo fruſtra ponitur hæc virtus generalis diſtincta à particularibus. 3.Vnicuique virtuti conuenit operari cum omnibus circunſtantijs, quia *bonum ex integra cauſa*; vna autem ex circunſtantijs eſt impletio legis; ergo quælibet virtus habet legem implere. 4.Ideo ponitur iuſtitia legalis communis, quia debet poni virtus intendens bonum commune anteponendum eſſe bono priuato: ſed hoc intendit quælibet virtus particularis, quæ eſt propter bonum honeſtum, & ideo principaliter eſt propter bonum commune, quod eſt magis honeſtum, quàm bonum priuatum; ergo non datur iuſtitia legalis.

Reſp.ad 1. diſt. ant, Quælibet virtus inclinat materialiter ad obſeruantiam legis, conc; formaliter, neg; formaliter enim inclinat ad bonum, quod eſt intentum ab ipſa. Ad 2.diſt.ant. Imperare actus aliarum virtutum per ordinem ad impletionem legis non eſt proprium iuſtitiæ legalis, neg; per ordinem ad bona propria aliarũ virtutum, conc; aliæ enim virtutes imperant actus alienos, vt magis prrfectè eliciant actus proprios. Ad 3.diſt.eodem modo ant. Vnicuique virtuti conuenit oprrari cum omnibus circunſtantijs formaliter illas intendendo, neg; ſic enim dareretur tantùm vna virtus, quod ab omnibus negatur; materialiter, conc. Ad 4. neg. ma; nam quidquid dicant *Recentiores*; iuſtitia legalis ponitur per ordinem ad impletionem legis, licèt materialiter intendat bonum commune, vt *ſup.* dictum eſt. Vel diſt. mi, Quælibet virtus intendit bonum commune materialiter, conc; formaliter, neg.

18 Obijc. 2. Si iuſtitia legalis eſſet virtus diſtincta à virtutibus particularibus; ſequereretur, quòd peccans contra aliquam virtutem particularem committeret duplex peccatum, quia peccaret contra duplicem virtutem; peccaret enim con-

contra illam virtutem particularem, & contra iuſtitiam legalem; & ideo duplex peccatum committeret: vt diximus *q.1. de Pecc. art.6*; & ſic teneretur explicare in confeſſione, quod eſt contra praxim Eccleſiæ; ergo non datur iuſtitia legalis.

Reſp. diſt. ſeq. Si peccans peccet ex intentione tranſgrediendi legem, conc; & tunc tenetur explicare in confeſſione; ſecus, neg; ſicut enim exercens actum alicuius virtutis non dicitur formaliter exercere actum iuſtitiæ legalis, niſi intendat formaliter implere legem; ita dicendum eſt ex oppoſito.

ART. II.

Soluuntur aliquot dubia.

1 QVæres 1; an iuſtitia legalis exiſtens in Principe differat ſpecie à iuſtitia legali exiſtente in ſubdito?

Reſp. negatiuè, *Ita noſtri Arag. & Salon. vbiſ. Val; Tanner; & Afflict.* Eſt *contra Leſſ. lib.2. c.1. dub.3*; qui vult iuſtitiam in ſubdito eſſe virtutem obedientiæ. Prob. 1. ex *Beatiſſ. P. lib.2. de Ord. c. 8.* docente: *Hac autem diſciplina ipſa Dei lex eſt, qua apud Deum fixa, & inconcuſſa ſemper manens, in ſapientes animas quaſi transcribitur; vt tantò ſe ſciant viuere meliùs, tantòque ſublimiùs, quantò & perfectiùs eam contemplantur intelligendo; & viuendo cuſtodiunt diligentiùs.* Quibus verbis apertè docet iuſtitiam legalem, quæ eſt in Deo, eſſe eandem, quæ impreſſa eſt à Deo in nobis; in Deo autem per modum doctrinæ, & regulæ dirigentis, in nobis verò per modum diſciplinæ exequentis, & illam cuſtodientis; ex quibus ſic. Iuſtitia legalis in Principe, & in ſubdito ita ſe habet; ſicut Theologia, & quælibet alia ſcientia in Magiſtro, & in Diſcipulo; ſed Theologia in Magiſtro, & in Diſcipulo eſt eadem ſpecie; ergo & iuſtitia legalis in Principe, & in ſubdito. Prob. ma. Iuſtitia legalis in Principe præſcribit præcepta ſeruanda ab ipſo ſubdito, quæ iubet ab illo ſeruari; & in ſubdito exequitur illa eadem præcepta, ſed Theologia in Magiſtro dictat dogmata diſcipulo, & diſcipulus illa contemplatur, & exequitur; ergo ita ſe habet iuſtitia legalis in Principe, & in ſubdito; ſicut Theologia in Magiſtro, & in diſcipulo. Prob. mi. Theologia in Magiſtro, & in diſcipulo habent idem obiectum formale; ergo ſunt idem habitus ſpecie. Tum quia per eundem habitum Theologiæ, quem diſcipulus edoctus eſt à Magiſtro, poteſt edocere alium diſcipulum; ergo Theologia in Magiſtro, & in diſcipulo eſt eadem ſpecie.

3 Conf. 1. *ex Fund. Doct. lib.1. Met. q.6; & 1. ſent. p.1. prol. princ. 1. q.1.* Diſtinctio ſpecifica habituum habetur ex diſtinctione ſpecifica ſpecificatiuorum formalium; nam habitus *ex Phil.* recipit *vnitatem, diſtinctionem, ordinem, dignitatem, & neceſſitatem ab obiecto*; ſed iuſtitia legalis in Principe, & in ſubdito habent idem formale ſpecificatiuum; in vtroque enim reſpicit impletionem legis, vt patet; ergo eſt eadem ſpecie.

3 Conf. 2. Iuſtitia in Principe, & in ſubdito differunt tantùm, quòd ſunt in diuerſo ſubiecto; & quòd in Principe eſt per modum dirigentis ſubditum; in ſubdito autem per modum directi à Principe; ſed hæc non ſufficiunt ad illam diuerſificandam ſpecie, quia à ſubiecto ſumitur tantùm diſtinctio numerica, non ſpecifica; & directio actiua, & paſſiua ſunt tantùm modi ipſius rei, qui non diuerſificant ſpecie ipſam rem; ergo iuſtitia legalis in Principe, & in ſubdito eſt eadem ſpecie.

4 Obiic. 1. *Ex Phil. 2. Phyſ. t.23; & 35.* virtus architectonica differt ſpecie à miniſteriali; quia illa imperat, hæc exequitur; ſed iuſtitia legalis in Principe eſt architectonica, quia in ipſo imperat; & in ſubdito eſt miniſterialis, quia exequitur; ergo differt ſpecie. 2. Prudentia, quæ eſt in ſubditis, differt ſpecie à prudentia gubernatiua, quæ eſt in Principe; vt diximus *q.4. de Virt. art.2*; vbi varias ſpecies prudentiæ aſſignauimus; ergo à pari.

Reſp. ad 1; quòd ex eo, quòd vna virtus imperet alteri virtuti, optimè colligitur diſtinctio ſpecifica illarum; quia eadem virtus ſpecie nequit ſibimetipſi imperari. Diſt. igitur mi. Iuſtitia legalis eſt architectonica reſpectu ſubiecti, ſcilicet reſpectu ſubditi, qui ſubditur Principi, conc; reſpectu virtutis legalis exiſtentis in ſubdito, neg; vnde imperium vel poteſt dirigi ad virtutem inferiorem, & ſic ab illa diſtinguitur ſpecie; vel ad ſubiectum habens talem virtutem, quod, quia ſubditur, poteſt imperari; & ſic non habetur diſtinctio ſpecifica. Hoc poteſt exemplo explicari. Poſſunt duo diſcipuli ab eodem magiſtro ſimul edoceri artem militarem; tunc procul dubio ars militaris eſt eadem ſpecie in vtroque diſcipulo. Attamen quia vnus ex illis eſt Princeps, vel declaratur ſuperior ad alterum, ars militaris, quæ eſt in illo, imperat huic; tunc autem imperat tantùm ſubiecto, non autem virtuti, quæ eſt eadem ſpecie. Ita à pari. Ad 2. neg conſ; nam prudentia gubernatiua Principis habet latius obiectum formale, quæ eſt ordinatio regni, vel ciuitatis; prudentia verò ſubditi habet finem minùs latum, qui eſt domus; vnde illa dicitur *regnatiua*, hæc *oeconomica*; vt *ibid.* dictum eſt. Iuſtitia autem legalis in Principe, & in ſubdito reſpicit æqualiter impletionem legis.

5 Quæres 2; an iuſtitia legalis ſit perfectior iuſtitia particulari?

Reſp. *noſter Arag. hic q. 58. art. 5. concl. 1*; quem ſequitur *Salon. aſſert. 2*; iuſtitiam legalem eſſe perfectiorem particulari in ratione virtutis, non autem in ratione iuſtitiæ; quia in iuſtitia legali non reperitur tam perfectus ordo ad alterum, nec tam perfecta ratio qualitatis.

6 Di-

6 Dicendum tamen *cum Fund. Doct. in 3. diſt.9. p.2.q.1.art.2*; quòd iuſtitia legalis eſt perfectior iuſtitia particulari etiam in ratione iuſtitiæ; quia excellentiori modo verſatur circa actus virtutum; ſicut ſe habet magnanimitas reſpectu actus fortitudinis,& liberalitatis; operans enim ex motiuo legis implendæ perfectiori modo operarut, quàm operans ex motiuo reddendæ ſolùm rei proprio Domino illius; quia operans ex motiuo legis intendir proſequi omnia bona particularia, & vitare omnia mala; ſicque perfectè intendit æquare totam legem; reparans autem ex iuſtitia particulari intendit ſolùm ſequi illud bonum particulare,& vitare ſolùm malum illi oppoſitum;& ideo intendit ſolùm æquare illud bonum particulare; ac per conſequens æqualitas iuſtitiæ particularis, quæ eſt tantùm circa talé bonum particulare, eſt minor æqualitate iuſtitiæ legalis, quæ eſt circa omnia bona particularia. Præterea iuſtitia legalis eſt per ordinem ad Principem, quia eſt per ordinem ad legem; lex autem eſt quidam inanimatus Princeps, Princeps verò eſt quædam animata lex; vt *cum Phil.5.Eth.c.2.* probat *Fund. Doct.de Regim. Princ. lib.1.p.2.c.13*; ſed Princeps eſt magis alter à ſubdito, quàm vnus ſubditus ab alio ſubdito, quia vterque ſubditus in ratione ſubditi conueniunt;Princeps autem diſconuenit à ſubdito; ergo iuſtitia legalis eſt magis ad alterum, quàm iuſtitia particularis; & ideo etiam in ratione iuſtitiæ eſt magis perfecta, quia intendit maiorem ęqualitatem, & magis eſt ad alterum. Tum quia ibi maior eſt æqualitas, vbi maior eſt ratio rerum æquandarum; ſed in iuſtitia legali eſt maior æqualitas rerum æquandarum; quia omnes actus omnium virturum ſunt æquandi; in iuſtitia autem particulari ſoli actus illius ſunt æquandi, & ideo ſoli actus vnius virtutis ſunt æquandi;ergo illa eſt maior æqualitas. Tum quia genus perfectius habet perfectiores differentias; ergo idē,nam iuſtiria legalis eſt perfectior in ratione iuſtitiæ; quia virtus ſe habet,vt genus, ad iuſtitiam legalē,& particulare,& ad omnes alias virtutes, ratio autem iuſtitiæ legalis ſe habet, vt differentia. Tum quia perfectior eſt iuſtitia, vbi eſt perfectius ius, & debitum; ab his enim formaliter ſpecificatur iuſlitia;ſed inter ſubditum, & Principem reperitur perfectius ius, & debitum;quàm inter ſubditum,& ſubditum; ergo inter illos eſt perfectior iuſtitia; & inter illos eſt iuſtitia legalis; ergo iuſtitia legalis in ratione iuſtitiæ eſt perfectior iuſtitia particulari. Tandem *Beatiſſ.P.in pſ.64.*ſup.illud: *Sanctum eſt templum tuum mirabile in æquitate*; vt legunt 70. *mirabile in iuſtitia*; ait: *Sanctum templum tuum admirabile in iuſtitia: & ipſum templum, fratres, nolite præter vos cogitare; amate iuſtitiam, & vos eſtis templum Dei.* Hinc etiam *Phil. 5.Eth.c.1*; quòd iuſtitia eſt præclariſſima omnium virtutum: *Et neque Heſperus, neque Lucifer eſt ita admirabilis, ſicut ipſa*; ſuper quod *Fund.Doct.vbiſ. c.12*; ait; quòd perficit hominem in ordine ad alium; *tunc autem maximè apparet bonitas alicuius, quando ad alios ſe extendit*; quia bonitas in ordine ad ſe,eſt intra ſe; bonitas verò per ordinem ad alios, eſt extra ſe; illud autem, quod eſt extra, eſt magis apparens, quàm id, quod latet intra; & quotieſcunq; alter, ad quem eſt iuſtitia,eſt dignior, tunc iuſtitia eſt perfectior; quia relatiua ſpecificantur à termino; ſed Princeps, ad quem eſt iuſtitia legalis,eſt dignior ſubdito, ad quem eſt iuſtitia particularis; ergo iuſtitia legalis eſt perfectior iuſtitia particulari etiam in ratione eſſendi ad alterum; & ideo etiam in ratione iuſtitiæ, quæ formaliter conſtituitur per rationem eſſendi ad alterum.

7 Dices. Bonum partis non eſt aliud à bono totius; ſed iuſtitia legalis æquat bonum partis cum bono totius, ergo non eſt ad alterum. 2.Iuſtitia legalis eſt ad Deum conditorem legis; ſed bonitas creaturę non eſt alia à bonitate Dei; ergo non eſt ad alterum.

Reſp. ad 1. diſt. mi. Iuſtitia legalis æquat bonum partis cum bono totius materialiter, cōc; formaliter, neg; formaliter enim æquat leges, quæ ſunt aliud à creatura. Ad 2. eodem modo dicitur, quòd licet bonitas creaturæ ſit bonitas Dei; attamen quia lex eſt aliud à Deo,& à creatura illam ſeruante; ideo datur vera iuſtitia inter legem, & creaturam illam ſeruantem. Hæc arg. probant iuſtitiam legalem non habere veram rationem iuſtitiæ; quia iuſtitia exigit. 1. eſſentialiter, vt ſit ad alterum. 2. quòd reddatur debitum; 3; quòd reddatur ad æqualitatem; & ideo probant iuſtitiam legalem non eſſe veram ſpeciem ſubiectiuam iuſtitiæ, ſed tantùm partem potentialem; ſeu virtutem ancillantem; quod neque obijcientes admittunt.

8 Quæres 3; an iuſtitia legalis ſit præſtantior alijs virtutibus?

Reſp. non eſſe præſtantiorem virtutibus Theologicis, ſed tantùm moralibus.

Prima pars *communiter ab omnibus* admittitur, & prob. nam virtutes Theologicæ immediatè ſunt circa Deum, qui eſt obiectum,& finis illarum;virtutes autem morales immediatè ſunt circa creaturas, prout ordinantur in Deum; ſed perfectior eſt illa virtus, quæ magis immediatè tendit in Deum, quàm illa, quæ minùs immediatè; nam ex acceſſu, & appropinquatione ad Deum habetur perfectio, & ex maiori acceſſu,ac propinquitate maior perfectio; magis autem accedit, & vnitur Deo virtus tendens illum, vt obiectum,& vt finem; quàm virtus tendens tantùm in illum, vt finem, non vt obiectum; ergo virtutes Theologicæ ſunt præſtantiores iuſtitia legali. Hoc fusè probat *Beatiſſ. P. ſerm.53. de Temp*; quia virtutes Theologicas ſpecialiter cōmendat *Apoſt. 1. Cor.13. Nunc autem manent fides, ſpes, charitas tria hęc; maior autem horum eſt*

cha-

charitas; nam per fidem regenerantur in Deum, per ſpem firmantur in fide; & per charitatem omnes virtutes ſiue Theologicæ, ſiue morales formantur, & perficiuntur; per virtutes autem morales ſolùm tendimus in Deum per bona creata; ſed maius eſt id, per quod regeneramur, & per quod firmamur in regeneratione, & per quod perficiuntur omnia opera noſtra; quàm id, per quod mouemur formaliter; quia maius eſt eſſe, quàm proprietas ſequens ad eſſe, qua operamur; ergo virtutes Theologicæ ſunt perfectiores omni virtute morali. Tum quia virtutes Theologicæ ſunt ſupernaturales ſecundùm entitatem, & ordinationem; morales verò ſunt ſupernaturales tantùm ſecundùm ordinationem, non ſecundùm entitatem; vt diximus *q.4.de Virt. art.*8; ſed ſupernaturale ſecundùm entitatem eſt præſtantius naturali ſecundùm entitatem; ergo virtutes Theologicæ ſunt præſtantiores virtutibus moralibus.

9 Dices. Perfectio habitus ſumitur ſecundùm id, quod ſe habet de formali, non ſecundùm id, quod ſe habet de materiali; quia ab eodem habetur ſpecificatio, & dignitas; vt *ſup.* dictum eſt; ſed in omni virtute id, quod ſe habet de formali, eſt Deus, quia formaliter conſtituuntur, prout referuntur in Deum *in noſtra* ſententia; ergo vna virtus non eſt perfectior alia; quia Deus, qui eſt finis illas ſpecificans, nequit eſſe magis, & minùs perfectus ſe ipſo; neque vna ratio, quæ eſt in Deo, ad quam ordinatur vna virtus, poteſt eſſe minùs perfecta alia ratione, ad quam ordinatur alia virtus.

Reſp; quòd virtutes Theologicæ ordinantur tantùm in Deum per actum, non per obiectum; quia obiectum illarum eſt ipſe Deus, & ideo nõ eſt quid ordinatum in Deum; nam Deus nequit ordinari in ſeipſum; at morales ordinantur in Deum per actum, & per obiectum; quia obiectum earum, quod eſt bonitas creata, ordinatur in Deum; magis autem eſt perfectus Deus in ſe ipſo, quàm ſit bonitas creata etiam, prout ordinata ad Deum: ergo virtutes Theologicæ ſunt perfectiores virtutibus moralibus; & ex hoc magis probatur noſtra ſententia; & ideo neg. mi; nam id, quod ſe haber de formali in obiecto virtutum moralium, eſt ordinatio in Deum, non autem ipſe Deus.

10 Prob. 2. pars, quæ eſt *cont.Burid. 5.Eth. q. 6.* Iuſtitia legalis haber pro obiecto aliquod commune omnibus alijs virtutibus moralibus; ergo eſt illis præſtantior; nam præſtantia virtutis habetur ex præſtantia obiecti; obiectum autem, quod inuoluit plures præſtantias, eſt præſtantius obiecto, quod non habet niſi vnicam præſtantiam; & ideo obiectum iuſtitiæ legalis, quod inuoluit præſtantias omnium virtutum moralium, eſt præſtantius obiecto cuiuſuis virtutis particularis. Prob. ant. Quod extenditur ad obiecta omnium virtutum, eſt commune omnibus virtutibus; ſed obiectum iuſtitiæ legalis extenditur ad obiecta omnium virtutum; quia eius obiectum eſt lex, quæ impletur per actus omnium virtutum; ergo obiectum iuſtitiæ legalis eſt aliquod commune omnibus alijs virtutibus.

11 Obijc. 1. Miſericordia eſt maxima virtutum; vt docet *D. Tho. 1. 2. q. 30. art.* 4; & religio pariter eſt dignior ceteris virtutibus moralibus; vt docet *q. 81. art.6*; ergo iuſtitia legalis non eſt perfectior omni alia virtute.

12 Reſp. *noſter Arag, Ban; Soto, Caiet; Monteſin; Afflict; & alij Recentiores* propter allatas auctoritates iuſtitiam legalem eſſe perfectiorem omnibus virtutibus excepta miſericordia, & religione. Ratio 1. eſt. Quia actus miſericordiæ eſt perfectior, cùm ſubleuare alium à miſeria dicat ſuperioritatem. 2. Quia obiectum miſericordiæ eſt vniuerſalius obiecto iuſtitię legalis; nam obiectum miſericordiæ eſt ſubleuatio à miſeria ſiue publica, ſiue priuata; ſiue ſpirituali, ſiue temporali; obiectum autem iuſtitiæ eſt tantùm bonum publicum. Ratio 2. eſt 1; nam vt aſſerit *D.Tho*; colligitur ex ordine præceptorum *Exod.* 20; vbi primò ponuntur ea, quæ ſpectant ad religionem, & deinde ea, quæ ſpectant ad iuſtitiam. 2. Obiectum religionis eſt magis nobile, quia eſt cultus Dei. 3. Actus religionis immediatè ordinatur in Deum; actus verò iuſtitiæ legalis ordinatur in bonum publicum creaturæ.

13 Sed ad arg. poteſt reſponderi *D.Thom.* aſſerere miſericordiam, & religionem eſſe præſtantiores alijs virtutibus particularibus; nam probans dignitatem religionis ex ordine præceptorum, quem habent ad inuicem, probat de virtutibus, vt reſpiciunt præcepta, quatenus ad inuicem diſtincta, & ordinata; virtus autem, quę reſpiciunt præcepta, vt ad inuicem diſtincta, ſunt virtutes particulares, vt patet.

14 Præterea iuſtitia legalis habet implere actus miſericordiæ, & religionis; aliter non eſſet materialiter omnis virtus; vt *cum Phil. ſup.* viſum eſt; ergo eius obiectum eſt vniuerſalius. Quamuis autem miſericordia dicat ſuperioritatem reſpectu pauperis, quem ſubleuat; attamen nullus diceret, quòd importet ſuperioritatem reſpectu iuſtitiæ legalis. Ad 1. de religione dicitur, quòd *ex illo loco* non colligitur, niſi quòd religio ſit dignior alijs virtutibus particularibus, vt dictum eſt. Ad 2. neg. aſſumpt; nam iuſtitia legalis, quia eſt omnis virtus, etiam reſpicit cultum Dei. Ad 3. dicitur, quòd ſi religio immediatè reſpiceret Deum, eſſet virtus Theologica; quod eſt falſum; reſpicit ergo cultum, qui eſt aliquod extra Deum.

15 Obijc. 2. Illa eſt maior virtus, in cuius obiectum natura, & gratia magis inclinat; ſed natura, & gratia magis inclinant in bonum proprium, quod eſt obiectum aliarum virtutum,

quàm in bonum alienum, quòd eſt obiectum iuſtitiæ; *amicabilia enim ad alterum oriuntur ex amicabilibus ad ſe teſte* Phil;& charitas magis inclinatur in bonum proprium, quàm in alienum; ergo iuſtitia legalis eſt imperfectior alijs virtutibus. 2. Obiectum fortitudinis eſt magis difficile, quàm obiectum iuſtitiæ; quia fortitudo eſt circa mortis pericula, quæ ſunt magis difficilia, quàm alia quælibet. 3. Actus fortitudinis eſt martyrium, quod eſt perfectius quolibet actu alterius virtutis. 4. Temperantia plura commoda nobis præſtat, quàm iuſtitia, quia illa nobis præſtat ſalutem corporis, tranquillitatem ſenſuum, pacem mentis &c. 5. Gratis tribuere eſt actus magis perfectus, quàm tribuere ex debito; ſed gratis tribuere eſt actus temperantiæ; ergo actus temperantiæ eſt perfectior iuſtitia.

Reſp. hæc atg.! procedere de iuſtitia particulari, non de legali; nam cùm iuſtitia legalis vniuerſaliter reſpiciat actus omnium virtutum, vt dictum eſt; ideo ſibi vendicat perfectiones particulares illarum; & quidquid dicitur de his virtutibus, dici debet etiam de iuſtitia legali.

16 Ad 1. diſt. 2. pars mi. Quàm in bonum alienum, prout bonum priuatum, conc; ſic enim ſolùm alienum eſt; quàm in bonum alienum, prout publicum, neg; ſic enim non eſt alienum, ſed proprium; quia bonum totius eſt bonum omnium, qui ſunt in toto. Ad 2. dicitur, quòd iuſtitia legalis habet obiectum omnium difficillimum, quia habet tendere in obiecta omnium virtutum. Sic ad 3; habet enim implere legem præcipientem, & conſulentem actus omnium virtutum. Ad 4; & 5. dicitur procedere de iuſtitia æquali, non legali; quæ cùm reſpiciat actus omnium virtutum, ideo reſpicit etiam actus temperantiæ.

17 An autem iuſtitia particularis ſit perfectior alijs virtutibus?

Reſp. affirmatiuè *cum Fund. Doct. vbiſ. q.3. de Virt. art.*8.§.1; nam illa eſt perfectior virtus, quæ reſpicit maius bonum ordinatum in Deum, quia per maius bonum ordinatum in Deum perfectiùs vnimur Deo, ſed iuſtitia particularis reſpicit maius bonum, quàm aliæ virtutes particulares; quia reſpicit bonum publicum; ordinatur enim ad conſeruandam pacem in Republica, quæ eſt bonum publicum; in bono autem publico magis relucet bonitas Diuina; quia bonum publicum eſt bonum totius, & poſt bonum Dei bonum totius eſt maius bonum; ergo iuſtitia particularis eſt perfectior alijs virtutibus particularibus.

18 Inſt. Actus religionis eſt circa cultum Dei, qui eſt dignior, & excellentior, quàm pecunia reddita creditori; ergo religio eſt perfectior iuſtitia particulari.

Reſp. *omnes Recentes ſup. cit.* religionem eſſe perfectiorem iuſtitia particulari propter allatam rationem. Sed cùm dictum ſit religionem eſſe partem potentialem iuſtitiæ; pars autem eſt minùs perfecta, quàm totum; & pars potentialis nihil aliud ſit, quàm virtus ancillans, vt diximus *q.4. de Virt. art.2*; ancilla autem eſt minùs digna, quàm Domina; ideo iuſtitia videtur eſſe perfectior religione. Tandem licèt cultus Dei ſit maius bonum, quàm bonum hoc, vel illud, quod reſpicit iuſtitia particularis; attamen non eſt maius bonum, quàm bonum publicum, in quo maximè relucet bonum Diuinum, quàm in quolibet bono particulari.

19 Reſp; quòd licèt religio ſit perfectior iuſtitia particulari, prout hæc reſpicit bonum proprium reddendum creaturæ; attamen non eſt perfectior, prout iuſtitia reſpicit Deum, cui reddit, quod ſuum eſt iuxta illud *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo. Ita B.P. loc. cit. in ſup. art. n.7.* Ideo ſecundùm diuerſas rationes poteſt dici perfectior, & imperfectior.

§. 2.

De Iniuſtitia.

20 COlligitur ex dictis iniuſtitiam legalem oppoſitam iuſtitiæ legali; & iniuſtitiam particularem oppoſitum iuſtitię æquali eſſe duo vitia ſpecialia. Ratio eſt. *Oppoſitorum eſt eadem ratio*; ſed iniuſtitia legalis opponitur iuſtitiæ legali; & iniuſtitia particularis iuſtitiæ æquali; ergo eorum eſt eadem ratio; atqui iuſtitia legalis, & æqualis ſunt duæ virtutes ſpeciales; ergo iniuſtitia legalis, & æqualis ſunt duo vitia ſpecialia.

21 Dices. Si iniuſtitia legalis eſſet vitium ſpeciale, ſequeretur, quòd quoties quis committit quodlibet peccatum, committeret duo peccata; vt cùm committit adulterium, committeret etiam peccatum iniuſtitiæ; ſed conſ. eſt falſum; ergo, & ant.

Reſp. hoc fuiſſe ſolutum *art.*1. Neg. igitur ſeq; nam ſicut diximus *q.2. de Pecc. orig. art.3.§.1. num.42. ex Beatiſs. P. in Enchir. c.*45; quanuis vno peccato includantur plura peccata; vt peccatum ſuperbiæ, quod includitur in omni peccato; quia omni peccato creatura præfert Deo ſe ipſam; attamen eſt vnum tantùm peccatum; quoniam creatura illud non committit ex hoc motiuo, ſed potiùs cum reſiſtentia ad illud; nam v. g. cùm quis adulterium committit ex puro motiuo libidinis; ſi interrogaretur, an velit poſtponere Deum ſibi ipſi; procul dubio reſponderet ſe nolle, imò ſe habere repugnantiam ad hoc ita, vt ſi eſſet poſſibile ſeparare delectabilitatem venereã ab actuali poſtpoſitione Dei ad ſe ipſum, illam tantummodò vellet. Cùm autem peccatum non ſit, niſi voluntarium; ideo adulterium eſt vnum tantùm peccatum formaliter, quia illud vult ſolùm adulter; præpoſitio autem ſui ad Deum eſt peccatum tantùm materialiter; quia formaliter eſt nolita; cùm ſit volita ſolùm, quatenus coniungitur cum delectatione venerea, & ideo

ſolùm

ſolùm materialiter. Ita à pari cùm quis adulterando tranſgreditur legem, tranſgreſſio legis non eſt aliud peccatum formaliter, ſed connectitur cum adulterio ſolùm materialiter; quia non eſt formaliter volita, ſed potiùs virtualiter nolita. Hanc doctrinam ſæpe innuit *Fund. Doct. in 21* qua euertitur *Molinæ* ſententia putantis omne peccatum, quatenus eſt tranſgreſſio legis, eſſe contra iuſtitiam legalem; quia ad rationem peccati non eſt, vt ſit intentum, & volitum formaliter, ſed ſufficit, vt ſit imputatiuè, ſeu imperatiuè volitum. Hanc tamen tranſgreſſionem vult eſſe ſolùm peccatum veniale. Euertitur, inquam; nam nedum non eſt intenta legis tranſgreſſio formaliter, aut imputatiuè, ſed potiùs eſt nolita & tantùm materialiter eſt volita, quatenus coniungitur cum delectabilitate; vt dictũ eſt. Quòd autem legis tranſgreſſio ſit peccatum tantùm veniale, eſt penitus inauditum, & apertiſſimè falſum.

22 Quæres 1; an iniuſtitia ſit ex genere ſuo peccatum mortale?

Reſp. negatiuè; nam peccatum iniuſtitiæ poteſt eſſe veniale ex paruitate materiæ, ex imperfecta deliberatione; & ex ignorantia; vt diximus *de Pecc. q. 3. art. 1. n. 25*; vnde ſolùm in re graui eſt peccatum mortale.

23 Sed petes; an ſi quis rem parui pretij multi æſtimatam à Domino furetur, peccet mortaliter contra iuſtitiam?

Reſp. *Sot. lib. 6. q. 3. art. 3.* affirmatiuè; ſed *noſtri Arag. & Salon. cum Caiet.* aſſerunt, quòd ſi fur ſciat Dominum prouocandum eſſe ad blaſphœmiam, vel ad aliud peccatum mortale, peccare mortaliter contra charitatem, non contra iuſtitiam. Ratio eſt; quia augere pretium illius rei non eſt in poteſtate priuata ipſius Domini; ſed in poteſtate publica, cuius ſolùm eſt pretia rebus imponere; vnde ſi quis ſurriperet rem, quam Dominus æſtimaret centum, poteſtas autem publica æſtimaret decem, Iudex cogeret reum ad reddendum tantùm decem, non centum; aliter eſſet in poteſtate cuiuslibet augere pretium rerum ſuarum; & lucrum ſibi ex furtis parare.

24 Quæres 2; an aliquis dicatur iniuſtus ex eo, quòd facit opus iniuſtum?

Reſpondent *noſtri Arag. & hìc q. 59. art. 2; & Salon. cum D. Tho, Caiet, Ban; Afflict; & alijs recentibus communiter*; quòd iuxta doctrinam *Phil. 5. Eth. c. 6; & 8.* ille ſolùm dicitur iniuſtus formaliter, qui peccat ex electione, ſeu ex malitia; non autem qui peccat ex ignorantia, aut ex infirmitate, ſeu ex paſſione. Ratio eſt. Iniuſtus denominatur ab habitu, non ab actu iniuſtitiæ; quia habitus ſolus eſt forma permanens in anima, actus autem tranſit; ſed operans ex habitu operatur ex electione, ſeu ex malitia; quia operans ex habitu delectatur, & ſibi complacet de tali operatione; delectans autem, & complacens operatur ex electione; ergo iniuſtus dicitur ſolùm ex eo, quòd facit opus iniuſtum ex electione. Iuxta Theologos tamen ille dicitur iniuſtus, qui iniuſtè operatur, ſeu qui peccat mortaliter; ſiue operetur ex ignorantia non excuſante, ſeu ex paſſione. Ideo quidquid ſit *de Philoſophis*, quorum auctoritates ſumendæ non ſunt, niſi cùm *Diuinis Scripturis* concordant, ſecus reijciendæ.

25 Dicendum quenlibet operantem mortaliter rectè dici iniuſtum. Habetur expreſsè *in Scripturis*; nam *pſ. 105.* dicitur: *Peccauimus cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus*; & alijs in locis, vbi peccatum appellatur *iniuſtitia, & iniquitas*. Ratio eſt. Per peccatum mortale tollitur iuſtitia, qua iuſtificamur; ergo per peccatum mortale dicimur iniuſti; nam iuſtitia non tollitur, niſi per iniuſtitiam; *quodlibet enim tollitur per ſuum oppoſitum*; ergo ſicut per iuſtitiam denominamur iuſti; ita per peccatum mortale, per quod tollitur iuſtitia, denominamur iniuſti. Hoc traditur expreſsè *à Beatiſs. P. loc. cit. art. 1. n. 7*; cuius ratio eſt. Ille dicitur iniuſtus, qui aufert alicui aliquod, quod ei debetur; ſed peccans mortaliter eſt huiuſmodi; aufert enim ſe ipſum, qui eſt ſub iure, & dominio Dei; & ſe tradit Diabolo; ergò peccans mortaliter eſt iniuſtus.

26 Non tamen in quocunque peccato mortali deformitas iniuſtitiæ diſtinguitur à deformitate illius peccati, & conſtituit duplex peccatum; ſed eſt vnum tantùm peccatum habens vtranque deformitatem, vt *ſup.* dictum eſt.

27 Quæres 3; an aliquis volens pati poſſit iniuſtitiam, ſeu iniuriam?

Reſp; quòd nullus in illis bonis, quorum habet dominium, volens, & conſentiens poteſt pati iniuriam; in illis verò, quorum ſolummodò eſt tutor, & cuſtos, etiam volens, & conſentiens poteſt pati iniuſtitiam. Primam partem tradunt *communiter omnes*. Habetur *in 6. in Reg. Iuris reg. 27. Volenti, & conſentienti nulla fit iniuria, nec dolus* & *l. Nemo ff. de Reg Iuris; & etiam Phil. 5. Eth. c. 9*; vbi ait *neminem pati iniuſtitiã, vel iniuriam, quando id ſua ſponte patitur*. Ratio eſt; quia liberè conſentiens cenſetur facere id, cui conſentit, ſed voluntariè alienans res ſuas non dicitur pati iniuriam; ergo nec conſentiens tali alienationi factæ ab alio.

28 Secunda pars eſt *cont. Afflict. hìc diſp. 3. ſect. 3. n. 17*; vbi aſſerit, quòd qui occidit aliquem volentem non facit illi iniuriam; attamen facit iniuriam reipublicæ, cuius eſt pars; & Deo, cuius eſt ſeruus, & vxori, vel familiæ, quam priuat alimentis. Traditur tamen *à noſtris Arag. & Salon. hìc q. 59. art. 3.* Ratio ſumitur *ex Beatiſs. P. in pſ. 145*; vbi ait: *Ius, & iniuria contraria ſunt*. Et mox. *Si ius feciſti, iniuriam pateris*. Ex quibus ſic. Circa illa quis poteſt non pati iniuriam, circa quæ habet ius; quia vtens iure ſuo non

patitur iniuriam; volens autem, & conſentiens vtitur iure ſuo; ſed circa vitam, & membra corporis, aliaque naturæ bona non habet ius; aliter poſſet iuſtè ſe occidere; ergo circa hæc bona nequit volens pati iniuriam. 2. Si volenti mortem non fieret iniuria, ſequeretur, quòd nolenti mortem fieret iniuria; *contrariorum* enim *eſt eadem ratio*; ſed conſ. eſt falſum; aliter reus mortis nolens mortem iniuſtè occideretur; fieret enim ei iniuria; ergo falſum eſt & ant. 3. Communiter *SS. PP*; *& Eccleſia* docent *SS. Martyres* iniuſtè occiſos fuiſſe, quia contra ius occiſi ſunt; ſed *SS. Martyres* libentiſſimè mortem ſubiere pro Chriſto, & eius fide; ergo etiam volenti fit iniuria in bonis, quorum non habet ius, ſed tantùm *eſt* cuſtos, vel tutor, qui non habet ius alienandi.

29 Sed petes, quid dicendum ſit de pupillis, & minoribus?

Reſp. hos habere ius ſuorum bonorum; ſed illis interdici à lege adminiſtrationẽ eorum. *Ita eſt t. in* §. *Nunc admonendi. Inſt. Quib. alien. licet, vel non.* Hinc pupillis, & minoribus grauem ſummam perdentibus in ludis fieri debet reſtitutio.

ART. III.

An iudicium ſit actus iuſtitiæ?

1 NOn ſumitur *hîc* iudicium generaliter pro omni actu practico intellectus, quo firmiter, & ſtabiliter adhæret alicui alicui veritati iam conſultatæ; nam in hoc ſenſu iudicium eſt quid commune omni habitui intellectuali; omnis enim habitus intellectus iudicat in ſua materia determinata. Igitur ſumitur iudicium in præſenti, prout eſt *actus Iudicis dicentis ius inter partes, & decernentis, quod iuſtum eſt.*

2 Prima ſententia vult iudicium eſſe actum intellectus, & prudentiæ, ſeu ſyneſis, quæ dicitur Iuriſprudentia elicitiuè, ſeu tanquam proferentis iudicium; iuſtitiæ verò tanquam diſponentis, & inclinantis ad illud; iuſtitia enim exiſtens in voluntate efficit, vt intellectus Legum peritia præditus iuſtam proferat ſententiam. *Ita Afflict. hîc diſp 4. ſect. 1. n. 9*; apud quem *Sot; Ban; & Leſſ. lib. 2. c. 29. dub. 1.*

3 Noſtra tamen docet, quòd licèt iudicium ſpeculatiuum ſit actus tantùm imperatus à iuſtitia; attamen iudicium practicum, de quo ſermo eſt in præſenti, eſt actus elicitus à iuſtitia. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 25. dub. 1. lit.* §. *Vel poſſumus dicere.* Idem videtur tenere *noſter Arag. hîc q. 50. art. 1.*

4 Vnica concl. Iudicium practicè ſumptum eſt actus elicitus iuſtitiæ.

Prob. 1. *ex Beatiſſ. P. in Io. tract. 22*; *& lib. 2. de conſenſ. Euangeliſt. c. 30. & in Enchir. c. 55*; vbi concordans illud *Io. 5. Qui verbum meum audit &c; in iudicium non venit*; & illud *2. Cor. 5. Oportet nos exhiberi omnes ante tribunal Chriſti*; ait, quòd iudicium *in Scripturis* aliquando ſumitur pro diſcretione vnius ab alio; vt eſt illud *pſ. 42. Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta*; & aliquando pro damnatione; vt *Io 5*; vbi dicitur, quòd qui malè egerunt, ibunt *in reſurrectionem iudicii.* Ex quo ſic arguit *Fund. Doct. vbi ſ.* Iudicium practicè ſumptum in hoc diſtinguitur à iudicio merè ſpeculatiuo, quòd illud importat purum actum diſcretionis, qui eſt actus elicitus ab intellectu; diſcernere enim eſt *cernere unum de alio*; cernere autem eſt actus potentiæ cernentis, ſeu videntis, quæ eſt intellectus; iudicium verò practicum importat etiam actum voluntatis, per quem tantùm illud iudicium fit practicum, qui eſt damnatio vnius ad reddendum id, quod debet; ſed actus voluntatis tendens ad reddendum id, quod aliquis debet, eſt actus elicitus à iuſtitia; iuſtitia enim eſt habitus inclinans voluntatem ad reddendum id, quod vnicuique debetur; ergo iudicium practicè ſumptum eſt actus elicitus à iuſtitia.

5 Prob. 2. *ex eod Beatiſſ. P. in pſ. 118. conc. 26.* vbi ſup. illa verba: *Feci iudicium, & iuſtitiam* ait: *Iuſtitia ergo virtus eſt animi magna, præcipuèque laudabilis &c. Iudicium verò, quoniam non niſi in bono ponitur, diſtinctior loquendi ratio huius virtutis eſt operatio. Qui enim habet iuſtitiam, rectè iudicat; imò ſecundùm iſtam locutionem, qui habet iuſtitiam iudicat, quia nec iudicat, ſi non rectè iudicat.* Igitur arguitur ſic. Actus, qui eſt iuſtus, & rectus formaliter, eſt formaliter elicitus à iuſtitia; quæ eſt habitus denominans iuſtum, & rectum formaliter; ſicut pietas denominat actum formaliter pium; ſed iudicium eſt actus iuſtus, & rectus formaliter; non enim dicitur tantùm extrinſecè denominatiuè iuſtum, & rectum; aliter iudicium formaliter ſecundùm ſe ipſum præcisè non eſſet iuſtum, & rectum; & ſic non eſſet iudicium, quod non eſt, niſi iuſtum, & rectum; ergo iudicium practicè ſumptum eſt actus formaliter elicitus à iuſtitia.

6 Prob. 3 Iudicium eſt *actus Iudicis dicentis ius inter partes, & decernentis, quod iuſtum eſt*; vt dicitur in eius definitione tradita *à Nauar. in Rub. de Iud. nu.* 14; & recepta *ab Afflict; & aliis communiter*; ergo iudicium importat *dicere*, quod eſt actus elicitus intellectus; & *decernere*, quod eſt actus elicitus voluntatis; decretum enim eſt actus potentiæ formaliter dominantis, & liberæ; ergo licèt iudicium, prout eſt *dicere*, ſit actus elicitus ſyneſis, ſeu iuriſprudentiæ exiſtentis in intellectu; attamen prout eſt *decernere*, eſt actus formaliter elicitus à iuſtitia, quæ exiſtit in voluntate. Atqui iudicium practicum, prout practicum eſt, importat *decernere*; quod eſt actus voluntatis; quia per ſolum actum voluntatis fit practicum; ergo iudicium practicum, prout practicum formaliter, eſt actus elicitus à iuſtitia. Tum quia vt ait *Fund. Doct*; iudicium importat actum dominij formaliter; nam *1. Cor. 4. Qui au-*

tem

tem iudicat me, Dominus eſt; actus autem dominij eſt actus voluntatis; ergo idem.

8 Ratio autem *Arag*; qua probat iudicium eſſe actum iuſtitiæ; quia iudicium eſt dictio iuris, ſicut iudicare eſt dicere ius, & Iudex eſt dicens ius, ſeu iuſtum; non probat, niſi addatur *practicè*; quia dicere ius ſpeculatiuè eſt actus ſpecificatus à iure, ſeu iuſto, quatenus verum eſt; & ſic pertinet ad intellectum; non quatenus bonum, & ideo ſic non pertinet ad voluntatem. At dicere ius practicè, cùm importet actum voluntatis, per quem dicere ſit practicum; ideo quatenus practicum, ſpecificatur à iure, ſeu iuſto, prout eſt obiectum voluntatis; & ſic eſt actus elicitus à voluntate mediante habitu iuſtitiæ, quæ formaliter ſpecificatur à iure, ſeu iuſto.

9 Obijc. 1. *Phil. 1. Eth.* ait: *Vnuſquiſque bene iudicat, quę cognoſcit*; ſed cognitio eſt actus elicitus ab intellectu, ergo & iudicium; & ideo non eſt actus iuſtitię. 2. Iudicium eſt dicere ius; ſed dicere eſt actus intellectus; ergo iudicium eſt actus intellectus. 3. Ad quancunque virtutem ſpectat iudicare de ſuo obiecto; ergo iudicium non eſt actus proprius iuſtitiæ.

Reſp. ad 1. *Phil.* nihil aliud velle, quàm quòd ad bene iudicandum prærequiritur cognitio, quòd conc; non autem quòd iudicium, de quo *hìc* loquimur, conſiſtat formaliter in cognitione. Vnde ſicut hoc arg. non valet: *Ad uolitionem requiritur cognitio; ſed cognitio eſt actus intellectus; ergo & uolitio*; ita non valet in caſu. Ad 2. diſt. ma. Iudicium eſt dicere ius practicè, conc; & in hoc ſenſu diſt. mi. Dicere practicè eſt actus intellectus tantùm, neg; eſt actus intellectus inuoluens actum voluntatis, conc. Iudicium eſt dicere ius ſpeculatiuè, neg; & in hoc ſenſu conc. mi; & neg. conſ. Ad 3. diſt. ant. Ad quancunque virtutem ſpectat iudicare, prout *hìc* de iudicio loquimur, neg; nam iudicium *hìc* ſumitur pro actu tendente formaliter in ius, ſeu iuſtum. Spectat iudicare de veritate ſui obiecti, conc.

§. 1.

Soluuntur aliquot quæſita.

10 QVæres 1; an liceat Chriſtianis exercere iudicia?

Reſp. licere ex poteſtate legis, non ex poteſtate priuata. *Ita Beatiſſ. P. lib. 1. de lib. arb. c. 5., & in pſ. 57*; vbi ait: *Iudex enim non poſſet, niſi ſuis legibus iudicare.* Conſentiunt *communiter Catholici contra Vualdenſes, & Anabaptiſtas*; qui vt referunt *Guido, de Caſtro, & Bellarmin*; contrarium ſenſere.

11 Prob. 1. *Exod. 18. Conſtitue Iudices, qui populum iudicent omni tempore*; & *Deut. 17. Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotibus imperio; qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur homo ille*; & *1. Paral. 17. Dedi Iudices populo meo. Et Rom. 14. Dei enim miniſter eſt Iudex in iram ei, qui malum fecit*; & *Matth. 12. Ideo Iudices veſtri erunt*; quod intelligi debet nedum de iudicio finali, ſed de iudicio temporali; nam *Petrus* iudicauit damnando *Ananiam*, & eius Vxorem; *Paulus Corinthium &c.* Tandem *Hebr. 13. Obedite Prępoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Ex quibus ſic. Id eſt licitum Chriſtianis exercere, quod à Deo præcipitur, & nullo modo eis vetatur; quod enim eſt iuxta præceptum, licitum eſt; & quod eſt contra præceptum, illicitum eſt; ſed munus Iudicis præceptum eſt à Deo, vt colligitur *ex allatis Scripturis*; & nullo modo eſt prohibitum; vt *inf.* conſtabit ex ſolutione obiectionum; ergo munus Iudicis exercere licet Chriſtianis. 2. Ad rectum Eccleſię regimen neceſſarij ſunt Iudices, qui delinquentes puniant, benemeritos præmijs donent, ius inter litigantes dicant, leges obſeruari curent; aliter eſſet magna confuſio, innumera delicta, & diſcordiæ; quia *vbi nõ timetur reprehenſor, iniquitas libentiùs perpetratur*; ergo neceſſe eſt eſſe Iudices in Eccleſia; ſed qui ſunt in Eccleſia ſunt Chriſtiani; ergo licet Chriſtianis eſſe Iudices. 3. Si non liceret, maximè quia iudicium eſt malum moraliter; ea enim ſola, quæ ſunt moraliter mala, non licent; ſed conſ. eſt falſum; nam iudicium eſt moraliter bonum, cùm ſit actus virtutis iuſtitiæ; actus autem virtutis nequit eſſe malus; quia *virtute malè uti non poſſumus*; ergo licitum eſt exercere munus Iudicis.

12 Dices. *Matth. 7.* habetur: *Nolite iudicare, & non iudicabimini*; & *Matth. 5. ſi quis voluerit tecum iudicio contendere, & tunicam ſibi tollere, da ei, & pallium*; & *1. Cor 6. Omnino delictum eſt in vobis, quòd iudicia habetis inter vos; cur non magis fraudem patimini; quare non magis iniuriam accipitis?*

Reſp. ad 1. *Beatiſs. P. lib. 2. de Serm. Domini in Monte c. 28.* prohiberi illis verbis iudicium temerarium, quod fit auctoritate priuata, non iudicium iuſtum, quod fit auctoritate legis, quæ eſt poteſtas publica à Deo data. Ad 2. reſp. *Beatiſſ. P. ep. 5. ad Marcellin. Non prohiberi ibi rem ſuam in iudicio repetere; ſed Dominum nos hortari ad patienter ferendam quanuis iniuriam, ne pacem, & charitatem lędamus.* Quapropter communiter dicitur hoc non eſſe præceptum, ſed conſilium. Ad 3. dicitur prohiberi iudicium apud infideles, cùm ſunt fideles, qui poſſunt iudicare; ait enim *Apoſt. 1. Cor. 6. Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit iudicare inter fratrem ſuum? Ita Beatiſſ. P. in Enchir. c. 78*; ex quo patet potiùs probari manifeſtè licere Chriſtianis Iudicis munus exercere.

13 Quæres 2; quot conditiones requirantur ad hoc, vt iudicium ſit iuſtum?

Reſp. tres conditiones requiri. Prima eſt; vt procedat ex intentione iuſtitiæ. Secunda; vt ſit ex iuriſdictione, ſeu poteſtate legis. Tertia;

vt ſit ſecundùm cõſultationem, & dictamen prudentiæ, ſiue ſecundùm ordinem iuris taxatum à *iuriſprudentibus*. Colliguntur *ex Beatiſſ. P. lib. 1. de lib. arb c. 5. & alibi. Vid. noſtrum Arag. q. 50. art. 2.* Defectu primæ conditionis iudicium eſt iniuſtum; defectu ſecundæ eſt vſurpatum; & defectu tertiæ eſt temerarium, aut dubium. Ex quibus tria dubia oriuntur. Ideo

14 Quæres 3; an iudicans, non ex motiuo iuſtitiæ, ſed ex alio fine peccet mortaliter?

Reſp; quòd ſi iudicium ſit iniuſtum, grauat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem damni ex tali iudicio ſequentis. Si verò iudicium ſit iuxta iuſtitiam; tùnc ſi talis finis ſit mortaliter malus; v.g. ſi quis iudicaret, vt induceret ad mæchiam, peccat peccatò mæchiæ. Si verò finis non ſit mortaliter malus; tunc tale iudicium eſt venialiter malum; quia quilibet actus habet bonitatem, vel malitiam à fine. *Ita noſter Arag contra Aſſiſt.*

15 Dices. Proferens iudicium iuſtum ex fine indifferenti, non peccat nec mortaliter, nec venialiter; quia tale iudicium non trahit malitiam ex obiecto, quod bonum eſt; nec à fine, qui indifferens eſt.

Reſp. non dari indifferens in indiuiduo, vt diximus *to. 3*; ideo ille finis in indiuiduo vel eſt malus, vel bonus moraliter; & ſic de iudicio prolato ex intentione illius finis.

16 Quæres 4; an iudicans ſine iuriſdictione, vel vſurpans ſibi iuriſdictionem alterius peccet mortaliter?

Reſp. affirmatiuè, dummodo ſit in materia graui. Ratio eſt, quia non licet iudicare, niſi ex poteſtate legis, quæ eſt poteſtas publica; vt *ſup.* diximus *cum Beatiſſ. P.*; qui etiam *lib. 2. in Exod. q. 2.* quærens, an *Moyſes* peccauerit occidendo AEgyptium inſultantem *Hebræis* ait: *Ideo non uidetur, quia nullam adhuc legitimam poteſtatem gerebat, nec acceptam diuinitus, nec humana ſocietate ordinatam*. Attamen ipſum ſaluat, quia talis poteſtas potuit eſſe ei collata, quamuis *Scriptura* id taceat. Idē habet *lib. 22. cont. Fauſt. c. 7.* Hinc Iudex Laicus ſe intromittens in cauſis Clericorum peccat mortaliter; quia infert iniuriam Eccleſiæ contra illud Chriſti Domini: *Nolite tangere Chriſtos meos*. Poteſt tamen laicum non ſubditum in quatuor caſibus iudicare. 1. Si commiſerit delictum in loco ſibi ſubdito. 2. Si contraxerit in loco ſibi ſubdito. 3. Si habeat in illo loco domicilium. 4. Si res, de qua eſt controuerſia, eſt in loco ſuæ iuriſdictionis. Ita habetur *ex c. fin. de for. comp.*

17 Quæres 5; an Iudex non ſeruans ordinem iuris peccet mortaliter?

Reſp; quòd ſi Iudex non ſeruet ordinem iuris quoad ea, quæ ſunt eſſentialia, vt quoad examen, probationes, & iuris ſtatuta, peccat mortaliter; & iudicium eſt nullum. Si verò tantùm accidentalia omittat, quæ nec inferunt prę-iudicium, aut damnum, tunc peccat tantùm venialiter ratione leuitatis materiæ.

18 Quæres 6; an exiſtens in peccato poſſit licitè iudicare?

Vuicleff apud Caſtro V. Poteſtas Eccleſiaſtica putauit Iudicem per quodlibet peccatum amittere iuriſdictionem; & iden peccare, ſi iudicet. Sed hoc damnatum eſt *in Conc. Conſtant. ſeſſ. 8. c. 15.* Ex *Catholicis* verò *Alen.* vult Iudicem exiſtentem in peccato peccare mortaliter; & *Palud; ac Silu. V. Correctio Fraterna q. 16*; id docet de Iudice Eccleſiaſtico; quod aliqui volunt etiam ſenſiſſe *D. Tho. in 4. diſt. 19. p. 1. art. 2*; licèt ſe retractauerit *in ſumma*.

Reſp. tamen negatiuè; nam iudicare eſt tantùm exercere actum virtutis iuſtitiæ; ſed exercens actum virtutis in peccato mortali non peccat mortaliter; vt faciens in peccato mortali eleemoſinam pauperi propter Deum non peccat mortaliter; ergo exercens actum iuſtitiæ in peccatò mortali non peccat mortaliter. Tum quia, iniuſti quædam rectè iudicant; vt docet *Beatiſſ. P. lib. 14. de Trin. c. 15*; anima enim exiſtens in peccato rectè iudicat ſe ab illo liberari non poſſe, niſi per gratiam Dei; ſed rectè iudicare non eſt peccatum; ergo idem. Tum quia exiſtens in peccato, ſi ſatisfaciat præcepto Diuino, v.g. audiendi miſſam non peccat mortaliter; ergo idem.

20 Verum tamen eſt; quòd exiſtens in aliquo peccato publico, & ſcandaloſo iudicando reum de conſimili peccato ratione ſcandali, quod affert, peccat; non tamen ratione iudicij præcisè. In quo caſu Iudex debet mitiùs punire ad euitandum ſcandalum, quomodò ſemper conſueuit Eccleſia; tum quia ſit in *poteſtate Iudicis mollire ſententiam, & mitiùs vindicare, quàm iubeant leges*; vt docet *Beatiſſ. P. ep. 48; 49, & 50.* Melius tamen eſt Iudices ſe expurgare ab omni peccato; vt Deus rectum iudicium eis inſpiret.

21 Dices *cum Silu.* Exiſtens in peccato indignè vtitur ſuo officio; vt habetur *ex Can. Qui nec regiminis 2. q. 7; & c. fin. de Conſecr. diſt. 1.* Item *Io. 8.* dicitur: *Qui ſine peccato eſt, mittat in eam lapidem.* Item *Rom. 2. In quo iudicas alterum, te ipſum condemnas*. Item *ex c. ult. de temp. ordin.* dicitur Prælatum exiſtentem in peccato mortali eſſe ſuſpenſum quoad ſe. Tandem hoc videntur docere *D. Ambr. ſerm. 20. in pſ. 118; & Chriſoſt. hom. 24. in Matth.*

Reſp. neg. aſſumpt. Ad 1. *textum* dicitur illic ſolùm dici Epiſcopum exiſtentem in peccato non mereri nomen Epiſcopi. Ad 2. ibi nihil prorſus haberi de hac re. Ad 3. dicitur Chriſtum Dominum voluiſſe reprehendere malitiam *Phariſæorum*, qui erant in peccatis maioribus, & zelabant minora, ac ſimul oſtendere ſuam miſericordiam. Ad 4. dicitur Iudicem ſe ipſum damnare iudicando alterum temerè, non iuſtè. Vel dicitur ſe ipſum damnare, quia iudicando peccatum

catum alterius iudicat, & ſuum; non quod nomen peccatum committat, Ad 5.dicitur Prælatum eſſe ſuſpenſum quoad ea, quæ ſpectant ad poteſtatem ordinis, quia ad illa requiritur gratia; non verò quoad illa, quæ ſpectant ad iuriſdictionem. Ad 6. dicitur *SS.PP.* ſolùm velle Iudices maximè decere emundari à peccatis, vt magis purum ab omni paſſione proferant iudicium.

22 Quæres 7; an iudicium ex ſuſpicione ſit licitum?

Reſp. negatiuè; Iudex enim ex leuibus indicijs, dubijs, ac ſolùm probabilibus damnans aliquem peccat mortaliter; habetur enim expreſsè *Matth.16. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite iudicare ſecundùm faciem*, idèſt ſecundùm apparentiam; *ſed iuſtum*; idèſt certum *iudicium iudicate*. Super quod *Beatiſs.P.lib.2.de Serm.Domini in Monte c.28.* ait: *Nihil aliud præcipi exiſtimo, niſi vt ea facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant; in meliorem partem ſunt interpretanda*; & habetur etiam *in 6. in reg. iuris reg. 2; & reg.11.* dicitur; *Cùm iura ſunt obſcura, reo fauendum potiùs, quàm actori; & reg.64. In pari delicto, & cauſa melior eſt conditio poſſidentis; & l.ambigua ff.de reg.iur; & Beatiſs.P.in Io.tract.90. Etſi ſuſpiciones euitare non poſſumus, quia homines ſumus; iudicia tamen, idèſt definitiuas ſententias, firmaſque continere debemus*; ergo damnans reum ex dubijs, & ſuſpicabilibus peccat mortaliter, quia operatur contra legem Diuinam, & humanam; imò contra naturalem, ait *Arag*; quia *vnuſquiſque præſumitur bonus*. Hinc ſequitur teneri ad reſtitutionem. Hoc tamen intelligendum eſt in materia graui; nam in materia leui eſt ſolùm peccatum veniale ratione ipſius materiæ.

23 An autem dubia ſint interpretanda in meliorem partem poſitiuè, ſed ſufficiat ſuſpendere iudicium?

Reſp. *noſter Arag.* ſatis eſſe ſuſpendere iudicium; & colligitur *ex Beatiſs.P.lib.2.de Serm. Domini vbiſ*; vbi ait: *Sunt ergo quædam media, quæ ignoramus, quo animo fiant, de quibus temerarium eſt iudicare, maximè, vt condemnemus*; quibus verbis indicat temeritatem maximè pertinere ad iudicium externum. Not. tamen talem ſuſpenſionem ſemper debere eſſe cum manutenentia bonæ famæ, & hoc ſignificat id, quod habet *ex c.vnic.de ſcrutinio; & ex l.meritò ff.Pro ſocio*; aliter ſi famæ præiudicaretur, ac bonæ opinioni, peccatum eſſet. In hoc ſenſu melior pars poſitiuè eſt aſſerenda; vt docet *Sot.lib.3. q.4.art.4*; non tamen abſolutè, & ſimpliciter, vt dictum eſt.

24 Quæres 8; an ſit iudicandum ſecundùm legem ſcriptam?

Reſp. affirmatiuè; & prob. *ex Beatiſs.P.lib. de vera Relig.c.31*; & refertur *c.In iſtis diſt.4. In iſtis temporalibus legibus, quanquam de his homines iudicent, cùm eas inſtituerint; cùm tamen fuerint inſtitutæ, & firmatæ, non licebit Iudicibus de ipſis iudicare, ſed ſecundùm ipſas*. Ratio eſt. Quanuis Princeps non teneatur ſeruare leges quoad vim coerciriuam, ſeu inflictiuam pœnæ, quia nequit ſe ipſum punire; tenetur tamen quoad vim directiuam, quia tenetur efficere, vt leges ſeruentur; aliter eſſent fruſtratoriæ, ſi non ſeruarentur. Tum quia ratio naturalis dictat caput conformandum eſſe membris.

25 Dices. 1. Aliquando eſt contra bonum publicum leges ſeruare; vt reddere enſem furioſo &c; ergo non eſt ſemper iudicandum ſecundùm legem. 2. Quanuis Iudex inferior teneatur iudicare ſecundùm legem; attamen ſupremus Iudex poteſt legem abrogare, vel diſpenſare. 3. *L.Princeps ff.de legib.* Princeps dicitur ſolutus à legibus.

Reſp.ad 1, quòd lex non obligat in omni caſu, & ideo ſeruanda eſt in illis tantùm, in quibus obligat. Ad 2. dicitur, quòd licèt poſſit legem abrogare; attamen quandiu eſt lex, debet illam ſeruare. Ad 3. dicitur eſſe ſolutum à legibus quoad vim coercitiuam, non quoad vim directiuam.

26 Quæres 9; an ſententia iniuſta obliget in foro conſcientiæ?

Reſp; quòd ſi ſententia ſit iniuſta ex parte rei, ſeu cauſæ, vt vocant; vt cùm quis rem, quę eſt *Petri*, iudicat eſſe *Pauli*; non obligat, nullumque ius confert ei, in cuius fauorem lata eſt. Ratio eſt; quia ſententia habet vim obligandi ex lege; ſed talis ſententia eſt contra legem; ergo nullam vim obligandi habet. Si autem talis ſententia ſit ſolùm iniuſta, quia eſt ex prauo affectu Iudicis, vel quia non eſt ſeruatus ordo iuris, obligat, quia eſt conformis ipſi legi.

Hoc vniformiter eſt intelligendum de ſententia reſpectu rerum temporalium, & ſpiritualium, idèſt circa beneficia Eccleſiaſtica. Hinc ait *Arag*; quòd ſententia iniuſta declaratiua alicuius beneficij in fauorem vnius ex duobus concurrentibus, non dat ius acquirenti, qui tenetur renunciare, ſi ei conſtet iniuſtitia ſententiæ. Si autem ſententia ſit punitiua ob aliquod crimen iniuſtè impoſitum, ob quod priuatur beneficio; tunc ſi priuatus reclamet in tempore, alter non acquirit ius; ſecus ſi non reclamet. Contrarium tamen tenet *Afflict*; quanuis Iudex bona fide ſecundùm allegara, & probara iudicauerit; quia ſemper iuſtitia eſt læſa, & ſemper remanet æquanda. Si tamen illud beneficium adhuc non ſit alicui collatum, ſi conferatur minùs digno relicto digniori, non tenetur reſignare, quia ille dignus eſt; & in hoc caſu ſolùm conceditur digniori appellare ad Metropolitanum *iuxta Motum proprium B. Pÿ V. anno 1556; & Trid.ſeſs.24. c.18.* Collator tamen beneficij peccat contra iuſtitiam diſtributiuam, & tenetur damna reſtituere illata digniori.

27 Quæ-

27 Quæres 10; an iudicium per vſurpationem auctoritatis ſit licitum?

Reſp. negatiuè; nam iudicium vſurpatum fit ex priuata, non ex publica poteſtate; quia poteſtas publica confertur vel à ſuperiore legitimo, vel à tota communitate; vt *ſup.* diximus *ex Beatiſs.P*; iudicium autem vſurpatum non eſt ex poteſtate collata vel à ſuperiore, vel à communitate; ideo eſt ex poteſtate priuata; at iudicium ex poteſtate priuata non licet; ergo neque iudicium vſurpatum.

28 Ex hoc infertur ſententiam latam ab eo, qui non eſt Iudex, eſſe nullam. *Ita in c. Ad audientiam de conſuet; & in c.At ſi Clerici de Iud; & n e.In primis 2.q.1.*

29 Si tamen ſit Iudex, vel Prælatus, qui verè non eſt talis, quia nulliter eſt ei collata prælatio, dummodò valida per errorem communem reputetur, tunc facta per illum Prælatum ſunt valida. *Ita in l.Barbarius ff.de offic.Prat; & c. Infamis 3.q.7; & in c.Cùm noſtris de conceſſ.preben. Gloſ. in c. Nihil de Elect; & Abb. in idem c. apud Arag art.6 & communiter omnes.* Non ſufficit tamen error priuatus; etianſi ſit ipſius Principis. Ita *Bart.in l. Barbarius, Bald; & Iaſon ibid.* Ratio eſt; nam ſi talia facta non valerent, ſequeretur maxima perturbatio in communitate, & magna incommoda. Hoc valet nedum in foro fori, ſed etiam in foro conſcientiæ; vnde abſolutio data à Parocho, qui non eſt parochus, communiter tamen tenetur parochus, eſt valida; quia ſicut in foro externo iuriſdictio ſuppletur à iure, ita in foro interno. Ita *Innoc. in c. Dudum apud Afflict.hic diſp.4. nu.17; & ſeq;* apud *quem plures alii.* Geſta tamen per Iudicem non verum ob impedimentum iuris Diuini, vel naturalis ſunt inualida, etianſi ſit error communis; vnde non Sacerdos habitus tamen, vt ſacerdos, nulliter abſoluit, & confeſſio eſt iteranda. *Ita Abb.in c.2.in fin.de Presb.nō baptiz; Decius c.fin.n.54.de conſt; & alii apud Afflict. vbiſ. n.21.* Ratio eſt; quia Prælati defectus, cui non obſtat ius Diuinum, aut naturale, poteſt ſuppleri per ſuperiorem habentem ius conferentem ei prælaturam; at defectus prælati, cui obſtat ius Diuinum, aut naturale, à nullo poteſt ſuppleri; quia nullus habet poteſtatem ſupra ius Diuinum, aut naturale.

30 Item facta à Prælato notoriè excommunicato ſunt nulla, vel ſint facta ante, vel poſt excommunicationem; nam excommunicatus eſt inhabilis ad omnia beneficia Eccleſiaſtica, quibus talis iuriſdictio eſt annexa. *In c. Poſtulaſtis de Cleric.excomm.miniſtrante.* Secus ſi excommunicatio ſit occulta. *In c.Ad proband.de re iud; Gloſ. in verb.innodatus, Hoſt. & c.* Non eſt tamen neceſſe vt ſit denunciatus. *Innoc.in c.Nihil de elect; Panormitan.in c.Veritatis de dolo, & contum; Gloſ. in c.ad proband.de ſent, & de re iud, D. Antonin; & alii plures apud Afflict. vbiſ. n.35.* Eſt contra *Sanch; Coninch, Bonac; Filiuc; Layman; Sua; Azor; & alios.*

31 Tandem iudicia lata à Tyranno, qui poſtquam occupauit vi ciuitatem, pacificè poſtea illam poſſidet, obligant ciues ad obediendum, etiam in foro conſcientiæ. *In c. Accuſatores 3.q.8; & c. infames 3. q. 7. Arag; Afflict; Vict; & alii.*

A R T. IV.

Quid ſit dominium, vſus, vſufructus, habitatio, & ſeruitus?

Diximus *in ſup. art. cum Fund. Doct;* quòd iudicium importat dominiū; modò videndum eſt, quid ſit dominium. Quoad nominis ethimologiam dominium dicitur à *Domino*, ſeu *dominari*, quod importat ſuperioritatem ad rem ſubiectam; & dicit relationem ad rem ſeruientem, quoniam autem res inſeruiens duplex eſt; ſcilicet res irrationales, & perſona rationalis; illæ enim dicuntur Domino inſeruire; & iſta dicitur ſerua; ideo dominium dicitur per oppoſitionem ad res, & ad perſonas ſubiectas habenti dominium; ſed cum hoc diſcrimine; quòd reſpectu rerum homo accepit dominium conditione naturæ; dixit enim Deus *Gen.* 1; cum hominem creauit: *Dominamini piſcibus maris, volatilibus Cæli, & vniuerſis, qua mouentur ſuper terram;* rationabile enim fuit, vt homo, qui ratione præſtat ratione carentibus, illis etiam poteſtate, & dominio præeſſet. At verò reſpectu alterius hominis dominium ortum eſt merito peccati; vnde inquit *Beatiſſ.P.lib.19. de Ciu.Dei. c.16.Inde primi iuſti paſtores pecorum magis, quàm reges hominum conſtituti ſunt; vt etiam ſic inſinuaret Deus; quid poſtularet ordo creaturarum, & quid exigat meritum peccatorum.* Ex quo infert; quòd *nomen iſtud* ſerui *culpa meruit, non natura. Orige autem vocabuli ſeruorum in latina lingua inde creditur orta, vt hi, qui iure belli poſſent occidi à victoribus, cùm ſeruabantur, ſerui fiebant, à ſeruando appellati;* & habetur *l.libertas ff.de ſtatu homin.*

2 Dominium aliud eſt abſolutè, & ſimpliciter primum, & vniuerſaliſſimum reſpectu omnium rerum, quod nullam ſubiectionem importat; & hoc modo competit ſoli Deo, de quo dicitur *Dominus vniuerſorum tu es.* Aliud eſt ſubordinatum, & reſtrictum reſpectu rerum inferiorum tantùm, quod reſpectu rerum ſuperiorū ſubiectionem importat; & ſic eſt dominium hominis, de quo tantùm *hic* loquimur; homo enim ita dominatur, vt Deo ſubdatur, imò ſolùm dominium à Deo ſibi traditum ſibi ſeruare Deo obediendo potuiſſet.

3 Dominium proprium creaturæ aliud eſt perfectum, ſeu plenum, quod eſt vis diſponendi nedum de vſu, & vſufructu rei, ſed etiam de ipſa re; aliud imperfectum, & ſemiplenum, quod

eſt

Digitized by Google

eſt ius diſponendi tantùm de vſu, & vſufructus rei, non autem de ipſa re.

3 Dominium perfectum, & plenum definitur *ius perfectè diſponendi de aliqua re corporali, niſi lege, vel conuentione prohibeatur. Ita Bart.in l.ſi quis* §. *Differentia ff.de acquir. poſſ. & communiter omnes Iuriſtæ.* Dicitur *ius*, quod eſt idem, ac facultas, ſeu poteſtas; & ſe habet loco generis; non enim omne ius eſt dominium; quia filius habet ius aduerſus Patrem, & ſeruus aduerſus Dominum quoad victum, & mercedem; non tamen habet dominium, licèt enim dominium ſit idem, ac ius in re; non tamen eſt idem, ac ius ad rem. Dicitur *perfectè*; per quod diſtinguitur dominium plenum à dominio vſufructuarij, & emphyteutæ; quia licèt iſti de fructibus poſſint diſponere, non tamen de proprietate; & ideo non poſſunt perfectè, plenè, & integrè diſponere. Dicitur *diſponendi*; hocèſt transferendi dominium. Dicitur *de re corporali*; quia *Iuriſtæ* aſſerunt rerum ſpiritualium non dari verum dominium, ſed tantùm quaſi dominium; quod tamen non bene dicitur; nam iuſto titulo poſſidens res ſpirituales verè dicitur habere dominium illarũ, cùm poteſt de ipſis diſponere. Dicitur *niſi lege, vel pacto prohibeatur*, vt patet in bonis pupillorum, fideicommiſſis, maioratibus, &c.

6 Dominium autem imperfectum poteſt definiri *ius imperfectè diſponendi de aliqua re*; & dominium, *vt ſic, ius diſponendi de aliqua re.*

6 Sequitur ius patris erga filium non habere rationem formalem dominij; quia filius non eſt ſeruus patris; ideo *in Inſtit.de iure perſon.* diuiditur ius in ius dominij, & ius patriæ poteſtatis. Sic dicendum de iure vxorio, quod habet maritus in coniugem; quæ eſt illius adiutrix, non ſerua; vt dicitur, *Gen.* 2; & quanuis vxor ſit ſub poteſtate viri, & filius ſub poteſtate patris; attamen quia talis ſubiectio non eſt deſpotica, & herilis, ſed politica; ideo verè & propriè non ſunt ſub dominio. Ita ciues non ſunt propriè ſub dominio illius Principis, à quo tantùm politicè, non deſpoticè reguntur. Tandem religioſi non ſunt ſub dominio Prælati, cuius ſunt filij, non ſerui.

7 Petes; in quo dominium differat à titulo dominij?

Reſp; quòd licèt *Conr; & Gerſ.* putent titulum, & dominium non differre; attamen differunt in hoc, quòd titulus eſt fundamentum, radix, & cauſa dominij; vt emptio, donatio, teſtamentum, poſſeſſio immemorabilis &c. dominium autem eſt ius, ſeu poteſtas in illo fundata. Titulus autem duplex eſt; verus, & eſt, quando quis accipit rem à vero Domino; & præſumptus, vt cùm quis bona fide accipit rem à non Domino contractu aliquo; vt habetur §. *Si quis à non domino Inſtit.de rer diuiſ. c. ſi quis à non domino* §. *fructus ff.de petit.hered. Vid.noſtros Salon.hic art. 1; & Arag.hic.*

8 Vſus definitur *ius vtendi re aliena ſalua eius ſubſtantia* §.1. *Inſtit. de vſu, & habit.* Dicitur *ius*; per quod indicatur *hic* definiri vſum iuris, quod eſt quædam poteſtas, ſeu facultas ad vtendum; non verò vſum facti, qui eſt actio, quà vtimur. Dicitur *vtẽdi*; per quod differt ab vſufructus, qui eſt *ius fruẽdi*; vſufructuarius enim poteſt fructus vendere, & transferre in alienam perſonam; vt *inf.* vſuarius verò poteſt vti re aliena tantùm ad propriam ſubſtentationem perſonalem; non tamen poteſt fructus diſtrahere ad alienam perſonam; vt *ex* §. *Finitur. Inſt. de uſufr; & l.2.ff. de uſu, & hab.*

6 Vſusfructus definitur ius vtendi, & fruendi re aliena ſalua eius ſubſtantia. *l.1. ff. de vſufr; & Inſt eod.tit.in princ.* hæc definitio patet ex dictis de vſu.

10 Vſus, & vſufructus alius eſt legalis, vt qui per legem conceditur patri in bonis aduentitijs filij, non tamen caſtrenſibus, aut quaſi caſtrenſibus. *Ex l.quacunque; & l. cùm oportet c. de bonis, quæ liberi. In Authen. Excipitur Cod.de bonis; & l.ſi fortè ff.de caſtrenſ pecul.* Alter conuentionalis, qui priuata hominis diſpoſitione ſtatuitur. §. *Vſufruct.Inſtit.de vſufr.*

11 Vſusfructus finitur morte naturali vſufructuarij. § *Finitur. Inſtit.de vſufr; & l.Corruptionem*; hinc ſi aliqua cõmunitas inſtituatur vſufructuaria, vſusfructus durat centum annos; qui cenſentur longæua hominis vita. *L. An vſufr. ff. de vſufr.* 2. finitur elapſo tempore ſtatuto. *L.Corruptionem C. de vſufr.* 3. finitur præſcriptione. *Ibid.* 4. finitur deſtructa re, qua vſu fruitur. 5. Si vſufructuarius proprietatem acquirat; vel vſumfructus proprietario renunciet. §. *Firmiter. Inſt. de vſufr*; vel ſi proprietarius illum præſcribat. 6. finitur, cùm vſufructuarius ob aliquod crimen ciuitate, & libertate priuatur. §. *Maxima. Inſtit.de Capitis diminut.* 7. finitur per delictum, ob quod omnia bona confiſcantur; vt eſt hæreſis, & læſio maieſtatis; vſusfructus tamen ſpectat ad Fiſcum, quia nequit ad alium tranſire. *Bald. in l.1.C.de bon.libert*; licèt contrarium teneant *Cyni, Sanch; Syri; & alii.* Non tamen finitur morte ciuili vſufructuarij, idèſt per ingreſſum in religionem, quæ capax eſt talium fructuum. *Gloſ. in Authen.de Sacroſ.Eccleſ; & ibi DD. communiter.* Vſusfructus tamen, quem Pater habet in bonis aduentitijs filij, videtur extingui per ingreſſum Religionis; quia talis vſusfructus conceditur patri ob patriam poteſtatem, qua tenetur filios alere; quapropter filio emancipato vſusfructus ampliùs non conceditur patri; ſed pater per ingreſſionẽ Religionis amittit patriam poteſtatem, & filius emancipatur; ergo amittit vſufructum.

12 Habitatio eſt quid medium inter vſum, & vſumfructus. §. *Sed ſi cui; Inſtit. de vſu, & habitat;* & definitur *ius habitandi in aliena domo.* Differt ab vſu; quòd vtens nequit domum alteri locare; habitans tamen ſic. *l. cùm antiquitas C.*

de vſufr; *& §.Sed ſi. Inſt.de locat*; *& §.Fin. Inſt. de vſu, & habit*; & differt ab vſufructu; quòd habitatio ſola morte finitur; vſusfructus autem modis allatis *l.habitatio*; *& l.cùm antiquitas*; *& l.ſi habitatio ff.eod.* Differt etiam, quia vſus, & vſusfructus ſunt circa omnes res, quæ fructus pariunt, & quibus vti poſſumus; habitatio autem eſt ſolùm circa locum.

13 Seruitus eſt *ſubiectio, qua res aliena alicui ſeruit*; & diuiditur in realem, perſonalem, & mixtam. *L.1.ff.de ſeruit.*

14 Dub. 1; an vſus poſſit ſeparari à dominio; quòd quæſitum ortum habuit ex inſtituto *PP.Minorum S. Franciſci*; qui omni dominio priuantur.

15 Reſpondent aliqui negatiuè; & ideo volunt *dictos PP.* habere dominium vſus. *Ita D. Autonin.4 p.tit.21 c.4.§.10*; *Gerſon.to.2.opuſc.de contr.p.1.concl.33*; *Turrecrem. lib.2. Sum. c.112. Silu. V.Dominium, Caiet*; quibus additur *noſter Arag.2.2.de Dominio.* Hoc probant *ex Extrauag. Ad Conditorem de verb.ſignif. §.Quòd autem*; *& Io. xxij.* docet in rebus vſu conſumptibilibus vſum, & dominium non diſtingui; ex quo infertur *ſupradictos PP.* habere dominium rerum conſumptibilium. *Et l.2.ff.de vſufruct.* dicitur; quòd cùm alicui legatur vſus pecuniæ, vel alterius rei conſumptibilis, ipſa quoque pecunia, vel res legatur. Ratio eſt. Quia poteſt ipſam rem conſumere, quod eſt actus perfecti dominij. Item poteſt illam vendere; vt *de dictis PP.* habet *Extrauag.allegata*; *& ex Nicolao III. in c.exijt de verb.ſignif. in 6.* Item ſi dominium illarum reſideret penes Pontificem, ſequeretur, quòd illas ſuſcipiens teneretur illas reſtituere Pontifici; quod nullus dixit.

16 *Alij* verò affirmatiuè reſpondent. *Ita noſter Salon.de dominio q.1.ar.1*; *Abb.conſ.63*; *Sot. lib.4.q.1.art.1*; *Suar.de Relig.lib.8.c.5.n.12*; *Ban*; *Val*; *Sayr*; *apud quem alij*; *Tanner*; *Afflict*; *& alij.* Probant hoc *ex Nicolao III. vbiſ*; *& ex Clem. V. clement 1*; vbi docent in rebus conſumptibilibus vſum ſeparari à dominio; & *dictos PP.* habere ſolùm, & purum vſum; dominium verò eſſe *apud Papam*; & poſt bullam *Martini V*; *& Pauli III.* etiam dominium pecuniæ eſſe apud eundem, non autem apud donantes.

17 Probat hoc *Afflict.hìc diſp.6.ſect.3.n.13.* De ratione dominij eſt vti re propria; ſed religioſi non habent aliquid proprium; ergo non habent dominium.

18 Sed hæc probatio eſt nimis lata; probat enim de omni religioſo; patet autem, quòd licèt alij religioſi nihil habeant de proprio in particulari; poſſident tamen, & habent dominium in communi; vt ſtatuit *Trid.ſeſs.25.c.3*; *PP.* autem *minores* nec in particulari, nec in communi aliquid poſſident; ideo hæc probatio non eſt ad rem. Item falſum eſt dominium eſſe de re propria; nam vſuarius, & vſufructuarius habent verum dominium fructuum; & tamen res eſt aliena; cùm vſus, & vſusfructus definiantur *ius vtendi, & fruendi re aliena.*

19 Probari igitur poteſt *ex Beatiſs.P.Aug.in reg.c.28.* dicente: *Qui ſuis filijs, aut aliqua neceſſitudine ad ſe pertinentibus in Monaſterio conſtitutis aliquam contulerit veſtem, ſiue quodlibet aliud inter neceſſaria computandum, non occultè accipiatur; ſed ſit in poteſtate Præpoſiti, vt in rem communem redactum, cui neceſſarium fuerit, præbeatur. Quòd ſi aliquis rem ſibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur.* Ex quo ſic. Nullus dicitur habere dominium illius rei, quæ eſt in poteſtate alterius, quia dominium eſt poteſtas, vt *ſup.* dictum eſt; ſed res conſumptibiles ſunt ſub poteſtate Præpoſiti in noſtra religione, & in *PP.Minoribus* ſub poteſtate *Papæ*; ergo nec *noſtri religioſi*, nec *PP.Minores* habent dominium rerum conſumptibilium. Cum hoc tamen diſcrimine, quòd in noſtra, & alijs religionibus poſſidentibus bona mobilia, & immobilia dominium eſt in Superioribus, vt Superiores ſunt, non autem, vt tales religioſi ſunt; dominium verò rerum conſumptibilium in inſtituto *Minorum* eſt *apud Papam*, vt habetur *ex Bullis, & Extrauag.cit.*

20 Conf. Serui ex eo, quòd vtantur victu, & veſtitu, non dicuntur habere dominium; quia licèt habeant ius naturale ad vtrunque, attamen eſt in poteſtate domini tribuere hunc, vel illum cibum, & veſtitum; dominiũ autem reſpicit rem determinatam, non indeterminatam; ſed ſic eſt in caſu; ergo vſus poteſt ſeparari à dominio.

21 Ad 1. dicitur *in illa Extrauag.* ſumi dominium latè, prout idem eſt, ac facultas conſumendi, aliter *in iuribus Canonicis* haberetur contradictio. Ad 2. dicitur colligi potiùs oppoſitum; nam ſi vſus non diſtingueretur à dominio, lex non præciperet, dum legatur vſus rei conſumptibilis, legari etiam ipſam rem. Ad 1. rationem diſt. Conſumere rem, quæ eſt in poteſtate propria, eſt actus perfecti dominij, conc; quæ eſt in poteſtate alterius, neg. Ad 2. diſt. eodem modo. Poteſt illam vendere nomine proprio, neg; nomine alterius, conc. Ad vlt. neg. ſeq; nam tenetur reddere illis, quibus Papa concedit vſum earum rerum; & ſi redderet Pontifici, teneretur reuelare ſe priuaſſe ijs rebus tales fratres, quibus vſum illarum conceſsit.

22 Dub. 2; an religioſi *poſt Trid.* poſſint habere vſumfructus, vel vſum, aut adminiſtrationem bonorum Conuentus; aut poſſidere bona ab eis acquiſita etiam nomine conuentus poſſeſſa, aut annuales redditus vitalitios?

23 *Aliqui* aſſerunt non poſſe. *Ita Sua.de Relig.lib.8.c.14.n.18*; *Vaſq.de redd.Eccl.c.3.dub.11. n.14*; *Palat*; *Val*; *Pet*; *Nau*; *Leſs*; *Zerula*, qui aſſerit ita declaraſſe *Congr.Cardinalium*, *Malder*; *& alijs*; quam ſententiam probabiliorem putat *Afflict. vbiſ.ſect.4. n.43*; *& ſeq.* Quoniam *Trid. ſeſs.25.*

c.2.

Digitized by Google

c.2.apertè aſſerit: *Nemini Regularium tam virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cuiuſcunque qualitatis fuerint, etiam quouis modo acquiſita, tanquam propria, aut etiam nomine conuentus poſſidere, vel tenere &c. Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere etiam quoad vſumfructus, vel vſum, adminiſtrationem, aut commendam &c.* ſub pęna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ per biennium.

24 *Alÿ* aſſerunt poſſe, atque hoc fit in praxi. *Ita Nauar. Sanch. lib. 7. c. 22. n. 12; Fagund, Tanner; Diana de Paupert. rel. reſol.* 32; apud quem *alÿ*. Ratio eſt; quia *in c. Monachi de Stat. Monach.* tantùm prohibentur Religioſi habere peculium, tanquam proprium; nec *Trid.* nouum ius ſtatuit.

25 Sed falſum videtur *Trid.* non ſtatuere nouum ius; expreſsè enim id prohibet; nec ad ſtatuendum nouum ius neceſse eſt, vt exprimat ſe ſtatuere nouum ius; ſed ſufficit, vt id expreſsè prohibeat, vt præſtat.

26 Ad ſaluandam igitur praxim, quæ eſt in contrarium, dici poteſt; quòd *Conc. in eodem c.* præcipit, vt nihil Religioſis, *quod ſit neceſſarium eis, denegatur*; vnde cùm Conuentus in hoc deficiant ob eorum paupertatem, & quo ſolùm poteſt prohiberi vſus, & vſusfructus; quia vnuſquiſque ad victum, & veſtitum, & alia neceſſaria habet ius naturale; ideo hoc non impleto nequit aliud, quod ſuper hoc fundatur, impleri.

27 Dub. 3; an pueri, & amentes babeant dominium?

Reſp. babere dominium, adminiſtrationem tamen eſſe eis lege interdictam; nam habent libertatem, in qua formaliter conſiſtit dominium; ſed quia carent vſu rationis, à quo eſſentialiter dependet exercitium libertatis; ideo priuantur exercitio libertatis, in quo conſiſtit adminiſtratio bonorum.

28 Dub. 4. de filijsfamilias præditis vſu rationis.

Reſp. habere dominium, & adminiſtrationem bonorum caſtrentium, & quaſi caſtrenſium; non autem aduentitiorum, & profectitiorum. Patet *ex toto tit. ff. & C. de caſtrenſ. pecul.*

29 Bona caſtrenſia ſunt, quæ filij ex militia quomodocunque acquirunt. Quaſi caſtrenſia ſunt, quæ acquirunt aliquo officio publico, non tamen mechanico; vt Aduocati, Iudices, Conſiliarij; vel quæ donantur à Principe, aut legantur ſub hoc titulo; & quæ acquiruntur à Clericis ex beneficijs Eccleſiaſticis; vt *in Can. Præsbiteros l. de Epiſc; & Cler.* Aduentitia ſunt, quæ filijs proueniunt aliunde, quàm à patre, vel intuitu patris. Profectitia ſunt, quæ proueniunt à fratre, vel intuitu patris.

30 Dub. 5; an ſerui iuſto bello capti poſſint fugere à Domino?

Reſp. *noſter Salon. q. 3. de dominio art. 1. concl.* 4. affirmatiuè. Idem tenent *Ban; Sot; Leſs; Vaſq; Layman; & communis ſententia contra Silu; Gloſ. in c. Ius gentium diſt. 1. Tanner; Conar; & noſtrum Arag.* Prob. *ex § Item eorum Inſtit. de rer. diuiſ. & §. Ipſe quoque iuſta, & l. Poſtliminium §. Poſtliminio ff. de Captiuis, & poſtlim. reuerſ. & l. Nihil intereſt ff. eod.* Ratio eſt. Sicut iure gentium eſt conſtitutum, vt capti in bello poſſint redigi in ſeruitutem; ita eodem iure ſtatuitur, vt per fugam poſſint ſe in libertatem remittere. Excipiendi ſunt tamen, qui iuramento ſe obſtringunt Domino infideli, qui debēt à Prælato à tali iuramento abſolui. *Ita Sayr; Reginald; & alÿ*: Excipiuntur etiam ſerui, qui ſe ipſos accepto pretio voluntariè vendiderunt; quia tunc fugiendo pretium ſurriperent, & reſtitutioni tenerentur.

31 Dub. 6; an quidquid acquiritur à ſeruis, Domino acquiratur?

Reſp. affirmatiuè. *Ita ex §. Item nobis Inſtit; & l. Acquiritur ff. de acq. dom.*

32 Dub. 7; an Dominus poſſit impunè occidere ſeruum?

Reſp. negatiuè; *Gloſ; & Bart. ad l. Dominus ff. de ſeru*; quamuis enim antiquitus hoc poſſet fieri vi dictæ legis; attamen prohibitum eſt *l. 1. C. de his, quæ ſunt ſui, vel alien. iur, & l. in poteſtate, Inſtit. in eod. tit.* Hoc tamen valet in foro externo; nam in foro interno nemini licet aliquem occidere poteſtate priuata.

33 Dub. 8; an homo ſit dominus ſuæ famæ?

Reſp. eſſe ſolùm cuſtodem, ſicut ſolùm eſt cuſtos ſuæ vitæ, non dominus. Habetur *Eccl. 41. Curam habe de bono nomine; & Beatiſs. P. de bono Viduitatis c. 20. Quia nobis eſt neceſſaria vita noſtra, alÿs verò fama noſtra*; & refertur *in c. Non ſunt audiendi* 11. *q. 3; & lib. 1. de Ciu. Dei c. 10.* docet eodem præcepto prohiberi falſum teſtari contra ſe ipſum, & contra alios. Ratio eſt; quia infamatio ſui eſt cauſa ſcandali proximi; ſed nullus eſt dominus ſcandali; ergo neque famæ. Neque hoc eſt *contra Auctores*, quos refert *Afflict. diſp. 6. ſect. 5. n. 121*; illi enim loquuntur pręciſo ſcandalo; ſcandalum autem in praxi vix poteſt præſcindi; metaphyſicè igitur ſolùm loquuntur.

§. 1.

De diuiſione, & translatione dominii.

34 QVoad 1. In ſtatu innocentiæ harum rerum dominium fuiſſe indiuiſum colligitur *ex Gen. 2. Dominamini piſcibus maris &c*; quibus verbis non obſcuriè colligitur dominium à Deo datum fuiſſe *Adæ, & Euæ* indiuiſim, & conſequenter filijs ex eis naſcituris, ſi in illo feliciſſimo ſtatu innocentes manſiſſent. Ratio etiam id ſuadet; quia in illo ſtatu nulla erat, aut eſſe poterat immoderata cupiditas, nulla prorſus rerum libido culpabilis; terra etiam ſpontè omnia ſuppeditaſſet neceſſaria ad vitam; & vnuſquiſque abundè accepiſſet, quantùm ſibi

ſufficeret, non tamen plus quàm natura exegiſſet; quia plus accipere, quam ſit neceſſe, ex nimia cupiditate oritur, quæ nulla fuiſſet, vt dictũ eſt. Vnde mutuo amore, nulla rixa, ſumma pace omnium rerum dominium indiuisè habuiſſent. Excipitur tamen dominium vxorium, quod non fuit, nec fuiſſet indiuiſum, ſi in illo ſtatu homines multiplicati fuiſſent; nam *Beatiſſ.P.lib. de fide ad Pet. c.3.* ait: *Coniugium quoque in primis hominibus Deus inſtituit, & benedixit; propter quod ait Apoſtolus; Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*; ſed vbi eſt connubium, ſeu matrimonium, nequit eſſe vxorum communitas; quia matrimonium eſt tantùm inter duos; nam *Gen.2.* dicitur: *Erunt duo in carne vna*; & licèt in lege veteri propter multiplicationem generis humani fuerit vni viro conceſſa vxorum pluralitas; attamen vna vxor non poterat, niſi vnum virum cognoſcere; vt aliquomodo ſeruaretur dualitas; nam quòd in viris erat ex neceſſitate multiplicandæ prolis, in vxoribus fuiſſet ex turpitudine meretriciæ libidinis; non enim vxor habens plures viros plures filios parere poterat; vt ait *Beatiſſ.P.lib.3.de Doctr.Chriſtian. c. 12. Sufficienda prolis cauſa erat uxorum plurium uni uiro habendarum inculpabilis conſuetudo; & ideo unam fœminam maritos habere plurimos honeſtum non erat; non enim mulier eo eſt fœcundior; ſed meretricia potiùs turpitudo eſt uel quæſtum, uel liberos uulgo quærere.*

35 Ex peccato igitur, à quo orta eſt rerum libido, originem duxit diuiſio dominij; vnde hæc diuiſio nedum fuit licita, ſed etiam neceſſaria, & ex Dei præcepto facta; vt habetur *Num.26. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens: Iſtis diuidetur terra iuxta numerum vocabulorum in poſſeſſiones ſuas. Pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus minorem; ſingulis, ſicut nunc recenſiti ſunt, tradetur poſſeſſio.* Idem habetur *Ioſue 13.*

36 Ex hoc reiecta manet ſententia *Socratis* dicentis nedum res, ſed etiam vxores debere eſſe communes; quia putabat hoc valde expedire vtilitati reipublicæ; vt refert *Fund. Doct. de Regim. Princ. lib.3.q.1.c 9; 10; & 11.* Quam opinionem ſecuti ſunt *Apoſtolici*, vt narrat *Beatiſſ.P. de hæreſ. hær.40*; & *Nicolaitæ* quantùm ad communitatem vxorum; vt *hæreſ.5*; ac noviter *Fraticelli in Extrauag. Sancta Romana*; & *Maldenſes*, *vt in Conc. Conſtant. ſeſſ.8. hær.37.*, *& alii apud Caſtro V. Eccleſia, Apoſtolus, & Paupertas.*

37 Reijcitur etiam ratione *à Fundat. Doct. vbiſ.* Si res eſſent communes, orirentur innumeræ lites, quæ dirimunt quancunque ſocietatem, quæ non niſi pace ſeruatur. Si autem vxores eſſent communes, nullus Pater poſſet certò cognoſcere proprium filium, & è contra; ſic tolleretur amor in filios, & cura alimentorum; & Filius occideret patrem, quem neſciret, & è contra; & eſſet maxima incontinẽtia in rebus venereis, propter quam maxima ſcandala naſcerentur, & odia; imò Patres abuterentur filiabus, quas non poſſent diſtinguere; quæ ſunt maxima mala, ob quæ fuit neceſſaria rerum, & vxorum diuiſio.

38 Dices 1. Rerum communitas eſt de iure naturæ; vt habetur *in c. Ius naturale diſt.1*; ergo diuiſio non eſt licita. 2. dominium indiuiſum eſt à Deo, vt habetur *Gen.2.* 3. Chriſtus conſuluit nihil habere proprium; vt habetur *Luc.14.* 4. Rerum communitas magis facit ad ſeruandam charitatem. 5. Rerum communitas laudatur, & priuata poſſeſſio damnatur à ſanctis; hinc *Beatiſſ.P. tract.6. in Io. relatus in c. Quo iure diſt.8.* ait: *Inter fideles omnia debent eſſe communia.*

39 Ad 1. dicitur eſſe de iure naturæ innocentis, non corruptæ. Sic ad 2. & ideo poſt peccatum præceptam à Deo fuiſſe rerum diuiſionem, vt *ſup.* dictum eſt. Ad 3. dicitur Chriſtum Dominum conſuluiſſe, quod perfectum eſt, non autem illud præcepiſſe; hinc religioſi, qui ſunt in ſtatu perfectionis, in communi viuere debent. Ad 4. diſt. Magis facit ad ſeruandam charitatem in viris perfectis, conc., in minùs perfectis, neg. Et ſic ad 5. dicitur *à Sanctis* magis laudari ſtatum religionis, in quo omnia ſunt communia; & in ſtatu laicali laudari communitatem in præparatione animi; quia licèt fideles propria poſſideant, debent tamen eſſe parati ad illa communicanda proximo indigenti, & ideo illa reputare, vt communia.

40 Collig. diuiſionem dominij eſſe de iure Diuino, quam poſtea ſtatuit etiam ius gentium. Prima pars eſt *cont. Sayr, Leſſ; Molfeſ; & Affilictum* dicentes non eſſe de iure Diuino, & hanc eſſe ſententiam communem; quorum ratio eſt; quia nuſquam legitur *in Scriptura* Deum præcepiſſe rerum diuiſionem. Hoc autem eſt apertè falſum, vt *ſup.* dictum eſt; habetur enim expreſsè *Num. 26; Ioſue 13, 18. & 19; & ſæpe alibi.* Secunda autẽ pars habetur *ex Beatiſſ.P. relato in Can. Quo iure diſt.8.* docente: *Iure humano dicitur hæc villa eſt mea; & c. Ius gentium diſt. 1*; vbi licèt dicatur eſſe de iure humano, non tamen excluditur ius Diuinum; nam multa præcipit ius humanum, quæ præcipiuntur etiam iure Diuino. Vel diuiſio rerum in particulari eſt tantùm de iure humano; ſed diuiſio, *vt ſic*, eſt de iure Diuino.

42 Quoad 2. dicimus 1. transferri dominium per voluntatem Dei, qui cùm ſit Dominus rerum omnium abſolutè, & independenter, poteſt quamlibet rem ab vno auferre, & alteri tribuere; ſicut vaſa aurea, & argentea abſtulit *AEgyptiis*, & tribuit *Hebræis*; de quo *vid. Beatiſſ. P. lib.2. in Exod. c.39.*

42 Transfertur 2. dominium per voluntatem ipſius Domini; quia cùm Dominus poſſit vti re, cuius habet dominium, in omnem vſum non prohibitum per legem; & translatio ſit maximus vſus dominij; ideo poteſt transferre rem

ſub dominium alterius. Habetur *l. Qua ratione §. litera ff. de acq. rer. dom; & §. Per traditionem Inſtit.de rer.diuiſ.* Diximus *non prohibitum per legem*; quia ſi talis translatio contrarietur alicui virtuti, Iure naturali prohibetur; vt cùm vltra ſortem aliquid datur in mutuo; aut cùm res plus iuſto pretio venditur; & cùm datur pretium pro re ſpirituali. Si verò perſona transferens ſit lege ligata, ne transferat, tunc prohibetur translatio lege poſitiua; vt pupilli, & minores. *l.1.ff. de min., & l.1.ff.de pact.*

43 Transfertur 3. per auctoritatem Principis; vt cùm in pœnam delicti, vel ob aliam rationabilem cauſam ſpectantem ad bonum commune aliquem priuat, & dominium alteri tribuit.

44 Transfertur 4. per alluuionem; vt habetur *§. Preterea quòd alluuionem Inſt. de reor., & l.adeo §.1 ff de ac.rer.dom.*

45 Quæres 1; an per ſimplicem promiſſionem internam transferatur dominium?

Reſp. *noſtri Salon, & Arag. q.88.art.1.* neg; nam promiſſio interna nō obligat in foro externo, quod non iudicat de internis; nec in interno; habetur enim *Prou.6. Illaqueatus es verbis oris tui.* Ratio eſt. Translatio dominij eſt quid externum; ergo nequit fieri, niſi per aliquod externum; non enim poteſt fieri externa, niſi per aliquod formaliter externum. *Eſt cont. Sot; & Ledeſm.* Traditur tamen *communiter ab alijs.*

46 Quæres 2; an promiſſio ficta, vt cùm quis non habet animum promittendi, vel ſi habet animum promittendi, habet tamen animum non ſe obligandi, vel ſi habet animum promittendi, & ſe obligandi, habet tamen animum non implendi, obliget in foro conſcientiæ?

Reſp. negatiuè; quia promiſſio ficta non eſt vera promiſſio; ergo non inducit obligationem, quam inducit ſolùm vera promiſſio.

47 Quæres 3; an promiſſio externa ante acceptationem obliget?

Reſp. non obligare, hinc donationem poſſe reuocari à donante, antequam acceptetur. Excipitur tamen donatio facta infantibus. *l. Iubemus C.de mancip.libert.ibi: Niſi infans ſit*; aut locis pijs, aut ciuitati. *l.Illud, & l.Vt inter C.de Sacroſ Eccl.* Ratio eſt; quia ad validitatem promiſſionis factæ alteri requiritur vtriuſque conſenſus.

48 Quæres 4; an promiſſio acceptata obliget ſub mortali?

Reſp. *Salon. q.5.de dom. art.2; & Arag; Panorm; Sot; & alij plurimi cont. Gaiet; & paucos alios* obligare ſub mortali, ſi ſit de re graui; quia grauiter peccat contra legem, quæ iubet tales promiſſiones eſſe inplendas. Secus de re leui.

49 Quæres 5; an per ſolam promiſſionem transferatur dominium?

Reſp. ampliùs requiri traditionem ipſarum rerum, vel quaſi traditionem. Habetur ex *C.de Traditionib.cod.de pact; & §.Per traditionem Inſtit.de rer.diuiſ.* Excipitur promiſſio facta ciuitati, vel locis pijs. *l.Vt inter Diuinum C.de Sacroſ.Eccleſ.*

50 Quæres 6; an dominium transferatur etiā per ludum?

Reſp. affirmatiuè, ſi ludus ſit licitus; negatiuè autem, ſi ſit prohibitus.

51 Sed petes, quinam ſint ludi prohibiti?

Reſp. clericis prohiberi ſub mortali ludos theatrales. *c.decorem de vit; & honeſt. cler.* Item ludi, in quibus aſſumuntur arma. Item ludi taxillorum, & alearum. *c.Epiſcop.diſt.35; & c.clerici; & c. cùm decorem vbiſ; & c. cùm inter dilectos de exceſs.Pral; & per Trid. ſeſſ.22.c.1.* huiuſmodi canones innouantur. De ludo publico, aut ſcandaloſo hoc certum eſt *apud omnes*; quia prædicti canones ad hoc tendere videntur. De ludis autem priuatis recreationis gratia, in quibus parua exponitur ſumma, aſſerunt plerique non peccare mortaliter.

52 Etiam laicis ludus alearum interdicitur per leges Imperiales. *l. Solent ff. de aleator*; vbi ſolùm conceduntur ludi ad corporis exercitationem, vt haſtæ, vel pilæ; *& l.Quibus eod. 1 1.* permittitur ſolùm aliquod comeſtibile ludo exponere; *& in authen alearum C.de relig; & ſump. funer.* Ratio eſt; quia leges debent prohibere damnum, & ruinam familiarum ex integro, quæ ob ludum incurritur.

53 Collig. acquiſita per ludum licitum non eſſe reſtituenda; quia ius illorū tranſijt ad acquirentem; ſecus acquiſita per fraudem, & dolum; quia tunc non ſeruatur iuſtitiæ æqualitas; cùm non ſit par vtriuſque ludentis periculum.

54 Quæres 7; an leges poſſint impedire translationem dominij?

Reſp. affirmatiuè; & hoc tripliciter. 1. Reddendo perſonam inhabilem ad contrahendum; ſic irritat contractus minorum. 2. Reddendo perſonam inhabilem ad acquirendum dominium; vt cùm reddit ſpurios inhabiles ad acquirendam ſucceſſionem patris. 3. Præſcribendo formam in contractu ſeruandam, qua non ſeruata contractus ſit irritus; vt cùm præcipit teſtamentum faciendum eſſe coram Notario, & ſeptem teſtibus.

55 Sed petes; an leges poſſint irritare contractus etiam in foro conſcientiæ?

Reſp. affirmatiuè; nam *Trid.* irritauit matrimonium clandeſtinum in vtroque foro; & profeſſionem religionis ante annum 16. Hoc tamen intelligendum eſt de lege iuſta.

56 Dices. Leges irritantes contractum fundantur in præſumptione fraudis; in tantùm enim requiruntur in teſtamento Notarius, & ſeptem teſtes: in quantùm timetur fraus: ergo non obligant in foro conſcientiæ, in quo tantùm veritas attenditur *ex c.tam nos &c. is, qui per fidem de ſponſal.* Quapropter *Alex.III.c.cùm eſſes de teſtam.* ait leges, quæ in teſtamento exigunt ſaltem tres teſtes, eſſe alienas à Diuina lege, & SS PP.

inſti-

inſtitutis; quia Dominus ait: *In ore duorum, vel trium ſtat omne verbum.*

Reſp. neg. ant. Ad prob. infert. dicitur, quòd licèt lex de teſtamento fundetur in præſumptione fraudis; non tamen omnis lex irritans eſt huiuſmodi; vt patet de lege irritante matrimonia. Vnde cùm conſtat de voluntate teſtatoris teſtamentum etiam minùs ſolemne factum cum paucioribus teſtibus tenet; nec hæres tenetur in foro conſcientiæ concedere hæreditatem ijs, qui veniunt ab inteſtato; quia principaliter mens teſtatoris eſt attendenda. *In authen. de nupt. collat. 4. §. Si igitur.* Præterea in diſpoſitione quoad cauſas pias ſufficiunt duo teſtes in vtroque foro. *Ex c. relatum de teſtam.*

57 Collig. perſonas redditas per legem iuſtam inhabiles ad contrahendum teneri in vtroque foro ad reſtituendam hæreditatem; quia lex iſta non fundatur in præſumptione fraudis; ob quod poſſit ceſſare ceſſante fraudis periculo; ſed fundatur in qualitate perſonæ contrahentis, quæ qualitas nunquam ceſſat, ideo nec lex poteſt ceſſare; vt de monitio non habente ætatem 16. annorum.

58 Quæres 8; an per legem poſsit transferri dominium etiam inuito Domino?

Reſp. transferri per præſcriptionem, & vſucapionem. Præſcriptio autem dupliciter ſumitur. 1. Pro exceptione. *l. Qui agnitis ff. de except. l. penult. & fin. C. de except.* Exceptio autem duplex eſt; alia peremptoria; quæ actionem omnino tollit, & perimit; vt cùm quis petit pro pretio poſſeſſionis mille aureos; emptor autem reſpondet illos antecedenter à ſe fuiſſe ſolutos. Alia eſt dilatoria; vt cùm emptor reſpondet Iudicem non eſſe competentem, actorem eſſe excommunicatum. 2. Sumitur præſcriptio pro acquiſione dominij alicuius, vel iuris alieni eliſione prouenienter, ex continuata poſſeſſione alicuius rei tempore à lege præſcripto.

59 Quamuis autem præſcriptio ſit idem cum vſucapione latè ſumpta; quia vſucapere eſt aliquam rem per vſum ſibi capere, & vendicare. *l. ſine poſſeſſ. ff. de vſucap;* diſtinguitur tamen ab vſucapione; quòd præſcriptio eſt tantùm rerum immobilium; vſucapio verò mobilium. *l. furtum, Iuncta l. ſeq. ff. de vſucap; & l. fin. C. eod;* licèt aliquando vſucapio dicatur etiam de re immobili; *l. vnic. C. de vſucap; & Inſtit. de vſucap. in princip.* Itaque præſcriptio, prout differt ab vſucapione, definitur *acquiſitio rei immobilis, vel alieni iuris peremptio per continuatam poſſeſſionem tempore à lege præſcripto.*

60 Conditiones requiſitæ ad veram præſcriptionem, & vſucapionem ſunt quatuor. 1. Eſt poſſeſſio rei. *Reg. ſine poſſeſſ. de reg. iuris in 6; & l. ſine poſſeſſ. ff. de vſucap.* Poſſeſſio autem alia eſt ciuilis, quæ nihil aliud eſt, niſi animus retinendi, quod poſſidet; alia naturalis, quæ animo, & actione corporali retinet rem. 2. Eſt bona fides ita, vt poſſidens prudenter credat rem poſſeſſam eſſe ſuam; vt patet *ex reg. poſſeſſor. de reg. iur. in 6; & c. vlt. de præſcript.* 3. Eſt titulus legitimus, idèſt emptio, vel donatio &c. 4. Eſt tempus à lege præſcriptum; quod debet eſſe continuatum; aliàs ſi interrumpatur, & iterum aſſumatur poſſeſſio, præſcriptio incipit à tempore reaſſumptionis.

61 Præſcribuntur res mobiles, vt animalia, veſtes, vinum, triticum &c. ſpatio trium annorum inter præſentes, & quatuor inter abſentes, qui intelliguntur illi, qui habitant in diuerſa prouincia, quamuis ſint in eodem regno. Hoc valet etiam de bonis Eccleſiæ. *Authen. Quas actiones; & Gloſ. ibid. v. ducentibus C. de Sacroſ. Eccl.* Requiritur tamen, quòd adſit titulus; quia ſi deſit, requiritur ſpatium triginta annorum. *l. omnes C. de præſcript. 30; vel 40. annorum; & c. placuit 16. q. 3.*

62 Res immobiles exiſtentibus prædictis conditionibus præſcribuntur ſpatio decem annorum apud præſentes, & viginti apud abſentes. Si autem deſit titulus, ſpatio 30. annorum apud præſentes, & 40. apud abſentes. *ibid.* Quòd ſi abſens abſit tantùm duobus annis, præſcribitur ſpatio 12. annorum, ſi tribus, ſpatio 13. annorum. *Authen. Quòd ſi C. de præſcript. longi temporis.*

63 Res immobilis cuiuſuis Eccleſiæ, excepta Romana, præſcribitur ſpatio 40. annorum; ſiue adſit titulus, ſiue non; ſiue præſcribens ſit perſona priuata, ſiue alia Eccleſia; ſiue fiat inter abſentes, ſiue inter præſentes. *In c. Illud, in c. Quarta; & c. Ad aures de præſcipt; & c. 2. eod. tit. in 6; & 16. q. 3. c. per multa capita; & in authen. Quas actiones C. de Sacroſ. Eccl.* Idem de iure communi dicitur de Monaſterijs, & locis pijs; ac de legatis, & donationibus ad pias cauſas. *In dicta authen; & l. vlt. C. de Sacroſ. Eccl;* & facit *text. in c. fin. 16. q. 3;* gaudent enim priuilegijs Eccleſiarum. *l. omnia priuilegia C. de Epiſc. & Cler.* Diximus *de iure communi,* quia ex priuilegio ſpeciali *ab Eugen. IV.* fuit conceſſum PP. *S. Benedicti, & à Iulio II. Congr. S. Saluatoris, & ab alijs Pontificibus PP. Societ;* quòd eorum bona immobilia non præſcribantur, niſi ſpatio ſexaginta annorum. Quod priuilegium extenditur ad omnes Religiones participantes. *Afflict. hic diſp. 7. ſeſs. 6. n. 28.*

64 Res immobilis Eccleſiæ Romanæ requirit tempus centum annorum. *c. ad Audient; c. cùm nobis, & c. ſi diligenti de præſcript; & c. 2. eod. tit. in 6; & in authen. c. Quas actiones de Sacroſ. Eccleſ.* Hoc tamen intelligitur de bonis ab ipſa Eccleſia poſſeſſis, nam ſi poſſideantur ab aliqua perſona priuata, ſufficit ſpatium decem annorum inter præſentes, & viginti inter abſentes. *Gloſ. in c. contingit de dol; & contum; Bart; Panorm; & alij.* Iuſpatronatus requirit titulum ex fundatione, vel donatione, vel frequentatas præſentationes per tēpus immemorabile. *Trid. ſeſs. 25. c. 9.*

65 Con-

65 Contra Ciuitates non præſcribitur, niſi ſpatio centum annorum, quod eſt illis teſtamento donatum, relictum, vel venditum.

66 Contra pupillum non currit tempus præſcriptionis, dum eſt in pupillari ætate; & contra minorem requiritur tempus triginta annorum. *ſicut in rem C.de praſcript;& l.vlt.C.In quibus cauſis in integr. reſt. non eſt neceſſe*; quia pupilli,& minores nequeunt ſuis rebus attendere.

67 Bona Fiſci incorporata præſcribuntur ſpatio quadraginta annorum. *l.omnes, & l.competit C.de preſcript.triginta annor.* Quæ verò ſpectant ad coronam Regis, annorum centum.

68 Petes 1;an quis poſtquam bona fide poſſedit rem alienam toto tempore à lege preſcripto, cognoſcat eſſe alienam, teneatur illam Domino reſtituere.

Reſp. teneri in vtroque foro. *c.vigilanti; & c.fin. de praſcript*; quia iuſtitia abſolute iubet reddi cuique, quod ſuum eſt; nec tempus reddendi ibi præſcribitur.

69 Petes 2;an dubitans rem eſſe ſuam poſſit illam præſcribere?

Reſp; quòd incipiens dubia fide poſſidere, nequit præſcribere. *l.bona fidei ff.de acq.rer.dom.* Si tamen dubium ſuperueniat poſſidenti, non interrumpitur præſcriptio. *ex reg. in pari 65. de reg.iur.in 6; & reg.in pari 170.ff.de reg. iur*; vbi dicitur, quòd *melior eſt conditio poſſidentis*. Tenetur tamen diligenter inquirere, an res ſit ſua? *Gloſ.in c.fin. de praſcript;Bart. in l.naturaliter de vſucap.*

70 Petes 3; quæ res poſſint præſcribi?

Reſp.1. hominem liberum non poſſe præſcribi ita, vt fiat ſeruus. *l.vlt. C. de longi temp. praſcript. l.vſucap. ff.de vſucap. §.Sed aliquando 1 Inſtit.eod.* 2. Nequit præſcribi exemptio à proprio Prælato.*c.cùm non liceat de praſcript.* 3.Neque ab obedientia Principis ſæcularis. Ratio eſt; quia hæc omnia ſunt de iure Diuino.4.Laici non poſſunt præſcribere iura ſpiritualia, & res Eccleſiaſticas; quia laici nequeunt hæc iura poſſidere. *c.Cauſam, qua de praſcript.* 5.Nequit præſcribi ius repugnans eccleſiaſticæ diſciplinæ; vt quòd quis celebret in eccleſia interdicta pulſatis campanis,& alta voce. *c.cùm inter.* 6.Nequeunt præſcribi res publicæ, vt via, platea, fontes &c. *l.vſucap. ff.de vſucap.l.praſcriptio C.de operib.public.* 7.Neque cenſus, & tributa, quæ ſoluuntur Principi. *l.Competit C.de praſcript.30;vel 40.annor;& Bart.l.in omnib. ff.de diuit; & tempor.praſcript.* 8. Neque res malè acquiſitæ; vt per furtum, aut per vim; quia hæc ſemper mala fide poſſidentur. 9. Neque fines prouinciarum, parochiarum, & Epiſcopatuum. *c Super eo de Paroch; & c.quicunque; & c.licèt in regulis; & c.inter memoratos. 16.q.3.* Tandem nequeunt præſcribi res, quæ alienari prohibentur; vt res minorum. *l.2. §.Si à pupillo ff.pro empt; & l.bona fidei §.Nec intereſt ff.de acq.poſſ.* Sic nequit præſcribi fundus dotalis, res primogenituræ alligatæ, vel fideicommiſſo.

ART. IV.

De reſtitutione.

1 FVſiſsimè agunt de hac re *Auctores*, & præcipuè noſter doctiſſimus *Salonius*; nos autem morem gerentes *Beatiſs.P*; qui totam hanc materiam pertractat *op.54*; illam, quantùm fieri poterit, perſtringemus.

2 Reſtitutio quoad nominis etimologiam ſignificat *rem ſtatuere in priſtinum. l. Reſtituere ff.de verb.ſignific.* In hac tam ampla ſignificatione non ſumitur *hic* reſtitutio; nam cùm aliquis depoſitus ab aliquo officio remittitur in illud, dicitur reſtitui in officium; nos verò *hic* accipimus reſtitutionem, prout eſt *actus iuſtitia commutatiua, quo redditur alteri, quod illi ablatum, aut debitum erat.*

3 Dices. Peccans contra Iuſtitiam diſtributiuam, & contra iuſtitiam legalem tenetur damna reſtituere; ergo reſtitutio non eſt actus tantùm commutatiuæ.

Reſp; quòd quatenus infert damnum, peccat formaliter contra commutatiuam, quæ concurrit ſimul cum diſtributiua, & legali; & materialiter ſpectat contra diſtributiuam, & legalem, quatenus diſtributiua, & legalis coniunguntur cum commutatiua.

4 Sed dubium eſt; an reſtitutio differat à ſatisfactione?

Reſp. differre, tanquam minùs vniuerſale à magis vniuerſali; nam ſatisfactio pertinet etiam ad vindicatiuam; reſtitutio verò ſolùm ad commutatiuam, vt dictum eſt.

5 Quæres 1; an reſtitutio ſit neceſſaria ad ſalutem?

Reſp. eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti. Prob. *ex Leuit.6. Qui ei aliquid extorſerit, aut calumniam fecerit, omnia integrè primùm reſtituat. Et Rom.8. Reddite omnibus debitum.* 2.Ex *Beatiſs.P.ep.54.* docente: *Si enim res aliena, propter quam peccatum eſt, cùm reddi poſsit, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, niſi reſtituatur ablatum; ſed vt dixi, cùm reſtitui poteſt. Plerunque enim qui aufert, ammittit, ſiue alios patiendo malos, ſiue ipſe malè viuendo, nec aliud habet, vnde reſtituat. Huic certè non poſſumus dicere: Redde, quod abſtuliſti; niſi cùm habere credimus, & negare.* Refertur *in c.Si res aliena 14.q.6; & c.cùm tu de Vſur; & de reg. iur. in 6. reg.Peccatum*; & *Fund.Doct. in 2. diſt.33. dub.4.lit.* ait: *Si quis habeat de alieno mille libras, & in morte non habeat, niſi obolum, dando illum obolum, & dolendo, quòd non poſſet plus reſtituere, eſſet abſolutus in ſola enim contritione remittitur peccatum. Illud ergo dictum, quòd non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum, locum*

habet,

habet, quando eſt poſſibilis reſtitutio. Ex quibus ſic. Illud eſt neceſſarium ad ſalutem tantùm neceſsitate præcepti; ſine quo ſalutem conſequi non poſſumus, cùm tamen illud valemus implere; in hoc enim diſtinguitur neceſſarium neceſsitate præcepti à neceſſario neceſsitate medij, quòd neceſſarium neceſſitate medij non excuſatur ab aliqua impotentia phyſica; vnde baptiſmus aquæ infantibus dicitur neceſſarius, vt medium ad ſalutem, quia ſine baptiſmo, etianſi ſit impotentia phyſica baptizandi, v.g. ob defectum aquæ, infans ſalutem conſequi non poſſet, neceſſarium autem neceſſitate præcepti eſt illud, quod ab impotentia excuſatur; & ideo etiam ſine illo, cùm illud implere non poſſumus, ſalutem conſequi valemus; ſed reſtitutio eſt huiuſmodi; quia ita præcipitur, vt cùm nulla adeſt impotentia, ſine illa non poſſimus conſequi ſalutem; nam qui non reddit, cùm habet, vnde reddat, verè non pœnitet abſtuliſſe, ſed fingit pœnitere; pœnitentia autem ficta non ſufficit ad ſalutem, quam potiùs impedit; ſi verò non habet, vnde reddat, & verè pœniteat ita, vt ſi haberet, verè redderet; propter quod dicitur reddere in promptitudine animi, adhuc ſalutem conſequitur; quia contritio ſola ſufficit ad ſalutem; aliter via ad ſalutem æternam præcluderetur in hac vita; vt ait *Fund. Doct. ibid*; & ſic daretur deſperatio; ergo reſtitutio eſt neceſſaria tantùm neceſſitate præcepti.

6 Præceptum autem reſtitutionis reducitur ad præceptum: *Non furaberis*; quia eiuſdem malitiæ eſt retinere rem alterius inuito Domino, ac illam ei auferre. Propterea eſt præceptum negatiuum, non affirmatiuum; quidquid dicant *Caiet., Sot., Sayr., Val., & Afflict. apud quem alij plures*. Negatiuè proponitur *ab Apoſt. Rom. 8. Nemini quidquam debeatis*; ſeu ne detinueritis rem alienam, quod reducitur ad *non furaberis*. *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*. Tum quia detinere rem alienam, eamque actualiter poſſidere eſt actus poſitiuus, poſſeſſio enim eſt quid poſitiuũ; *eſt* enim *animus retinendi rem*; vt diximus *in ſup. art. n. 60*; ſed detinere, & poſſidere rem alienam eſt oppoſitũ reſtitutioni; ergo reſtitutio eſt iuxta illud præceptum, contra quod eſt detentio, & poſſeſſio; & præceptum, contra quod eſt poſſeſſio rei alienæ, eſt negatiuum; nam poſſeſſio eſt actus poſitiuus, & propterea peccatum commiſſionis, non omiſſionis; & peccatum commiſſionis eſt contra præceptum negatiuum: ergo idem. Tum quia falſum eſt præcepta omnium actuum virtutis eſſe affirmatiua; vt putat *Afflict. hic ſect. 2. n. 19.*, nam actus abſtinentiæ à carnibus in die veneris, eſt actus virtutis abſtinentiæ, & tamen eſt contra præceptum negatiuum; ergo idem.

7 Quæres 2; quid dicendum ſit de damno ſpirituali?

Reſp. eum, qui vi, & fraude inducit aliquem ad peccandum, teneri ex iuſtitia ad reſtituendum eum in priſtinam bonitatem non ſolùm auferendo vim, & fraudem, ſed etiam deceptum exhortando, vt à peccato reſipiſcat, & omni modo curando, vt emendetur. Prob. Qui damnum corporale infert alicui per fraudem, & vim, tenetur illud damnum ex iuſtitia recompenſare; nam fraus, & vis opponitur iuſtitiæ; & ideo tenetur iuſtitiæ ſatisfacere; ergo à pari; quia damnum ſpirituale eſt maius damno corporali, & peccatum eſt damnum ſpirituale. Sed nequit hoc dãnum reparare, niſi tollendo fraudem, & vim, & procurando omni modo, vt à peccato reſipiſcat; quia manente fraude, & vi manet peccatum cauſatum ex fraude, & vi; & licèt ſublata fraude, & vi, ſi inductus ad peccatum maneat in illo, voluntariè maneat, propter quod inducens non videtur teneri ad curandum omni modo, vt ille reſipiſcat à peccato; vt tenent *Sot., Vaſq., & Afflict.*; attamen quia inducens ad peccatum per fraudem, & vim fuit cauſa, quòd inductus poſtea voluntariè maneat in peccato; non enim voluntariè maneret in peccato, niſi fraudulenter inductus fuiſſet; ideo tenetur etiam curare, ne voluntariè adhæreat peccato. Vnde falſum eſt ſolùm primum peccatum eſſe damnum illatum ex vi, & fraude; vt docent *prędicti Auctores*; nam etiam voluntaria conſenſio ex vi, & fraude cauſatur; ideo ex iuſtitia tenetur ad illam euertendam, ſi poteſt. *Ita noſtri Arag., & Salon.*,

8 Qui autem inducit aliquem ad peccandum ſolùm ſuaſionibus, non tenetur ex iuſtitia damnum reparare, ſed tantùm ex charitate; quia ſic inductus voluntariè conſentit peccato; nam *volenti, et conſentienti nulla fit iniuria*; vt diximus *art. 1. §. 2. n. 30*; *& ex c. nullus de reg. iur. in 6.* habetur ad reſtitutionem obligari neminem, qui conſilium dedit, quod fraudulentum non eſt.

9 An autem grauiùs peccet inferens damnum ſpirituale, quàm corporale, iam diximus *de Peccat. q. 7.*

10 Quæres 3; an retrahens aliquem à religione teneatur reſtituere damna illata religioni?

Reſp. eum, qui à religione extrahit aliquem iam profeſſum fraude, vel vi, vel etiam precibus, teneri ad omnia damna religionis; quia religio per profeſſionem acquiſiuit ius ad omnia bona, quæ poterant aduenire illi religioſo; quo iure iniuſtè priuatur ab extrahente illum profeſſum à religione. Nec officit, quòd extractus conſentiat; nam ille, vtpotè profeſſus, non eſt ampliùs ſui iuris. Si verò non fuerit profeſſus, non tenetur, quia religio non acquirit ius, niſi per profeſſionem; vnde falſa eſt ſententia aſſerens teneri ad procurandum, vt redeat, & ſi noluerit redire, teneri ad quærendum ſimilem; & ſi nõ inuenerit, teneri ipſum ingredi talem religionem; nam religio, vt dictum eſt, adhuc nullum ius ſuper talem acquiſierat. Si tamen per vim, & fraudem impediat ingreſſum, tenetur fraudem detegere, & vim tollere, vt diximus.

An

11 An autem impediens ingreſſum religionis incurrat excommunicationem,dicitur excommunicationem incurrere impedientes mulieres, ne velum accipiant, & ne profeſſionem emittant; hanc tamen non extendi ad impedientem viros volunt *Sua.in 3.p.diſp.23.ſect.5.n.8.,Ban., Sanch.,& Afflict.*,quia odioſa nõ ſunt ampliãda:

12 Quæres 4., quid homicida, vel mutilator teneatur reſtituere.

Reſp.homicidam, vel mutilatorem duplex damnum inferre; aliud naturale, ſeu perſonale, quod eſt priuatio vitæ,vel amiſſio membri;aliud temporale,ſeu reale; & eſt illud, quod conſequitur ex priuatione vitæ, vel membri. Hoc autem duplex eſt, aliud emergens; vt cùm quis vulneratus debet expendere in chirurgo, medicinis &c., item quia occiſus, aut vulneratus nequit res ſuas cuſtodire, & curare, ne diripiantur, & deperdantur. Aliud eſt lucrum ceſſans; vt quia tali membro mutilato poterat laborare,& lucrari. *Hoc ſupp.*

13 Dicendum homicidam, vel mutilatorem non teneri ad reſtitutionem damni naturalis, ſeu corporalis, idèſt vitæ, vel membri abſciſſi; quia naturaliter loquendo vita, vel membrum abſciſſum non poteſt reſtitui: teneri tamen ad reſtitutionem damni temporalis,ſeu realis,ſiue ſit damnum emergens, ſiue lucrum ceſſans. Prob. *Exod. 21*;& refertur *in c.de iniurijs, & damno dato: Si rixati fuerint viri, & percuſſerit alter proximum ſuum lapide,& iacuerit in lecto;qui percuſſerit,operas eius,& impenſas in medicos reſtituat;& l.Qua actione ff.ad l. Aquiliam*. Ratio eſt; quia quod eſt cauſa alicuius,ad quod neceſſariò ſequitur damnum, eſt cauſa ipſius damni; nam *quod eſt cauſa cauſa, eſt cauſa cauſati*. Reſtitutio autem ſemper ſemper eſt commenſuranda cum damno illato, ſit enim ratione ipſius damni duntaxat; & ideo æqualitas, quàm exigit iuſtitia, reſpectu ipſius damni debet attendi; non autem reſpectu perſonæ læſæ, & lædentis, vt *aliqui* malè opinantur. Vnde ſi quis occideret, vel mutilaret bracchium alicui patrifamilias, qui laboribus manuum ſuarum ſuos filios alebat, teneretur ad alendos eius filios; & ſi ipſe decederet,hæredes illius tenerentur de illius ſubſtantia eos alere, quouſque prudenter poſſet exiſtimari alitos futuros fuiſſe à patre occiſo,vel mutilato.

13 *Noſtri autem Arag. & Salon.*,quibus additur *Nauar*, aſſerunt, quòd quando pars læſa inſtat Iudici,vt homicida,vel mutilator luat pœnam in corpore vel mortis, vel exilij &c., tunc non tenetur ad reſtitutionem damni.*l.1.ff.de ſatisf.cog. & l.ſi rem §.omnis ff.de pignor.act.*Si autem læſus remittat iniuriam, non cenſetur etiam damna remittere, niſi de illis expreſsè faciat mentionem. *l.Is,qui puteum §.ſi poſtea ff quod vi, aut clam*; nam remiſſio iniuriæ pertinet ad iuſtitiam vindicatiuam, reſtitutio verò damnorum ad commutatiuam; datur enim pro reparatione diminutionis patrimonij. *l. damnum §. 1. ff. de damno infect., & c. ſi canonici; vbi, Gloſ. de offic. ord. in 6., Bald.in l.ſi pro iure ff. de condit furtiu.*

15 Quæres 5; an virginis deflorator teneatur reſtituere?

Reſp., quòd ſi virgo ſit ſui iuris, nec vllo modo ſub alterius poteſtate, aut tutela; & liberè in ſtuprum conſentit, ſtuprator nihil tenetur reſtituere; quia *ſcienti,et conſentienti nulla ſit iniuria*; vbi autem non eſt iniuria, nullum violatur ius; & ideo nulla reſtitutio eſſe poteſt. *Ita communiter omnes contra Caiet.,et Med.* Idem dicendum ſi puella ſit ſub cura parentum,aut tutoris, conſentientibus parentibus,aut tutore.

16 Dices. Virgo non eſt domina,ſed cuſtos ſignaculi virginalis, quo tantùm vti poteſt in actu coniugij; ergo qui illud violat, peccat contra iuſtitiam; ſicut dicitur de mutilante manum etiam conſentiente mutilato. 2.Stuprata nubens viro ſtuprum ignoranti irrogat iniuriam, & ſe multis periculis, & damnis exponit;ergo idem.

Reſp. ad 1. neg.ant; nam peccans vſu proprij corporis,peccat contra temperantiam, non contra iuſtitiam; & ſic ideo habet dominiũ, non ſimplicem cuſtodiam ſui corporis; qualem habet mutilatus. Ad 2. dicitur iniuriam irrogari viro à puella conſentiente in ſtuprum, non à ſtupratore; & illa pericula, & damna ſponte incurri, non per vim inferri puellæ.

17. Si autem quis per vim,metum,aut fraudem virginem violet, tenetur reſtituere omnia dãna ex violatione inſurgẽtia,& ducere in vxorem.Habetur *Exod.22.Si ſeduxerit,quis virginem nondum deſponſatam, dormieritque cum ea,dotabit eam, & habebit vxorem. Si autem pater virginis dare noluerit,reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere conſueuerunt*. Habetur etiam *tx c. 1. de adulteriis; & c. 2.* Si tamen ſit valde inæqualis conditionis, tunc tenetur eam tantùm dotare, non autem in vxorem ducere. Prætereà ſi puella nolit ei nubere; tunc ſtuprator cenſetur liber ab obligatione ducendi eam in vxorem. Item ſi puella ſtupro conſentiat, & parentes non conſentiant; tenetur iniuriam illatam parentibus reſtituere;non autem ſi etiam parentes conſentiant.

Si verò puella non erat,ſed tantùm putabatur virgo; tunc tenetur damna reſtituere; quia læditur ius, quod habebat in hominum exiſtimatione.

Tandem ſi quis ſictè, vel verè promittit virginem ducere, & vi talis promiſſionis virgo conſentit; tenetur eam ducere; quia huiuſmodi promiſſio eſt verus contractus mutuus obligans ex vtraque parte. Si tamen promittit ea conditione, quòd virgo ſit; & poſtea deprehenderit virginem non eſſe, non tenetur eam ducere. Si autem non expreſſerit hanc conditionem, quòd virgo ſit, tenetur. *Vid. to.3. q.1. de Inuol. art.6. n.20., & 21.*

18 Quæres 6; an qui abſtulit rem, teneatur ſolùm reddere pretium, quo æſtimabatur, quando eam abſtulit; vel illud, quod æſtimatur, cùm illam reddit?

Reſp. teneri reddere pretium, quo æſtimatur, cùm illa reddit; quia ſi res fuiſſet apud dominum, auctum quoque fuiſſet pretium illius in fauorem ipſius domini. Idem dicitur de pecunia, quæ ſi apud dominum aliquod lucrum fuiſſet, vel etiam apud furem, tenetur illam vna cum lucro reddere; quia fructus ex iuſtitia pertinent ad dominium rei, quæ fructificat domino. Ob eandem rationem non ſoluens pecuniam tempore præfixo in contractu tenetur ad reſtitutionem damni emergentis, & lucri ceſſantis. *ex c. fin. de iniuria, & damno dato; ex l. Non vtique §. Nunc de offic., & l. 4. ff. de eo, quod pro certo lucro; & l. nummis iuncta Gloſ. ff. de in.*

19 Quæres 6., an cedens ligna, vel paſcens pecus in ſyluis, vel venans, aut piſcans in fluuijs teneatur reſtituere?

Reſp; quòd ſi fiat in ſylua, vel fluuio communi, non eſt peccatum, nec tenetur reddere; quia non aofert alienum; commune enim non eſt alienum, aliter non eſſet commune. Si autem ſylua, aut fluuius ſit alicuius priuati, vt ſunt ſaltus, & lacus, aut piſcaria muio circumſepta, eſt peccatum reſtitutioni obnoxium; quia tunc res eſt aliena.

§. 1.

De reſtitutione famæ, & honoris.

20 BOnum ablatum, quod iuſtitia iubet reſtitui, duplex eſt; aliud vtile, & phyſicum; vt ſunt iſtæ res exteriores; aliud honeſtum, & morale; vt fama, & honor; non enim læditur proximus ſolùm in his rebus exterioribus, & iniuriam patitur, ſed multò magis in detractione famæ, & honoris, quæ ſunt maxima bona; ideo iuſtitia præcipit nedum reſtitutionem rerum exteriorum, ſed etiam famæ, & honoris. Differt autem fama ab honore; quòd fama eſt *exiſtimatio vitæ inculpatę, & bonę alterius*; ſeu *illæſæ dignitatis ſtatus moribus, & vita comprobatus*; vt docet *Gloſ. in c. vitam de cohab. mulier.*, & ſumitur *ex tex. in l. in legem §. Exiſtimatio ff. de var. & extr. cognit*; vel vt ait *Beatiſſ. P. lib. 3. de doctr. Chriſt. c. 12; Odor bonus bona fama eſt, quam quiſquis bonę vitę operibus habuerit.* Honor autem obiectiuè ſumptus eſt *quędam excellentia, cui debetur cultus & reuerentia*, ipſe autem cultus, & reuerentia eſt honor formaliter ſumptus. Igitur.

21 Quoad 1. fama læditur per detractionem, qua aliquid verum, vel falſum dicitur, quo aufertur bona exiſtimatio, quam habebat proximus apud alios.

Dicendum, quòd qui alium falsò infamat, peccat mortaliter, & tenetur famam reſtituere. Idem dicendum de eo, qui verum crimen occultum detegit. Prob. *Prouer.* 22. *Melius eſt bonum nomen, quàm diuitiæ multæ*; ſed qui aufert diuitias proximo, peccat mortaliter, & eas tenetur reddere; ergo à fortiori qui aufert bonum nomen, ſeu famam bonam; quæ eſt bonum maius, quàm ſint diuitiæ. Et licèt illud crimen ſit verè commiſſum; attamen quandiu eſt occultum, manet fama, ac ſi non eſſet commiſſum, & tollitur per manifeſtationem illius; et ideo talis manifeſtatio incurrit obligationem reddendi.

22 Excipitur tamen, qui iuris ordine ſeruato alium de vero crimine accuſat apud Iudicem; quia tunc fit, vt iuſtitia, quæ pœnam imponit tali delicto, impleatur.

23 Modus autem reſtituendi eſt. Si quis falsò infamat, tenetur reſtituere dicendo ſe eſſe mentitum, et ſi non credatur, tenetur iurare, et etiam adhibere teſtes. Si verò verum crimen detegit, ſed occultum, non tenetur dicere ſe eſſe mentitum; ſed ſolùm ſe ex malitia locutum fuiſſe de illo, illum verò eſſe omni honore, & laude dignum.

24 Prob. 1. pars; nam qui falsò infamat alterum, verè mentitur; ergo tenetur dicere ſe eſſe mentitum. Item tenetur omni meliori modo reſtituere; ergo ſi ei non credatur, tenetur etiam iuramento veritatem teſtari; & ſi hoc non ſufficiat, etiam teſtes adhibere.

25 Prob. 2. pars. Nemini licet mendacium proferre quocunque titulo; quia ſemper mendacium eſt malum moraliter; & nunquam licet malum morale proſequi; ergo nullus tenetur dicere ſe eſſe mentitum detegendo verum crimen. Dicendo autem ſe eſſe locutum ex malitia verum dicit; quia detegendo crimen alterius, quod ex charitate debet occulere, non ex charitate, ſed ex malitia loquitur; & ille habens bonam famam apud proximum ſecundùm illam eſt dignus laude, & honore. Nec licita eſt mentis reſtrictio, quia iſta eſt iam damnata ab Eccleſia.

26 Quæres 1; an ſi quis reus alicuius delicti accuſatus, & deinde interrogatus à Iudice neget delictum, peccet, & teneatur famam accuſatori reſtituere?

Reſp; quòd ſi legitimè interrogetur, negando veritatem peccat mortaliter; & tenetur famam reddere. Si autem non legitimè interrogetur, & non adſint teſtes delicti, poteſt reſpondere accuſatorem in hoc decipi; & alijs verbis accuſatoris famam non lædentibus; nam criminum occultorum iudicium ſoli Deo eſt reſeruatum; & quoties crimen eſt internum, & externis iuditijs nequit probari, vnuſquiſque habet ius ad ſuam famam, & vitam tuendam.

27 Quæres 2; an qui de peccatis venialibus alterius obloquitur, peccet, & teneatur reddere famam?

Reſp. peccare venialiter regulariter loquendo,

do, & teneri famam reddere ſub veniali. Si tamen illa venialia indicent mortale; vt v.g. ſi quis detrahat alicui dicens ſe illum vidiſſe licentiosè loquentem cum fœmina; quia ex hoc poteſt indicari ex verbis ad factum proceſſiſſe, peccat mortaliter, & tenetur ſub mortali reddere. Sic etiam poteſt eſſe peccatum mortale impingere aliquod peccatum veniale perſonæ grauiſſimæ, quod grauiter lædat illius exiſtimationem.

28 Quæres 3; an ſimpliciter narrare ſe audiuiſſe aliquod crimen abſque animo infamandi, & nihil de eo affirmando, aut negando, ſit peccatum?

Reſp. affirmatiuè; ſi inde oriatur Infamia illius; quia illo diſcurſu aufert famam, ac ſi haberet animum infamãdi; & ſic tenetur reſtituere.

29 Quæres 4; an qui detegit hipocriſim alicuius, peccet, & teneatur reſtituere?

Reſp; quòd ſi talis hipocriſis noceat communitati eo, quòd inducat idiotas in errorem, non peccat, nec tenetur famam reddere; quia bonum publicum anteponendum eſt bono priuato. Si autem nulli noceat; idem dicitur, quod de alijs peccatis.

30 Quæres 5; an qui publicat occultum delictum alicuius Religioſi tacendo nomen illius, & ſolùm nominando Religionem peccet; & teneatur reddere?

Reſp. affirmatiuè; quia grauiter læditur fama ipſius Religionis.

31 Quæres 6; an narrans crimen aliàs publicum alicui illud neſcienti peccet?

Reſp; quòd narrans in illo loco, in quo crimen eſt publicum, non peccat; imò etianſi narret in aliquo loco, ſed ad quem probabiliter putat poſſe peruenire illius notitiam. Peccat tamen, ſi narret in aliquo loco, ad quem eius notitiam iudicat peruenire non poſſe.

32 Quæres 7; an infamator teneatur petere veniam?

Reſp. affirmatiuè. *Beatiſs. P. in Reg.* ait: *Quicunque maledicto, vel conuicio aliquem laſerit, meminerit ſatisfact.one quàm citiùs curare, quod fecit. Qui autem non vult petere veniam, ſine cauſa eſt in Monaſterio, etianſi inde non proijciatur.* Rationem tradit *ibid*; quia per relaxationem iniuriæ ſatisfit iuſtitiæ; quapropter ait; quòd *ſi duo ſe inuicem laſerint, inuicem relaxare debebunt.* Hoc tamen excipit in Superiore, qui à ſubditis veniam petere non debet, ſed à Deo; *ne dum nimiùm ſeruatur humilitas, regenti frangatur auctoritas.*

33 Quæres 8; an audiens detractionem, & tacens peccet, & teneatur famam reddere?

Reſp. affirmatiuè. Prima pars prob. *ex Beatiſs. P. ſerm. 26. ad Fratr. in Erem.* docente: *ſicut lepra proprium corpus deuorat, & ſibi adhærentes inficit; ſic & murmurator non ſolùm ſeipſum deſtruit, ſed etiam cunctos audientes inficit, & occidit*; ſed anima non occiditur, niſi per peccatum mortale; ergo audiens detractionem peccat mortaliter. Idem habet *ſerm. 45. ibid. Ille autem, qui detrahit, & ſe, & eum, qui audit, perdit.* Secunda pars, quæ eſt *cont. Afflict; & alios*, prob. Qui audit, & non corrigit, cenſetur conſentire detractioni iuxta illud *D. Ambr. Tacuiſti, conſenſiſti*; ſed conſentiens detract oni, tenetur reddere famam; ergo & qui audit. Tum quia confirmans detractionem tenetur reddere; ſed *qui tacet, confirmat*; ergo idem. Tum quia *pſ. 38. Silui à bonis, & dolor meus renouatus eſt*; ſuper quod *Beatiſs. P. ſerm. 26. vbiſ.* ait: *Bonum vbique proferre non debemus; ſed tempus proferendi agnoſcamus in cunctis*; atqui cùm quis detrahit proximo, eſt tempus bene loquendi, & bonum proferendi de eo; iuſtitia enim exigit, vt eius famam tueamur, tanquam noſtram; quia tenemur ipſum diligere, ſicut nos; ergo idem. Tum quia tacens verè peccat peccato detractionis, fit enim particeps peccati detrahentis, quod non eſt, niſi detractio; ſed peccans peccato detractionis tenetur reddere; ergo & audiens. Tum quia ſi non non teneremur reddere, maximè quia per nullum actum exteriorem peccaremus contra iuſtitiam, vt docent *Aduerſarij*; ſed hoc eſt falſum; quia illud ſilentium externum reputatur, tanquam actus externus; cùm ſit omiſſio externa defenſionis proximi; & omiſſio externa reputatur actus externus; ergo idem.

34 Quæres 9; an detractor teneatur reddere etiam apud illos, ad quos mediantibus alijs peruenit illa detractio?

Reſp. affirmatiuè; quia fuit cauſa, quòd ad illos peruenerit; & quia omni meliori modo debet reſtituere?

35 Quæres 10; an teneatur reddere cum periculo vitæ?

Reſp. *Auctores* negatiuè, quia vita præponderat famæ, & pecuniæ, cùm ſit maius bonum; iuſtitia autem non præcipit reddi maius, ſed æquale. Sed hæc doctrina videtur falſa; nam Chriſtus Dominus dedit vitam, de honore autem dixit: *Honorem meum nemini dabo*; tum quia vita eſt temporalis, honor verò immortalis, & æternus; æterna autem præponderant temporalibus. Tum quia *potiùs mori, quàm fœdari*; ergo ſicuti potiùs debemus vitam perdere, quàm peccare; ita debemus vitæ diſcrimen ſubire, quàm permanere in peccato; qui autem non reſtituit, permanet in peccato; quia *non remittitur peccatum, niſi reſtituatur oblatum.*

36 Quoad 2. honor eſt *quædam excellentia, quam homo acquirit mediante virtute*; quapropter *Romani*, vt ait *Beatiſs. P. lib. 5. de Ciu. Dei c. 12*; conſtituerũt coniunctas ędes virtutis, & honoris; quia *Via virtus eſt, qua nititur, tanquam ad poſſeſſionis finem, ideſt ad gloriam, honorem, imperium. Hoc inſitum habuiſſe Romanos etiam Deorum apud illos ædes indicant, quas coniunctiſſimas conſtituerunt virtutis, & honoris.* Læditur autem

tem honor contumelijs, conuiuijs, improperijs, irriſione, ſubſannatione, alijſque actionibus exterioribus factis in contemptum alterius. *Vid.de Virt.q.4.art.2.n.*8. Contumelia reſpondet rapinæ, quæ fit coram Domino rei; ſicut detractio reſpondet furto, quod fit neſciente Domino. ſubſannatio differt ab irriſione ſolùm, quòd ſubſannatio fit factis, & membris corporis; vt cùm quis naſo, labijs, manibus aliquem irridet; irriſio verò fit tantùm verbis.

37 Dicendum. Honor iniuſtè ablatus eſt reſtituendus; modus autem reſtituendi eſt petere veniam; & ſi hæc non ſufficiat, faciendum eſt omne illud, quod honorem adæquatè reſtituat.

Prob.1.pars. Honor eſt maximum bonum, ſed bonum ablatum eſt reſtituendum; ergo & honor.

38 Prob.2.pars. Reſtitutio eſt facienda ad æqualitatem; ergo cùm honor petitione veniæ exactè non reſtituitur, obligamur ex iuſtitia facere omne illud, per quod adæquatè reſtituatur.

39 Petes; an qui impedit dignum, ne conſequatur beneficium, peccet, & teneatur reſtitutioni?

Reſp; quòd ſi impediat magis dignum, vt detur minùs digno, peccat, & tenetur reddere. Si autem impediat minùs dignum, vt detur digniori, non peccat, nec tenetur reddere; dummodò tamen verbis iuſtis, & licitis impediat; nam ſi impediret calumnijs, & verbis infamantibus, peccaret, & teneretur reddere honorem, & famam, non tamen beneficium ablatum. Si tandem impediat dignum, vt detur æquè digno; non peccat, neque tenetur reſtituere, dummodò id licitè, & iuſtè faciat, non per vim, & fraudē.

40 Prob. *ex Beatiſs.P.ep.29*, vbi loquens de iuſtitia diſtributiua, quæ excludit acceptationem perſonarum ſuper illud *Iac.2. Nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriæ; etenim ſi introierit vir aureum annulum habens in veſte candida; introierit autem & pauper in ſordido habitu; & intendatis in eum, qui veſtitus eſt veſte præclara, & dixeritis ei: Tu ſede hìc bene; pauperi autem dicatis: Tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum; nonne iudicatis apud veſmetipſos, & facti eſtis iudices cogitationum iniquarum*; ait: *Audite, fratres mei dilectiſſimi. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide &c. Nec ſanè, quantùm arbitror, putandum eſt leue eſſe peccatum in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſi illam diſtantiam ſedendi, ac ſtandi ad honores Eccleſiaſticos referamus. Quis enim ferat diuitem ad ſedem honoris Eccleſiæ contempto paupere inſtructiore, atque ſanctiore?* Ex quo ſic. Diſtribuens beneficium minùs digno relicto digniori, peccat contra iuſtitiam; ergo & impediens digniorem; atqui peccans contra iuſtitiam tenetur reſtitutioni; ergo ſic impediens tenetur reſtitutioni; nam impediens adiuuat diſtribuētem, cumque inducit ad diſtribuēdum minùs digno; adiuuans autem, & inducens pari pœna puniuntur, qua punitur principale operans. Item ſi impediat minùs dignum, non agit contra iuſtitiam, quia iuſtitia iubet conferendum eſſe digniori. Tandem æquè dignus æquale ius habet ad illud beneficium; ergo impediens non agit contra iuſtitiam; ſic enim ſolùm diſtribuit arbitrium, quod nulli irrogat iniuriam.

§. 2.

De eo, qui tenetur reſtituere.

41 IN reſtitutione duo conſideranda ſunt; ſcilicet res accepta, & ipſa acceptio; & ex vtraque oritur obligatio reſtituendi; ex re quidem accepta; quia iuſtitia præcipit, vt reddatur, quod alienum eſt; & ex acceptione, quia aliquando acceptio eſt iniurioſa, & tunc eſt obligatio ſatisfaciendi iniuriæ. Tribus enim modis accipi poteſt res aliena. 1. Cùm accipitur inuito Domino vel neſciente, vt in furto, vel ſciente, vt in rapina. 2. Cùm accipitur ex mutuo, vel ex commodato ad propriam vtilitatem. 3. Cùm accipitur in depoſitum ob vtilitatem ipſius deponentis. Primis duobus modis tenetur reſtituere ratione rei acceptæ, & ratione acceptionis, etiamſi nihil rei maneat apud ſe ipſum, habeat tamen, vnde reddat; quia tunc cenſetur manere in ſuo effectu; nam quòd maneat id, vnde poteſt reddere, eſt veluti effectus rei acceptæ iam conſumptæ; quia ſi non accepiſſet rem iam conſumptam, conſumpſiſſet id, quod manſit. Sed hoc eſt diſcrimen inter hos duos modos accipiendi; quòd primus eſt cum iniuria domini; & ideo etiam iniuria eſt ſatisfacienda; ſecundus eſt ſine iniuria, eſt tamen cum gratia ipſius, ideo gratia eſt recumpenſanda. Tertio modo tenetur reſtituere ſolùm ratione rei acceptæ, non ratione acceptionis; quia accipit ſolùm ob vtilitatem domini rei; & ſi res deperdatur abſque ſua culpa, non tenetur reddere æquiualens ex ſua propria ſubſtantia; ſecus tamen ſi ſua culpa.

42 Circa obligationem ortam ex re accepta nonnulla dubia ſoluenda ſunt.

Dicimus. 1. Qui rem alienam etiam bona fide acceptam cognoſcit non eſſe ſuam, ſtatim tenetur eam reddere. *Ita Beatiſs.P. lib.de Fide, & operib. c.1.* docente: *Sicut in iuribus prædiorum tandiu quiſque bonæ fidei poſſeſſor rectiſſimè dicitur; quandiu ſe poſſidere ignorat alienum. Cùm verò ſciuerit, nec ab aliena poſſeſſione receſſerit; tunc malæ fidei perhibebitur, tunc iuſtè iniuſtus vocatur.* Prob. Cognoſcens rem acceptam non eſſe ſuam, & non reddens operatur contra rectam rationem dictantem rem alienam eſſe reddendam, & contra iuſtitiam hoc præcipientem; tum quia tunc ceſſat bona fides; ſed quilibet obligatur ad operandum ſecundùm rectam rationem, & ſecūdùm iuſtitiā, & bonam fidē; ergo tenetur illā reddere.

43 Dici-

43 Dicimus 2. Re non conſumpta tenetur randem numero reddere, nec ſatisfacit reddendo æqualem, niſi dominus rei contentus eſſet, quòd ei redderetur æqualis. Prob. *ex l. Cùm à quo; & l. Manifeſti C.de ſolut*; & ratio eſt; quia illa res numero eſt ſub dominio illius; ergo illa eſt reddenda.

44 Dicimus 3; quòd licèt iuxta regulam iuris poſſeſſor bonæ fidei, cùm cognoſcit rem non eſſe ſuam, teneatur reddere ipſam rem, & fructus ex illa perceptos, quando ex illis factus eſt ditior; *vt l. Item veniant; & l. ſed & ſi lege ff. de pet. hæred; & l. ſi rem, & pretium ff. eod. cum l. ſeq*; attamen in foro conſcientię tenetur reddere fructus, etiam quando non eſt factus ditior ex illis. *Sanch. lib. 2. ſum. c. 23.* explicat illum fieri ditiorem, quando eius patrimonium non eſt diminutum, ſed conſeruatum; conſumptum autem fuiſſet, ſi illos fructus non percepiſſet. Sed hoc non ſufficit; nam etianſi patrimonium fuiſſet diminutum, adhuc teneretur illos reddere; quia ſi illos non percepiſſet, magis diminutum fuiſſet patrimonium; vnde ratione conſeruationis illius portionis, quæ conſumpta non eſt, poteſt cenſeri ditior. Et ſi hoc etiam non eſſet, adhuc teneretur; & ratio eſt. Iuſtitia præcipit, vt reddatur, quod alienum eſt; ſed illi fructus, quanuis bona fide percepti, & conſumpti, verè, & realiter alieni ſnnt, & poſtea cognoſcitur alienos eſſe; ergo ex iuſtitia reddendi ſunt. Leges autem ciuiles non ſtatuunt omne id, quod ad conſcientiam, ſed quod ad pacem reipublicæ pertinet; ideo non cogunt ad fructus ſemper reddendos.

45 Dicimus 4. Qui emit rem alienam bona, vel mala fide, tenetur illam reddere Domino etiam ſine pretio; & ſi illam reuendiderit, tenetur pretium illius Domino reddere; vnde non poteſt illam reddere furi, vt pretium repetat. Prob., nam vel emit mala fide, & ſic furtum committit; vt patet *ex l. 1. ff. de furt*; tum quia cognoſcit furem verè non eſſe dominum illius; et ideo non poſſe illam ad alium transferre; vnde ſurreptitiè ius ad illam acquirit. Vel bona fide; et tunc poſtquam cognoſcit eſſe alienam, tenetur Domino reddere. *ex l. 2. C. de furt; & l. Si mancipium C. de rei vind.* nam obligatio reddendi domino conſurgit ex ipſa re aliena accepta; et ſi alteri, quàm domino reddat, illam auferr proprio domino; et ſic furatur. Tandem pretium illius rei ſpectat ſolùm ad dominum: ergo illi tantùm eſt reddendum. Ex hoc ſequitur, quòd cognoſcens rem eſſe alienam, ſi contractum circa illam inierit, tenetur contractum reſcindere, & eam vero domino reddere.

46 Dicimus 5. poſſeſſorem rei alienæ teneri ad reſtituendam rem cum fructibus naturalibus, & cum lucro, quod dominus poterat ex illa percipere; non tamen cum fructibus induſtrialibus. Fructus naturales ſunt illi, qui ſine hominum induſtria naſcuntur ex ipſa re, quæ eſt fructifera; vt cùm quis furatur ouem prægnantem. Induſtriales ſunt; qui naſcuntur non ex ipſa re, quæ fructifera non eſt, ſed ex ipſa hominis induſtria. Præter fructus naturales, & induſtriales dantur etiam mixti; qui naſcuntur ex ipſa re cooperante tamen hominum induſtria; vt ſegetes, vinū, oleum &c. Habetur *ex §. ſi quis à non domino; & Gloſ. in c. grauis de reſt. ſpol.* Ratio eſt; nam ſi quis triticum alienum ſeminat in proprio fundo; augmentum tritici habetur ratione fundi, quod proprium eſt; non ratione ſeminis, quod alienum eſt; vt *§. ſi Titius, Inſt. de rer. diuiſ; & l. qui ſcit §. de vſur.* Item ſi quis ludendo cum pecunia aliena lucretur, illud lucrum non eſt effectus pecuniæ, quæ de ſe ſterilis eſt, ſed eſt effectus induſtrię; ergo non eſt domino reddendus. Tum quia fructus induſtriales cadunt ſub dominio illius, qui ſe exponit periculo perdendi illam rem; vt patet in emptionibus, & venditionibus; fructus autem naturales ſunt ſub dominio illius, ad quem pertinet illa res; ſed ſolus poſſeſſor rei alienæ ſe exponit periculo perdendi rem; nam ſi res deperdatur à poſſeſſore, adhuc tenetur dare domino æquiualens; ideo dominus nihil deperdit; ergo fructus induſtriales non ſunt reddendi, ſed ſolùm naturales. Mixti autem debent reddi detractis laboribus, impenſis, & expenſis factis circa illos. *Vid. l. fructus percipiendo ff. de vſur.*

47 Dicimus 6. poſſeſſorem malæ fidei teneri ad reſtituendam rem cum fructibus, quos Dominus honeſtè percepiſſet. *l. Si Menius §. fin ff. de rei vendit; & l. fructus non modo ff. eod; & l. domum C. de rei vendit.* Et quanuis *l. verò ſi fundum C. eod.* ſolùm præcipiatur cogēdum eſſe poſſeſſorem ad reddendos fructus, quos ipſe percepit; attamen non negat eſſe reddendos etiam fructus, quos dominus percepiſſet: ſed ſolùm aſſerit eſſe cogendum ad reddendos illos, quos percepit; aſſertio autem vnius non eſt excluſio alterius. Ratio eſt; quia poſſidendo illam rem fuit cauſa impediens, ne dominus percepiſſet illos fructus; cauſa autem impediens tenetur reddere id, quod impedit.

48 Dicimus. 7. In contractibus, in quibus transfertur rei dominium, vt in mutuis, ſi res pereat etiam caſu, tenetur mutuatarius illam reddere; nam res domino ſuo perit; dominus autem eſt mutuatarius. Quando verò non transfertur dominium, vt in commodato; non tenetur reſtituere, ſi caſu pereat. *c. vnic. de commod*; Si tamen ſua culpa pereat etiam leui, tenetur; vt habetur *ibid; & l. 3. §. Si reddita; l. Si vt certò §. Nunc videndum; & l. in rebus ff. commod; & l. contractus ff. de reg. iur.* Idem dicendum de contractibus cedentibus in vtilitatem vtriuſque contrahentis; vt in locato; & conducto. *Ibid; & l. ſi quis domum §. Celſus; & l. ſi diuiſa C. locatio.*

49 Dicimus 8. Si quis emat, vel vendat,

vel

vel plus notabiliter alicui extrema neceſſitate coacto, tenetur reddere iuſtum pretium; quia venditor, vel emptor inuitus iniuriam patitur. Idem dicendum de vſutario.

50 Dicendum 9. aliquem etiam teneti ad reſtitutionem, licèt rem non acceperit. Prob. *Rom.1. Digni ſunt morte non ſolùm, qui faciunt, ſed etiam qui facientibus conſentiunt. & in c. notum ſit 2. q.1. Facientem, & conſentientem pari pœna conſtringit; & §.Culpa. §.Sanè de iniur; & damn.dat. Dans occaſionem damni damnum dediſſe videtur; & l.vulgaris §.Furto ff.de furt; & ex l.ita vulneratus ff. ad l.Aquiliam: Si duo, aut plures ſimul eandem trabem, vel lignum important, quod ſinguli baiulare non poſſunt, vnuſquiſque tenetur in ſolidum actione furti*; patet autem, quòd vnuſquiſque non accepit totam rem, & tamen tenetur ad totam reddendam; & ideo tenetur etiam pro eo, quod non accepit. Igitur ad hoc, vt aliquis teneatur reſtitutioni, ſufficit, quòd illi conſentiat, aut aliquo modo cooperetur; nouem autem modis poteſt cooperari; qui comprehenduntur in his carminibus.

Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, nutus, non obſtans, non manifeſtans.

Dupliciter enim aliquis poteſt cooperari acceptioni rei alienæ; ſcilicet directè; & hoc ſextupliciter. 1. præcipiendo, & ſic habetur iuſſio. 2. conſulendo; & habetur *conſilium*. 3. expreſsè aſſentiendo; & habetur conſenſus. 4. laudando raptorem; & habetur *palpo*. 5. receptando, abſcondendo ipſum furem, & rem direptam; aut aliquo alio modo adiuuando furem; & habetur *recurſus*. 6. furando in ſocietate; & habetur *participans*. Vel indirectè; & hoc tripliciter. 1. Si taceat, cùm teneatur præcipere, & conſulere, ne furtum fiat; & hoc ſignificat *nutus*. 2. Si non impediat, cùm debeat impedire, & obſtare; & hoc ſignificat *non obſtans*. 3. Si non manifeſtet, cùm manifeſtare tenetur; & ſignificatur per *non manifeſtans*. Furtum tamen ſequi debet, ſecus non tenetur reddere.

51 Quæres 1; an qui dedit conſilium, teneatur reddere, etiamſi reuocet conſilium, antequam damnum inferatur?

Reſp. teneri nedum ad reuocandum conſilium, ſed etiam ad impediendum damnum; aliter ſi ſolùm reuocat conſilium, & non impediat, ſi damnum ſequatur, tenetur reddere; quia non cenſetur efficaciter reuocaſſe, ſicut efficaciter mouit ad illud.

52 Quæres 2; an mandans teneatur reſtituere damna, quæ patitur mandatarius ratione talis mandati?

Reſp; quòd ſi mandatarius omnino liberè, & voluntariè ſuſcepit tale mandatum, mandans ad nihil tenetur; quia *ſcienti, & volenti nulla fit iniuria*. Si verò aliquo modo inuolunrariè, & coactè ſaltem ob metum reuerentialem ſuſcipiat mandatum, tenetur; quia tunc inuito facit iniuriam.

53 Quæres 3; quando conſentiens teneatur reddere?

Reſp. tunc teneri, quando conſenſus eſt aliquo modo cauſa influens in ablationem rei, non autem quando nullo modo influit; nam ſi quis laudet alterum, quia abſtulit rem alienam, non non tenetur reddere, cùm talis laus non fuerit cauſa ablationis; niſi fortè ſit cauſa non reſtitutionis, ſeu detentionis, & ob hoc teneretur; ſicut tenetur, ſi laudet, antequam auferatur res, & ex tali laude moueatur laudatus ad rem auferendam. Eodem prorſus modo loquendum eſt de receptante; nam ſi quis recipiat furem in domum ſuam, ſeruet furtum, protectionem promittat, ex quo mouetur fur ad liberè furandum, tenetur reddere; ſecus verò ſi furem recipiat, vt fraternè corripiat, & ex charitate ei vitam ſaluet ipſum ſuadendo, vt reſtituat; quia tunc non influit in actionem. Hinc *Beatiſſ. P. ep.54.* ait: *Qui ad ſe confugientem, quantùm honeſtè poteſt, ad reſtituendum non compellit, ſocium eſſe fraudis, & criminis.*

54 Quæres 4; an participans teneatur totum reddere?

Reſp. affirm., vt patet *ex l.ſuperiùs allata*. Quod intelligendum eſt, ſi alij comparticipes non reddant; tunc enim ſolam portionem, quæ deeſt, reddere tenetur.

5 Quæres 5, quando non obſtans teneatur reddere?

Reſp. teneri, quando eſt perſona publica, vt Princeps, Rector, Iudex, Officiales, & Miniſtri, quibus, incumbit ex officio impedire damna. Item Patres, tutores, & quicunque maiores, qui alijs præſunt. Alij verò, qui non præſunt, tenentur ſolùm ex charitate, non ex iuſtitia; vnde licèt peccent non impediendo, non tamen tenentur reddere.

56 Quæres 6; quando teneatur non manifeſtans?

Reſp. teſtes, aduocatos, ſcribas, & alios legitimè interrogatos à Iudice non manifeſtantes veritatem in cauſa ciuili, & ob hoc damnum inferentes proximo, peccare contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem damni illati.

57 Sequitur 1. ſub ſacrilegio obligari ad reſtitutionem auferentes res ſacras, vel non ſacras de loco ſacro; comburentes, vel effringentes, aut damnificantes loca ſacra; exigentes gabellas, & pædagia à locis, vel perſonis ſacris; dilapidantes bona Eccleſiarum, & pauperum; & retinentes decimas, aut legata pia. Item ſub ſimonia obligari accipientes res temporales pro pretio rerum ſpiritualium.

58 Sequitur 2. teneri ad reſtitutionem damnorum mouentes iniuſta bella, conſulentes, adiuuantes, exequentes &c. Proditores caſtrorum, terrarum, & aliorum bonorum. Vſurpatores dominiorum; impoſitores iniuſtarum gabellarum; raptores, & pyratas; captores, & emptores, & ven-

venditores perſonarum liberarum.

59 Sequitur 3. teneri ad reſtitutionem Iudices,qui ſua vendunt iudicia etiam iuſtè aliquid accipientes pro ſuis arbitrijs vltra debitum, & ſtylum curiæ; vel iudicantes ex ignorantia craſſa, aut neglecta. Item Conſiliarios præbentes fraudulenta conſilia, ſophiſmata inuenientes, vt veritatem impediant; Aduocatos, & procuratores defendentes cauſas iniuſtas; ideo *Beatiſſ.P. vbiſ. Qui pro homine ad hoc interuenit, ne ablata reſtituat &c. ſocium eſſe fraudis,& criminis*: teſtes deponentes falſum; falſificantes teſtamenta, inſtrumenta, aut quaſcunque alias ſcripturas in præiudicium, alicuius accipientes aliquod pro bullis; expendentes monetas falſas pro veris, vtentes ponderibus, & menſuris diminutis, & vendentes vnam rem pro alia.

60 Sequitur 4. vſurariè teneri ad reſtitutionem, qui accepto pignore exigit fructus ex mutuo: qui dat pecuniam mercatori,vel emptori, vt accipiat fructus ſaluo ſemper capitali; qui vendit merces plus iuſto pretio ratione ſolutionis dilatæ; vel emit minùs iuſto pretio ratione acceleratæ ſolutionis; plus autem, & minus debet eſſe notabiliter.

61 Sequitur 5. pariter teneri locantes rem vitioſam,malè tractantes rem locatam,exigentes plus iuſto pretio,vel ſoluentes minus. Item retentores rei alienæ inuentæ,præſcribentes illicitè,vtentes re depoſita,vel impignorata, religioſos proprietarios, & quoſcunque impedientes, fraudantes, detrahentes, lædentes, conſulentes, adiuuantes &c.

62 Petes,an Iudex accipiens aliquid pro ferenda ſententia iniuſta,teneatur reſtituere?

Reſp.affirmatiuè. Ita expreſsè *Beatiſſ.P.ep.* 54; & refertur *in c.non ſanè* 14. *q.* 5. *Ita noſtri Arag.& Salon;Sot; & plures alij cõt.Nauar;Tolet, Rodriq,Leſſ; Vaſq; & alios*, quos ſequitur, & citat *Afflict. hìc diſp.*11.*ſect.*3.*n.*118.Prob.*ex Beatiſſ. P. vbiſ. Sed non ideo debet Iudex vendere iuſtum iudicium, aut teſtis verum teſtimonium; quia vendit aduocatus iuſtum patrocinium,& iuriſperitus verum conſilium;illi enim inter vtranque partem ad examina adhibentur; iſti ex vna parte cõſiſtunt. Cùm autem iudicia, & teſtimonia, quę nec iuſta,nec vera vendenda ſunt,iniqua,& falſa venduntur; multò ſceleratiùs vtique pecunia ſumitur; quia ſcelerate etiam, quamuis à volentibus, datur. Ille tamen ſolet, tanquam malè ſibi ablatam, pecuniam repetere,qui iuſtum iudicium emit, quoniam venale eſſe non debuit; qui verò pro iniquo iudicio dedit, vellet quidem repetere, niſi timeret, vel puderet emiſſe.* Poſtquam autem hoc dixit etiam de alijs officialibus, accipientibus ab vtraque parte; *qui ſi viam vita mutauerint, pauperibus potiùs largiuntur, quàm eis, à quibus accepta ſunt tanquam aliena reſtituant*; ait: *Reddenda potiùs, quàm donanda cenſemus Zachęi publicani Euangelico exemplo Luc.*19. Ex quibus ſic. Illa, quæ accipiuntur à Iudice pro iuſta ſententia ad redimendam vel iniuſtitiam, vel dilatationem litis, ſunt reſtituenda, etianſi voluntariè eis tradita ſint; nam dominus poteſt illa iuſtè repetere,quia iudicium nequit eſſe venale;ergo à fortiori,quæ tradita ſunt pro iniuſta ſententia, quæ magis eſt contra iuſtitiam. 2. Si non eſſent reddenda, maximè quia voluntariè tradita ſunt,vt dicunt *Aduerſarij*; qui propterea putant nullam iniuriam inferri tradenti; ſed non obſtat, quia etiam ea, quę traduntur pro iuſta ſententia, voluntariè traduntur; tum quia patiens vſuram voluntariè tradit fructus, qui tamen ex iuſtitia ſunt reddendi; tum quia tunc non ſunt reddenda,quando transfertur dominium;dominium autem non transfertur, niſi iuſto titulo, & in caſu eſt titulus iniuſtus, & iniquus, & ſceleratus; ergo idem. Tum quia aduocatus iniuſtè patrocinans aliquã cauſam tenetur reddere; quoniam vt docet *Beatiſſ.P.ibid; contra veritatem ſtetit,iniquitati aſſuit, iuſtam cauſam oppreſſit*; ſed idem agit à fortiori Iudex iniuſtus; ergo idem.

63 Si dicatur. In vſura eſt inuoluntaria, & coacta traditio; ergo non currit paritas.

Reſp; quòd ſicut in vſura ſit voluntaria ſimpliciter,& inuoluntaria ſecundùm quid; quia fit voluntate,cogente neceſſitate; ita in caſu eſt voluntaria ſimpliciter,quia fit neceſſitate cogente lucrandæ voluntatis Iudicis;ſi enim poſſet habere ſententiam abſque erogatione pecuniæ,libentiùs id vellet.

64 Inſt. *Afflict.* 1. Acceptum pro opere turpi contra alias virtutes non eſt reddendum; vt patet de meretricibus; ergo à pari. 2. Non eſt reſtituendum domino, quia hic voluntariè ſe abdicauit; nec pauperibus; quia tunc ſolùm redditur pauperibus, quando ignoratur dominus; ergo nulli.

Reſp.ad 1.neg. conſ; quia nulla alia virtus obligat ad reddendum, niſi iuſtitia; vnde non valet arguere ab alijs virtutibus ad iuſtitiam. Ad 2. neg. ant; quia dominus inuoluntariè ſecundùm quid ſe abdicauit, quamuis voluntariè ſimpliciter.

§. 3.

Cui reſtitutio fieri debeat?

65 Reſtitutio facienda eſt vero domino, à quo inuito ablata eſt. Prob.*ex Rom.*13. *Reddite ergo, quę ſunt Cæſaris, Cæſari.* Ratio eſt. Iuſtitia præcipit, vt reddatur alteri, quod ſuum eſt; ſed res ablata eſt veri domini; ergo eſt reddenda vero domino.

66 Quæres 1; cui,ſi quis auferat rem à poſſidente iuſto, vel iniuſto titulo, teneatur illam reddere?

Reſp. teneri ad reddendam poſſidenti iuſto titulo. Si verò illam accipiat à poſſidente titulo iniuſto, vt à latrone, tenetur illam vero do-

domino reddere, quia tenetur reddere ei, cuius eſt.

67 Quæres 2; an ſi dominus ſit malè vſurus re propria, ſit reſtituenda?

Reſp; quòd ſi ſit malè vſurus in damnum proximi; vt petens gladium ad occidundum inimicum, reſtituere eſt peccatum; quia eſt contra virtutum EpiKeiæ, quę dictat reſtitutionem pro eo tunc non eſſe faciendam, ſed differendam. Si autem ſit vſurus in damnum proprium, adhuc diſtinguendum eſt, nam vel eſt periculum euidens damni euidentis; vt ſi quis furioſus, vel in deſperationem actus peteret ſuum gladium ad ſe occidendum, tunc non eſt reſtituendus. Vel non eſt periculum accidens, ſed ſolùm dubium remotum, v.g. quòd Iudat, vel ſcortetur; tunc eſt reſtituendum; quia reſtituens non ſe exponit periculo proximo peccandi.

68 Quæres 3; quid agendum, cùm Dominus eſt ignotus?

Reſp. eſſe reſtituendum pauperibus, vel Eccleſiæ; vt habetur *de Zachęo Luc.19; & ex c.Cùm tu de uſuris; & ex c.non ſanè 14. q.5; & c.non ſine 14.q.6.*

69 Sed petes; an poſſit quis applicare ſibi, tanquam pauperi, bona incerta?

Reſp. hoc poſſe fieri de cõſilio confeſſarij; quia nullus poteſt eſſe Iudex in propria cauſa.

70 Petes adhuc; an diſtributio bonorum incertorum debeat fieri auctoritate Epiſcopi?

Reſp. negatiuè; quia canones nullam mentionem Epiſcopi faciunt.

71 Quæres 4, an res inuentæ, quarum dominus factâ omni diligentia ignoratur, poſſint retineri?

Reſp. eſſe diſtribuendas pauperibus; & colligitur *ex Beatiſs.P.ſerm.19. de verb.Domini* relato *in c.ſi quid inueniſti 14.q.5. Si quid inueniſti, & non reddidiſti, rapuiſti*; inuentio non affert dominium rei inuentæ.

72 Quæres 5; an quando dominus eſt defunctus, res ſit reddenda?

Reſp. eſſe reddendam hæredibus ex teſtamento, vel ab inteſtato, ſi deſint hæredes ex teſtamento.

73 Petes; an liceat expendere in miſſas, & pios vſus pro anima defuncti?

Reſp. licere, ſi hæredes penitus ignorentur; ſecus autem non; quia canones, & leges mandant reſtituendam eſſe hæredibus.

74 Quæres 5, quid agendum, ſi dominus ſit abſens?

Reſp. rem eſſe illi tranſmittendam, ſi commodè hoc fieri poſſit; ſin autem eſſe deponendam in loco tuto, eumque eſſe admonendum.

75 Quæres 6; an ſi debitor, & creditor exiſtant in extrema neceſſitate, faciẽda ſit reſtitutio?

Reſp. negatiuè; nam in extrema neceſſitate omnia ſint communia; tunc enim ceſſat ius poſitiuum, & tenet ſolùm ius naturæ.

76 Quæres 7; an tranſacta neceſſitate teneatur reddere, quod conſumpſit in illa?

Reſp. negatiuè; nam in extrema neceſſitate res ſunt communes; & dominus rei tenetur illam dare neceſſitatem habenti; ideo illa vſus eſt, non tanquam aliena, ſed tanquam communi.

77 Quæres tandem; cui teneantur reddere Iudices, aduocati, procuratores rem iniuſtè acceptam à clientibus pro iuſta ſententia ſine præiudicio partis oppoſitæ?

Reſp. pauperibus, vel Eccleſiæ eſſe reddendam, quia dominus ſponte illam à ſe abdicauit.

§. 4.

De cauſis excuſantibus, & ordine reſtitutionis.

78 QVoad 1. dicimus impotentiam phyſicam excuſare reſtitutionẽ, dummodo tamen habeatur propoſitum poſitiuum reſtituendi, ſi talis impotentia tolleretur.

Prob. ex dictis *art.4*; nam *ad impoſſibile nemo tenetur*; & aliunde peccatum nequit remitti, niſi per dolorem firmitur retractatiuum illius; dolor autem firmiter retractatiuus furti eſt cum propoſito firmo reſtituendi, quia non retractatur, niſi per reſtitutionem, quam quia nequit habere in re, debet ſaltem habere in animi præparatione.

79 Quæres 1; an debitor teneatur reſtituere etiam cum detrimento proprij ſtatus?

Reſp. poſſe differre, vſquequo poteſt reſtituere ſine propriæ famæ iactura, quia fama magis æſtimatur, quàm res reſtituenda; teneri tamen ſimpliciter reſtituere, quia eſt impoſſibilis caſus, quo quis nequeat reſtituere ſine famæ iactura, poteſt enim reddere per alium.

80 Item tenetur ad reſtituendum cum diminutione proprij ſtatus temporalis, vt pateè viuendo; & reſtringendo ſumptus quotidianos, quantùm poteſt; quia rem expendit in rebus ſuperfluis, vel excedentibus ſuum ſtatum. Nec verum eſt, quod dicit *Afflict.* ſcilicet in moralibus cenſeri ſimpliciter impotentem, qui nequit reſtituere ſine magno incommodo; quia impotentia ſimpliciter eſt impotentia phyſica; aliter daretur anſa cuilibet ad non reſtituendum; nam quilibet incommodum magnum inueniret in reſtituendo; vnde oppoſita doctrina, tanquam nimis lata, eſt dimittenda.

81 Quæres 2; an ceſſio omnium bonorum excuſet à reſtitutione?

Reſp. affirmatiuè; quia per talem ceſſionem ſit omnino impotens ad aliquid reſtituendum; attamen ſi alia bona acquireret, & diues iterum fieret, teneretur ad complendam reſtitutionem; quia iuſtitia ſemper eſt adimplenda.

82 Quæres 3; an remiſſio creditoris liberet debitum à reſtitutione?

Reſp; quòd remiſſio omnino libera, & intę

non.

non prohibita excuſat à reſtitutione; quia dominus tunc cedit iuri ſuo, & illud transfert in debitorem.

83 Quæres 4; an excommunicatio creditoris excuſet à reſtitutione?

Reſp. negatiuè. Eſt *cont. Sayr; apud quem Gloſ. & Panorm.* Prob. tamen *ex c. de his, qua excommunicato illicita ſunt; & c. uerie. de dol; & contum*; nam lex Eccleſiaſtica non tollit obligationem iuris naturæ, & reſtitutio eſt de iure naturæ. *Vid. noſtrũ Arag. hic cauſa 3; & alios apud Afflict.*

84 Quæres 5; an æqualis, & iuſta recompenſatio excuſet, quando debitum illius, cui reſtituendum eſt, liquet, & nullo alio modo exigi poteſt?

Reſp. affirmatiuè, quia tunc ius iure compenſatur æquali. Secus ſi debitum non ſit liquidum, ſed ſolùm prætenſum, & diſputabile. Excipitur tamen compenſatio in re depoſita; hæc enim prohibetur *c. bona fides de depoſit.* ob fidelitatem; quæ debet ſeruari in depoſitis.

85 Quæres 6; an ſoluens debitum ſui creditoris liberetur ab obligatione reſtituendi?

Reſp. affirmatiuè, ſi debitum ſit liquidum; tunc enim acquirit ius contra creditorem; vt v.g. Si ego debeam centum *Titio*, & *Titius* centum *Caio*; ſoluendo centum *Caio* liberor ab obligatione reſtituendi centum *Titio*. Hoc tamen nequit fieri, niſi iuridicè.

86 Quæres 7; an retinens auctoritate Iudicis rem alienam ſit liber à reſtitutione?

Reſp. negatiuè; quia tunc Iudicis ſententia eſt iniuſta.

87 Quoad 2. dicimus 1; quòd quando quis habet plura debita reſtituenda diuerſis perſonis, ſi habeat aliquam rem determinatè vnius creditoris, v.g. equum, reſtituenda eſt domino illius, etiamſi ſit creditor poſterior alijs; quia ius illius rei eſt determinatè illius creditoris poſterioris.

88 Dicimus 2. debita certis dominis ſoluenda eſſe reſtituenda priùs, quàm incertis; quia obligatio ſoluendi vero domino eſt de iure naturæ; obligatio verò ſoluendi pauperibus, vel Eccleſiæ debita incerti, & ignoti domini eſt de iure poſitiuo, vt *ſup.* dictum eſt; ius autem naturale præualet iuri poſitiuo.

89 Dicimus 3. Reſtitutio priùs facienda eſt creditori habenti hypothecam realem in bonis debitoris, quàm creditori tantùm perſonali; quia creditor realis habet duplex ius, ſcilicet in perſonam, & bona debitoris; creditor autem perſonalis habet ius tantùm in perſonam. Si autem quis debeat pluribus hypothecam realem habentibus; priùs reſtituendum eſt anteriori, quàm poſteriori. *l. Si fundum, & l. Si generaliter C. qui potior in pignor. habent. & l. Si generaliter ff. eod.* Ratio eſt; quia poſterior hypotheca nullum acquirit ius in rem, quæ eſt ſub dominio alterius; & ideo acquirit ſolùm ius in perſonam.

90 Dicimus 4. debita ex contractu oneroſo, v.g. venditionis, vel mutui, debent priùs ſolui, quàm debita ex contractu gratuito; v.g. *dono tibi centum, quæ reſtitues, ſi poteris.* Ratio eſt; quia illa reſtitutio pertinet ad iuſtitiam commutatiuam, iſta ad fidelitatem; tum quia hæc non obligat, niſi cùm poteſt; in caſu autem cenſetur impotens, ideo non obligatur; aliter ſi ſit potens, omnibus tenetur reſtituere.

91 Dicimus 5. Expenſæ funerum præferuntur omnibus debitis, loquendo tamen de expenſis ſimpliciter neceſſarijs, non de magnificis. *l. Impenſa ff. de relig. & ſumpt.* quia in tali caſu defunctus eſt in extrema neceſſitate humationis, quam præcipit pietas chriſtiana.

92 Dicimus 6. inter creditores perſonales non dari prælatio è ratione temporis. *l. 1. ff. de ſeparat. & l. duo debito C. de bonis author. Iudic. poſſiden. lib.* 11; nam creditores perſonales non habent ius ad rem, ſed ad perſonam, quæ æqualiter hypotecatur omnibus.

93 Excipiuntur tamen creditor ex cauſa funerum. *l. quaſitum ff. de priuileg. creditor.* Sponſa. *§. Si ſponſa; & Gloſ. in l. eos C. qui potior. in pignor. habetur.* Pupilli *l. debimus §. Quis cum tutor ff. de tutorib.* Deponentes nummos fide publica apud nummulatios. *l. Si hominum §. final. ff depoſiti.* Mutuantes pecuniam ad nauem inſtruendam. *l. Quod quis ff. de priuileg. creditor.* Tandem illi, qui publico inſtrumento pecuniam dederunt, præferuntur illis, qui dederunt ſcripturis priuatis. *l. Scripturas C. qui potiores in pignor habeant.*

94 Quæres *vlt*; an peccet mortaliter, qui prædictum ordinem in reſtituendo non ſeruat?

Reſp. affirmatiuè; niſi ignorantia facti excuſet; quia iniuriam irrogat creditoribus anterioribus.

QVAEST. II.

De Iure.

Poſtquam egimus de iuſtitia, ſequitur agendum de iure, quod eſt eius obiectum; & de ſpeciebus iuris in particulari.

ART. I.

An ius ſit obiectum iuſtitia, & quotuplex ſit?

1 Ius ſumitur 1; prout eſt idem, ac iuſtum; vt docet *Beatiſs. P. in pſ.* 145. poſt mediũ dicens: *Nec ius dicendum eſt, ſi iniuſtum eſt. Illud ergo verum ius, quod etiam iuſtum eſt*; & ſic eſt obiectum iuſtitiæ; & illius ethimologia ſumitur à iuſtitia. *l. 1. de iuſt. & iur.* 2. Sumitur pro facultate, ſeu poteſtate, aut dominio in aliquam rem. 3 Sumitur, prout deriuatur à iubendo; & ſic idem eſt, ac lex, quæ iubet.

2 Quoad 1. dicimus ius, prout eſt idem, ac iuſtum, eſſe obiectum formale iuſtitiæ. Prob. Iuſtitia

ſtitia eſt virtus, *quæ ſua cuique diſtribuit*; vt docet *Beatiſs.P. lib.19. de Ciuit.Dei c.21; & lib.83. qq. q.31.* Ex quo ſic. Illud, quod alicui redditur, tanquam ſuum, eſt ius, quod eſt idem, ac iuſtum, quia iuſtum dicit æqualitatem; & cùm redditur, quod ſuum eſt, fit æqualitas in rebus; ſed iuſtitia habet pro obiecto formali id, quod redditur alteri, tanquam ſuum; vt patet ex allata definitione; ergo iuſtitia habet pro obiecto formali ius, quod eſt idem, ac iuſtum.

3 Dices. Iuſtitia diſtributiua non reddit æquale omnibus; plus enim diſtribuit vni, quàm alteri; ergo iuſtitia non habet pro obiecto iuſtũ, quod eſt æquale.

Reſp; quòd æqualitas iuſtitiæ diſtributiuæ non conſiſtit in comparatione ad diuerſas perſonas, quibus redditur, ſed per ordinem ad id, quod redditur à diſtribuente, & ad meritum, cui redditur; nam etiam commutatiua per ordinem ad diuerſas perſonas dicit inæqualitatem, vt ſi *Titius* debeat vni centum, & alteri decem reddens centum illi, & decem huic rem inæqualem reddit, & tamen ſeruat iuſtitiam, quia reddit quantùm debet vtrique. Sic diſtributiua æqualiter reddit, quia habenti meritum, vt duo, reddit præmium, vt duo, & habenti, vt quatuor, reddit, vt quatuor; ſi autem benemerito, vt quatuor redderet, vt duo, inæqualitatem ſeruaret inter meritum, & præmium, & eſſet iniuſtus. Diſt. ergo ant. Non reddit æquale comparatiuè ad meritum, & præmium neg; comparatiuè ad perſonas, quibus redditur, conc.

4 Tres conditiones requiruntur ad verum ius, ſeu iuſtum, quod eſt rigoroſè, & propriè tale. 1. Vt ſit ſimpiliciter debitum, nam reddens alicui aliquod, quod non debet, non reddit ex iuſtitia, ſed ex gratia. 2. Vt ſeruet perfectam æqualitatem eo modo, quo dictum eſt. 3. Vt ſit ſimpliciter ad alterum, idèſt ad perſonam diſtinctam omnino, & ſimpliciter.

5 Hinc diuiditur. 1. in ius ſimpliciter, quod eſt ius rigoroſum; & eſt illud, quod habet omnes tres conditiones aſſignatas; & in ius ſecundùm quid, & latum; & eſt illud, cui deficit aliqua ex conditionibus prædictis.

6 Ius ſimpliciter diuiditur in naturale, quod eſt à natura inſtitutum; vt qui decem accepit, ex rei natura tenetur reddere decem; & poſitiuum, ſeu legale; quod fit ex condicto voluntatis humanæ; & hoc vel auctoritate priuata; vt cùm aliquid inter perſonas priuatas pacto firmatur; vel auctoritate publica; vt cùm rerum pretia taxantur à Principe. Inter hæc duo iura eſt hoc diſcrimen; quòd ius naturale eandem vim habet vbique; quia eadem eſt vbique natura; poſitiuum verò non eſt idem vbique, quia non eſt vbique idem Princeps.

7 Deinde ius ſimpliciter aliud eſt ius in re; & eſt *poteſtas in rem, quæ actu poſſidetur*; aliud eſt ius ad rem; & *eſt poteſtas ad rem, quæ actu non poſſidetur.*

8 Ius ſecundùm quid triplex eſt; aliud *paternum*, *aliud herile*, & aliud *vxorium*, quod vocatur etiam *œconomicum*, vel domeſticum. Cùm enim filius ſit aliquid patris, imò cenſeatur vna perſona cum patre; & ſeruus ſit domini, cùm ſit inſtrumentum illius; vt dicitur 1. *Polit. c.3*; & de viro, & vxore dicatur *Gen.2. Erunt duo in carne vna*; ideo inter iſtos defectu tertiæ conditionis non datur ius, ſeu iuſtum ſtrictè ſumptum.

9 Quæres; an licèt inter patrem, & filium, quandiu filius eſt ſub patris poteſtate, ſeu vt loquitur *Phil.5.Eth.c.6*; quandiu *tantulus eſt*, non ſit verum ius, attamen ſit verum ius, quando filius eſt emancipatus à patre, idèſt non eſt ampliùs ſub patris poteſtate; & quando filius eſt ſub patre, habet tamen bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia, quæ ſubiacent filij dominio?

Reſp. *noſter Salon hìc art.4. Sot; Vaſq; Turrecr; & aly affirmatiuè*. 1. Quia inter patrem, & filium eſt vera amicitia, quæ pariter eſt ad alterum, ſicut iuſtitia. 2. Inter patrem, & filium poteſt eſſe vera iniuſtitia; quia filius occidens patrem eſt iniuſtus, & furans aliquid patris ex iuſtitia tenetur reddere. 3. Chriſtus Dominus eſt verus filius Dei Patris, & tamen ei ſatisfecit ex rigore iuſtitiæ. 4. Homo iuſtus meretur gloriam ex iuſtitia; & tamen eſt aliquid Dei magis, quàm filius ſit aliquid patris. 5. Vxor tenetur reddere debitum viro; & ſi habeat bona paraphernalia, hoc eſt bona vltra dotem, ſi vir illa vſurpet, peccat contra iuſtitiam. 6. Inter filium, & patrem eſt debitum ſimpliciter, quod eſt maius debito, quod eſt inter vnum, & alium ciuem; quia filius magis debet ſubuenire patri, quàm creditori, vt diximus in *ſup.q.*

10 Dicendum, tamen *cum Fund.Doct. in 3. diſt.9.p.1.q.1.art.4*; quòd *ſimpliciter loquendo nec filij ad Patrem eſt iuſtitia, quia filius eſt quædam res patris; nec ſerui ad dominum eſt iuſtitia; eſt tamen ibi quidam modus iuſtitiæ; prout dominus reddit ſeruo, quod ſibi debet; quia debet ipſum tueri, defendere, & conſeruare &c.* Igitur filius, quamuis habeat dominium bonorum caſtrenſiũ, vel quaſi caſtrenſium, & ſit emancipatus à Patre, vt diximus *q.1.art.3*; attamen quia ſemper eſt res patris, & eſt ſub eius poteſtate; & ſic ſeruus eſt res domini; ideo inter illos non datur verum ius. Eſt tamen inter eos quidam modus iuris; quia filius habet debitum ſubueniendi patri, & pater habet debitum alendi filium &c.

Ad 1. dicitur nimis probare; probat enim inter patrem, & filium non emancipatum dari verum ius, quod nullus dixit; quia inter eos datur vera amicitia. Igitur neg. paritas; quia amicitia poteſt eſſe etiam inter eos, qui vniuntur in rebus; vt inter fratrem, & fratrem, quorum res ſunt ſub vnico dominio patris; & tamen inter illos nequit eſſe ſtricta iuſtitia, quæ eſſentialiter reſpicit res diuerſas exiſtentes ſub diuerſo dominio. Ad 2. neg. aſſumpt; nam filius occidens

patrem

patrem eſt impius;impietas autem eſt maius peccatum, quàm iniuſtitia. Vel diſt. Eſt iniuſtus legaliter, conc; commutatiuè, neg. Ad aliud dicitur teneri ad reſtitutionem, quia res illius eſt ſub dominio patris, non autem ſub ſuo. Dicit *Aſſiſt.* teneri propter iniuriam, quam facit alijs fratribus; ſed hoc non ſoluit; quia tenetur, etiamſi ſit vnicus ſine fratribus. Ad 3.reſp.*Fund. Doct. vbiſ.* quòd ſatisfactio Chriſti Domini fuit de rigore iuſtitiæ quantùm ad æqualitatem, quia tantum reddidit, quantum reddendum erat, non autem fuit ex rigore iuſtitiæ, quantùm ad perſonarum diuerſitatem habentium diuerſam naturam. Ad 4.reſp. *cum Beatiſs.P.de Grat; & lib. arb. c.*8. diſt. Homo iuſtus meretur gloriam ex iuſtitia, quæ eſt ſimul gratia, conc; quæ non eſt gratia, neg; nam homo meretur gloriam per merita, merita autem ſunt dona gratuita Dei. Ad 5; & 6. dicitur, quòd non omne debitum ſufficit ad conſtituendam veram iuſtitiam; quia ſeruus debet domino, & creatura Deo, & tamen inter iſtos non datur ſtrictè iuſtitia commutatiua, ſed tantùm legalis; illud ergo debitum ſufficit ad conſtituendam iuſtitiam legalem, non autem commutatiuam; vt ait *Fund. Doctor. lib.3. de Regim. Princ.p.2.c.24.*

ART. II.

Quid, & quotuplex eſt lex?

1 DE iure quod dicitur à iubendo, & eſt idem, quod lex, eſt agendum; & quoad nominis ethimologiam lex dicitur *à legendo; vt de multis quid eligas, ſcias*; inquit *Beatiſſ.P.q.15.ex nouo Teſtam.* Vel dicitur *à ligando eo*, quòd ligat præceptis; vt dicitur *ibid.*

2 Lex definitur *à Beatiſſ.P. lib.83.qq.q.31. ius eſt, quod in eo ſcripto, quod populo expoſitum eſt, vt obſeruet, continetur.* Quamuis autem hæc definitio videatur conuenire tantùm legi ſcriptę; attamen ſi ſcribi accipiatur genericè, prout conuenit ſcribi mentaliter, & corporaliter; nam etiã de lege naturæ dicit *Apoſt.Rom.2. oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*; generaliter conuenit omni legi. Hæc definitio traditur *diſt.1.* his verbis. *Lex eſt conſtitutio ſcripta.* Eam autem ſic explicat *Fund, Doct.lib.3. de Regim.Princ.p.2. c.24.Lex eſt quædam regula iuris, per quam in agibilibus regulamur dijudicantes per ipſam, quid iuſtum, & quid non iuſtum in noſtris actionibus.* Dicitur *regula iuris*, quod ſtat loco generis; cæteræ autem particulæ ſtant loco differentiæ; quia lex traditur ſolùm per ordinem ad actiones humanas iuſtas faciendas, & iniuſtas non faciendas.

3 Quoad 2. diuiditur 1. lex in Diuinam, & humanam. *Ita Beatiſſ.P.lib.1. de lib.arb.c.14. & ſeq.* Lex Diuina eſt, quæ lata eſt à Deo; humana, quæ ab homine. Lex Diuina dupliciter accipi poteſt. 1. ex parte ipſius Dei, prout eſt in mente ipſius Dei, immota ſemper, firma, inconcuſſa, & immutabilis manens, & regulans omnes creaturas, omneſque motus illarum; & ſic eſt æterna, ſicuti ęternus eſt Deus; & habet modum doctrinæ, quia Deus docet creaturas, quid ſit illis agendum. 2. Ex parte creaturarum, in quorũ cordibus tranſcribitur à Deo *iuxta Apoſt.Rom.2*; & ſic eſt ratio naturalis dictans bonum eſſe ſequendum, & malum fugiendum; & habet modum diſciplinæ; vt docet *Beatiſſ.P. lib. 2. de ord. c.*8.dicens: *Hæc autem diſciplina ipſa Dei lex eſt, quæ apud eum fixa & inconcuſſa ſemper manens in ſapientes animas quaſi tranſcribitur, vt tantò ſe ſciant viuere meliùs, tantòque ſublimiùs, quantò & perfectiùs eam contemplantur intelligendo, & viuendo cuſtodiunt diligentiùs.*

4 Ex hoc patet, quòd lex Diuina, & naturalis non differunt, niſi ratione ſubiecti, & modi; quia ſcilicet illa eſt in Deo per modum doctrinæ; hæc eſt in nobis per modum diſciplinæ. Idem docet etiam *D.Tho. hìc q.91. art.2.* dicens: *Lex naturalis nihil aliud eſt, quàm participatio legis æternæ in creatura rationali.*

5 Diuiditur 2. lex Diuina in naturalem, & poſitiuam; poſitiua verò in veterem, & nouam, ſeu Euangelicam. Naturalis eſt illa, quæ eſt à Deo impreſſa cordibus noſtris. Poſitiua eſt, quæ non eſt ab ipſa natura, ſed ſuperadditur ipſi naturæ; vnde ait *Fund.Doct. vbiſ.* quòd *vbi terminat ius naturale, ibi incipit ius poſitiuum.* Ratio autem, ob quam legi naturali ſuperaddenda fuit lex poſitiua, (inquit *Fund. Doct.ibid.*) eſt; quia licèt lex naturalis determinet ipſam rem, non tamen determinat modum, quo debet fieri ipſa res; v. g. quamuis lex naturalis determinet eſſe colendum Deum, puniendum furem &c; non tamen determinat modum, quo Deus eſt colendus, & quo puniendus fur &c; ergo legi naturali ſuperaddenda fuit lex poſitiua, quæ determinaret modum, quo debent fieri res præceptæ per legem naturalem, & in hoc ſenſu lex poſitiua dicitur oriri, & fundari ſuper legem naturalem. Lex vetus eſt illa, quæ à Deo fuit data *Moyſi*, & per *Moyſen* populo Hebraico fuit promulgata; & hæc vltra præcepta naturæ, quæ vocantur moralia, quia pertinent ad mores, continebat etiam ceremonialia, & iudicialia; vt habet *Fund. Doct. in ep.ad Rom.c.8.lect.23.§. Poſtquam*; quæ quia erant figuræ myſteriorum legis Euangelicæ, ideo ſuccedente lege Euangelica fuerunt completa, & ceſſarunt; vt docet *Fund.Doct.ibid.c.3.lect.12. §. Remouet, & abſoluit.* Lex Euangelica eſt illa, quæ nobis data fuit per Chriſtum, & eſt lex Catholica, ſeu vniuerſalis ad differentiam legis veteris, quæ data eſt ſoli populo Hebraico; & ideo fuit particularis illi populo, qui propterea dictus eſt *populus electus*; vt habet *Fund. Doct.in c.Firmiter de Summa Trin.fol.3.col.4.*

6 Diuiditur 3. lex humana in Eccleſiaſticã, & ciuilem. Prima eſt, quæ fertur à ſummo Pontifice extra, vel in concilijs, & hæc lex vocatur

ius canonicum. Ciuilis eſt, quæ fertur poteſtate ſæculari,ſeu imperatoria;& appellatur *ius ciuile.* Hoc autem intelligitur de legibus vniuerſalibus, vltra quas dantur leges municipales,ſtatuta,& conſtitutiones propriæ ſolius alicuius ciuitatis,Regni,vel Reipublicæ.

7 Ius canonicum continetur *in decreto Gratiani*; in ſex libris *decretalium*,quorum quinque compilauit *S. Raymundus de Pegnafort* iuſſu *Gregorii IX*; ſextus verò editus fuit iuſſu *Bonifacii VIII.* Prætetea continet quinque libros *Clementinarum*,quæ ſunt cõſtitutiones *Clementis V.* publicatæ à *Ioanne XXII*; qui illis addidit viginti conſtitutiones, quas appellauit *extrauagantes*, quia vagantur extra libros *iuris canonici*; & alias conſtitutiones aliorum ſummorum Pontificum, quas inſcripſit *extrauagantes communes*, quæ pariter in quinque libris continentur.

8 Ius ciuile continetur *in Codice*, qui conſtat ex duodecim libris; qui editus fuit iuſſu *Iuſtiniani*; *in pandectis*, *ſeu digeſtis* contentis in quinquaginta libris; in quatuor libris *Inſtitutionum*; & vnico libro *nouellarum*, quas vocant etiam *authenticas.*

9 Diuiditur 4. ius ciuile in ius gentium, & municipale,ſeu particulare,et militare. *Ita Fund. Doct.de Regim. vbiſ.c.25.* Ius gentium *eſt quoddam ius naturale contractum, per quod diuerſæ nationes, ſeu gentes viuunt in ſocietate*; & eſt commune etiam barbaris; et omnes ferè gentes eo vtuntur; vt ſedium vacantium occupatio ſecundùm ordinem ſuccedentium; poſtliminia,ſeu reſtitutio rerum amiſſarum per captiuitatem, religioſa obſeruantia fœderum pacis, induciarum, legatorum, depoſitorum ſeruatio, venditiones, commutationes etc; quæ ſeruantur ferè apud omnes gentes. Ius proprium eſt illud,quod ſeruatur tantùm apud vnam ciuitatem, et iuxta diuerſitatem ciuitatum diuerſificatur. Ius militare eſt ſolemnitas belli inferendi, fœderis iungendi, faciendæque pacis; ſignô dato aggrediendi hoſtem, vel ſe ſe recipiendi; ſoluendi militibus ſtipendia; diſtribuendi dignitates, præmia, et diuidendi prædam.

10 Diuiditur 5. lex in ius publicum,et priuatum. Ius publicum eſt illud, quod vetat crimina publico illata; vt læſio ſacerdotum, Eccleſiarum,et Magiſtratuum,Regis, aut alterius perſonæ publicæ; vt habetur *diſt.1. c. ius publicum*; *& gloſ.ibid.* Ius priuatum eſt, quod vetat crimina priuata patrata in perſonis priuatis.

11 Diuiditur 6. lex in conſuetudinem, et priuilegium. Conſuetudo definitur à *Beatiſs. P. lib.83. qq q.31. ius, quod aut leniter natura tractum aluit, & maius fecit vſus, & religio; aut quod in morem vetuſtas vulgi approbatione perduxit.* Hinc *diſt.1. c. Conſuetudo* definitur *ius quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cùm deficit lex.* Nec requiritur, quòd ſit ſcripta, ſed ſufficit eſſe in mente, quia ratio legem emendat. Quatuor autem (inquit *Beatiſſ.P.ibid.*) inducunt conſuetudinem; ſcilicet *pactum,par, lex, & iudicatum.* Pactum eſt *conuentio inter plures*. Par eſt *æqualitas in omnes*. Lex eſt *ſcriptum traditum populo, vt ſeruetur.* Iudicatum eſt,*de quo alicuius, vel aliquorum ſententiis iam conſtitutum eſt.* Priuilegium eſt *quædam priuata lex alicui, vel aliquibus tantùm tradita.*

12 Diuiditur 7.lex in ius *Quiritum*,et in canonem. Ius *Quiritum* eſt ius proprium Romanorum; in quo agitur de legitimis hæreditatibus ab inteſtato, vel ex teſtamentis delatis; de curationibus,tutelis, et vſucapionibus, quæ iura apud nullum alium populum extiterunt. Continet autem ius *Quiritum* leges,plebiſcita, ſenatuſconſulta,conſtitutiones Principum,edicta Senatorum, et reſponſa prudentum. Leges ſunt conſtitutiones populi, quas maiores ſimul cum plebe ſanxerunt; et diuiduntur *in Tribunitias, ſeu conſulares*, quæ ſancitæ fuerunt à Tribunis conſulibus; vt *Iulia, Cornelia, Pompeia, Falcidia*; *& ſatyras*, quæ de pluribus rebus loquuntur; dicũtur *ſatyræ* quaſi à *ſaturitate* diuiſionum rerum; vnde ſatyram ſcribere eſt idẽ, ac poemata varia condere; vt dicitur *diſt. 2. c. Satyra*; & *Rhodias*; quæ ſtatuerunt noualium commercia, quę ab Inſula Rhodis aſportabantur. *Plebiſcita* ſunt ſtatuta ipſius plebis. Senatuſconſulta ſunt conſilia Senatorum populo tradita. *Conſtitutio*, vel *edictum* eſt decretum Regis, vel Imperatoris. *Reſponſa prudentum* ſunt conſilia iuriſprudentium,ſeu inſtitutiones iuris ciuilis, quibus lites diſſidẽtium componebantur. Tandem *Canon* eſt idem *Græcè*, quòd *Latinè* regula; regula autem eſt idem, *ac rectè ducens, ſeu gerens*. Canones verò alij ſunt Pontificij; et ſunt decreta *Summorum Pontificum* alij ſunt Conciliorum, vel generalium, vel Prouincialium, vel celebratorum auctoritate *Summi Pontificis* præſente videlicet eius legato; vel auctoritate *Patriarcharum, Primatum, vel Metropolitanorum*. Quam vim autem habeant canones Conciliorum celebratorum abſque auctoritate *Summi Pontificis Romani*, ſuo loco dicemus. Hæc habentur *diſt.3.*

13 Tandem diuidi poteſt in ius negatiuum, quod tradit præcepta negatiua, ſcilicet de non faciendo, vt de non ferendo &c; & affirmatiuum, quod tradit præcepta affirmatiua, ſeu de faciendo; vt Deum cole. Primum obligat ſemper, & ad ſemper, ſeu pro ſemper. Secondum obligat ſemper, ſed non ad ſemper, vel pro ſemper.

§. I.

An lex ſit actus intellectus?

14 RAtio dubitandi eſt; quia lex Diuina *in Sacris Scripturis* aliquando vocatur Dei *voluntas*; vt *pſal.39. In capite libri ſcriptum eſt de me; vt facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui, & legẽ tuã in medio cordis mei;*

& B.

& B.P.lib.2. de Ciu.c.19. in fine : *In illa Angelorum quadam ſanctiſſima, atque anguſtiſſima Curia, cæleſtique republica, vbi Dei voluntas lex eſt; & lib.22. cont. Fauſt c.27. Lex æterna eſt ratio Diuina, & voluntas Dei ordinem naturalem conſeruari iubens, perturbari vetans*. Imò etiam leges ciuiles vocantur *Principum placita*. *Inſtit. de Iure nat.§. conſtat; & Beatiſſ.P.lib 4. de Ciuit. Dei c.6. Arbitria Principum pro legibus erant*; placita autem, & arbitria patet eſſe actus voluntatis.

15 Ex alia parte aliquando lex *in Scripturis* appellatur *Verbum, & lucerna*, & lumen illuminans corda, vt *pſ.113. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen pedibus meis*; aliquando vocatur *teſtimonia Dei*; vt eodem *pſ. Beati, qui ſcrutantur teſtimonia eius*; aliquando *iudicia*; patet autem, quòd illuminare, lucere, verbum, & teſtimonium, & iudicium ſunt actus intellectus; *& Beatiſſ.P. lib.9. vbi ſ. c.22. Aliud autem in æternis, atque incommutabilibus Dei legibus, quæ in eius ſapientia viuunt*; Imò etiam *Cic.lib.1. de Legib.* ait: *Lex eſt ratio ſumma*; ratio autem eſt intellectus; *& diſt.3.c. Canon* dicitur *regula*, quæ pertinet ad intellectum, cuius proprium eſt dirigere voluntatem, quæ cœca eſt, in bonum ſibi ab illo propoſitum. Propter hoc.

16 *Aliqui* volunt legem eſſe actum voluntatis, quia eſt eſſentialiter obligatiua, & præceptiua; non eſt autem obligatiua, & præceptiua, niſi à voluntate. *Ita Scot.in 3. diſt. 36; & in 4. diſt.44. lit.A. apud Maſtr.in Moral. de leg. diſp.2. art.1.*, apud quem *D.Bon; Almain; Vulp; Ponc; Sua; Sal; Arriag.*, quibus adduntur *Caſtro lib.1. de lege pænali c.1; Io.Med.C. de Orat.q.2. apud Gonet.*

17 *Alij* conſiſtere in actu vtriuſque. *Ita Gerſon Alphab.2. de Poteſt. Eccleſia conſiderat.13. Becc. hic c.1.* Refertur *à Gonet* etiam *noſter Greg. in 1. diſt. vlt.q.1.*, qui tamen nil aliud habet, niſi quòd *lex ex Beatiſſ.P.Aug. lib.cont. Fauſt. eſt ratio, vel voluntas Dei.*

18 *Alii* volunt eſſe actum intellectus importante præſuppoſitiuè actum voluntatis. Sed diuiſa eſt; nam *Thomiſtæ* opinantes imperium eſſe actum intellectus volunt conſiſtere in imperio. *Ita Conr. hic art. 1; & Gonet hic art. 1; apud quem alii.* Nos *cum Fund. Doct.* tenẽtes imperiũ eſſe actum voluntaris dicimus legem formaliter ſpectare ad iudicium practicum intellectus directiuum, & regulatiuũ ſubditorum ad bonum commune. *Ita Fund. Doct. lib.3. de Regim. Princ. p.2. c.24; Lorc; & alis Recentiores.*

19 Vnica concl. Lex formaliter eſt actus practicus intellectus importans de materiali actum voluntatis.

Prob.1. ex teſtibus *Scripturæ* ſuperiùs allatis pro 2. parte rationis dubitandi.

20 Prob. 2. *ex Beatiſſ.P. lib.1. de lib.arb. c.6.* docente : *Quid illa lex, quæ ſumma ratio nominatur, cui ſemper obtemperandum eſt*. Et paulò poſt dat definitionem formalem legis dicens: *Vt igitur breuiter æternæ legis notionem, quæ impreſſa nobis eſt, quantùm valeo, verbis explicem ea eſt, qua iuſtum eſt, vt omnia ſint ordinatiſſima*. Hinc communiter dicitur, quòd lex naturalis in nobis eſt lumen, ſeu dictamen rationis; & operans contra rectam rationem dicitur operari contra legem naturalem; ſed ratio eſt intellectus; ergo lex eſt actus intellectus. Tum quia lex formaliter importat ordinationem, & regulationem omnium rerum; quapropter lex ſuperiùs *ex Fund. Doct.* definita eſt *regula diiudicans, quod iuſtum eſt*; ſed ordinatio, & regulatio eſt actus potentiæ videntis, quæ eſt intellectus, non voluntas, quæ cùm ſit potentia cęca, non videt, & ideo nequit ordinare, & regulare; ergo lex formaliter eſt actus intellectus, non voluntatis. Tum quia lex dictat modum, regulam, & normam actionum humanarum; ſed dictare eſt actus intellectus; quia dictare idem eſt *ac dicere cum magno impetu*, & dicere eſt actus intellectus; ergo idem. Tum quia lex in legiſlatore eſt doctrina, & in ſubdito eſt diſciplina; per legem enim eruditur populus ad rectè, & honeſtè viuendum; ſed doctrina, & diſciplina formaliter ſunt actus intellectus; ergo idem.

21 Prob. 3. In tantùm lex per *Aduerſarios* eſt actus voluntaris in quantùm eſt obligatiua; & in tantùm eſt obligatiua, in quantùm eſt præceptiua; ſed ex hoc ſequitur tantùm legem importare materialiter actum volũtatis; nam etiam prudẽtia, quæ procul dubio eſt vnus ex quinque habitibus intellectus, vt tenetur *communiter*, eſt præceptiua; ait enim *Phil. 6. Eth. c.9. Prudentia præceptiua eſt; finis enim ipſius eſt, quodnam ſit agendum, vel non agendum, præcipere*; ſi autem eſt præceptiua, eſt etiam obligatiua; nam obligatio oritur ex præcepto; ergo lex formaliter eſt actus intellectus, & tantùm materialiter eſt actus voluntatis; ex quo probata manet 2. pars concl.

22 Conf.1. Illud, quod ab aliquo importatur genericè, importatur tantùm materialiter, non formaliter; vt patet de animali, quod quia ab homine importatur genericè, conuenit enim etiam alijs ab homine; ideo ab homine importatur tantùm materialiter; ſed ratio obligatiui, & præceptiui importatur à lege genericè; nam conuenit nedum legi, ſed etiam prudentiæ, & præcepto, quod tamen differt à lege; quia homo priuatus poteſt præcipere ſibi ſubdito, non tamen poteſt facere legem; ergo lex non eſt formaliter actus voluntatis, ſed tantùm materialiter.

23 Conf. 2. Quamuis actus practicus intellectus operatiuus ad extra neceſſariò importet actum voluntatis, per quem fit practicus, quia *intellectus extenſione fit practicus*; attamen ex hoc tantùm ſequitur, quòd ille actus ſit formaliter intellectus, & materialiter importet actum voluntatis, cui coniungitur, ex qua coniunctione fit practicus; ergo à pari.

24 Quòd

Digitized by Google

24 Quòd autem lex non conſiſtat in imperio, patet ex dictis *to.3.de Act.hum.q.4.art.5; & locis ibid.cit.* vbi oſtenſum eſt imperium eſſe actũ voluntatis, non intellectus.

25 Sed adhuc declarandum ſupereſt, in quo actu intellectus conſiſtat lex. Primò igitur Legislator intendit commune bonum reipublicæ, quod eſt obiectum legis. 2. Præcipit intellectui, vt conſulat de medio ad aſſequendum bonum commune. 3. Intellectus iudicat tale medium eſſe iuſtam, & certam regulam ad conſecutionem talis boni; & format ſibi idæam in mente, vel verbum, ſeu conceptum obiectiuum, aut idolum; & hæc eſt lex. Tandem accedit imperium voluntatis præcipientis, vt promulget talem legem; ex quo imperio illa lex incipit eſſe præceptiua, & obligatiua; vnde lex eſt iudicium practicum obiectiuè, non formaliter ſumptum, directiuum, & regulatiuum ad conſecutionem boni communis; ſeu eſt verbum, aut ſpecies expreſſa producta per iudicium practicum intellectus directiua ad bonum commune, nam lex in mente Principis ſe habet, vt obiectum cognitum, ad quod reſpicit, dum legem profert.

Inſt. *Gonet. hìc* §.4. Ad legem ſpectat præcipere, vt docet etiam *Fund. Doct. in 3. diſt. 33. q. 2. art. 1. §. Liberalitas ergo*; vbi ait: *Spectat autem ad legem quodammodo præcipere opera omniũ virtutum*; ſed iudicium practicum poteſt ſtare ſine præcepto; quia iudicium practicum præcedit imperium, à quo ſumitur præceptum; ergo lex non conſiſtit in iudicio practico intellectus. 2. Lex habet vim obligandi; ſed iudicium practicum non habet vim obligandi; nam optimè ſtat Principem iudicare, vt ſubditus aliquid operetur; & tale iudicium innoteſcere ſubdito; & tamen vi illius non obligari; quia non obligatur, niſi dum accedit intimatio, qua ei præcipitur, vt operetur; ergo lex non conſiſtit in actu iudicij practici. Hoc autem dicitur tantùm de lege poſitiua, nam de naturali erit ſermo *art. 3. §. 2.*

Reſp. ad 1. diſt. ma. Ad legem ſpectat præcipere formaliter, neg; nam ad illam tantùm ſpectat ordinare, & regulare, vt diximus; materialiter, idèſt ex coniunctione ad imperium, quod eſt voluntatis, conc; & in hoc ſenſu intelligendus eſt *Fund. Doct.* Ad 2. eodem modo diſt. ma. Lex habet vim obligandi formaliter, neg; formaliter enim habet ſolùm vim dirigendi, & regulandi ad conſecutionem boni communis. Materialiter, conc; & ſic diſt. mi. Iudicium practicum non habet vim obligãdi formaliter præciſè ſumptum, conc; materialiter ex eo, quòd coniungatur imperio voluntatis, neg.

26 Ad auctoritates *Scripturæ* allatas pro ſẽtentia oppoſita dicitur legem appellari voluntatem materialiter, prout coniũgitur cum actu voluntatis. Sic etiam prædeſtinatio, & beatitudo, quia important actum intellectus coniunctum cum actu voluntatis, modò appellantur actus voluntatis; modò intellectus.

27 Obijc. 1. Dirigere in finem eſt commune etiam prædeſtinationi, & prouidentiæ; quæ eſt ratio ordinandorum in finem; ergo non eſt ratio formalis differentialis ipſius legis.

Reſp. diſt. ant. Dirigere in finem, vt in bonum commune, tradendo regulas tantùm conuenit etiam prædeſtinationi, neg. Vt in bonum particulare perſonę particularis tradendo auxilia ad illum conſequendum, conc.

28 Obijc. 2. Munus legis eſt mouere ſubditos ad finem honeſtum; ſed mouere ad finem eſt actus voluntatis, quæ habet pro obiecto formali finem; ergo lex eſt actus voluntatis. 2. Ferre legem eſt actus iuſtitiæ legalis; quia lex eſt per ordinem ad bonum commune, & ad omnes actus virtutum; quod formaliter reſpicitur à iuſtitia legali; ergo idem. 3. Lex eſt regula actuum humanorum; ſed regula ſpectat ad voluntatem; nam voluntas Dei dicitur prima regula omnium actuum humanum; ergo idem.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Ad finem honeſtum, quatenus reſultat bonum commune, pax publica, & tranquillitas communitatis tradendo tantùm regulas, conc; & in hoc ſenſu neg. mi. Ad finem particularem tradendo auxilia, neg. Ad 2. neg. ant. Ad prob. inſert. dicitur iuſtitiam legalem reſpicere bonum publicum, vt iuſtum; lex autem, quatenus conducit ad pacem, & tranquillitatem; & ideo ſub diuerſa ratione formali. Ad 3. diſt. mi. Regula ſpectat ad voluntatem participaliter, quatenus voluntas dirigitur à ratione, quę eſt regula formalis, conc; formaliter, neg; ſicut enim regula dicitur præceptum ex eo, quòd coniungitur actui voluntatis; ita actus voluntatis dicitur regula ex eo, quòd coniungitur actui intellectus.

29 Inſt. Bonum commune etiam, quatenus ordinatur ad pacem, & tranquillitatem publicam, eſt obiectum voluntatis; quia etiam ſub hac ratione non egreditur rationem boni, quod eſt obiectum formale voluntatis; ergo nulla reſponſio.

Reſp. diſt. ant. Bonum commune, quatenus ordinatur ad pacem ſub ratione dirigibilis, & regulabilis, eſt obiectum voluntatis, neg; ſub ratione appetibilis, conc.

§. 2.

Afferuntur aliquot quæſita.

30 QVæres 1. quænam fuerit neceſſitas condendi leges poſitiuas, & quænam ſit illarum vtilitas?

Reſp. *Fund. Doct. lib. 3. de Regim. Princ. p. 2. c. 26.* neceſſarium fuiſſe condere leges, vt homines, ſi non amore virtutis, ſaltem timore pęnæ cogerentur ad bonum commune.

31 Quæres 2. quænam ſint de ratione legis?

Reſp. *Fund. Doct. ibid.* tria eſſe. 1. Vt ſit

iuſta

iuſta; nam ſi iuſta non ſit, non eſt lex, ſed corruptio legis; & *Beatiſs. P. lib. 1. de lib. arb. c. 5.* ait. *Nam mihi lex eſſe non videtur, quæ iuſta non fuerit*; & rationem ſubdit; quia omnis lex deſcendit à Deo, qui iuſtiſſimus eſt. 2. Vt ſit vtilis; quia debet eſſe per ordinem ad bonum commune; vt diximus; nam lex, quæ eſt per ordinem ad bonum priuatum, non eſt iuſta, ſed tyrannica; ſicut enim Rex in hoc differt à tyranno, quòd ille principaliter intendit bonum commune, & ex conſequenti bonum priuatum, quatenus includitur in bono communi; & ideo publicum bonũ bono priuato anteponit; iſta verò principaliter intendit bonum priuatum, & ex conſequenti bonum publicum, quatenus ex illo poteſt augere bonum priuatum; ita lex, quæ non ordinatur ad bonum commune, non eſt iuſta, ſed tyrannica. 3. Lex debet eſſe compoſſibilis, & conueniens populo, cui debet imponi; ait enim *Beatiſs. P. lib. de Nat. & grat. c. 43. Non ergo Deus impoſſibilia iubet, ſed iubendo admonet, & facere, quod poſſis; & petere, quod non poſſis.*

32 Addit *Fund. Doct. ibid. c. 20*; quòd lex iuſta debet eſſe, quaſi immortalis, & immutabilis, quouſque reuocetur; vt habetur *c. vlt. de offic. legati; l. mandatum C. mandati*; in hoc enim lex differt à præcepto; quòd præceptum ceſſat moriente præcipiente; lex autem durat etiam mortuo Legiſlatore, niſi reuocetur; vt colligitur *ex c. irrefragabili §. Ceterùm de offic. Ordinarij*. Subdit tamen *Fund. Doct.* quòd *circa leges aliqua mutatio fieri poteſt*; quia *Beatiſs. P. lib. 1. de lib. arb. c. 6.* loquens de lege humana ait: *Appellemus ergo iſtam legem temporalem, quę quamuis iuſta ſit, commutari tamen per tempora iuſtè poteſt*; & rationem reddens ſuperiùs ait; quia homines ferentes legem ſunt mutabiles, & ſubiecti temporum vicibus; in quo differt lex humana à lege naturali, quæ eſt ſimpliciter immutabilis, quia eſt à Deo, qui æternus, & immutabilis eſt.

33 Inſuper requiritur, quòd lex ex poteſtate publica feratur; nam lex eſſentialiter ordinatur ad bonum commune, ſola autem poteſtas publica reſpicit bonum commune, ſicut poteſtas priuata reſpicit bonum priuatum.

34 Hinc infertur 1. poteſtatem, quam habent patres in filios, viri in vxores, domini in ſeruos, non ſufficere ad condendas leges. *Ita Fund. Doct. lib. 3. de Regim. Princ. p. 2. c. 27; & communiter omnes cont. Arriag. hìc diſp. 3. ſect. 4; & Maſtr. hìc diſp. 2. art. 2. n. 12*, vbi refert *Scot. in 4. diſt. 15. q. 2. art. 1. concl. 5.* Colligitur etiam *ex B. P. lib. 19. de Ciu. Dei c. 16*; vbi aſſerens, quòd domus refertur ad ciuitatem, tanquam pars ad totum ſubdit. *Ita fit, vt ex lege ciuitatis pręcepta ſumere patrem familias oporteat, quibus domum ſuã regat, vt ſit paci accomodata ciuitatis.* Ex quo ſic. Iiſdem legibus debent regulari totum, & partes; ſed caput familiæ priuatæ non habet poteſtatem ferendi leges pro tota ciuitate; ergo neque pro ſua familia. Prob. ma. Leges, quæ traduntur toti ciuitati, debent ſeruari à ſingulis familijs illius ciuitatis, quia ciuitas non eſt, niſi omnes familiæ priuatæ ſimul ſumptæ; ergo eædem leges, quæ traduntur toti, traduntur & partibus. Tum quia diuerſi patresfamilias in eadem ciuitate diuerſas, & contrarias leges poſſent condere, imò oppoſitas legibus ciuitatis, quibus tolleretur pax, ſocietas, & vnitas ipſius. Tum quia lex ſemper durat, quouſque retractetur, vt fatentur *aduerſarij*, ſed mortuo patre filius non tenetur ampliùs ad leges ſui patris, quia fit ſui iuris, & de vxore ait *Apoſt. 1. Cor. 7. Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit; quòd ſi dormierit vir eius, liberata eſt.*

35 Dicit *Maſtr. Mulier alligata eſt legi viri vbiſ; & Prou. 1. Ne dimittas legem matris tuę, & Conſerua, fili mi, pracepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* 2. Filij tenentur obedire parentibus, & vxor viro.

Reſp. *textum Apoſt.* intelligi de lege Dei, quæ pręcipit mulierem ſubdi poteſtati ipſius viri, & ab eo non poſſe ſeparari, & alteri nubere, niſi ille moriatur; ſubdit enim: *cui vult, nubat.* Si autem intelligatur de lege ipſius viri, intelligendus eſt de lege accepta ex legibus ciuitatis, & communibus, non autem de lege condita ab ipſo viro; & ſic ad illud *Prou.* Quòd ſi libeat intelligi de lege condita ab ipſo viro, & patre, dicendum eſt, *ibi* accipi legem latè, prout idem eſt, ac præceptum; vt ait *Fund. Doct. vbiſ.*

36 Tandem prob. *ex eod. ibid.* Leges ſunt quædam regulæ agibilium ordinatæ in bonum commune, & habentes vim directiuam, & coactiuam vſque ad exterminandos, proſcribendos, & morte afficiendos transgreſſores; ſed pater, & vir non habent poteſtatem exterminandi, proſcribendi, & interficiendi filios, & vxorem; hæc enim omnia eis interdicuntur à lege; ergo idem.

37 Infert 2. *Fund. Doct. ibid.* poteſtatem condendi leges reſidere ſolùm apud eos, qui dominantur, & principantur illis, quibus leges traduntur. Hinc ſuprema poteſtas eſt in Deo, qui eſt ſupremus Dominus omnium; & ideo lex naturalis, & Diuina eſt à Deo, quia ſolus Dei eſt ordinare naturam in ſe ipſum, vt in finem naturalem, & ſupernaturalem, qui eſt bonum communiſſimum, cùm ſit omnis boni bonum; & omnia illius bonitatem participent. Lex verò humana eſt ab homine principante, cui dominium à Deo collatum eſt.

38 Quæres 3; an promulgatio ſit de eſſentia legis?

Reſp. certum eſſe legem non habere vim obligandi, niſi ſit promulgata; nam vt docet *Fundat. Doct. vbiſ.* lex non ligat, niſi ad notitiam ſubditorum perueniat; & prob. *ex Io. c. 15. Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent*; ex quo manifeſtè deducitur legẽ nõ habere vim obligãdi ad peccatum, niſi promulgetur.

39 Pro-

39 Promulgatio tamen non eſt de intrinſeca ratione legis; ſed eſt tantùm conditio *ſine qua non* indiſpēſabiliter requiſita. Eſt *cont.Sua,Vaſq; Med; Monteſin; Caſtro,Merat; Caſpen; Amic;Lezan*; & tribuitur *etiam D. Tho. q.70. art.4. apud Maſtr. hic n. 17*; vindicat tamen eum *Gonet hic diſp.1.art.4*.Prob.1. Ex quo fit. Si promulgatio eſſet ratio formalis conſtitutiua legis, lex vetus fuiſſet formaliter inſtituta *à Moyſe*, non à Deo; & lex Euangelica ab Apoſtolis, non à Chriſto Domino; quia ille dicitur formaliter inſtituere legem, qui ponit rationem formalem legis conſtitutiuam; *Moyſes* autem,& Apoſtoli poſuerunt promulgationem legis; ſed conſ.eſt cont. fidem docentem legem *Moyſis* fuiſſe inſtitutam à Deo, & legem Euangelicam à Chriſto Domino; ac propterea vtraque dicitur lex Diuina,& de iure Diuino, ergo lex non conſiſtit formaliter in promulgatione. 2. Si lex conſtitueretur formaliter per promulgationem maximè, quia lex importat imperium, & mandatum ſuperioris factum inferiori per ordinem ad obedientiam illius; vt aiunt *Aduerſarij*, ſed hoc eſt falſum,vt diximus; nā lex non importat imperium,& mādatum formaliter, vt probatum eſt *in ſup.*§; ergo & illud. 3. Promulgatio legis eſt formaliter applicatio legis ad ſubditos; ſed applicatio eſt tantùm conditio *ſine qua non*; ergo idem. 3. Lex formaliter eſt actus intellectus; vt dictum eſt *in ſup.*§; ſed nullus actus intellectus conſtituitur formaliter per aliquod externum; quia actus intellectus eſt immanens intra ipſum intellectum; & intrinſecum nequit formaliter conſtitui per aliquod extrinſecum; ergo idem.

40 Obijc.1. Habetur *c. in iſtis diſt.4. Leges inſtituuntur, cùm promulgantur*; ergo promulgatio pertinet ad legis inſtitutionem. 2.Si promulgatio nō eſſet de eſſentia legis,ſequeretur,quòd lex obligaret ante promulgationem; quia ante promulgationem lex haberet totum id,quod requiritur ad eius eſſentiam; obligare autem pertinet ad eſſentiam legis; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. 3. Lex eſſentialiter importat aliquod imperium factum ab aliquo ſuperiori potēs mouere inferiores ad obediendum; ſed hoc non fit, niſi per promulgationem; ergo idem.

Reſp.ad 1. leges inſtitui, idēſt poni in actu, cùm promulgantur; & firmari, cùm vtentium moribus approbantur; vt dicitur *ibid.*, nec quid aliud dicitur *in illo c.* Ad 2.neg.ſeq;nam adhoc, vt obliget, debet applicari,quod fit per promulgationem; ſicut enim quanuis ignis habeat virtutem ad comburendum,attamen actu non comburit, niſi cùm actu eſt applicatus; ita quanuis lex habeat virtutem obligandi ſubditos ante actualem promulgationem, attamen actu non obligat, niſi actu per promulgationē applicetur. Ad 3. iam dictum eſt,legem importare promulgationem tantùm materialiter imperium, & tanquam conditionum *ſine qua non*.

41 Obije. 4. cont. 2. part. Ad reuocationem legis non requiritur promulgatio; ergo neque ad inſtitutionem. Ant. habetur *c. in iſtis vbiſ*; quòd *moribus vtentium in contrarium nonnullæ leges abrogatæ ſunt*; & affertur inſtantia *Theleſphori Papæ*, qui ſtatuit, vt Clerici incipiant quadrageſimam Dominica Quinquageſimæ; quod per ſolam deſuetudinem reuocatum eſt.

Reſp. hoc diſſoluendum eſſe *inf.* cùm de abrogatione legis agemus.Interim diſt.ant.Non requiritur promulgatio explicita, vel implicita, neg., explicita tantùm conc, ex eo enim, quòd Princeps non curet tranſgreſſionem legis,cenſetur virtualiter illam legem nolle; & hoc ſufficit ad notificandam voluntatem Principis. At verò ad notificandam inſtitutionem legis neceſſaria eſt promulgatio explicita;quia alio modo notificari non poteſt.

42 Quæres 4; an ſit de ratione legis,quòd promulgetur per ſcripturam.

Reſp.*cum Fund. Doct. de Regim. Princ lib.3. p.2.c.24*; quòd *quia ius poſitiuum non eſt ſcriptum in corde*, ſicut ius naturale, *ne à memoria recederet, oportet ipſū ſcribi in aliqua exteriori ſubſtantia*; ergo ſublato periculo obliuionis non eſt neceſſitas promulgandi legem per ſcripturam; & ideo nō eſt de ratione legis ſic promulgari. Tum quia lex naturalis eſt vera lex,& tamen exteriùs non ſcribitur. Tum quia *diſt.1.c.conſuetudo* habetur *non referre, quòd lex ſcriptura, an ratione conſiſtat*. Tum quia lex Euangelica non fuit ſcripta ſtatim, ac fuit promulgata. Denique traditiones, & conſuetudines Eccleſiaſticæ habent vim legis,quanuis ſcriptæ non ſint.

43 Sed petes; an ſufficiat ad hoc, vt lex obliget, promulgatio facta in curia Principis ferentis legem?

Reſp. leges Imperiales non obligare, niſi poſt duos menſes à publicatione facta in Metropoli cuiuslibet Prouinciæ; vt habetur *in Authen. vt factæ*. Leges autem Pontificiæ ſtatim obligant,ac promulgatæ ſunt Romæ, niſi in dicta lege apponatur tempus, poſt quod intendit Pōtifex obligare. Ratio eſt. Adhoc, vt lex obliget, ſatis eſt,vt poſſint omnes venire in cognitionem illius; ſed facta promulgatione in curia Principis omnes de facili poſſunt venire in cognitionem illius;nam ex omnibus partibus concurrunt gentes ad illam; ergo ſufficit promulgatio facta in curia Principis. Verum tamen eſt, quòd nullus obligatur. quouſque notitia legis ad illum peruenerit.

44 Quæres 5; an adhoc, vt lex obliget, requiratur, quòd à populo acceptetur, & ei conſentiatur?

Reſp.negatiuè. Prob.*ex authen.vt nouæ*;vbi poſt publicationem legis,& lapſum temporis deſignati indicitur obſeruantia legis, nec fit mentio conſenſus populi. Ratio eſt. Si adhoc, vt lex obli-

obliget, requireretur conſẽſus, & acceptatio populi, poteſtas condendi leges eſſet in populo, non in Principe; quia poteſtas obligandi eſſet ſolùm in populo, nòn in Principe, qui non poſſet abſolutè populum obligare; ſed ſolus populus conſentiendo poſſet ſe obligare; ſed conſ. eſt falſum; nam ſi loquamur de lege Eccleſiaſtica, poteſtas illam ferendi eſt in Summo Pontifice à Chriſto Domino accepta; ſi de lege ciuili; poteſtas eſt in Principe, in quẽ tranſlata fuit à populo abſolutè, & non ſub conditione, quòd leges acceptentur à populo; vt ſupponimus; nam ſi ſic eſſet tranſlata poteſtas, tunc populi conſenſus requireretur. Tum quia ſi requireretur conſenſus populi, poſſent populi viuere ſine lege, quia poſſent nullam legem acceptare. Tum quia pater poteſt obligare filium etiam renitentem; ſed Princeps habet maiorem poteſtatem, quàm pater, quia poteſt magis punire, quàm pater; ergo idem. Tum quia leges conſtringunt homines; vt habetur *l. Leges ſacratiſſimæ C. cod. tit*; ſed conſtrictio eſt propriè reluctantis; ergo idem.

44 Dices 1. *l. quibus ff. de legib.* habetur: *Leges nulla alia ex cauſa nos tenent, niſi quia iudicio populi accepta ſunt*; *& diſt. 4. c. leges* habetur: *Firmantur, cùm moribus vtentium approbantur*. 2. Princeps accepit à populo poteſtatem ad ferẽdas leges per ordinem ad commune bonum; ſed ferre leges contra conſenſum populi non eſt per ordinem ad bonum commune, & pacem publicam, ſed potiùs per ordinem ad diſcordias, & tumultus; ergo Princeps debet condere leges ſub tacita conditione, ſi acceptentur à populo; hoc enim ſpectat ad ſuaue regimen populorum. 3. Leges *Romanorum* non obligabant, niſi acceptabantur à populo; & ſic *de Spartanis*.

Reſp. ad 1. *illos textus* nihil aliud velle, niſi quòd leges durant, firmantur, & continuantur, quia à populo acceptantur, & obſeruantur; tenere enim *ibi* ſumitur pro durare, quod ſignificat etiam firmari; ex hoc autem non ſequitur, quòd legum conditio habeat vim obligandi à populi acceptatione. Ad 2. neg. mi. nam leges iuſtæ nequeunt eſſe contra conſenſum bonorum, ideo nequeunt excitare diſcordias apud iuſtos; ſi autem excitent diſcordias inter malos, puniendi ſunt, & ſic tolluntur tumultus. Ad 3. dicitur illos populos pro eo tempore transfudiſſe poteſtatem in Principes condendi leges ſub conditione approbationis populi; nunc autem non eſt ita. Vel dicitur Princeps hoc feciſſe, vt leges libentiùs ſeruarentur à populo.

45 Quæres 6; quænam ſint officia, finis, & effectus legis?

Reſp. officia duo eſſe, ſcilicet dirigere, & obligare ſubditos; finem verò eſſe inducere bonum publicum principaliter, & ex conſequenti facere bonos ſubditos; vt ex dictis poteſt patere; effectus autem eſſe quinque; ſcilicet præcipere, permittere, prohiberi, præmiari, & punire. *Ita Fund. Doct. de Regim. vbiſ. c. 28.* Eſt *cont. Gonet hìc diſp. 1. ar. 6. concl. 3; & alios* opinantes præmiari non eſſe effectum legis, & ideo effectus legis eſſe tantùm quatuor. Prob. tamen. 1. *diſt. 3. c. Omnis*; vbi dicitur; quòd *præmio, & pæna vita moderatur humana*. 2. Lex habet regulare actiones humanas, ſed actionum humanarum ſunt quinque ſpecies; ergo effectus legis ſunt quinque. Ma. patet. Mi. prob. Actiones humanæ vel ſunt faciendæ, & futuræ; vel ſunt iam factæ, & præteritæ? Si primum; vel ſunt bonæ; & ſic habetur præceptum; vel ſunt malæ; & ſic habetur prohibitio; vel licèt ſint malæ per ordinem ad bonum priuatum, non ſunt tamen malæ per ordinem ad bonum publicum, & ſic habetur permiſſio, vt fornicationes, de quibus ait *Beatiſs. P. lib. 14. de Ciu. Dei c. 17. In vſu ſcortorum, quam terrena ciuitas licitam turpitudinem fecit; quamuis id agatur, quod eius ciuitatis nulla lex vindicat*; & habetur: *l. de Concubinariis ff. 25.* Si actiones ſunt iam factæ, & præteritæ: vel ſunt bonæ; & ſic habetur præmiari. Vel ſunt malæ; & ſic habetur punitio.

46 Dicit *Gonet* 1. Ad quemlibet etiam non ſuperiorem ſpectat præmiare; ergo præmiare non eſt actus legis, quæ ſolùm eſt in ſuperiore. 2. Præmiare inducit ad bonum per modum conſilij, nõ per modũ præcepti. 3. Virtus ex ſe ipſa habet ſufficientẽ honeſtatẽ, vt ipſa ſit præmium ſibi.

Reſp ad 1. diſt. ant. Ad quemlibet ſpectat præmiare ex publica auctoritate, neg; ex auctoritate priuata, conc. Præmiare ex auctoritate publica eſt effectus legis. Ad 2. neg. aſſumpt. Ad 3. diſt. ant. Virtus eſt præmium internum ſibi, & priuatum, conc; externum, & publicum, quod debetur ei ex iuſtitia, neg.

ART. III.

De lege naturali.

1 Diximus *in ſup. art. 2. n. 4.* legem naturalem, ſi conſideretur, prout eſt in Deo, eſſe æternã, quia eſt actus Diuini intellectus, qui æternus eſt; ſi verò ſpectetur, vt eſt in nobis, dici naturalem, quia nobiſcum naſcitur ſcripta à Deo in cordibus noſtris. Modò de eadem ſecundùm vtranque conſiderationem agendum eſt.

§. I.

An ſit; & quid ſit lex æterna?

2 Dari legem æternam, qua totus Mundus hic regitur, eſt veritas per ſe nota omnibus ſapientibus, vt teſtatur *Cic. lib. 2. de legib. & Beatiſſ. P. lib. 1. de lib. arb. c. 6. Quid illa lex, quæ ſumma ratio nominatur, cui ſemper obtemperandum eſt; & per quam mali miſeram, boni*

beatam vitam merentur; per quam den que illa, quam temporalem vocandam diximus, rectè fertur, rectèque mutatur, poteſtne cuipiam intelligenti non incommutabilis, æternaque videri? Ex his definitur lex æterna *actus practicus intellectus Diuini directiuus, & ordinatiuus omnium actionum creaturarum ad bonum commune totius vniuerſi.*

3 Sed dubium eſt; an lex æterna ſit propriè lex?

Reſp. affirmatiuè. Eſt *cont. Vaſq q.91. art.1; & Lorc. diſp.5. memb 2; Becc; Merat; Tauner, & alios*. Prob. Lex natutalis *ex Beatiſſ. P. vbiſ.* imò omnes leges etiam poſitiuæ ſunt participationes legis æternæ, quia ab illa deriuantut; ſed lex natnralis, & poſitiua ſunt propriè leges; ergo multò magis lex æterna; quia quod eſt participatiuè tale; eſt minùs proprìè tale, quàm illud quod eſt tale per eſſentiam.

4 Conf. Lex propriè ſumpta nihil aliud eſt formaliter, quàm ordinatio actionum humanarum ad bonum commune; ſic enim definitur; ſed ab æterno in intellectu Dei fuit ordinatio omnium actionum humanarum ad bonum commune; ergo ab æterno in intellectu Dei fuit lex propriè ſumpta.

5 Dices 1. Lex ex ſua natura exigit dominium iuriſdictionis in legislatore, & quòd feratur pro bono communitatis; ſed ab æterno nulla fuit iuriſdictio, quia nulla fuit creatura ſubiecta; & ideo nulla fuit communitas; ergo ab æterno nulla fuit lex propriè dicta, ſed tantùm impropriè per quandam analogiam ad legem propriè dictam. 2. Lex æterna nihil aliud eſt, quàm idææ exiſtentes in mente Diuina; quia lex nihil aliud eſt, niſi ſumma ratio gubernationis rerum, vt diximus *ex Beatiſſ. P*; idæa autem non habet propriè rationem legis. 3. De ratione legis eſt promulgatio; ſed ab æterno nulla potuit eſſe promulgatio; quia nulla erat creatura, cui promulgaretur; ergo idem.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Lex exigit dominium iuriſdictionis actuale, vel pro futuro tempore, conc; ſecus, neg; nam Rex fert legem pro ſubditis nedum exiſtentibus, ſed etiā futuris. Ad 2. neg. ma; nam idæa eſt ratio factiua rerum, lex autem eſt directiua creaturarum ad bonum commune. Ad 3. neg. ma; nam promulgatio eſt tantùm conditio exacta ad hoc, vt lex obliget, vt *ſup.* diximus, ideo argumentum ſolùm conuincit creaturas non fuiſſe actu obligatas ad ſeruandam legem æternam pro æternitate; quia non fuit ab æterno, quod libenter concedimus.

6 Dices 2. Lex æterna non minùs gubernat creaturas rationales, quàm irrationales; creaturæ autem irrationales ſunt incapaces legis propriè dictæ.

Reſp. neg. ma. *cum Beatiſſ. P. lib.3. ſup. Leuit. q.74;* & habetur *15. q.1. c. Mulier*; lex enim propriè ſumpta eſt principium dirigens ſolam actionem moralem, cùm ſit principium moralitatis, vt diximus *to.3. de act. hum q 5. art. 1. §. 1.* Cùm autem dicitur *Prou.8. Cùm legem ponebat aquis &c;* dicitur *ibi* ſumi legem pro meta, qua ligatur, ne tranſeat.

§. 2.

An quo conſiſtat lex naturalis?

7 DAri legem naturalem eſt dogma fidei; habetur enim *ex Apoſt. Rom. 2.* dicente: *Ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis teſtimonium illis reddēte conſcientia ipſorum*. Hinc *Beatiſſ. P. lib.2. Conf. c.4. Lex ſcripta in cordibus hominum, quam ne ipſa quidem delet iniquitas;* quem *textum* fusè explicat *lib. de ſpir. & lit. c.27; & ſeq; & lib.4. cont. Iul. c.3; & ſæpe alibi*. Ratio autem traditur à *Beatiſſ. P. lib.1. de lib. arb. c.7;* quæ ſic formatur. Diuinæ prouidētiæ maximè conuenit, vt omnia in Mundo ſint ordinatiſſima; ex hac nanque ordinatione conſurgit pulcritudo, & perfectio vniuerſi; ſed actiones humanæ ordinantur per legem naturalem ſcriptam in cordibus hominum; nam leges poſitiuæ nequeunt ordinare omnes actiones internas, cùm illas non poſſint cognoſcere, & ideo nequeunt illas punire; ſi autem non eſſent ordinatæ per legem naturalem, eſſent ſimpliciter inordinatæ; ergo datur lex naturalis. Dubium eſt in quo conſiſtat?

8 Prima ſententia vult legem naturalem eſſe ipſam naturam rationalem, quatenus aliquæ actiones ei conueniunt, & aliæ diſconueniunt. *Ita Vaſq. 1.2. diſp. 180. c.3; Merat. de legib. ſect. 1.* Tribuitur etiam *Scot*; ſed *Maſtr. diſp.2. de Leg. art. 2;* vbi citat etiam *Vulpem*, aſſerit *Scotum* conſtituere legem naturalem in conceptu obiectiuo veritatis per ſe notæ ex terminis, ſeu ex natura ipſius rei.

9 Secunda vuult legem naturalem conſiſtere in intellectu; ſed diuiſa eſt; nam *alii* volunt conſiſtere in habitu luminis intellectus. *Ita Aleuſ. 3. p. q.27. memb.2; & D. Bon. in 2. diſt.39. art.2. q.1. Alii* in actu intellectus, qui eſt dictamen rationis indicantis, quid ſit ſequendum, & fugiendum. *Cit. noſter Greg. Gabr; & Almain. apud Gonet. Alii* conſiſtere in actu imperij præceptiuo, & obligatiuo. *Ita Gonet hìc diſp.2. art. 1;* apud quem *Sua; Val;* Azor; *& Sal;* & aſſerit hanc eſſe ſententiam *Thomiſtarum*. Vt noſtram ſententiam proferamus.

10 Supp. ex dictis *tom.3. de act. hum. quæſt.5. art. 1. §. 1.* legem naturalem conſiſtere formaliter in recta ratione, ſiue in dictamine rectæ rationis, vt *communiùs* tenent *DD.* cont. 1. ſent. Quid autem ſit recta ratio, ſeu dictamen rationis, explicandum eſt?

11 Not., quòd vt *cum Fund. Doct.* iam diximus *de Pecc. q.1. art.6. n.13. ex Beatiſſ. P. loc. ibid. cit, & lib.1. de lib. arb. à c.6.* vſque ad finem; vbi hanc rem altiſſimè tractat quærens, in quo

con-

conſiſtat lex naturalis,& poſitiua, quam tempo-ralem appellat,ait; quòd in homine id, per quod dominatur,imperat, & ſibi ſubijcit beluas,eſt id, in quo beluas excellit; dominium enim ſuperio-ritatem, & excellentiam importat. Id autem,per quod beluas excellit,eſt mens,ſeu ratio; nam in appetitu ſenſitiuo conuenit cum illis; ſicut in vita conuenit cum plantis, & in eſſe cum lapidi-bus. Si autem homo per mentem, ſeu rationem beluis dominatur, per eandem etiam poteſt do-minari omnibus motibus animalibus,qui ſunt in ipſo homine communes cum beluis. Deinde ſubdit, quòd licèt mens, & ratio idem ſint; atta-men non eſt idem mente viuere, & ratione vi-uere; nam ratione viuere eſt ordinatè, & rectè viuere; rectus autem ordo eſt deteriora meliori-bus poſtponere; vnde cùm æterna ſint meliora temporalibus; tunc ordinatè, & rectè viuimus, cùm temporalibus æterna præponimus. AEter-na autem præponere temporalibus eſt ſapienter viuere; quia magna inſipientia eſt deteriora an-teponere melioribus. Igitur licèt cùm manſue-tarij,qui ſubijciunt ſibi beluas, id faciant mente, quia hoc ſolùm facere poſſunt per illud, in quo beluas excellunt; non tamen faciunt ratione, quia ob hoc ſapientes dici non poſſunt, cùm non anteponant ęterna temporalibus.

12 Ex hac doctrina colligitur diuiſio ratio-nis in ſuperiorem, & inferiorem; cuius apertè meminit etiam *hìc de lib.arb. c.9.* dicens: *Quare non repugnat ſuperiori rationi, quòd volunt om-nes beati eſſe, nec poſſunt.* Vnde qui per ratio-nem inferiorem, quæ reſpicit hæc bona tempo-ralia, moderatur actiones animales, dicitur vti-que ratione viuere, quia ſola ratio partem ſen-ſitiuam poteſt moderari; non tamen dicitur vi-uere cum dominatu rationis; quia ſola ratio ſu-perior dominatur rationem inferiorem præpo-nendo æterna temporalibus, & dominatur par-tem ſenſitiuam corporalia deſpiciendo in com-paratione æternorum.

13 Quia ergo ſupremum regimen, & do-minium actionum hominis tribuitur rationi ſu-periori;ideo lex æterna in ratione ſuperiori for-maliter conſiſtit; lex enim formaliter habet di-rigere, & dominari; vt ſup. dictum eſt. Hinc *Beatiſſ.P. de lib.arb.vbiſ.c.8.* ait: *Ratio iſta ergo, vel mens, vel ſpiritus, cùm irrationales animi mo-tus regit, id ſcilicet dominatur in homine, cui do-minatio lege debetur ea, quam æternam eſſe com-perimus. Vid.de pecc.vbiſ.*

14 Vnica concl. Lex naturalis formaliter conſiſtit in ratione ſuperiori, quæ reſpicit æter-na, & illa præponit temporalibus; & rectificat rationem inferiorem, ac partem ſenſitiuam.

Prob. 1. *ex illo Rom.2. Gentes, quæ legem non habent,naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt; eius modi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex,qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, te-ſtimonium illis reddente conſcientia ipſorum,* ſu-per quod *Beat.P. lib.2. de ſerm. Domini in Mon-te c.15.* ait: *Quis enim ſcribit in cordibus hominum naturalem legem,niſi Deus? De qua lege Apoſtolus ait: Cùm enim gentes &c.* Ex quibus ſic. Regula omnium actionum humanarum temporalibus præponens æterna eſt ſola ratio ſuperior; ſed ſed lex naturalis formaliter eſt regula omnium actionum humanarum temporalibus præponens æterna; ergo lex naturalis formaliter eſt ſola ratio ſuperior. Ma.conſtat ex dictis; nam in hoc diſtinguitur formaliter ratio ſuperior à ratione inferiori; quòd illa reſpicit æterna; hæc verò temporalia. Prob.mi. Lex naturalis eſt partici-patio legis æternæ, quæ eſt in Deo, lex autem Dei æterna anteponit æterna temporalibus.

15 Conf. Id,per quod omnia ordinatiſſimè fiunt, eſt ratio ſuperior; ſed lex naturalis for-maliter conſiſtit in hoc, per quòd omnia ordina-tiſſimè fiunt;vt diximus *ex B.P. de lib.arb.c.6*;ergo idem. Prob. ma. Id, quo æterna præponuntur temporalibus, eſt id, quo omnia ordinatiſſimè fiunt; nam rectus ordo poſtulat, vt meliora, ſi-cut ſunt æterna, anteponantur deterioribus,ſicut ſunt temporalia; ſed ratio ſuperior eſt id, quo æterna præponuntur temporalibus; ergo ratio ſuperior eſt id,quo omnia ordinatiſſimè fiũt.Mi. traditur expreſsè *à Beatiſſ.P. ibid. c.6.* vbi defi-niens legem æternam, cuius participatio eſt lex naturalis ait: *Ea eſt, qua iuſtum eſt, vt omnia ſint ordinatiſſima.*

16 Prob 2. euertendo 1. ſent. Lex natura-lis eſt indita à Deo, concreata, & ſcripta in cor-dibus noſtris; vt inquit *Apoſt*, & *pſ.4.* dicitur lu-men Dei oſtendens nobis bona: *Quis oſtendit no-bis bona. Signatum eſt lumen vultus tui, Domi-ne, ſuper nos*; ſed ſubſtantia rationalis non eſt ſcripta in cordibus noſtris; & actus quicunque ſiue intellectus, ſiue voluntatis eliciti à nobis non ſunt nobiſcum concreati, & inditi à Deo ſimul cum natura; ergo in his non conſiſtit lex naturalis.

17 Sed dices *to.3. vbiſ. n.8.* dictum eſſe le-gem æternam Dei, & legem naturalem conſi-ſtere formaliter in iudicio practico intellectus;er-go *hìc* contradicitur *illic* dictis.

Reſp. nomine *iudicij practici* illic intellectã fuiſſe rationem ſuperiorem iudicantem bona æterna præponenda eſſe bonis temporalibus;nec explicandum erat hoc, quod eſt proprium huius loci.

18 Obijc.1. *Gonet.* Ratio ſuperior non eſt obligatiua, & præceptiua; ergo in ipſa nequit formaliter conſiſtere lex naturalis, de cuius ra-tione eſt, quòd ſit obligatiua, & præceptiua. 2.Lex naturalis conſiſtit in dictamine, & ordina-tione rationis; ſed dictamen, & ordinatio eſt actus ſecundus, ſeu actualis operatio intellectus; ergo conſiſtit in actuali operatione intellectus. 3.Deus habet rationem, & lumen, quo diſcer-nit inter iuſtum, & iniuſtum; & tamen in Deo

non eſt lex propriè dicta reſpectu actionum Dei; ergo lex naturalis non conſiſtit in ratione ſuperiori, aut lumine rationis. 4. Quando homo peccat contra legem humanam, iudicium malitiæ præcedit tale peccatum, & tamen iudicium non eſt lex; ergo idem dicendum de lege naturali.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Ratio ſuperior non eſt obligatiua, & præceptiua ratione ſui, conc; ratione appetitus rationalis connexi cum illa, neg. Ad 2. diſt. ma. Lex naturalis conſiſtit in dictamine, & ordinatione rationis per modum actus primi, conc; & in hoc ſenſu neg. mi. Per modum actus ſecundi, neg; nam quando actu non cogitamus de lege, tunc lex non influit actu in operationem, quæ actu non eſt. Ad 3. dicitur legem eſſe tantùm reſpectu actionum, quæ poſſunt deficere à bono; vnde cùm actiones Dei ſint indefectibiles, adeo non ſubiacent legibus. Præterea idem arg. retorq. *in Gonet.* In Deo eſt imperium, imò ſummum imperium, & tamen non eſt lex, ergo lex non conſiſtit in imperio. Ad 4. diſt. 2. pars ant. Iudicium legiſlatoris obiectiuè ſumptum non eſt lex, neg; iudicium ſubditi non eſt lex, ſub diſt. Non eſt lex actiuè lata ab ipſo ſubdito, conc; paſſiuè recepta ab ipſo legiſlatore, neg. Sicut ergo iudicium ferentis legem humanam communicatum ſubdito eſt lex ipſi ſubdito ad bene agendum; ita ratio ſuperior iudicans inter bonum, & malum ſcripta à Deo in cordibus noſtris eſt lex naturalis nobis.

19 Obijc. 2. Præcepta naturalia ſunt eſſentialiter immutabilia, & omnino neceſſaria; ergo dictamen rationis, quod eſt eſſentialiter liberum, nequit eſſe lex reſpectu illorum. 2. Lex eſt tantùm reſpectu alterius; ergo ratio ſuperior nequit eſſe lex reſpectu ſui.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Sunt immutabilia quoad ſubſtantiam, conc; quoad executionem, neg; poteſt enim quis obedire, & non obedire præceptis naturalibus; & neg. 2. part. conſ; ſcilicet quòd dictamen rationis ſit liberum; eſt enim omnino neceſſarium, & præcipitur à voluntate, vt eſt natura, non vt potentia libera. Ad 2. diſt. ant. Lex actiuè ſumpta, conc; paſſiuè, neg. Ceteras obiectiones cum ſuis ſolutionibus *vid. to. 3. vbiſ.*

§. 3.

Afferuntur aliquot quæſita.

20 QVæres 1; circa quam materiam verſetur lex naturalis?

Reſp. omnes actus virtutum, & per conſequens omnia præcepta *Decalogi* quantùm ad ſubſtantiam actus pertinere ad legem naturæ; non autem quantùm ad modum actus. *Ita Fund. Doctor. de Regim. Princ. lib. 3. par. 2. c.* 29; vt diximus *ſup. art. 2.* Eſt cont. *aliquos Iuriſtas* opinantes legem naturalem verſari tantùm circa prima principia practica vniuerſalia per ſe nota; vt *Quod tibi vis, alteri feceris*; non autem circa concluſiones ex illis deductas, vt ſunt præcepta *Decalogi*. Et eſt *cont. aliquos Theologos* aſſerentes actus virtutum de præcepto eſſe quidem materiam legis naturæ, non tamen actus virtutum de conſilio. Prob. 1. *ex Beatiſs P. loc. cit. art. 2. n.* 3; vbi expreſſè nominat actus omnium virtutum, quos dicit eſſe de iure naturæ. Præterea *lib. 83. qq. q. 31.* definiens ius naturæ aſſerit eſſe *quod non opinio genuit, ſed quadam innata vis inſeruit, vt religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, veritatem*; quibus verbis manifeſtè docet has virtutes eſſe materiam legis naturæ; & *lib. 2. Conf. c. 4.* probat furtum eſſe contra legem naturæ; quia natura etiam peccato corrupta antipathiam habet ad furtum; imò etiam ipſe fur, qui delectatur furari, alium furem naturaliter non ſubſtinet, his verbis: *Furtum certè punit lex tua, Domine, & lex ſcripta in cordibus hominum, quam ne ipſa quidem debet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur?* Ex quibus ſic. Illud eſt materia legis naturalis, quod eſt ſecundùm inclinationem ipſius naturæ; & cuius oppoſitum abhorret natura; ſed actus omnium virtutum, & per conſequens præcepta *Decalogi* ſunt huiuſmodi; quia natura per ſe inclinatur ad bonum honeſtũ, quod eſt obiectum omnium virtutum; nam bonum honeſtum eſt maximè conueniens naturæ, quæ naturaliter inclinatur, & appetit id, quod eſt ſibi conueniens; ſicut abhorret, & fugit, quod eſt ſibi diſconueniens; & ideo abhorret, & fugit furtum, homicidium, adulterium, & quodlibet aliud peccatum oppoſitum omni virtuti, ergo actus omnium virtutum, & per conſequens præcepta *Decalogi* ſunt de iure naturæ.

21 Prob. 2. *à Fund. Doct. vbiſ. ex Phil. 5. Eth. c. 7.* vbi ait ius naturale in hoc differre à iure poſitiuo, quòd naturale *ſemper, & vbique eandem habet perſonam*; non ſic autem poſitiuum; ex quo ſic. Illud cadit ſub iure naturæ, quod ſemper, & vbique eodem modo ſe habet; natura enim eadem eſt vbique; & ius naturæ eſt immutabile, quia eſt participatio legis æternæ; ſed actus omnium virtutum, ad quos ſpectant etiam præcepta *Decalogi*, vbique, & ſemper ſunt boni, honeſti, & laudabiles; & vitia illis oppoſita ſunt mala, inhoneſta, & vituperabilia; ergo Idem.

22 Prob. 2. pars concl. Modus, quo debent fieri actus virtutum, & quo debent impleri præcepta *Decalogi*, ſpectant ad ius poſitiuum; vt diximus *cum Fund. Doct. Art.* 2; vt v. g. quòd colatur Deus, eſt ſubſtantia actus virtutis; quòd autem colatur in Sabatho, vel alio die; ſacrificijs, vel orationibus &c; ſpectant ad ius poſitiuum; ergo actus virtutum quantùm ad modum ipſorum non ſpectant ad legem naturalem.

23 Obijc. 1. Multa, quæ euidenter deducuntur ex primis principijs practicis tribuuntur iuri gentium. *l. omnis ff. de inſt. & iur; & l. bona fide ff. depoſiti*; ſed ius gentium differt à iure naturæ,

vt

vt *inf.* ergo concluſiones deductæ ex primis principijs practicis non ſpectāt ad ius naturæ. 2. Opera virtutum, quæ cadunt ſub conſilio, non ſunt de lege naturæ, quia lex eſt præceptiua; & conſulere non eſt actus legis. 3. Non omnia peccata ſunt contra naturam; ergo nec virtutes illis oppoſitæ ſint iuxta legem naturæ.

Reſp. ad 1. diſt. ma. *cum Fund. Doct. de Regim. vbiſ. c. 25.* Tribuuntur iuri gentium tantùm, neq; etiam, conc; multa enim ſunt, quæ præcipiuntur multiplici lege; vt ſeruare depoſitum præcipitur lege naturæ, & iure gentium; ſic non furari præcipitur lege naturæ, & poſitiua; vnde ſicut ex eo, quòd non furari tribuatur iuri poſitiuo, non ſequitur, quòd non ſpectet etiam ad ius naturæ; ita à pari. Ad 2. neg. aſſumpt. Ad prob. infert. diſt. Opera conſilij non præcipiuntur abſolutè, conc; conditionaliter, neg; præcipitur enim, vt ſi quis velit acquirere maiorem honeſtatem, obſeruet virginitatem, & alia. *Vid. to. 3. vbiſ. n. 16.* Ad 3. diſt. ant. *cum Fund. Doct. vbiſ.* Non omnia peccata ſunt contra naturam hominis, vel quatenus ens, vel quatenus viuens, vel quatenus animal, vel quatenus rationalis, neq; tantùm quatenus animalis, conc; nam quatenus ens, inclinat ad conſeruandum ſuum eſſe; quatenus viuens, inclinat ad conſeruandam vitam; quatenus animal, inclinat ad producendos, & educandos filios; quatenus autem rationalis, inclinat ad honeſtè viuendum.

24 Ex dictis colligitur legem naturæ eſſe vnam ſpecie in omnibus; vt docet *Fund Doct. vbiſ. c. 24. cum Phil. 5. Eth*; quia ſunt eadem præcepta, eadem principia; & vno verbò ratio ſuperior eſt eadem ſpecie in omnibus, in qua diximus conſiſtere legem naturæ.

25 Quæres 2; an lex naturæ ſit immutabilis & indeſpenſabilis?

26 Reſp. legem dupliciter mutari poſſe. 1. ſecundùm ſe; vt cùm deſinit eſſe, vel quia lata eſt ad tempus; vt conſtat de lege veteri; vel quia irritatur, vel quia abrogatur à ſuperiore, vel quia diſpenſatur. 2. ratione materiæ; vt cùm materia ſubiecta legi ſit non ſubiecta. Diſpenſatio autem, irritatio, abrogatio, derogatio, & interpretatio differunt in eo, quòd diſpenſatio eſt *iuris relaxatio facta cum cognitione cauſæ ab habente ius diſpenſandi manente ipſa lege, alijſque manentibus obligatis*; vt cùm infirmus diſpenſatur à ieiunio; irritatio eſt *abolitio obligationis legis ob iuſtum titulum*; vt cum vota filiorum impuberum irritantur à patribus. Abrogatio eſt *ſublatio legis abſolutè per aliam legem contrariam, conſuetudinem, vel deſuetudinem*. Derogatio eſt, *cùm lex, non in totum, ſed in partem tollitur*. Interpretatio eſt *declaratio legis non obligantis in aliquo caſu*.

27 Dicendum legem naturalem eſſe ſimpliciter immutabilem ſecundùm ſe, & indiſpenſabilem ſimpliciter reſpectu eorum præceptorum, quæ prohibent mala, quæ immediatè deordinant à Deo; reſpectu verò eorum, quæ prohibent mala, quæ immediatè deordinant à proximo, eſſe indiſpenſabilem tantùm ex ſuppoſitione ordinis de facto impoſiti à Deo, diſpenſabilem tamen abſolutè reſpectu alterius ordinis, qui poterat à Diuina prouidentia rebus imponi. Seu eſſe diſpenſabilem quoad ea, quæ ſunt accidentaliter mala, non quoad ea, quæ ſunt eſſentialiter mala. Vt diximus *to. 2. de Vol. Dei q. 4. art. 2.* Hæc concl. quoad rem eſt communis, licèt alijs verbis aſſeratur ab alijs; quapropter *Maſtr. & alij* fatentur eſſe diſſidium tantùm de nomine, non de re.

28 Prob. 1. *pars concl. ex Beatiſs. P. lib. 1. de lib. arb. c. 6*; vbi loquens de lege naturali ait: *Poteſtne cuipiam intelligenti non incommutabilis, æternaque videri?* Ex quibus ſic. Ordo, quam Diuina prouidentia dedit rebus, eſt immutabilis, & indiſpenſabilis; quia Diuina prouidentia, ſicut ſcientia, & voluntas eſt immutabilis, & indiſpenſabilis; ſed lex naturalis eſt iuxta ordinem Diuinæ prouidentiæ; quia dictat, vt omnia ſint ordinatiſſima; ergo lex naturalis eſt ſimpliciter immutabilis, & indiſpenſabilis. Tum quia ratio naturalis ſuperior eſt immutabilis, & nullus homo poteſt eximi à ratione naturali; eſt enim eſſentialiter rationalis, nequit autem eſſe rationalis ſine ratione, & ideo ratio eſt paſſio eſſentialiter inſeparabilis ab homine; ſed lex naturalis eſt ratio naturalis ſuperior; ergo idem.

29 Prob. 2. pars concl. Poterat Deus facere, quòd omnes diuitiæ eſſent communes; non tamen potuit facere, quòd mentiri ſit licitum; nam diuitiarum omnium Deus eſt Dominus, ideo illas poterat quocumque modo ſibi placito diſtribuere; vnde diuitię ſecundùm ſe erant indifferentes, vt partirentur, vel non; & ideo ſola voluntas Diuina eas fecit alienas, quæ tamen eas poterat facere communes omnibus, vt fuiſſent in ſtatu innocentię. At verò mendacium, idololatria, & cetera contra præcepta *primæ Tabulæ* ſunt ita eſſentialiter mala, vt non potuerit Deus etiam præciſa ordinatione, quæ de facto eſt, ea facere non eſſe mala.

30 Dices. Peccata contra præcepta *ſecundæ Tabulæ* immediatè deordinant à Diuina voluntate; ergo immediatè deordinant à Deo.

Reſp. diſt. ant. Deordinat à Diuina voluntate ſuppoſita præſenti determinatione, conc; abſolutè, neg; nam Diuina voluntas ita præſcripſit hunc ordinem rebus, vt potuiſſet alium præſcribere. Ideo quamuis tollere, quod alienum eſt, ſit ſemper peccatum; attamen potuiſſet Deus facere, quòd res, quæ modo eſt aliena, non eſſet aliena, ſed communis, vel propria; cùm ſit Dominus omnium rerum; & ſic illam tollere non eſſet peccatum.

31 Dices 1. *Gloſ. in c. 17. Eccl.* ait legem naturæ aliquando emendari per legem ſcriptam; ergo

Digitized by Google

ergo aliquando mutatur. 2.Princeps poteſt mutare,& diſpenſare in lege poſitiua; ergo & Deus in lege naturę. 3. Præcepta *Decalogi* non obligant, niſi ex voluntate Dei; aliter neceſſariò Deus vellet aliquid ad extra. 4. Per leges vſucapionis, & præſcriptionis aufertur vero dominio dominium rei; ergo derogatur legi naturali. 5.In extrema neceſſitate licet furari; ergo ſaltem per epicheiam poteſt in aliquo caſu diſpenſari.

Reſp. ad 1. *cum Fund.Doct.* legem naturalem emendari quoad modum, non quoad ſubſtantiam; quia lex ſcripta tradit modum, quo puniendus eſt operans contra legem naturæ; vt *ſuperiùs* diximus. Ad 2. *cum Beatiſs.P.vbiſ.c.5.* neg.conſ; quia Princeps eſt homo, & homo eſt mutabilis, ideo poteſt ſuam legem mutare; at verò Deus eſt immutabilis, ideo nequit velle, quod priùs nolebat, & è contra. Ad 3.diſt. Pręcepta *primæ Tabulæ* obligant ex voluntate libera Dei, neg. *ſecundæ Tabulæ*, conc. Ad id, quod ſubditur, dicitur Deum nihil neceſſariò velle ad extra quoad exiſtentiam; quia creatura quoad exiſtentiam eſt quid contingens; neceſſariò tamen vult earum eſſentias, & ordinationes eſſentiales, quæ ad eſſentias earum ſequuntur. Ad 4. neg. conſ; nam lex naturalis iubet tantùm non poſſe ſpoliari dominum propria re, quā ſine dubio, & litigio poſſidet; illa autem, quæ dubia ſunt, decidenda eſſe per ius poſitiuum, quod propterea dicitur emendare legem naturę. Ad 5. neg.ſupp; nam in extrema neceſſitate non eſt furtum, cùm res in illo caſu ſint communes.

32 Dices 2.cont.2.part.concl. Peccata contra præcepta *Secundæ Tabulę* ſunt contra virtutes; quia ſunt contra virtutem iuſtitiæ erga proximum, & contra alias virtutes; vt diximus *ſuperiùs*; ergo nequeunt à Deo diſpenſari nec etiam abſolutè.

Reſp.diſt.ant. Sunt contra vrtutes ſuppoſita actuali ordinatione rerum, conc; ſecundùm alium ordinem rerum, neg; nam ſi omnia eſſent communia ſecundùm aliam ordinationem, accipere quancunque rem non eſſet contra virtutem iuſtitiæ.

33 Quæres 3; an in lege naturali poſſit habere locum epicheia, vel interpretatio?

Reſp. negatiuè; tunc enim habet locum epicheia, vel interpretatio, quando nequit expreſsè haberi interpretatio, & declaratio mentis legiſlatoris, quia legiſlator non eſt actu exiſtens; lex autem naturalis eſt viua lex, quæ ſe ipſam poteſt explicare, & declarare, cùm ſit ratio ſuperior. Tum quia nullus caſus eſt tam difficilis, quidquid dicat *Gonet*; quòd non poſſit ſolui à ratione ſuperiori ex eo, quòd nullum temporale eſt anteponendum rebus ęternis; ergo non eſt locus interpretationi, & epicheiæ. Verum tamen eſt, quòd per accidens, ſcilicet propter hebetudinem mentis, vel aliam corporis indiſpoſitionem, aut aggrauationem peccati poteſt eſſe aliqua obſcuritas in dignoſcendis ijs, quæ ſpectant ad legem naturæ; & ideo per accidens poſſe dari interpretationem, & epicheiam; vt volunt *Recentiores*.

§. 4.

An occiſio inuaſoris ſit de iure naturæ?

34 SEnſus eſt; an inuaſus ab aliquo cum moderatione inculpatæ tutelæ, hoc eſt nullo alio modo valens vitam ſeruare poſſit licitè, ſeu abſque peccato inuaſorem occidere?

35 Prima ſententia affirmat, & communior eſt *inter Recentiores*.

36 Altera putat non licere. In hanc videtur inclinare *Fund. Doct. in 2.diſt.3.p.2.q.3.art.1. in reſol.dub.2.lat.§.Secunda via* docens: *Nā ad turpe operari, vt puta matrem occidere, vel aliquod aliud turpe facere pro nullo debemus induci; & nihil ad hoc nos debet cogere, imò potiùs debemus mori, quàm tale quid facere.* Idem docet *diſt.37. q.2. art.3. ad 3;* vbi addit; *quòd potiùs debet quis ſubſtinere mortem, quàm contra rationem agere, quod etiam eſſe de intentione Scripturæ ſacræ, & SS. nemo dubitare poteſt.* Hoc etiam probat *ex Phil. 3. Eth. c.1; & 5. Eth.c.9.* Eam docet *noſter B. Auguſtinus Triumphus Anconitanus de Poteſtate Eccleſiaſtica q.52.art.3.* dicens: *Puto, quòd culpa ſit hominem occidere, ne ipſe occidatur, quacunque ineuitabili neceſſitate hoc fiat. Ad hoc eſt auctoritas Auguſtini pluribus in locis. Primo de lib. arb. dicentis &c.* Idem docet *noſter Henricus de Noris in Vindicijs c.4.§.11.* Hanc ſententiam æquè, ac oppoſitam approbat *Toſtatus in c.5. Matt.9. 109.* Refertur etiam *Gerſon. in tract. de Eccl; & 2.p. Compend. Theol. expoſit.5.* aſſerit eam tradi à *D.Anſelmo*. Sequuntur *Ric. à S.Vict; & Almayn. Ex Iuriſtis* eam tradit *Accurſius* dicens licitum eſſe occidere hominem in lege fori, non in lege Poli; *& alij Canoniſtę*, vt teſtatur *Vaſq* Tandem *Gloſ.in l. Vim vi ff.de iuſt;& iur. De Lugo, Abulenſ;& alij.*

41 Circa mētem *B.P.Aug.*lis eſt; *aliqui* enim cenſent ipſum docuiſſe licitum eſſe occidi inuaſorem; quod probant. 1. *ex q.84. in Exod.* ſuper illud *Exod.22. Si effringens fur domum, ſiue ſuffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit; percuſſor non erit reus ſanguinis. Quòd ſi orto ſole hoc fecerit, homicidium perpetrauit, & ipſe morietur;* inquit *Beatiſſ. P. Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium, ſi fur nocturnus occiditur; ſi autem diurnus, pertinere. Hoc eſt enim, quod ait: Si oriatur ſuper eum Sol, poterat quippe diſcerni, quòd ad furandum, non ad occidendum veniſſet, & ideo non deberet occidi. Hoc & in legibus ſecularibus antiquis (ff. ad l. Aquiliam l.4.) quibus tamen iſta eſt antiquior, inuenitur; impunè occidi nocturnum furem quoquo modo; diurnum autem, ſi ſe cum telo defenderit, iam enim plus eſt, quàm fur,* idèſt vitæ inſidiator. Ex quo ſic 1. Non pertinere ad homicidium idem eſt, ac occidere

ex publica poteſtate, ſicut ad illud pertinere eſt occidere ex auctoritate priuata; ergo occidens inuaſorem non peccat, ſecus peccaret carnifex, miles &c. 2. *Auguſtinus* exponit legem *Exod.* 22; ſed lex diſtinguit reatum homicidij à reatu pœnæ; & reatus homicidij reſpicit forum conſcientiæ; ergo idem. 3. *Auguſtinus* aſſerens hoc etiam licere ſecundùm leges ſæculares, ait licere vtroque modo, idèſt in vtroque foro. 4. Hæc verba referuntur in iure canonico. *c. ſi perfodiens de homicidio*; ius autem canonicum hoc loco ſpectat forum animæ. 5. *ep.* 54. ait: *Cùm homo ab homine occiditur, multùm diſtat, vtrum fiat nocendi cupiditate, vel iniuſtè aliquid auferendi, ſicut fit ab inimico, ſicut à latrone, an vlciſcendi, vel obediendi ordine, ſicut à Iudice, ſicut à Carnifice; an euadendi, vel ſubueniendi neceſſitate, ſicut interimitur latro à Viatore, hoſtis à milite, & aliquando qui cauſa mortis fuit, potiùs in culpa eſt, quàm ille, qui occidit.* Euadere autem mortem intentam à latrone, & ab aggreſſore idem eſt.

Sed ex hoc nihil deducitur; nam *ibi* loquitur de lege poſitiua, non de lege naturali; patet enim, quòd *Moyſes Exod.* 21; *&* 22; loquitur de iudicijs faciendis *ab ipſis Hebrais*, & quoad pœnam temporalem infligendam delictis iuxta legē temporalem, quæ definit. Hoc autem prob. 1. Deus *c.* 21. ait *Moyſi*: *Hac ſunt iudicia, qua propones eis: ſi emeris ſeruum Hebraum, ſex annis ſeruiet tibi*; & ſic proſequitur vſque *ad c.* 23; *& c.* 24. dicitur; *Venit ergo Moyſes, & narrauit plebi omnia verba Domini; atque iudicia*; ſed illa iudicia fuerunt temporalia, quia ceſſauerunt; dicitur enim *in eodem c.* 21. *Si quis furatus fuerit bouem, vel ouem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boues pro vno boue reſtituet; & quatuor oues pro vno oue*; patet autem hoc iudicium ceſſaſſe, quia nunc redditur ſolùm tantum pro tanto; & lex, quæ ceſſat, eſt temporalis; quia lex naturalis ſemper manet; ergo *ibid.* eſt ſermo de lege temporali, non de naturali. 2. *Ibid. c.* 21. dicitur: *Si rixati fuerint viri, & percuſſerit alter proximum ſuum lapide, vel pugno; & ille mortuus non fuerit, ſed iacuerit in lectulo; ſi ſurrexerit, & ambulauerit foris ſuper baculum ſuum, innocens erit, qui percuſſerit ita tamen, vt operas eius, & impenſas in medicos reſtituat*; ſed hic ſermo nequit eſſe de lege æterna, & naturali, quia ſecundùm legem æternam, & naturalem percutiens grauiter proximum grauiter peccat, vt habetur *Matt.* 5; atque adeo non eſt innocens, ſed peccator; ergo idem. 3. Deus *in illis capitibus* loquitur de pœna temporali infligenda; vt *ſi non habuerit, quod pro furto reddat, ipſe venundabitur; & inf. Qui coierit cum iumento, morte moriatur; qui immolat Dijs, occidetur*; ſed pœna temporalis taxatur ſolùm per legem poſitiuam; ergo *ibi* eſt ſermo tantùm de lege poſitiua. 4. Deus *ibi* præſcripſit modum, quo debent puniri delicta; ſed hoc non ſpectat ad legem naturalem, vt patet, quia hæc nullam pœnam determinatè aſſignat; ergo Deus, poſtquam *Exod. c.* 20. dedit populo præcepta *Decalogi*, quæ ſpectant ad legem naturæ, aſſignat *c.* 21; *& ſeq.* legem temporalem, de qua loquitur, cùm de occidente furem, eſt ſermo.

37 Ad 1. diſt. Non pertinere ad homicidium, prout punitur à lege Diuina, idem eſt, ac agere ex poteſtate publica, conc; non pertinere ad homicidium, prout punitur à lege temporali, idem eſt, ac agere ex poteſtate publica, neg; lex enim temporalis non iubet occiſionem, ſed permittit, vt docet *lib.* 1. *de lib. arb*; aliter ſi iuberet, ſinens ſe interfici, peccaret, quia ageret contra legem. Conſtat autem, quod agere ex poteſtate publica non eſt tantùm agere ex permiſſione legis; aliter fornicator ex permiſſione legis fornicaretur ex poteſtate publica, & ſic non peccaret. Ad 2. iam diximus *Exodum ibid.* agere ſolùm de reatu pœnæ. Ad 3. dicitur illud *quoquo modo* non intelligi *in vtroque foro*, ſed in lege poſitiua Diuina, & humana, vt ſatis apparet. Ad 4. dicitur potiùs colligi ius canonicum agere de foro externo, quia *in ſup. c.* agit de pœnis infligendis homicidis, & *in hoc c.* declarat occidentes inuaſorē nō eſſe homicidas, & ideo pœnas taxatas nō incurrere. Ad 5. dicitur, quòd viator agit ex poteſtate legis, quia lex poteſt iubere, vt omnes interficiant publicos graſſatores; ſed non iubet, vt interficiat inuaſorem.

38 Dices 1. Lex temporalis prohibet omnia peccata; ergo ſi ſecundùm legem temporalem licèt occidere inuaſorem, licebit etiam ſecundùm legem naturalem.

Reſp. ant. eſſe manifeſtè falſum; nam peccata occulta ſoli Deo reſeruātur *Matt.* 7; & vſus meretricum permittitur à lege temporali, vt docet etiam *B. P. Aug.* 14. *de Ciu. c.* 17, & tamen eſt peccatum.

39 Dices 2. *Beatiſſ. P. ſæpiſſimè* docet vitam corporis, eiuſque incolumitatem, & integritatem eſſe diligendam etiam ex præcepto charitatis; & hanc dilectionem eſſe de iure naturæ, quia naturaliter nobis, ſicut & beſtijs inſita eſt; adeoque non fuit neceſſe tradere præceptum de dilectione ſui. Ita loquitur *hom.* 37. *ex* 50; *& lib.* 1. *de Doctr. Chriſt. c.* 23; *&* 24; ergo vita corporis nedum non eſt contemnenda, ſed defendēda etiam cum periculo occiſionis eam inuadentis.

Sed hoc arg. minùs efficax eſt, & ideo facillimè eliditur. Videndum eſt (inquit *Beatiſſ. P. de Doctr. Chriſt. loc. cit.*) quomodò corpus, ſeu vita corporis ſit amanda? Amare debet homo ſuum corpus non quidem, vt *ipſe ſibi regnet, & corpori ſuo &c. Talis enim dilectio meliùs odium vocatur; iniquum eſt enim, quia vult ſibi ſeruire, & quod infra ſe eſt, cùm ipſe ſeruire ſuperiori nolit; rectiſſimèque dictum eſt pſ.* 10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam*, ſed vt corporis immortalitas, integritas, & incorruptio intendatur; *immortalitas* autem *corporis, & incorruptio corporis*

ris de ſanitate animi exiſtit; ſanitas autem animi eſt firmiſſimè inhærere potiori, hoceſt incommutabili Deo. Amatur ergo corpus, ſeu vita corporis, quãdo amatur vita animæ, à qua pendet vera integritas, immortalitas, & incorruptio corporis; & tunc amatur vita animæ, quando amatur Deus, & ſeruantur eius præcepta, à quo pendet vita animæ; ergo quando periculum eſt perdendi vitam animę tranſgrediendo Dei præceptum, perdenda eſt vita corporis, quo ſolùm immortalitas illius acquiritur. Deinde *ibid. c. 26.* docet nos lege naturæ, qua animalis eſt, diligere corpus, & lege naturæ, qua rationalis eſt, diligere id, quod ſupra, & iuxta nos eſt; & hoc eſſe magis diligendũ, quàm corpus, quod infra nos eſt; *& c. 27.* cõcludit magis amandam eſſe animam proximi, quàm corpus noſtrum, quia illa potens eſt immediatè frui Deo, corpus autem noſtrum hoc non poteſt, niſi mediante anima; ergo non licet occidere inuaſorem, quia tunc perderetur anima illius, vt ſaluetur corpus inuaſi.

40 Dices 3. *Lib. 1 de lib. arb.* tractat hanc rem merè dubitatiuè, quia cùm ſcripſit hunc librum, erat valde iuuenis, & ideo tunc non inueniebat, quid ſibi eſſet reſoluendum.

Reſp. verum eſſe dubitanter loqui *loc. cit.* præſertim *c. 6.* Verùm in fine *libri* propendet in partem negatiuam, vt conſtat; aſſerit enim, quòd peccatum generaliter loquendo conſiſtit in antelatione rei inferiori rei ſuperiori; vita autem corporis eſt inferior vita animæ, quæ procul dubio ſeruatur non occidendo. Nec refert, quòd hoc ſcripſerit iuuenis, nam ſe retractaſſet, ſi minus, quàm debebat ſcripſiſſet; certum enim eſt hos libros euoluiſſe, cùm ſcripſit *Retractationes*; Igitur.

41 Vnica concl. Veriſimilius videtur, quòd licèt *B. P. Aug.* dubitauerit, attamen magis propendit in ſententiam aſſerentem non licere occiſionem inuaſoris etiam cum moderamine inculpatæ tutelę; quæ ſententia *Scripturis* conformior eſt, & rationi.

Prob. 1. pars concl. *B. P. Aug. lib. 1. de lib. arb.* poſtquam dixit *c. 5.* quòd lex temporalis *in eo populo, quem regit, minoribus malefactis, ne maiore committerentur, dedit licentiam; multò enim eſt mitiùs eum, qui alienæ vitæ inſidiatur, quam eum, qui ſuam tuetur, occidi;* ſubdit: *Sed illi homines lege inculpata quomodò inculpati queant eſſe, non video; non enim lex eos cogit occidere, ſed relinquit in poteſtate.* Igitur lex permittens occiſionem inuaſoris eſt inculpata, quia non iubet, aut cogit occidi, ſed tantùm permittit, vt euitet maius malum; nam maius malum eſt occidi defendẽtem ſuam vitam, quàm inſidiantem alienæ. Attamen ſic defendens ſuam vitam quomodò poſſit eſſe poſſit eſſe inculpatus, idèſt ſine culpa, non videt. Deinde: *Quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici, ſed quo pacto iſtos defendam, qui interficiunt, non inuenio.* Et mox *Euodio* dicenti, quòd nulla lex tenet reos ſic occidentes reſpondet: *Nulla fortaſſe, ſed earum legum, quę leguntur ab homine; nam neſcio, vtrum non aliqua vehementiore, ac ſecretiſſima lege teneantur; ſi nihil rerum eſt, quod non adminiſtret Diuina prouidentia. Quomodò enim apud eam ſunt illi peccato liberi, qui pro iis rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti ſunt?* Quibus verbis apertè docet, quòd licèt lege humana non teneantur rei occidentes inuaſorem, neſcit tamen, an teneantur lege Diuina; quia polluuntur cæde humana; pollui autem procul dubio eſt peccare. Deinde ſubiungit: *Videtur enim tibi iſta lex, quæ regendis ciuitatibus fertur, multa concedere, atque impunita relinquere, quæ per Diuinam tamen prouidentiam vindicantur; & rectè; neque enim quia non omnia facit, ideo quæ facit, improbanda ſunt.* Occiſio ergo inuaſoris, quæ à lege humana impunita relinquitur, rectè vindicatur à lege Diuina; & ideo mala eſt, & illicita; quia ſolum malum iuſtè vindicatur à Deo. Deinde *c. 6.* id probat ex eo, quòd lex naturalis, quæ aſſerit: *Non occides*; eſt immutabilis, & æterna; ideo contra illam videtur peccare inuaſorem occidens. Deinde *c. 15.* aſſerit eos, qui viuunt lege temporali, lege æterna obligari, qui verò ſeruant legem æternam, lege temporali non indigent; ex quo deducit ſolam obſeruantiam legis æternæ immunes facere à peccato, non autem obſeruantiam legis temporalis. Deinde *ibid.* ſubiungit, quòd *æterna lex iubet auertere amorem à temporalibus, & eum mũdatum conuertere ad æterna*, & *c. 16.* concludit, quòd peccare generaliter loquendo conſiſtit formaliter in anteponere temporalia æternis, ſeu neglectis rebus æternis temporalia ſectari. *Nam hoc vno genere omnia malefacta, idèſt peccata, mihi videntur includi.* Ex quo *ſuperiùs* deduxerat, quòd anteponens propriam vitam legi æternæ præcipienti; *Ne occides*, procul dubio peccat. Ex his manifeſtè apparet *B. Patrem* circa hoc quidẽ dubitaſſe, hoc enim ſonant verba: *Non inuenio, neſcio*; ſed magis propendere in ſententiam negantem, quia illius refert rationes, quas non ſoluit.

Prob. 2. pars concl. 1. *Exod* 20. habetur præceptum, quod eſt ſecundùm legem naturæ; *Non occides*; & 21. *Qui percuſſerit hominem volens occidere, morte moriatur*; ergo voluntariè occidens inuaſorem ad defendendam propriam vitam peccat contra legem naturæ; nam illud præceptum eſt generale, & ideo generaliter obligat. Dicitur autem *volens*; quia *non eſt peccatũ, niſi ſit voluntarium.*

42 Hoc etiam *c. reos ſanguinis 23. q. 5.* expreſsè habetur: *Prohibetur ergo illo præcepto quiſquam ſua auctoritate in necem alicuius armari; nõ legis imperio morti tradere; qui enim publica poteſtate functus ipſius legis imperio malos perimit; nec illius præcepti tranſgreſſor, nec à cęleſti patria*

Digitized by Google

alicuius habetur. & ſeq. de occidendis dicitur: *De occidendis hominibus, ne ab eis quiſque occidatur, non mihi placet conſilium, niſi fortè ſit miles, aut publica functione teneatur &c. Hinc autem eſt Matth. 3. Ne reſiſtamus malo*; & eſt doctrina *Beatiſs. P. ep. 243. ad Public.* Ex quibus patet priuato non licere occidere nedum ex libidine, ſed nec etiam ex iuſtitia; quia ex iuſtitia licet iudici occidenti ſine libidine; quod tamen non licet priuato.

43 Prob. 2. Qui ita amat animam ſuam, idêſt hanc vitam temporalem, vt illam præferat præcepto Dei, perdit animam, ſeu peccat; ſed occidens inuaſorem eſt huiuſmodi; ergo peccat. Ma. habetur ex verbis Chriſti Domini *Io. 12. Qui amat animam ſuam, perdet eam; & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam*: præferens autem vitam temporalem alicui præcepto Dei magis amat vitam temporalē, quàm præceptum Dei, quia iſtam ſeruat, & illud transgreditur. Prob. mi. Inuaſus occidens inuaſorem eligit vitam temporalem, & reijcit obſeruantiam præcepti Diuini: *Ne occides*; ergo ita amat vitam temporalem, vt illam præferat præcepto Dei.

44 Conf. 1. *ex eod. de lib. arb. vbi ſ.* Anteponere æternis temporalia non eſt licitum; ſed occidere inuaſorem eſt huiuſmodi; ergo occidere inuaſorem non eſt licitum. Prob. ma. Anteponere deteriora melioribus eſt inordinatum, omne autem inordinatum eſt illicitum; ſicut omne ordinatum eſt licitū, quia omne inordinatū eſt contra ordinem Diuinæ prouidentiæ; & id, quod eſt contra ordinem Diuinæ prouidentiæ, eſt illicitum; ſed occidēs inuaſorē temporalia anteponit æternis; quia anteponit propriam vitam temporalē, quam debet amittere etiam inuitus, legi Dei, quæ eſt æterna, prohibenti homicidium.

45 Conf. 2. *ex eod.* Quod deſcendit ex cupiditate rei temporalis neglectis rebus æternis, eſt illicitum; in hoc enim generaliter conſiſtit peccatum, quod nunquam eſt licitum; docet namque *Apoſt. 1. ad Tim. 6. Radix omnium malorum eſt cupiditas*; quod nequit intelligi de cupiditate rerum æternarum, ſed temporalium; ſed occidere inuaſorem deſcendit ex cupiditate, ſeu libidine rei temporalis, quia oritur ex fine ſeruandæ vitæ temporalis, neglecta lege æterna prohibente homicidium; ergo occidere inuaſorem eſt illicitum.

46 Conf. 3. *ex eod.* Illicitum eſt plus amare vitam temporalem corporis, quàm vitam animę, & vitam immortalem ipſius corporis; vita enim animæ, & vita immortalis corporis eſt maius bonum, quàm hæc vita temporalis corporis; & ideo hæc inordinatè amatur, ſi magis amatur; aliter nulla eſſet ratio, cur magis amandus ſit Deus, quàm creatura; in tantùm enim Deus eſt magis amabilis, in quantùm eſt bonum optimum; & ſic non eſſet illicitum, & peccatum amare magis creaturam, quàm Deum; ſed occidere inuaſorem eſt plus amare hanc vitam temporalē, quàm vitam animæ; nam vita animæ conſiſtit in obſeruantia mandatorum Dei; vt habetur *Prou. 7. Serua mandata mea & viues*; eligit enim potius trāſgredi præceptum non occidendi, quàm perdendi vitam temporalem; & per conſequens eā plus amare, quàm vitam immortalē, & incorruptionē corporis, quæ ſequitur ad vitam animæ; ergo occidere inuaſorem eſt illicitum.

47 Conf. 4. *ex eod.* Magis amandus eſt proximus, quàm vita temporalis corporis; ergo non licet occidere inuaſorem. Prob. ant. Illud eſt magis amabile, quod magis immediatè coniungitur Deo; omnia enim amari debent propter Deum; ſed proximus magis immediatè vnitur Deo, quàm noſtrum corpus; quia proximus immediatè poteſt frui Deo; corpus autem non; ergo magis amandus eſt proximus, quàm vita corporis.

48 Ex hoc autem ſic *noſter B. Aug. Triumphus*. Eſſe cauſam damnationis æternæ alicuius animæ eſt illicitum, & peccatum grauiſſimum; quia eſt inducere in proximum peccatum impœnitentiæ finalis; ſed occidens inuaſorem eſt cauſa damnationis æternæ inuadentis; inuadens enim habens animum occidendi eſt in peccato mortali, & occidens illum periculo euidenti ſaltem ſe exponit, quòd inuadens non poſſit confiteri; ergo occidere inuaſorem eſt illicitum, & peccatum grauiſſimum.

49 Prob. 3. *ex Prou. 7. vbi ſ.*; ibi enim expreſsè habetur hæc ſententia illis verbis: *Fily, honora Dominum, & valebis; præter eum verò ne timueris alienum. Serua mandata mea, & viues; & legē meā quaſi pupillam oculi tui liga eā in digitis tuis, ſcribe illam in tabulis cordis tui.* Ex quo ſic. Solus Deus eſt timendus, alius autem à Deo non eſt timendus, ſed ſunt ſeruanda Dei mandata ſcripta in cordibus noſtris, ſic enim vitam ſeruabimus; ſed occidens inuaſorem timet alium à Deo, & Deum inhonorat; quia non ſeruat mandata ſcripta in corde ſuo, quæ ſunt mandata legis naturæ; inter quæ reperitur: *Non occides*; ergo non viuit, ſed moritur gratiæ peccando. Hoc idem habetur *Matt. 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere; ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.* Ex quo ſic. Timens hominem minantem mortem corporis, & non timens Deum minantem mortem animæ peccat; ſed occidens inuaſorem timet hominem inuadētem, ne ab ipſo occidatur, propterea illum occidit; & non timet Deum præcipientem, ne occidat; & ideo præceptum tranſgreditur; ergo grauiter peccat.

50 Prob. 4. Ad ſeruandam vitam, cùm aliter ſeruari non poteſt, non licet fornicari, aut furari, aliter poſſet dici licere omnia peccata; ergo nec occidere; quia homicidium eſt grauius fur-

to, & fornicatione, & eadem lege naturæ prohibetur.

51 Prob. 5. Lex prohibens homicidium eſt immutabilis, quia eſt lex æterna, & naturalis; ergo nequit ceſſare eius obligatio in caſu inuaſionis; aliter ſi aliquando ceſſaret, non eſſet æterna, quia æternum ſemper durat.

52 Conſ. Lex naturalis nequit diſpenſari, niſi variando materiam; vt *ſup.* diximus; ſed in caſu non variatur materia, quia materia homicidij eſt proximus, inuadens autem non deſinit eſſe proximus; ergo occidens in caſu non diſpenſatur à peccato.

53 Prob. 6. Ad peccatum ſufficit, quòd committatur actio contra præceptum Dei, & quòd talis actio ſit voluntaria, nihil enim ampliùs requiritur; ſed occidens inuaſorē committit actionem contra legem Dei prohibentem generaliter homicidium; & voluntariè elicit talem actionē; nam ſi omnino caſualiter, & fortuitò hoc fieret ita, vt nullo modo præuideretur homicidium, vel periculum homicidij, non eſſet ſtatus difficultatis, de quo loquimur in præſenti; nam *hìc* quærimus, an ad ſaluandam vitam poſſit quis eligere mortem inuaſoris, tanquam medium; electio autem eſt voluntaria, & intenta; vt diximus *n.* 3; nec lex humana poteſt reſtringere legem Diuinam æternam, & naturalem, & illam excipere in aliquo caſu; ergo occidens inuaſorē committit peccatum.

54 Prob. 7. Tollere, quod alienum eſt, & quod non eſt ſub ſuo dominio, eſt illicitum; ſed occidere inuaſorem tollit aliquod, quod eſt alienum, & quod non eſt ſub ſuo dominio; ergo occidere inuaſorem eſt illicitum. Ma. patet; nam tollere, quod alienum eſt, & quod non eſt ſub ſuo dominio, eſt contra iuſtitiam, operari autē contra iuſtitiam eſt illicitum, aliter furari non eſſet illicitum. Prob. mi. Occidens inuaſorem tollit vitam alterius, quæ non eſt ſub dominio occidentis; nam occidens agit ex poteſtate priuata; in tantùm enim miles in bello, & miniſter mortis non agunt contra iuſtitiam, quia agunt ex poteſtate legis, quæ eſt poteſtas publica; poteſtas autem publica habet dominium ſupra vitam hominum contentorum ſub illa lege; ergo occidens inuaſorem tollit aliquod alienum eſt, & non eſt ſub ſuo dominio.

56 Præterea licitum eſt permittere ſe occidi ab inuadente; non enim *lex cogit occidere inuadentem, ſed relinquit in poteſtate*; vt ait *Beatiſſ. P. lib. 1. de lib. arb. c. 5*; & vt fatentur etiam *Aduerſarij*; præcipuè quando eſt propter aliquam virtutem; quia magis diligere virtutem, quàm vitam corporalem eſt iuxta ordinem rationis; ergo non eſt licitum occidere inuaſorem; nam in tantùm eſt licitum occidere inuaſorem; in quantùm ius naturæ iubet ſeruare vitam etiam cum morte aggreſſoris; ſed permittens ſe occidi non ſeruat vitam; ergo non ſeruat ius naturæ, atqui non ſeruare ius naturæ eſt illicitum; ergo permittere ſe occidi eſt illicitum; quod eſt contradictorium illius, quod dictum eſt. Ma. eſt doctrina *Aduerſariorum*. Mi. eſt certa; & conſ. optimè infertur; nam in tantùm eſt licitum honorare Deum; in quantùm ius naturæ iubet Deum eſſe colēdum, ſed blaſphœmans non honorat Deum; ergo non ſeruat ius naturę; & ideo blaſphœmare eſt illicitum; ita à pari.

57 Explic. magis. In tantùm eſſet licitum permittere ſe occidi, & etiam occidere inuaſorē; in quantùm hoc eſſet opus conſilij, & ſupererogationis; vt licitum eſt ducere vxorem, & vouere cęlibatum; ſed occiſio nō eſt opus conſilij, ſeu ſupererogationis; quòd eſt tantùm de ijs rebus, quæ ſunt eſſentialiter bonæ, & ſecundùm ſuam ſpeciem ſunt à Deo præceptæ, non quidem ſecundùm exceſſum, ſed ſecundùm rem; nam ſupererogatio eſt exceſſus erogati, idèſt debiti, non eſt autem debitum, niſi ex præcepto; vt v.g. Deus generaliter præcipit caſtitatem; qui autem ſeruat fidem coniugalem, ſeruat præceptum; at qui ſeruat virginitatem, ſupererogat debito, quia excedit modum ſeruandi caſtitatem in coniugio. Sic qui dat ſuperflua pauperibus, erogat debitum ex præcepto; ſed qui vēdit omnia, quia dat plus, quàm debet ex præcepto; vt docet *Beatiſſ. P. ſerm. 62. de Temp.* occiſio autem ex ſuo genere, non eſt eſſentialiter bona; nec ſecundùm ſuam ſpeciem eſt à Deo præcepta; ſed prohibita; ergo permittere ſe occidi non eſt opus conſilij; & ſupererogationis. Prob. ma. Si permittere ſe occidi non eſſet opus ſupererogationis reſpectu occiſionis inuadentis, ſequeretur, quòd occidere inuadentem, & permittere ſe occidi non eſſent ambo actus virtutis; ille quidem erogatus, iſte verò ſupererogatus, idèſt cum exceſſu; ergo vnū illorum eſſet eſſentialiter malum, quia alteri oppoſitum, vt v.g. quia furari, & reddere aliena non ſunt ambo actus virtutis; ideo vnum eſt malum, alterum bonum; ergo ad hoc, vt ambo ſint bona, debent eſſe ambo actus virtutis; vnus quidem cum ſufficientia, alter verò cum exceſſu, qui eſt actus ſupererogationis.

58 Tandem oppoſita ſententia eſt amatorum huius mundi infeliciter diligentium hanc miſeram vitam, ſtatumque infelicem; noſtra verò eſt omnium *SS.* anhelantium feliciter ad vitam immortalem, ſanctèque deſpicientium hanc temporalem; ergo illa *Mundanis* relinquenda, hæc nobis *cum Sanctis eſt amplectenda*.

59 Objic. 1. *De homicidio c. ſignifi. ſti 2; & c. ſi verò 1. de ſent. excomm.* habetur; quòd *vim vi repellere omnes leges, & omnia iura permittunt*; ergo hoc nequit intelligi de ſola lege humana, quæ non eſt omnis lex, ſed etiam de Diuina, & naturali. 2. *Clementin. vn. de homicid.* habetur non fieri irregularem, qui occidit, vel mutilat inuaſorem. 3. Lex canonica prohibet omne peccatum; ergo dum hoc non prohibet,

loqui-

loquitur non eſſe peccatum. 4. *Schola Pariſienſis* damnauit *Eraſmum tit. 5. de reparat.iniuria* aſſerentem non licere. 5. Sententia aſſerens non licere affinis eſt ſententiæ *Lutheri* dicentis illicitum eſſe Chriſtianis ſe armis defendere *contra Turcas*; imò hæreſi *Manichæorum* damnantium omne bellum etiam iuſtum; ergo non eſt aſſerenda.

Reſp. ad 1. *cum Beatiſs.P.de lib.arb.* verum eſſe de omnibus legibus, & iuribus poſitiuis; quæ cùm multa, & diuerſa ſint; ideo rectè dicuntur *omnia*. Excipitur tamen lex naturalis, quam excepit *Gloſ.ad l.Aquiliam*; & cum hac exceptione loquitur ius canonicum, ſecus ſibi contradiceret *c. Reos ſanguinis*, & *c. De occidendis vbiſ.* Ad 2. dicitur, quòd non per quodcunque peccatum incurritur irregularitas; nam *de ſent. excom. vbiſ.* dicitur, quòd occidens clericum inuentum cum propria vxore, filia, vel matre non incurrit excommunicationem *Papæ* reſeruatam; non tamen per hoc declaratur, quòd non peccet; ita à pari. Ad 3.neg.ant; vt *ſup.* diximus. Ad 4. dicitur *articulos Pariſienſes non tranſire Sequanam*. Ad 5.neg. ant. *cum Beatiſs.P. vbiſ;* nam milites in bello, ac carnifices, & miniſtri iuſtitiæ occidunt ex poteſtate legis, ſeu ex poteſtate publica, non autem ex poteſtate priuata; ait autem: *Iam verò miles in hoſte interficiendo miniſter eſt legis*; & paulò poſt. *Et de omnibus miniſtris, qui iure, atque ordine poteſtatibus quibuſque ſubiecti ſunt, id dici poteſt.*

60 Obijc. 2. Tenemur magis diligere nos, quàm proximum; ideo occidens ſe ipſum grauiùs peccat, quàm occidens alterum; ergo debemus potiùs perdere vitam proximi, quàm noſtram. 2. Omnes res naturaliter inclinant ad ſui conſeruationem agendo etiam in deſtructionem contrariorum, quæ machinantur illius corruptionem; ergo eſt de iure naturæ occidere inuadentem. 3. Occiſio inuadentis eſt præter intentionem; occidens enim intendit ſe defendere, non occidere; ergo non imputatur ad culpam. 4. Tenetur quis pro defenſione vitæ ipſius proximi ſumere arma etiam cum periculo vitę ipſius aggredientis; hinc *Moyſes Exod.* 2. occidit *Ægyptium* percutientem *quendam Hebræum*; ſuper quod *D. Ambr.* ait, quòd *Moyſes naturali æquitatis ſtudio prouocatus* id egit; ergo multò magis pro tutela propriæ vitæ. 5. Tenetur inuaſus ſe defendere, vt poſſit mori cum omnibus Sacramentis, & vt poſſit alere vxorem, filios &c.

Reſp.ad 1.diſt. ant. Tenemur magis diligere nos anteponendo æternis temporalia, neg; hoc enim eſt peccatum; anteponendo æterna temporalibus, conc. Debemus ergo priùs quærere ſalutem æternam pro nobis, deinde pro proximo. Ad 2. eodem modo neg. conſ; nam res naturales carent ratione, qua debent prçferri æterna temporalibus; & homo debet operari, vt rationalis, non vt lapis, vel brutum. Ad 3. neg. ant; nam occiſio inuadentis eligitur ab inuaſo, tanquam medium ad defendendam propriam vitam; quomodò autem poteſt eligere, quod non vult, cùm ipſa electio ſit volitio; quapropter volens finem vult media, finem quidem propter ſe, media verò propter finem. Implicat ergo, quòd quis velit occidere, vt ſe defendat, & nolit occiſionem. Ad 4.neg.ant; nullus enim diceret, quòd liceat ad defendendum proximum occidere alium proximum. Ad *Moyſen* reſp. *B. P. Aug.qq.ſuper Exod. q.2; & lib.22. cont. Fauſt.c.7;* quòd licèt *Moyſes* id egerit *æquitatis ſtudio*; attamen factum *non videtur iuſtificandum; quia nullam adhuc legitimam poteſtatem gerebat nec acceptam Diuinitus, nec humana ſocietate ordinatam.* Vel ſi eſt iuſtificandum, dicendum accepiſſe poteſtatem à Deo, quod tamen tacet *Scriptura*. Ex quo magis apparet inuaſum non occidere ex poteſtate publica; quia hanc poteſtatem traditam fuiſſe non conſtat *ex Scripturis*, neque ex aliqua ordinatione legis humanæ; quæ id tantùm permittit, non iubet, vt docet *de lib.arb.vbiſ;* permittere autem non eſt licitum facere, vt conſtat, nam permittit etiam fornicationem, nec tamen licitam facit, vt patet; ergo taliter occidens accidit ex poteſtate priuata, & ideo peccat. Ad 5. neg. aſſumpt; tanquam omnino gratis dictum; quia omnia hæc, quæ temporalia ſunt, debent poſtponi legi Dei prohibenti homicidium.

Obijc.3. Vita corporis non eſt contemnenda, ſed defendenda; eſt enim magnum bonum; vt probat *Beatiſs.P.lib.de duab.animab.c.3; & ſeq.* 2.Vita temporalis eſt neceſſaria ad Deo ſeruiendum, & proximo, Deique gratiam promerendam. 3. Aliter ſequeretur non eſſe licitum in infirmitate vocare medicos, & medicamina ſumere; neque preces ad Deum fundere pro noſtra, proximique ſalute. 4. *Apoſt.ad Tit.2.* iubet vxoribus, vt viros, & filios diligant; & *Beatiſs.Virgo* ſummè indoluit morti filij; & Chriſtus Dominus iuſſit, vt petamus à Deo panem quotidianum; quo hæc alitur vita; & Eccleſia orat Deum, vt ſeruet fructus terræ, quibus vita ſeruatur. 5. Si dilectio vitæ temporalis eſſet mala, ſequeretur, quòd etiam propagatio filiorum eſſet mala; nam potior eſt conſeruatio ſui, quàm propagatio aliorum; ergo & nuptiæ eſſent malę, vt dicebant *Manichæi*. 6. Sequeretur malos eſſe omnes labores, qui in tot actibus exercentur in mundo, vt vita ſeruetur. 7. Si vita propria non eſt diligenda, multò minùs vita proximi; quia maior cura habenda eſt de nobis, quàm de proximo. 8. Sequeretur non eſſe peccatum mortem proximo vel inferre, vel cupere; quia nullum bonum ei tolleretur. 9. Mors corporis illata eſt homini propter peccatum; ergo eſt priuatio alicuius boni, ſecus non eſſet pœna. Tandem vita corporis deſideratur ab animabus ſanctis ſeparatis; ergo eſt bona,

Sed quò hæc ferant, videmus. Vita temporalis eſt bona ſecundùm ſe, prout ordinatè volita, quis negat? Non autem eſt bona comparatiuè ad vitam æternã, idèſt melior vita æterna; & ideo vt præpoſita vitæ æternæ, eſt mala; ſiue eſt bona malè concupita; nam omne peccatum fit in aliquo bono quia fit in ente, quod bonum eſt; ſed malè fit. Ad 1. igitur diſt. Non eſt contemnenda, prout ordinatè dirigitur ad vitam animę, conc; prout inordinatè ei præponitur, neg. Ad prob. infert, Eſt magnum bonum, prout ordinatè poſtpoſitum vitæ animæ, conc; prout præpoſitum, neg. Ad 2. eodem modo diſt. ant. de vita temporali, vt ordinata ad vitam æternam; ſic enim ſeruitur Deo, & acquiritur gratia, conc; vt præpoſita vitæ æternæ, neg; ſic enim ſeruitur diabolo, & amittitur gratia. Ad 3. diſt. ſeq. Non eſt licitum vocare medicos, vt ſeruetur vita ob finem anteponendi illam vitæ animæ, & præcepto Dei, conc; in hoc enim ſenſu ſolùm mala eſt; ob finem illam poſtponendi, neg. Ad 4. dicitur vxorem debere diligere vitam virorum, & filiorum ordinatè, non inordinatè; ſic *Beatiſs. Virgo* doluit de morte filij, non quidem anteponens illam præcepto moriendi, quod habuit Filius à Patre; ſic enim inordinatè doluiſſet; ſed quatenus iniuſtè, & crudeliter ei fuit illata, magis tamen volendo obedientiam, quàm vitam. Sic Chriſtus inſtituit orare, & Eccleſia orat pro vita ſeruanda ſubordinatè ad vitam animæ, non præponenter. Ad 5. dicitur, quòd ſi procreatio filiorum ordinaretur ad poſtponendam vitam animæ vitæ temporali, eſſet mala; in quo ſenſu ſolùm vita corporis eſt mala. Ad 6. neg. ſeq; non enim laboribus alitur vita ob illam anteponendam legi Dei. Ad 7. dicitur nec propterea, nec proximi vitam diligendam eſſe inordinatè, bene tamen ordinatè. Ad 8. neg. ſeq; licèt enim vita, vt præpoſita legi Dei, ſit mala; attamen vt ei ſubordinata, eſt bona, & ideo non licet illam tollere. Ad 9. diſt. conſ. Eſt priuatio alicuius boni, quatenus ordinati ad vitam æternam, conc; ſecus, neg. Ad vlt. diſt. Vita temporalis deſideratur ab animabus ſeparatis, neg; æterna, conc. Et ſi deſideraretur temporalis, ordinatè tantùm, non inordinatè deſideraretur, quia ſic tantùm eſt bona. Ex his patet arguentem ſemper æquiuocare de vita ordinatè ſumpta, & inordinatè; & de vita temporali, & immortali corporis; eius tamen confuſio apertè ſublata eſt.

61 Objic. 4. Sequeretur foueri audaciam, & crudelitatem inimicorum, qui ſcientes inuaſioni non poſſe ſine peccato reſiſti, faciliùs graſſarentur in hominum cędes. 2. Sequeretur non licere pugnare, ſi bellum iniuſtum inferatur; & permittendam potiùs eſſe vrbium vaſtationem, & mortem ciuium, quàm procurandam defenſionem. Imò cùm bellum neceſſe ſit, vt ſemper ex aliqua parte ſit iniuſtum, non liceret pugnare etiam his, qui iuſtè impetuntur; nam eſſent cauſa damnationis eorum, quos occidunt, qui ſunt iniuſti aggreſſores, & ideo ſunt in peccato. Item Iudex ſub mortali teneretur liberare reum morte damnatum, ſi hic nollet pœnitere; ex quo ſequeretur, quòd nullus poſſet damnari, quia nullus vellet pœnitere, ne moreretur. 3. Non tenetur coniux reddere debitum alteri coniugi petenti cum graui detrimento ſuæ ſalutis; etianſi animaduertat periculum mœchiæ; ergo à pari. 4. Indigens licitè petit mutuum ab vſurario, etianſi cognoſcat illum peccare. 5. Non tenetur fidelis cum tantis incommodis adire terras infidelium, vt eos conuertat; ergo à fortiori non tenetur cum vitæ diſpendio procurare ſalutem animæ ipſius aggreſſoris. 6. Nullus tenetur donare auaris omnia ſua bona, vt auaritiam illius explendo ſaluet à peccato; ergo nec tenetur propriam vitam donare inuadenti, ne pereat anima eius. 7. Retorquetur ratio *Triumphi* sic. Tenemur impedire peccatum, & damnationem proximi; ſed ſinendo ſe occidi non impeditur, ſed permittitur peccatum, quia permittitur ipſa occiſio; ergo non tenemur permittere nos occidi.

Reſp. hæc omnia etiam vnica reſponſione deleri. Nam quamuis nullus teneatur impedire peccatum alterius cum periculo vitæ; ſed tantùm teneatur agere, ne peccet, quantùm poteſt citra vitæ periculum; attamen ex hoc non ſequitur poſſe licitè occidere, quia occidendo committit actionem contra legem Dei, quam poſtponit propriæ vitæ temporali, & ideo peccat. Igitur. Ad 1. neg. ſeq; nam audacia magis placatur manſuetudine, quæ ei opponitur, quàm reſiſtentia, à qua magis irritatur. Ad 2. iam dictum eſt bellum geri auctoritate publica, & poteſtate legis, non auctoritate, & poteſtate priuata; & idem dicitur de Iudice; ideo neg. ſeq. Ad 3. neg. conſ; nam negans debitum coniugi non cogit illum mœchari, nec mori in mœchia; occidens autem cogit inuaſorem mori in peccato. Sic ad 4; nam petens mutuum non cogit vſurarium repetere vſum rei, nec mori in peccato. Ad 5. neg. conſ; nam aliud eſt non teneri ad profundendam vitam, vt aliquis conuertatur; & aliud, ne moriatur in peccato occiſus ab ipſo; ſic enim operatur mortem illius, & ideo peccat. Ad 6. diſt. conſ. Non tenetur donare propriam vitam ſe ipſum voluntariè occidendo, conc; permittendo ſe per vim occidi ab illo, neg. Ad 7. diſt. mi. Non impeditur peccatum occiſionis, conc; peccatum impœnitentiæ finalis, quod maius eſt, quia irremiſſibile; & ideo debet præ omnibus alijs impediri, neg.

62 Objic. 5. Quamuis lege naturæ prohibeatur tollere rem alienam; attamen in caſu neceſſitatis extremæ eam tollere non eſt peccatum; ergo à pari.

Ad hoc arg; quod eſt fortius, quod iactent *Aduerſarij*; reſpondent *aliqui* in extrema neceſſitate valere legem ſtatus innocentiæ, in qua

erant

erant omnia communia. Sed hoc parum roboris habet; quia certum eſt non redire ſtatum innocentiæ: ergo neque leges ei ſtatui præſcriptas.

Reſp. ergo 1. non eſſe contra legem, quòd res aliena, quæ eſt ſub dominio priuato vnius, fiat ſub dominio priuato alterius, vt patet in venditionibus, donationibus &c; at verò eſt contra legem, quòd quis occidat proximum ex priuata auctoritate. Sicut ergo poteſt quis accipere licitè rem alienam, ſi alter voluntate propria eam illi donet; ſic Deus, in cuius poteſtate eſt voluntas illius, poteſt illam transferre ſub dominium alterius, & ſic alter eam licitè tollere. At verò nullus eſt dominus ſuæ vitæ, & ideo nequit illam voluntariè transferre ſub dominium priuatum alterius; & ideo nunquam eſt licitum eam tollere ex priuata auctoritate.

63 Reſp. 2. faciliùs, & veriùs neg. ſupp. ant; nam ſuperflua alicuius hominis, quæ ſolùm licitè poſſunt tolli, ſunt pauperum, & ideo ſunt ſub illorum dominio; ac propterea non tollitur res aliena, ſed propria, & proprio iure vtuntur, non autem ius alienum violant. Habetur expreſsè *Exod. 22. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum, quaſi exactus, nec vſuris opprimes. Si pignus à proximo tuo acceperis veſtimentum, ante Solis occaſum reddes ei; ipſum enim eſt ſolùm indumentum carnis eius, nec habet aliud, in quo dormiat*: quibus verbis extrema neceſſitas defendendi ſe à frigore deſcribitur, *& c. 23.* Deus præcipit, vt ſex annis ſeminetur terra, & colligantur eius fuges, ſeptimo autem anno dimittatur; *vt comedant pauperes populi tui; & Leuit. 19. Cùmque meſſueris ſegetes terræ tuæ, non tondebis vſque ad ſolum ſuperficiem terræ, nec remanentes ſpicas colliges. Neque in vinea tua racemos, & grana decidentia congregabis, ſed pauperibus, & peregrinis carpenda dimittes*; quod repetitur *c. 23*; quibus verbis apertè monſtratur ſuperflua nomine ſpicarum, & racemorum ſignificata eſſe pauperibus reſeruata. Idem habetur *Deut. 15; & 24*; in his autè libris traduntur præcepta naturæ. Item *Eccli. 4. Fili eleemoſinā pauperis ne defraudes*; ille autè dicitur alium defraudare, qui negat ei, quod eſt ſub dominio illius; ergo iure naturæ pauper in extrema neceſſitate tollit id, quod ſuum eſt, & ſub ſuo dominio; & negans illud pauperi veram iniuſtitiam committit; vt dicitur *Deut. 24*; vbi habetur, quòd habens in pignus pallium pauperis non habentis aliud, quo ſe cooperiat, ſtatim reddat; *vt habeat iuſtitiam coram Domino Deo*; Illud autè iuſtè redditur alicui, quod eſt ſub dominio illius. Vita autem inuadentis non eſt ſub dominio *priuato inuaſi; ut dictum eſt.*

ART. IV.

De Veteri Lege.

1 LEx vetus in *Scriptura* dupliciter ſumi ſolet; vt docet *Beatiſs. P. lib. 15. de Trinit. c. 17*; & ex illo *Fund. Doct. in Epiſt. ad Rom. c. 3. lect. 1 t. n. 23. lit. B. 1.* Generaliter, & latè; prout *omnia veteris teſtamenti Sanctarum Scripturarum ſignificantur eloquia*; & in hoc ſenſu comprehendit nedum *libros Moyſis*, in quibus ſunt ſcripta præcepta legis, ſed etiam pſalmos, & libros Prophetarum; vt *Io. 15. In lege eorum ſcriptum eſt; quia oderunt me gratis*; hoc autem legitur *in pſ. 34. 2.* Propriè, & ſtrictè pro *lege, quæ per Moyſen data eſt*; & ſic comprehendit ſolos libros *Moyſis* vt *Luc. 24. Oportebat impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege, & Prophetis, & pſalmis de me*; vbi ſumitur lex, prout diſtinguitur *à libris Prophetarum, & à pſalmis*. Hic loquimur in ſecundo ſenſu.

2 Dicitur autem lex vetus, nedum quia fuit prior, Euangelica verò vltima, & notiſſima; ſed quia per legem veterem homo per peccatum inueteratus non renouabatur ad iuſtitiam; per nouam verò exuitur à vitio vetuſtatis, & renouatur ad gratiam. Inquit *Beatiſs. P. de ſpir. & lit. c. 20. Ergo propter veteris hominis noxam, quæ per litteram iubentem, & minantem minimè ſanabatur, dicitur illud teſtamentum vetus, hoc autem nouum propter nouitatem Spiritus, qui hominem nouum ſanat à vitio vetuſtatis*. Hoc ſupp. circa nominis ethimologiam.

3 *Beatiſs. P. ep. 157. ad Optat.* ait legem Diuinam fuiſſe neceſſariam, vt homo oſtenderetur ſibi ipſi, ne putaret ſuperbus animus poſſe eſſe iuſtum ſe ipſo; ſed per legem videndo, quid ſibi liceat, & quid non liceat, quæreret à Deo gratiam, qua legem impleret. *Danda itaque fuerat lex, quæ manifeſtiùs ſibi ipſum oſtenderet hominem; ne ſuperbus animus humanus à ſe ipſo ſe poſſe eſſe iuſtum putaret; & ignorans Dei iuſtitiam, idèſt quæ homini ex Deo eſt, & ſuam volens conſtituere, idèſt quaſi ſuis viribus partam iuſtitia Dei ſubiectus non fieret*. Idem habet *ep. 200. ad Aſellic. & ſæpiſſimè in pſalmis, ac alibi*. Ex hoc arguit *Fund. Doct. lib. 3 de Regim Princ. c. 30.* ſic. 1. Per legem naturalem non decernuntur pœnæ, & proemia, nec modus pœnarum, & præmiorum, & per legem humanam ciuilem, licèt ſtatuantur pœnæ, & prœmia pro aliquibus delictis; attamen non ſtatuuntur pro omnibus; quia multa delicta etiam exteriora permittuntur, v. g. fornicationes ſimplices, vt vitentur delicta maiora; & nulla ſtatuitur pœna pro delictis internis; ergo præter legem naturalem, & ciuilem neceſſaria fuit lex Diuina, quæ ſtatueret pœnas, & præmia; ne vllum malum remaneret impunitum; & vllum bonum irremuneratum; atqui nedum lex noua, ſed etiam vetus eſt huiuſmodi; ergo vtraque fuit neceſſaria. 2. Quamuis nullus poſſit habere igno-

ignorantiam iuris naturæ, quia ius naturæ ſcriptum eſt in cordibus noſtris;attamen poteſt vnuſquiſque habere ignorantiam facti;quia facta ſunt contingentia, & mutabilia, ideo de illis certitudo non datur; ergo neceſſaria fuit lex Diuina, cui nequit ſubeſſe error, vel incertitudo. 3. Finis, ad quem ordinatus eſt homo, eſt ſupernaturalis; ergo neceſſariò dari debuit regula dirigens ad finem ſupernaturalem; ſed lex naturæ, & lex ciuilis ſunt naturales; ergo vltra legem naturæ, & legem ciuilem dari oportuit vtranque legem Diuinam, quæ eſt ſupernaturalis.

4 Dices. Multi homines gentiles ante Chriſti aduentum viuentes in lege naturæ adepti ſunt gloriam; vt patet *de Iob*; ergo lex Diuina vetus non fuit neceſſaria. Tum quia lex vetus data eſt ſoli populo *Hebræo*; at non fuit data à primordio mundi; vt patet; ergo non fuit omnibus neceſſaria.

Reſp. *cum Beatiſs.P.Aug q.4. ex Veteri Teſtam.* quòd lex vetus fuit data, quia lex naturæ ob conſuetudinem peccandi contemni iam ceperat: *Non quòd penitus obliterata eſſet, ſed quia maxima eius auctoritate carebat, & idolalatria ſtudebatur. Timor Dei in terris non erat, fornicatia operabatur, circa rem proximi auida erat concupiſcientia. Danda ergo erat lex, vt & quæ ſciebantur, auctoritatem haberent,& lege, quæ latere iam ceperant, manifeſtarentur.* Cùm autem à mundi primordio lex naturæ vigeret,non opus fuit alia lege. Diſt. igitur conſ. Lex Diuina vetus non fuit neceſſaria ſuppoſito contemptu legis naturę, neg;non ſuppoſito, conc.

5 Lex vetus eſt ſancta, iuſta, & bona. *Ita Beatiſs.P.ep.200; & lib.19.cont.Fauſt.c.30;& per totum librum.* Eſt *cont. Cerdonianos, Marcioniſtas, & Manichæos*; qui dixerunt legem veterem fuiſſe à Deo malo, vt refert *Beatiſs.P.de hæreſib. har.21;22;& 46*; apud quem *Epiphanius*. Prob. *ex Apoſt.Rom.7. Lex quidem ſancta,& mandatum ſanctum,& iuſtum,& bonum*. Et ſuperiùs. *Quid ergo dicemus; lex peccatum eſt? Abſit. Sed peccatum non cognoui, niſi per legem.* Super quod *Beatiſs.P. Videmus itaque in his Apoſtolicis verbis legem non ſolùm non eſſe peccatum, ſed etiam eſſe ſanctam, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum. Fund.Doct.in ep.ad Rom.c.7.lect.22. §. Deinde cùm dicit occaſione* ait: *Lex ergo bona eſt, quia mandat cauere peccata; ſed occaſionaliter, & per accidens malum facit; quia ex hoc augentur concupiſcentia.* Ex quo ſic. Illud, quod prohibet malum, eſt ſanctum, iuſtum, bonum; ſed lex vetus fuit huiuſmodi; ergo fuit ſancta, iuſta, & bona. Prob.ma. Illud, quod prohibet malum, eſt oppoſitum malo; quia *quodlibet tollitur per oppoſitum*; ſed oppoſitum malo eſt bonum, & bonum eſt ſanctum, & iuſtum;ergo illud,quod prohibet malum, eſt ſanctum, iuſtum, & bonum. Mi.conſtat; quia lex prohibet omne peccatum, & præcipit actus omnium virtutum. Dicitur autem ſancta propter ceremonialia, iuſta propter iudicialia, & bona propter moralia.

6 Dices 1. *Ezech.20.* habetur: *Dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent.* 2. *Rom.7. Sine lege peccatum mortuum erat &c.* Cùm *veniſſet mandatum,peccatum reuixit.Rom.5; Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum*; & 2.*Cor.3.Litera occidit, Spiritus autem viuificat.* 3.*Hebr.8.Si prius* (ſupple *teſtamentum*)*culpa vacaſſet;non vtique ſecundi locus inquireretur.* 4. *Act.15.* lex vetus dicitur importabilis. 5.Præcipiebat multa mala;vt odium inimicorum *Matt.5*; pluralitatem vxorum *Deut.21*; vſura circa alienigenas. *Deut.23*; & libellum repudij. *ibid.24*.

Reſp.ad 1.non eſſe ſermonum de lege Dei; de qua *ibid.* ſuperiùs loquens ait: *Et dedi eis præcepta mea, & iudicia mea oſtendi eis, quæ faciens homo viuet in eis.* paulò poſt. *Eo quòd iudicia mea non feciſſent, & præcepta mea reprobaſſent &c.* D. inde ſequitur: *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent.* Ex quibus patet *hic* non eſſe ſermonem de lege Dei; ſed de permiſſione, qua Deus permiſit, vt ſequerentur leges gentium; cùm *poſt idola patrum ſuorum fuiſſent oculi eorum*; & ideo ſubdit: *Et pollui eos in muneribus ſuis, cùm offerrent omne,quod aperit vuluam.* Deus autem nequit præcipere, ſed tantùm permittere, vt ſequendo præcepta idololatrarum polluantur; aliter Deus eſſet Auctor peccati. Præterea dicitur cum *Beatiſs.P. ep.29.* dediſſe præcepta non bona; *idèſt non talia, vt illis boni fiant; non tamen mala.* Ad 2. dicitur, quòd *ipſe Apoſt.ibid;& Beatiſs.P.vbiſ.* ait legem fuiſſe tantùm occaſionem peccati. Sic ad illud *Rom.5.* ait *Beatiſs.P.ep 200*; quòd per legem ſuperabundauit delictum, non quia lex ſit cauſa, ſed quia homines tranſgrediendo legem fiunt peccatores, & præuaricatores; nam ſi non eſſet lex, non eſſent præuaricatores; quia præuaricatio eſt tantùm, vbi eſt lex. Vel quia prohibitio eſt occaſio, cur ardentiùs appetantur prohibita. Ad illud *Cor.* reſpondet *Beatiſs.P. lib.de ſpir. & lit.c.4.* eodem modo. Inſuper *litera occidit*, quia damnat illam non cuſtodientes. Ad 3. dicitur teſtamentum *ibi* ſumi pro hominibus veteris teſtamenti, qui non fuerunt inculpabilis, quia lex non tollebat culpam, non enim conferebat gratiam;ideo fuit neceſſaria lex Euangelica, quæ gratiam confert delentem peccata. *Ita lib.1. ad Simplic.q.1*; vbi hanc rem fusè pertractat. Ad 4: dicitur legem eſſe importabilem ſine gratia, quæ tamen nunquam deeſt illam quærentibus. Ad aliud reſpondet *ſerm.59*; qui eſt ſermo 1. *fer.6. poſt Dominic.Quinquag.* dicens: *Nec quod in lege dictum eſt: Oderis inimicum tuum; vox iubentis iuſto eſt accipienda,ſed permittentis infirmo.* Vnde neg; quòd lex vetus præceperit odium inimicorum; illud enim ſolùm permiſit; Ad aliud reſpondet *lib.16.de Ciu.Dei c.38.* diſpenſatam fuiſſe pluralitatem vxorum multiplicandæ cauſa

poſte-

poſteritatis, non autem ob ſatiandam libidinem; quapropter vna vxor plures maritos habere non poterat, quia non poterat ſic eſſe fœcundior. Ad illud de vſura dicitur, ſicut dictum eſt de odio; & ſic etiam ad libellum repudij; vt habet *Beatiſs.P.lib.19. cont.Fauſt.c.26. vſque ad* 30; in quo libro apertè ſanctitatem, iuſtitiam, & bonitatem veteris legis *contra* blaſphæmias *Manichæorum* defendit; vbi videantur hæc omnia ſoluta.

7 Ex his collig. vtilitas legis veteris; nam 1. fuit cauſa, vt obſeruaretur lex naturæ, quæ omnino negligebatur. 2. Quia peccata objiciendo fuit cauſa, vt quærerent gratiam Chriſti Saluatoris. 3. Vt faciliùs diſponerentur ad legem Euangelicam. 4 Vt timore pœnarum, quæ in ea ſtaturæ ſunt, retraherentur à peccatis. *Vid.alia apud Beatiſs.P.loc.cit.*

8 Collig.2; quòd licèt lex vetus fuerit ſancta, iuſta, bona, & vtilis, non tamen fuit perfecta; quia per ipſam ſolam homines non poterant ſaluari; nullus enim poteſt ſaluari, niſi in fide Chriſti; nam *Io.17.* habetur: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum, & verum Deum, & quam miſiſti, Ieſum Chriſtum.* Quapropter *idem Apoc.13.* ait; quòd *agnus occiſus eſt à conſtitutione mundi*; idèſt mors Chriſti Saluatoris cognita fuit à principio mundi; per cuius fidem ſolùm habetur vita æterna, vt explicat *Beatiſs.*P. *q.4. vbiſ;* vnde licèt lex vetus fuerit perfectior lege naturæ; quia lex vetus ſupra legem naturæ addidit præcepta ceremonialia, quæ ſpectabant ad cultum Dei; & iudicialia, quæ continebant punitionem peccatorum; attamen lex Euangelica fuit perfectior lege veteri; quia Euangelica continet fidem, in qua ſolùm poſſunt homines ſaluos fieri. *Ita Fund.Doct.in epiſt.ad Rom. c.3. lect.11.dub.1; & 2. ex Beatiſs.*P. *vbiſ.q.3.* Item lex vetus tradita eſt ſoli *populo Hebraico*; Euangelica vniuerſaliter omnibus. Item illa fuit promulgata per *Moyſen*; hæc per Chriſtum. Item illa fuit vmbra, & figura; hæc lux, & res figurata. Illa fuit lex timoris, & comminationis; hæc lex amoris, & gratiæ. Illa continebat præcepta difficilia; hæc facillima. Illa data erat populo adhuc carnali, & venundato ſub peccato; hæc populo ſpiritali à peccato liberato per Chriſtum, & in nouam creaturam regenito. Illa fuit ad tempus; hæc in ſempiternum manebit. Per illam ſuperabundauit delictum; per hanc ſuperabundauit gratia. Plures alias differentias *vid. apud B.P.locis cit.& alibi.*

9 Collig. 3. legem veterem eſſe datam à Deo *per Moyſem* quoad omnia præcepta moralia, ceremonialia, & iudicialia. Eſt *cont.Manich. vbiſ.Orig.in Num.hom.16; D.Hier. in c.19.Mat. Hug. & Bed.* ſuſtinentes aliqua eſſe lata *à Moyſe* ex propria auctoritate; *& Salm.diſp.61; & 62.in Act.Apoſt.* putantem ceremonialia, & iudicialia fuiſſe tradita *à Moyſe.* Prob. *Exod.21. Hæc ſunt iudicia, quæ propones eis; & 24. Venit ergo Moyſes, & narrauit plebi omnia verba Domini, atque iudicia; & Leuit.25.in fine: Hæc ſunt iudicia, atque præcepta, & leges, quas dedit Dominus;* & habetur *in Trid.ſeſſ.4.decret.de canonic.ſcripturis: Omnes libros tam veteris, quàm noui teſtamenti, cùm vtriuſque vnus Deus ſit auctor &c; & Beatiſs.* P. *vbiſ; & in Exod.q.72; & ſeq; & 12 conf.c.30.* habet *Moyſen* omnia ſcripſiſſe *Deo reuelante,* & clarè deducitur *ex ſcriptura locis,* in quibus traduntur præcepta, ſemper enim dicitur locutus eſt Dominus *ad Moyſen*; & ratio eſt; nam populus ille peruicax legem non obſeruaſſet, niſi *Moyſes* teſtatus fuiſſet illam traditam eſſe à Deo. Ratio autē, quare vltra præcepta moralia debuit etiam tradere ceremonialia, & iudicialia, eſt, quia populus debebat ordinari per legem conueniēter ad rectam rationem, ad Deum, & ad ius politicum; ſed per præcepta moralia ordinatus fuit conuenienter ad rectam rationem; per ceremonialia ad cultum Dei, & per iudicialia ad ius politicum; ergo conuenienter tradita ſunt talia præcepta. Ordo, & diuiſio præceptorum moralium traditur *à Beatiſſ.P.lib.2. in Exod.q.71;* & ceremonialium *ibid. 72; & ſeq;* de iudicialibus verò *q. 95; & ſeq.*

10 Dices. Lex vetus fuit imperfecta; ergo non fuit opus Dei, cuius opera ſunt perfecta *Deut.32.* Item lex vetus vocatur *lex Moyſis*; ergo non eſt lata à Deo.

Reſp. ad 1. legem veterem dici imperfectam comparatiuè ad legem Euangelicam; eſſe tamen ſecundùm ſe perfectam; quia pro illo ſtatu hominum nihil ei deficiebat. Ad 2. diuiditur vocari *legem Moyſis*, quia promulgata eſt miniſterialiter *à Moyſe.*

§. I.

De duratione legis Veteris.

10 CErtum eſt 1. legem veterem de facto ceſſaſſe. Ita definitum fuit *in Conc. Hieroſol;* & habetur *Rom.6.; ad Galat.3.; ad Epheſ.2; ad Coloſſ.2; ad Hebr. 7;* & ratio traditur *à Beatiſſ.P. lib.28. cont.Fauſt.c.4;* quia erat figura legis nouæ; & ideo hac adueniente debuit illa ceſſare, vel vt loquitur *Fundat.Doct.in ep. ad Rom c.7. lect.21. §. Deinde cùm dicit: Itaque fratres;* lex vetus erat vmbra legis nouæ, & ſicut adueniente luce ceſſat vmbra; ita à pari.

Verùm lex vetus non ceſſauit per abrogationem, vel deſtructionem, ſed per impletionem iuxta illud *Matt. 5. Non veni ſoluere legem, ſed adimplere;* ſuper quod *Beatiſſ.P.vbiſ; & Fundat. Doct.ibid.3.lect.12.§. Remouet,* ait, quòd lex vetus continebat ceremonialia, quæ erant figuræ; figura autem non deſtruitur, ſed impletur per rem figuratam; & continebat moralia, quæ non fuerunt deleta per legem nouam, ſed impleta, & perfecta; nam lex vetus vetabat ſolùm homicidium

dium; noua verò vetat nedum homicidium, ſed etiam odium, & iram.

12 Certum eſt 2. legem veterem non ceſſaſſe ante Chriſti mortem; nam Chriſtus Dominus illam obſeruauit vſque ad mortem; pridie enim, quam pateretur, immolauit agnum paſchalem *Luc. 22. & Matt. 23.* præcepit, vt ſeruaretur lex *Moyſis*; ergo vſque ad illud tempus durauit.

13 Dices. *Luc. 16.* habetur: *Lex, & Propheta vſque ad Ioannem; & Matt. 11.* idem dicitur.

Reſp. legem, & *Prophetas* vſque ad *Ioannem* prædixiſſe Chriſtum venturum; *Ioannes* autem oſtendiſſe iam illum veniſſe. Vel dicitur vſque ad *Ioannem* duraſſe doctrinam legis, & *Prophetarum*; *Ioannem* autem incepiſſe tradere doctrinam legis nouæ; quia incepit prædicare baptiſmum, qui ſpectat ad nouam legem.

14 *Aliqui* volunt legem veterem expiraſſe tantùm in die Pentecoſtes, cùm lex noua publicè promulgata fuit, mortem autem Chriſti tantùm dediſſe cauſam interitui legis veteris. *Ita Scot; Gabr; Sua; Arriag; Baſſol. Fabr; Aretin. apud Maſtr. de legibus diſp. 2. q. 3. art. 1. n. 65.*

15 *Aly* verò docent legem veterem expiraſſe in morte Chriſti. Sed diuiſi ſunt; *aliqui* enim volunt legalia in morte Chriſti nedum fuiſſe mortua, ſed etiam mortifera ita, vt illa obſeruare ſtatim poſt Chriſti mortem fuerit peccatum. Tribuitur *D. Hier. ep. 11. inter Auguſtinianas*; ſed falsò, vt mox patebit. *Aly* docent ſtatim poſt mortem Chriſti fuiſſe mortua, ſed non mortifera; fuiſſe autem mortifera poſt ſufficientem promulgationem Euangelij factam per totum Orbem; non autem poſt promulgationem factam in die Pentecoſtes. *Ita Beatiſſ. P. ep 9; & 19;* vbi refert *D. Paulum; D. Ambr; & D. Cypr.* Conſentit *B. Doct. AEgid. in ep. ad Rom. c. 14. lect. 45. dub. 1;* vbi *cum Beatiſſ. P.* diſtinguit triplex tempus legis veteris; aliud ante Chriſti paſſionem, quo lex erat viua; aliud à morte Chriſti vſque ad plenam Euangelij promulgationem; in quo legalia erat mortua, ſed non mortifera; & aliud poſt plenam Euangelij promulgationem, in quo erant mortifera, & nullatenus toleranda. *Ita etiam D. Tho; & communiter eius Diſcipuli & ferè omnes aly.*

16 Non quod *D. Hier.* verè non fuit eius ſententiæ, quæ ei tribuitur; vt enim ait *in ep 11. vbiſ.* ſolùm retulit ſententiam *Origenis, Didymi, Euſeby, Emiſſeni & Theodori Heracleotis, & Apollinaris Laodiceni de Eccleſia nuper egreſſi, & Alexandri veteris heretici;* quod etiam habet in *præfatiuncula ſuorum Commentariorum*; non autem ſuam protulit ſententiam. Verba eius ſunt hæc: *Imbecillitatem virium mearum ſentiens Origenis Commentarios ſum ſecutus*; & paulò poſt *Beatiſſ. Patrem* alloquens: *Si quid igitur reprehenſione dignum putaueras in explanatione noſtra eruditionis tuæ fuerat quærere, vtrum ea, quæ ſcripſimus, haberentur in Græcis; vt ſi illi non dixiſſent, tunc meam propriè ſententiam condemnares; præſertim cum liberè in præfatione confeſſus ſim Origenis commentarios me eſſe ſecutum, & vel mea, vel aliena dictaſſe, & in fine illius capituli, quod reprehendis, ſcripſerim: Si cui iſte non placet ſenſus; quo nec Petrus peccaſſe, nec Paulus procaciter oſtenditur arguiſſe maiorem, debet exponere, qua conſequentia Paulus in altero reprehendat, quod ipſe commiſit. Ex quo oſtendi me non ex definito id defendere, quod in Græcis legeram; ſed ea expreſſiſſe, quæ legeram; vt lectoris arbitrio derelinquerem, vtrum probanda eſſent, vel improbanda.* Ex quibus clarè apparet merè hiſtoricè hanc ſententiam retuliſſe, non autem definitiuè illam defendiſſe.

17 Ratio autem, ob quam noluit definire hanc quæſtionem contentus ſolùm alienam referre ſententiam, eſt; quia ſi *Petrus* non peccaſſet cogendo *Gentes* iudaizare, non quidem docentis imperio, ſed conuerſationis exemplo, timuit ire in blaſphemiam *Porphyrij*, qui aſſeruit *Petrum & Paulum puerili inter ſe pugnaſſe certamine, imò Paulum exarſiſſe in inuidiam virtutum Petri, & ea ſcripſiſſe iactanter, quæ vel non fecerit Petrus; vel ſi fecerit, procaciter fecerit id in alio reprehendens, quod ipſe Paulus commiſerit;* cùm etiam ipſe *Paulus* circunciderit *Timotheum* gentilem, vt potè natum ex matre *Hebræa*, & patre gentili, & cùm *in Cenchris* totonderit ſibi caput iuxta legem *Nazaræorum* præſcriptam à *Moyſe*, & *Hieroſolymis* iterum totondit ſe cum quatuor viris, vt oſtenderet ſe non diſceſſiſſe à lege *Moyſis*, quemadmodum eum accuſabant *Iudæi*. Præterea ſi dixiſſet legalia fuiſſe licita, in hæreſim *Cherinti, & Hebionis* metuit recidere, qui anathematizati ſunt, quia ceremonias legis Euangelio Chriſti miſcuerunt; & in hæreſim *Mineorum*, quos vocabant *Nazaræos*; qui idem docebant; & dum volebant eſſe *Iudæi*, & Chriſtiani, nec *Iudæi* erant, nec Chriſtiani. Propter hęc *D. Hier* acquieuit ſententiæ PP. *Græcorum* aſſerentium *Petrum* verè peccaſſe, & iuſtè fuiſſe reprehenſum à *Paulo*; quamuis & *Petrus, & Paulus*, vt lucrifacerent *Iudæos*, ſimularent obſeruare legalia. Et quamuis poſtea aſſerat legalia eſſe damnata; attamen tunc loquitur poſt plenam promulgationem *Euangelii*; ſtatim enim ſubdit; quòd ſi legalia non erant prohibita; poterat *Beatiſſ. P;* vt potè Epiſcopus Eccleſiarum, ſuſcipere *aliquem Iudæum*, qui natum ſibi filium circunciderer, obſeruaret ſabbathum, abſtinere à cibis vetitis &c. patet autem *Beatiſſ. Patrem* fuiſſe poſt plenam Euangelij promulgationem.

18 Ad hæc reſp. *Beatiſſ.* P. *ep. 19;* quòd nec *Petrus*, nec *Paulus* peccauit. 1. quia vterque recta intentione operabatur; ſciebat enim vterque, quòd pro eo tempore legalia non erant mortifera. Attamen *Petrus* circuncidebat etiam *Gentiles*, vt eis oſtenderet legalia non fuiſſe mala, & deteſtabilia; nam à Deo fuerunt præcepta; ſicut fuerunt malæ, & damnabiles idololatriæ *Gentilium*,

lium,

ſiam, quas *Sathan* perſuaſit. Iuſtè tamen à *Paulo* fuit reprehenſus, non quia legalia obſeruare tunc eſſet peccatum; aliter etiam ipſe peccaſſet, cùm circuncidit *Timotheum*; & ſic fictè, & mendaciter locutus fuiſſet; quod eſt falſum; cùm *ipſe* teſtetur: *Ecce coram Deo, quia non mentior*; ſed fuit reprehenſus; quia timebat, ne *Iudei* putarent legalia ita eſſe neceſſaria, ſicut antea, vt crederent ſine illis non poſſe ſaluari. Igitur admonuit *Petrum*, vt ad hanc credulitatem euertendam *Gentiles* non circumcideret. Ipſe autem circuncidit *Timotheum*, qui licèt eſſet ex patre gentili, erat tamen ex matre *Hebrea*; & ideo ne cognationem maternam ſcandalizaret, eum circuncidit. Ad aliud reſp. quòd *Cherinthus, Hebion, & Minei, ſeu Nazarei* docebant licita eſſe legalia etiam poſt plenam Euangelij promulgationē.

19 Concludit ergo *Beatiſs. P.* quod controuerſia *cum D. Hieron.* originem habuit ex eo, quòd in *epiſt. 9.* non addiderat legalia non fuiſſe mortifera ante plenam Euangelij promulgationem, bene tamen poſtea, quod ei improperabat *D. Hier.* vt *ſup.* dictum eſt; habet *ep. 19.* ferè circa medium: *Tunc enim hoc non erat perniciosum; progreſſu verò temporis fuit perniciosum &c. Proinde potiùs culpanda eſt negligentia mea, quia hoc non addidi; quàm obiurgatio tua.* Cui explicationi acquieuit *D. Hier.* cùm ampliùs circa hoc non reſponderit; ex quo patet totam controuerſiam fuiſſe circa explicationem ſententiæ, non circa ſententiam, quam ſuſpendit *D. Hier.* vſquedum à *Beatiſſ. P.* illam excerpſerit.

20 Vnica concl. Lex vetus mortua eſt in morte Chriſti; & vſque ad plenam Euangelij promulgationem fuit mortua, ſed non mortifera, poſt promulgationem autem eſt omnino mortifera.

Prob. 1. pars. 1. ex illo *Io. 19. Poſtea ſciens Ieſus, quia omnia iam conſummata ſunt; vt conſummaretur ſcriptura, dixit: Sitio.* Et paulò poſt: *Cùm ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit: Conſummatum eſt.* Ex quo ſic. Tunc mortua eſt lex vetus, quando conſummata eſt *Scriptura*, in qua continebatur lex vetus; ſed *Scriptura* conſummata eſt in morte Chriſti; vt habetur *ex textu*; ergo lex vetus mortua eſt in morte Chriſti. Præterea *Matt. 27. Velum templi ſciſſum eſt*; ſup. quod *Beatiſſ. P. ſerm. 114. de Temp. Velum templi ſcinditur, quia Synagoga honore nudatur; obſeruatio antiqua diſſoluitur.* Idem habet *D. Ambr. lib. 10. in Luc. c. 23; D. Cæſar. hom. 6. in Paſch; S. Leo ſermon. 5. de paſſ. S. Hier; S. Cypr; S. Io. Chriſoſt; & alii SS. cit. à D. Hier; & à Beatiſſ. P. vbiſ.* Præterea *Hebr. 7. Tranſlato ſacerdotio neceſſe eſt, vt & legis tranſlatio fiat*; ſed ſacerdotium *Aaron* tranſlatū eſt in morte Chriſti; tunc enim tranſlatum eſt in ſacerdotium Chriſti; vt *Hebr. 9. Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum non manufactum, idèſt non huius creationis, ſed per ſanguinem introiuit ſemel in ſancta æterna redemptione inuenta*; quòd ſi ſacerdotium tranſlatum eſt, quando Chriſtus per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta æterna redemptione inuenta, apertè ſequitur legem veterem ceſſaſſe in morte Chriſti.

21 Conſ. 1. Homo vetus mortuus eſt cum Chriſto Domino, & conſepultus cum illo, vt docet *Apoſt. Rom. 6. Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati*; ſed lex vetus mortua eſt, quando mortuus eſt homo vetus, quia lex vetus obligabat tãtùm hominem veterem; ergo idem. 2. Tum quia mortua eſt lex vetus, quando incepit baptiſmus, qui ſpectat ad legem nouam; tunc enim ceſſauit lex vetus, quando incepit lex noua; baptiſmus autem cepit in morte Chriſti; vt habet *Apoſt. vbiſ. Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus.* 3. Teſtamentum incipit habere vim, cùm intercedit mors teſtatoris; ſed lex noua eſt teſtamentum nouum; ergo incepit habere vim in morte ipſius Chriſti.

22 Tandem ſi lex vetus non eſſet mortua in morte Chriſti, maximè quia promulgatio ſpectat ad eſſentiam legis; vt putat *Maſtr*; ſed conſ. eſt falſum, vt dictum eſt *art. 2. §. 2. n. 43; & ſeq*; ergo & ant. Præterea ſi non fuiſſet mortua, quia non fuit promulgata, ſequeretur, quòd nec etiam in die Pentecoſtes fuiſſet mortua; quamuis enim fuerit promulgata *Hieroſolymis*, non tamen illa die fuit promulgata per totum Mundum; & ſicut promulgatio facta Apoſtolis in morte cęnæ, quando condidit nouum teſtamentum, & iuſſit, vt illud ſeruarent *Io. 15; & ſeq.* & poſt reſurrectionem, cùm iuſſit, vt illud docerent; non fuit ſufficiens ad extinguendam legem veterem, quia talis promulgatio non fuit ſolemniter facta omnibus; ita promulgatio facta in die Pentecoſtes non fuit ſufficiens, vt lex vetus moreretur, quia pauciſſimis gentibus fuit facta, ſicut erant gentes congregatæ *in Ieruſalem* reſpectiuè ad omnes gentes totius Orbis terrarum. Tum quia ideo lex vetus *per Aduerſarios* non fuit mortua in morte Chriſti, quia lex noua non cepit ab eo tūc obligare; non enim cepit obligare, niſi poſt plenam promulgationem; ſed nec poſt diem Pentecoſtes lex noua cepit obligare gentes, ad quarum notitiam non peruenerat; ergo neque tunc lex vetus extincta eſt. Sed hoc non admittitur *ab ipſis*; ergo neque illud.

23 Prob. 3. pars concl. Apoſtoli obſeruarunt ceremonialia legis veteris etiam poſt promulgationem Euangelij factam *Hieroſolymis*; vt *Paulus* circuncidit *Timotheum*, totundit *ſe in Cenchris* more *Nazareorum*; & *Petrus* cogebat *gentiles* venientes ad fidem iudaizare, vt dictum eſt; & *in Conc. Hieroſol.* Apoſtoli ſtatuerunt gentes non eſſe circuncidēdas, non tamen hoc prohibuerunt *Iudæis*; vt oſtenderent in gentilibus ceremonialia legis non eſſe neceſſaria ad ſalutem, & in Iudæis non fuiſſe mala, vtpotè à Deo præcepta;

ſicut fuerunt mala, & ſacrilega ſacrificia *Gentilium*, poſt plenam autem Euangelij publicationem ceremonialia fuerunt *in Conciliis* ab Eccleſia damnata; ergo vſque ad plenam Euangelij promulgationem fuerunt mortua, ſed non mortifera, aliter ſi fuiſſet mortifera, *Petrus, Paulus*, & alij Apoſtoli ſeruantes iudicialia peccaſſent mortaliter; quod eſt abſurdum; conſtans eſt enim *omnium Theologorum* ſententia; quòd Apoſtoli, poſtquam fuerunt confirmati in gratia per Spiritum S; mortaliter peccare non potuerunt.

24 Vlteriùs *Beatiſs.P.ep.*19. probat à ſimili. Congruum eſt, quòd corpus mortuum honoris cauſa, præſertim ſi homo mortuus ſit multo honore dignus, ſeruetur ſupra terram per aliquod tempus, antequam ſepulturæ mandetur; vt propinquorum, vel aliqua neceſſitudine, aut officio coniunctorum pijs honoretur officijs; ergo congruum fuit, quòd lex vetus, ſeu Sinagoga iam mortua, quæ cùm viueret, digna tanto fuit honore, quia aluerat Patriarchas, Prophetas, alioſque iuſtos tam ſanctos, antequam ſepeliretur, pijs virorum, idèſt Chriſtianorum, qui ſoli per Chriſti fidem viuebant, vt docet *Apoſt*; celebraretur officijs; atqui quoties lex vetus non fuit ſepulta, fuit mortua, ſed non mortifera; ergo idem. Quanto tempore autem durauerit inſepulta, & non mortifera lex vetus; incertum eſt, quia non conſtat de tempore, quo primùm facta fuit plena Euangelij publicatio. Probabiliter tamen dicunt Theologi hoc fuiſſe poſt quadraginta circiter annos à Chriſti Domini morte; tunc enim Templum Salomonis *à Romanis* dirutum fuit, & deſtructa *Iudæorum* reſpublica; quod ſufficiens indicium eſſe poteſt tunc ſanctam eorum legem fuiſſe ſepultam.

25 Obijc. cont. 1. part. *D.Bern ep.*77. ait: *Ex eo tempore tantùm cuique cepit antiqua obſeruatio non valere, ex quo præceptum baptiſmi inexcuſabiliter ad eius potuit peruenire notitiam*. *Et Trid. ſeſſ.*6. *c.*4. docet; quòd translatio ex ſtatu peccati ad ſtatū gratiæ *poſt Euangelium promulgatum ſine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non poteſt*; ſed Euangelium non fuit promulgatum, niſi die Pentecoſtes; ergo lex Euangelica non cepit obligare, niſi die Pētecoſtes; atqui lex vetus non fuit mortua, niſi quando lex noua cepit obligare; nam *Epheſ.*2. dicitur: *Legem mandatorum decretis euacuans*; ergo mortua fuit tantùm die Pentecoſtes. 2. Lex noua cepit obligare, quando ſolemniter fuit publicata; ergo idem. 3. *Arriag.* Si promulgatio facta Apoſtolis ſatis fuiſſet ad inducendam obligationem legis nouæ, ſequeretur, quòd lex noua obligaſſet etiam ante Chriſti mortem; quia Chriſtus, antequam moreretur, publicauit legem nouam Apoſtolis, ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. 4. Nihil conſtat de obligatione legis nouæ in morte Chriſti; ergo gratis aſſeritur.

Reſp. ad 1. *D.Bern; & Conc.* nihil aliud velle, quàm quòd adhoc, vt lex noua obliget, neceſſaria erat promulgatio illius; non enim poteſt ſeruari lex, quæ ignoratur. Diſt. igitur mi. Euangelium non fuit primò promulgatum à Chriſto legiſlatore, niſi die Pentecoſtes, neg; ab Apoſtolis, conc. Ad 2, diſt. eodem modo ant. Lex vetus mortua eſt, quando lex noua fuit primò publicata ſolemniter à legiſlatore, conc; à miniſtris legiſlatoris, neg. Vel cepit obligare actiuè, neg; paſſiuè, conc. Cùm enim lex à legiſlatore proponitur, tunc habet vim actiuam obligandi; quamuis illi, qui illam publicationem non audiunt, paſſiuè non obligentur; lex vetus autē mortua fuit; cùm lex noua cepit habere actiuam obligandi vim. Ad 3. neg. ſeq; nam lex fuit publicata Apoſtolis ante Chriſti mortem per modum inſtructionis, non per modum præcepti, vt promulgaretur. Vel dicitur non fuiſſe totam publicatam, niſi in morte Chriſti; nam mors Chriſti pertinet ad legem, cùm ſit articulus illius. Ad 3. neg. ant; habetur enim publicatio legis nouæ ex verbis *Matt. vlt.* cùm ait Chriſtus; *Docete omnes gentes*.

A R T. V.

De lege noua, ſeu Euangelica.

1 Lex, quam dedit Chriſtus hominibus, noua appellatur, quia *legem Moyſis* Innouauit deſtruendo ceremonialia, vt diximus, & perficiendo moralia. Dicitur etiam *Euangelium*, quod eſt verbum *Græcum* latinè ſignificans *bonum nuncium*; vt docet *Beatiſs P. lib.*18. *de Ciuit. Dei c.*34; *& lib.*2. *cont. Fauſt. c.*2; & licèt ſemper eùm aliquid boni annunciatur, dici poſſit Euangelium; attamen propriè Euangelium dicitur *annunciatio Saluatoris*, quæ eſt ſummum, & excellentiſſimum hominis bonum.

2 *Caluin. in c.*4. *ep. ad Galat.* dixit Chriſtum nullam legem nouam Mundo dediſſe, ſed ab antiqua ſolùm nos liberaſſe; dicitur enim *Io.*3. *Non miſit Deus Filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum*; *& alibi: Ego non iudico quenquam; & ibid. Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret*.

3 Sed hæc hæreſis manifeſtè reijcitur *ex Scriptura*; nam *Matth.* 26. *Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti; & Marc.*14. *Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti*; *& Luc.* 22. *Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo*; ſicut autem *nomine teſtamenti veteris* intelligitur lex vetus; ita nomine *teſtamenti noui* intelligitur lex noua. Et *Io.* 3. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos &c.* & ad Hebr. 8. referens illud *Ierem.* 31. *Conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Iuda teſtamentum nouum, non ſecundùm teſtamentum, quod feci Patribus eorum*; quibus verbis *Ieremias* apertè prophetauit legem nouam; addit *Apoſt. Dicendo autem nouum*,

nouum, veterauit prius, quod autem antiquatur, & ſeneſcit, prope interitum eſt; & c.9. *Noui teſtamenti Mediator*; quod etiam habet c.12; & c.2. *Dominus legiſer noſter*; & *Io.* 14. *Mandatum mea ſeruate*; quod ſæpiſſimè alibi dicitur; & *Beatiſs. P. lib. 11. de Ciu. Dei c.*54. *Tunc datus eſt etiam Spiritus S. ſicut cum datur poſt reſurrectionem Chriſti oportebat in ea ciuitate, ex qua debuit incipere lex ſecunda, hoc eſt teſtamentum nouum. Prima enim data fuit lex in monte Sina per Moyſen, quod teſtamentum vocatur vetus. Exod.* 19. *De hac autem, qua per Chriſtum data eſt; prædictum eſt. Eſaia* 2. *Ex Sion lex prodiet, & verbum Domini de Ieruſalem*. Tandem hæc veritas definita eſt in *Trid. ſeſſ.* 7. *can.* 21. Aliter ſi Chriſtus ſuſtuliſſet legem veterem, & nullam nouam condidiſſet, feciſſet homines exleges, vt ſine lege viuentes, quemadmodum hæretici, in omne vitium laberentur.

4 Ad illud *Io.* reſp. *Beatiſs. P. tract.* 12. *in Io*; quòd Chriſtus venit, vt Saluator, non vt Iudex; & ideo dedit Mundo præcepta, quibus poſſet ſaluari; hinc ſubdit *Euangeliſta*: *Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus eſt*; idêſt qui legem eius non obſeruat, iam iudicatus eſt; & à ſe ipſo iudicatur. *Ergo* (inquit *Beatiſs. P.*) *quantum in medico eſt, ſanare venit agrotum. Ipſe ſe interimit, qui præcepta medici ſeruare non vult*. Ad aliud reſp. *ep.* 19. *ad Hier*; quòd redemit eos, qui erant ſub lege, idêſt legem non obſeruantes, per legẽ erant rei; & ideo erant ſub lege, quia per legem damnabantur, tanquam ſerui peccati; & redemit gratiam conferendo, per quam conſtituti ſunt Dei filij, & hæredes? Quapropter lex Chriſti *Io.* 1. dicitur etiam gratia; quia eſt lex gratiæ, & amoris, vt *inf.*

5 Sicut autẽ lex vetus continebat præcepta moralia, ceremonialia, & iudicialia; ſic noua continet eadem præcepta moralia, ſed magis perfecta; & præcepta ſacramentalia, quibus iubemur credere ſacramenta; & præcepta fidei, quibus iubemur credere fidei articulos.

6 Plura diſcrimina inter legem veterem, & nouam colligit *Fund. Doct. in ep. ad Rom. ex Beatiſs. P.* Differũt 1. quia lex vetus erat lex timoris, noua verò lex amoris. *Ita Fund. D. in ep. ad Rom. c.*4. *lect.* 3. *dub.* 1. *ex B. P. lib.* 1. *ad Simplic. q.* 1; quia lex vetus operabatur per timorẽ, & cõminationem; noua autem per fidem formatam charitate, quæ eſt amor iuxta illud: *Plenitudo legis eſt charitas*.

7 Differunt 2., quòd vetus erat lex factorum; noua eſt lex iuſtitiæ. *Ita Fund. Doct. vbiſ. c.*3. *lect.* 12. §. *Adducit quintam rationem ex Beatiſs. P. lib. de Spir. & lit. c.* 13. Dicitur illa lex *factorum*; quia per illam præcipiebantur opera facienda, non tamen conferebat iuſtitiam, quia non iuſtificabat. Hæc dicitur lex *iuſtitiæ*, quia præcipit opera, & medianribus ſuis ſacramentis, quibus iuſtificat, confert iuſtitiam, & ſanctitatem.

8 Differunt 3; quòd illa non iuſtificabat ex opere operato, ſed tantùm indirectè ex opere operantis, quatenus illa opera moraliter mouebant Deum ad conferendam gratiam; hæc autem iuſtificat ex opere operato, quia per ſacramenta confert gratiam. *Ibid.*

9 Differunt 4., quòd illa oſtendebat peccatum, & ad illud vitandum non præbebat auxilium; hæc oſtendit peccatum, & confert gratiam, quo poteſt vitari. *Ita Fund. Doct. ibid. c.*6. *lect.* 20. §. *Dat quartum documentum ex Beatiſſ. P. ad Simplic. vbiſ.* docente: *Litera non eſt adiutrix legentium, ſed teſtis peccantium*.

10 Differunt 5., quòd illa erat ſcripta in tabulis lapideis; hæc in cordibus hominum. *Fundat. Doct. vbiſ. c.* 3. *lect.* 11. *ex Beatiſſ. P. de ſpir. & lit. c.*17.

11 Differunt 6., quòd illa dicitur *litera, quæ occidit*; niſi viuificetur per gratiam; hæc verò *ſpiritus, qui viuificat*, quia confert gratiam: *Beatiſſ. P. ibid. c.*4; *& ad Simplic. vbiſ.*

12 Differunt 7., quòd illa erat lex *ſeruorum*, hæc *filiorum*; quia illa non liberabat à captiuitate peccati, niſi in fide iſtius; hæc autem redimit venundatos ſub peccato. *Beatiſſ. P. de ſpir. & lit. & lib. cont. Adimant. c.*16.

13 Differunt 8; quòd illa erat *vmbra* iſtius; iſta verò eſt *lux* diſſipans illam vmbram. *Fund. Doct. ibid. c.*6. *lect.* 20. *vbiſ. Vid.* alia diſcrimina *apud Beatiſs. P. de Spir. & lit. per totum; & ſerm.*6. *de verbis Apoſt. & alibi*; vbi dicitur, quòd illa Cœlum non aperuit, ſicut iſta; illa promittebat bona temporalia; hæc verò æterna. Illa prædicebat Chriſtum venturum; hæc docet iam veniſſe. Illa continebat ſacramenta egena, & vacua; hæc ſacramenta plena ſpiritu, & gratia. Illa data erat ad tempus; hæc vſque in finem eſt duratura. Illa erat particularis data ſoli populo Hebræo; hæc vniuerſalis data omnibus hominibus. Sicut illa poterat quis ſaluari in lege naturæ; ſic iſta nullus poteſt ſaluari, quia eſt neceſſaria ſimpliciter ad ſalutem; vt *inf.* &c.

14 Ex his collig. 1. nouam legem eſſe perfectiorem veteri; vt habet *Fund. Doct. vbiſ. c.*3. *lect.* 11. *dub.* 1; & 2; & eius maior perfectio colligitur ex differentijs inter vtranque aſſignatis.

15 Collig. 2. legem Euangelicam non eſſe propriè diſpenſabilem à Summo Pontifice; aliter non eſſet æterna. Ita refertur *in c. ſicut quadam diſt.* 14. *ex Leone ep.*90; *& c. ſunt quidam* 25. *q.* 1. *ex Vrbano, & c contra ſtatuta ibid. ex Zoſimo; & c. omne ibid. ex Marcellino*. Imò ſuppoſito, quòd ita ordinauerit, ſicut de facto ordinauit, neque à Deo ſecundùm potentiam ordinatiam eſſe diſpenſabilem; quia Deus nequit nolle, quod priùs voluit.

16 Poteſt tamen Summus Pontifex aliquo modo mutare materiam, & ponere aliquam conditio-

Mag. Frideric. Nic. Gauardi Tom. 4. Nn 2

ditionem, ob quam talis materia non ſit ampliùs præcepta; vt dici ſolet de diſpenſatione voti; quod eſt mutare quid facti, non quid iuris; & ideo non eſt propriè diſpenſare legem, ſed tantùm declarare factum non cadere ſub lege.

ART. VI.

De Iure gentium.

1 QVæritur; an ius gentium differat à iure naturali; & ratio dubitandi eſt; nam *l.1. ff. de iuſt. & iur. & §.1. & 2. Inſt. de iur. nat. gent. & ciuil.* dicitur ius gentium eſſe illud, quo gentes humanæ vtuntur; & differre ſolùm à iure naturali, quòd ius naturale conuenit omnibus animalibus; vt filios gignere, educare &c. ius autem gentium conuenit ſolis hominibus. Vnde notat *Fund. Doct. de Regim. Princ. lib.3 q.2.c.25;* quòd quia ius naturale dicitur illud, quod eſt ſecundùm inclinationem naturæ, cùmque in homine, qui habet eſſe commune cum lapidibus, viuere cum plantis, ſentire cum animalibus, & intelligere cum Angelis, ſit inclinatio, qua appetit eſſe, viuere, ſentire, & intelligere; ideo inclinatio, qua appetit eſſe, dicitur ius naturale latiſſimum, & notiſſimum; inclinatio, qua appetit viuere, dicitur ius naturale minùs latum, & minùs notum; inclinatio, qua appetit filios gignere, educare &c. dicitur ius naturale magis reſtrictum reſpectu duplicis iuris iam dicti; & tandem inclinatio, qua appetit viuere ſecundùm rectam rationem in ſocietate, dicitur ius naturale magis reſtrictum; & differt à iure naturali animalium, tanquam ſpecificum à generico; & ſic dicendum de iure naturali animalium reſpectu iuris plantarum; & de hoc reſpectu iuris entium. Quodlibet tamen ex his iuribus eſt naturale, quia inclinatio ſequens quancunque formam eſt naturaliter inſita, & ideo eſt naturalis; ergo videtur, quod ius gentium non differat à iure naturali. *Pro cuius ſol.*

2 Not; quòd ius gentium dupliciter ſumi poteſt. 1. Latè, prout ſoli homines eo vtuntur eo modo, quo dictum eſt. 2. Propriè, prout eſt quædam conſtitutio, ſeu conuentio facta inter gentes; vt v.g. quòd legati non occidantur; quod pax ſeruetur &c. & in hoc ſenſu ius gentium contradiſtinguitur omnino à iure naturali, quomodocunque ſumatur; & eſt ius poſitiuum,

3 Vnica concl. Ius gentium ſtrictè ſumptum eſt ius poſitiuum contradiſtinctum à iure naturali naturaliter inſito.

Prob. 1. ex *l. omnes populi ff de iuſt. & iur;* vbi definitur ius gentium *eſſe illud, quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit;* ergo non eſt à natura, ſed ab hominum arbitrio; & ideo eſt ius poſitiuum contradiſtinctum à iure naturali. Item *c. ius gentium diſt.1.* dicitur, quòd ius gentium eſt *ſedium occupatio, ædificatio, bella, induciæ, captiuitates, ſeruitutes, religio non violandorum legatorum; prohibitio connubiorum inter alienigenas,* & cetera huiuſmodi, quæ non ſpectant ad ius naturæ; vt patet; ſed ad ius ſtatutum ab hominibus; natura enim non ſtatuit, vt aliquis homo ſit ſeruus, captiuus, miles &c. *Item c. ius autem ibid.* ius diuiditur in naturale, ciuile, & gentium; ſed omnis diuiſio eſt per membra contradiſtincta; ergo ius gentium differt à iure naturali, & ciuili. Tandem *Beatiſs. P. lib. 83. qq. q. 31.* diuidit ius in ius natura, conſuetudine, & lege; ſub lege autem, prout contradiſtinguitur à natura, & conſuetudine, collocat *pactum, pars legem, & iudicatum;* ſed pactum, & par ſeruari ſpectat ad ius gentium; nam ratio naturalis apud omnes gentes dictat illa eſſe ſeruanda; ergo ius gentium propriè ſumptum differt à iure naturæ. Deinde *tract. 6. in Io.* ait: *Iure tamen humano dicit. Hæc villa eſt mea, hæc domus eſt mea, hic ager meus eſt;* nam diuiſio rerum eſt etiam de iure gentium, vt dictum eſt *q.1. art.3. §.1. n.40,* ergo ius gentium eſt humanum, & ideo poſitiuum. Tum quia ius gentium eſt illud, quod à gentibus eſt poſitum; vt dicitur in eius definitione; ergo eſt ius poſitiuum, quod idem eſt, ac ius poſitum ab hominibus.

4 Ad rationem dubitandi dicitur, quòd illic eſt ſermo de iure gentium latè ſumpto; ſermo enim eſt de iure gentium, prout diſtinguitur à iure animalium, quod eſt ius impropriè ſumptũ; cùm animalibus non conueniat propriè ius; quia eorum actiones non ſunt laude, vel pœna dignæ; tum quia lædens animalia nullam eis iniuriam infert, & ideo eis propriè non conuenit ius; ergo ius gentium, prout diſtinguitur à iure animalium, non eſt ius gentium propriè ſumptum; quia omne ius propriè ſumptum, prout eſt regula dirigens actiones, vt iuſtè fiant, ſiue hæc regula ſit naturalis, ſiue poſitiua, diſtinguitur à iure animalium; & ideo ius gentium ſic ſumptũ eſt quid genericum ad omnia iura naturæ rationalis, prout rationalis eſt; ius autem ſic ſumptum patet non eſſe propriè, & differentialiter ius gentium, quod eſt vna ſpecies determinata iuris naturæ rationalis.

5 Obijc. 1. Quod colligitur ex principijs naturæ, ſpectat ad ius naturæ: vt præcepta *Decalogi,* quia colliguntur ex illo principio naturali: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris,* ſpectant ad ius naturæ, ſed ius gentium eſt huiuſmodi; in hoc enim differt ius gẽtium à iure ciuili; quòd illud eſt de his, quæ deriuantur ex lege naturæ, tanquam concluſiones ex principijs; iſtud verò eſt de his, quæ deriuantur per modum particularis determinationis; vt v.g. lex naturæ præcipit fures eſſe puniendos; ius autem ciuile præcipit eſſe puniendos tali morte; ergo ius gentium ſpectat ad ius naturæ. 2. Si ius gentium eſſet poſitiuum, poſſet abrogari; quia omne ius poſitiuum poteſt auctoritate Principis tolli; ſed conſ. eſt falſum, ergo & ant. 3. Ius gentium non eſt

latum

latum ab aliqua communitate; aliter neceſſe fuiſſet congregari omnes gentes ad illud ferendum.

Reſp. ad 1; quòd deduci ex principijs naturæ ſtat dupliciter. 1. neceſſariò per illationem neceſſariam; & in hoc ſenſu conc.ma; & neg.mi. 2.Solùm congruenter, & ſic neg.ma; & conc.mi. Ad 2.diſt. ma. Poſſet abrogari per vnum Principem, neg; non enim conſtitutum eſt per vnum tantùm, ſed per omnes gentes; per omnes Principes, & gentes, conc. Ad 3. dicitur ius gentium non fuiſſe latum ab omnibus gentibus ſimul vnitis, ſed per ſucceſſiuam acceptationem omnium gentium; quod ſufficit ad conſtitutionem legis.

A R T. VII.

De lege humana Eccleſiaſtica, & ciuili.

1 DE neceſſitate legis humanæ jam diximus *art.2*; & de illius conditionibus *ibid.* §.2. Supereſt, vt quæramus de eius poteſtate.

§. 1.

An lex humana poſſit in actus internos?

QVadruplex poteſt eſſe ſenſus huius difficultatis. 1. An lex poſſit præcipere actus merè internos? 2. An poſſit præcipere actus internos, qui ſunt cauſa per ſe actuum externorum; v.g. volitionem reſtitutionis? 3. An etiam illos, qui licèt non ſint cauſa actuum externorum, ſunt tamen conditio neceſſariò requiſita, vt debitè fiant; vt attentio in oratione; dolor in confeſſione; & intentio in collatione ſacramentorum? 4. An etiam illos, qui connectuntur ſolùm per accidens; vt motiuum pœnitentiæ cum ſtudio?

2 Prima ſententia vult legem humanam poſſe obligare ad actus internos omnibus his quatuor modis. *Ita Adrian. Quodl.8.art.1; Albertus Pighius lib.6.Eccleſiaſt.Hierarch.c.26; Summa Roſella v.hæreſis.* Quibus adhæret *quidam ex noſtris* dicens Prælatos Regulares, non Principes ſæculares, poſſe præcipere etiam actus purè internos.

3 Secunda vult legem humanam poſſe præcipere tantùm illos actus internos, qui ſunt cauſa actuum externorum, & exprimuntur per actus externos, tanquam per effectus; non autem eos, qui non exprimuntur, quamuis connectantur cũ illis. *Ita Vaſq.1.2. diſp.160. c.7; & ſeq; Sal. hic diſp.9. ſect.11 Amic. hic diſp.5. ſect.5; Martinon. diſp.29.tract.1; Coninch; Dur; Palud; Capr; Gabr; Sylueſter; & alij.*

4 Tertia vult non poſſe præcipere actus merè internos, & illos, qui nullam habent connexionem per ſe cum externis; ſed illos tantùm, qui per ſe coniunguntur cum externis, ſiue per illos manifeſtentur, ſiue non. *Ita Gonet.hic*, apud quem *Caiet; Sot; Suar; Val; Azor; Nauar; Layman; Leſs; Malder; Auerſ; Arriag; Bonac; Bec; Maſtr; Sal; Siluius, & alij*; & hanc dicit eſſe *communem Thomiſtarum.*

5 Noſtra tandem docet, quòd lex humana, ſi conſideretur quantùm ad intentionem legiſlatoris, poteſt obligare etiam ad actus purè internos; ſi verò quantùm ad punitionem, non poteſt. *Ita Fund. Doct. de Regim Princ. lib. 3. p.2. c.30.* docens; *Si conſideretur intentio Legiſlatoris, lege humana omnia peccata prohibentur, vel prohiberi debent; non enim habet rectam intentionem Rex, vel quilibet alius legiſlator, niſi intendat ſuos conciues facere, quàm virtuoſiores poteſt &c. Sed ſi conſideretur lex humana, non quantùm ad intentionem legiſlatoris, ſed quantùm ad punitionem, ſic dicitur non prohibere mentem, & animum eo, quòd talia delicta non puniat.* Sic poſſunt conciliari aliæ ſententiæ.

6 Vnica concl. Lex humana poteſt præcipere omnes actus internos per ſe connexos cum externis, ſiue ſint cauſæ illorum, ſiue concurrant ad illorum integritatem; illos verò, qui per accidens ſe habent ad actus externos, & ipſos actus purè internos poteſt prohibere, non quantùm ad punitionem, ſed quantùm ad intentionem.

Prob.1. *ex Beatiſs. P. ſerm. 7. ad Fratr. in Eremo* docente; quòd fratres debent obedire Prælatis *in oratione, & gratiarum actione, cultus exterioris exhibitione, & interioris mentis deuotione.* Quibus verbis expreſsè docet poſſe Prælatum præcipere nedum actus externos, ſed etiã internos; oratio enim, & deuotio mentis interioris ſunt actus interni.

7 Prob.ratione 1.pars concl. Eccleſia præcipit ordinatis in ſacris recitationem officij Diuini, quæ eſt actio externa, & attentionem, ac deuotionem, quæ eſt actus internus; vt habetur *c.dolentes extra de celebr. Miſſar. ex Innoc.III*, & ſic miniſtris Sacramentorum præcipit intentionem; ergo lex humana poteſt præcipere actus internos per ſe coniunctos cum actibus externis. 2. Actus internus notificatur per externum; ergo præcipi poteſt; nam in tantùm nemo poteſt iudicare de actibus externis, vt volunt *Aduerſarij*; in quantùm ſunt occulti; ergo quando notificantur per actus externos, poſſunt iudicari, & per conſequens præcipi. Prob.ant. Ex eo, quòd quis non audiat miſſam potens illam audire, notificatur, quòd non habuerit intentionem illam audiendi; & ex eo, quòd audiat miſſam loquens, & diſtractus ad alia, notificatur, quòd non habuerit attentionem, & deuotionem; ergo tam actus internus, qui per ſe eſt cauſa actus externi; quàm qui eſt neceſſariò coniunctus, tanquam faciens ad integritatem, & valorem actus externi notificari poteſt per actum externum. 3. Illi actus poſſunt præcipi per legem humanam, quorum defectus maximum malum inuehunt in ſocietatem humanam; ſed actus interni, qui ſunt

cauſa

cauſa per ſe actuum externorum, vel ſunt neceſſarij ad hoc, vt actus externi ſint validi, rati, & firmi, maximum malum inuehunt in ſocietatem humanam, ſi deficiant; vt patet in contractibus ſpiritualibus; defectus enim actus interni euertunt actus externos; vt defectus intentionis euertit vota Religionis, Sacramenta &c; ergo idem. 4. Poteſt lex humana præcipere actum virtutis obedientiæ, vt patet; nam actus omnium virtutum poſſunt præcipi; ſicut poſſunt prohiberi actus omnium vitiorum; hæc enim faciunt ad bonum publicum, quod eſt finis legis; ſed actus externus obedientiæ ſine actu interno non eſt actus virtutis, ſed vitij, eſt enim fictus, fraudulens, & malus, & ideo eſt actus vitij; non virtutis, qui eſt eſſentialiter bonus; ergo. 5. *c. ſignificaſti 2. de homicid.* declaratur irregularis leuiter percutiens, ſi habuerit animum occidendi, dummodò percuſſus intereat; *& in Clementin. c. Multorum de Hæreticis* excommunicantur Inquiſitores, qui odio, vel amore, aut ſpe lucri procedant contra *Hæreticos*; *& c. commiſſa de elect. in 6.* præcipitur, vt qui ſuſceperit aliquod beneficium abſque intentione ſuſcipiendi ordinem præsbiteratus, infra annum renunciet beneficium, & fructus perceptos reſtituat; ergo actus interni coniuncti cum externis vel vt cauſa, vel vt complementum, præcipiuntur per legem humanam.

8 Prob. 2. pars. Legislator debet habere intentionem reddendi ſubditos virtute præditos, quantùm poteſt; quia debet intendere bonum publicum, quod magis augetur, & firmatur ex eo, quòd ſubditi ſint virtutibus ornatiores; ſed actus virtutum poſſunt eſſe merè interni, præcipuè ſi virtutes ſint in intellectu, & voluntate; nam volitio conſtans tribuendi cuique, quod ſuum eſt, eſt actus iuſtitiæ, etiamſi externè non fiat reſtitutio; & propoſitum firmum honeſtè viuendi eſt actus iuſtitiæ legalis, & eſt merè internus; ergo Legislator quantùm ad intentionem poteſt præcipere actus internos. Tum quia lex humana poteſt præcipere actum obedientiæ; obedientia enim eſt virtus, quæ ſubditur legi humanæ, vt patet; ſed actus obedientiæ poteſt eſſe merè internus; quia obedientia eſt in voluntate; cùm ſit pars potentialis iuſtitiæ; tum quia obedientia eſt in Angelis, in quibus non ſunt potentiæ ſenſitiuæ; & ideo in ipſis neceſſariò eſt in voluntate; actus autem virtutis, quæ eſt in voluntate, poteſt eſſe merè internus; quia poteſt voluntas velle ipſum actum abſque eo, quòd præcipiat potentijs executiuis tranſeuntur agentibus, vt externè operentur eo, quia pro eo tunc non eſt occaſio ſic operandi; vt v. g. poteſt voluntas velle obedire Eccleſiæ præcipienti auditionem miſſæ; quamuis pro eo tunc nullus Sacerdos celebret miſſam; ergo idem. Tum quia lex humana poteſt præcipere nedum actus, qui proximè faciunt ad bonum publicum externum, ſed etiam illos, qui remotè concurrunt ad illud, vel tanquam cauſa, vel tanquam occaſio; quia lex debet cauere nedum à malo, ſed etiam à periculo mali; & ſic debet præcipere bonum, & cauſam etiam remotam, & occaſionem boni; aliter lex non eſſet prudenter lata, nec induceret bonum, & auerteret malum, quantùm poteſt; ſed actus purè interni ſunt cauſa remota, vel occaſio boni externi; nam qui habet intentionem merè internam furandi, ſi occurrat occaſio furandi, illa intentio furandi perſeuerans in mente mouet voluntatem, vt præcipiat potentijs externis, vt furetur; quapropter habens animum malè diſciplinatum eſt pronior ad malè operandum, & indiſpoſitus ad bene agendum; ſicut habens animum bene diſciplinatum eſt pronior ad bene agẽdum, & renitentior ad malè agendum; ergo idem. Tum quia ſi non poſſet illos prohibere, maximè quia nequit illos punire, cùm illos nequeat cognoſcere; ſed hoc non obſtat; quamuis enim nequeat cognoſcere, & ideo nec punire actus externos occultos; attamen illos prohibet; & ſi dicatur actus externos occultos poſſe manifeſtari; dicitur etiam internos poſſe manifeſtari per externos, ergo poteſt illos, ſicut iſtos prohibere. Tum quia religioſus trasfert ſuam voluntatem in voluntatem ſuperioris; ſed nullus diceret, quòd transferat ſolùm quantùm ad actus externos; aliter illam non transferret ſimpliciter; imò non transferret ipſam voluntatem, ſed ſolùm externas operationes; ergo actus interni poſſunt præcipi à lege humana.

9 Prob. 3. pars. Id tantùm cadere poteſt ſub præcepto quantùm ad punitionem, ad quod lex poteſt cogere, & quod poteſt vindicare pœnis condignis; ſed lex humana nequit cogere ad eliciendos actus purè internos, neque illos vindicare, quia nequeunt ab homine cognoſci; quapropter dicitur, quòd *Eccleſia non iudicat de internis*; *& c. Chriſtiana religio 32. q. 5. Non habere latentia peccata vindictam*; ergo nequit illos præcipere quantùm ad punitionem. Tum quia lex humana nequit præcipere quantùm ad punitionem, niſi illud poſſit cognoſcere, & probare. *l. Cogitationis ff. de pœnis*; *& c. cùm tuis*; *& c. tua nos de Simonia*; ſed actus merè interni manentes interni nequeunt cognoſci, & probari; nam ſoli Deo ſunt noti; vt dicitur. *1. Reg. c. 16. Homo videt ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor*; ergo nequeunt præcipi à lege quantùm ad punitionem.

10 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. Eccleſia, vt potè viſibilis, nequit præcipere, niſi actus viſibiles; ſed actus interni ſunt inuiſibiles; ergo Eccleſia nequit præcipere actus internos. 2. Eccleſia nequit punire actus internos; quia de internis non iudicat; ergo idem.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Nequit præcipere, niſi actus viſibiles, quantùm ad punitionem, conc; quantùm ad prohibitionem, neg. Ad 2. neg. conſ.

11 Inſt.

11 Inſt. 1. De ratione legis eſt cogere ad obſeruantiam illarum, & punire tranſgreſſionem; ſed lex humana nequit cogere ad actus internos, quia voluntas quoad illos nequit cogi, neque illos poteſt punire, quia nequit eos cognoſcere; ergo nequit illos præcipere.

Reſp. 1. diſt. ma. Tantùm, neg; etiam, conc; nam de ratione legis eſt etiam dirigere ad bonum publicum; quod poteſt fieri, etianſi non poſſit cogere, & punire, aliter non poſſet prohibere delicta occulta. Vel diſt. De ratione legis eſt cogere, & punire, vel per poteſtatem humanam, vel per Diuinam, conc; tantùm per humanam, neg. Quamuis ergo lex humana nequeat punire actus internos ſtatuẽdo aliquam pœnam infligendam per hominem; attamen illos poteſt punire ſtatuendo pœnam infligendam à Deo, vt cùm Summus Pontifex ponit pœnam indignationis Diuinæ, quæ tantùm à Deo infligitur.

12 Inſt. 2. Aliqui actus interni non connectuntur, cum actibus, vt motiuum pœnitentiæ cum ieiunio quadrageſimæ; ergo illos ſaltem nequit præcipere.

Reſp; quòd licèt non connectantur cum aliquibus actibus; attamen connectuntur cum alijs, quatenus addunt naturam pronam ad illos, vt dictum eſt.

§. 2.

An leges humanæ habeant vim obligandi ad culpam?

13 NOuiores Hæretici ſenſerunt leges humanas ſiue Eccleſiaſticas, ſiue ciuiles non habere vim obligandi in foro conſcientiæ. *Ita Vualdenſes, Vuicleff, Io. Hoſ; Caluin. 4. inſtit c. 15; & alij.* His accedit *Gerſon de Vita ſpirituali lect. 4. alphabeto 62.* dicens leges Eccleſiaſticas, quatenus latas ab homine habere ſolùm vim declarandi obligationem, quam Deus imponit; ſecundùm ſe ipſas autem nullam obligationem poſſe inuehere in forum conſcientiæ. Dat exemplum de medico, qui non habet poteſtatem obligandi ægrotum in conſcientia, ſed ſolùm declarandi id, ad quòd æger tenetur lege naturali, & Diuina. Tandem *Almain. de poteſt. Eccleſiaſt. q. 1. c. 12; & Vulp.* hoc docent de legibus ciuilibus, non de Eccleſiaſticis.

14 Vnica concl. Leges humanæ, Eccleſiaſticæ, & ciuiles habent vim obligandi nedum in foro fori, ſed etiam in foro conſcientiæ ad peccatum mortale in materia graui, & ad veniale in materia leui; quamuis poſſint obligare ſolùm ad pœnam, & mortificationem, non ad culpam, & damnationem. Eſt communis inter Catholicos. *Ita Fund. Doct. Quodl. 6. q. 21. D. Antonin; D. Tho; Sot; Caſtro, Bellarmin; Couarru; Bonac; Lezan; Vaſq; Sua; Maſtr; & alij communiter.*

Prob. 1. pars de legibus Eccleſiaſticis, quæ cenſetur eſſe de fide, *ex Scriptura*; nam *Matth. 18. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam Etnicus, & publicanus*; ſed nullus eſt Etnicus, & publicanus, niſi ſit reus damnationis æternæ, vt patet; ergo Eccleſia habet poteſtatem obligandi ad peccatum inducẽs damnationem æternam, quod eſt ſolùm peccatum mortale. Item *Luc. 10. Qui vos ſpernit, me ſpernit*; ſed qui ſpernit Deum in materia graui peccat mortaliter; ergo qui ſpernit iudices Eccleſiaſticos in materia graui peccat mortaliter; atqui tranſgrediens leges Eccleſiaſticas ſpernit legiſlatores Eccleſiaſticos; ergo peccat mortaliter. Item *Apoſt. 1. Cor. 10.* vbi poſtquã dixit: *Præcipio, non ego, ſed Dominus vxorem à viro non diſcedere*; ſubdit: *Nam ceteris ego dico, non Dominus: Si quis frater vxorem habet infidelem; & hæc conſentit habitare cum illo; non dimittat illam &c.* Quibus verbis apertè diſtinguit legem Diuinam, & humanam; & hanc habere vim obligandi in conſcientia manifeſtè declarat. Tandem hoc definitum fuit *à Leone X; & à Trident. ſeſſ. 7. c. 8.*

15 De legibus autẽ ciuilibus prob. *ex Rom. 13. Qui reſiſtit poteſtati, ordinationi Dei reſiſtit; & qui reſiſtunt, ſibi ipſi damnationem acquirunt*; quod nequit intelligi de ſola damnatione temporali, ſed etiam de æterna; ſtatim enim ſubjdit: *Non ſolùm propter iram, ſed propter conſcientiam*; & *1. Pet. 2. Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum; ſiue Regi, quaſi præcellenti; ſiue Ducibus, tanquam à Deo miſsis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei*; & *2. Pet. Nouit Dominus pios de tentatione eripere; iniquos verò in diem iudicij reſeruare cruciandos; magis autem eos, qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt audaces ſibi placentes*; & *ad Hebr. 13. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis*; & *Sap. 6. Audite Reges, quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis*; & *Mat. 22. Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.* Hinc *Beatiſs. P. ep. 50. ad Bonif. Quicunque legibus Imperatorum, quæ pro vei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande ſupplicium.*

16 Ratio autem ſic formatur. Illud habet vim obligandi in conſciẽtia ad culpam grauem, quod in materia graui eſt iuxta voluntatẽ Dei, rectam rationem, & iuſtitiam; ſed leges Eccleſiaſticæ, & ciuiles ſunt huiuſmodi; ergo habent vim obligandi in conſcientia ad culpam grauem. Ma. patet; nam tenemur ſub mortali ad id, quod in materia graui eſt præceptum à volũtate Dei, & à recta ratione, & à iuſtitia; ideoque operans contra hæc tria in materia graui grauiter peccat. Prob. mi. Voluntas Dei eſt, vt obediatur legibus humanis; quia leges humanæ deſcendunt à Dei voluntate; & ſunt iuxta dictamen rectæ rationis, & conformes iuſtitiæ; aliter non eſſent veræ leges, ſi iuſtæ non eſſent, & rationabiles; vt docet *Beatiſſ. P. lib. 1. de lib. arb. c. 5*; ergo leges Eccle-

Eccle-

ſiaſticæ, & ciuiles ſunt iuxta voluntatem Dei rationem, & iuſtitiam.

17 Conf. Illud, quod præcipit bonum publicum, habet vim obligandi in conſcientia; quia impediens, vel tollens bonum publicum peccat grauiſſimè; ideo Rex frangens pacem abſque iuſto motiuo, & ſolùm libidine occupandi aliena, dilatandi ſuum dominium, oſtentandique ſuam potentiam grauiter peccat; ſed leges Eccleſiaſticæ, & ciuiles ſunt huiuſmodi; omnis enim lex ordinatur ad bonum publicum, vt *ſup.* dictum eſt; ergo habent vim obligandi in conſcientia. Prob. ma. Impediens, vel tollens bonum perſonæ priuatæ in materia graui peccat mortaliter; ergo multò magis impediens, vel tollens bonum publicum, quod eſt maius bonum, quàm bonum priuatum; atqui non impedire, vel tollere bonum publicum præcipiunt leges humanæ; ergo habent vim obligandi in conſcientia ad culpam mortalem.

18 Præterea leges Eccleſiaſticæ obligant ſub pœna excommunicationis maioris, quæ nequit eſſe ſine peccato mortali; & ciuiles obligant ſub pœna mortis tẽporalis, quæ pariter nequit eſſe pęna peccati mortalis; nam pęna mortis eſt pœna grauis, quæ non debetur culpę leui, quæ veniam meretur, non damnationem æternam, aut temporalem; ergo habent vim obligandi ad culpam læthalem.

19 Tandem ſi leges humanæ haberent tantùm vim declaratiuam, non obligatiuam, maximè, quia deriuantur à lege æterna, vel naturali; ſed hoc non obſtat; nam etiam lex naturalis deriuatur à lege æterna, & tamen habet vim obligatiuam; ergo idem. Sic quamuis creaturæ deriuentur à primo agente; attamen habent propriam efficientiam; ergo quamuis leges humanę deriuentur à primo obligante; attamen habent propriam vim obligatiuam. Not. tamen ad obligationem ſub mortali vltra grauitatem materiæ requiri intentionem legiſlatoris, quidquid dicat in oppoſitum *Vaſq*; quia licèt ieiunium ſit materia grauis; attamen ſuperior poteſt obligare tantùm ſub veniali. Et quamuis non poſſit præcipere rem leuem ſub mortali, quia res leuis non eſt capax talis præcepti; vt dicemus; attamen rem grauem præcipere poteſt ſub veniali; quia poteſt agere remiſsè ſecundùm poteſtatem, quam habet.

20 Dices. Nequit votum obligare tantùm ſub veniali; ergo neque lex.

Reſp. neg. ant; quare enim non poteſt quis vouere ieiunia ſingulis diebus ſub pœna peccati venialis; & huic ſe voluntariè adſtringere? At ſi votum ſit abſolutũ, tunc intelligitur ſub mortali; quia præſumitur voluntas ſic ſe obligandi.

21 Prob. 2. pars concl. Lex æterna, & naturalis habent vim obligandi tantùm ſub veniali in materia leui, ergo à pari de legibus humanis, quæ ab illa deriuantur. Tum quia grauitas culpæ debet commenſurari cum grauitate materię, quia forma commẽſuratur cum capacitate ſubiecti; ergo tantùm materia grauis culpæ grauis eſt capax.

22 Prob. 3. pars, quæ eſt *cont. Sot; Syluest. & alios* aſſerentes nullam legem poſſe obligare ad pœnam, & non ad culpam; quia pœna neceſſariò ſupponit culpam; adeoq; Conſtitutiones noſtri ordinis, vt habetur *in Prologo*, & Conſtitutiones *S. Dominici apud Gonet;* non eſſe veras leges, vt dicunt *Bonac; & Maſtr;* ſed eſſe regulas, & directiones ad bonum, cuius carentia non eſt peccatum mortale, aut veniale, ſed eſt quædam imperfectio, & indecentia moralis, ob quam demeremur ſpeciales Dei fauores; vt ait *Arriag.* Prob; inquam; nam datur lex merè pœnalis; ergo poteſt dari ſola obligatio ad pœnam, non ad culpam. 2. Ordinatio ad bonum publicum coactiua eſt vera lex; ſed lex obligans ad pœnam tantùm eſt huiuſmodi, vt patet; ergo eſt vera lex.

23 Obijc. 1. Chriſtus nos redemit à lege, vt ſæpe docet *Apoſt*; ergo nulla datur lex humana nos obligans ad culpam. 2. Legiſlator inferior nequit inducere obligationem in foro legiſlatoris ſuperioris; ſed forum conſcientiæ eſt legiſlatoris ſuperioris, nempe Dei; ergo homo, qui eſt legiſlator inferior, quàm ſit Deus, nequit inducere obligationem in foro conſcientiæ. 3. Lex humana obligat, quatenus deſcendit à lege ſuperiori; ergo per ſe ipſam non habet vim obligandi.

Reſp. ad 1. *ex Beatiſſ. P. ep. 19; & in pſ. 1.* Apoſtolum docere Chriſtum nos redemiſſe à captiuitate legis, qua tenebamur per peccatum; ait enim: *Vt eos, qui ſub lege erant, redimeret;* & nos poſuiſſe in lege, quæ eſt libertas filiorum Dei; reddidit enim nos liberos à peccato, qui antea eramus ſerui peccati; & ideo ſub lege nos damnante; & conſtituit nos in lege nos viuificante per gratiam. Aliud eſt ergo eſſe ſub lege, aliud in lege. Ad 2. diſtin. Si legiſlator inferior agat ex voluntate ſuperioris, neg; ſi præter, aut contra voluntatẽ ſuperioris, conc. Ad 3. diſt. ant. Deſcendit à lege ſuperiori ita, vt ipſa non participet vim obligatiuam formaliter, ſed tantùm merè inſtrumẽtaliter ſe habeat, neg; ita, vt illam formaliter participet, conc.

24 Obijc. 1. Poteſtas ciuilis eſt merè temporalis; ergò nequit obligare ad culpam, quæ punitur pœna æterna. 2. Solus Deus poteſt infligere pœnam debitam peccato; ergo ſolus Deus poteſt obligare ad peccatum. 3. Legiſlator ciuilis nequit ſoluere à peccato; ergo nequit ad illud obligare.

Reſp. ad 1. quòd etiã lex Eccleſiaſtica eſt temporalis, & tamen obligat ad culpam; ita à pari. Diſt. ergo ant. Eſt temporalis reſpectu obiecti, circa quod verſatur, conc; reſpectu obligationis, quam induit, neg. Ad 2. neg. conſ. nam Deus poteſt concedere poteſtatem obligandi ad pęnam,

quam

quam ipſe ſolus poteſt infligere;ſicut poteſt concedere virtutem generatiuam homini, cuius animam ipſe ſolus poteſt creare; & tribuere Sacramentis virtutum inductiuam gratiæ, quam ipſe ſolus poteſt tribuere. Ad 3.neg.conſi ſicut enim vouens nequit ſoluere ſe à voto, ad quod poteſt ſe obligare; ita à pari. Nec eſt neceſſe, quòd legiſlator inferior poſſit infligere pœnam, & ſoluere culpam; ſed ſufficit, quòd poſſit ſuperior.

25 Quæres 1; an lex humana obliget cum vitæ diſpendio?

Reſp.negatiuè. Tum quia lex poſitiua Diuina non obligat cum vitæ diſpendio; hinc tempore Quadrageſimæ licet infirmis veſci cibis prohibitis; & *David*, ne fame periret, comedit panes propoſitionis laicis interdictos; *Machabæi* pugnauerunt; & Apoſtoli *Matt.12.* collegerunt ſpicas die Sabbati; & excuſatur integritas confeſſionis &c; ergo à fortiori dicendum de lege humana. In tantùm enim lex naturalis obligat cum vitæ diſpendio, quia prohibet malum,quod eſt eſſentialiter tale; lex autem humana prohibet aliquod, quod non eſt eſſentialiter malum, ſed ſolùm malum eſt, quando citra malum naturæ poteſt euitari; natura enim præualet omnibus.

26 Dices *cum Conet.* Tenetur quis exponere vitam pro ſalute reipublicæ; ergo lex humana obligat cum vitæ diſpendio. 2.*cum Caiet.* Homo tenetur potiùs mori, quàm fœdari; *& c. ſacris Innoc.III.* docet abſtinendum eſſe ab excommunicatis etiam cum periculo vitæ.

Reſp. ad 1. exponere vitam pro ſalute reipublicæ eſſe de lege naturæ, quæ præcipit meliora anteponenda eſſe deterioribus. Ad 2.dicitur in tali caſu non fœdari, quia non eſt peccatum. Ad 3. dicitur verum eſſe, cùm adeſt contemptus Eccleſiaſticæ poteſtatis; vel cum diſcrimine, idèſt dubietate,non autem cum profuſione vitæ; aliud eſt enim diſcrimen, & dubium vitæ; & aliud certa vitæ profuſio.

27 Quæres 2; quinam teneantur legibus?

Reſp. 1. Principes ſupremos teneri ſuis legibus quoad vim directiuam,non quoad punitiuam. Prob.1. pars *l. Digna vox C.de legib;* vbi dicitur: *Digna vox maieſtate regnantis eſt legibus alligatum ſe Principem profiteri*; *& l.Princeps ff. de legib; & c.iuſtum diſt.9.* Rationem affert *B.P. lib.3.Conf.c.8.* docens: *Turpis eſt omnis pars vniuerſo ſuo non congruens*; ex quo ſic. Omnis pars debet conformari ſuo toti, aliter in toto eſſet difformitas; ſed Princeps eſt pars,quia eſt caput, communitatis; ergo debet ſe conformare communitati; atqui ſi leges communitatis non ſeruaret, eſſet ab illa difformis; ergo tenetur ſeruare ſuas leges quoad vim directiuam. Tum quia Princeps eſt lex animata, ſicut lex eſt inanimatus Princeps; vt docet *Fund. Doct. lib. de Renunt.c.16; & de Regim. Princ;* ſed lex ſeruat directionem ſui; aliter deſtrueret ſe ipſam; ergo & Princeps. Tum quia exemplum Principis magis inducit ad obſeruantiam legis, quàm ipſa lex;ſed Princeps tenetur inducere ad obſeruantiam ſuarum legum; ergo tenetur illas ſeruare, vt exemplo ad illam inducat.

28 Sed petes:an hæc obligatio oriatur à ipſa lege condita ab ipſo Principe?

Reſp.1. negatiuè; quia ipſa lex,eſt inferior Principe; ideo nequit illum obligare; obligat enim ſolùm ſubditos. Oritur ergo à lege naturali; quæ docet omnia debere eſſe ordinata; vt docet *Beatiſs. P. lib.1. de lib. arb;* magna autem inordinatio eſſet, ſi Princeps non ſeruaret ſuas leges.

29 Prob.2. pars; nam *pſ.50. David* Deo dicebat: *Tibi ſoli peccaui*; ſuper quod *Gloſ.* ait Principem ſupremum non habere, à quo puniatur, niſi Deum. Tum quia nemo poteſt ſe ipſum punire,quia nemo poteſt ſe ipſum occidere. Diximus autem *Principem ſupremum*; quia ſi ſit Princeps ſubordinatus, poteſt puniri à Principe ſuperiori.

30 Reſp.2. Clericos non ſubdi legibus ſæcularibus quoad vim punitiuam,ſed tantùm quoad vim directiuam. Primum habetur *c.Decernimus* de iudicijs; *& c. S.Maria de conſtit; & c.ſaculares de foro competen.in 6.* Hinc non licet Principibus cogere clericos ad tributa;vt docet *Fund. Doct.in ep.ad Rom.c.13.lect.44.dub.1.* Ratio eſt; quia inordinatum eſt maiores ſubdi minoribus; ſed clerici ſunt ſuperiores laicis; ergo ergo illis non ſubduntur. Iſta autem exemptio eſt de iure Diuino; quia *Gen.47.* dicitur omnem terram ſubijci *Pharaoni excepta terra Sacerdotum.* Secundum prob.ex dictis; nam clerici ſunt partes, & membra communitatis; ergo tenentur illi ſe conformare. Idem dicendum de Regularibus reſpectu Epiſcoporum, quamuis enim ſint exemptis attamen ratione conformitatis tenentur ſeruare eorum ſynodus; vnde *Trid.ſeſs.25.c.12.* præcipit, vt Regulares ſeruent cenſuras, & interdicta nedum Summi Pontificis, ſed etiam Epiſcoporum; & dies feſtos in ſua Diœceſi præceptos ad Epſcopo.

31 Reſp. peregrinos teneri ſeruare leges illius territorij, in quo reperiuntur, non autem proprij territorij; quia auctoritas Principis non extenditur ad loca ſuæ iuriſdictionl non ſubiecta. *Bart.in l.1. C.de Summa Trin;& l.omnes populi ff.de iuſt;& iur;& c.2.de conſtitut. in 6;* & habetur ex illo adagio: *Si Roma fueris, Romano viuito more.* Nec officit, quòd peregrinus tranſiens per loca alieni Principis non fiat ſubditus illius; non officit, inquam; licèt enim non fiat ſubditus permanenter, fit tamen ſubditus tranſeunter.

§. 3.

De lege pœnali.

31 LEx pœnalis eſt illa, quæ aliquam imponit tranſgreſſoribus pœnam; & in hoc differt à lege merè præceptiua, quæ nullam imponit pœnam temporalem. Diuiditur lex pœnalis in merè priuatiuam, vt priuatio vocis actiuæ, & paſſiuæ, excommunicatio &c; & hæc dicitur conſiſtere in mera paſſione, quia reus non exercet aliquam actionem in executione talis pœnæ, ſed merè paſſiuè ſe habet; & in poſitiuam, quæ vel per actionem ipſius rei exercetur, vt ſolutio pecuniæ; vel per actionem miniſtri iuſtitiæ, vt flagellatio. Actio autem rei poteſt dupliciter ad pœnam concurrere. 1. per ſe; vt cùm per illam actionem formaliter infligitur pœna; v. g. cùm quis ſe ipſum flagellat. 2. merè per accidens, vt ſe monere ad carcerem, ad patibulum &c; ille enim motus merè per accidens coniungitur cum morte. Item pœna alia ſpiritualis, quæ priuat bonis animæ, vt excommunicatio; alia corporalis; & hæc duplex eſt; alia ciuilis realis, quæ priuat rebus corporalibus ciuilibus; vt ſunt pecuniæ, & alia fortunæ bona; & alia criminalis perſonalis, quæ priuat bonis naturalibus corporis; vt carcer, exilium, mutilatio, mors &c. Item pœna alia eſt, quæ *ipſo facto* incurritur; & dicitur etiam *ex nunc pro tunc*; ſeu *latæ ſententiæ*, ipſo iure, ante ſententiam, abſque aliqua alia declaratione, nulla monitione præmiſſa; & alia, quæ per iudicis ſententiã eſt ferenda. *Hoc ſupp.*

33 Quæritur 1; an reus teneatur ſubire pœnam ante ſententiam iudicis?

Reſp. 1. certum eſſe non teneri reum luere pœnam ferendam per iudicem ante ſententiam ipſius; in hoc enim differt pœna incurrenda per ſententiam iudicis à pœna ipſo facto incurrenda; quòd hæc ſtatim incurritur; illa verò poſt ſententiam iudicis. 2. Certum eſſe teneri in conſcientia ſubire pœnam iuſtè latam à lege ipſo facto incurrendam ante iudicis declarationem; ſi ad illius executionem nulla requiratur actio ipſius rei; vt excommunicatio, & aliæ cenſuræ, quæ ſunt latæ ſententiæ; & licèt *Sot.* hoc concedat tantùm de cenſuris, non autem de alijs pœnis paſſiuis priuatiuis; attamen eadem eſt ratio de omnibus; tum quia irregularitas, & priuatio beneficij Eccleſiaſtici ipſo facto incurruntur; & tamen non ſunt cenſuræ. 3. Certum eſſe pœnam mortis, vel mutilationis, aut vulneris lethalis non eſſe ſubeundam à reo, antequam infligatur à iudice; quia nemini licet ſe occidere, aut cum periculo mortis ſe vulnerare; nam *Io. 21.* dixit Dominus *Petro*: *Cùm ſenueris, alter cinget te, & ducet te, quo tu non vis &c. ſignificans, qua morte eſſet glorificaturus Deum.* Coactiuè tamen licet; quia coactus à iudice ſine peccato bibit venenum; tunc enim fit legis miniſter per imperium iudicis. Si autem non ſit coactus, ſed aliquo modo poſſit mortem effugere, eſt licitum; ſicut damnatus ad fame pereundum; ſi porrigatur ei panis, licitè poteſt comedere; quidquid dicat *Tamburinus*. 4. communiorem ſententiam eſſe pœnam etiam mitiorem, quæ requirit actionem rei per ſe infligiuam illius, non obligare ante iudicis ſententiam, ſed debere à iudice per ſuos miniſtros infligi. *Ita noſter Arag; Caiet; Ban; Afflict; & alij apud Suar. lib. 5. de legib. c. 5.* Eſt tamen *cont. Suar; Sal; Bonac; Maſtr; & alios.* Prob. ex *cod. Io. 21; & ex c. cùm ſecundùm leges de haretic. in 6; & c. vrgent. de hareticis*; vbi decernitur hæreticis pœna confiſcationis bonorum ipſo facto, quæ tamen non obligat ante iudicis ſententiam. Tum quia ideo Iudex non ſubditur legi quoad vim punitiuam, quia idem nequit punire ſe ipſum pœna ſimpliciter iudicatiua, vt *ſuperiùs* diximus; licèt poſſit punire ſe pœna purgatiua ſimul, & vindicatiua, tamen citra mortis periculum; vt patet in pœnitentibus voluntariè pœnam ſumentibus; ergo à pari. Tum quia pœna ſimpliciter vindicatiua eſt contra internum impetum voluntatis; aliter non eſſet pœna, ſed gaudium; quia non affligeret, ſed delectaret.

34 Dices. 1. In aliquibus Religionibus decernuntur aliquæ pœnæ voluntariè ſumendæ à tranſgreſſoribus. 2. Si pœna exercenda per aliquam actionem non obligaret ante iudicis ſententiam, ſequeretur fruſtra poni *ipſo facto incurrenda &c.* 3. Tenetur peccator pœnitentiam agere, antequam à Deo ſententia finali iudicetur; ergo à pari.

Reſp. ad 1. illas pœnas eſſe purgatiuas ſimul, & vindicatiuas, non ſimpliciter vindicatiuas; & ſic ad 3. Ad 2. neg; nam duplex eſt iudicis ſententia; alia declaratoria pœnæ incurrendæ per tale delictum; altera verò declaratoria ipſius delicti. Cùm igitur decernitur aliqua pœna *ipſo facto* incurrenda *abſque aliqua declaratione*, intelligitur de declaratione pœnæ, non autem de declaratione delicti; & ideo cùm ponitur *ipſo facto*, tunc debet declarari tantùm delictum, non pœna, quæ iam decreta, & declarata eſt. Itaque cùm quæritur, an reus debeat pœnam ſubire ante iudicis ſententiam, non intelligitur de ſententia declaratoria pœnæ; hoc enim manifeſtum eſt; quia nequit pœnam ſubire, quoties nulla pœna declarata eſt; ſed intelligitur de ſententia declaratoria delicti.

35 Quæres 2; an omnis lex pœnalis obliget etiam ad culpam?

Reſp. hoc eſſe controuerſum; nam *Val; & Nauar.* negant, niſi legiſlator id exprimat; quia omnis lex benignè interpretanda eſt in fauorem ſubditi. *Caſtro, Suar; Vaſq; & Merat.* hoc negant de lege purè pœnali, quæ contineat vnum tantùm præceptum disiunctiuum, ſcilicet; *Vel faciendum eſſe hoc, vel ſubeundam talem pœnam*; affirmant tamen de lege pœnali mixta, quæ continet

tinet duo præcepta, ſcilicet *faciendi actum præceptum determinatè; & ſubeundi talem pœnam, niſi fiat talis actus*. *Alij* verò docent ſemper obligare ad aliquam culpam; quia obligatio ad culpam eſt proprietas legis. *Ita Sot; Silueſt; Armilla, Bellarm; Genet; & alij*. Sed dicendum, quòd cùm lex diſiunctiuè obligat vel ad vnum, vel ad aliud; tunc faciendo vnum ex illis non peccatur, quia ſemper impletur lex; vt cùm præcipitur eleemoſina, vel voluntaria caſtigatio corporis; quando autem lex præcipit aliquem actum determinatè, & tranſgreſſoribus raxat pœnam; tunc peccatur, quia fit contra legem determinatè illum actum præcipientem; non enim tunc præcipit pœnam, ſed illam decernit in punitionem tranſgreſſionis præcepti.

36 Quæres 3; an reus teneatur ſubire pœnam poſt iudicis ſententiam?

Reſp. eodem modo, quo *ſup.* dictum eſt; de reo ante iudicis ſententiam declaratoriam delicti; quòd tenetur patienter pœnam pati, nec poteſt illi violenter reſiſtere; non tamen tenetur ſibi pœnam corporalem actiuè inferre, præcipuè capitalem; quanuis poſſit actiuè elicere actiones indifferentes, vt ire ad carcerem, ad patibulum &c; iſtæ enim actiones per accidens tantùm ſunt inflictiuæ ipſius pœnæ. De pœnis autem ſpectantibus ad res poſſeſſas poteſt reus illas actiuè exequi; ſeu vt loquuntur *Auctores*, poteſt illas pœnas exequi per actionem, quæ commodiùs exercetur à reo, vt ſolutio pecuniæ; non verò per actionem, quæ commodiùs exercetur à iudice, ſeu miniſtris ipſius iudicis; vt abſciſſio capitis, ſuſpenſio, mutilatio; vnde nequit morte damnatus ſponte ſibi laqueum imponere, ſed expectare, vt carniſex ei illum injiciat.

37 Diximus *violenter reſiſtere*; quia impedire pœnæ executionem per fugam, volunt *plerique* licitum eſſe; præcipuè quando eſt pœna mortis, vel etiam carceris perpetui, vt volunt *noſter Salon; Afflict; Dian; & alij*, quia carcer perpetuus comparatur morti vel ſeruituti perpetuæ. *l.2.ff.de lib.hom.exhib; & l.Seruitutem ff.de reg.iur;* ergo ſicut damnatus ad mortem, vel captus in bello iuſto poteſt fugere; ita à pari.

Quæres 4; an lex irritans ſit pœnalis?

Reſp. aliquando eſſe pœnalem, cùm eſt in pœnam alicuius culpæ; vt irritatio matrimonij propter vxoricidium; aliquando non eſſe pœnalem; cùm eſt in bonum perſonæ, vel reipublicæ; vt irritatio profeſſionis ante annum ſextum decimum.

§. 4.

De legum humanarum mutatione, & interpretatione.

38 Vid. quæ diximus *art.3.§.3.*

39 Leges humanas de facto mutatas fuiſſe, & iuſtè mutari docet *Beatiſs. P. lib.1. de lib. Mag. Frideric. Nic. Gauardi Tom.4. arb.c.6;* cuius ratio eſt. Homo, qui eſt legislator, eſt per eſſentiam mutabilis; ergo & lex lata ab homine. Tum quia homo eſt ſapientiæ finitæ; ideo nequit præuidere futura tempora, & mores; & per conſequens nequit condere leges aptas futuris temporibus, & moribus; ergo neceſſe eſt tunc leges mutari.

40 Tripliciter poteſt lex mutari. 1. Per diſpenſationem. 2. Per abrogationem. 3. Per ceſſationem legis eo, quia ſit lata ad tempus.

41 Diſpenſatio debet eſſe ob iuſtam cauſam; vt dicitur in eius definitione *vbiſ. ex Gloſ;* aliter cocatur *vulnus* legis, & eſt inualida. Item debet eſſe ab habente ius; hinc iudex, ſeu Prælatus inferior nequit diſpenſare leges iudicis, & Prælati ſuperioris; bene tamen è contra; ideo Summus Pontifex poteſt diſpenſare leges omnium Patriarcharum, & Epiſcoporum quacunque dignitate prædirorum; non tamen è contra.

42 Abrogatio legis debet eſſe in maiorem vtilitatem reipublicæ; aliter lex abrogari non debet. Abrogatio fieri poteſt ſolùm à legislatore, vel ab aliquo alio ſuperiori, non autem ab inferiori, vt diximus de diſpenſatione; & habetur *in Clement. Ne Romani*. Tripliciter autem poteſt abrogari. 1. Per expreſſam reuocationem Principis. 2. Per conſtitutionem nouæ legis contrariæ. 3. Per contrariam conſuetudinem, vel deſuetudinem.

43 Ceſſatio, ſeu deſitio legis eſt, cùm lex lata eſt ſolùm pro aliquo determinato tempore; quo elapſo lex ceſſat obligare.

44 Legis interpretatio, prout ſpectat ad præſens, triplex eſt; ſcilicet authentica, vſualis, & doctrinalis. *Ita Gloſ. in l. ſi de interpretat. ff. de legib;* nam vel interpretatio fit ab ipſo legislatore; & ſic eſt *authentica*; & habet vim legis. *l.vlt. C.de legib.* Vel fit vſu quodam, & conſuetudine; & ſic dicitur *vſualis*; hinc *c.cùm dilectus* conſuetudo dicitur *optima legum interpres*. Vel fit per doctrinam interpretum, & ſic dicitur *doctrinalis*. Item interpretatio legis habetur per epicheiam; quæ in aliquibus caſibus interpretatur mentem legislatoris.

ART. VIII.

De Conſuetudine, & Priuilegijs.

1 Quoad 1. ſuppoſita conſuetudinis definitione tradita *art.1;* dicimus conſuetudinem differre à lege, quòd inducitur moribus ſubditorum ſuppoſito ſolùm tacito conſenſu Principis. Differt autem ab vſu, & more, quia eſt effectus illius, cùm per vſum, & morem introducatur; & à foro, & ſtylo eo, quia forum dicit ſolùm id, quod eſt ſolitum iudicari in tribunali; ſtylus verò dicit modum, quo proceditur in iudicando; & tandem à præſcriptione, quòd conſuetudo requirit tacitum conſenſum Principis, contra quem inducitur; præſcriptio autem

non requirit conſenſum illius, contra quem præſcribitur. Sunt etiam aliæ differentiæ inter præſcriptionem, & conſuetudinem, ſed hæc vna ſufficiat.

2 Conſuetudo habet vim inſtituendi nouam legem, veterem abrogandi, & dubiam interpretandi.

3 Prob. *ex Beatiſs.P. ep.86;* & refertur *c. in his diſt. 11. In his rebus, in quibus nihil certi ſtatuit Diuina Scriptura, mos populi Dei, & inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt.* Ratio eſt. In populo eſt poteſtas condendi leges, maximè ſi intercedat tacitus conſenſus Principis; ſed lex condi poteſt nedum verbis, ſed etiam factis, & rebus; nam res, & facta ſignificant, quemadmodum verba, facta autem continuata ſunt conſuetudo; ergo conſuetudo poteſt introducere nouam legem; atqui noua lex poteſt veterem abrogare; ergo ſi conſuetudo poteſt nouam legem inducere, conſequenter poterit veterem abrogare. Sic habens vim condendi legē habet etiam vim illam interpretandi: nam qui poteſt malus, poteſt & minus; vnde *c.Cùm dilectis* conſuetudo dicitur *optima legum interpres.*

4 Ad conſuetudinem 1. exigitur, vt verſetur circa actus bonos; ſi enim habet vim legis, & lex tantùm circa bonum verſatur; idē dicendum eſt de conſuetudine. 2. Vt vniuerſaliter inducatur àb omnibus, non à paucis; ſicut enim pauci non habent poteſtatem inducēdi legem, ita nec conſuetudinem. 3. Vt inducatur tanquam aliquod ex neceſſitate, non ex deuotione, aut pio affectu obſeruandum; hinc conſuetudines deuotionis gratia inductæ non habet vim legis. 4. Vt accedat conſenſus Principis expreſſus, qui dicitur etiam legalis, cùm notificatur per legem; vel tacitus, qui dicitur etiam perſonalis, cùm etiam ipſe Princeps ſeruat eam conſuetudinem, vel illam permittit, & non vetat. 5. Vt talis mos obſeruetur determinato tempore; quod tempus cenſetur eſſe illud, quod aſſignauimus pro præſcriptionibus *q.1.art.3 §.1;* quod tamen intelligitur, ſi adſit ſolùm conſenſus Principis tacitus, & præſumptus; nam ſi adſit expreſſus, & legalis, tunc conſuetudo ſtatim obligat, habet enim veram rationem legis.

Quoad 2. diximus *vbiſ.* priuilegium eſſe *priuatam legem ſpeciale aliquod indulgentem*, & differt à lege, quia lex eſt ius commune; priuilegium verò ius ſpeciale, & à diſpenſatione, quia diſpenſatio eſt tantùm per ordinem ad vnum actum; priuilegium verò eſt ad omnes actus iterandos eiuſdem rei.

Diuiditur 1. priuilegium in reale, & perſonale. Primum eſt, quod conceditur rei, officio, & dignitati; vt v.g. Epiſcopatui, clericatui, &c; & ſemper durat extincta qualibet perſona. Secundùm eſt; quod conceditur perſonæ, & ceſſat mortua perſona.

Diuiditur 2. in priuilegium gratioſum, remuneratiuum, & conuentionale. Primum eſt, quod datur ſine meritis priuilegiati, & hoc eſt ſemper amouibile ad nutum Principis, quia qui facit legem, poteſt legem abrogare. Secundum eſt, quod datur in præmium, & mercedem meritorum priuilegiati, vel ſuorum maiorum; & hoc nequit iuſtè tolli à Principe; quia fundatur in iure naturæ, quod præcipit mercedem dandam eſſe meritis. Tertium eſt, quod datur aliquo pacto interueniente; & hoc pariter nequit tolli; quia iure naturæ tenetur etiam Princeps pacta ſeruare.

Diuiditur 3. in locale, quod conceditur tantùm alicui loco; & generale, quod vbique, & omnibus conceditur.

Diuiditur 4. in fauorabile, quod nulli affert incōmodum, vt veſci lacticinijs in quadrageſima; & odioſum, quod alteri præiudicium affert; vt habilitas ad recipienda plura beneficia. Tandem diuiditur in affirmatiuum, quod dat poteſtatem ad aliquid agendum; & negatiuum, quod dat poteſtatem ad aliquid omittendum.

De publicatione idem proportionaliter dicendum eſt, ac de publicatione legis, cùm inter leges numeretur.

Ceſſat 1. priuilegium iuxta cauſa, & titulo collatum, ſi ceſſat talis cauſa. *c. Tua de clericis non reſidentibus;* quia *remota cauſa remouetur effectus.* 2. Ceſſat morte ipſius priuilegiarij; in hoc enim differt à lege. *De reg.iur. in 6.reg.7;* tum quia ſequitur perſonam; non autem ceſſat mortuo concedente; quia tale priuilegium eſt quædam ſpecies donationis factæ priuilegiario ſua vita durante. 3. Ceſſat per renunciationem priuilegiarij acceptatam à concedente, tunc enim ſoluitur obligatio. 4. Ceſſat per non vſum, & per præſcriptionem longi temporis; ſi tamen fuerit priuilegium odioſum, quod eſt in grauamen alterius. *l. t. ff. de nundinis;* vbi dicitur priuilegium nundinarum decennio non vſum amitti; ſecus ſi ſit fauorabile, quia tunc nemo poteſt contra illud præſcribere. 5. Ceſſat priuilegium pur abuſum ipſius, cùm eo vtimur ad malè viuendum. *c.vbi diſt.34; c.priuilegium 11.q.3; c.licèt de regularib; & c. vt priuilegia de priuilegijs.* Secus verò ſi committat alia delicta non ſpectantia ad priuilegium. 6. Ceſſat per reuocationem; quæ poteſt eſſe expreſſa; & tacita, cùm iubetur actus oppoſitus priuilegio, nulla habita mentione priuilegij. Aſſerunt *Canoniſtæ* priuilegia in corpore iuris conceſſa reuocari non poſſe, niſi fiat expreſſa illorum mentio in particulari. Sed ſatis *cum Legiſtis*, redeamus *ad Theologos.*

DE GRATIA.

DIVINAE gratiæ excellentiam nec apprehendere, nec inficiari humana valet ſagacitas. Gloriæ conſors ineffabilitatis dotem participat; Diuinæ participium naturæ ignorantiam hominis declarat ſupinam. Et eo innegabilis, quo incomprehenſibilis; tantò enim maior eſt fides, quantò illius notitia ſecretior. At quamuis in ſe ipſa abſcondatur, manifeſtiſſimè tamen in ſuis publicatur effectibus. Etenim Diuinæ legis impletio ſolius partus eſt gratiæ; nam lex iubens at iubendo non prodeſt, ſed obeſt; transgreſſores enim præuaricationis efficit reos. Docet morbum, non ſanat; ſed animæ mortem ſuo promulgat edicto; niſi gratia iuſtificando reatus diſſoluat ſententiam; & medicinam præſtando mali malignitatem depellat. Naturam antiquo vulnere ſauciam fortiori ſanitati reſtituit; vires recentium ictu morborum infectas reficit; plagarumque recrudeſcentium virus detergit. Sedat paſſionum rebellium tumultus, & reparato virtutum vigore meritum donat operibus, condonatque demeritum. E ſeruili iniquitatis mancipio captiuos emancipans, ac Dei adoptans in filios Paterni iuris capaces cœleſtis Regni declarat hæredes. Diuinus imber, quo naturæ ſterilis ager concepto vitæ immorralis humore immarceſcibiles virtutum flores producit. Ros inoccidui Orientis puriſſimos aqueos noſtri cordis affectus inter mundanas has tempeſtates fluitantes in vniones conuertit cœleſtes. AEterni ſpiritus, qui ignis figuram præſetulit, innocens flamma comburens vitia, fouenſque virtutes, quæ terrenum hunc puluerem incendens ſuorum ignium vehementia tranſmittit ad ſydera. Excellentior Diuinitatis portio noſtram ſubleuat humilitatem, terramque vegetabilem carnis variato naturæ ordine Cœlo ſuperimponit. Culpæ inimica innocentiam ſibi inuiolabili fœdere iungit; amicitiæ vindex diſcordiam inter Deum, & homines dirimit. Abſq; gratia nullum eſt bonum, quoniam ipſa eſt omnis boni principiũ; nullum eſt meritum; ipſa enim eſt omnis meriti radix; nulla eſt dignitas actionis, & valor; ipſa namque dumtaxat dat operibus pretium. Vnicus Eccleſiæ theſaurus, quo animarum miſeria depellitur; ſine quo nulla creatura cuiuſcunque felicitatis eſt particeps. Donum omnium donorum, ſine quo omni anguſtia, & egeſtate concutimur. Immortalitatis teſſera, qua hęc noſtra redditur corruptio incorrupta. Spiritualitatis pondus, quo corpus æquatur ſpiritui; & quo homo, quamuis minor Angelis, maior efficitur. Nulla denique excelſior eſt animi dos, & Diuinæ magnificentiæ donum, quàm gratia, quæ ſuper naturæ faſtigium naturam ipſam attollens, intra ipſius Dei ordinem ipſam collocans omnis magnitudinis, & ſummitatis eſt ſumma.

Gratiam igitur, quam *contra Hebræos* legis oſtentatores *Paulus* Apoſtolus prædicauit acerrimè; & quam contra *Pelagianos*, eorumque ſequaces inuictiſſimè probauit *Auguſtinus*, qui propterea *ſecundus Paulus*, *& alterum vas electionis gratiæ Dei defenſor inuictus*, *& contra illius inimicos Imperator fortiſſimus* fuit dictus, explicare conabimur præmittentes, quòd quantùm gratiæ tribuemus, cuius totum eſt, quod eſt bonum; non ad deſtruendum, ſed firmandum erit liberum arbitrium; vt non in ſe ipſo ſine gratiæ adiutorio *per inania feratur, ſed in Domino*, cùm gratia munitur, *tanquam in petra ſtabili collocetur. Beatiſs. P. ep. 105. ad Sixt.*

Et quidem *Noſtra Schola* ſpeciali titulo *gratiæ propugnatrix* appellatur, cùm *Auguſtiniani*, vt potè *Auguſtini filij, ac diſcipuli*, referente *noſtro Cornelio Lancillotto in Vita B. P. Auguſtini lib. 2. c. 5*; *Gratiani, ſeu Religioſi de Gratia* fuerint antonomaſticè nuncupati. Poſt *Beatiſs. Patrem Proſper* impugnauit *Io. Caſſianum*, *D. Gelaſius Senecam in Piceno*, *deinde D. Fulgentius Fauſtum Regienſem*, *B. AEgid. Doct. Fund*; *Baſil. Magnus Legionenſis*, *& alij omnes* ſuccedentes eandem ſuſceptam ſolidiſſimè defenderunt; *& relati to. 2. de Scientia Dei q. 4. art. 1. §. 1.* Hinc & nos pro noſtra tenuitate inhærentes, ne degeneres *Patrum noſtrorum* videamur, cauſam ſuſcipiemus *gratiam pro gratia* accepturos ſperantes.

QVAEST. I.

De ſignificatione, & diuiſione gratiæ.

NOmen gratiæ multipliciter ſumitur, & iuxta multiplices ſenſus diuerſa ſignificat; ideo vt ſciatur, quomodò à nobis in præſenti ſumatur, agẽdum eſt de multiplici illius vſurpatione. Deinde quia gratia propriè ſumpta, vt accipitur *ab Apoſt.*, de ea enim tantùm *hic* loquimur in eo ſenſu, in quo illam ſumpſit *Apoſt.*, multipliciter diuiditur; idcircò vt diſtinctè procedamus, illius diuiſiones ſpecificæ tradendæ ſunt.

ART. I.

Quid ſignificetur nomine gratiæ?

1 NVllum aliud eſt nomen, quod magis ſit cõmune, & æquiuocum ſignificans plura diuerſæ ſpeciei, imò generis, & ordinis, quàm hoc nomen gratiæ, quod aliquando ſumitur pro ve-

venuſtate, & decore; vt *Prou.31. Fallax gratia, & vana eſt pulcritudo*; aliquando pro elegantia ſermonis; vt *pſ.44. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis*; aliquando pro amore; vt *Ruth.2. Vnde mihi hoc, vt inuenirem gratiam ante oculos tuos?* Aliquando pro miſericordia; vt *Eſth. 2. Habuitque gratiam, & miſericordiā*; aliquando pro gratitudine; vt *2.Reg.3. Ego reddam gratiam eo, quòd feciſtis verbum iſtum*; aliquando pro beneficio, & honore; vt *Eſt.15. Facies tua, Domine, plena gratiarum.* Cęterùm omiſſis his, & alijs huiuſmodi ſignificationibus, quibus gratia vſurpatur.

2 Tripliciter potiſſimùm (inquit *Fund. D. in 2. diſt.26. q.2. art.3. §. Reſpondeo, & diſt.28. q.1. art. 1. §. cùm ergo in fine*) ſumitur gratia Dei, de qua tantùm *hic* inquimur. 1. Sumitur generaliter pro quolibet dono ex mera liberalitate ipſius Dei deriuato in creaturas; & in hoc ſenſu etiam dona naturalia, imò & ipſum eſſe ſubſtantiale, quod creatura accepit à Deo, gratia eſt, vt docet *Beatiſs.P.ep.93; & de nat; & grat; c.10; & 11; & ep.105. ad Sixt.* dicens: *Non iſtam gratiam commendat Apoſtolus, qua creati ſumus, vt homines eſſemus; ſed qua iuſtificati ſumus, vt homines eſſemus, ſed qua iuſtificati ſumus, vt homines iuſti eſſemus*; *pſ.144.* ſuper illud: *Et iuſtitia tua exultabunt: Attendamus ergo gratiam Dei non ſolùm, qua fecit nos, verumetiam qua refecit.* Hinc *VI.Syn. act.11.* ait: *Angelos, & animas rationales immortales eſſe non natura, ſed gratia.* Rationem tradit *in præfat.pſ.31. prope finem* dicens; *Si gratia eſt, gratis datur*; quòd *ſæpiſſimè alibi* repetit; ex quo ſic. Gratia propriè dicitur ex eo, quod gratis datur; ſed etiam dona naturalia gratis dantur; ergo propriè ſunt gratia. Sed raro in hoc ſenſu vſurpatur gratia *in Scripturis*; antonomaſticè enim dicitur ſolùm de dono ſupernaturali, quo ordinamur in vitam æternam. 2. Sumitur minùs latè pro quolibet dono ſupernaturali nobis Diuinitus collato, ſiue ſit habituale, ſit actuale, ſiue internum, ſiue externum, quod tamen viribus naturæ conſequi non valemus; & in hoc ſenſu virtutes Theologicæ ſunt gratiæ; & ideo *Apoſt.Epheſ.2.* ait de Fide: *Gratia ſalui eſtis facti per fidem, & hoc non ex vobis; ſed Dei donū eſt; & Io.6. Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille. Vid. Beat.P.de Præd.SS.c.7; & 8*; quod oſtendit etiam alijs *Scripturæ* teſtimonijs *c.3; & ſeq.* Iſta autem dona ſupernaturalia, ſicut & naturalia nomen gratiæ ſortiūtur; quia à Deo nobis donantur nullis præcedentibus meritis; at ſupernaturalia potiori titulo gratiæ denominantur, quia ſunt ſupra exigentiam naturę, & omnino indebita; naturalia verò, licèt dentur nullis præcedentibus meritis; attamen debentur iuxta exigentiam naturæ; & ideo minùs habent rationem gratiæ, quàm dona ſupernaturalia; & in hoc ſenſu gratia ſumitur, prout contradiſtinguitur à natura. 3. Sumitur propriè, & ſtrictè pro gratia gratiam faciente; de qua *Hebr.12. Habemus gratiam, per quam ſeruiamus placentes Deo*; & *Epheſ. 1. Elegit nos ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati &c. ſecundùm placitum voluntatis ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto Filio ſuo, in quo habemus redemptionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum ſecundùm diuitias gratiæ eius*; ſuper quod *Beatiſs.P.de Præd. SS. c. 28. Ideo quippe tales futuri eramus* (idèſt *ſancti, & immaculati*) *quia elegit ipſe prædeſtinās, vt tales per gratiam eius eſſemus.* Quibus verbis explicat *cum Apoſtolo* gratiam *gratificantem*, ſeu gratum facientem, & ſanctificantem.

3 Verùm gratia gratum faciens dupliciter ſumi poteſt. 1. formaliter pro ipſa gratia ſanctificante, ſeu iuſtificante, quæ eſt forma ſupernaturalia recepta in animæ eſſentia ſanctificans, & iuſtificans ipſam animam, & ſic eſt gratia habitualis. 2. diſpoſitiuè, & efficienter, quatenus eſt aliquod diſponens efficienter ad ipſam gratiam ſanctificantem, ſeu iuſtificantem, & ſic eſt gratia actualis. In vtroque ſenſu agimus de gratia *in præſenti tractatu.*

4 Ex dictis collig. 1. nos *hic* non agere de gratia, prout eſt actus immanens voluntatis Diuinæ, quo diligens nos ſtatuit ab æterno nobis tribuere in tempore ſua dona ſiue increata, quæ ſunt perſonæ Filij, & Spiritus S. ad nos miſſæ, & datæ in tempore; ſiue creata, idèſt omnia dona ſupernaturalia; de iſtis enim ſatis actum eſt *to.2*; neque agere de gratia conſummata, quæ eſt gloria; hæc enim eſt potiùs *gratia pro gratia*; vt loquitur *Apoſt; & Beatiſs. P. de grat; & lib.arb. c.8; & 9; & de corr; & grat. c.13*; & de illa actum eſt *to.1. de Inuiſ; & to.3. de Beat.* Supereſt itaq; vt *hic* tantùm ſit ſermo de gratia, prout eſt adiutorium datum homini in tempore illum ſanctificans, vel diſponens ad ſanctitatem, qua poteſt conſequi gloriam.

5 Collig.2. nomine gratiæ non intelligi concurſum generalem, quo Deus concurrit ad omnem actionem creatam ſiue bonam, ſiue malam; quia gratia datur tantùm ad actionem bonam, nō ad malam, *quoniam*, vt docet *Beatiſs. P. lib. de corr; & grat. c. 11; liberum arbitrium ad malum ſibi ſufficit; ad bonum autem nihil eſt, niſi adiuuetur ab omnipotenti bono*; tum quia concurſus generalis eſt naturaliter debitus ſecundùm ordinē rerum inſtitutum à Diuina prouidentia; gratia autem ſecundùm iſtum ordinē eſt indebita. Tum quia concurſus generalis habetur ex beneficio creationis; gratia verò ex dono redemptionis; dicitur enim *Io. 1. Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Tum quia concurſus generalis conuenit etiam Dœmonibus; ſine ipſo nanque neque poſſent conſiſtere, neque operari; vt docet *Beatiſſ.P. lib.9. de Gen. ad lit. c.15. Si Deus ſubtrahat operationem intimam, qua eam ſubſtituit, & facit, continuè, tanquam extincta, nulla remanebit.*

6 Tandem vt gratiæ notio clariùs percipiatur,

tur, diſtinguendi ſunt varij ſtatus naturæ humanæ, cuius adiutorium diximus eſſe gratiam; vt licèt *Caiet. 1. 2. q. 109*; quem ſequuntur *Med. ibid. art. 1; & lib. 1. de nat; & grat. in princ*; quinque ſtatus aſſignet, ſcilicet ſtatum naturæ puræ; ſtatum naturæ integræ; ſtatum iuſtitiæ originalis; ſtatum gratiæ iuſtificantis; & ſtatum naturæ lapſæ; attamen dicendum *cum Mag. in 2. diſt 25; & cum Fund. Doct. ibid. q. 1. art. 6. ad 1.* tres tantùm in hac vita aſſignandos eſſe ſtatus hominis viatoris de facto (quidquid ſit de poſſibili.) Primus eſt ſtatus naturæ integræ, ſeu iuſtitiæ originalis; non enim homo fuit creatus in natura pura; quia fuit creatus rectus, & bonus; vt dicitur *Gen. 1; & Eccli. 10.* non eſt autem rectus, niſi per rectitudinem, quæ idem eſt, ac iuſtitia; neque potuit eſſe integer, idèſt cum perfecta ſubiectione appetitus ſenſitiui ad rationem ſine iuſtitia originali, quæ hanc ſubiectionem præſtabat; ideo primus ſtatus fuit iuſtitiæ originalis. Secundus eſt ſtatus naturæ lapſæ per peccatum o riginale, per quod ſpoliatus fuit iuſtitia originali, & appetitus ſenſitiuus rebellauit rationi. Tertius eſt ſtatus gratiæ Chriſti reparantis hominem à captiuitate peccati, reconciliantis ipſum cum Deo, & adiuuantis naturam ad debellandam concupiſcentiam, aliaſque tentationes, & ad vitandum malum, & agendum bonum; & de hac gratia, quæ competit huic tertio ſtatui, in præſenti diſſerimus.

A R T. II.

De diuiſione gratiæ.

1 Diuiditur 1. in internam, & externam. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 26. q. 2. art. 2. ex Beatiſs. P. Soliloq. c. 13; & 16; & lib. 50. hom. hom. 23*; vbi inducit Deum ſic loquentem de gratia protectionis externæ: *Vt adulterium non committeres, ſuaſor defuit; vt ſuaſor deeſſet, ego feci; locus, & tempus defuit; vt hæc deeſſent, ego feci. Agnoſce ergo gratiam*; & *lib. de grat. Chriſti c. 4.* in fine loquens de *Aſſuero* ſuper illud *Eſth. 15. Conuertit Deus, & tranſtulit indignationem eius in lenitatem* manifeſtè probat gratiam internam, & externam his verbis: *Legant ergo, & intelligant; intueantur, atque fateantur, non lege, atque doctrina inſonante forinſecus, ſed interna, atque occulta, mirabili, ac ineffabili poteſtate operari Deũ in cordibus hominum, non ſolùm veras reuelationes, ſed etiam bonas voluntates.* Gratia interna eſt qualitas formaliter intrinſecè nobis inhærẽs. Externa eſt illa, quæ tantùm extrinſecè operatur inducendo nos ad aliquem actum bonum; vt prædicatio legis, lectio *Scripturarum*, miracula, exempla Chriſti, & *SS*; & quæcunque occaſiones operandi bonum, & malum vitandi.

2 Diuiditur 2. in gratiam gratum facientem, & gratis datam. *Ita Fund. Doct. vbiſ. ex Beatiſs. P.*; qui gratiam gratum facientem docet *in omnibus libris cont. Pelagium, & Pelagianos*; vt videre eſt *de nat; & grat. præcipuè c. 4; & de grat. Chriſti c. 12; & ſeq*; & gratiam gratis datam explicat *lib. 13. Conf. c. 18.* Gratia gratum faciens eſt, *quæ nos iuſtificat, & reddit Deo gratos.* Gratia gratis data eſt, *quæ ordinatur ad ſalutem Eccleſiæ*, vt habet *Gloſ. in ep. ad Epheſ. 4., ex Beatiſſ. P. vbiſ; ſeu ad bonum publicum, aut ad bonum alterius*; vt prophetia, miracula &c; quæ licèt poſſunt etiam ordinari ad b num proprium ipſius prophetantis, & patrantis miraculum &c; hoc tamen eſt merè materialiter; quatenus etiam ipſe prophetans &c. continetur in vniuerſitate hominum, propter quem dantur gratiæ gratis datæ. Ratio autem huius diuiſionis *Fund. Doct.* eſt. Tot ſunt gratiæ, quot ſunt illa, quibus homo ordinatur ad ſalutem; ſed hæc ſunt gratiam gratum faciens, & gratia gratis data; quia per gratiam gratum facientem formaliter efficimur digni vita æterna; & per gratiam gratis datam efficienter ducimur ad eandem vitam æternam; quia prædicatio legis, miracula, orationes &c. ordinantur, vt conuertamur in Deum, in quo ſolùm eſt noſtra ſalus; ergo recta eſt hæc diuiſio. Gratia autem gratum faciens ſubdiuiditur in gratiam habitualem, & actualem, vt dictum eſt *in ſup. art.*

4 Dices. Etiam gratia gratum faciens eſt gratis data; datur enim abſque præcedentibus meritis; ergo non eſt bona diuiſio, quia membra diuidentia debent ſe inuicem excludere.

Reſp. *Fund. Doct.* ad 1. neg. conſ; non enim gratia *hìc* dicitur gratis data, quia eſt ſine meritis; hoc nanque conuenit etiam gratiæ gratum facienti; ſed quia tantùm gratis datur, non autem facit gratum Deo; nam conuenit etiam peccatoribus.

5 Gratia gratis data ſubdiuiditur adæquatè in nouem gratias enumeratas *ab Apoſt. 1. Cor. 12.* docente: *Diuiſiones gratiarum ſunt. Alij per Spiritum datur ſermo ſapientiæ; alij autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem ſpiritum, alteri fides in eodem Spiritu; alij gratia ſanitatum; alij operatio virtutum; alii prophetia; alii diſcretio ſpirituum; alii genera linguarum; alii interpretatio ſermonũ.* Prob. autem ſufficientia huius diuiſionis *ex B. P. lib. 13. Confeſſ. vbiſ.* ſic. Deus in principio temporis ornauit naturam corpoream ſole, luna, & ſtellis per ordinem ad bonum commune; ergo æquũ erat, vt ornaret naturam ſpiritalem nouem gratijs aſſignatis ad vtilitatem Eccleſiæ; & ideo alij datur ſermo ſapientiæ, tanquam luminare maius; quia ſapientia eſt cognitio veritatis per principium altiſſimum; ſicut ſol eſt oſtẽſio corporum in principio diei; alij datur ſermo ſcientiæ, tanquam luminare minus; quia ſicut luna præeſt corporibus, quæ mutationi ſubduntur; ita ſermo ſcientiæ continet omnia ſacramenta, quæ diuerſis variata ſũt temporibus; & ſic alijs dantur aliæ ſeptem gratiæ; ſicut dantur ſtellæ in ornamentum naturæ corporeæ, & hoc planetaribus

ſtellis

ſtellis faciliter poteſt adaptari computatis duobus ſyderibus, quæ ſolem,& lunam ſequuntur.

6 Sermo Sapientiæ eſt *locutio explicans myſteria fidei per cauſas altiſſimas*; ſermo ſcientię autem *per cauſas inferiores*, vt ſunt exempla, effectus &c. Dicitur autem *Sermo Sapientia,& ſcientia*, non autem *ſapientia, & ſcientia*; quia iſta ſunt dona Spiritus S. Fides eſt *firma fiducia, qua firmiſſimè creditur Deum patraturum miracula in confirmationem Euangelij*; Gratia ſanitatum eſt *donum miraculosè medendi corporibus in confirmationem fidei*. Operatio virtutum eſt *donum, quo patrantur opera miraculoſa manifeſtantia Diuinam omnipotentiam*. Prophetia eſt *intelligentia ſupernaturalis habita per Diuinam inſpirationem de rebus diſtantibus, & ignotis*; ex quibus deducitur prophetiam nedum eſſe de rebus futuris,ſed etiã præteritis,& præſentibus,dummodò ignotæ ſint; nam mater *Ioannis Luc.* 1. dicitur prophetaſſe, quando explicuit nomen *Ioannis*, qui tamen erat præſens; & Chriſtus Dominus prophetauit, cùm manifeſtauit *Samaritana* peccata præterita. An autem lumen propheticum ſit clarum,& euidẽs, iam diximus *to.1.q.2.proem.art.3.* eſſe obſcurum; eſt enim reuelatio obſcura; quia reuelatio clara myſteriorum fidei non habetur, niſi per lumen gloriæ, quod non habuerunt prophetæ, maximè cùm inter illos fuerint plures peccatores, vt *Balaam, Caiphas, & alij*; lumen autem gloriæ pugnat cum peccato; vt dictum eſt *to.3.de Beat.* Diſcretio ſpirituum eſt *donum diſcernendi inter inſpirationem bonam, & malam*; nam Sathan aliquando ſe transformat in Angelum lucis; quapropter 1. *Io.*4. dicitur: *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, an ex Deo ſint*. Gratia linguarum eſt *donum expeditè vtendi varijs linguis ad prædicandum Euangelium*, nam licèt quis naturaliter queat varias linguas addiſcere; attamen quòd ſine ſtudio ſtatim loquatur linguas extraneas eſt gratia Dei. Hoc autem poteſt eſſe dupliciter. 1. Quòd aliquis loquatur ſuo proprio idiomate, & intelligatur à gentibus diuerſi idiomatis. 2. Quòd loquatur etiam alieno idiomate. Tandem interpretatio ſermonum eſt *donum, quo verba vnius idiomatis fideliter vertuntur in verba alterius idiomatis; & quo myſteria ſignificata per aliqua verba explicantur per verba eiuſdem idiomatis*; interpretatio enim alia eſt verborum, alia rerum ſignificatarum per verba.

7 Obijc. *Suar; Vaſq; & Bellarm.* putantes hanc ſubdiuiſionem non eſſe adæquatam. Præter aſſignatas datur etiam caracter Sacerdotalis, iuriſdictio in foro interno, & aſſiſtentia ſpecialis Spiritus S; qua dirigitur, & gubernatur Eccleſia; ergo gratiæ gratis datæ non ſunt tantùm nouem.

Reſp. has eſſe miniſtrationes, quæ ſecundùm *Apoſt. vbiſ.* diſtinguuntur à gratijs gratis datis; ait enim: *Diuiſiones gratiarum ſunt; idem autem Spiritus; & diuiſiones miniſtrationum ſunt; idem autem Dominus*.

8 Diuiditur 3. gratia in operationem, & cooperatem. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 26. q. 2. art. 3. ex Beatiſs. P. de grat; & lib. arb. c.* 17; vbi loquens de Deo inquit: *Cooperando perficit, quod operando incipit; quoniam ipſe, vt velimus, operatur incipiens; qui volentibus cooperatur perficiens; propter quod ait Apoſtolus: Certus ſum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu. Vt ergo velimus, ſine nobis operatur; cùm autem volumus, & ſic volumus, vt faciamus, nobiſcum cooperatur. Tamen ſine illo vel operante, vt velimus, vel cooperante, cùm volumus; ad bona pietatis ſtudia nihil valemus. De operante illo, vt velimus, dictum eſt: Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle; de cooperante illo, cùm iam volumus, & volendo facimus: Scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Quibus verbis manifeſtè tradit hanc diuiſionem expreſsè haberi *in Scriptura*; eamque expreſsè ſtatuit *Arauſ. II. can.* 9. dicens: *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum, vt operemur, operatur.*

9 Quid autem intelligatur nomine gratiæ operantis, & cooperantis, manifeſtè colligitur *ex Apoſt., & Beatiſs. P. vbiſ., à Fund. Doct.*, nam ſi loquamur de gratia habituali, nomine gratiæ operantis intelligitur ipſa entitas gratiæ à Deo producta in eſſentia animæ; nomine verò gratiæ cooperantis intelligitur ipſa operatio, qua ſimul cum potentia elicit actum bonum. Si verò loquamur de gratia actuali, nomine gratiæ operantis intelligitur ipſum velle productum, & inſpiratum à Deo in cordibus noſtris; ait enim *Apoſt. operatur, & velle*; nomine verò grãtię cooperantis intelligitur factio operum virtutum, quod eſt perfectio, & complementum ipſius volitionis; hinc addit *idem Apoſt.*, *Et perficere pro bona voluntate*; & *Beatiſs. P. vbiſ.* diſtinguit ipſum velle à facere dicens: *Cùm autem volumus, & ſic volendo facimus &c.*, per *facere* autem nihil aliud intelligi poteſt, quàm opus virtutis, vt patet. Ratio eſt. Illa eſt gratia operans, quę eſt à ſolo Deo, non cooperante noſtra voluntate; illa verò, quæ cooperatur noſtræ actioni, eſt gratia cooperans, non operans; ſed gratia habitualis, & velle, vt qualitas eſt, infuſum à Deo in cordibus noſtris, vt huiuſmodi; ipſum autem opus virtutis eſt à gratia Dei, & à noſtra voluntate; ergo illa eſt gratia operans, hoc autem eſt à gratia cooperante. Alias explicationes gratiæ operantis, & cooperantis affert *Fund. D. vbiſ.*

10 Ex hoc habetur (inquit *Fund. Doct.*) concordantia *illarum duarum Scripturarum*; quæ videntur inter ſe contrariæ; quarum prima habetur *Thren. vlt. Conuerte nos, Domine, ad te, & conuertemur ad te*; altera habet, *Iac.* 1. *Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum; & conuertar ad vos*, ſenſus enim huius ſecundæ eſt: Conuertimini ad me per bonum velle iam vobis inſpi-

ratum;

ratum ; per quod iam conuerti vos ad me, ſicut ait prima ; & ego conuertar ad vos inſpirando maiores gratiæ vires ad agenda opera virtutum. Primum velle dicitur impetus factus à Deo in cordibus noſtris, quo pulſat, & mouet corda noſtra in ipſum iuxta *Apoc.* 1. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo.* Secundum velle eſt perfectum, & ideo tribuitur Deo, tanquam agenti principali.

11 Ex hoc euertitur explicatio *Gonet., & aliquorum aliorum Thomiſtarum* aſſerentium gratiam dici operantem ex eo, quòd applicet voluntatem; & cooperantem ex eo, quòd ſimul cum voluntate producat actionem. Euertitur, inquam ; nam pura applicatio ſupponit in agente virtutem ad agendum ; vt patet de applicatione ignis ad lignum ; gratia autem operans non ſupponit, ſed dat virtutem creaturæ ; ergo gratia operans non conſiſtit in mera applicatione.

12 Collig. eandem gratiam realiter poſſe eſſe ſimul operantem, & cooperantem ; quia idem actus amoris Dei, prout inſuſus, eſt gratia operans; & prout per ipſum voluntas tendit in Deũ, & in opera virtutum, eſt cooperans; hinc ait *Fund. Doct. vbiſ.* §. *Omnia* in fine : *Nec eſt inconueniens, quòd vnum, & idem ſit gratia operans reſpectu poſterioris, & cooperans reſpectu prioris.*

13 Dices. Gratia habitualis eſt in eſſentia animæ ; ſed ab eſſentia animæ nullum egreditur opus immediatè ; ergo gratia habitualis nequit dici operans, & cooperans.

Reſp. *Fund. Doct. ad* 1., quòd ſicut ab eſſentia non egreditur opus immediatè, ſed tantùm mediante potentia, & tamen eſſentia dicitur primum operans, *vt quod* ; ita à gratia habituali, quæ ſe habet, vt eſſentia in ordine ſupernaturali, licèt non poſſit egredi operatio immediatè; attamen dicitur primum operans, *vt quod*, in ordine ſupernaturali; & quatenus operatur ſimul cum potentia, dicitur cooperans.

14 Diuiditur 4. gratia in præuenientem, & ſubſequentem. *Ita Fund. Doct. vbiſ. art.* 4. *ex Beatiſ. P. in Enchir. c.* 32; vbi ſuper illud *pſ.* 58. *Miſericordia eius præueniet me*, ait : *Vtrumque legitur in ſacris eloquijs ; & miſericordia eius præueniet me; & miſericordia eius ſubſequetur me; nolentem præuenit, vt velit ; volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit.* Gratia præueniens eſt illa, *quæ antecedit omnem noſtram operationem* ; ſubſequens verò eſt illa, *quæ vel comitatur operationem, vel illam perficit.* Probat hoc *Fund. Doct.* à pari in naturalibus ſic. In naturalibus datur generatio præueniens nutritionem; & nutritio præueniens augmentationem ; & augmentatio præueniens perfectionem ; & ita perfectio ſubſequitur augmentationem ; & augmentatio nutritionem ; & nutritio generationem; ergo in ſupernaturalibus gratia, per quam generatur noua creatura, primò infunditur, & præuenit nutritionem per bona opera, quæ fit per gratiam ſubſequentem; & gratia nutriens præuenit gratiæ augmentum ; & augmentum præuenit gratiæ perfectionem.

15 Diuiditur 5. gratia in excitantem, & adiuuantem. Collig. *ex Fund. Doct. vbiſ. art.* 3; vbi ex illo *Apoc.* 1. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo*; probat dari impetus Diuinos excitantes hominem ad bona opera ; ſicut in natura datur Inclinatio, & inſtinctus naturalis ad opera naturalia. Hanc diuiſionem apertè docet *Beatiſ. P. lib.* 1. *de pecc. merit; & remiſſ.* docens : *Bonam, & piam voluntatem niſi Deo excitante, & adiuuante habere non poſſumus.* Idem habet *Trid. ſeſſ.* 6. *c.* 5. Excitans eſt illa, *qua hominem peccati, vel negligentiæ ſopore correptũ ſuſcitat ad agenda opera bona.* Adiuuans eſt, *qua confortat hominem ad agenda opera, ad quæ fuit excitatus.*

16 Diuiditur 6. in gratiam ſufficientem, & efficacem. *Ita Fund. Doct. in* 1. *diſt.* 46. *q.* 1. *art.* 1. *ex Beatiſ. P. de corr; & grat. c.* 11; *&* 12; *& ſæpiſſimè alibi.* Varias explicationes huius diuiſionis afferunt *Thomiſtæ, & PP. Soc; alijque his, & illis adhærentes* ; ſed nec ad mentem *Beatiſ. Patris*, vt arbitrantur, nec conformiter ad veritatem.

17 *Plures recentiores*, vt videre eſt *apud Gonet hîc diſp.* 3. *art.* 3. *n.* 25; aſſerunt gratiam ſufficientem eſſe illam, *quæ conſtituit voluntatem in actu primo ad conſentiendum* ; efficacem verò, *quæ facit, vt voluntas actu conſentiat.* Sed diuiſi ſunt; nam admittentes ſcientiam mediam dicunt Deum præuidere, quid factura ſit voluntas ſub talibus auxilijs, & videns, quòd ſit conſenſura ſtatuit ei dare gratiam efficacem ; negantes verò ſcientiam mediam volunt Deum ſtatuere abſolutè dare gratiam prædeterminantem ad actum bonum.

Sed hæc explicatio implicat in ſuis terminis; nam actus, vt qualitas eſt, eſt ille, qui conſtituit potentiam in actu primo potentem agere ; ſicut calor conſtituit ignem potentem calefacere; ſed conſenſus voluntatis eſt actus ipſius, non quidem, vt qualitas eſt, ſed vt actio eſt ; ergo implicat, quòd gratia ſufficiens conſtituat voluntatem in actu primo potentem velle ; & actu non velit ; quia voluntas per actum volitionis redditur actu volens, & ideo actu conſentiens. Tum quia ſicut calor, qui dat igni proximè poſſe agere, approximato proprio paſſiuo dat etiam actu agere ; ita gratia ſufficiens ſi conſtituit voluntatem in actu primo proximè potentem agere, præſentato obiecto dat etiam actu agere in illud, & nil aliud exigitur ad actu agendum.

18 *Alij* dicunt gratiam ſufficientem remotè diſponere voluntatem ad bene agendum, efficacem verò proximè. Sed etiam hic modus dicendi eadem ratione refellitur ; quia actus diſponit proximè ſuam potentiam. Tum quia ſequeretur, quòd habens ſola auxilia ſufficientia nullum actum moraliter bonum poſſet elicere; quod falſum eſt; quia non poſſet Deum cognoſcere, & cognitum amare ; quod nullus diceret ; ad hoc enim dantur auxilia ſufficientia.

19 *Alÿ* dicunt gratiam ſufficientem eſſe gratiam ſecundùm ſe conſideratam, vt eſt ſufficiens ad agendum; efficacem verò eſſe gratiam, prout coniunctam cum libero arbitrio actualiter agente. Sed hæc non eſſet diuiſio gratiæ ſecundùm ſe; ſed eſſet conſideratio gratiæ ſecundùm ſe, & prout cõiungitur cum libero arbitrio. Tum quia gratia efficax *ex Beatiſs.* P. euincit, & trahit arbitrium; vt habetur *ex Io.6. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* Tum quia Ezech.36. dicitur: *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini*, vel vt legunt *alÿ*: *& faciatis*. Super quod *Beatiſs.*P. *de Præd.SS.c.*11. ait: *Ideo enim hæc, & nobis præcipiuntur, & dona Dei eſſe monſtrantur; vt intelligatur, quod & nos ea faciamus; & Deus facit, vt illa faciamus; & c.* 16. *Certum eſt nos velle, cùm volumus; ſed ille facit, vt velimus bonum.* Et paulò poſt: *Certum eſt nos facere, cùm facimus, ſed ille facit, vt faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati; qui dicit: Faciam, vt in iuſtificationibus meis ambuletis &c.* Et *lib. de Grat; & lib.arb. c.*5. loquens de *D.Paulo* ait: *Vt autem de Cœlo vocaretur, & tam magna, & efficaciſſima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat ſola.*

20 Vera igitur explicatio huius diuiſionis traditur *à Beatiſſ.*P.*de corr; & grat.c.*12.docente: *Itemque ipſa adiutoria diſtinguenda ſunt. Aliud eſt adiutorium ſine quo aliquod non fit; & aliud eſt adiutorium, quo aliqaid fit. Nam ſine alimentis non poſſumus viuere; nec tamen cùm affuerint alimenta, eis fit, vt viuat, qui mori voluerit. Ergo adiutorium alimentorum eſt, ſine quo non fit, vt viuamus. At verò beatitudo, quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus, adiutorium eſt enim non ſolùm, ſine quo non fit, verumetiam quo fit, propter quod datur.* Igitur gratia ſufficiens eſt id, *ſine quo nequit viuere anima*; ſicut adiutorium ſufficiens ad viuendum eſt cibus; ſine quo nequit viuere corpus; id autem, ſine quo nequit viuere anima, ſunt operationes propriæ ipſius animæ, quæ ſunt intellectio, & volitio; quia vita in actu ſecundo conſiſtit in operatione; ergo gratia ſufficiens eſt actus intellectus, & voluntatis, quibus cognoſcimus, & amamus Deum, infuſi à Deo in cordibus noſtris. Nec tamen quoties habemus cognitionẽ, & amorem Dei, fit, vt mortẽ, idẽſt peccatũ, vitemus, ſi velimus mori, idẽſt ſi inclinemus ad peccatum; quia per illum actum amoris non eſt adeo inflammata, & accenſa voluntas, vt agitetur ad exercenda opera virtutum, quibus vincuntur peccata, quæ mortem animæ afferunt. At verò gratia efficax, ſeu adiutorium, *quo* fit, vt viuamus, eſt eadem volitio, ſeu dilectio Dei incendens voluntatem ad exercendos actus virtutum, ad ſuperanda omnia vitia, & omnia aduerſa, quibus trahimur ad peccandum; hoc enim fit, vt Deo viuamus; ex eo enim, quòd voluntas per amorem inſpiratum amet Deum, & non ſe diuertat ad malum; nam ſe diuertere eſt in eius poteſtate; Deus intendit, & perficit illum amorem, qui adeo fortificat voluntatem, vt non timeat, nec cedat tentationibus, ſed illas aggrediatur, & vincat; quia *perfecta charitas foras mittit timorem; vt dicitur* 1.*Io.*

2 Dices. *B.P.ibid.c.*11. diſtinguit actum voluntatis ab adiutorio ſine quo non; ait enim: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem* (idẽſt actum voluntatis) *in illa quippe eum fecerat rectum. Dederat & adiutorium, ſine quo in ea non poſſet permanere, ſi vellet.* Item *tom.* 3. *de Ang.q.*8. *art.*2. dictum fuit Angelos fuiſſe creatos cum amore caſto, & cum adiutorio *ſine quo non*; ergo gratia ſufficiens non eſt actus voluntatis, & intellectus.

Reſp. *B.Patrem in eodem c.* expreſsè declarare ſuam ſententiam; ait enim *ſuperiùs*: *Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam; ſed hac potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim, qua fit, vt habeat homo iuſtitiam, ſi velit; ſecunda ergo plus poteſt, qua etiam fit, vt velit, & tantùm velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntatem ſpiritus vincat.* Id autem, quo homo habet iuſtitiam, eſt actus voluntatis; nam ex eo, quòd velit legem ſeruare, fit habens iuſtitiam. Illa ergo coniunctio, *&*, importat duas tantùm formalitates, ſeu rationes formales, ſecundùm quas eſt actus voluntatis, & gratia Dei; non autem duas entitates diuerſas. Præter has tamen datur iuſtitia originalis, quæ erat in eſſentia animæ, cuius loco data eſt gratia Chriſti ſanctificans.

QVAEST. II.

De gratia actuali.

EXplicata natura, & ſpeciebus, in quas diuiditur gratia, ſequitur differendum de ipſis ſpeciebus in particulari; non quidem de omnibus, quia non omnes ſunt controuerſæ; ſed tantùm de aliquibus; quarum præcipuè ſunt gratia actualis, & habitualis. Quoniam autem ferè omnia reſoluta ſunt *to.*2.*in tractatibus de Scient, Volunt; &* Prędeſt; ideo *hìc* ea, quæ omiſimus, addemus.

A R T. I.

In quo conſiſtat gratia actualis?

1 TO. 2. *de Scient. Dei q.* 4. *art.*1. *tum ex Sacris Scripturis, tum ex Conc; tum ex* SS. PP; *nec non ex Scholaſticis*; hanc rem tractauimus. Vt meliùs explicentur, videndum, quænam fuerit ſententia *Pelagÿ, & Pelagianorum*; deinde *Semipelagianorum*, ac tandem *Caluiniſtarum, & Lutheranorum*.

§. 1.

Quid ſenſerint Pelagiani, *Semipelagiani*, *Caluiniſtæ, & Lutherani?*

2 QVanuis *aliqui hæreſis Pelagianæ* originem ab ipſius Orbis natalibus deriuent, vt obſeruat *noſter Noris lib. 1. hiſt. Pelag. c.1*; Angeli enim mali, & *Adam* peccauerunt putantes ſe poſſe obtinere per naturam, quod poterant eſſe per gratiam; & *D. Hier. epiſt. ad Ctiphont; & in proem. lib. 4. comm. in Hierem.* velit ortam fuiſſe *ex Zenone Stoicorum Principe*, qui docuit hominem ad optima quæcunque patranda ſibi ſufficere; vt habet *Cic. lib. 3. de nat. Deorũ*; & licèt *Iudæis* poſſit attribui putantibus nos iuſtificari per legem ſufficiente ad illam obſeruandam libero arbitrio; vt habet *Beatiſſ. P. ep. 95*; & *ex Iudæis* illam videtur hauſiſſe *Pelagius*, dum dixit non minùs ſaluari, qui legem veterem, quàm qui legem Chriſti obſeruat; propter quod illum improperat *Beatiſſ.* P; quòd dum negat Chriſti gratiam, tentet nos facere *Iudæos*. Inſuper quanuis axc eadem ſententia *à Simone Mago* defenſa fuerit *in diſputatione habita cum D. Petro*; vt refert S. *Clemens lib. 3. Recognitionum*; & illam ſecuti fuerint *Baſilides, Valentinus, & Marcio* aſſerentes hominem per vires naturæ poſſe credere, bene operari, & ſaluari; vt refert *D. Clem. Alexand. lib. 5. Strommat*; & tandem *Origenes* illam docuit; vnde *D. Hier. ep. ad Cteſiph.* alloquens *Pelagium* ait: *Doctrina tua Origenis ramuſculus eſt.* Et quidem *Pelagium* hauſiſſe ſuam ſententiam *ex Origene* non obſcurè tradit *D. Hier.* in calce *Dialogorum* vocans *Origenem amatium Pelagianorum*; quapropter *Origenes hydra omnium hæreſeon* dictus fuit *à Theophilo Alexandrino Antiſtite ſerm. 1. Paſch*; *& Magiſter omnium hæreticorum à Lerinen. c.23. commonit. Origenes* ergo docuit *Didymum Alexandrinum Principem Originiſtarum*; & hic docuit *Ruſinum*, qui *Grunius* nuncupatur *à D. Hier*; & fuit Magiſter *Pelagii, Cæleſtii*: Attamen *Pelagio* principaliter attribuitur; quia principaliùs ipſam defendit, & non ſemel damnatus illam pertinaciter retinuit.

3 *Pelagius* igitur ſenſit poſſe hominem ſine gratia bonum operari, vincere omnes tentationes, & adimplere omnia præcepta Dei ſolis naturæ viribus. Quos errores cùm audiiſſent *Eros, & Lazarus Epiſcopi Galli*, qui è ſuis Eccleſijs pulſi proficiſcebantur in Orientem Epiſcoporum Orientalium imploraturi ſuffragia, libellum *contra Pelagium* obtulerũt *Eulogio Paleſtinæ Primati*; quia ſtatim *Dioſpoli, ſeu Liddæ* coegit Synodum quatuordecim Epiſcoporum; à quibus vocatus *Pelagius* compulſus fuit fateri gratiam dari ad ſingulos actus, & gratiam non dari ſecundùm merita, & alia, quæ refert *Beatiſſ. P. lib. de Geſtis Pelagii*. Hanc tamen confeſſionem fuiſſe ſubdolam probauit euentus; nam vt ait *Beat. P. lib. de Grat. Chriſti c. 3*; vix diſſoluto *Concilio* *Pelagius* edidit *tres libros de libero arbitrio*, quorum facit mentionem epiſtola *Romam per Cæleſtium miſſa*; in quorum tertio tria diſtinguit, ſcilicet *poſſibilitatem, voluntatem* (idèſt volitionem) *& actionem*, idèſt opus externum. *Poſſibilitatem* dicit eſſe *potentiam*, qua homo poteſt eſſe iuſtus; *voluntatem* dicit eſſe *actionem*, qua vult eſſe iuſtus; & *actionum* dicit *operationem*, qua iuſtus eſt. *Poſſibilitatem* dixit eſſe à Deo, & nobis ineſſe, etiamſi nolimus; voluntatem verò, & actionem eſſe ſolùm à nobis; à Deo autem eſſe tantùm mediatè, & indirectè; quatenus ſcilicet Deus dedit nobis potentiam ad eficiendam actionem, & operationem. Gratiam ergo, quam confeſſus in *Concilio Dioſpolitano*, conſtituit in ipſo libero arbitrio, quod gratis accepimus à Deo, ac propterea voluit conſiſtere in aliquo dono naturali.

4 Verùm cùm agitaretur *à Catholicis* præſertim *à Beatiſſ. P*; ad patrocinium *Theodori Mopſueſteni in ſecunda Cilicia Epiſcopi* confugit ad illum tranſmittens *libros D. Hier*; *Theodorus* ſciẽtia tumidus, quinque libros ſcripſit *cont. D. Hier*; quorum doctrinam poſtea tranſcripſit *Iulianus* ſcribens *contra* Beatiſſ. *Patrem*. Cùm autem premeretur *Scripturis*, præſertim *ad Phil. 2. Deus eſt enim, qui operatur velle, & perficere*; vel vt *Græci* legunt; *& operari*; & *Apoſtolum* non commendaſſe gratiam, qua creati ſumus, ſed gratiam Chriſti, qua redempti ſumus; vt ait *in ep. 105. ad Sixtũ*; dixit *Pelagius* gratiam conſiſtere in lege, & doctrina, ac exemplo Chriſti, *& SS*; à quibus mouemur ad bene agendum. Hæc *ab Oroſio* narrata Beatiſſ. *Patri* fuerunt, & tranſmiſſa *ad Aurelium Primatem Carthaginenſem*, qui ſtatim *indicto Concilio ſexaginta, & octo Epiſcoporum* damnauit *Pelagium*, ſicut antea damnauerat *eius ſocium Eunuchum Cæleſtium*; & acta huius *Concilii* tranſmiſſa fuerunt confirmanda *Innocentio*. Interim aliud *Concilium in Vrbe Mileuis* coactũ fuit *ſub Siluano Numidiç Primate* præſidentibus *Beatiſſ. Patre, & S. Alipio*; & acta *huius Concilii* tranſmiſſa fuerunt *ad Innocentium Papam*, qui ſolemter damnauit *Pelagianos*. At *Pelagius* intellecta ſua damnatione *Roma* promulgata *Romam* miſit *Cæleſtium ad Zoſimum* (mortuus enim erat Innocentius) conquerens, quod *PP. Aphricani* ſententiam inaudito *Pelagio* tuliſſent. Quod cùm à *Summo Pontifice* reſcriptum fuiſſet, *PP. Aphricani* ſtatim aliud *Concilium Carthaginenſe generale* indixerunt; in quo detecta fraude, aſtu, & tergiuerſatione *verſutiſſimi hominis* iterum illum damnarunt; & acta tranſmiſerunt *Zoſimo*, qui per *Sixtum* tunc præsbiterum, qui poſtea fuit Pontifex, coram populo damnauit *Pelagium*, *eiuſque aſſeclas*. Has fuſo calamo tradit *Noris*.

5 *Gonet. diſp. 1. art. 3; & alij* putant *Pelagium* tandem admiſiſſe gratiã internę illuminationis, & inſpirationis vltra gratiam externam legis, doctrinæ, & exempli; vt colligunt *ex Beatiſs. P. de*

Grat, Chriſti c. 7; vbi ait *Pelagius* ; *Adiuuat nos Deus per reuelationem, & doctrinam , dum cordis noſtri oculos aperit , dum futura demonſtrat , dum Diaboli pandit inſidias,dum nos multiformi,& ineffabili dono gratię cœleſtis, illuminat;& c.*10.*Reuelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem,*

At *noſter Magnus Baſil.diſp.*1.*dub,*3;*& Noris vbiſ. c.* 15. veriùs putant *Pelagium* nunquam admiſiſſe veram gratiam internam, ſed variè ſimulato gratiæ vocabulo, ſubdoliſque explicationum tergiuerſationibus deluſiſſe Catholicos, Manifeſtè colligitur *ex Beatiſſ.P. in eod. c.*7. docente:*In his omnibus non receſſit à commendatione legis , & doctrina , hanc eſſe adiuuantem gratiam inculcans*; nam illam illuminationem , auerſionē voluntatis,cordis adaperitionem intellexit, quæ fit per legem, quæ facit, vt præcepta diſcamus , & ad illa accendamur , Concludit autem *Beatiſſ.* P; poſtquam recitauit prædicta verba allata *à Gonet* : *Hoc eſt ergo gratiam Dei ponere in lege , atque doctrina ,* Ex quo manifeſtè apparet *Pelagium* illis locutionibus , & tergiuerſationibus verborum nunquam admiſiſſe gratiam internā, ſed ſolam externam , ſcilicet legem , atque doctrinam.Quod conf,*ex c.*9; vbi ait *Beatiſſ.*P,*Quid enim iuuat Pelagium; quia diuerſis verbis eandem rem dicit,vt non intelligatur in lege, atque doctrina gratiam conſtituere* ?

6 Aduert, tamen , quòd *Pelagius* tantùm negauit gratiæ neceſſitatem , conceſſit tamen gratiæ poſſibilitatem; vt faciliùs impleremus per gratiam , quod poſſumus per naturam . *Ita Beatiſſ.*P, *de hæreſ.hær.*88; *& lib.*2.*cont.duas ep.* Pela*gianorum c.*8; *& de grat. Chriſti c.* 6; *& ep.* 105; 106; *&* 107,

7 An autem negauerit etiam gratiam habitualem. Reſpondent *Sua; Bece;& alii* affirmatiuè , *Alii* autem volunt eam conceſſiſſe; conceſſit enim gratiā *remiſſiuam peccatorum* , qua renaſcimur in meliorem hominem ; vt patet *ex eius ep, ad Demetriad,* Idem habet ſæpe *Iulian. in Suppl, oper. imperf.* Item an admiſerit concurſum Dei ſimultaneum , diſſentiunt *Auctores*. Cæterùm hunc , & gratiam habitualem certum eſt *Pelagium* expreſsè non negaſſe; nam fuiſſet confutatus *à Beatiſſ.* P, Tandem an *Pelagiani* poſt tot damnationes aliquando admiſerint gratiam internam; dicimus , quòd quanuis *Ianſenius lib.*6, *de hær, Pelag. c.*1; *& ſeq.* affirmatiuè reſpondeat *ex Beatiſſ.* P, *lib, de Grat,Chriſti c,*23: *& de Verb, Apoſt. ſerm,* 13; attamen *ex his locis* non colligitur , niſi quòd quandam gratiam admittebant , quam non explicabant, ſed callida occultatione tegebant conſtanter aſſerentes eam eſſe legem , & doctrinam, vt narrat Beatiſſ.P. *in lib.laud.* Hoc prob, nedum *ex lib. de hæreſib*; quem Beatiſſ. P. ſcripſit poſteriùs *ad librum cit. de Gratia Chriſti*; ſed à fortiori conuincitur *ex Suppl. oper. imperf. cont, Iul*; quod *teſtibus D. Poſsidio , & Mario Mercatore* compoſuit in vltima ſenectute; in hoc autem continuò redarguit *Iulianum* , tanquam gratiæ inimicum, & ſolius legis, & doctrinæ aſſertorem ; quod non egiſſet , ſi gratiam tandem aliquando confeſſus fuiſſet .

8 *Pelagianis* à toto Orbe damnatis ſurrexerunt *Semipelagiani*,qui licèt *Pelagii* doctrinam eiurarent , doctrinam tamen *Beatiſſ. Patris*, tanquam nimis rigidam, non accipiebant, dicebant enim *Beatiſſ. Patrem* nimio diſputandi ardore ſuccenſum in exceſſus periculoſos declinaſſe . Quæ præpoſitio quanuis *à S.Cæleſtino ep.ad Galliarum Epiſcopos c.* 3. damnata fuit his verbis : *Quia nonnulli , qui catholico nomine gloriantur , in damnatis autem hæreticorum ſenſibus , ſeu prauitate, ſiue imperitia demorantes,piiſſimis diſputatoribus obuiare præſumunt;& cùm Pelagium,atque Cæleſtium anathematizare non dubitent,Magiſtris tamen optimis,tanquam neceſſarium modum exceſſerint, obloquuntur*; attamen *ab aliquibus Scholaſticis,& DD,*non ſine euidenti animarum ſuarum præiudicicio adhuc aſſeritur.*Semipelagiani* igitur dixerunt , quòd quanuis gratia internæ illuminationis, & inſpirationis ſit neceſſaria ad piè,rectèque viuendum ; attamen voluerunt initium fidei poſſe eſſe ex viribus naturæ; quia poſſumus ſine gratia orare, petere, quærere,deſiderare, & ſperare fidem, & gratiam; habere ſcientiam boni, ſuperare tentationes etiam grauiſſimas, bona inchoare,non tamen perficere iuxta *Rom.*7.*Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio*; adeoq; gratiam aliquando præueniri ab arbitrio. *Ita Io. Caſſian.collat.*13. Addebant tamen opera noſtra præcedentia gratiam non eſſe digna merito, ſed aliqualia; & ideo non tollere,aut minuere veram rationem gratiæ;*Semipelagianorū Princeps in Gallia* fuit *Io. Caſſianus* , qui *libro Collationum* dicato *Honorato Lerinenſium Abbati Diſcipulo S, Capraſii* in illū Semipelagianiſmum deriuauit, & ex illo in illius diſcipulos *Maximum, S. Hil. Arelaten; Fauſtum Epiſcopum Reienſem, Lupum Trecenſem cum Vincentio fratre* , vt ait *Noris lib.* 2. *c.* 2, Contra iſtos ſtatim pugnarunt *D. Proſper , & alter Hil*; qui datis epiſtolis *ad Beatiſſ. Patrem*; ab eo receperunt *libros de Præd. SS; & de dono perſeuerantia*. In Aphricam autem primus inuexit hunc errorem *Vitalis Carthaginenſis*, ad quem ſcripſit *Beatiſſ.*P.epiſtolam 107. His adhæſit *Gennadius præsbiter Maſſilienſis*, qui propterea cæteros *Monachos Maſſilienſes* in eundem errorem induxiſſe perhibetur . Hunc errorem *Vaſq.* tribuit etiam *D. Io. Chriſoſt*; qui fuit Magiſter *Caſſiani* , vt vult *Gonet*; ſed validè vindicatur *à noſtro Magno Baſilio*; *à Sixt. Senen.lib.* 5.*annot.*171; *à Ferdināda Ep.Lucen.to.*1. *quæſt.*9. *in Chriſoſt*; *Sua;Aluar;& omnibus aliis Theologis*; nam *D. Chriſoſt. to.*1. *hom.de Adam, & Eua* docet : *Omnium bonorum affectuum, atque operum , quibus ab initio fide ad Deum tenditur, Deum profitemur Auctorem; & non dubitemus ab ipſius gra-*

tia

tia omnia hominis merita prouenire. *Gonet à Semipelagianiſmo* vindicat *S. Vincentium Lerinenſem*; ſed pluribus argumentis, quibus cootendit *Noris* haoc ſententiam tenuiſſe, non reſpondet; nec ex eo, quòd *S. Vincentius* arguat *Pelagium*, euincitur *Semipelagianum* non fuiſſe; quia *Semipelagiani Pelagium* eiurabant, vt *ſup.* dictum eſt. Ex eo autem, quòd *Cæleſtini* epiſtolam *contra Semipelagianos* veneratus ſit, euincitur ſolùm obſtinatum non fuiſſe. Sed quidquid ſit de hoc, certum eſt hos ſanctos, pios, & catholicos fuiſſe; quia tunc temporis hæc ſententia damnata non erat; nam poſt centum annos *in Conc. II. Araux.* tantùm fuit proſcripta; quod *Concilium* coactum fuit *ſub Felice IV. à Ceſario Arelaten.*; & approbatum *à Bonifacio II. teſtibus Holſtennio, & Syrmundo apud Noris lib. 2. c. 23.* Poſt quod totus Oriens, & Occidens diſſipatis vndique *Pelagianorum, ac Semipelagianorum* veſtigijs *SS. Fulgentij, & Caſarij opera in Beatiſſ. Patris* tranſijt doctrioam, quam totus Orbis confeſſus eſt; quod accidit *circa annum* 530.

9 *Caluiniſta tandem, & Lutherani* gratiam quidem confeſſi ſunt, ſed negarunt liberum arbitrium; & ſic effugicotes *Pelagium* inciderunt *in Manichæum*. Dixerunt itaque liberum arbitrium eſſe *titulum ſine re, vel rem de ſolo titulo*; quia per peccatum in homine iam extinctũ fuit. Sed hoc erat inter hos perduelles diſcrimen; quòd *Lutherus* ceoſuit arbitrium ad ſuos motus ſe habere merè paſſiuè; at *Caluinus* voluit ſe habere quidem actiuè, ſed ſpontaneè, non liberè; vt patet 3. *Inſtit. c. 5. §. 14.* Horum hæreſis damnata eſt *in Trid.*

§. 2.

Expeditur Articulus.

10 PRima ſeotentia vult gratiam actualem, quæ eſt initium bonorum operum, eſſe quandam qualitatem impreſſam animę, quę eſt principium cogitationum, & volitionum, quæ ſine deliberatione fiunt. *Ita aliqui Thomiſtæ apud Veg. lib. 6. in Trid c. 6*; quibus additur *Abul. in Matt. c. 19. q. 181*; ſed diuiſi ſunt; *alij* enim volunt eſſe qualitatem permaneorem, *alij* tranſeuntem; *alij* volunt eſſe qualitatem phyſicam per modum complentis potentiam, & conſtituẽtis illam in actu primo ad bene agendum; hanc tamen qualitatem eſſe poſteriorem actibus ſubitis, & indeliberatis intellectus, & voluntatis, quibus hæ duæ potentiæ mouentur in Deum.

11 Secunda vult conſiſtere in quadam motione per modum tranſeuntis, quam *nonnulli qualitatem intentionalem* vocant. Sed pariter diuiſi ſunt; *alii* namque volunt hanc motionem eſſe priorem actibus indeliberatis. *Ita Zum. 1. 2. diſp. 1. concl. 3; Penot. lib. 9. de Aux. c. 3. n. 7; & ſeq. Alii* verò volunt hanc motionem eſſe mediam inter actus iodeliberatos, & liberos. *Alii* tandem volunt eſſe applicationem actualem ipſius potentiæ ad agendum; vt *Gonet, & plures alii Thomiſtæ*.

12 Noſtra docet gratiam actualem formaliter cooſiſtere in actibus intellectus, & voluotatis, vt ſunt qoalitates phyſicæ infuſæ à Deo in intellectum, & voluntatem, quibus mediantibus poſtea intellectus cognoſcit, & voluntas amat Deum ſuper omnia. *Ita Fundat. Doct. loc. cit. de Scient. Dei q. 4. art. 1. §. 1. n. 4; & alii ibid. cit.* Quibus additur *noſter Baſil. Legion; & Gibb. hic diſp. 21. dub. 2*; apud quem *Arag; & ex Thomiſtis Conr. 1. 2. q. 110. art. 2. Ferr. 4. cont. Gent. c. 145; Sot. lib 1. de nat; & grat. c. 26; Med. 1. 2. q. 110. Io. Gonzal. 1. p. diſp. 48. ſect. 3. concl. 3; Ledeſma de Aux. q. 1; & alii.* Idem docent *Bellarm. lib. 1. de grat, & lib. arb. c. 2.* in priocipio; *& c. 11. Driedo lib. 2. de grat; & lib. arb. c. 2. & 3; Val. in contron. Fidei lib. de grat. c. 2; Camerar. in Dial. cont. Caluin. lib. 2. c. 1; & 2; Io. de Bononia pag. 70; & ſeq; Stapleton. lib. 4. de Iuſtific. c. 5; & 9. Caſtro aduerſus hereſes V. grat. her. 5; Azor. to. 1. inſt. mor. lib. 1. c. 20. q. 17; Turrian; Gran; Onied; Amic; Arriag. apud Gibb; Leſſ. de Aux. c. 2. n. 16; Peſant. q. 111. diſp. 1., Monteſin. in 1. 2. q. 109; Romaus, & alii.* Ex quibus, *& aliis cit. vbiſ.* patet hanc ſententiam eſſe communiſſimam inter Catholicos; quanuis non eodem modo explicetur ab omnibus; & conuenientiùs, aptiùs, & faciliùs explaoatur *à Fund. Doct*; vt diximus *loc. cit.*

13 Vnica concl. Gratia actualis, quam *Beatiſs. P., Concilia, ac alii* SS. PP. docuerunt *contra Pelagium*, formaliter conſiſtit in actibus intellectus, & voluntatis, quibus cognoſcimus, & diligimus Deum, nobis donatis, & infuſis à Deo in cordibus noſtris.

Prob. 1; nam *Beatiſſ. P. lib. de grat; & lib. arb. c. 18.* manifeſtè aſſerit totam diſputationis ſummam inter *Catholicos*, & *Pelagianos* fuiſſe, an actus charitatis Dei, & proximi ſit à nobis elicitus viribus naturæ; an verò ſit nobis gratis donatus à Deo: ait enim: *Vnde eſt in hominibus charitas Dei, & proximi, niſi ex ipſo Deo? Nam ſi non ex Deo, ſed ex hominibus, vicerunt Pelagiani. Si autem ex Deo, vicimus* Pelagianos. Nec poteſt dici, quòd loquatur de habitu charitatis, ſeu de principio elicitiuo actus charitatis; nam ſtatim probans charitatem eſſe ex Deo ex illo 1. *Io. 4. Dilectio ex Deo eſt*; ſubdit: *Non itaque ex nobis, ſed ex Deo eſt*; ergo loquitur de actu charitatis, non de principio elicitiuo illius. Nec poteſt inſuper dici; quòd *Pelagiani* negabant etiam principium illius actus eſſe à Deo; nam *vbiſ. c. 4.* expreſsè habetur, quòd *Pelagius* admittebat principium actus boni eſſe à Deo, quanuis vellet ipſum eſſe naturale; *Beatiſs.* P. autem voluit & principium, & actum eſſe à Deo, & vtrunque eſſe ſupernaturale. *Vid. vbiſ.*

14 Prob. 2. *Pelagius*, vt dictum eſt *n. 3*; admittebat poſſibilitatẽ, idèſt priocipium naturale eli-

elicitiuum volitionis, & operis virtutis eſſe à Deo, & negabat ſolùm volitionem, & opus virtutis eſſe à Deo; *Beatiſſ. P.* verò contendebat nedum poſſe agere,ſed etiam ipſam volitionem, & ipſa opera eſſe dona, & gratiam Dei;ait enim *de grat. & lib.arb. c. Si ergo Dei dona ſunt bona merita tua*,& *Semipelagiani* admittebant quidem actum dilectionis Dei,& actum fidei eſſe à Deo; at verò actus orationis, petitionis, & ſpei, vt potè imperfectos eſſe à nobis; cuius ſententiæ oppoſitum docuit *Beatiſſ.P.* & ſtatuit *Araux.II*; vt dictum eſt; ergo gratia actualis, quam ſtatuit Eccleſia *contra Pelagianos, & Semipelagianos*, conſiſtit formaliter in actu voluntatis.

15 Prob.3. *Beatiſſ. P. de præd. SS. c.11.* ait; *Ideo enim hæc & nobis præcipiuntur, & dona Dei eſſe monſtrantur; vt intelligatur, quod & nos ea facimus, & Deus facit, vt illa faciamus.* Ex quo ſic. Gratia actualis formaliter conſiſtit in eo, quod nobis præcipitur faciendum, & gratis à Deo nobis donatur; ſed id, quod nobis præcipitur faciendum, eſt actus, non principium illius; ergo gratia actualis formaliter conſiſtit in actu.

16 Prob.4. ex illo *Io. 6. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui me miſit, traxerit eum*; quod *Beatiſſ.P.de præd.SS.c.8.* explicat de gratia actuali, quam negabant *Pelagiani* dicens: *Ergo trahi à Patre ad Chriſtum, & audire, ac diſcere à Patre, vt veniat ad Chriſtum, nihil aliud eſt, quàm donum accipere à Patre, quo credat in Chriſtum*; ſed tractio fit per actum amoris; ait enim *Beatiſſ.P. tract.26.in Io. Amore, & delectatione* trahuntur homines;& *lib.1.Conf.c.1. Amor meus pondus meum;illuc feror,quocunque feror; & Conc. Araux. II. can.* 8; explicat eodem modo; ergo gratia actualis conſiſtit in actu voluntatis, & intellectus.

17 Prob.modò *ex Conc.1.Colonien.ſub Paulo III.in Enchir.* docet *gratiam præuenientem eſſe ſanctam cogitationem* (quę proculdubio eſt actus intellectus) *qua ad Deum reſpicere, & peccatum noſtrum agnoſcere incipimus. Mileuitanum can.5; Aphrican. can.79*; & habetur *c. Quiſquis de conſecr. diſt.4.* docet, quòd *ſcire, & diligere Deum*, donum Dei eſt, & traditur *à Beatiſſ.P. de grat. Chriſti c.26;& in ſuppl.cont.Iul.lib.1.c.95.Araux. II.can.25. Prorſus donum Dei eſt diligere Deum. Ipſe, vt diligeretur, dedit*; & paulò infra. *Sed ipſe nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem ſui priùs inſpirat; & can.4.* ſtatuit velle purgari à peccato infundi, & fieri à Spiritu S. in nobis; *& can.5.* dicit affectum fidei inſpirari; *& can.6.* credere, velle, deſiderare, laborare, vigilare, ſtudere, petere, quærere, & pulſare infundi, & inſpirari, ac fieri in nobis à Spiritu S. Vnde *totum hoc Concilium* hac re plenum eſt; *& Conc.Magunt. ſub Paulo III. §.Renocant* ait *bonos motus, & ad æterna ſollicitantes nobis immitti*; & *Trid. ſeſſ.6. c.5; & can.5.* docet gratiam excitantem, & adiuuantem eſſe *inſpirationem receptam, tactum cordis, illuminationem, motionem &c.* Ex quibus ſic. Motio, qua formaliter mouetur voluntas in Deum, eſt actus amoris, & dilectionis Dei; nam motus potentiæ eſt actus ipſius potentiæ, quo tendit in ſuum obiectum; ſed gratia, quam ſtatuunt *Concilia contra Pelagianos*, eſt motio voluntatis; ergo gratia formaliter conſiſtit in actu voluntatis; & quod dicimus de motione voluntatis,dicendum quoque eſt de illuminatione,quæ eſt motio, qua intellectus tendit, & mouetur in Deum. Hoc concludit etiam ratio *D.Th.2.2. q.9.art.3; & 4. Vid.de ſcient. Dei vbiſ.* auctoritates *aliarum SS. PP;& DD*; & rationes; quibus hanc ſententiam communiſſimam probauimus.

18 Reſp. *Aluar.* infuſionem dici tripliciter 1. Ita,vt infundatur in nobis ſine nobis; vt gratia infunditur paruulis in baptiſmo. 2. Vt nos diſponamus nos ipſos ad receptionem;vt infunditur habitus charitatis. 3. Vt nos efficaciter concurramus, & cooperemur infuſioni. *Concilia* autem loquuntur de infuſione ſolùm tertio modo.

Sed contra eſt; quia *Conciliũ Arauxicanum* manifeſtè loquitur de infuſione actus, qui eſt initium iuſtificationis; & de quocunque actu bono antecedente noſtram iuſtificationem, quem dicit à Deo infundi, & donari; hoc enim ſtatuit *contra Semipelagianos*; ergo loquitur de actu,qui infunditur, & cui non cooperamur; nam primo actui non cooperamur; aliter cooperaremur per naturæ vires, vt aſſerebant *Semipelagiani*; nam ſi cooperaremur per gratiam, iam ille actus non eſſet primus;quia ante illum daretur alius actus, ſcilicet gratia,per quam illi cooperaremur.

19 Inſt. 1. *Aluar.* Actus intellectus, & voluntatis mouetur ſolùm moraliter;& *Concilia* aſſerunt voluntatem moueri phyſicè à gratia;ergo gratia non conſiſtit in actibus intellectus, & voluntatis. 2. *Penot.* Si gratia, quæ eſt principium operis boni, eſſet ipſa actio vitalis intellectus,& voluntatis, ſequeretur hominem poſſe elicere actum bonum ſine gratia præueniente cum ſola gratia adiuuante, & cooperante; quia eliceret illum actum intellectus, & voluntatis, in quo dicimus conſiſtere gratiam abſque alia gratia prçuia; aliter daretur alius actus præuius intellectus, & voluntatis, & ſic in infinitum; ac proinde gratia præueniens ſolùm eſſet neceſſaria ad actus perfectos, & conſummatos,non ad imperfectos; ſed hoc eſt falſum; ergo & Id, vnde ſequitur.

Reſp. ad 1. neg.ma; nam quælibet potentia per ſuum actum phyſicè mouetur ad ſuum obiectum; imò nequit moueri formaliter,niſi per ſuũ actum, cùm actus ſit motus illius, & tendentia ad obiectum. Ad 2. iam dictum fuit *de Scientia vbiſ. n. 46.* Neg. igitur ſeq; nam ille actus, vt qualitas eſt,præcedit ſe ipſum, vt actio volunta-

tis

tis eſt; & vt præcedit, eſt gratia præueniens. Neque oportet, quòd gratia præueniens ſemper diſtinguatur à gratia cooperante; quia ſicut actio Dei eadem eſt realiter, ac actio creaturæ; & vt actio Deo, dicit prioritatem, quia Deus eſt cauſa prima; vt actio creaturæ, dicit poſterioritatem, quia creatura eſt cauſa ſecunda; ita gratia præueniens, quę explicat actionem Dei, poteſt eſſe eadem cum gratia cooperante, quæ importat etiam actionem creaturæ, cum ſolo reſpectu prioritatis, & poſterioritatis. *Vid. vbiſ.*

A R T. II.

In quo conſiſtat vis gratiæ actualis?

1 QVamuis *in ſup.q. n.17, & ſeq; & to.2. de Scient. Dei q. 4. art. 1. per totum* explicatum ſit, in quo conſiſtat vis gratiæ ſufficientis, & actualis; attamen *hic* breuiter diſſerendum eſt; vt maiori, qua poſſumus, claritate procedamus. Omiſſis autem *aliorum* ſententijs allatis *vbiſ.* noſtram ſolummodò proferemus.

2 Vnica concl. Vis, ſeu cauſalitas gratiæ efficacis ſita eſt in duobus, ſcilicet quòd trahat indeclinabiliter voluntatem in Deum, & roboret inſuperabiliter eandem voluntatem ad exercendos actus virtutum, tentationeſque vincendas; vis autem, ſeu cauſalitas gratiæ ſufficientis ſita eſt tantùm in vno, ſcilicet quòd trahat voluntatem in Deum, ſed vincibiliter. Hæc concl. explicata eſt, & probata *to.2. vbiſ.§.4.*

Prob.1.pars *ex Beat.P.de corr; & grat. c.11;* vbi loquens de adiutorio *quo*, ſeu de gratia efficaci, quæ data eſt nobis per Chriſtum Dominũ, ait: *Qua etiam fit, vt velit, & tantùm velit, tantoque ardore diligat; vt carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat.* Quibus verbis expreſsè docet hanc gratiam facere, vt homo velit, idèſt diligat Deum; & tanto ardore diligat, vt per ipſum roboretur voluntas ad vincendas carnis concupiſcientias, quæ ipſam à Dei amore conantur auertere. *Et c.12. ſeq. Tantùm quippe Spiritu S.accenditur voluntas eorum; vt ideo poſſint, quia ſic volunt; ideo ſic velint, quia Deus operatur, vt velint.* Deus ergo per ſuam gratiam trahit voluntatem in amorem Dei; & adeo illam inflammat, vt illam reddat potentem vincere omnia contraria. Et infra. *Subuentum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt Diuina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur; & ideo quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduerſitate aliqua vinceretur.* Et paulò inferiùs. *Vt ipſo donante inuictiſſimè, quod bonum eſt, vellent; & hoc deſerere inuictiſſimè nollent.* Gratiæ ergo beneficio fit, vt amemus Deum, qui bonus eſt; quo explicatur tractio voluntatis in Deum, & quòd nolimus inuictiſſimè deſerere hoc bonum; quamuis enim tentationes nos conentur abducere à Dei amore; attamen dono gratiæ fit, vt nolimus vinci; quo explicatur libertas voluntatis; liberè enim nolumus vinci, quamuis inuictè; nam quãuis tentationes nequeant nos vincere, poſſumus tamen voluntariè cedere; & ideo liberè nolumus vinci. Rationem affert ſuperiùs. *Adam* in tanta felicitate, ac non peccandi facilitate vrgente tentatione cecidit, quamuis eſſet arbitrio fortiſſimo dotatus, & gratia ſufficiente munitus; ergo multò magis homo lapſus per peccatum debilitatus inter tot grauiſſimas tentationes ſola gratia ſufficiente munitus cadet; ergo fuit neceſſaria gratia maior, qua firmaretur voluntas; *vt cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus ſuis vincatur hic mundus.*

3 Aliam rationem tradit *in Enchir; & lib.1. ad Simplic.q.2;* quæ ſic proponitur. Gratia efficax debet ſaluare omnipotentiam voluntatis Diuinæ, quæ nequit fruſtrari; iuxta illud: *Omnia, quæcunque voluit, fecit;* aliter Deus non poſſet ſaluare, quem vellet; & ſic eius voluntas non eſſet omnipotens, & debet ſaluare libertatem voluntatis humanæ, quæ per gratiam meretur, & meritum non eſt, niſi voluntarium, & liberum; ſed per trahere voluntatem indeclinabiliter in Deum explicatur omnipotentia voluntatis Diuinæ, & per roborare voluntatem inuictiſſimè contra tentationes, vt liberè poſſit, & nolit ab eis vinci; cùm tamen poſſit voluntariè ſuccumbere, ſaluatur libertas voluntatis humanæ; ergo per trahere voluntatem indeclinabiliter in Deum, & roborare inuictiſſimè contra tentationes optimè explicatur eſſentia, & vis gratiæ efficacis.

4 Dices. *Interiori gratię Dei poſſumus reſiſtere;* vt definitum eſt *contra Ianſenium;* ergo gratia efficax non trahit indeclinabiliter voluntatem in Deum, neque inuincibiliter fortificat contra tentationes.

Reſp. hoc arg. fuiſſe ſolutum *vbiſ.§.4:* vbi dicebatur, quòd habetur etiam *in Scriptura: Voluntati eius quis reſiſtet?* Dicitur ergo *cum Trid;* quòd poſſumus reſiſtere, quia poſſumus *illam abijcere;* non quòd tentatio nos vincat, ſed quia poſſumus voluntariè ſuccumbere; quod tamen non agemus, quia magis nos delectat voluntariè, & liberè manere in ea bonitate, in qua conſtituti ſumus per gratiam. *Vid.vbiſ.*

5 Prob.2.pars concl. *ex Beatiſs.P.de grat; & lib.arb.c.15.* in fine docente: *Per hanc* (idèſt gratia) *etiam fit, vt ipſa bona voluntas, quæ iam eſſe cœpit, augeatur; & tam magna fiat, vt poſſit implere Diuina mandata, quæ voluerit, cùm valde, perfectèque voluerit. Ad hoc enim valet, quod ſcriptum eſt* (Eccli 15.) *Si volueris, conſeruabis, mandata; vt homo, qui voluerit, & non potuerit nondum ſe plenè velle cognoſcat; & oret, vt habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda præcepta.* Idèſt. Gratia ſufficiens eſt illa, quæ ſufficit ad ſeruanda mandata Dei, in quantùm reddit voluntatem bonam, & potentem orare,

petere

petere, & quærere à Deo maiorem gratiam, ſed voluntas non eſt bona, niſi prout in Deum actu conuerſa; & prout indiget maiori auxilio, non eſt inuincibilis contra grauiores tentationes; ergo gratia ſufficiens trahit voluntatem in Deum, ſed vincibiliter, quia à tentationibus poteſt euinci.

6 Præterea *c. 17. Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt, iam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc paruam, & inualidam; poterit autem, cùm magnam habuerit, & robuſtam. Et c. 18. Cur ergo dictum eſt. Diligamus inuicem, quia dilectio ex Deo eſt (Io. 1.) niſi quia præcepto admonitum eſt liberum arbitrium; vt quæreret Dei donum, quod quidem ſine ſuo fructu prorſus admoneretur; niſi priùs acciperet aliquid dilectionis, vt addi ſibi quæreret, vnde quod iubebatur, impleret.* Ex quibus ſic 1. Gratia, qua quis vult facere mandata Dei, & non poteſt, eſt gratia ſufficiens, non efficax; quia per gratiam efficacem & poteſt, & vult; nam gratia efficax dat velle, & poſſe; ſed per velle facere mandatum Dei, voluntas actu trahitur, & tendit in Deum; & per non poſſe facere voluntas non habet vires requiſitas ad vincendas graues tentationes, quæ impediunt exercitium virtutum; ergo idem.

7 Inſuper *de corr. & grat. c. 11.* adiutorium *ſine quo non*, ſeu gratia ſufficiens vocatur voluntas bona, & recta, in qua Deus fecit hominem, quem fecit rectum; vt dicitur *Eccli. 10*; & ſine qua homo non poterat permanere in ea bonitate, in qua conditus erat; qua tamen non fiebat, vt permaneret; vt dicitur *c. 12. ſeq*; ſed voluntas bona, & recta eſt, qua tenditur in Deum, qui ſolus eſt obiectum omnis bonitatis, & rectitudinis; & voluntas, qua non fit, vt homo actu permaneat, relinquit voluntatem vincibilem à tentationibus, quæ conantur, ne homo permaneat in bonitate, ergo idem.

8 Tandem ſic dicendo oſtenditur gratiam ſufficientem non eſſe otioſam, habet enim ſuum effectum, quia facit voluntatem tendere in Deū, in quo conuenit cum gratia efficaci; ſufficit ad ſalutem, quia licèt non det actu vires ad ſuperandas omnes tentationes præſertim graues, dat tamen poſſe orare Deum, vt nobis donet vires maiores, quibus poſſumus omnem tentationem vincere; & ideo ſufficit ad ſalutem, non quia gratia efficax non requiratur ad ſalutem, ſed quia bene vtendo gratia ſufficiente, ſcilicet per ipſam orando Deum, vt nobis det gratiam efficacem, poſſumus conſequi efficacem, qua ſalutem efficaciter obtineamus. In hoc ſenſu verum eſt gratiam ſufficientem eſſe principium remotum ſalutis, efficacem autem proximum; & dare tantùm poſſe, non actu velle; attamen reſpectu amoris Dei, & volitionis rectæ terminatę ad Deum eſt principium proximum dans ipſum velle, vnde duplex velle eſt diſtinguendum; ſcilicet velle, quod eſt amor Dei tantùm, ſed remiſſus, quia non roborat voluntatem ad vincendas omnes tentationes etiam grauiſſimas, & hoc habetur per gratiam ſufficientem; aliud, quod eſt amor Dei intenſus, qui roborat voluntatem ad vincendas quaſcunque tentationes; & hoc habetur per gratiam efficacem.

9 Quæres 1; an actus indeliberati, in quibus diximus conſiſtere gratiam actualem, diſtinguantur ab actibus liberis, & deliberatis elicitis à noſtra voluntate?

Reſp. negatiuè. *Ita Fund. Doct. locis cit. to. 2. de Scientia Dei q. 4. art. 1. §. 1; 3; & 4;* vbi ait, quòd idem actus poteſt conſiderari, vt qualitas eſt; & ſic eſt actus indeliberatus, quia ad illum voluntas merè paſſiuè ſe habet illum recipiendo, non autem actiuè illum producendo; & vt actio eſt; & ſic eſt liber, & deliberatè elicitus à voluntate. Sicuti enim eadem res ſecundùm prædicata eſſentialia eſt neceſſaria, & ſecundùm prædicata exiſtentialia, & indiuidualia eſt contingens; ita idem actus ſecundùm diuerſas rationes eſt liber, & neceſſarius.

10 Obijc. *noſter Baſil*; qui licèt concedat eundem actum intellectus eſſe poſſe ſimul liberum, et neceſſarium, id tamen negat de actu voluntatis. 1. Libertas actus eſt quid intrinſecum, & indiſtinctum ab ipſa natura actus humani; ergo actus liber nequit eſſe idem, ac neceſſarius, libertas enim, & neceſſitas ſunt duæ rationes oppoſitæ, quæ nequeunt eidem entitati actus conuenire. 2. Actus, vt indeliberatus, eſt gratia actualis, quę nequit eſſe idem cum actu libero; quia gratia actualis eſt initium conſenſus liberi; vt docent *SS. PP. & Conc. cont. Pelag.* initium autem, principium, ſeu cauſa nequit eſſe idem cum ſuo effectu; aliter idem cauſaret ſe ipſum; ergo actus indeliberatus diſtinguitur realiter ab actu libero.

Reſp. ad 1. neg. conſ. Ad prob. infert. diſt. Libertas, & neceſſitas ſunt duæ rationes oppoſitæ, quæ nequeunt conuenire eidem entitati ſecundùm eandem rationem, conc. ſecundùm diuerſam rationem, neg; non enim minùs oppoſitæ ſunt neceſſitas, & contingentia, quæ tamen ſecundùm diuerſas rationes conueniunt eidem rei, vt dictum eſt. Ad 2. neg. mi. Ad prob. dicitur, quòd gratia eſt principium formale actus volitionis, quo tendimus in Deum per ipſam; & principium effectiuum aliorum actuum externorum; principium autem formale non diſtinguitur realiter ab effectu formali intrinſeco, vt eſt in caſu, vt patet de albedine, & eſſe albo iuxta communem Philoſophiam; principium verò effectiuum realiter diſtinguitur ab effectu; quia principium effectiuum verè habet producere effectum; & ideo diſtinguitur ab illo; quia idem nequit producere ſe ipſum; at verò principium, ſeu cauſa formalis eſt tantùm ratio, cur ſit effectus, non verò illum producit per veram efficientiam, vt patet de albedine, ideo poteſt eſſe indiſtincta ab effectu.

11 Quæ-

12 Quæres 2; an iſti actus, prout indeliberati, effectiuè producantur ab ipſis potentijs?

Reſp. negatiuè; quia ſecundùm hanc rationem producuntur à ſolo Deo; ſunt enim dona Dei, et voluntas reſpectu illorum, vt ſunt qualitates informantes potentiam, merè paſſiuè ſe habet; quanuis poſtea per illos iam receptos actiuè tendat in Deum.

Dices. Actus iſti indeliberati ſunt vitales, licèt non ſint liberi; ergo neceſſariò eliciuntur à potentijs; de ratione nanque actus vitalis eſt oriri à potentia, cuius eſt actus.

Reſp. diſt. ant. Actus indeliberati ſunt vitales, prout infuſi, neg; prout eliciti, conc.

13 Quæres 3; an iſti actus intellectus, & voluntatis ſint entitatiuè ſupernaturales?

Reſp; quòd ſi loquamur de actu cognitionis Dei, & actu amoris Dei ſuper omnia, ſunt ſemper ſupernaturales ſecundùm entitatem. Si autem loquamur de actibus virtutum moralium, ſunt naturales ſecundùm entitatem, & ſupernaturales ſecundùm ordinationem. Eſt *cont. Scotiſtas, & noſtrum Baſil. diſp. 3. dub. 1*; apud quem *Capr. in 2. diſt. 29. q. 1. art. 1; Hiſpal. diſt. 28. q. 7. art. 3; Marſil. in 1. q. 20. art. 3; Ban. 1. p. q. 23. art. 5; Aluar. de aux. diſp. 75; Bellarm. lib. 5. de grat; & lib. arb. c. 7; Vaſq. 1. p. diſp. 88. c. 2; & diſp. 91. c. 14; & 1. 2. diſp. 189. c. 6; Suar. lib. 4. de præd. c. 3; Turrian. 2. 2. diſp. 46. dub. 2; Abul. in c. 19; Matt. q. 178; Leſſ; & alios*. Refert etiam *Fund. Doct. in 2. diſt. 26. q. 2. art. 2*; vbi tamen docet, quòd omnia naturalia generaliter loquendo vocantur gratia, quatenus nobis gratis, & ex amore Dei donantur; & in hoc ſenſu *à Beatiſs. P.* dicuntur *gratia creationis*. Item docet gratias gratis datas poſſe eſſe naturales ſecundùm entitatem, ſupernaturales tamen quoad modum; vt genera linguarum. At loquendo de gratia propriè ſumpta, dicit eſſe ſupernaturalem ſimpliciter; vnde colligitur noſtra ſententia, quam ſequuntur *Gonzal. 1. p. diſp. 58. ſect. 3; & 5; & diſp. 84. ſect. 2; Martinez, Becc; & omnes alij communiter*; & probata eſt *to. 3. de Ang. p. 4. art. 10; & alibi*. Tum quia gratia ſtrictè ſumpta contradiuiditur à natura, & à conſequentibus naturam; vt ait *Fund. Doct. vbiſ*; ideo eſt in ordine altiori, quàm ſit ordo naturæ; hoc enim accipitur nomine gratiæ *à SS. PP; & Concilijs communiter*; ſed actus naturales ſecundùm entitatem non contradiuiduntur à natura, & à conſequentibus naturam, nec ſunt ſecundùm entitatem in ordine altiori, quia ſunt in ordine naturæ; ergo non ſunt gratia ſtrictè ſumpta.

14 Obijc: *Baſil.* 1. Opera virtutis moralis acquiſitæ ſunt ex gratia Chriſti; vt docet *Trid. ſeſſ. 6. c. 16*; & ideo ſunt meritoria; ſed non ſiunt ex gratia ordinis ſupernaturalis ſecundùm entitatem; quia ſiunt ex obiecto, & circunſtantijs ordinis naturalis; ergo datur gratia naturalis ſecundùm entitatem. 2. Multa bona opera virtutum moralium ſiunt in peccatore ante iuſtificationem, & in infideli ante fidem, quibus ille diſponitur ad iuſtificationem, & iſte ad fidem; & tamen in peccatore, & infideli non eſt charitas, aut alia virtus ſupernaturalis moralis infuſa, quæ ſemper comitatur charitatem; ſed diſpoſitio ad iuſtificationem, & fidem eſt ex gratia; ergo idem. 3. Si daretur homo conſtitutus in pura natura, non poſſet implere legem, & vincere omnes tentationes ſine gratia; ſed tunc gratia eſſet ordinis naturalis, quia ille ſtatus eſſet puræ naturæ; ergo idem. 4. Veriſimile eſt *aliquos gentiles*, antequam venirent ad fidem, viciſſe aliquas graues tentationes, & feciſſe aliquod opus inſignis virtutis; hoc autem fuit ſine gratia ſupernaturali. 5. *SS. PP; & Concil*; cùm agunt de neceſſitate gratiæ ad operandum *contra Pelagium*, docent gratiam eſſe neceſſariam nedum ad opera ſupernaturalia ſecundùm entitatem, ſed etiam ad entitatiuè naturalia; ergo *ex SS. PP; & Concilijs* datur etiam gratia naturalis ſecundùm entitatem. Prob. ma. *ex Beatiſs. P. lib. 83. qq. q. 68.* docente: *Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamuis nondum ſint iuſtificati, digni efficiantur iuſtificatione*. Et infra. *Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur*. Et paulò poſt. *Nunquid ergo latebat Pharaonem, quantùm boni conſecutæ fuerint terræ illæ per aduentum Ioſeph? Illius ergo rei geſtæ cognitio vocatio eius fuit, vt populum Iſrael miſericorditer tractans non eſſet ingratus*. Cognitio autem illa fuit merè naturalis, quia fuit merè hiſtorica. Idem docet *de Spir. & lit. c. 34*; vbi habet Diuinę gratię tribuendum eſſe, quod *viſorum ſuaſionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus ſiue extrinſecùs per Euangelicas exhortationes &c; ſiue intrinſecùs, vbi nemo habet in poteſtate, quid ei veniet in mentem &c; & de patientia c. 27.* ait patientiam, qua perferimus pœnas temporales, eſſe donum Dei; ſed alia eſſe dona, quæ tribuuntur etiam ſchiſmaticis, & hæreticis, alia verò, quæ tribuuntur ſolis prædeſtinatis; at illa, quæ tribuuntur hæreticis, & ſchiſmaticis, ſunt ordinis naturæ; ergo datur gratia naturalis.

Reſp. *ad 1; & 2.* diſt. ma. Sunt ex gratia Chriſti ordinatiuè, quia ab illa ordinantur in finem ſupernaturalem, qui eſt vita æterna, & ideo ſunt ordinatiuè ſupernaturales, conc; formaliter ſecundùm entitatem, neg. Ad 2. diſt. 2. pars ma. Et tamen in peccatore, & infideli non eſt charitas habitualis, & perfecta, conc; actualis, & imperfecta, neg; nam opera bona virtutum facta à peccatore, & infideli per actum amoris Dei, qui eſt entitatiuè ſupernaturalis, ordinantur in Deum, vt in finem ſupernaturalem. Ad 3. neg. mi; quia per auxilia ordinis naturalis non poſſet vitare peccata; aliter nulla ratio eſſet, cur & poſt fidem per talia auxilia non poſſet ea vitare. Ad 4. neg. mi; nam victoria tentationum etiã ante fidem tribuitur actui amoris Dei infuſo, qui

eſt radix omnium operum bonorum. Ad 5.diſt. 2.pars ant. Sed etiam ad opera entitatiuè naturalia, quatenus ordinata ad vitam æternam, conc; quatenus non ordinata, neg. Ad 1. *auctoritatem* dicitur in peccatoribus præcedere amorem Dei, qui eſt ſupernaturalis. Ad 2;& 3.dicitur, quòd illa vocatio, ſi fuit naturalis, non eſt illa gratia actualis, de qua loquimur, quę eſt cognitio, & amor Dei, quatenus eſt Auctor vitæ æternæ; quanuis enim cognitio Dei, vt eſt Auctor naturæ, poſſit ordinari ad cognitionem, & amorem ipſius, vt eſt Auctor vitæ æternæ, & poſſit eſſe gratia ordinatiuè; attamen ſecundùm entitatem præciſa ordinatione non eſt gratia, quatenus diſtincta à natura, vt ſumitur in præſenti; & in hoc ſenſu loquuntur *SS.PP;& Concilia*.

A R T. III.

An gratia ſit neceſſaria ad agnoſcendas veritates naturales?

1 Relicto *Lutheri* errore, qui, vt teſtatur *Caſtro lib.13.de hæreſib.V.ſcientia*, dixit hominem in natura lapſa, quanuis Dei gratia illuminatum, non poſſe aliquam veritatem abſque errore cognoſcere; qui error refellitur, nam ea, quæ credimus per fidem Diuinam, cui nequit error ſubeſſe, cùm Deus nequeat mentiri, abſque errore cognoſcimus: Inquirimus ergo, an veritates naturales, quæ per lumen naturale poſſunt cognoſci, poſſint certò cognoſci abſque gratia?

2 Neque loquimur de veritatibus ſupernaturalibus, quæ per fidem Diuinam noſcuntur; patet enim *ex Apoſt.ad Phil.1. Vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolùm, vt credatis in eũ, verumetiam vt patiamini pro eo*. Super quod *Beatiſs.P.de præd.SS.c.2. Vtrumque enim oſtendit Dei donum, quia vtrunque dixit eſſe donatum; & 2.Cor. 3. Non quia idonei ſumus cogitare aliquid quaſi ex nobiſmetipſis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Neque loquimur de gratia latè ſumpta, vt comprehendit etiam donum creationis, & concurſum generalem ad omnes actiones etiam naturales, nam in hoc ſenſu nullum eſt dubium. Veritates autem naturales poſſunt ſumi, vel vt ſunt merè ſpeculatiuæ; & ſic vel ſecundùm ſe præcisè; vel prout conducunt ad regimen Eccleſiæ, ad inſtructionem fidelium, explicationem fidei, vel vt ſunt morales; & ſic adhuc dupliciter, idèſt prout ſunt morales conducentes ad vitam æternam, vel ad vitam humanam ciuilem temporalem. Tandem poſſunt ſumi collectiuè, vel diuiſiuè, & ſingillatim. *His not.*

3 Prima ſententia vult poſſe omnem veritatem naturalem etiam collectiuè cognoſci ſuppoſito ſolo generali Dei concurſu. *Ita Caiet. hìc* negans intellectum ſpeculatiuum fuiſſe vulneratum. Tribuitur etiam *Med. ibid; & Dur. in 2. diſt.28.q.1*; quanuis *Godoy* aſſerat eos poſſe intelligi de omni veritate diuiſiuè.

4 Secunda vult nullam veritatem nedum practicam, mouentem ſcilicet ad piè, rectèque viuendum, poſſe ſine gratia Chriſti cognoſci, ſed etiam nullam veritatem ſpeculatiuam poſſe attingi, non quidem ſine gratia Chriſti, ſed ſine aliquo auxilio ſpeciali prouidentiæ naturalis naturæ indebito; & hoc propter indifferentiam intellectus, quam habet, vt moueatur ab hoc, vel illo obiecto. *Ita Alliacen.in 1. q.3; Vaſq.hìc diſp.188.c.2; Merat. de Grat. diſp.1. ſect 2. Alÿ* tamen *ante iſtos* id docuerunt de omnibus veritatibus propter vulnus ignorantiæ inflictum per peccatum originale.

5 Tertia vult veritates naturales collectiuè ſumptas non poſſe abſque gratia cognoſci; & aliquas etiam ſingulatim ſumptas eſſe adeo difficiles, vt ſpecialis gratia requiratur. *Ita Monteſin; Gran; Alex;* quibus adduntur in aliquibus *Cur; & Martinez*. *Alÿ* verò volunt omnes diuiſiuè ſumptas poſſe cognoſci; imò nedum veritates ſpeculatiuas, ſed etiam morales practicas. *Ita* communiter *Recentiores Gonet; Gibb;* apud quem *Bellarm; Suar; & alÿ*.

6 Noſtra docet nullam veritatem practicam, ſcilicet prout proficuam ad ſalutem, poſſe abſq; ſpeciali gratiæ auxilio cognoſci; nec omnem veritatem ſpeculatiuam collectiuè, bene tamen ſingulas diuiſiuè. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt.28 q.1.art.1*; vbi primam partem docet his verbis: *Ipſi etiam Philoſophi in quibus bene dixerunt, credibile eſt in multis, quòd hoc fuerit ex gratia; & quòd Deus eis reuelauit, non tantùm propter bonum eorum, ſed etiam propter bonum Eccleſiæ, & propter bonum fidelium; & ad 1. Dicendum, quòd Ambroſius videtur loqui de vero, quod eſt proficuum ad ſalutem, cuius eſt cognoſcere Ieſum verum Dominum*. Alteram partem probat *ibid. §.Cùm ergo; & Quodl.3. q.7; & quodl.5.q.7. Ita etiam noſter Greg. in 2.diſt.28. q.1. art.1.conc.2; & ex alÿs Capr.ibid.q.1. art.3; Caſal. lib.1.de Quadripartita Iuſtitia c.32;& alÿ*.

7 Vnica concl. Homo in ſtatu naturæ lapſæ nequit cognoſcere vllam veritatem moralem ſpeculatiuam, vel practicam, prout proficuam, & ordinatam ad ſalutem æternam abſque ſpeciali gratia Dei; ſed tantùm prout pertinet ad vitam ciuilem humanam; & licèt poſſit ſingulas veritates ſpeculatiuas lumine naturali agnoſcibiles abſque gratia ſpeciali cognoſcere, non tamen omnes ſimul collectiuè acceptas.

Prob.1. pars concl.1. *ex 2.Cor.3. Non quòd ſufficientes ſcimus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*. Super quod *Beatiſſ. P. de grat. Chriſti c.25; & de præd. SS c.2; & Ep. ad Paulinum* loquens *de filio prodigo* cogitante ire ad Patrem ait: *Quam cogitationem bonam quando haberet, niſi & ipſam illi in occulto Pater miſericordiſſimus inſpiraſſet*, manifeſtè demonſtrans, quod non niſi inſpirante Deo poſ-

Digitized by Google

poſſumus vllam bonam cogitationem habere. Et ep. 105. ad Sixt. *Nemo rectè ſapit, rectè intelligit, rectè conſilio, ac fortitudine prȩualet; nemo ſcienter pius eſt, vel piè ſciens, nemo timore caſto Deum timet; niſi acceperit ſpiritum ſapientiæ, & intellectum conſilij, & fortitudinis, ſcientiæ, & pietatis, & timoris Dei;* & in ſent. decerptis ſent. 22. *Diuini muneris eſt, cùm recta cogitamus.* Habetur expreſsè *in Conc. Mileu. can. 5; & Aphrican. c. 79;* & refertur *c. Quiſquis de conſecr. diſt. 4. Vtrunque donum Dei eſt & ſcire, quid facere debeamus; & diligere, vt faciamus;* quòd ſæpiſſimè repetit *Beatiſſ. P.* Ex quibus ſic arguitur 1. Si viribus naturæ poſſemus cognoſcere aliquam veritatem ſpeculatiuam, vel practicam pertinentem ad vitam moralem, & proficuam ad vitam æternam; ſufficientiam ad cogitandam haberemus ex nobis, non ex gratia Dei; ſed hoc eſt *cont. Apoſt*, ergo & id, vnde ſequitur. 2. Poſſemus naturaliter cognoſcere vitam æternam; nam cognita actione ordinata ad aliquem finem cognoſcitur etiam finis; *relatiua enim ſunt ſimul cognitione*; ſed vita æterna, vt potè ſupernaturalis, nequit naturaliter cognoſci; ergo neque actio moralis, qua ad illam proficiſcimur. 3. Si poſſemus naturaliter cognoſcere actionem proficuam ad vitam ȩternam, poſſemus etiam illam naturaliter elicere; quia non eſt maior difficultas reſpectu alicuius actionis ex parte voluntatis, quàm ſit ex parte intellectus; ſed conſ. eſt *Pelagianum*; ergo & ant. 4. Cognitio actionis proficuæ ad vitam æternam eſt moraliter bona, ſi ſit per ordinem ad illam proſequendam; ſed viribus naturæ non poſſumus elicere actionem moraliter bonam proficientem ad vitam æternam; vt docet fides *cont. Pelagium*; ergo talis cognitio nequit naturaliter haberi.

8 Prob. 2. *ex Greg.* Si naturaliter poſſemus cognoſcere quid volendum, vel nolendum in his, quæ ſpectant ad vitam moralem, ſequeretur, quòd vel per culpam originalem non incurriſſemus damnationem ignorantiæ eorum, quibus proficimus ad vitam æternam; vel quòd abſque gratia Chriſti poſſemus nos liberare ab hac dānatione; ſed vtrunque eſt falſum; nam *Beatiſſ. P. Retract. c. 9.* ait: *Ad miſeriam iuſtȩ damnationis pertinet ignorantia, & difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio natiuitatis ſuæ; nec ab iſto malo, niſi gratia Dei, quiſquam liberatur*; ergo falſum eſt ant.

9 Prob. 2. pars concl. 1. *ex Beatiſs. P. lib. 1. Retract. c. 4.* docente: *Non probo, quod in oratione dixi: Deus, qui non niſi mundos vera ſcire voluiſti; reſponderi enim poteſt multos etiam immundos multa ſcire vera*; & ex alijs auctoritatibus afferendis cont. 1. part. concl. Ratio autem petitur 1. ab experientia, qua conſtat *plures Philoſophos gentiles* omni gratia deſtitutos nouiſſe plurimas veritates phyſicas, quibus applicuerunt; & ita potuiſſent alias noſſe, ſi illis applicuiſſent. 2. Quȩlibet veritas phyſica ſingulatim ſumpta eſt proportionata lumini naturali ipſius hominis; ergo poteſt per illud attingi. Prob. ant; nam collectio omnium veritatū phyſicarum nō eſt improportionata ratione ordinis; omnes enim ſūt in ordine phyſico; ſed tātùm eſt improportionata ratione breuitatis vitæ, & longitudinis tēporis, quod requiritur ad quanlibet percipiendam; ſed hæc ratio nō militat de qualibet ſingulatim ſumpta; ergo eſt proportionata. Conſ. patet; quia cognitio impeditur ſolum ob aliquam improportionem; nam ipſa ineptitudo eſt improportio. 3. Si aliqua veritas phyſica naturaliter non poſſet haberi, maximè illæ, quȩ ſunt de Deo, vt eſt Auctor naturæ; ſed conſ. eſt falſum; nam *Sap. 13.* dicitur: *A magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horum videri; & ad Rom. 1. Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*; ergo falſum eſt ant. Tandem lumen naturale non eſt extinctum, ſed debilitatum; ſicut dicimus de libero arbitrio; vt *ex Beatiſſ. P.* docet *Trid*; ſed liberum arbitrium, quamuis debilitatum, poteſt velle quodlibet bonum phyſicum; ergo & lumen naturale poteſt illud cognoſcere; non enim maior improportio poteſt eſſe in vno, quàm in alio, quia intellectus, & voluntas æquè vulneratæ ſunt.

10 Prob. 3. pars concl. *Sap. 9. Corpus enim, quod corrumpitur, aggrauat animam; & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Ex quo patet, quòd licèt homo poſſit aliqua excogitare, multa tamen non poteſt apprehendere, propter corruptionem carnis contractam per peccatum originale; & *Beatiſſ. P. lib. 22. de Ciu. Dei c. 22.* docente: *Quid enim aliud indicat horrenda quȩdam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error exiſtit, qui omnes filios Adam tenebroſo quodam ſinu ſuſcipit; vt homo ab illo liberari ſine labore, dolore, & timore non poſſit?* Et infra. *Quid eſt enim, quòd cùm labore meminimus, ſine labore obliuiſcimur; cum labore diſcimus, ſine labore neſcimus; cum labore ſtrenui, & ſine labore inertes ſumus? Nonne hìc apparet, in quid velut pondere ſuo proclinis, & prona ſit vitioſa natura; & quanta ope, vt hinc liberetur, indigeat? Vid. lib. 1. Retract. c. 9; & in Suppl. cont. Iul. lib. 1. c. 55.* Ex quo ſic. Si homo poſſet omnes veritates ſpeculatiuas naturaliter agnoſcere, poſſet à vulnere ignorantiæ rerum naturalium naturaliter perfectè ſanari, & liberari; ſed nequit ab hoc vulnere perfectè ſanari, & liberari, niſi gratia Dei; ergo ſine gratia Dei nequit cognoſcere omnes veritates ſpeculatiuas naturales collectiuè ſine gratia. Vel dicendum eſſet, quòd vulnus ignorantiæ non eſſet contractum per peccatum originale, vt *ſup.* arguebamus *cū Greg*; quia à vulnere, & pœna peccati non poſſumus nos liberare per vires naturȩ. 2. Quanuis infirmus poſſit ægrè, & difficulter aliquam operationem exercere, nequit tamen omnem operationem perfectè exercere, vt poteſt ſa-

ſanus; in hoc enim diſtinguitur infirmus à ſano; ergo quamuis homo ſanus in ſtatu innocentiæ potuiſſet naturaliter agnoſcere omnes veritates naturales ſpeculatiuas; attamen per peccatum vulnere ignorantiæ ſauciatus, quamuis poſſit ſingulas veritates ſpeculatiuas ſingulatim cognoſcere, non tamen poteſt ad omnes collectiuè peruenire; quia quamuis perueniat ad ſingulas diuiſiuè, non dicitur ſe perfectè ſanare, cùm non peruenerit ad omnes; ſi autem omnes aſſequeretur, ſe perfectè ſanum in naturalibus redderet. *Vid.to.1.q.1. proem.art.3. n.4. & ſeq.*

11 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. *Rom.2.* habetur: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*. Ex quo ſic. Naturaliter poſſumus efficere opera pertinentia ad vitam moralem; ergo naturaliter poſſumus illa cognoſcere; efficere enim ſemper ſupponit cognoſcere. 2. *pſ.4. Quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*; vbi nomine luminis intelligitur lumen naturale, quo oſtenduntur nobis bona facienda pertinentia ad vitam moralem; hinc *Beatiſſ. P. ibid.* ait: *Hoc lumen eſt, quo ſignata, atque illuminata eſt anima, vt eſt imago Dei*. 3. *Apoſt. Rom.1.* accuſat gentem, quæ non glorificauerunt Deum, ſicut cognouerunt; glorificamus autem Deum bene operando; ergo cognouerunt operationes bonas morales. Hinc plures philoſophi, præſertim *Stoici*, multa ſcripſerunt de vita morali; quæ non potuiſſent profectò ſcribere, ſi non nouiſſent. 4. *Beatiſſ. P.* in illud *pſ.57. Si verè vtique iuſtitiam loquimini &c.* ait: *Cui iniquo non facile eſt loqui iuſtitiam? Aut quis de iuſtitia interrogatus, quando non habet eam, non facilè reſpondeat, quid ſit iuſtum? Quandoquidem manu Factoris noſtri in ipſis cordibus noſtris veritas ſcripſit: Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Hoc etiam antequam lux* (idèſt Chriſtus) *daretur, neminem ignorare permiſſus eſt*. Sed hæc pertinent ad vitam moralem; ergo naturaliter actiones morales poſſunt cognoſci.

Reſp. ad 1. *Beatiſſ. P. de Spir. & lit. c. 26; 27; & 28. illo textu* nihil aliud intelligi, niſi quòd *Græci*, qui erant gentiles, & qui venerunt ad legem Chriſti per legem naturæ, non per legem ſcriptam, quæ ſolis *Hebræis* data fuit, per naturam ſanatam per gratiam, & per conſequens includentem, non excludentem gratiam; vnde *Apoſt.* loquitur de Chriſtianis, qui venerunt ex gentibus ad fidem; non verò de gentilibus non habentibus fidem Chriſti; ait enim, quòd *quæ ſunt legis, faciunt*; & quòd *factores tantùm legis iuſtificabuntur*; iuſtificatio autem habetur tantùm per legem Chriſti; quia *iuſtus ex fide viuit*. Addit *B. P.* quòd ſi placet opera legis intelligi ea, quæ fiunt ſine gratia Chriſti; quoniam enim per peccatum lumen rationis, & arbitrium non fuit prorſus extinctum; & *imago Dei* deſcripta in anima noſtra *non fuit omnino detrita terrenorum affectuum labe ita, vt in anima nulla lineamenta remanſerint; vnde meritò dici poſſit etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis, vel ſapere*; attamen aſſerit: *Ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cuiuslibet peſſimi hominis inuenitur*. Ita etiam reſp. *Fund. Doct. in 2. diſt. 28. q.1. art.4. ad 1.* Ad arg. igitur diſt. ant. 1. Naturaliter, idèſt per naturam ſanatam per gratiam excludentem tantùm legem ſcriptam, conc; naturaliter, idèſt per ſolam naturam excludentem gratiam, neg. Ad 2. reſp. *idem Beatiſſ. P. ibid. c. 28.* dicens: *Sed pietas, quæ in aliam vitam transfert beatam, & æternam, vt ex illo lumine renouentur, fiatque in eis: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine. Vnde & auerſi abſoleſcere meruerunt; renouari autem; niſi gratia Chriſtiana, hocèſt niſi Mediatoris interceſſione non poſſunt*. Igitur lumen renouatum, ſeu reſtitutum per Chriſti gratiam oſtendit nobis bona. Per lumen autem naturale non oſtenduntur, niſi naturalia, quæ pertinent ad ordinem phyſicum, non autem moralia, quæ pertinent ad ordinem gratiæ. Ad 3. dicitur eodem modo; nam *Apoſt*; vt ait *Beatiſſ. P. lib.8. de Ciu. Dei c.9; & de Temp. ſerm.143.* reprehendit eos, qui ex rebus viſibilibus cognouerunt Deum, & tamen eum non coluerunt, ſicut cognouerunt; quia coluerunt creaturas, non Deum. Ad id *de Stoicis* dicitur, quòd cognouerunt actiones morales *ex Sacris Scripturis*, quorum multos eas legiſſe probabile eſt; vel dicitur eos non cognouiſſe actiones morales, quæ pertinent ad vitam æternam; ſic enim cognouiſſent Deum, vt finem ſupernaturalem, & Chriſtum, per quem ſolùm datur nobis vita æterna; actio enim moralis, vt conducit ad vitam æternam, quæ procul dubio eſt ſupernaturalis, non niſi cognitione ſupernaturali poteſt cognoſci; quia actio conducens ad finem ſupernaturalem eſt ſupernaturalis, natura enim nòn conducit ad finem, niſi naturalem. Cognouerunt ergo tantùm actiones pertinentes ad vitam ciuilem, & conuenientes ipſi naturæ; vt v.g. ſubuenire indigenti; quod eſt etiam operatio conueniens naturæ, prout viuit vita ciuili; & ideo hanc actionem cognouerunt, quatenus pertinet ad ordinem naturæ; ſic tamen non conſideratur, vt conducens ad vitam æternam, quia ſic reſpicit ordinem gratiæ, quem ſine gratia reuelationis cognoſcere non poſſumus. Ad 4. neg. mi; nam *Beatiſſ. P.* loquitur tantùm de cognitione illius actionis, prout phyſica eſt ciuilis, & naturalis, non prout moralis, & gratuita.

12 Obijc. 2. AEquè facilè eſt cognoſcere principia in vniuerſali, & aliqua particularia deducta ex vniuerſalibus; ſed homo naturaliter poteſt cognoſcere principia moralia in vniuerſali; vt v.g. *debitum eſſe ſoluendum*; ergo & veritates morales in particulari. 2. Veritates morales ſunt maximè proportionatæ ipſi naturæ. 3. Lumen

rationis non eſt extinctum, ſed ex eo, quòd non ſit extinctum, deducitur, quòd poſſit aliquas veritates ſpeculatiuas, non omnes cognoſcere; ergo idem dicendum de practicis. 4. Vnaquæque res poteſt elicere ſuam operationem ſibi proportionatam abſque ſpeciali Dei auxilio; ſed cognoſcere actiones ſpectantes ad vitam moralem eſt operatio propria naturæ hominis, quæ rationalis eſt; ergo idem.

Reſp. ad 1. diſt. mi. Principia moralia, prout reſpiciunt vitam æternam, & finem ſupernaturalem, neg; prout reſpiciunt vitam ciuilem, conc. Ad 2. eodem modo diſt. aſſumpt; nam naturæ proportionantur veritates bonæ ex genere, non autem etiam ex fine, quæ conducunt ad vitam æternam, quia ſic ſunt ſupernaturales. Ad 3. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia veritates ſpeculatiuæ ſunt ordinis naturalis; at veritates morales conducentes ad vitam æternam, prout tales, ſunt ordinis ſupernaturalis, & ideo nequeunt naturaliter attingi. Ad 4. diſt. mi. Cognoſcere actiones morales conducentes ad vitam æternam eſt operatio propria naturæ humanæ, vt eſt eleuata per gratiam, conc. naturæ humanæ, quatenus non eleuata, neg.

13 Ex dictis patet, quòd actiones morales ſimpliciter bonæ, ſcilicet ex obiecto, & ex fine, aliiſq; circunſtantijs non poſſunt naturaliter cognoſci; ſic enim conducunt, & proficiunt ad vitam æternam. Actiones autem morales bonæ tantùm ex genere poſſunt naturaliter noſci.

14 Obijc. 3. cont. 2. part. concl. *D. Ambr.* ſuper illud 1. *Cor.* 12. *Nemo poteſt dicere, Dominus Ieſus, niſi in Spiritu S*; ait: *Verum, à quocumque dicatur, ſemper à Spiritu S. eſt*; ergo veritas non eſt cognoſcibilis, niſi per gratiam, quæ datur per Spiritum S. 2. *Rom.* 1. *Apoſt.* loquens de Gentilibus ait: *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis, Deus enim his reuelauit*, ex quibus patet etiam ſcientiam *Gentilium* fuiſſe à Deo reuelatã, & ideo per gratiam. 3. *Apoſt.* 2. *ad Cor.* 3. dicitur: *Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis &c.* 4. *Conc. Milenit. can.* 4. ait: *Donum Dei eſt ſcire, quid agere debeamus; & Araux. II. can.* 9. *Diuini muneris eſt, cùm rectè cogitamus; & can.* 22. *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum; ſiquid autem habet homo veritatis, atque iuſtitiæ, ab illo fonte eſt &c.* 5. Homo per peccatum originale cæcus factus eſt; & à cæcitate non liberatur, niſi per Chriſti gratiam; ergo ſine gratia nihil poteſt cognoſcere. 6. Lux, qua illuminatur homo ad cognoſcendum, eſt Chriſtus Dominus, vt dicitur *Io.* 1; ergo ſine ipſo nihil poteſt intellectus cognoſcere. 7. *Beatiſſ. P. lib.* 10. *Conf. c.* 6. habet, quòd *licèt Cælum, & terra ſemper clament: Ipſe fecit nos, & non ipſi nos; attamen ſurdis canunt, niſi Deus altiùs miſereatur.* 8. Oramus Deum, vt concedat nobis auxilium ad cognoſcendam veritatem; & illo accepto gratias agimus, ergo ad hoc requiritur auxilium ſpeciale.

Reſp. ad 1; quòd *D. Ambr.* vel intelligitur de cognitione veritatis pertinentis ad ſalutem; vel ſi intelligatur de cognitione veritatis naturalis, dicitur, quòd ſicut Verbum eſt principium, per quod facta ſunt omnia nedum naturalia, ſed etiam ſupernaturalia; ita Spiritus S. eſt donum, per quod nobis donata ſunt omnia nedũ ſupernaturalia, ſed etiam naturalia. Ad 2. dicitur, quòd *Apoſt.* intelligitur Deum reuelaſſe *Gentilibus* cognitionem Dei imprimendo in eorum cordibus lumen naturale; vt ipſe ſeipſum explicat. Vel ſi intelligi libeat de reuelatione per gratiã, dicitur loqui de notitia myſteriorum Dei ſupernaturalium. Ad 3. dicitur *Apoſt.* manifeſtè loqui de cogitatione ſancta; vt *ſup.* diximus *ex Beatiſſ. P. de præd. SS. c.* 2; *& de Dono perſeu. c.* 13; in quo ſenſu loquuntur etiam allegata *Conc.*, loquuntur enim *contra Pelagium*, cum quo erat lis tantùm de cogitatione, & volitione ſupernaturali, non naturali; per quod patet ad 4. Ad 5. dicitur, quòd homo obcæcatus fuit, quia amiſit lumen fidei, & ſcientiæ infuſæ, & lumen naturale infirmatum eſt, non penitus extinctum. Ad 6. dicitur ſicut ad 1. Ad 7. dicitur, quòd *B. P.* loquitur de amore Dei ſupernaturali, quod non niſi ex gratia nobis donatur. Ad 8. neg. conſ; nam oramus Deum nedum pro beneficijs pertinentibus ad ordinem gratiæ, ſed etiam pro pertinentibus ad ordinem naturæ, quæ tamen in noſtræ naturæ poſsibilitate ſita non ſunt; vt eſt ſanitas corporis, abundantia &c.

15 Inſt. Quia voluntas per peccatum fuit vulnerata, ideo non poteſt aliquas actiones naturales exercere; vt vincere grauem tentationem, diligere Deum &c; ergo à pari, quia intellectus fuit vulneratus, non poterit aliquam veritatem naturalem agnoſcere. 2. Veritates Theologicæ acquiruntur per diſcurſum naturalem, & tamen ſine gratia Dei non poſſunt acquiri.

Reſp. ad 1. neg. ſupp. ant; ſcilicet quòd victoria tentationum, & dilectio Dei ſit opus naturæ, non gratiæ; nam ſi in ſtatu innocentiæ Angeli, *& Adam* eguerunt maiori gratia ad vincendam tentationem tantùm externam; vt diximus *to.* 2. *de Vol. q.* 5. *art.* 3; multò magis indiget homo in natura lapſa, quæ non habet vires naturæ innocentis. Quia ergo tentationes conantur nos priuare bono ſupernaturali, ideo indigemus gratia ſupernaturali ad illas vincendas.

16 Obijc. 4. cont. 3. part. concl. Solus intellectus practicus fuit vulneratus per peccatum, non ſpeculatiuus; ergo omnes veritates ſpeculatiuæ, non practicæ poſſunt collectiuè cognoſci. 2. Sequeretur alias naturas eſſe perfectiores natura hominis; cùm illæ habeant vires ſufficientes ad omnes ſuas actiones collectiuè. 3. Omnes veritates ſpeculatiuæ collectiuè ſumptæ ſunt proportionatæ intellectui naturali; quia non ſunt ſupernaturales; ergo idem. 4. Homo habet appetitum innatum ad omnes veritates naturales col-

collectiuè;qui non eſt ad aliquod impoſſibile per vires naturæ.5.Veritates naturales ſunt ſub certo numero; ergo idem.

Reſp. ad 1. neg. ant; nam lumen rationis fuit debilitarum, non exrinctum,quod nequit intelligi, niſi quoad naturalia. Ad 2. neg.ſeq; nam natura hominis fuit vulnerata, ſecus aliæ naturæ. Ad 3. diſt. ant. Sunt proportionatæ proportione ordinis, conc; proportione virtutis, & entitatis, neg. Sic ſe habet Sol reſpectu oculi ægri. Ad 4 diſt. ant. In natura ſana, conc; vulnerata, neg. Ad 5. diſt.ant. Sunt ſub certo numero proportionato virtuti intellectus,neg; improportionato, conc.

17 Veritates autē naturales conducentes ad ſalutem æternam, quæ eſt vnum ex miſterijs fidei; & quæ, prout ad illam conducunt, ſunt ſupernaturales, vt dictum eſt; poſſunt dupliciter cognoſci. 1. Ex motiuo merè humano, quod eſt ſimpliciter fallibile,quia eſt ex fide humana,quæ eſt ſimpliciter fallibilis, in hoc enim diſtinguitur à fide Diuina, quæ eſt ſimpliciter infallibilis. 2. Ex motiuo Diuino, quod eſt ex fide Diuina, quæ eſt ſimpliciter infallibilis. Ad cognoſcendas veritates primo modo requiritur gratia externa gratis data, quæ eſt reuelatio facta vel *in Scripturis*, vel per prædicationem; non autem requiritur gratia interna gratum faciens, & hoc modo cognoſcunt hæretici propoſitiones fidei.

A R T. IV.

An ſine gratia poſſit fieri aliquod opus bonum morale ordinis naturalis?

1 ERror fuit *Bay* aſſerentis omnia opera, quæ fiunt ſine gratia, eſſe moraliter mala, quem reiecimus *q. 1. de Virt. art. 7. Ianſenius* verò *lib. 3. de nat. lapſa c. 14.* ait ad opus moraliter bonum requiri fidem, ſine qua peccandi neceſſitate voluntas humana tenetur; ac propterea omnia opera infidelium eſſe peccata; quæ ſententia ſatis *vbiſ.* reiecta eſt.

2 Prima ſententia affirmat. Ita *Godoy hìc diſp.41; & eius diſcipulus Gonet* iiſdem quaſi verbis; *Caiet; Conr; Med; Cur; Lorc; Sua; Monteſin; Martinez, & alij.*

3 Noſtra ſententia fatetur poſſe infidelem, & peccatorem efficere opera moraliter bona per ordinem ad rationem inferiorem; non tamen ſimpliciter bona ſecundùm omnem rationem; quia non ſunt bona per ordinem ad vltimum finem, & ideo ſunt bona, ſed non benè facta; quia non ſunt ordinata ad vltimum finem, qui eſt vitā æterna; quam de fide certum eſt non poſſe acquiri viribus naturæ, vt definitum eſt *contra Pelagium. Ita Fundat. Doct. in 2. diſt.28. q.1.art.2. dub.1. lat. & loc.cit. de Virt. vbiſ; Greg.ibid.q.1. art.1.concl.1. Abelli apud Gonet hìc diſp.2.art.3; Capr. in 2. diſt.29. quæſt.1. art. 1.concl.4; Vaſq; Roffen; Albert; Altiſiodor; Abul; Alex; & Sot;* quāuis *Vaſq.* non rectè ſentiat de hac gratia requiſita, vult enim hanc eſſe cogitationem congruā, & honeſtam, attemperatam genio, & complexioni naturali, quam cogitationem Deus immittit in illis occaſionibus, in quibus præuidet voluntatem conſenſuram; vnde gratiam deducit ad aliquod donum naturale, propter quod iuſtè redarguitur *à Sua.* Vult autem hanc cogitationem requiri, quia voluntas de ſe eſt indifferens ad bonum, & malum, & ideo debet determinari. *Noſtri autem DD.* volunt gratiam requiri, quia illa actio nequit dirigi in Deum, vt in vltimum finem, niſi per actum amoris Dei, ſaltem imperfectum.

4 *Omnes Catholici* debent fateri. 1. ad omnes & ſingulos actus ſalutares conducentes ad vitam æternam neceſſariam eſſe gratiam Chriſti; per quem ſolùm redempti, & ſaluati ſumus; quia *non eſt in alio aliquo ſalus; nec enim aliud nomen eſt ſub Cęlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalnos fieri. Act.4;* vt ſtatutum eſt *in Conc. Dioſpolitano cont.Pelag.apud Beatiſs.P.lib.de grat.Chriſti c. 2; & alibi, & in Conc. Carthag; Mileuit; & Araux.* 2. Ad omnes actus non eſſe neceſſariam gratiam ſanctificantem; vt ſtatuit *Trident.ſeſſ.6. can.7; & Araux. c.4; & 5;* vbi docent opera, quæ præcedunt iuſtificationem, *quibus monemur, & excitamur in Deum*, eſſe ex gratia, quia illis diſponimur ad iuſtificationem.

5 *Aduerſarij* contendunt ſtatutum fuiſſe à *Pio V., & Gregorio XIII.* dari actum moralem merè naturalem, vndequaque honeſtum; & hoc probant ex *prop. 27. Bay* damnata aſſerentis: *Liberum hominis arbitrium ſine gratia, & Dei adiutorio non niſi ad peccandum valet*; & ex prop. 36. *Cùm Pelagio ſentit, qui aliquid boni naturalis, hocèſt quod ex natura ſolius viribus ortum ducat, agnoſcat*; & ex prop.61. *Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt vſus aliquis liberi arbitrij bonus, ſiue non malus; & Chriſti gratiæ iniuriam facit, qui ita ſentit, & docet.* Sic etiam eſt alia. *Pelagianus eſt error dicere, quòd liberum arbitrium valeat ad vllum peccatum vitandum.* Ex quibus ait *Godoy* damnari ſententiam aſſerentem non poſſe liberum arbitrium abſque Chriſti gratia aliquod opus virtutis vndequaque honeſtum efficere. Et ex *Trid. ſeſſ.6. can.1. Si quis dixerit hominem ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legem doctrinæ fiunt &c.* Quibus verbis ſupponit opera bona naturalia; & *can.7. Si quis dixerit opera omnia, quæ ante iuſtificationem fiunt, quacunque facta ſint, verè eſſe peccata &c. anathema ſit.* Ob hæc addit *Godoy* erroneum eſſe dicere eius ſententiam eſſe damnatam; & catholicum eſſe dicere noſtram ſententiam eſſe damnatam.

6 Sed opponimus *Conc. Dioſpolit. Carthag; Milen; & Araux;* quæ ſanxerunt *gratiam Chriſti eſſe neceſſariam ad omnes, & ſingulos actus bonos, adimplenda præcepta, & vitanda peccata.* Quæ

Concilia confirmarunt *Innoc. Zoſim; Cæleſtin; & aly Pontifices*. Non licet ergo abſolutè,& tanta libertate aſſerere poſſe dari ſine gratia actus moraliter bonos vndequaque, quod facit ſenſum etiam per ordinem ad vltimum finem, qui eſt vita æterna; vt loquitur *Godoy*; quis enim non videat,quòd ſi actus non eſt bonus per ordinem ad vitam æternam, non eſt vndequaque bonus, cùm ei deficiat bonitas, quam procul dubio ſumere poteſt ab vltimo fine? Ideo media via incedendum; ne ad vnum ex his declinantes extremum allidamus in ſcopulum fidei contrariũ.

7 Gloſat *Godoy* hæc *Concilia* de actibus tantùm proficuis ad ſalutem. Ergo fatetur *Godoy* poſſe dari actus moraliter bonos ſine gratia non tamen ad æternam ſalutem proficuos. Sed iſti actus non ſunt vndequaque boni moraliter;quia eis deficit ordinatio in vitam æternam,quæ procul dubio maior eſt omnium bonitatum;ergo fatetur non poſſe dari ſine gratia actus vndequaq; bonos moraliter; & ſibi ſua reſponſione contradicit.

8 Cautiùs igitur eſt incedendum, vt procedit noſtra ſententia, aſſerens, quòd licèt ſine gratia dari poſſint actus moraliter boni ex obiecto per ordinem ad rationem inferiorem,qui ſecundùm ſe ſint ſubſtantialiter boni, vt ſtatuunt *Pius V.& Greg.XIII. contra Baium*;attamen non poſſunt dari actus boni ex vltimo fine per ordinem ad rationem ſuperiorem, vt ſanciunt *alia Concilia*; & ideo actus non ordinati ad vltimum finem, licèt ex tali omiſſione non vitientur intrinſecè, vt voluit *Baius*, ſed ſint intrinſecè boni moraliter; attamen ſunt malè facti, quia inordinatè ad vltimum finem; vt diximus *de Vir. vbiſ*; & ſic vtraque ſententia vitatur extrema.

9 Vnica concl. Nullus actus, etianſi ſit entitatiuè naturalis, vndequaque moraliter bonus, ſcilicet per ordinem ad rationem inferiorem, & ſuperiorem poteſt dari ſine gratia.

Prob.1. *ex Io.15. Sine me nihil poteſtis facere*; ſuper quod *Beatiſs.P.tract.81.* ait: *Ne quiſquam putaret ſaltem paruum aliquem fructum poſſe à ſemètipſo palmitem ferre, cùm hac dixiſſet. Hic fert fructum multum; non ait: Quia ſine me parum poteſtis facere; ſed nihil poteſtis facere. Siue ergo parum, ſiue multum, ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt*. Ex quo ſic. Sine gratia Chriſti Domini nihil boni poteſt fieri pertinens ad vitam æternam; aliter ſi poſſet fieri aliquod opus bonum, etſi paruum, & exile, aliquid fieri poſſet, quod eſſet contra verba allegata; ſed omnis omnis actus moraliter vndequaque, & ſimpliciter bonus etiam per ordinem ad rationem ſuperiorem, ſiue ſit naturalis ſecundùm entitatem, ſiue ſupernaturalis, eſt aliquod bonum pertinens ad vitam æternam; nam erogatio eleemoſinæ ex motiuo amoris Dei eſt naturalis ſecundùm entitatem, & eſt tantùm ordinatiuè ſupernaturalis, vt patet; & eſt bonum pertinens ad vitam æternam; ergo nullus actus moraliter bonus vndequaque, & ſimpliciter per ordinem ad rationem ſuperiorem poteſt fieri ſine gratia Chriſti Saluatoris. *Et 1.Cor.10.Siue manducatis, ſiue bibitis, omnia in Dei gloriam facite*; ſuper quod *Beatiſs.P. de grat. Chriſti c.44.* referens expoſitionem *S.Ambr in Luc.lib.2.c.12.* docentis: *Vides itaque, quia vbique Domini virtus ſtudijs cooperatur humanis; vt nemo poſſit ædificare ſine Domino, nemo cuſtodire ſine Domino, nemo quidquam incipere ſine Domino;& ideo iuxta Apoſtolum: ſiue manducatis, ſiue bibitis, omnia in Dei gloriam facite*. Quibus verbis manifeſtè probatur omnes actiones humanas, quæ ordinantur ad vitam humanam, eſſe referendas ad Dei gloriam, vt bonæ ſint vndequaque ad gloriam autem non niſi per gratiam referri poſſunt, quia gratia eſt gloriæ correlatiuum. Concludit autem *Beatiſs.P. Videtis, quemadmodum D.Ambr.etiam illud, quod ſolent homines dicere: Nos incipimus, Deus autem perficit; his verbis abſtulit dicens neminem quidquam vel incipere ſine Deo*. Et 2.Cor. 3.*Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*; ſuper quod *Beatiſs.P.de præd.SS.c.2.* ait: *Vnde in omni opere bono & incipiendo, & perficiendo ſufficientia noſtra ex Deo eſt*; vbi generaliter loquitur de omni opere moraliter bono. Præterea *de grat.Chriſti c.15. Pelagio* dicenti: *Quòd poſſumus videre oculis,noſtrum non eſt; quòd verò bene, aut malè videmus, noſtrum eſt*; reponit *Beatiſs. P. Reſpondeat illi pſalmus; vbi Deo dicitur: Auerte oculos meos, ne videant vanitatem*. Et *c.16.* eidem aſſerenti: *Quòd loqui poſſumus, Dei eſt; quòd verò bene, vel malè loquimur,noſtrum eſt*; reſpondet *Beatiſs. P. Non hoc docet ille, qui loquitur bene: Non enim vos eſtis, inquit, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis*. Videre autem, & loqui ſunt actiones naturales, vt poteſt; *Et in ſent.decerptis ſent.224. Non ſunt bona opera, niſi quæ per dilectionem fiunt; quia alterum ſine altero nullius virtutis fructum parit*. Hæc teſtimonia tam frequentia ſunt *apud Beatiſs.P*; vt vix poſſit legi integra pagina ex libris editis *cont.Pelagianos*, in qua aliquod non reperiatur. Tandem *ep.106; & 107*; in quibus continentur *acta Conc. Carthag;& Mileuit & ep.93*; quæ eſt *Innoc.III. ad Conc. Mileuit & Cæleſtin.I. ep.ad Ep.Galliæ c.8*; vbi dicitur: *Omnia ſtudia, & omnia opera,ac merita Sanctorum ad Dei gloriam, laudemque referenda ſunt, hoc eſt Diuinæ gratiæ debent adſcribi*; Idem habet *lib.2. Retract.c.1; & de hæreſ.hær.88;& ſerm.1.de Verb.Apoſt;& ſæpiſſimè alibi*.

10 Reſp. *Godoy* hæc eſſe intelligenda de opere proficuo ad ſalutem, non de opere moraliter bono vniuerſim; quia *Beatiſs.P.* ſæpe exigit neceſſitatem fidei, & charitatis. 2.Quando *Conc; & SS.PP.* exigunt gratiam ad ſingulos actus,nomine *gratia* intelligendus eſt concurſus Dei ge-

ne-

Digitized by Google

poſſe effici aliquem actum bonum. 4. Sequeretur omnia opera hominis ante iuſtificationem eſſe peccata; quod eſt *cont. Trid. ſeſſ.6. can.7.* 5. *Beatiſſ. P. de perfect. iuſt. c. 19.* ſuper illud *Rom. 9. Quod vult, faciat; non peccat ſi nubat;* conceſſo antecedente irridet conſequentiam his verbis: *Quaſi pro magno habendum ſit velle nubere, vbi de adiutorio Diuinæ miſericordiæ operatiùs diſputatur;* ergo concedit actus naturales moraliter bonos; & *lib.3. Hipognoſt. c.4. Eſſe fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus habens quidem iudicium rationis, non per quod ſit idoneum, quæ ad Deum pertinent, ſine Deo aut inchoare, aut certò peragere; ſed tantùm in operibus vitę præſentis tam bonis, quàm etiam malis; bonis dico, quæ de bona natura oriuntur; idèſt velle laborare in agro, velle manducare, & bibere, velle habere amicum &c;* & de Spirit; & *lit. c.27; & 28. Ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cuiuslibet peſſimi hominis inuenitur.* 6. *Fund. Doct. diſt. 28. vbiſ. dub. 1. lat. Poſſumus autem ſine gratia exire in aliqua opera naturæ aliqualiter; non tamen omnino ſufficienter, quia vt dictum eſt, natura poſt peccatum Adæ effecta eſt lapſa, & infirma. Sicut ergo infirmus non poteſt in omnia opera ſani; & huiuſmodi opera niſi poteſt facere omnino ſufficienter; quia homo per peccatum expoliatur gratuitis, & vulneratur in naturalibus, & redditur inhabilis ad ipſa opera naturę. Incurrit enim homo per peccatum cæcitatem in intellectu, vt iudicet falſa pro veris; & difficultatem in affectu, vt difficile ſit ei exire in bona opera iuxta illud Aug.3. de lib. arb. ſunt re vera omni peccanti animæ duo iſta pœnalia, ignorantia & difficultas.* Idem docet *S. Tho.* Ex quo deducunt *Aduerſarij* poſſe hominem in natura lapſa ſine gratia efficere aliqua bona opera parua, & exilia, non autem grandia; arguit autem ſic *Godoy.* Homo in puris naturalibus ſine gratia naturaliter poterat efficere opus bonum naturale nedum potentia phyſica, ſed etiam morali; quia opus morale ordinis naturæ eſt proportionatum nedũ phyſicè, ſed etiam moraliter cum ipſa natura; cùm nihil cauſet improportionem phyſicam, vel moralem, niſi rebellio ſenſuum, & pugna appetitus, quæ non erant in ſtatu puræ naturæ; ſed peccatum non abſtulit hanc potentiam; quia liberum arbitrium per peccatum non fuit extinctum, ſed debilitatum; tum quia peccatum non eſt incompatibile cum aliquo bono morali; pietas enim non eſt incompatibilis cum prodigalitate; ergo etiam poſt peccatum poteſt homo ſine gratia efficere aliqua bona moralia, licèt non omnia, nec cum tali intenſione, & ſufficentia.

Reſp. hæc omnia vno verbo diſſolui; vera enim ſunt de actu bono ex genere, ſeu ex obiecto, aut *aliqualiter*, vt loquitur *Fund. D;* non vndequaque bono. Sic intelliguntur *SS. PP; & Concilia;* nec aliud intendit *noſter Greg,* certum enim eſt illa non habere bonitatem ex fine vltimo aliter eſſent proficua ad ſalutem, & ſine gratia poſſent haberi actus ſalutares; vt docebat *Pelagius,* per quod patet ad 1. 2; & 3. Ad 4. neg. ſeq; nam ante iuſtificationem datur gratia internè excitans ad fidem, & pœnitentiam; & actus illius eſt bonus; vt docet *Trid;* & hoc tenentur, velint, nolint concedere *Aduerſarij*, qui videntur tantùm admittere actus ſalutares poſt iuſtificationem; & dantur actus boni ex genere, licèt non ex fine. Ad 1. *textum B. P.* dicitur irridere concluſionem deductam ex illo *Apoſt;* quia illud eſt opus naturale, & phyſicum, ad quod non requiritur adiutorium miſericordiæ Dei; non autem ait, quòd illud ſit bonum vndequaque moraliter. Ad 2. dicitur loqui de bonitate phyſica, vel morali, quæ ſumitur ex genere, non ex fine. Vel dicitur *cum Louanienſibus* librum *hypognoſticon* adſcribi *Beatiſſ. Patri.* Cùm autem addit *Godoy* ibi loqui de actibus virtutum, dicitur loqui per ordinem ad rationem inferiorem, quæ reſpicit hæc bona temporalia; loquitur enim *de bonis præſentis vitæ;* non autem per ordinem ad rationem ſuperiorem, quæ reſpicit vitam æternam. Ad *vlt;* dicitur; quòd poſtquam aſſeruit poſſe fieri naturaliter bona opera: *Quanquam ſi diſcutiatur, quo fine fiant, vix inueniuntur; quæ iuſtitiæ debitam laudem, defenſionemue mereantur.* Ad 6. dicitur eodem modo *Fund. Doct.* loqui de operibus aliqualiter bonis, non vndequaque. Ad arg. diſt. ma. Poterat efficere opus bonum vndequaque, neg; ex obiecto tantùm, conc. Ad prob. inſert. dicitur, quòd rebellio ſenſuum minuit vires naturæ, quæ nequit tendere in bona honeſta naturalia tanta facilitate; infirmus enim nequit eadem facilitate operari, ac ſanus, attamẽ naturaliter eſt improportionata ad tendendũ in vitam ęternam.

16 Inſt. Actus virtutis ex ſuo genere eſt bonus moraliter; in hoc enim diſtinguitur ab actu merè naturali, vt eſt comeſtio, ambulatio &c. quæ non e[illegible]aliter bona, niſi ordinetur in finem bonu[illegible]ſed viribus naturę poſſumus agere actus virtutis, v. g. eleemoſinæ; ergo idem.

Reſp. diſt. ma. Eſt bonus moraliter vndequaque, neg; aliqualiter, conc.

17 Replic. *Godoy.* Vt aliquis actus ſit ſupernaturaliter bonus, non requiritur ordinatio in Deum per amorem efficacem ſupernaturalem; aliter non daretur diſpoſitio remota ad iuſtificationem; quia amor Dei efficax eſt diſpoſitio proxima; nec attritio ſupernaturalis cum Sacramento ſufficeret ad iuſtificationem; ergo multò minùs hoc requiritur ad actum naturalem moraliter bonum. 2. Sequeretur hominem, quoties operatur, adſtringi pręcepto charitatis Dei, quod eſt falſum; quia præceptum amandi Deum eſt poſitiuum, & ideo non obligat pro ſemper. 3. Vt actus ſit bonus, ſufficit, vt fiat propter honeſtatem virtutis non appoſito malo fine; ergo non requiritur iſta ordinatio.

Reſp.ad 1. neg.ant; & ad prob. infert. neg. aſſumptinam amor Dei efficax alius eſt intenſus, qui trahit ſecum habitum charitatis,& per conſ. gratiam habitualem; alius non eſt intenſus, & ideo non trahit ſecum charitatem, & gratiam. Primus eſt diſpoſitio proxima, & iuſtificat ante actualem ſuſceptionem ſacramenti; ſecundus eſt diſpoſitio remota, & ſufficit in ſacramento; in quo non iuſtificat virtute propria, ſed virtute ſacramenti; & eſt diſpoſitio proxima ad ipſum ſacramentum, & mediante ſacramento ad gratiam iuſtificantem. Ad 2. iam diximus *de pecc. q.3.art.2.n.3.* Diſt. ergo ſeq. Sequeretur hominem adſtringi præcepto charitatis per ſe formaliter præciſè, neg;materialiter implicitè, & in alio, quatenus ſcilicet adſtringimur omnia ordinare ad amorem Dei, conc. Ad 3, quod eſt arg. *Stoicorum*, reſp. *Beatiſs.P.lib.4.cont.Iul.c.3*;quòd licèt amare virtutes, & actus ipſorum propter illas ſit opus bonum ſecundùm ſe,eſt tamen malè factum, quia eſt inordinatum reſpectu vltimi finis.

18 Obijc. 2. *idem*. Homo in ſtatu iuſtitiæ originalis poterat viribus naturę operari bonum morale; at per peccatum non eſt extinctum liberum arbitrium, ſed debilitatum; vt docet *Trid. ſeſs.6. can.5*; ergo in ſtatu peccati poteſt operari aliquod bonum morale, quamuis non omne; aliter arbitrium eſſet penitus extinctum.

Reſp. eodem modo diſtinguendo de opere vndequaq; bono moraliter,neg.aliqualiter,conc.

19 Obijc.3. *idem*. Prima gratia Theologicè accepta eſt fides; docet enim B.P. *ep.105.* fidem eſſe, *vnde omnis iuſtitia ſumit initium, & de præd.SS.c.7; & 8; & ſæpe alibi; & Trid. ſeſs.6. c.8. Fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis iuſtificationis*; ſed ſine fide poteſt ſciri aliquod bonum morale; ergo poteſt fieri ſine gratia Theologicè accepta. 2. Opera moralia nulla vitiata circumſtantia nec proximè, nec remotè conducunt ad iuſtificationem; quia non connectuntur cum illa; ergo ſine gratia effici poſſunt.Tum quia opus morale eſt à Deo creatore; ſed opus creationis non conducit ad iuſtificationem; ergo nec opus morale.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Sine fide poteſt fieri opus morale bonum vndequaque, neg;aliqualiter bonum, conc. Ad 2. neg. ant; opera enim vndequaque bona ſunt bona etiam ex vltimo fine, & ideo conducunt ad iuſtificationem remotè. Ad aliud dicitur nedum eſſe à Deo, ſed etiam à Chriſto reparatore, prout per gratiam ipſi s referuntur in Deum.

20 Obijc.4. Sequeretur omnia opera infidelium eſſe peccata, quoties non ordinantur in Deum, vt in finem ſupernaturalem; ſed hoc eſt damnatum *contra Baium*; ergo idem.

Reſp.neg.ſeq;infidelibus enim dantur multæ illuſtrationes ſupernaturales,& motiones cordis, quibus vocantur ad fidem; & iſti motus, quibus mouentur in Deum, non ſunt peccata, ſed actus boni moraliter. Inſuper opera infidelium facta ex amore virtutis non ſunt intrinſecè mala, licèt ſint malè facta. *Vid. de Virt. vbiſ.*

21 Obijc. 5. Poſſumus amare naturaliter Deum ſuper omnia; ſed hic eſt actus moraliter bonus; ergo naturaliter poſſumus efficere actum moraliter bonum.

Reſp.neg.ma; vt videbimus *in ſeq. art.*

ART. V.

An ſine gratia poſſimus diligere ſuper omnia Deum, vt Auctorem naturæ?

1 Soluta eſt hæc difficultas *to.2. de Ang. q.7.art.3*; ideo breuiter expedietur.

2 Supp. Deum, vt eſt Auctor gratiæ, non poſſe naturaliter amari ſuper omnia; quia ſic eſt obiectum ſupernaturale ſuperans cognitionem naturalem. Quæritur ergo tantùm, vt eſt Auctor naturæ. Triplex autem ſtatus hominis diſtinguitur *ab Auctoribus*, ſcilicet ſtatus purę naturę, innocentiæ, & peccati.

3 Prima ſententia vult in neutro ſtatu neceſſariam eſſe gratiam ad amandum Deum ſuper omnia amore efficaci ſufficiente ad obſeruantiam totius legis pro paruo tamen, non pro multo tempore. Tribuitur *Scot.in 1.diſt.17.q.2;& in 2. diſt.28.q.1; Gabr.in 3.diſt.c.7.q.1.art.3;Alliacen; Ocham, Maior; Almain;Lorc; Gran;& Med.* Tribuitur etiam *Caiet; & Sot;* ſed vindicantur *à Godoy*, quòd *Caiet.* loquatur de actu efficaci efficacia inadæquata, *& Sot.* de actu inefficaci.

4 Secunda vult gratiam non eſſe neceſſariam ad amorem efficacem Dei in ſtatu naturæ purę, ſed tantum corruptæ. *Ita Abul;Monteſin;Aluar; & Martinez.apud Godoy.*

5 Tertia vult in vtroque ſtatu non eſſe neceſſariam ad amorem ſimplicis complacentiæ, & inefficacem, ſed tantùm ad amorem efficacem etiam pro breui tempore. *Ita Godoy hic diſp.42*; apud quem *Sot;Cur;Zum;Altiſiodor; Albert; Alen; Maior;Veg.Suar; Vaſq; Tanner; Ita etiam Amic; Io à S.Th.Eſparza,Gonet,noſter Gibb.hic diſp.19. dub.2.* Sed diuiſi ſunt;*aliqui* enim putant requiri gratiam naturalem, non ſupernaturalem; vt *Suar; Vaſq; & Taner. Alij* ſupernaturalem, vt *Zum.Cur. Alij* requiri gratiam ſupernaturalem, quando homo eſt in peccato, quia requiritur gratia ſanans à peccato, quæ nequit eſſe, niſi ſupernaturalis; quando verò homo eſt in gratia, ſufficit gratia entitatiuè naturalis; vt *Godoy §.6.*

6 Noſtra tandem docet in quolibet ſtatu ad actualem dilectionem Dei ſuper omnia, quatenus eſt Auctor naturæ,requiri gratiam entitatiuè ſupernaturalem, ſiue actus dilectionis ſit efficax, ſiue inefficax, aut per modum complacentiæ ſimplicis. *Ita Fund.Doct.vbiſ.& omnes Auctores ſit. in ſup.art.*

7 Vnica concl.Ad diligendum Deum ſuper omnia

omnia quomodocunque neceſſaria eſt gratia ſupernaturalis.

Prob. 1. ex 1. Io. 4. *Charitas ex Deo eſt; & omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt; & c. 3. Ecce qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei vocemur, & ſimus.* Super quæ *Beatiſs. P. de grat. Chriſti c. 21;* exprobrans *Pelagium* aſſerentem nos habere ſolam poſſibilitatem ad amandum Deum; ipſam verò volitionem, & actionem ex nobis, ait: *Quare adhuc vſque concedit, quòd ex illis tribus tantummodò poſſibilitatem haberemus ex Deo, bonam verò voluntatem, bonamque actionem habeamus ex nobis. Quaſi verò aliud ſit bona voluntas, quàm charitas, quam Scriptura nobis eſſe clamat ex Deo, & à Patre datam, vt ſi ij eius eſſemus. Ibid. Io. 4. Nos diligamus, quoniam ipſe prior dilexit nos.* Super quod *Beatiſs. P. ibid. c. 36. Non enim haberemus, vnde illum diligeremus, niſi hoc ab illo, cùm prior nos diligeret, ſumeremus.* Ex quibus ſic. 1. Dilectio Dei ſuper omnia eſt actus charitatis, ſed hic nequit naturaliter haberi; ergo nec illa. Prob. ma. Actus charitatis eſt, quo amatur Deus in ſe propter ſe; ſed dilectio Dei ſuper omnia eſt huiuſmodi; quia per ipſam amatur, quia eſt bonus in ſe, & propter ſe; ergo eſt actus charitatis. 2. Dilectio Dei ſuper omnia eſt amor filialis; ſed hic eſt actus charitatis; ergo & illa. 3. Deus, vt ſuper omnia diligibilis, eſt ſupernaturalis; quia eſt ſuper omnia diligibilia naturalia extrinſecè, non enim continetur intrinſecè intra ordinem naturæ creatæ, aliter eſſet creatura; ergo nequit naturaliter amari. 4. Deus, vt eſt Auctor totius naturæ creatæ, neceſſariò eſt extra, & ſupra naturam creatam, ſecus eſſet cauſa ſui; ergo etiam, vt eſt Auctor naturæ, illam excedit, adeoque eſt illi improportionatus, & nequit naturaliter attingi. 5. Dilectio Dei ſuper omnia eſt ordinata in Deū, vt in vltimum finem; ergo eſt medium conducens ad poſſeſſionem illius; vt in illo vltimatè quieſcat; ſed hoc nequit haberi viribus naturæ; ergo idem.

8 Dices. Naturaliter poteſt cognoſci Deus, vt Auctor naturæ; ergo & amari.

Reſp. diſt. ant. Viribus naturæ poteſt cognoſci Deus, vt Auctor naturæ amabilis ſuper omnia, nego; ſic enim cognoſcitur ſolùm per fidem Diuinam, quæ eſt ſuper omnem cognitionem naturalem; non amabilis ſuper omnia, conc; & ſic poteſt amari. Sicut ex eo, quòd poſſit naturaliter cognoſci aliquem hominem eſſe cauſam omnium hominum, non tamen ex hoc cognoſcitur, quòd ſit amabilis ſuper omnia; ita à pari.

9 Prob. 2. *ex eod. Beatiſs. P. de Temp. ſerm. 53;* vbi ſuper illud *Matth. 22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Addidit quoque ſecundum ſimile huic: Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. In his duobus mandatis tota lex pendet, & prophetæ;* ait: *Dei verò dilectio in obſeruatione mandatorum eius tota conſiſtit; ſicut alibi ait: Si quis diligit me, ſermones meos ſeruat.* Item *Apoſt. Rom. 13. Plenitudo legis eſt dilectio.* Ex quo ſic. Si viribus naturæ poſſet diligi Deus ſuper omnia, viribus naturæ poſſet obſeruari tota lex Dei; ſed hoc eſt falſum; ergo & ant. Prob. ſeq. Dilectio Dei conſiſtit in tota, & plena obſeruatione legis; qui enim totam legem Dei non obſeruat, non diligit Deum ſuper omnia; quia illud magis diligit, quàm Deum, propter quod legem tranſgreditur; v.g. ſi quis eſſet adulter, dato, quòd diligeret Deum ſuper alia, non tamen magis diligeret Deum, quàm adulterium, ſed minùs, quia Deum adulterij delectationi poſtponeret; ergo ſi viribus naturæ poſſet diligi Deus ſuper omnia, poſſet viribus naturæ obſeruari tota lex Dei. Mi; quæ fuit ſtatuta *in Conc. Carthag. Milen; & Araux;* vt *inf;* prob. *à Fund. Doct.* Si viribus naturæ poſſet obſeruari tota lex Dei, viribus naturæ poſſet acquiri vita æterna; nam Chriſtus Dominus *Scribæ* interroganti, quod eſſet mandatum maximum, reſpondit, vt *ſupra*, & addidit: *Hac fac, & viues;* vbi porrò loquebatur de vita æterna, non temporali; oſtendens, quòd ſeruando Dei legem acquiritur vita æterna; ſed vita æterna, vt potè ſupernaturalis, nequit viribus naturæ acquiri; ergo viribus naturæ nequit obſeruari tota lex Dei.

10 Prob. 3. Implicat, quòd creatura diligat aliquod magis, quàm ſeipſam; ergo implicat, quòd diligat Deum ſuper omnia. Prob. ant. Implicat, quòd cauſa principalis eliciat actionem excedentem vires ſuæ naturæ, aliter daretur effectus perfectior ſua cauſa principali, quod repugnat Philoſophiæ; ſed creatura diligens aliquod magis, quàm ſe ipſam, eliceret operationem excedentem ſuam naturam, nam illa operatio ſpecificaretur à maiori bono, quod diligeret, & illud maius bonum eſſet excedens, & ſuperius ad naturam, à qua eliceretur talis operatio; ergo Implicat, q[illegible] creatura viribus naturæ diligat aliquod mag[illegible] quàm ſe ipſam.

11 Conf. Titulus difficultatis, vt ponitur ab *Aduerſarijs;* implicat in terminis; ergo ſententia illum affirmans eſt implicatoria. Prob. ant. Vel per illa verba, *vt Auctor naturæ*, intelligitur aliquod formaliter intra naturam; & ſic repugnat, quòd ſit ſuper omnia; nam per hæc verba *ſuper omnia* intelligitur aliquod ſupra totam naturam, & ideo ſuper omne illud, quod formaliter eſt intra naturam. Vel intelligitur aliquod, quod eſt ſupra totam naturam, & eſt ſolùm principium extrinſecum illius formaliter ſupra totam naturā exiſtens; & ſic eſt ſupernaturale, quod repugnat viribus naturæ cognoſci, & diligi, vt definitum eſt in *Conc. Vien. contra Anomæos;* ergo titulus, vt ponitur *ab Aduerſarijs*, implicat in terminis.

12 Vlteriùs. Potentia naturalis nequit naturaliter tendere, niſi in obiectum naturale, quia nequit tendere niſi in ſuum ſpecificatiuum; natura-

turale autem, ſpecificatur à naturali; vt patet; ſed id, quod eſt ſuper omnia naturalia, non eſt naturale; aliter eſſet ſupra ſe ipſum; ergo potentia naturalis creaturę nequit tendere in Deum amãdo ſuper omnia naturalia.

13 Tandem quanuis Deus, vt Auctor naturæ, ſit naturaliter cognoſcibilis ab intellectu humano, attamen non eſt cognoſcibilis per aliquod medium intraneum, ſeu intra Deum; quia omne, quod eſt intra Deum, eſt ſupernaturale, cùm infinitè excedat omne id, quod eſt in natura creata; ſed cognoſcitur per medium extraneũ, ſcilicet per eſſe ipſius creaturæ, quod eſt proportionatum potentiæ naturali eiuſdem creaturæ, & eſt intra ordinẽ ipſius creaturæ; ergo licèt Deus poſſit naturaliter amari, vt Auctor naturæ; attamen medium amandi nequit eſſe ipſa bonitas Dei intra Deum, quæ eſt ſupra omnem bonitatem creatam, ſed debet eſſe ipſa bonitas creaturæ, quæ non eſt ſupra omnem bonitatem creatam, aliter eſſet ſupra ſe ipſam; atqui actus dilectionis commẽſuratur, & proportionatur cum ratione formali diligendi; ergo ſi naturaliter nequit creatura habere rationem formalem diligendi ſuper omnem rationem formalem creatam, neque pariter poteſt habere actum dilectionis Dei ſuper omnia. Ant. probatum eſt *to.1.loc. cit.* ſimul cum *Thomiſtis contra Scot*; quanuis hìc cum illo conſentiant.

14 Ex his deducitur *S.Tho.* explicandum eſſe iuxta dicta *to.3.vbiſ.* non vt explicat *Caiet.*

15 Obijc. 1. *Godoy*. Propoſitio *Bay* 13. damnata aſſerit: *Diſtinctio illa duplicis amoris naturalis, quo Deus amatur, vt Auctor natura, & gratuiti, quo Deus amatur, vt Beatificator, vana eſt, & commentitia, & ad illudendum ſacris literis, & pluribus veterum teſtimonijs excogitata*; ergo datur amor naturalis Dei ſuper omnia. 2. In ſtatu culpæ eſt obligatio diligendi Deum, vt eſt Auctor naturæ; ergo dilectio Dei ſuper omnia eſt poſſibilis per vires naturæ; obligatio enim non datur ad impoſſibile, vt docet *Trident. ſeſſ 6. c.8.* 3. Deus, vt Auctor naturæ, eſt obiectum naturale naturaliter attingibile; nam ſolùm, vt eſt Auctor gratiæ, eſt obiectum ſupernaturale; ergo naturaliter diligi poteſt. 4. Angeli diligunt Deum naturaliter, vt eſt Auctor naturæ; ergo & homo. 5. Non repugnat, quòd Deus conferat homini lapſo auxilium efficax dilectionis Dei ſuper omnia, quod poſſit conferre in ſtatu puræ naturæ; ſed auxilium efficax in ſtatu puræ naturæ eſſet naturale; aliter extraheret hominem à ſtatu puræ naturæ, qui eſt ſtatus naturæ conſideratæ ſine gratia, & ſine peccato; & in tali ſtatu illud auxilium ſecum haberet actualem dilectionem Dei ſuper omnia; ergo & in ſtatu naturæ corruptæ.

Reſp. ad 1. iam fuiſſe explicatum ſuperiùs, in quo conſiſtat amor Dei naturalis; eſt enim amor Dei, quatenus eſt Auctor propriæ bonitatis, qui non eſt amor ſuper omnia; & ideo conceſſo ant. in hoc ſenſu neg. conſ. Ad 2. diſt. ant. Eſt obligatio diligendi Deum ſuper omnia per ſolas vires naturales, neg; hoc enim eſt impoſſibile, & ad impoſſibile obligatio non datur, per vires ſupernaturales, quæ dantur etiam infidelibus, & peccatoribus, quia nulli in hac vita eſt præcluſa via ſalutis, conc. Ad 3. diſt. ant. Deus, vt Auctor naturæ, & vt diligibilis ſuper omnia, neg; vt diligibilis per ipſam bonitatem creaturæ, conc. Ad 4. neg. ant; vt diximus *to. 3. vbiſ.* Ad 5. neg. mi; nam auxilium efficax dilectionis Dei ſuper omnia collatum in ſtatu puræ naturæ, eſſet ordinis ſupernaturalis propter allatas rationes; & per illud eleuaretur creatura ad ſtatũ gratiæ; ſicut ex eo, quòd detur auxilium efficax in ſtatu culpæ, dicitur eleuari ad ſtatum gratiæ. Cùm autem ſubditur, quòd deſtrueretur ſtatus puræ naturæ, dicitur, quòd ſi ſupponatur talem ſtatum debere durare, tunc eſſet impoſſibilis in illo dilectio Dei ſuper omnia, quæ nequit eſſe, niſi ſupernaturalis.

16 Obijc. 2. Homo habet inclinationem naturalem ad amandum Deum ſuper omnia; ergo naturaliter poteſt ſic eum amare; aliter naturaliter inclinaret ad impoſſibile. 2. Si homo naturaliter amans Deum illum non diligeret ſuper omnia, peccaret ſic amando; quia amaret Deum ſolùm æqualiter, ac ſe ipſum, vel minùs ſe ipſo; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. 3. Ratio allata à *Fundat. Doct.*; ob quam nequit creatura bonum morale operari, eſt infirmitas naturæ, & rebellio ſenſuum contracta per peccatum; ergo ſaltem natura ſana poteſt naturaliter bonum morale operari, & ideo Deum amare ſuper omnia. 4. Poteſt per aliquod brèue tempus nulla vrgere tentatio, & nullum ſe offerre præceptum ſeruatu difficile; ergo poteſt homo in illo caſu elicere amorem Dei ſuper omnia ſufficientem ad totius legis obſeruantiam. 5. Si aliqua ratio eſſet, ob quam non poſſet viribus naturæ diligere Deum ſuper omnia, maximè, quia talis dilectio inuoluet propoſitum efficax ſeruandi totam legem; ſed hoc non obſtat, quia licèt ad ſeruandam totam legem requiratur gratia ſupernaturalis; attamen ad propoſitum efficax ſeruandi totam legem non requiritur gratia; quia poteſt quis v.g. naturaliter proponere conſecrationem, quæ tamen ſine gratia fieri non poteſt; ergo nulla eſt hæc ratio.

Reſp. ad 1. *cum Fund. Doct. to.3.vbiſ.* diſt. ant. Habet inclinationem naturalem remotam complebilem per gratiã, vt prorumpat in actum, quæ inclinatio nil aliud eſt, niſi aptitudo, & capacitas, conc; inclinationem proximam, neg. Ad 2. diſt. ant. Peccaret amando comparatiuè, conc; abſolutè, neg; nam ſi facta comparatione inter Deum, & creaturam, æqualiter, vel minùs amaret Deum, quàm creaturam, illum poſtponeret, vel æquipararet creaturæ, & ideo peccaret; at amando Deum abſolutè, vt cauſam ſui eſſe, non

poſt-

poſtponit, vel æquiparat cum creaturæ. Ad 3. diſt. conſ. Natura ſana affecta gratia originali, conc; ſic enim erat dotata amore caſto ipſius Dei ſuper omnia,qui erat ſupernaturalis,cum quo fuit creata. Sine gratia originali, neg. Igitur *Fundat. Doct.* aſſerit infirmitatem naturæ, quæ facta fuit infirma per amiſſionem gratiæ ſupernaturalis,eſſe cauſam; cur non poſſumus bonum morale operari. Ad 4.neg. conſ; quanuis enim nulla vrgeat tentatio, non tamen poſſumus ſine gratia elicere amorem Dei ſuper omnia, quia eſt ſupernaturalis. Ad 5.neg.mi. Ad prob. infert. dicitur, quòd ſi ad ſeruandam totam legem requiritur gratia, etiam ad propoſitum efficax illam ſeruandi eſt neceſſaria; quia per propoſitum efficax poteſt lex ſeruari; aliter non eſſet efficax. Ad illud de propoſito conſecrationis dicitur, quòd ſi ſit naturale,non eſt efficax conſecrationis, quæ eſt ſupernaturalis, ſed ſolùm alicuius actionis naturalis coniunctæ cum conſecratione, vt v. g. ire ad Eccleſiam, proferre verba &c.

17 Obijc.3. Pueri in limbo diligunt naturaliter Deum ſuper omnia, quia carent gratia. 2. Poteſt quis exiſtens in peccato mori pro Deo dilecto, vt eſt Auctor naturæ, ſed tunc eſſet ſine gratia; ergo poteſt ſine gratia amare Deum ſuper omnia. 3. Dilectio Dei, vt eſt Auctor naturæ, non eſt incompatibilis cum peccato, quia non eſt forma iuſtificans; ergo poteſt haberi etiã in ſtatu peccati, in quo non eſt gratia. 4. Omnis homo perueniens ad vſum rationis tenetur ex præcepto naturali diligere Deum,vt Auctorem naturæ ſuper omnia; ſed in illo inſtanti non habet auxilia ſupernaturalia, aliter non daretur infidelitas negatiua; ergo idem.

Reſp.ad 1.neg.ant.Ad 2.neg.mi;nam *Io.15.* habetur: *Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat &c.*, ideo moriens pro Deo haberet actum charitatis perfectũ, qui traheret gratiam iuſtificantem à peccato. Ad 3.diſt. conſ.In quo non eſt gratia habitualis,conc;actualis,neg.Ad 4.neg mi;de Deo enim,vt eſt Auctor naturæ, nequit dari ignorantia inuincibilis, & ideo nec infidelitas negatiua.

A R T. VI.

An ſine gratia poſſimus vrgente tentatione vitare peccata?

1 NOn quærimus; an poſſit vitare peccata, cùm tentatio non vrget; nullus nanque ruit in peccatum, niſi tentetur, vel ab alio,vel à ſe ipſo. Neque an vno peccato poſſit vinci aliud peccatum ſine gratia; poteſt enim eſſe maior tentatio ad vnum peccatum, quàm ad aliud; & tunc non gratia, ſed vna tentatio [illegible]am vincit.

2 Prima ſententia vult ſine gratia ſpeciali poſſe vinci omnes tentationes, quia liberum arbitrium ſine gratia ſpeciali poteſt in omne opus meritorium. Refertur *Dur. in 2. diſt. 29. q.2; & Ric.diſt.28. art.2. q.2; & 3; Scot. ibid. q.2; Palat. diſt.29. diſp.4; & alij.* cit.etiam *D.Tho.in 2.ſent; ſed 1. p. ſe retractauit.*

3 Secunda vult poſſe vinci leuem, non grauem. *Ita Godoy hic diſp.43;* vbi §.1. *n.* 1. ſupponit 1. partem cum reliquis pro ſua *ſent. citatis in ſup. art.* Refert etiam *Caiet; Conr; Med; Aluar; Sot; Monteſin; Lore; Vaſq; Gran; & Merat; & alij.*

4 Noſtra docet ſine gratia entitatiuè ſupernaturali non poſſe vrgente tentatione vitari vndequaque peccatum. *Ita Fund.Doct.in 2.diſt.28. q.2.art.2; & dub.1.lat.ſeq;* vbi §.*Ad quod* ait: *Sic ſi gratiam habes, potes de omni tentatione reportare victoriam; ſi illam non habes, de nulla potes reportare victoriam, cùm victoria importet opus meritorium.* Ita etiam *noſter Greg. in 2. diſt.28.q.1. art.1. concl.3; & alij cit.in ſup.art.*

5 Vnica concl.Ad vitandum vrgente tentatione peccatum vndequaque neceſſaria ſimpliciter eſt gratia entitatiuè ſupernaturalis.

Prob.1.ex *Apoſt.1; Cor. 15. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum;* ſuper quod *Beatiſs. P. de grat; & lib.arb.c.7. Et quis dat victoriam, niſi ille, de quo dicit ipſe: Gratias Deo, qui dat nobis victoriam, & ad Rom.8.c.37.* poſtquam enumerauit tentationes; quæ poſſunt nos ſeparare à charitate Chriſti; ſcilicet tribulatio, anguſtia, fames, nuditas, periculum, perſecutio, & gladius, ſtatim ſubdit: *Sed in his omnibus ſuperuincimus propter eum, qui dilexit nos;* ſuper quod *Beatiſſ. P ibid. Non ergo per nos, ſed per eum, qui dilexit nos.* Ex quo ſic. Si poſſemus ſine gratia Chriſti vrgente tentatione vitare peccatum, victoria tentationum non eſſet ex Deo, ſed ex nobis; & hoc eſt *contr.Apoſt;* ergo & id, vnde ſequitur. Deinde *ex Cant.4. Veni de Libano, coronaberis.* Ex quo ſic. Cuicunque victoriæ reſpondet corona; aliter daretur meritum ſine præmio,quod eſt contra iuſtitiam, vt eſt de ſe manifeſtum;ſed corona correſpondens victoriæ tentationum eſt gloria, quæ nequit acquiri, niſi per gratiam entitatiuè ſupernaturalem; ergo ad victoriam neceſſaria eſt gratia ſupernaturalis.Item *Apoc.2. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei;* & infra. *Qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda.* Et inferiùs. *Vincenti dabo mana abſconditum.* Ex quibus ſic. Sine gratia Chriſti nequit acquiri vita æterna, nec liberari à morte ſecunda, quæ eſt peccatum, nec acquiri præmium æternum; ſed per victoriam tentationis nos inducentis ad peccatum mortale acquirimus vitam æternam, quia effugimus peccatum mortale, quod eſt mors æterna nos priuans vita æterna, & ideo acquirimus præmium æternum, quod eſt promiſſum vincentibus; ergo ſine gratia Chriſti non poſſumus vincere quanlibet tentationem. Ma. patet; aliter enim, vt ſæpiſſimè docet *Beatiſſ.P.cum Apoſt; Chriſtus gratis*

Digitized by Google

tis mortuus fuiſſet; ſi poſſet ſine ipſo haberi vita æterna, & liberari à peccato; cùm propter hoc mortuus ſit.

6 Dices *cum Godey* hæc valere de victoria tentationum proficua ad ſalutem; hæc enim nequit haberi, niſi per Chriſtum, vt docent *Scriptura, Concilia, & PP.*

Sed contra. Per ſolam victoriam proficuam ad ſalutem poteſt vinci peccatum vndequaque, quod vincitur ſolùm per actum vndequaque bonum; quia ſi actus non ſit vndequaque bonus, ex illa parte, qua non eſt bonus, habet annexum peccatum, & ſic vincit peccatum peccati, & ideo non eſt victoria ſimpliciter; ſed actus vndequaque bonus eſt proficuus ad ſalutem, quia eſt meritorius vel diſpoſitiuè, vel formaliter; debet enim eſſe ordinatus in Deum per actum, vel perfectum, vel imperfectum charitatis, vt diximus *in ſup. art.* ergo per ſolam victoriam proficuam ad ſalutem poteſt vinci vndequaque peccatum, ſed illa nequit dari ſine gratia; ergo idem.

7 Prob. 2. *ex Conc. Carthag.* cuius acta continentur *in ep. 90. Beatiſſ. P.* vbi dicitur *de Pelagio, & Caleſtio, eorumque diſcipulis: Quicunque Dogmatizat, & affirmat humanam ſibi ad vincenda peccata, & Dei mandata facienda ſibi ſufficere poſſe naturam.* Quod *Conc. Innoc.* confirmans *ep. 91. inter eaſdem B. Patris* ait: *Niſi magnis precibus gratia in nos implorata deſcendat, nequaquam terrena labis, & mundani corporis vincere conemur errores; cùm pares nos ad reſiſtendum, non liberum arbitrium, ſed Dei ſolum facere poſſit auxilium. Et Conc. Milouit. ep. 92. ad eundem Innoc.* loquens *de Pelagianis* ait: *Illud verò, quod ſequitur: Et ne nos inducas in tentationem; non ita intelligendum, tanquam Diuinum adiutorium poſcere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus; ſed hoc in noſtra eſſe poſitum poteſtate; & ad hoc implendum ſolam ſufficere voluntatem hominis.* Quibus reſpondens Pontifex *ep. 93.* ait: *Eſſe homines, qui non poſuerunt Deum adiutori[illegible]i.* Inſuper *in ratiocinationibus Caleſtii,* quas refert *Beatiſſ. P. lib. de Perf. iuſt. à c. 2. ad 7.* damnatis *in Conc. Carthag.* expreſsè habetur *poſſe naturaliter vitari peccatum;* quibus reſpondet *Beatiſſ. P.* poſſe ſolùm vitari per Chriſti gratiam, aliter Chriſtus gratis mortuus eſſet.

8 Prob. 3. *Scripturis,* & rationibus allatis *art. 4.* Quibus additur ratio, quam afferunt *Concilia,* & eſt *Beatiſſ. P.*, ſcilicet, quòd oppoſita ſententia deſtruit ex parte *orationem Dominicam;* in qua oramus: *Et ne nos inducas in tentationem,* fruſtra enim oratur id, quod eſt in noſtra poteſtate, ſed ſi viribus naturæ poſſemus vincere aliquas tentationes, eſſet in noſtra poteſtate illas vincere, ergo fruſtra oraremus, ne Deus permitteret nos in illas induci. Præterea *Math. 26.* dixit Chriſtus: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem;* non autem dixit; ne intretis *in tentationem grauem;* ſed abſolutè *in tentationem;* ergo ad vincendam quamlibet tentationem orandus eſt Deus, vt det nobis gratiam, qua adiuuemur ad illam vincendam. Præterea ſine gratia Chriſti nullum opus morale vndequequaque bonum poſſumus cognoſcere, aut facere, nam & *ſcire, quid agere debeamus; & velle, vt faciamus, donum Dei eſt ex Conc. Araux;* vt diximus *art. 3; & 4;* ſed victoria peccati vndequaque eſt opus bonum vndequaque; ergo idem.

9 Tandem *cum Fund. Doct. art. 2. vbi ſ. §. Reſpondeo* in fine: *Ex Beatiſs. P. i[illegible]ent. decerpt. ſent. 307.* habetur: *Natura humana, & ſi in illa integritate, in qua condita eſt, maneret, nullo modo ſe ipſam Creatore ſuo non adiuuante ſeruaret. Vnde cùm ſine Dei gratia ſalutem non poſſet ſeruare, quã accepit: quomodò ſine Dei gratia poteſt recuperare, quam perdidit?* Ex quo ſic. Virtus, quæ requiritur ad recuperandam gratiam amiſſam per peccatum, requiritur etiam ad ſeruandum ſe à peccato; ſed ſine gratia non poſſumus gratiam amiſſam recuperare, ergo nec nos ſeruare à peccato. Prob. ma. Virtus, per quam ſeruamur à peccato, eſt oppoſita, & expulſiua peccati; expellit enim peccatum, ne intret in animam; ſed virtus oppoſita, & expulſiua peccati eſt virtus, per quam gratiam recuperamus; ergo idem.

10 *Ex allata auctoritate* colligitur falſum eſſe in doctrina *B. Patris* naturam integram ſine gratia poſſe vitare peccata; quod tamen tanquã certum iactant *Recentiores.* Quando ergo dicitur naturam ſanam, & integram potuiſſe vitare peccata, & vincere tentationes, intelligitur de natura ſana ſimul cum gratia, & charitate, cum quibus fuit creata.

11 Præterea infertur gratiam requiſitam ad vitanda peccata, & vincendas tentationes eſſe entitatiuè ſupernaturalem; eſt enim gratia Chriſti Domini, qua ſanamur à peccato, qua operamur bonum meritorium vitæ æternæ vel formaliter, vel diſpoſitiuè; qua dirigimur in Deum, vt in finem ſupernaturalem, & qua amamus Deũ magis, quàm proprias cupiditates; qui amor nequit eſſe, niſi ſupernaturalis entitatiuè, quia habet pro obiecto ſpecificatiuo Deum, prout eſt bonum ſupernaturale; vt diximus *in ſup. art.*

12 Obiic. 1. *Godoy. Ex Apoſt. 1. ad Cor. 10.* habetur: *Tentatio vos non apprehendat, niſi humana;* Hoc eſt *parua* (inquit *Chriſoſt. to. 4. orat. 24.*) *breuis, & moderata; humanum enim dicit de paruo; vt quando dicit: humanum dico propter infirmitatem carnis veſtra.* Proſequitur *Paulus. Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis; ſed faciet cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſubſtinere:* Ex quibus infert *Chriſoſt. Sunt ergo tentationes, qua ferri non poſſunt; & qua ſunt ha? Omnes, vt ſemel dicam: poſſe enim ferri ſitum eſt in Dei nutu. Si per noſtram mentem eum attraxerimus, quamobrem vt diſcas, videas; quòd non ſolùm illas, que noſtram ſuperant poteſtatem, ſed neque humanas licet facilè ferre*

re

re abſque Diuino auxilio, *ſubiunxit*; *ſed etiam faciet cum tentatione prouentum*. Ex his deducit *Godoy* dati tentationes leues, quæ vocantur humanæ, & noſtram non ſuperant poteſtatem; & dari tentationes graues, quæ noſtram ſuperant poteſtatem; & licèt aſſerat ad omnes requiri adiutorium Dei; attamen quoad tentationes leues intelligitur de concurſu Dei generali, quod ſufficit ad illas vincendas; aliter non bene diſtingueret tentationes in humanas,& in eas,quæ ſuperant noſtram poteſtatem. 2. Liberum arbitrium per peccatum remanſit infirmum, non extinctũ; ergo naturaliter poteſt efficere opera bona facilia, & ideo vincere tentationes leues; vt dicimus, de homine infirmo, & ſano. 3. Ideo ſine gratia nequit vinci tentatio grauis, quia hæc obſcurat rationem, vt non videat bonum agendum; & ideo requiritur gratia illuminans mentem, vt illud videat; & confortans voluntatem, vt tendat in illud; ſed tentatio leuis non obſcurat rationem, aliter eſſet grauis; ergo idem.

Reſp. ad 1. *Chriſoſt.* apertaui trahi in ſenſum oppoſitum; quærens enim, quænam ſint tentationes, quæ naturaliter ferri non poſſunt? reſpondet: *Omnes*; & ideo vt videas, quòd non ſolùm graues, ſed etiam leues non poſſunt ferri ſine Diuino auxilio; ſubijcit *Apoſt. Sed etiam faciet cum tentatione prouentum*; prouentus autem, qui idem eſt, ac meritum, nequit eſſe ſine gratia ſpeciali, ſine qua actus meritorius eſſe non poteſt; & ideo falsò dicitur loqui de adiutorio, quod eſt concurſus Dei generalis, qui non eſt principium meriti, vt patet. *Apoſt.* ergo nomine *tentationis humanæ* non intelligit tentationem ſuperabilem per vires humanas ſine gratia; ſed tentationem,ad quam ſuperandam non requiratur gratia maxima, ſed ſufficiat gratia parua,vel magna, quæ eſt minor maxima. Ad 2. neg.ſupp; nam homo ſanus ſine gratia nequit vincere tentationes graues, quia *Adam* etiam cum gratia lapſus eſt; ergo infirmus nec leues poteſt ſuperare. Paritas ergo non valet præciſa gratia; quia homo ſanus poteſt facere opera difficilia per vires naturæ; at verò natura ſana per ſuas vires nequit vincere tentationes graues, quod eſt proprium ſolius gratiæ. Ad 3. neg.ma.abſolutè; aliquando enim voluntas ita trahitur ab obiecto, vt tendat in illud, etianſi intellectus cognoſcat eſſe malum: vnde illa ratio non eſt adæquata. Vlteriùs neg. ſupp; nam ſine gratia illius rationis nequit cognoſci bonum ordinatum ad vitam æternam, quod eſt bonum vndequaque.

13 Obiic.2. Non reſiſtentia tentationis imputatur ad culpam; & nemo peccat in eo, quod vitari non poteſt; ergo eſt in poteſtate hominis illi reſiſtere.

Reſp. hoc fuiſſe arg. *Cæleſtij*; cui reſp. *Beatiſſ. P. de perf. iuſt. c.2. Conſultiſſimè homini præcipi, vt rectis paſſibus ambulet; vt cùm ſe non poſſe perſpexerit, medicinam requirat, quæ interioris hominis ad ſanandam peccati claudicationem gratia Dei eſt*; *&c. x. Oret gemitu voluntatis, vt impetret donum facultatis.* Et mox loquens de Dauid: *Orat, vt præcepta Dei faciat; quæ, vt fierent, non iuberetur, ſi nihil ibi noſtra voluntas ageret; nec oraretur, ſi ſola ſufficeret, & lib.3. de lib.arb c. Nec tibi imputatur ad culpam, quod inuitus ignoras, ſed quod negligis quærere; neque illud, quòd vulnerata membra non colligis, ſed quòd volentem ſanare contemnis.* Hanc doctrinam ſumpſit *Trid. ſeſs.6. de iuſtif. c.11. Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adiuuat, vt poſſis*; ideo culpatur, qui non rogat. In forma diſt. mi. Quod vitari non poteſt per gratiam, conc, per naturam, neg; ſufficit enim, quòd poſſit vitare per gratiam; quam licèt non habeat in ſe, poteſt tamen rogare, vt recipiat; & quamuis etiam ad rogandum neceſſaria ſit gratia, gratia tamen ad rogandum ſemper datur à Deo, niſi quis per ingentia crimina ſe reddat indignum.

14 Obiic.3. *Fund. Doct. hic ad 2.* ait, *quòd ſine gratia poſſumus diſſentire ab hoc, vel ab illo peccato, ſed non poſſumus ab omni peccato*; ergo poſſumus vincere hanc, vel illam tentationem, non tamen omnem.

Reſp. *Fund. Doctorem* aſſerere nos poſſe ſine gratia diſſentire ab hoc, vel illo peccato, non tamen ab omni, quia tantùm poſſumus diſſentire ab vno conſentiendo alteri, non tamen diſſentiendo ab omni prorſus peccato; quapropter ſubdit nos poſſe dicere: *Incidit in Sillam cupiens vitare Caribdim.*

ART. VII.

An ſine gratia poſſimus implere legem Dei?

1 DVæ hæreſes oppoſitæ fuerunt circa titulum propoſitum. Vna *Pelagianorum* aſſerentium poſſe hominem ſine gratia implere totam legem non ſolùm naturæ, ſed etiam Diuinam; vt patet *ex ep PP. Conc. Cartag. ad Innoc. Papam*, quæ eſt 90. *inter ep. Beatiſſ. Patris*; vbi dicitur *Pelagianos* aſſerere gratiam Dei nihil aliud eſſe, quàm hominis naturam, *quæ per propriam voluntatem legem Dei poſſit implere ſiue naturaliter in corde conſcriptam*; hocèſt *naturæ*; *ſiue in literis datam*; hocèſt *Diuinam*. Altera eſt *Hæreticorum* noſtri temporis aſſerentium liberũ arbitrium eſſe titulum ſine re, vel rem ſine titulo; atque adeo nec etiam cum gratia poſſe legem Dei ſeruare; de quo *Trid. ſeſs. 6. can. 4. & 5.* & *Beatiſs. P. de grat. & lib. arb.*

2 Ex Catholicis autem prima ſententia vult, quòd licèt homo naturaliter non poſſit implere meritoriè omnia præcepta legis naturæ, ſeu ſecundùm modum charitatis; attamen poteſt illa implere quoad ſubſtantiam, idèſt ſine peccato ita, vt poſſit ponere actum naturalem, quo ita adimpleat præceptum Dei, vt contra illud non pec-

Digitized by Google

peccet. Tribuitur *Scot. in 2. diſt.* 28. *q.* 1. §. *Ad quæſtionem*; *Gabr. q.* 1. *art.* 2. *concl.* 3; *Dur. q.* 4. *&* 5; *Abul. in c.* 19. *Matth. q.* 177; *&* 178; quos tamen vindicat *Vaſq.* dicens eos tantùm negaſſe neceſſitatem gratiæ habitualis, non actualis.

3 Secunda vult hominem poſſe obſeruare totam legẽ ſine gratia habituali, non ſine actuali. *Ita Vaſq. hìc diſp.* 196. *c.* 2; apud quem *D. Bon. in* 2. *diſt.* 28. *art.* 1. *q.* 3; *& art.* 2. *q.* 2; *Marſ. q.* 18. *art.* 2. *concl.* 5; *Gabr*; *Scot*; *& Dur.*

4 Tertia vult, quòd licèt poſſit ſine gratia aliqua legis naturalis præcepta adimplere eo; quia ſine gratia poteſt aliquod opus moraliter bonum vndaquaque honeſtum efficere; imò quia etiam per actum aliqua circunſtantia vitiatum poteſt præceptum adimplere, vt conſtat de illo, qui ſubleuat pauperem exiſtentem in extrema neceſſitate ob vanam gloriam; hic enim in veriori ſententia ſatisfacit præcepio; attamen naturaliter nequit totam legem, ſeu omnia præcepta collectiuè adimplere etiam quoad ſolam ſubſtantiam actus *Ita Godoy hìc diſp.* 44. *n.* 1; *&* §. 2. probat 2. partem referens *n.* 6. *Caiet*; *Conr*; *Med*; *Sot*; *Ferrar*; *Monteſin*; *Lorc*; *Cur*; *Zum*; *Martinez*, *Bellarm*; *Sua*; *Vaſq*; *& Merat.* Quibus additur *noſter* Gibb; apud quem *Tanner*; *Amic*; *Arriag*; *Io. à S. Tho*; *& Gouet.* Addunt autem ad obſeruantiam totius legis collectiuè requiri gratiam nedum actualem, ſed etiam habitualem.

5 Noſtra tandem docet, quòd ſine gratia nullum poſſumus adimplere præceptum Dei ſiue diuiſiuè, ſiue collectiuè quoad modum; quia ſine graria nequit referri opus bonum in Deum, & illud non referendo peccatur; vt diximus *art.* 4; nec poſſe quoad ſubſtantiam adimpleri omnia collectiuè, bene tamen aliqua diſiunctiuè. *Ita Fund. Doct. in* 2. *diſt.* 28. *q.* 1. *art.* 4; vbi poſtquam recitauit ſententiam oppoſitam, ait: *Sed hoc eſt contra mentem Sanctorum, & ſpecialiter contra Auguſtinum; nam non ſolùm non poſſumus facere mandata legis ſine gratia meritoriè, vt faciunt exiſtentes in gratia; ſed & ipſa mandata legis non ſolùm quantùm ad modum agendi, ſed quantùm ad genus operis non poſſumus implere ſine gratia; quia habemus naturam infirmam, & vulneratam*; & *dub.* 1. *lat. ſeq.* tradit 2. partem. *Greg*; *& alij cit. in ſuperioribus art.*

6 Vnica concl. Sine gratia nullum legis præceptum etiam diſiunctiuè valemus implere quoad modum, nec collectiuè omnia quoad ſubſtantiam; bene tamen aliqua diſiunctiuè; ad implenda autem omnia pręcepta collectiuè ſimul quoad ſubſtantiam, & quoad modum neceſſaria eſt graria nedum actualis, ſed etiam habitualis.

Prob. 1. pars concl. *Scripturis*, & rationibus allatis *art.* 4. *à n.* 9; nam tunc impletur præceptum quoad modum operis, quando impletur meritoriè, eliciendo ſcilicet actum ſalutarem proficuum ad vitam æternam; tunc enim actus impletiuus præcepti nedum eſt bonus ſecundùm ſuam quidditatem, quia eſt circa bonum honeſtum, ſed etiam eſt ordinatus in vitam æternam, in quem debet ordinari; quæ ordinatio eſt modus ipſius actus; & eſt recta ordinatio; ideo eſt bonus etiam ſecundùm modum actus; ſed viribus naturæ nequit elici, nec vnus, vel alter actus diſiunctiuè, nec omnis collectiuè meritorius vitæ æternæ; aliter vita æterna poſſet viribus naturæ acquiri, vt aiebat *Pelagius*; ergo viribus naturæ, & ideo ſine graria nullum legis pręceptum quoad modum poteſt impleri, diſiunctiuè, vel collectiuè.

7 Item *Ezech.* 11. *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum; vt in pręceptis meis ambulent, & iudicia mea cuſtodiant, faciantque ea*; & *c.* 36. *Auferetur cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & ſpiritum meum dabo in vobis; & faciam, vt in iuſtificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis, & faciatis*; Vbi profectò loquitur de præceptis legis naturę. Super quod *Beatiſſ. P. de grat*; *& lib. arb. c.* 17. *Certum eſt nos facere, cùm facimus; ſed ille facit, vt faciamus prabendo vires efficaciſſimas voluntati.* Ex quo ſic. Si abſque gratia poſſemus implere aliquod præceptum Dei quoad modum, ſequeretur, quòd Deus non faceret, vt faceremus, ſed nos faceremus abſque graria ipſius, Dei adiuuante, & confortante noſtras voluntates ad faciendum; ſed conſ. eſt apertè *contra Scripturam*; ergo & ant.

8 Tum quia *Conc. Dioſpol*; *Mileuit. can.* 4; *Aphric. can.* 3., *Araux. con.* 16., *&* 29. ſtatuerunt cõtra *Pelag.* non poſſe naturaliter legem impleri; impletio enim legis eſt medium ad conſequendam vitam æternam; vt habetur *Matt.* 12. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*; & *Luc.* 10. *Legiſperito* poſcenti, quid ſibi eſſet agendum, vt vitam ęternam poſſideret, reſpondit Chriſtus Dominus: *Diliges Dominum Deum tuum &c., & proximum &c.*, quæ ſunt præcepta legis naturæ, à quibus omnia alia oriuntur; & poſtea ſubiunxit: *Fac hoc, & viues*; vita autem æterna, vtpotè ſupernaturalis, nequit actibus naturalibus acquiri; & ideo lex naturæ nequit naturaliter impleri; ſed hoc nequit intelligi de impletione quoad ſubſtantiã operis; vt *inf.*; ergo quoad modum. Tum quia *prædicta Conc.* ſtatuerunt gratiam eſſe neceſſariam ad omnes, & ſingulos actus bonos; ergo ad omnia, & ſingula præcepta implenda; impletio enim præcepti eſt actus bonus; ſicut eius tranſgreſſio eſt malus.

9 Prob. deinde rationibus allatis *art.* 4; 5; *&* 6. Nam ſine gratia non poſſumus efficere vllum opus moraliter bonum vndequaque, nec diligere Deum, nec vitare peccata vrgente tentatione; vt diximus *vbiſ*; ſed lex quoad modum impletur ſolùm per opera moraliter bona vndequaque, per dilectionem Dei, & fugam à peccato; hæc enim præcipit lex naturæ, vt conſtat; ergo ſine gratia præcepta legis naturæ quoad modum ne-

nequeunt impleri collectiuè, vel diuiſiuè.

10 Prob.2.pars concl. *ex dictis de Virt. q.3. art.7. à n.12. ad* 17; nam ſubſtantia operis ſumitur ex obiecto, à quo ſpecificatur; ſicut modus ſumitur à fine, vt dictum eſt; & tunc impletur præceptum ſecundùm ſubſtantiam operis, quando *fit id, quod faciendum eſt*; vt loquitur *Beatiſs. P.lib.4. cont.Iul.c.3*; idèſt quando fit opus ex ſe honeſtum, vt veſtire nudum &c; ſed ſine gratia poſſumus agere opera honeſta ex obiecto; ergo poſſumus implere præcepta quoad ſubſtantiam operis.

11 Item ſequeretur, quòd audiens miſſam ex puro metu temporali non ſolùm non impleret præceptum meritoriè, ſed nec etiam quoad ſubſtantiam,& ſic peccaret mortaliter, qui enim non ponit quiditatem actus præcepti ſub mortali, peccat mortaliter; ſed conſ. eſt abſurdum; ergo & ant.

12 Tum quia ſequeretur opus bonum ſine gratia eſſe peccatum; quod eſt damnatum in *Baio. Vid.vbiſ.*

13 Quòd autem non poſſit omnia collectiuè, prob. ſic à *Fund. Doct.* Nullus infirmus poteſt operari omnia opera ſani, niſi perfectè ſanetur; ſed omnis homo in ſtatu naturæ lapſæ eſt infirmus; in naturalibus enim fuit vulneratus per cęcitatem in intellectu, & malitiam in voluntate; ergo nullus homo in natura lapſa poteſt operari omnia opera naturalia homini in natura ſana, quæ ſunt opera honeſta ſecundùm ſubſtantiam, niſi perfectè ſanetur; atqui non ſanatur, niſi per gratiam, quæ eſt medicina peccati; ergo ſine gratia nequit operari omnia opera bona naturalia, & ijs implere omnia præcepta legis ſecundùm ſubſtantiam collectiuè.

14 Prob.3.pars concl.ex illo *ad Rom.2. Factores legis iuſtificabuntur*. Super quod *Beatiſs.P. de ſpir. & lit. c.26. Vt ſciamus aliter eos non eſſe factores legis, niſi iuſtificentur*; iuſtificatio autem habetur per gratiam habitualem; ergo ad implenda omnia legis pręcepta quoad ſubſtantiam, & quoad modum neceſſaria eſt etiam gratia habitualis.

15 Vrgetur autem ſic. Ad implenda omnia legis præcepta collectiuè quoad ſubſtantiam, & modum ſimul neceſſaria eſt gratia vincens omnes tentationes, & vitans omnia peccata; non enim ſic implentur omnia præcepta, niſi per victoriam omnium tentationum, & fugam omnium peccatorum, vt patet; ſed hæc eſt gratia ſanctificans; nam gratia actualis eſt auxilium ſpeciale ad implendum vnum præceptum; vt v.g. auxilium ad agendam eleemoſinam; ergo ad implenda omnia præcepta collectiuè quoad ſubſtantiam, & modum ſimul neceſſaria eſt gratia habitualis.

Conf.Impletio totius legis eſt perfecta charitas; habet enim *Apoſt. Rom.13. Plenitudo legis eſt charitas*;ſuper quod *Beatiſs.P.de gratia Chriſti c.9*; ait: *Nemo enim poteſt legem implere per legem; plenitudo enim legis charitas; charitas autem Dei non per legem diffuſa eſt in cordibus noſtris,ſed per Spiritum S; qui datus eſt nobis*; ſed perfecta charitas, quæ datur nobis cum Spiritu Sancto, fert ſecum gratiam habitualem; ergo idem.

16 Sed petes; an gratia habitualis ſequatur, tanquam terminus, ad impletionem totius legis; vel antecedat, tanquam principium elicitiuum illius, vt *quod*?

Reſp; quòd per actum dilectionis perfectæ, quæ eſt gratia actualis, & eſt diſpoſitio proxima ad gratiam iuſtificantem, introducitur in animã gratia habitualis iuſtificans; ſi præſuppoſitiuè in illa non ſit, per quam poſtea implentur omnia præcepta; & ideo ſe habere, vt principium illius, quidquid dicant *aliqui Recentes*. Hinc *B.P.vbiſ.* ait *iuſtificationem non accedere factoribus,ſed præcedere factores*.

17 Ratio autem, ob quam vltra gratiam habitualem neceſſaria eſt gratia actualis,eſt.1.Gratia habitualis, vt *inf.*videbimus *cum Fund. Doct. in 2.diſt.26.q.1.art.3.§.Prima via, & q.2.art.1*; dat eſſe ſupernaturale animę,ſicut anima dat eſſe naturale corpori;hinc ait *Apoſt.1. Cor.15. Gratia Dei ſum id, quod ſum*; ſed anima, & forma, quamuis ſint primum operans; attamen exigunt potentias immediatè operantes, quia ſubſtantia non operatur, niſi mediantibus ſuis virtutibus; ergo gratia habitualis,quæ eſt primum operans, quia eſt forma dans eſſe ſupernaturale, exigit gratias actuales immediatè operantes. 2.Præter gratiam habitualem dantur actus fidei, ſpei, & charitatis, qui ſunt dona Dei, & gratiæ actuales, vt diximus *art.1*; ergo idem.

18 Obijc.1. *Pelagius* non negauit neceſſitatem gratiæ habitualis, vt *ſup.* dictum eſt; ergo *SS. PP.* diſputantes *contra Pelagium* ſolam gratiam actualem probauerunt. 2.Gratia, quæ requiritur ad ſanandam infirmitatem naturæ, non eſt illa,quâ expellitur macula peccati;quia adhuc natura ſine macula peccati eſt debilis, niſi ponatur gratia actualis, quæ conſiſtit in actibus intellectus, & voluntatis; ergo ad operandum non eſt neceſſaria gratia habitualis.3.Gratia habitualis dat ſolùm eſſe ſupernaturale, non operari, vt dictum eſt; ergo idem, quod priùs. 4.Obſeruantia totius legis naturalis eſt opus entitatiuè naturale; ergo ad illud non requiritur gratia habitualis, quæ eſt entitatiuè ſupernaturalis. 5. Sequeretur hominem certò ſcire poſſe ſe habere gratiam actualem; quia certò ſciret ſe per multum tempus tranſgreſſum non eſſe legem naturalem; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. 6. Sequeretur hominem poſt peccatum teneri ad pœnitentiam recurrere; quia tenetur fugere occaſionem proximam peccandi;exiſtens autem in peccato mortali eſſet in occaſione proxima peccandi; quia eſſet ſine gratia habituali, ſine qua non poſſet non cadere in peccatum; ſed conſ. non admittitur; ergo nec ant.

Reſp. ad 1. neg. conſ; nam occaſione probandæ gratiæ actualis, probauerunt etiam habitualem. Tum quia licèt *Pelagius* explicitè non negaret grariam habitualem, attamen propter ſuam calliditatem erat ſuſpectus etiam circa h:c; ideo & illam explicitè probarunt. Ad 2.neg. ant; nam ſicut carentia gratiæ habitualis infirmat naturam, ita carentia gratiæ actualis infirmat potentias; & ideo vtraque requiritur ad ſanandum perfectè hominem, qui debet ſanari nedum in natura, ſed etiam in potentijs. Ad 3. diſt. 2. pars ant. Non dat operari, *vt quod*, neg; vt *quo*, conc. Ad 4. diſt. ant. Obſeruantia legis naturalis quoad omnia præcepta collectiuè, neg; diuiſiuè, conc. Ad 5.neg.ma; quia homo nequit ſcire ſe non eſſe in peccato *iuxta Apoſt. Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum*; vnde ex hoc ſolùm ſequitur poſſe coniecturaliter ſcire, vt docet *Fund Doct. hic diſt.* 28. *q.2. art.2. §. Sed dices*. Ad 6. neg. pariter ſeq; nam nequit homo peccator certò ſcire, quo tempore ſit relapſurus in nouum peccatum; ideo neſcit ſe eſſe in periculo imminenti, quod ſolùm tenetur fugere, quia ſolum periculum imminens eſt occaſio proxima.

19 Obijc. 2. Ad implenda ſingula præcepta diuiſiuè non requiritur gratia habitualis; ergo neque collectiuè; valet enim à particularibus ſufficienter enumeratis ad collectionem illorum.

Reſp. neg. conſ. Ad prob. inſert. diſt. A particularbus ſufficienter enumeratis valet ad collectionem, ſi eadem ſit ſufficientia ad particularia diuiſiuè, & ad collectionem illorum, conc; Si non ſit eadem, vt in caſu, neg; vt qui poteſt portare mille pondera diuiſiuè, non poteſt illa ſimul omnia portare; nam gratia, quæ ſufficit ad implendum vnum præceptum, non ſufficit ad implendum aliud; & ideo ad implenda omnia præcepta requiruntur omnes gratiæ actuales ſimul requiſitę ad impletionem illorum; cum omnibus autem gratijs actualibus requiſitis ad impletionem omnium præceptorum ſtat ſimul gratia habitualis, vt diximus.

A R T: VIII.

An ad vitanda omnia venialia requiratur priuilegium ſpeciale?

1 REfert *Beatiſſ.P. lib. de hæreſ. hær.* 89. *Pelagium* aſſeruiſſe etiam viribus naturæ poſſe vitari omnia peccata venialia. Deinde aſſeruit plures iuſtos nullum omnino comiſiſſe peccatum, inter quos numerat etiam *D. Ioſeph* Virginis Sponſum, & *D. Io.*, vt refert idem *Beatiſs.P. lib. de nat; & grat. c.* 36; quem errorem tenuerat *Iouinianus* aſſerens iuſtum non poſſe peccare, nec etiam venialiter; vt refert *D. Hier. lib. 2. cont. eundem Iouinianum c.* 13. Omnes tamen Catholici fatentur, quòd quanuis aliqua venialia diſiunctiuè poſſint viribus gratiæ vitari, omnia tamen ſimul non poſſe vitari, niſi ſpecialiſſimæ gratiæ priuilegio; vnde gratia habitualis, & actualis, quæ ſufficit ad nunquam peccandum mortaliter, non ſufficit ad nunquam peccandum venialiter, ſed requiritur gratia ſpecialis ad hoc ſpecialiter neceſſaria. Alioualis tamen diuerſitas eſt in explicanda hac impotentia ad vitanda omnia venialia collectiuè; nam *aliqui* volunt eſſe impotentiam phyſicam; vt *Martinez, Cur; & Zum*, alij verò eſſe tantùm moralem; vt *Lorc; & Monteſin; Caiet; Med; Godoy*, *noſter Gibb; Sua; Gran; Arriag; Ouied; & aly*. *Aliqui* tamen *ex his* volunt eſſe impotentiam antecedentem; *aly* verò ſolùm conſequentem. Explicant autem hanc impotentiam moralem ſic. Homo confortatus auxilijs Diuinis, quæ conferuntur de lege communi, eſt in actu primo potens vitare omnia venialia nedū ſingillatim, ſed etiam collectiuè, quia habet gratiam phyſicè, per quam illa poteſt vitare; attamen ratione infirmitatis naturæ habet maximam difficultatem ad illa euitanda in tot occaſionibus quæ offeruntur, ideo non poteſt illa euitare, vnde cenſetur moraliter impotens. Sicuti quanuis iaclens centies talos habeat potentiam phyſicam ad iaciendum eundem numerum; attamen propter difficultatem hoc dicitur moraliter impoſſibile; ita à pari.

2 Vnica concl. Sine priuilegio gratiæ ſpecialis vltra gratias de lege communi iuſtis conceſſas quilibet homo, quantumcunque iuſtus, eſt impotens phyſicè ad vitanda omnia peccata venialia; hoc autem priuilegium conceſſum fuit ſolùm *Beatiſſimæ Virgini Matri Marię*. Ita *Fund. Doct. in 2. diſt.* 28. *q.2. art.2. dub. 1. lat. §. Quod verò*; vbi ait; *Et quia ſenſualitas non plenè ſubiecta eſt rationi, quandiu ſumus in hac vita; ideo quantumcunque ſimus in gratia, non poſſumus omnia peccata venialia vitare*. Quibus verbis aſſignat rationem, vt *inſ.* videbimus; *& diſt.* 21. *q. 1. art.4. dub.1. lat.*

Prob. 1. *Prou.* 24. habetur: *Septies in die cadit iuſtus; & Iac.3. In multis offendimus omnes; & 1. Io.1. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*; ſuper quod *Beatiſs.P. vbiſ.* ait: *Excepta itaque S. Virgine Maria &c. Rogo vos, quantolibet fuerint in hoc corpore excellentia ſanctitatis, ſi hoc interrogari potuiſſent, vna voce clamaſſent: ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. An illud humiliùs reſpondiſſent, quàm veriùs?* Et ex illo *Conc. Carthag. c.6. Quiſquis ſic accipiendum putauerit, vt dicat propter humilitatem oportere dicere nos habere peccatum, non quia verè ita ſit, anathema ſit. Et Trid. ſeſſ.6. c.11. Si quis hominem ſemel iuſtificatum dixerit &c. poſſe in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei priuilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit.* Quod vlteriùs probat *Beatiſſ.P. hom.* 50; *& in Enchir. c.*78; *& de S. Virginit. c.* 49; *&*

Digitized by Google

50; & ſæpe alibi ex eo, quòd tenetur ex præcepto Domini recitare orationem Dominicam, in qua veraciter dicit: *Dimitte nobis debita noſtra*; quod intelligitur de venialibus, aliter iuſti non eſſent: hinc habet *idem Conc. Aphric. c. 7. Item placuit, vt quicunque dixerit in oratione Dominica ideo dicere Sanctos: Dimitte nobis debita noſtra, vt non pro ſe ipſis hoc dicant, quia non eſt eis iam neceſſaria iſta petitio, ſed pro alijs, qui ſunt in ſuo populo peccatores, & ideò non dicere vnunquenque Sanctorum: Dimitte mihi debita mea; ſed dimitte nobis debita noſtra; vt hoc pro alijs potiùs, quàm pro ſe iuſtus petere intelligatur; anathema ſit. Sanctus enim, & iuſtus erat Apoſtolus Iacobus, cùm dicebat: In multis enim offendimus omnes; nam quare additum eſt: Omnes? Niſi vt iſta ſententia conueniret & pſalmo, vbi legitur: Non intres in iudiciũ cum ſeruo tuo; quoniam non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens; & in oratione ſapientiſſimi Salomonis: Non eſt homo, qui non peccet; & in libro Iob: In manu omnis hominis ſignat, vt ſciat omnis homo infirmitatem ſuam; vnde etiam Daniel ſanctus; & iuſtus, cùm in oratione pluraliter diceret: Peccauimus, iniquitatem fecimus; & cetera, quæ ibi veraciter, & humiliter confitetur; ne putaretur (quemadmodum quidam ſentiunt) hoc non de ſuis, ſed de populi ſui potiùs dixiſſe peccatis, poſtea dixit: Cùm orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Domino Deo meo; noluit dicere peccata noſtra, ſed populi ſui dixit, & ſua; quia futuros iſtos, qui tam malè intelligunt, tanquam propheta prauidit. & c. 8. ſeq. Item placuit, vt quicunque ipſa verba Dominicæ orationis, vbi dicimus: Dimitte nobis debita noſtra; ita volunt à ſanctis dici; vt humiliter, non veraciter hoc dicatur; anathema ſit. Quis enim ferat orantem, & non hominibus, ſed ipſi Domino mentientem? Qui labijs ſibi dicit dimitti velle; & corde dicit, qua ſibi dimittantur, debita non habere?* Huius autem *Concilij* Ducem, & ingenium fuiſſe *Beatiſſ. Patrẽ Auguſtinum* ſcribit *S. Proſper c. 2. cont. Ingratos*; ergo nullus iuſtus, quantumuis ſanctus, de facto vitauit omnia venialia, & ideo non habuit potentiam phyſicam ad illa vitanda, aliter illa vitaſſet, ſicut habens potentiam phyſicam ad vitanda mortalia ea vitauit.

3 Ex his collig. *D. Ioannem*, & ceteros Apoſtolos etiam poſt confirmationem venialiter peccaſſe; *Ioannes* enim fuit confirmatus in ventre matris; & tamen dixit. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus &c.*

4 Prob. 2. ex *Fund. Doct. vbiſ.* Potentia phyſica ad ſimpliciter non peccandum venialiter eſt iuſtitia originalis; vel gratia ſpecialis comprimẽs fomitem peccati; vel alia gratia faciens continuò euigilare rationem contra motus inordinatos partis ſenſitiuæ; ſed nulla ex huiuſmodi gratijs fuit Sanctis conceſſa excepta *Beatiſſ. Virgine*; ergo in nullo iuſto fuit potentia phyſica ad non peccandum venialiter. Ma. patet; nam potentia phyſica ad ſimpliciter non peccandum venialiter vel eſt donum, quo ratio ſuperior perfectè ſubditur Deo, & ratio inferior, ac appetitus ſenſitiuus perfectè ſubduntur rationi ſuperiori; quandiu enim ratio inferior, & appetitus ſenſitiuus non ſubduntur perfectè rationi ſuperiori, poſſunt dari motus inordinati contra rationem ſuperiorem, qui, quando non ſunt cum plena aduertentia, non ſunt mortaliter, ſed tantùm venialiter mali; vt diximus *de pecc. q. 3. art. 1. §. 2*; huiuſmodi autem eſt originalis iuſtitia; vt patet; vel eſt alia gratia comprimens vincens huiuſmodi motus inordinatos vel comprimens fomitem, à quo oriuntur; vel euigilare faciens, ne illis imperfectè conſentiatur. Mi. etiam conſtat; quia gratia Chriſti de lege communi iuſtis conceſſa non reſtituit iuſtitiam originalem, nec comprimit fomitem, cùm non tollat rebellionem paſſionum, & conflictum carnis cum ſpiritu; vt patet *ex Apoſt. ad Gal. 5. Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum. Video in membris meis legem repugnantem legi mentis meæ; & Beatiſſ. P. in ſuppl. cont. Iul. lib. 1. c. 71. Reatus eius regeneratione ſolutus eſt; conflictus eius ad agonem relictus eſt*; ergo per ipsã non reſtituitur nobis iuſtitia originalis, nec comprimitur fomes. Nec facit continuò euigilare, quia perfectè non ſanat vulnus ignorantiæ, quod eſt effectus peccati originalis; vt conſtat.

5 Tandem potentia proxima, ſeu virtus proxima (de hac enim *hic* ſolùm loquimur; nam de potentia remota nullum eſt dubium) ad aliquid agendum eſt illa, qua tollitur difficultas potentiæ radicalis, & per quam potentia radicalis conſtituitur proximè potens, & expedita ad eliciendum actum; hoc enim eſt de ratione virtutis proximæ, aliter ſi non poſſit promptè, & expeditè in actum exire, potentia non eſt vltimò, & proximè diſpoſita ad agendum, ſed requiritur vlterior virtus tollens difficultatem, & impedimenta, quæ difficultant actionem, & hæc vlterior virtus erit potentia phyſica proxima; & hoc eo magis valet in actibus ſupernaturalibus, in quibus tota vis, & ratio proxima agendi eſt virtus ſupernaturalis, vt concedunt *Thomiſtæ*; ſed per gratiam de lege communi iuſtis conceſſam non tollitur difficultas voluntatis, nec conſtituitur vltimò, & proximè potens vitare omnia venialia; aliter non requireretur gratia, & priuilegium ſpeciale ad illa actu vitanda; vt fatentur *Aduerſarij cum Trid.*, ſicut enim quia per gratiã efficacem v.g. pœnitentiæ ita diſponitur vltimò, & proximè voluntas ad agendam pœnitentiam, vt abſque alia gratia exeat in actum pœnitentiæ; aliter illa gratia nec eſſet efficax, neque vltimò, & proximè diſponeret, ſed requireret adhuc aliam gratiam, per quam proximè diſponeretur; ita per gratiam iuſtis conceſſam non diſponitur voluntas vltimò, & proximè ad vitanda omnia venialia collectiuè; aliter non requireretur priuilegium ſpeciale; ergo per gratiam iuſtis conceſ-

ſam voluntas non ſit phyſicè potens ad vitanda omnia venialia; ſed requiritur illa gratia ſpecialis priuilegiata, per quam ſolùm ſit phyſicè potens vltimò, & proximè.

6 Obijc.1. Homo obligatur ad vitanda omnia venialia nedum diuiſiuè, ſed etiam collectiuè; ſed non obligatur, niſi ad illud, quod poteſt vitare viribus naturæ, vel gratiæ, quam Deus dat, quia *ad impoſſibile nemo tenetur*; ergo per gratiam, quam Deus de lege cõmuni dat omnibus, homo poteſt vitare omnia venialia etiam collectiuè; quia priuilegium ſpeciale datur vni tantùm, non omnibus.

Propter hoc arg. *Godoy*, *& alij* dixerunt, quòd iuſti habent potentiam phyſicam, non moralem, vt *ſup.* dictum eſt; faciunt autem in hoc magnam difficultatem; verùm faciliter reſp. quòd eodem modo obligamur ad vitanda venialia, quo obligamur ad vitandum peccatum originale; ſunt enim effectus infirmitatis naturæ, quæ eſt effectus peccati originalis; & ſicut licèt non habeamus potentiam phyſicam ad vitandum peccatum originale, attamen non ſequitur, quòd illud non contrahamus, quia ſufficit illud potuiſſe vitare in alio; ita dicendum de veniali. Item ſicuti impotens ex nimia venere non abſoluitur ab obligatione ieiunandi, quia ſua culpa talem potentiã amiſit; ita impotens ad vitanda venialia non abſoluitur ab obligatione non peccandi venialiter, quia potentiam voluntariè amiſit *in Adam*. Igitur diſt. ma. Obligatur ex vi creationis, conceſſ. reparationis, neg; nam ex vi creationis, non ex vi reparationis acceperat donum, quo poterat illa vitare.

7 Obijc.2. Gratia intenſior ſufficit ad vitanda plura venialia; ergo poterit intendi ſecundùm eum gradum, qui ſufficit ad omnia ſimul vitanda. 2. Gratia eſt ſufficiens ad vitanda ſingula venialia diuiſiuè; quia non eſt dabile aliquod veniale in particulari, quod per gratiam non poſſit vitari; ergo & ad omnia collectiuè, quia *à particularibus ſufficienter enumeratis valet ad vniuerſale*. 3. Non obſtante ſenſuum rebellione in materia mortali adhuc poteſt dari gratia valens ad vitanda omnia mortalia collectiuè, vt patet de gratia confirmationis; ergo à pari. 4. Poteſt homo paruo tempore poſt baptiſmum durare ſine peccato veniali; & poſt illud ſtatim mori; ergo ſine priuilegio ſpeciali poteſt quis vitare omnia venialia.

Reſp. ad 1. neg. conſ. quia licèt gratia illuminationis illuſtret intellectum, vt videat aliqua venialia, & illa fugiat; & quo maior eſt illuminatio, plura præuideat; attamen quia non tollit omnino ignorantiam, quæ inflicta eſt per peccatum originale, & quam tollebat omnino originalis iuſtitia; ideo ratio nequit præuidere, & vitare omnia venialia. Ad 2. diſt. ant. Ad vitanda ſingula, quæ præuidentur, conce. quæ non præuidentur, neg. De lege autem communi non conceditur gratia perfectè illuminans, aliter perfectè ſanaret. Ad 3. diſt. conſ. Poteſt dari gratia ſufficiens ad vitãda omnia venialia de lege communi, neg; ex priuilegio ſpeciali, conc. Ad 4. dicitur quæſtionem ſupponere vitam hominis aliquo tempore durare; nam ſi ſtatim poſt baptiſmum moriatur, nullum eſt dubium; tempus autem vitæ poteſt etiam ita breue eſſe, vt paruo tempore plures cogitationes, & affectiones occurrant, quæ omnes vitari non poſſimus.

8 Inſt. Hæc ratio videtur probare ſolùm de venialibus, quæ inſurgunt ex paſſionibus, non autem de ijs, quæ inſurgũt ex obiectis; ergo non probat vniuerſaliter.

Reſp. neg. ant; nam ignorantia, quam patitur intellectus, nedum impedit, vt præuideantur motus inordinati prouenientes à ſenſibus, ſed etiam ex allicientia obiectorum.

9 Obijc.3. *D. Io.*, vt dicitur *in eius hymno*: *Ne leui ſaltem maculare vitam famine poſſes*; liber fuit ab omni vitio leui; ergo ab omni peccato veniali, & tamen non habuit iuſtitiam originalem. 2. *Beatiſſ. P. lib.2. de pecc. merit. c.5. ait aſſerentibus hominem eſſe in hac vita ſine peccato non eſſe continuò in cauta tenacitate obſiſtendum*. 3. De multis Sanctis legitur, quòd fuerit eis ligatus fomes concupiſcentiæ; ergo non eſt priuilegium ſpeciale conceſſum *Beatiſſimæ Virgini*. 4. *pſ.* 118. dicitur: *Beati immaculati in via*; & *Eccl.* 31. *Beatus vir, qui inuentus eſt ſine macula*; ergò iuſti poſſunt eſſe ſine omni veniali, quod pariter maculat animam; & *orat. ad primam* rogamus Deũ, vt nobis concedat gratiam, vt *ad nullum declinemus peccatum*; ergo hoc per gratiam eſt poſſibile; aliter impoſſibile peteremus à Deo.

Reſp. ad 1., quòd *aliqui*, inter quos *noſter Gibb*; aſſerunt priuilegium vitandi omnia venialia in aliqua determinata ſpecie fuit conceſſum aliquibus Sanctis, vt *D. Ioſeph* fuiſſe conceſſum nunquam peccare venialiter in materia caſtitatis; *D. Ioanni* fuiſſe conceſſum nunquam proferre mendacium, nec etiam leue; & ſic *de alijs*, non tamen fuiſſe priuilegium vniuerſaliter vitandi omnia venialia, in qualibet materia. *Alij* tamen dicunt *D. Ioann.* fuiſſe conceſſam gratiam vitandi venialia diuiſiuè, non collectiuè, & ſic *de alijs*. Ad 2. dicitur *Beatiſſ. P.* loqui de poſſibili, nam inferiùs aſſerit id non eſſe de facto. Ad 3. dicitur, quòd fuit ligatus fomes concupiſcentiæ quo ad mortalia, non quo ad venialia. Ad 4. eodem modo dicuntur iuſti immaculati, idèſt ſine macula mortali; & ad aliud dicitur nos rogare Deũ, ne declinemus ad vllum peccatum diuiſiuè, non collectiuè.

10 Obijc.4. *Godoy* contra impotentiam phyſicam, 1. Cum impotentia phyſica ægrè poteſt componi obligatio totius collectionis venialium vitandæ; ergo eſt tantùm impotentia moralis. Prob. ant. Impotentia phyſica reſpectu alicuius collectionis neceſſariò eſt coniuncta cum aliquo con-

contento ſub illa collectione; & ideo ſtare nequit obligatio totius collectionis vitandæ; vt v. g. quia homo eſt impotens phyſicè ad occupanda omnia loca collectiuè, ideo neceſſitatur ad eſſendum ſemper in aliquo loco determinato; propter quod neque vno, neque pluribus præceptis poteſt prohiberi occupatio omnis loci; ergo à pari. 2. Neceſſitas peccandi aliquando venialiter in homine lapſo non eſt phyſica, ſed moralis; ergo & impotentia vitandi totam collectionem. Prob. ant. 1. Solum bonum infinitum poteſt phyſicè neceſſitare volūtatem humanam; ergo nec à ſingulis, nec ab omnibus obiectis collectiuè poteſt voluntas hominis phyſicè neceſſitari ad peccandum venialiter. 2. Cum neceſſitate phyſica nequit componi libertas; ſed voluntas hominis eſt libera reſpectu totius collectionis venialium; ergo non habet neceſſitatem phyſicam peccandi. 3. Tota collectio occaſionum incitantium ad veniale non mouet voluntatem phyſicè, ſed moraliter eo modo, quo ſubitæ cogitationes bonæ, & piæ affectiones voluntatis in ordine gratiæ ſolùm moraliter mouent ad bonum; ſed quia hæc auxilia moralia mouent ſolùm moraliter, nec ſeorſim, nec collectiuè infallibiliter phyſicè, aut metaphyſicè poſſunt neceſſitare neceſſitate antecedēte, ſiue neceſſitate infallibilitatis; ergo incitamēta ad peccandū venialiter nec ſeorſim, nec collectiuè poſſunt phyſicè neceſſitare voluntatem ad peccandum.

Reſp. ad 1. neg. ant; vt diximus ad 1. obiect. Ad prob. dicitur, quòd illa impotentia ita eſt coniuncta, vt potuerit antecedenter non eſſe coniuncta; ideo ſua culpa eſt coniuncta, v. g. ſi homo habuiſſet potentiam ad eſſendum nullibi, & ſua culpa illam amiſiſſet, potuiſſet peccato ligari ad eſſendum nullibi. Ad 2. neg. ant. Ad 1. prob. dicitur, quòd etiam in ſententia *D. Thomæ* motus præueniens rationem phyſicè neceſſitat voluntatem; & tamen non eſt bonum infinitum. Diſt. ergo ant. Solum bonum infinitum ſuppoſito perfecto vſu rationis, & indifferentia iudicij neceſſitat voluntatem, conc; non ſuppoſito perfecto vſu rationis, & indifferentia iudicij, neg. Angelus enim neceſſariò amat ſeipſum, & tamen non eſt bonum infinitum; & ideo neceſſariò amat, quia non habet indifferentiam iudicij reſpectu ſuæ bonitatis. Ad 2. dicitur, quòd eodem modo ſtat libertas cum neceſſitate phyſica peccati venialis, ac originalis; ſicut ergo illa tantùm eſt conſequens ex libero omnium conſenſu, quo omnes *in Adam* peccauerunt; ita dicendum de iſta. Ad 3. neg. ma; nam voluntas phyſicè mouetur ab obiecto, vt diximus. *to. 3 q. 4. de Act. hum.*

11 Præterea dicitur ad hæc omnia, quòd impotentia phyſica non prouenit ex eo, quòd obiecta neceſſitent voluntatem ad peccandum, ſed ex priuatione phyſica gratiæ ſpecialis ad cauendum; ſicuti licèt mulier fornicaria non neceſſitet phyſicè hominem ad fornicandum, attamen voluntas ſine gratia eſt phyſicè impotens ad vitandam fornicationem, quia caret gratia, quæ eſt entitas phyſica neceſſaria ad illam vitandam.

12 Ex hoc magis conf. concl. ſic. Voluntas cum gratia eſt phyſicè potens vitare peccatum mortale; ergo ſub priuatione gratiæ eſt phyſicè impotens, quia ſicut per formam conſtituitur phyſicè potens, ita per priuationem formæ conſtituitur phyſicè impotens. Sed ſolùm priuilegium ſpeciale eſt forma conſtituens voluntatem phyſicè potentem vitare omnia venialia, vt concedunt *Aduerſarij*; ergo per priuationem huius priuilegij conſtituitur phyſicè impotens.

ART. IX.

An gratia habituali iuſtificanti debeatur gratia actualis, qua ſupernaturaliter operemur?

1 Quanuis ſolutio huius difficultatis tradita ſit ſuperiùs; attamen *hic* breuiter iteranda eſt, vt reijciantur aliquæ oppoſitiones *ab aliquibus* factæ; & vt modus loquendi in hac re ſeruandus iuxta noſtram doctrinam *ſuperiùs* traditam explicetur. Quæritur ergo; an ſicuti ex vi doni creationis debetur actualis concurſus Dei ad operandum, qui concurſus, licèt abſolutè ſit liberalis, quia abſolutè non debetur creaturæ; nam ſi eſſet ex debito, gratia non eſſet; vt loquitur *Apoſt*; & ex illo *Beatiſſ. P. de grat; & lib. arb. c. 8; & ſæpiſſimè alibi*; attamen ſuppoſita gratia habituali iuſtificante ſit illi debita gratia actualis ad operandum ſupernaturaliter; & per conſequens pertineat ad donum iuſtificationis, vel tanquam proprietas illius, vel tanquā aliquid cum illa connexum?

2 Prima ſententia vult gratiam actualem ad operandum ſupernaturaliter non eſſe debitam gratiæ iuſtificanti, ſed eſſe donum ſpeciale nullam connexionem habens cum illa. *Ita Monteſin. diſp. 29. q. 2. n. 34; & Lorc. diſp. 3. apud Godoy*.

3 Noſtra docet gratiæ iuſtificanti deberi aliquam gratiam actualem ad operandum ſupernaturaliter, & eſſe connexam cum illa. *Ita Fund. Doct. loc. cit. ſup. art. 7. n. 25. Godoy*, apud quem *Caiet; Med; Cur; Sua; Val; & Bellarm*; quanuis modus lōquendi in probatione à nobis non ſit ſeruandus, tanquam alienus à noſtra doctrina.

4 Vnica concl. Gratia actualis ad exercendā aliquam operationem ſupernaturalem debetur gratiæ habituali iuſtificanti, tanquam aliquid connexum cum illa.

Prob. 1. Ex vi doni creationis debetur homini auxilium actuale ad aliquando operandum phyſicè; *natura enim eſt propter ſuam operationem*, tanquam propter ſuum complementum; quia operari naturaliter ſequitur ad eſſe; at gratia habitualis in ordine ſupernaturali ſe habet, vt natura, dat enim eſſe ſupernaturale; & gratia actualis eſt operatio in eodem ordine; vt diximus *art. 1.*

*art.*1; ergo gratiæ habituali debetur gratia actualis; nam ſicut principio radicali operationis naturalis debetur operatio naturalis, quæ eſt complementum, & perfectio illius; ita principio radicali operationis ſupernaturalis debetur ipſa operatio ſupernaturalis, quę eſt complementum, & perfectio illus; atqui gratia habitualis eſt principium radicale operationis ſupernaturalis; & gratia actualis eſt ipſa operatio ſupernaturalis; ergo ſicut principio radicali operationis naturalis debetur ipſa operatio actualis, quæ prout eſt à Deo, eſt donum naturale ſpectans ad donum creationis ipſius naturæ; nihil enim habet creatura etiam in ordine naturali, quod non ſit donum Dei; ita principio radicali operationis ſupernaturalis, quod eſt gratia habitualis, debetur operatio actualis ſupernaturalis.

5 Conf. Principio radicali vitę debetur vita formalis, quæ conſiſtit in actuali operatione; quia nihil magis debetur potentiæ, quàm ſuus actus, ad quem ex ſua ratione ordinatur; vt oculo viſus, auribus auditus &c; ſed gratia habitualis eſt principium radicale vitæ ſupernaturalis, ergo ei debetur operatio ſupernaturalis, quæ eſt gratia actualis.

6 Prob.2. ex *Beatiſs.P.de grat; & lib.arb.c.*8; vbi quærens, quomodò vita æterna, quæ eſt gratia, reddatur meritis; cùm gratia ſecundùm *Apoſt. Rom.*4. non reddatur *ſecundùm debitum*, ſed gratis detur; ait enim: Ei, *qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum*, cui quæſtioni reſpondet: *Iſta erga quæſtio nullo modo mihi videtur poſſe diſſolui, niſi intelligamus & ipſa bona opera noſtra, quibus æterna redditur vita, ad Dei gratiam pertinere.* Et infra ſubdit, quòd vita æterna, quæ eſt gratia, non debetur noſtris meritis, tanquam noſtris à nobiſmetipſis procedentibus, ſed tanquam à Deo nobis donatis; & ideo *redditur gratia pro gratia*; verba eius ſunt hæc: *Sed audi, & intellige; non ex operibus dictum tanquam tuis ex teipſo tibi exiſtentibus; ſed tanquam his, in quibus te Deus finxit, idest formauit, & creauit.* Ex quibus conuellitur ratio *Aduerſariorum* ſic. Si gratia actualis non deberetur gratiæ habituali, maximè, quia gratia actualis gratis datur, non ſecundùm debitum; ſed hoc non obſtat; ergo idem. Ma. eſt ratio *Aduerſariorum*. Prob. mi. Vita æterna eſt maxima omnium gratiarum, & tamen redditur meritis, quæ ſunt dona Dei; nam licèt gratia non ſit debita naturæ, vel operibus naturalibus ipſius hominis; attamen poteſt eſſe debita gratiæ; vt dicatur *gratia pro gratia*; ergo licèt gratia actualis non debeatur naturæ hominis; attamen debetur gratiæ habituali, quæ eſt donum ipſius Dei.

7 Præterea illud debetur alicui, quod eſt neceſſarium ad conſequendum finem, ad quem ille eſt ordinatus; vt homini ordinato ad ſtudium debentur libri; ad militiam debentur arma &c; ſed per gratiam habitualem homo ordinatur ad vitam æternam, ad cuius conſecutionem eſt neceſſaria gratia actualis loquendo de adultis, de quibus tantùm eſt ſermo; nam adulti ſolùm per merita propria, quæ ſunt gratiæ actuales, & dona Dei, conſequuntur vitam; ergo gratia actualis debetur gratiæ habituali.

8 Item habitus ſupernaturales debentur gratiæ habituali, vt dictum eſt *art.*7; ſunt enim proprietates illius, & proprietas debetur eſſentiæ, cuius eſt proprietas; ſed habitibus ſupernaturalibus debentur actus ſupernaturales, ad quos eſſentialiter ordinantur; & actus ſupernaturales ſunt gratiæ actuales; imò etiam ipſi habitus connumerantur inter gratias actuales diu permanentes; nam nomine gratiæ habitualis intelligimus ſolam gratiam ſubiectatam in eſſentia animæ; ergo gratiæ habituali debetur gratia actualis.

9 Obijc.1. plura teſtimonia *SS. PP; & Conc.* aſſerentium omnia ſtudia, opera, & nutus referenda eſſe ad Dei gratiam; ſed hæc ſunt gratiæ actuales; ergo gratia actualis non debetur habituali. 2. Docent eſſe rogandum Deum, vt concedat gratiam actualem; ergo non debetur; ſicut non eſt rogandus Deus de eo, quod nobis ex vi doni creationis debetur.

Reſp. *SS. PP; & Conc.* aſſerere ſtudia, & opera eſſe referenda ad Dei gratiam, vt in cauſam effectiuam; quia quamuis debeantur gratiæ habituali, vt principio formali; attamen abſolutè, & ſecundùm ſe ſunt dona Dei gratis donata; vt diximus de vita æterna. Ad 2. dicitur, quòd licèt orantes petamus à Deo vitam æternam; attamen non infertur vitam æternam meritis non deberi; ita à pari. Igitur gratia actualis eſt referenda in Deum, & orationibus petenda. 1. Quia licèt debeatur gratiæ habituali; attamen quia eſt *gratia pro gratia*; ideo debet referri in Deum, & poſtulari. 2. Quia cùm neſciamus, an ſimus in gratia habituali; ideo petenda eſt gratia actualis, quæ eſt diſpoſitio ad habitualem. 3. Quia per gratiam actualem conſeruatur habitualis; ſicut per calorem conſeruatur forma ignis; ideo à Deo eſt petenda, vt illa conſeruetur.

10 Obijc.2.cont.1.rationem. Ideo ad operationem naturalem debetur homini concurſus Dei naturalis; quia ei debetur cogitatio boni naturalis, à qua voluntas excitatur ad bonum naturale, & completur in actu primo ad operandum naturaliter; ſed voluntati affectæ habitu ſupernaturali non debetur cogitatio excitans ad bonum ſupernaturale, à qua conſtituitur in actu primo ad operandum ſupernaturaliter; ergo ei non debetur gratia actualis. 2. Ideo cauſis naturalibus debetur concurſus naturalis, quia ſunt ad vnum determinatæ; & ideo cùm ſunt conſtitutæ in actu primo, debetur eis actus ſecundus, qui eſt actualis operatio; ſed voluntas affecta

gra-

gratia habituali adhuc eſt indifferens ad operandum ſupernaturaliter, ergo ei non debetur gratia actualis. 3. Ideo voluntati debetur concurſus ad actus naturales, quia voluntas eſt principium adæquatum actus naturalis; ſed voluntas affecta gratia habituali non eſt principium adæquatum, ſed partiale actus ſupernaturalis, ergo idem; quia principio inadæquato, vt eſt gratia habitualis,non debetur actus adæquatus,qui debetur ſolùm principio adæquato. 4. Plura ſunt impedimenta extrinſeca, quæ impediunt actum ſupernaturalem; vt Dæmones, appetitus ſenſitiuus &c; quàm ſint illa, quæ impediunt actum naturalem; ergo ne fruſtretur gratia actualis, dicendum eſt non deberi gratiæ habituali; quanuis concurſus Dei naturalis debeatur potentiæ naturali.

Reſp. ad 1.neg. mi; nam ſicuti per concurſum naturalem conſtituitur creatura in actu primo proximè potens operari naturaliter, ita per gratiam actualem conſtituitur proximè potens operari ſupernaturaliter. Ad 2.neg. cauſalis ma; nam voluntas eſt libera,& indifferens etiam per ordinem ad actus naturales, & tamen ei debetur concurſus naturalis; ergo à pari. Ad 3.neg. ſuppmi; ſupponit enim voluntatem, & gratiam eſſe duo principia partialia, & inadæquata; quod falſum eſt, vt oſtendimus *tom.1.de Inuiſib.Dei q.2. art.4*; & alibi; vnde ex hoc arguitur oppoſitum; cùm enim gratia ſit principium proximum adæquatum actus boni; ideo illi debetur actus bonus, qui eſt gratia actualis. Ad 4. dicitur, quòd licèt tot ſint impedimenta naturalia extrinſecè impedientia actionem naturalem; attamen debetur concurſus naturalis; ita à pari. Imò ex impedimentorum pluralitate arguitur magis deberi gratiam actualem ad illa tollenda,vt non fruſtretur gratia habitualis.

11 Obijc. 3. Perſeuerantia eſt beneficium ſpeciale indebitum gratiæ habituali; quia multi habent gratiam habitualem, qui tamen non habent perſeuerantiam; tum quia perſeuerantiam petimus à Deo; ſed perſeuerantia eſt gratia actualis; ergo gratiæ habituali non debetur gratia actualis. 2. Donum conſeruationis gratiæ eſt diſtinctum à dono iuſtificationis, & non eſt connexum cum illo; ſicut donum gubernationis naturæ eſt diſtinctum à dono creationis; propter quod *à Iudæis* celebrabatur *Sabbatum* in memoriam beneficij creationis; & *Neomenia* in memoriam gubernationis; tum quia gratia amiſſibiliter datur à Deo; & ideo ei non debetur conſeruatio in eſſe; ergo gratiæ iuſtificanti non debetur gratia actualis. 3. Voluntati affectæ habitu charitatis non debetur dilectio Dei efficax, quanuis ſit illi proportionata; ergo à pari.

Reſp. ad 1; quod petit explicari, quænam gratia actualis debeatur gratiæ habituali. Dicitur ergo,quòd gratia actualis debita gratiæ habituali eſt illuſtratio mentis per fidem ad cognoſcendum Deum; & motio voluntatis ad ipſum amãdum; quæ motio ſi ſit intenſa,eſt radix fœcunda actuum virtutum. In forma igitur diſt. mi. Perſeuerantia eſt gratia actualis, de qua loquimur, neg; de qua non loquimur, conc. Ad 2. diſt. ant. Donum conſeruationis vſque ad finem diſtinguitur à dono iuſtificationis,conc: ſic enim idem eſt, ac perſeuerantia finalis; conſeruationis ad tempus, neg; ſic enim eſt modus iuſtificationis; nam quòd res duret centum annos, & duret ſolùm decem, non dicit aliam, & aliam rem, ſed eandem rem cum diuerſa duratione, quæ eſt modus rei. Sic ad aliud dicitur, quòd licèt gratiæ non debeatur conſeruatio vſque in finem, debetur tamen aliqua duratio ad tempus; vt videmus in rebus temporalibus, quibus debetur aliqua duratio. Ad 3. neg. ant. abſolutè; quanuis enim voluntati affectæ habitu charitatis non debeatur dilectio Dei efficax actuum omnium virtutum; quia aliquis poteſt amare Deum, & tamen non habere voluntatem inflammatam ad ſubeundum martyrium; attamen debetur dilectio efficax, idèſt efficaciter rapiens voluntatem in Deum amando; & in opera faciliora erga proximum.

A R T. X.

An ad perſeuerandum requiratur auxilium ſpeciale?

1 LOquimur de perſeuerantia finali, de qua *Matt.10. Qui perſeuerabit vſq; in finem, ſaluus erit*; non de perſeuerantia ad tempus, quæ ſimpliciter perſeuerantia non eſt, vt docet *Beatiſſ. P. de dono perſeu. c.1.*, nam qui tandem cadit, ſimpliciter perſeueraſſe non dicitur.

2 Perſeuerantia in bono poteſt dupliciter ſumi; vt docet *idem Beatiſs. P. de corr. & grat. c.12. 1.* Pro adiutorio, quod dat poſſe perſeuerare,quia ſine ipſo non poſſumus perſeuerare,nõ tamen dat actu perſeuerare. 2. Pro adiutorio, quod dat actu perſeuerare. Primum vocatur adiutorium perſeuerantiæ *ſine quo non*; ſecundum adiutorium *quo*. Docet ergo; quòd *Adę datum eſt adiutorium perſeuerantia, non quo fieret, vt perſeueraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeuerare non poſſet. Nunc verò ſanctis in regnum Dei prædeſtinatis non tantùm tale adiutorium perſeuerantiæ datur; ſed tale, vt eis perſeuerantia ipſa donetur non ſolùm, vt ſine iſto dono perſeuerantes eſſe non poſſint; verumetiam, vt per hoc donum non niſi perſeuerantes ſint.* Non loquimur de perſeuerantia *ſine qua non*, quam habuit *Adam*, & tamen cecidit; ſed de perſeuerantia, qua actu perſeueratur in finem.

3 Certum eſt *apud omnes cont. Pelagium* voluntatem viribus naturæ non poſſe actu perſeuerare finaliter in gratia,& *cont. Maſſilienſ;* qui dice-

chum, quòd licèt non poſſimus aliquid operari ſine gratia; attamen poſſumus aliquid incipere petendo, & quærendo; & poſſimus in illa perſeuerare; contra quos *Beatiſſ.P.* duos libros de *Præde,ſ.* 88: *& de Dono Perſeu.* repoſuit; ait enim *Apoſt. ad Philipp.* 1. *Qui cepit in vobis opus bonum, ipſe perficiet*; & 1. *Io.*2. *Si fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum*; quibus verbis apertè declaratur permanentiam in gratia vſque ad finem eſſe effectum prædeſtinationis; de quo *vid. Beatiſſ.P. de Dono perſeu. c.* 8: *& 9.* Igitur actualis perſeuerantia eſt donum, & gratia Dei. Quærimus autem in præſenti; an ſit eſſentialiter connexa cum gratia habituali, & illi neceſſariò debeatur,

4 Prima ſententia opinatur, quòd licèt ad diuturnam perſeuerantiam in gratia, quando ſcilicet longum tempum intercedit inter iuſtificationem, & mortem, & eo tempore occurrunt graues tentationes, eſſe neceſſariam gratiam ſpecialem diſtinctam à gratia iuſtificante; attamen ad perſeuerandum per breue tempus, quo non occurrunt graues tentationes, ſufficere ipſam gratiam iuſtificantem. Tribuitur *Veg. in Trid, lib.*12. *c.*22. *circa finem, & Duallio de grat. q.* 1. *art. vlt.*

5 Secunda vult In ſtatu naturæ innocentis non fuiſſe neceſſarium donum ſpeciale, benetamen in ſtatu naturæ corruptæ. *Ita Ianſen*; cui accedunt *Zum; Lorc; & alij apud Godoy* aſſerentes in ſtatu tum innocentiæ, tum culpæ non eſſe neceſſariam gratiam ſpecialem, ſed ſufficientem eſſe prouidentiam generalem. Sed hæc opinio reiecta fuit *to.*2. *de Vol. Dei q.*5. *art.*3.

6 Noſtra ſententia docet ad omnem perſeuerantiam finalem neceſſarium eſſe donum ſpeciale non connexum neceſſariò cum gratia iuſtificante. Ita expreſsè *Beatiſſ.P. lib. de Dono perſeuer.* & deducitur *ex Fund.Doct. in Ep.ad Rom. c.*6. *lect.* 19: vbi *cum Apoſt.* ait perſeuerantiam in iuſtitia vſque ad mortem in gratia vltra gratiam, per quam deſerimus vitam veterem, & inchoamus vitam nouam, & abſoluimur à peccato, eſſe procurandam; quod non eſſet dicendum, ſi perſeuerantia finalis eſſet connexa, & debita gratiæ juſtificanti; habita enim gratia iuſtificante haberetur perſeuerantia finalis. Hæc ſententia *teſte Godoy diſp.* 47. communis eſt *inter Theologos*.

7 Vnica concl. Donum perſeuerantiæ finalis eſt donum prouidentiæ ſpecialis non connexum eſſentialiter cum gratia habituali; ſiue ſermo ſit de perſeuerantia ad lungum, ſiue ad breue tempus,

Prob. 1. pars concl. ex illo *Matth.* 10. *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*. Ex quo ſic. Perſeuerantia finalis eſt eſſentialiter connexa cum vita æterna, eſt enim effectus infallibilis prædeſtinationis; ſed gratia habitualis ſecundùm ſe non eſt eſſentialiter connexa cum vita æterna, poteſt enim amitti, & amittentem damnari; quapropter ait *Trident. ſeſſ.* 6. *can.*13. *contra Lutheranos, & Caluiniſtas* aſſerentes gratiam ſanctificantem ſemel acceptam non poſſe ampliùs amitti: *Si quis hominem ſemel iuſtificatum dixerit ampliùs peccare non poſſe, neque gratiam amittere, anathema ſit*; & habetur expreſsè *in Scriptura*; nam *Ezech.*18. dicitur: *Si euerterit ſe iuſtus à iuſtitia, & fecerit iniquitatem*; auertere autem ſe à iuſtitia, & facere iniquitatem eſt amittere gratiam iuſtificantem, quæ nequit ſtare ſimul cum iuſtitia, quæ eſt idem, ac iniquitas; ergo perſeuerantia finalis eſt gratia ſpecialis non connexa eſſentialiter cum vita æterna.

15 Conf. *ex Apoſt. ad Phil.* 1. *Vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolùm, vt credatis in eum, verum etiam vt patiamini pro eo*. Super quod *Beatiſſ. P. de Dono perſeuer. c.* 2, ait: *Horum quippe vnum pertinet ad initium, alterum ad finem; vtrunque tamen donum Dei eſt; quia vtrunque dixit eſſe donatum*. Ex quo ſic. Initium, & finis noſtræ iuſtificationis ſunt dona Dei; ſunt enim ſupra naturam; quia ſicut nullus poteſt viribus naturæ iuſtificare ſe ipſum, ita nec conſequi finem ſuæ iuſtificationis; ſed finis iuſtificationis non connectitur eſſentialiter cum principio; nam multi iuſtificati non perſeuerarunt, ſed ceciderunt in peccatum, & damnati ſunt; de quibus 1. *Io.*2. dicitur: *Si fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum*, ſuper quod *Beatiſſ.P. vbiſ. c.*8. ait: *Deus autem melius eſſe iudicauit miſcere quaſdam non perſeueraturos certo numero ſanctorum ſuorum; &c. multos enim à pernicioſa elatione reprimit; quod ait Apoſt.* 1. *Cor.* 10. *Quapropter, qui videtur ſtare, videat, ne cadat*; ergo idem.

Prob. 2. *In oratione Dominica* petunt Sancti perſeuerantiam in bono vſque in finem, vt enim ait *D. Cypr. Cùm dicimus: Sanctificetur nomen tuum; petimus, & rogamus, vt qui in baptiſmo ſanctificati ſumus, in eo, quod eſſe cepimus, perſeueremus*; ſuper quod *Beatiſs.P. vbiſ. c.*2. *In ſanctificatione igitur perſeuerantiam, hocèſt vt in ſanctificatione perſeueremus, nos ab eo petere iſte Doctor intelligit, cùm ſanctificati dicimus: Sanctificetur nomen tuum*. Mox. *Profectò & ipſam perſeuerantiam magnum Dei donum, quo cætera eius dona conſeruantur, accipiunt. Quòd cùm dicimus: Veniat regnum tuum? &c. Ergo & hi, qui iam ſancti ſunt, quid orant, niſi vt in ea ſanctitate, quæ illis data eſt, perſeuerent? Neque enim aliter eis veniet regnum Dei, quod non alijs, ſed his, qui perſeuerant vſque in finem, certum eſt eſſe venturum*; & *c.*3. ſuper illud: *Fiat voluntas tua ſicut in Cælo, & in terra*; poſtquam *cum eod.* S. *Cypr.* docuerat nomine *Cæli* intelligi fideles cœleſtem hominem indutos, & nomine *terræ* infideles adhuc terrenum hominem portantes, loquens de fidelibus iam ſanctificatis per gratiam habitualem ait: *Fiat voluntas tua; cùm enim iam facta*

ſit

ſit in eis, cur vt fiat adhuc, petunt, niſi vt perſeuerent in eo, quod eſſe cœperunt? Dein de aſſerens nomine *Cœli* intelligi Angelos; & nomine *terræ* homines, ait, quòd orant ſancti, vt fiant perſeuerantes in bono, ſicut ſunt Angeli; nam quanuis homines habeant ſanctitatem, non tamen cum illa annexam habent perſeuerantiam: *Quantalibet enim homines ſanctitate præpolleant; nondum ſunt æquales Angelis Dei. Nondum ergo ſicut in Cœlo* (idèſt in Angelis) *in eis fit voluntas Dei;* & *c.4.* ſuper illud: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie;* aſſerens *iuxta S. Cypr.* nomine *panis* intelligi Eucharistiam ait, quòd his verbis Sancti orant; *ne à Chriſti corpore ſeparentur, ſed in ea ſanctitate permaneant, quæ nullum, quo inde ſeparare mereantur, crimen admittant;* & *c.5. Iam verò cùm dicunt ſancti: Ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo; quid aliud, quam vt in ſanctitate perſeuerent, precantur? Nam profectò conceſſo ſibi iſto dono Dei (quod eſſe Dei donum, cùm ab illo poſcitur, ſatis, apertèque monſtratur) iſto igitur conceſſo ſibi dono Dei: Ne inferantur in tentationem; nemo ſanctorum eſt, qui non teneat vſque in finem perſeuerantiam ſanctitatis; neque enim quiſquam in propoſito Chriſtianitatis perſeuerare deſiſtit; niſi in tentationem primitus inferatur;* ergo perſeuerantia finalis eſt donum ſpeciale non connexum cùm gratia habituali.

9 Conf. *ex eod. ibid. c.6.* docente: *Hoc ergo Dei donum ſuppliciter emereri poteſt; ſed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non poteſt. Cùm enim perſeuerauerit quiſque vſque in finem; neque hoc donum poteſt amittere, nec alia, quæ poterat ante finem. Quomodò enim poteſt amitti, per quod fit, vt non amittatur etiam, quod poſſet amitti?* Ex quo ſic. Perſeuerantia finalis eſt donum Dei inamiſſibile ante finem hominis, per quod fit, vt cętera dona, quibus coniungitur, ſint inamiſſibilia; aliter ſi amitteretur ante finem, non eſſet vſque in finem; ſed gratia habitualis poteſt amitti ante finem hominis, quia homo, quantumuis ſanctus, poteſt cadere in peccatum, & amittere ſanctitatem; ergo idem.

10 Hæc veritas expreſsè traditur *à Conc. Araux. can.6; 10; 19; & 25.* ferè iiſdem verbis allatis *ex Beatiſs. P.; & à Trid. ſeſs.6. can.22. Si quis dixerit iuſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta iuſtitia perſeuerare poſſe; vel cum eo non poſſe, anathema ſit.*

11 Præterea gratia habitualis iuſtis collata in hoc differt à gratia confirmationis; quòd illa, non iſta poteſt amitti, ſed perſeuerantia finalis nequit amitti; ergo eſt donum ſpeciale diſtinctum à gratia habituali. Ma. eſt certa de fide; & ratio eſt; quia gratia habitualis ita ſanat naturam, vt tollat infirmitatem peccati, non tamen infirmitatem carnis, ob quam poteſt labi in peccatum; gratia autem confirmationis ſanat ab vtraque infirmitate. Mi. etiam eſt certa; nam perſeuerantia finali fit, vt natura nequeat in fine labi in peccatum, & in illo decedere.

12 Tandem perſeuerantia finalis eſt effectus prædeſtinationis neceſſariò cum prædeſtinatione connexus; vt habet *Beatiſs. P. vbiſ. c.9; & de corr. & grat. c.9;* vbi agens de non perſeuerantibus, ait: *Deus perſeuerantiam non dedit, haberent enim eam, ſi in eo filiorum numero eſſent;* ſed prædeſtinatio eſt prouidentia ſpecialiſſima, quia eſt tantùm erga electos; ergo & perſeuerantia. Atqui gratia habitualis datur electis, & reprobis; ergo ab illa diſtinguitur.

13 Prob. 2. pars concl. 1. *ex B.P. vbiſ. c.2.* docente: *Sed quis dicat iſtis non donari perſeuerantiam, qui ægritudine corporis, vel quocunque caſu moriuntur in Chriſto; cùm longè difficilior donetur illis, à quibus ſuſcipitur, & mors ipſa pro Chriſto? Multò quippe difficiliùs perſeueratur; vbi hoc agit, qui perſequitur, ne perſeueretur; & propterea vſque ad mortem ſuſtinetur, vt perſeueretur. Illam proinde difficiliùs perſeuerantiam, iſtam faciliùs eſt habere; ſed cui nihil difficile eſt, facile eſt vtranque donare; & ſuperiùs c.1. Hanc habet vnius anni fidelis; & quantùm infra cogitari poteſt* (idèſt vnius diei, vnius horæ, vnius inſtantis) *ſi donec moriatur, fideliter vixit;* & rationem affert *c.17. Videte iam à veritate quàm ſit alienum negare donum Dei eſſe perſeuerantiam vſque in finem huius vitæ; cùm vitæ huic, quando voluerit, ipſe det finem, quem ſi dat ante imminentem lapſū, facit hominem perſeuerare vſque in finem. Sed mirabilior, & fidelibus euidentior largitas bonitatis Dei eſt, quòd etiam paruulis, quibus obedientia non eſt illius ætatis, vt datur, datur hæc gratia;* ex quibus patet perſeuerantiam finalem dari etiam paruulis baptizatis decedentibus ante vſum rationis, & peccandi incapacibus; propter quod à fortiori dicendum eſt neceſſariam eſſe adultis quantocunque paruo tempore, vel etiam ſtatim decedentibus poſt iuſtificationem. Formatur autem ſic eius ratio. Illud, quod non habetur ex vi ipſius gratiæ habitualis, ſed ex mera liberalitate voluntatis Dei concedentis illud aliquibus, non omnibus iuſtificatis, eſt donum Dei ſpeciale; ſed perſeuerantia finalis ſiue in adultis, ſiue in paruulis eſt huiuſmodi; ergo ſiue in adultis lungo, vel paruo temporè viuentibus, ſiue in paruulis ſtatim poſt baptiſmum morientibus eſt donum Dei ſpeciale non connexum cum gratia habituali, prout communis eſt electis, & reprobis. Ma. conſtat; ſumitur enim *hìc* donum ſpeciale, prout comparatur ad gratiam habitualem, prout donatam communiter reprobis, & electis iuſtificatis; & ideo illud dicitur donum ſpeciale, quod non eſt commune omnibus habentibus gratiam habitualem iuſtificantem, & quod non oritur ex illa, tanquam aliquod eſſentialiter connexum; id enim, quod oritur ex gratia habituali, tanquam aliquod eſſentialiter connexum cum illa, eſt commune omnibus illam habentibus; vt quia riſibilitas oritur ex rationalitate,

Digitized by Google

tanquam aliquod connexum cum illa, non eſt ſpecialis aliquibus hominibus rantùm, ſed omnibus communis. Prob. mi. Quòd paruuli moriantur in gratia ante vſum rationis, & ideo ante lapſum, & adulti habentes vſum rationis moriantur ante peccatum, hoc non eſt ex vi ipſius gratiæ habitualis, aliter omnes habentes gratiam habitualem morerentur ante peccatum, & ſaluarentur; habita enim ratione formali, ad quam eſſentialiter ſequitur aliquis effectus, habetur etiam ille effectus, in quocunque habeatur illa ratio formalis, vt diximus de riſibilitate, & rationalitate; ergo perſeuerantia finalis non habetur ex vi ipſius gratiæ habitualis communiter ſumptæ.

14 Prob. 2. Perſeuerantia finalis eſt effectus proprius prædeſtinationis; conuenit enim ſolis prædeſtinatis, & dicitur conuertibiliter cum prędeſtinatione; valet enim: *Qui perſeuerat vſquem in finem, ſaluatur; & ſaluatur, qui perſeuerat vſque in finem*; ſed prædeſtinatio eſt prouidentia ſpecialis reſpectu prouidentiæ generaliter cōcedentis gratiam habitualem omnibus iuſtis, non enim omnes habentes gratiam habitualem ſunt prædeſtinati; ergo idem; atqui paruuli, & adulti ſiue paruo, ſiue lungo tempore viuentes, ſi moriantur in gratia, ſunt prædeſtinati, quia gloriam conſequuntur; ergo in illis perſeuerantia finalis eſt donum Dei ſpeciale. *Vid.* alias rationes allatas pro 1. parte concl; facillimè enim poſſunt reduci ad hanc etiam probandam.

15 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. Gratia habitualis, qua iuſtificamur per Chriſtum, cum auxilijs, quæ ſecum affert, valet ad vitanda omnia peccata; ſtatuit enim *Mileuit. can. 3. non ſolùm valere ad remiſſionem omnium peccatorum, ſed etiam in adiutorium, ne committantur*; ergo ſola gratia habitualis eſt ſufficiens ad viuendum in gratia vſque ad finem vitæ; & ideo ab illa habetur perſeuerantia finalis. 2. Homini iuſto ratione gratię habitualis debentur auxilia, quibus poteſt vſque in finem perſeuerare; ergo ei debetur perſeuerantia finalis. Prob. ant. 1. Homo iuſtus per gratiam habitualem acquirit ius ad gloriam; quia per gratiam habitualem conſtituitur filius Dei; *ſi autem filij, & hæredes*; hæredes autem habent ius ad hæreditatem; hæreditas verò filiorum Dei eſt gloria; & ideo homo iuſtus habet ius ad gloriam; ſed habenti ius ad gloriam debentur omnia requiſita, ſeu media ad illam conſequendam, inter quæ eſt perſeuerantia finalis; ergo homini iuſto ratione gratiæ habitualis debentur auxilia, quibus poteſt vſque in finem perſeuerare. Prob. 2. idem ant. Ratione gratiæ habitualis homo obligatur ad ſeruanda omnia præcepta ſupernaturalia inexcuſabiliter; quia per gratiam habitualem inclinatur in finem ſupernaturalem; ſicut enim quia natura inclinat hominem in finem naturalem, ideo homo ratione naturæ obligatur ad ſeruanda omnia præcepta naturalia; ita à pari; ſed ſine auxilijs dantibus potentiam moralem ad perſeuerandum vſque in finem homo non obligatur inexcuſabiliter ad ſeruanda omnia præcepta ſupernaturalia; ergo homini iuſto ratione gratię habitualis debentur auxilia ad perſeuerandum vſque in finem. Prob. 3. idem ant. Gratiæ habituali debetur auxilium, quo poſſit elicere firmum propoſitum perſeuerandi vſque in finem; ergo etiam debetur ipſa perſeuerantia in finem; quia cuilibet virtuti potenti elicere aliquem actum debetur auxilium ad illud eliciendum. Prob. 4. Perſeuerantia vel eſt virtus moralis, vel eſt diſpoſitio ad virtutem; ſed cum gratia habituali infunduntur omnes virtutes morales; ergo ei debetur perſeuerantia.

Reſp. ad hæc omnia *cum B.P. vbi ſ. c. 6.* Ad 1. diſt. ant. Gratia Chriſti valet ad vitanda omnia mortalia amiſſibiliter, conc; inamiſſibiliter, neg; finalis autem perſeuerantia neceſſaria eſt ad vitanda mortalia inamiſſibiliter. Ad 2. diſt. ant. eodem modo. Debentur auxilia amiſſibilia, conc; inamiſſibilia, neg. Ad 1. prob. eodem modo diſt. ma. Acquirit ius ad gloriam amiſſibile, conc; per peccatum enim, in quod poteſt cadere, illud amittit; inamiſſibile, neg; ſic enim acquiritur per ſolam perſeuerantiam finalem, & ſic diſt. mi. Habenti ius amiſſibile debentur omnia auxilia amiſſibilia, conc; inamiſſibilia, neg. Ad 2. prob. omiſſa ma; quæ falſa eſt quoad obligationem ad pręcepta naturalia; hæc enim nequeunt ſine gratia impleri, vt *ſuperiùs* diximus; diſt. mi. Ad perſeuerandum vſque in finem amiſſibiliter, conc; inamiſſibiliter, neg; ſeruanti enim præcepta ſupernaturalia per auxilia amiſſibilia Deus donat perſeuerantiam, quæ eſt donum inamiſſibile. Ad 3. neg. conſ; quanuis enim homo iuſtus poſſit elicere firmum propoſitum perſeuerandi vſque in finem; attamen ex hoc non habetur perſeuerantia finalis, niſi donetur à Deo; ſicut quanuis quis poſſit habere propoſitum firmum ſtudendi toti curſui Theologico; attamen non habetur ex hoc tale ſtudium, niſi vita donetur; ita quanuis poſſit iuſtus habere firmum propoſitum perſeuerandi in finem, quantùm eſt ex ſe; attamen non habet perſeuerantiam finalem, niſi à Deo donetur. Ad 4. eodem modo diſt. mi. Infunduntur omnes virtutes morales amiſſibiliter, quibus debentur actus ſolùm amiſſibiles, conc; inamiſſibiliter, neg. *ſed de hoc infra.*

16 Obijc. 2. Perſeuerantia finalis in gratia habituali eſt duratio; ſed duratio rei eſt modus, qui non diſtinguitur ab ipſa re; ergo perſeuerantia in gratia habituali nō diſtinguitur ab ipſa. 2. Sola gratia habitualis adueniente morte eſt ſufficiens ad acquirendam gloriam; ergo ad perſeuerandum finaliter.

Reſp. eodem modo ad 1. diſt. ma. Eſt duratio amiſſibilis, neg; & in hoc ſenſu conc. mi. Eſt duratio inamiſſibilis, conc; & in hoc ſenſu neg. mi; nam duratio inamiſſibilis non eſt modus gra-

tiæ

tiæ habitualis communiter ſumptæ, quia ſic ei competit duratio amiſſibilis; ſed eſt modus perſeuerantiæ finalis. Sicut enim ex eo, quòd corpus, quod ſecundùm ſe eſt corruptibile,& amiſſibile, ratione dotium gloriæ fiat incorruptibile, & inamiſſibile, dicitur durare inamiſſibiliter;ipſa duratio inamiſſibilis eſt modus dotis gloriæ, ratione cuius corpus durat perpetuò, non autem eſt modus proprius ipſius corporis; ita à pari. Ad 2.diſt.aut. Adueniente morte,cum qua ſimul donatur perſeuerantia finalis,conc;ſecus,neg.

17 Obijc.3.cont.2.partem concl.Si recenter iuſtificato ante mortem breui ſecuturam nulla occurrat grauis tentatio, aut præceptum difficile, tunc ſufficit gratia habitualis ad illud ſeruandum; ergo in hoc caſu nullum requiritur auxilium ſpeciale.2.Poſt inſtans iuſtificationis poteſt quis immediatè mori abſque eo, quòd recipiat à Deo aliud auxilium; ſed tunc ſaluaretur; ergo non eſt in hoc caſu neceſſaria perſeuerantia.

Reſp.ad 1. eodem modo. Sufficit gratia habitualis ad illud ſeruandum amiſſibiliter,conc; inamiſſibiliter, neg; nam gratia habitualis eſt amiſſibilis, & ideo nequit inamiſſibiliter operari; cùm modus operandi ſequatur modum eſſendi; ad acquirendam autem gloriam, quæ eſt inamiſſibilis, requiritur actus inamiſſibilis; nam actus ſpecificatur ab obiecto; & ideo ſi illud eſt inamiſſibile, etiam iſte eſt immiſſibilis; ergo requiritur perſeuerantia finalis, quæ dicit inamiſſibilitatem. Ad 2. neg. ma; nam tunc reciperet donum inamiſſibile, quod eſt ſpeciale, & diſtinguitur à gratia habituali, quæ eſt amiſſibilis. Ex quibus patet vnico verbo *Beatiſſ. Patris* omnes difficultates diſſolui, & concluſionem probari.

QVAEST. III.

De Gratia habituali.

EXplicatis difficultatibus, quæ ſpectant ad gratiam actualem, quæ in adultis eſt diſpoſitio ad gratiam habitualem, ſequitur agendum de ipſa gratia habituali; quæ inter omnes gratias principalis eſt, & perfectior; cùm forma, ad quam dantur diſpoſitiones,ſit ipſis diſpoſitionibus longè præſtantior; tum quia eſt radix omnium aliarum gratiarum, & ſemen, quo ad vitam regeneramur æternam in ſortem hæreditatis filiorum Dei vocati.

ART. I.

An gratia habitualis ſit qualitas intrinſecè recepta in eſſentia animæ, tanquam in ſubiecto?

1 NOmine *gratiæ habitualis* intelligitur gratia iuſtificans à peccatis, ſanctificans animam, ipſam exornans, *tanquam ſponſam viro ſuo*, ac reddens gratam Deo dans illi ius filiationis, & hæreditatis æternæ.

2 Tria quæruntur in titulo. 1. an gratia ſit aliquod intrinſecè receptum in iuſto? 2. an, & quæ qualitas ſit? 3.an recipiatur in anima immediatè, tanquam in ſubiecto? Hæc tria ſimul nectimus; quia eadem ratione probantur, & aliàs parum difficultatis habent.

3 Quoad 1. *Caluinus, Lutherus, Kemnitius apud Bellarm.lib.1.de grat.& lib.arb.c.3.*dixerunt gratiam, qua iuſtificamur, eſſe aliquod extrinſecum nobis; quia eſt iuſtitia Chriſti nobis imputata, & fide apprehenſa; vt *inf.* dicemus *q.4.* Quoad 2. *Oſiander* voluit gratiam eſſe ipſam ſanctitatem ſubſtantialem Dei reddentem hominem iuſtum & ſanctum; ſicut lux Solis nihil aliud eſt, quàm ipſa præſentia Solis reddens aerem lucidum. Quoad 3. *aliqui* volunt ſubiectari immediatè in voluntate. Tribuitur *D.Bon; Dur; Sot; & alijs* ſubſtinentibus gratiam habitualem non diſtingui ab habitu charitatis.

4 Noſtra tamen ſententia docet eſſe qualitatem intrinſecè receptam in eſſentia animæ,tanquam in ſubiecto. *Ita Fundat. Doct. in 2.diſt.26. q.1. art.1; 2; & 3; & in 1. diſt.17. q.1. art.2; & Quodl.6. q.5; & ſuper Salut. Angelic. fol.11; Argent. in 2. ibid; Greg; & Gibb. Ita etiam D. Tho: 1.2. q.110. art.1; & omnes Thomiſtæ,* inter quos *Gonet hic diſp.2. art.1; & 2; & omnes alij;* qui tamen volunt eſſe habitum, in quo recedunt à nobis.

5 Vnica concl. Gratia habitualis eſt qualitas intrinſecè recepta in anima, vt in ſubiecto immediato; & habet rationem potentiæ, non habitus.

Prob. 1. pars concl.1. *ex Scripturis*; nam 1. *Io.3.* gratia habitualis dicitur *ſemen Dei* manens in nobis, à quo fructus bonorum operum proueniunt: *Semen ipſius in eo manet;* & *Rom.12. Multi vnum corpus ſumus in Chriſto; ſinguli autem alter alterius membra; & 2. ad Cor.5. Si qua ergo in Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt; & ad Epheſ.2. Deus autem, qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſto,cuius gratia eſtis ſaluati.* Et mox. *Gratia enim eſtis ſaluati per fidem; & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt; non ex operibus, ne quis glorietur.* Super quod *Beatiſſ.P. lib.de nat.& grat. cont. Pelagianos* ait: *Hac igitur Chriſti gratia, ſine qua nec infantes, nec ætate grandes ſalui fieri poſſunt, non meritis redditur, ſed gratis datur; propter quod gratia nominatur; iuſtificati, inquit, gratis per ſanguinem ipſius; & ſerm.6.de verbis Domini* ſuper illud *Matth.8. ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos* nomine *mortuorum* intelligens peccatores ait: *Sicut anima eſt vita corporis, ita anima eſt vita Deus;* & *tract.81. in Io. 15.* ſuper illud: *Ego ſum vitis vera, vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum;* ait: *Niſi in vite manſerit, & vixerit de radice, quantumlibet fructum à ſemetipſo non poteſt ferre.* De-

inde: *Verùm quia ita ſiati ſta gratia non poteſt vi-ui, vt & mors in poteſtate ſit liberi arbitrij. Si quis in me, inquit, non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Tandem: *Vnum de duobus pal-miti congruit, aut vitis, aut ignis. Si in vite non eſt, in igne erit. Vt ergo in igne non ſit, in vite ſit.* Ex quo ſic arguit *Fund. D. art. 1. ad 5. vbiſ.* Viua mẽbra non ſolùm habent vitam in Capite, ſed etiam in ſe ipſis; ſed per gratiam Chriſti efficimur viua membra ipſius; ergo per gratiam Chriſti non ſolùm habemus vitam in illo, ſed etiam in nobis ipſis; atqui vita eſt aliquid intrinſecum viuentis actus enim vitalis, qui eſt effectus vitæ, definitur, quòd procedat à principio intrinſeco; hinc palmes à vite reciſus nullum fructum vitalem poteſt producere, quia in ipſo non eſt vita, cùm non ſit coniunctus viti, per quam ſolùm participat vitam formaliter intrinſecè; ergo gratia eſt aliquod nobis intrinſecum. Rurſus ita ſe habet anima in ordine naturali, ſicut gratia in ordine ſupernaturali; ſicut enim corpus naturaliter viuit per animam; ita anima ſupernaturaliter viuit per gratiam; ſed anima, per quam naturaliter viuit corpus, intrinſecè informat corpus; ergo gratia, per quam ſupernaturaliter viuit anima, intrinſecè informat animam. Item gratia reddit nos gratos, & dilectos à Deo; dicitur enim *Epheſ. 1. In qua gratificauit nos in dilecto Filio ſuo*; ſed non ſumus grati, & dilecti à Deo; niſi propter bonitatem; quia ſola bonitas eſt, quæ amatur, & eſt grata Deo; malitia enim odio habetur, & non eſt Deo grata; ergo gratia reddit nos formaliter bonos; atqui bonitas eſt in rebus intrinſecè, ſicut veritas eſt in intellectu; ergo gratia habitualis ponit aliquid intrinſecè in nobis. Iterum. Gratia habitualis eſt id, quo regeneramur in nouam creaturam *ex Apoſt.* per ipſam enim deſtruitur vetus homo vitiorum corruptus putredine, & generatur nouus homo ad vitam æternam; ſed regeneratio eſt intrinſecè in re regenerante, id enim, quod regeneratur, mutatur de eſſe veteri ad nouum eſſe; nihil autem mutari poteſt de vno eſſe ad aliud, niſi intrinſecè recipiat aliquod, per quod mutatur; quia *idem manens idem ſemper facit idem*; ergo gratia habitualis eſt aliquid intrinſecum in anima.

6 Hæc veritas definita eſt *in Trid. ſeſſ. 6. can. 11.* ſtatuente: *Si quis dixerit homines iuſtificari, vel ſola imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua iuſtificamur, eſſe tantùm fauorem Dei; anathema ſit.* Sed de hoc iterum *in ſeq. q.*

7 Prob. 2. pars concl. Id, quo homo regeneratur in nouam creaturam, non eſt quid ſubſtantiale; ſed gratia habitualis eſt id, quo homo regeneratur in nouam creaturã; ergo non eſt quid ſubſtantiale. Prob. ma. Si id, quo homo regeneratur in nouam creaturam, eſſet quid ſubſtantiale, ſequeretur, quòd homo toties mutaretur ſubſtantialiter, quoties peccat, & gratiam acquirit; quia per peccatum amittendo gratiam amitteret eſſe ſubſtantiale, amiſſio autem eſſe ſubſtantialis nequit fieri, niſi acquirendo aliud eſſe ſubſtantiale, quòd priùs non habebat; quia mutatio ſubſtantialis eſt de vna ſubſtantia ad aliam, vt patet; & ſic quando gratiam reacquirit, corrumperetur illud eſſe ſubſtãtiale acquiſitum per peccatum; ſed conſ. eſt falſum; nam eſſe ſubſtãtiale acquiſitum per peccatum eſſet naturale, vt conſtat: & ſic tranſiret ad aliud eſſe ſubſtantiale naturale, quod non habebat, cùm erat ſub gratia; quia generatio eſt *mutatio de non eſſe ad eſſe ſubſtantiale*; & ideo eſt deperditio eſſe, quod habet, & acquiſitio eſſe, quod non habet; non poteſt autem acquirere nonnm eſſe ſubſtantiale naturale, quod non habet, niſi amittendo illud eſſe ſubſtantiale naturale, quod habet, & amittendo eſſe ſubſtantiale naturale, quod habet, moreretur; & ſic quoties homo peccaret, moreretur nedum morte animæ, quæ eſt ſeparatio animæ à Deo, ſed etiam morte corporis naturali, quę eſt ſeparatio animæ à corpore; ergo gratia habitualis non eſt quid ſubſtantiale. 2. Id, quo ſubſtantia animæ viuit formaliter vita ſupernaturali in actu ſecundo, non eſt ſubſtantia, ſed accidens ſuperadditum ſubſtantiæ animæ; nam eſt id, quo anima formaliter operatur; quia vita conſiſtit formaliter in operatione; operatio autem immediatè eſt à virtute accidentali, cùm nulla ſubſtantia ſit immediatè operatiua; tum quia ſicut id, quo formaliter operamur naturaliter, eſt accidens ſuperadditum animæ, ita à pari; ſed gratia habitualis eſt id, quo formaliter viuimus vita ſuupernaturali in actu ſecundo; ergo eſt accidens ſuperadditum animæ. 3. *ad hominem.* Lux Solis recepta in aere eſt qualitas à Sole in aere producta; ſed gratia habitualis ſe habet, ſicut lux Solis producta in aere; ergo eſt qualitas à Deo in anima producta. Prob. ma. Aer per lucem dicitur formaliter lucidus; ſed non dicitur lucidus per formam Solis, quæ non eſt in aere, vt patet; ergo per lucem à Sole in illo productã. Tum quia ideo paries dicitur extrinſecè viſus, quia qui videt parietem viſum, non videt viſionem in illo exiſtere; ſed videns aerem illuminatum videt lucem in illo exiſtere, ergo eſt intrinſecè formaliter lucidus. Min. eſt ratio *Oſiandri*. 4. Id, quod aduenit poſt eſſe ſubſtantiale, non eſt ſubſtantia, ſed accidens; quia ſubſtantia eſt id, quod primariò eſt in re, & nihil aliud ſupponit; id autem, quod aduenit poſt eſſe ſubſtantiale, non eſt primariò in re, cùm ſupponat eſſe ſubſtantantiale, poſt quod aduenit, & ideo non eſt ſubſtantia, ſed accidens; atqui gratia habitualis aduenit poſt eſſe ſubſtantiale hominis, vt patet; ergo non eſt ſubſtantia, ſed accidens. Tandem *Trid. ſeſſ. 6. vbiſ.* ait, quòd gratia habitualis

lis inhæret; ergo eſt accidens,non ſubſtantia.

8 Prob. 3. pars concl. ex *Apoſt.* 1. *Cor.* 15. *Gratia Dei ſum id, quod ſum*: ex quo ſic arguit *Fund. Doct. art.* 3. *vbiſ.* Omnis generatio immediatè eſt in natura, quia *generatio eſt via in naturam ex Phil*; ſed gratia habitualis eſt generatio nouæ creaturæ *ex Apoſt*: quia eſt id, quo homo generatur in nouam creaturam, & quo habet eſſe ſupernaturale; ſicut enim generatio naturalis eſt id, quo natura acquirit eſſe naturale; ita gratia habitualis, quæ eſt generatio ſupernaturalis, eſt id, quo creatura acquirit eſſe ſupernaturale; ergo gratia habitualis eſt immediatè in natura hominis; atqui natura hominis formaliter eſt anima rationalis, quæ formaliter conſtituit naturam hominis; ergo gratia habitualis immediatè eſt in anima, tanquam in ſubiecto.

9 Conf. 1. Generatio naturalis nihil aliud importat formaliter, niſi ipſum eſſe naturale communicatum naturæ, quæ generatur; ergo generatio ſupernaturalis nihil aliud importat, niſi ipſum eſse ſupernaturale communicatum naturæ hominis; ſed eſſe immediatè recipitur in natura, tanquam in ſubiecto; quia natura immediatè ordinatur ad eſſe, tanquam ad proprium actum; ergo gratia habitualis, quæ importat eſſe ſupernaturale, immediatè recipitur in anima, tanquam in ſubiecto.

10 Conf. 2. *ab eodem* §. *Secunda via ex D. Dion. de Eccl. Hier. c.* 2. aſſerente: *Si enim eſſendi Diuinè eſt Diuina generatio, nequaquam quis noſcat à Deo aliquid operari, qui neque eſſe in Deo habuit; nam & ſeruos humanè dicimus exiſtere conuenit primùm poſtea operari.* Et mox. *Illud verò ſolùm illa operatur, aut patitur, in quibus eſſentiatum eſt.* Ex quibus ſic. Quamuis homo ſine gratia habituali poſſit habere aliquem actum ſupernaturalem imperfectum non meritorium vitæ æternę, diſpoſitiuũ tamen remotè, vel proximè ad actum meritorium; attamen ſine illa nequit habere actum ſupernaturalem perfectum meritorium vitæ æternæ, quia actus meritorius vitæ æternæ debet eſſe à principio vitæ ſupernaturali, quod eſt eſse Diuinum habituum formaliter per gratiam habitualem, quæ eſt formalis participatio naturæ Diuinæ, vt *inf.* videbimus, nam *operari ſequitur ad eſſe*; & ideo ſicuti operari naturaliter ſequitur ad eſse naturale, quòd immediatè recipitur in natura, tanquam in ſubiecto, ita operari ſupernaturaliter ſequitur ad eſse ſupernaturale, quod immediatè recipitur in anima, tanquam in ſubiecto, quod acquirit eſse ſupernaturale; ſed in homine datur operatio ſupernaturalis meritoria vitæ ęternę, vt docet fides; ergo in ipſo datur gratia habitualis ſubiectata in anima tanquam in ſubiecto per illam habente eſse ſupernaturale, quod eſt radix operationis ſupernaturalis perfectæ, idèſt meritoriæ vitæ æternæ. Prob. ma. Quamuis in ligno calefacto, vt duo, poſſit dari calefactio imperfecta, idèſt non inductiua formæ ignis; attamen nequit dari calefactio perfecta inductiua formæ ignis, niſi detur in ipſo forma ignis, ad quam eſſentialiter ſequitur; ita quamuis in embrione poſſit dari operatio imperfecta diſponens ad animam rationalem; attamen nequit dari operatio perfecta propria ipſius animæ rationalis, niſi ſupponatur introducta in ipſum embrionem; ergo à pari in generatione ſupernaturali, quæ habetur per gratiam habitualem; ex ijs enim, quæ videmus in naturalibus, debemus philoſophari in ſupernaturalibus.

11 Prob. 2. *ex Beatiſs. P. vbiſ.* Ita ſe habet gratia habitualis reſpectu animæ, ſicut anima reſpectu corporis, quia ſicut anima eſt vita corporis, ita gratia habitualis eſt vita animæ; ſed anima immediatè eſt in corpore, tanquam in ſubiecto, quod viuit vita naturali per animam; ergo gratia habitualis immediatè eſt in anima, tanquam in ſubiecto, quod viuit vita ſupernaturali per gratiam.

12 Prob. 3. In illo recipitur immediatè gratia habitualis, in quo recipiebatur iuſtitia originalis, cuius loco nobis reddita eſt per Chriſtum gratia habitualis; ſed iuſtitia originalis recipiebatur immediatè in eſsentia animæ, vt *ſuperiùs* dictum eſt; ergo & gratia habitualis.

13 Tandem gratia habitualis in illo recipitur immediatè, in quo eſt macula peccati, quæ tollitur per gratiam; & quod pulcrum facit, ſanctum, & gratum Deo; ſed macula peccati eſt immediatè in anima, vt diximus *de pecc. q.* 5. *art.* 1; & anima ipſa per gratiam habitualem redditur pulcra, ſancta, & grata Deo; ergo immediatè recipitur in anima.

14 Prob. 4. pars concl. quæ traditur à *Fund. Doct. in* 2. *diſt.* 26. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 1. Gratia habitualis recipitur immediatè in eſſentia animæ, non in aliqua potentia ipſius; ergo propriè non eſt habitus; quia nullus habitus immediatè recipitur in eſſentia animæ, ſed in potentia, cùm detur ad facilitandam potentiam; vt diximus *de Habitib.* 2. Habitus datur tantùm ad faciliter, & ſecundùm quid; ſed gratia habitualis non datur tantùm ad faciliter, & ſecundùm quid; quia ſine ipſa non poſſumus elicere actus ſupernaturales perfectos meritorios vitæ æternæ; poſſumus enim ſolùm elicere actus imperfectos diſpoſitiuos ad gratiam habitualem; ergo gratia habitualis propriè non eſt habitus. 3. Habitus ſunt immediatè operatiui; ſed gratia habitualis operatur mediante charitate, & cæteris virtutibus, quibus coniungitur; ergo non eſt habitus. 4. *ad hominem.* Si eſſet habitus, maximè quia diu durat in ſubiecto; vt dicit *Gonet*; ſed hoc non probat; quia etiam paſſibilis qualitas diu durat ad differentiam paſſionis, quæ citò tranſit; & tamen non eſt habitus; ſic etiam ſpecies diu durant in memoria, & tamen non ſunt habitus; vt diximus *to.* 3. *de Ang. q.* 4; ergo gratia non eſt habitus. Po-

teſt

teſt tamen dici habere modum habitus, quatenus nedum ſimpliciter,ſed etiam faciliter,& ſuauiter facit animam operari.

15 Obijc.1. cont.1.part. concl. Gratia reddit hominem acceptum Deo; ſed acceptio non ponit aliqnid in acceptato; ergo gratia nihil ponit in homine. 2. Gratia reddit hominem diligibilē à Deo; ſed ſola natura eſt diligibilis à Deo; iuxta illud *Sap.12. Diligis omnia,quæ ſunt*; ergo gratia nihil addit ſupra naturam. 3.Deus immediatè per ſe ipſum omnia creauit;ergo immediatè omnia recreat. 3. Deus eſt vita animæ; ſicut anima eſt vita corporis; ſed anima per ſe ipſam eſt vita corporis; ergo & Deus per ſe ipſum eſt vita animæ. 5. Dilectio Dei efficax nihil ponit intrinſecum in creatura; ergo illa ratio non probat. Prob. ant.1.Prædeſtinatio includit dilectionem efficacem; & tamen non ſemper ponit in electis aliquod ſupernaturale; quia electus aliquando eſt in peccato, imò etiam in infidelitate; ergo dilectio efficax nihil ponit intrinſecum in creatura. 2. Odium Dei nihil ponit in creatura; ergo nec dilectio. 3. Amor,quo Verbum aſſumpſit humanitatem, nihil poſuit intrinſecè in illa; ergo à pari. 4. Dilectio ſupponit bonitatem in re dilecta; quia actus ſupponit obiectum, à quo cauſatur;ergo idem,quod priùs.

Reſp. ad 1. *cum Fund.Doct.art.1.ad 1.* diſt. mi. Acceptio, qua anima dicitur Deo accepta, neg; qua homo dicitur acceptus alteri homini; conc. Ratio eſt; quia vnus homo de non accepto poteſt fieri acceptus alteri per mutationem factam in altero; nam poteſt mutari actus voluntatis illius; aliter ſi non mutetur, ſemper maneret non acceptus; at verò Deus non eſt capax mutationis, ideo anima fit accepta per mutationem ſui; mutatio autem dicit tranſitum de non eſſe ad eſſe, ideo per gratiam acquirit aliquod eſſe, quod non habebat; per quod magis prob. concl. Ad 2. reſp. idem ad 3. diſt. ma. Eſt diligibilis in ordine naturali, conc; ſupernaturali, neg. Ad 3. reſp. *ibid.ad 4.* retorq.arg. Deus non creat, niſi communicando eſſe naturale receptum in eſſentia creaturæ; ergo non recreat, niſi communicando eſſe ſupernaturale intrinſecè receptum in anima. Ad 4. reſp. *ibid. ad 5.* diſt. ma. Deus eſt vita animæ efficienter producendo gratiam in illa; & anima eſt vita corporis in genere cauſæ formalis, conc; Deus eſt vita in genere cauſæ formalis, neg; nam Deus eſt cauſa ſolùm in genere cauſæ efficientis, & finalis, non in genere cauſæ materialis, aut formalis. Ad 5. neg. ant. Ad 1. prob. diſt. 1. pars ant. Prædeſtinatio includit gratiam efficacem pro aliquo tempore, pro quo electus eſt in gratia, conc; pro ſemper, neg; ſufficit enim, quòd illam includat pro fine vitæ. Ad 2. neg. conſ; nam odium, cùm ſit fuga à malo, nequit ponere malum in creatura, quia Deus nequit eſſe Auctor peccati, quod tamen poteſt poni à creatura; vt dilectio, cùm ſit proſecutio boni ſupernaturalis, quod nequit poni à creatura viribus naturæ, ideo donat bonum ſupernaturale, quod eſt gratia. Ad 3. neg. ant. nam vel poſuit in illa gratiam habitualem, & ſanctitatem creatam, quia Chriſtus fuit ſanctus nedum ſanctitate increata, ſed etiam creata; vel poſuit in illa ſuppoſitum Diuinum, non quidem per informationem, ſed per terminationem puriſſimā; cùm autem hoc non ponat in omnibus ſanctis, aliter illis hypoſtaticè vniretur, quod eſt contra Fidem, ideo ponit in illis ſanctitatem creatam; *ſed de hoc ſuo loco.* Ad 4. diſt. ant. Dilectio, quæ ſpecificatur, & cauſatur ab obiecto, conc; ſed neg. conſ; quia dilectio Dei non eſt huiuſmodi. Dilectio,quæ ſpecificat,& cauſat obiectum,vt eſt dilectio Dei, neg.

16 Obijc.2. cont.2. part.concl. *Num.1.* habetur: *Auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis*, idèſt ſenioribus, *vt ſuſtineant tecum onus populi*; ſed accidēs non trāſit de ſubiecto in ſubiectum; ergo gratia, quæ ſignificatur nomine *ſpiritus Moyſis*, non eſt accidens. 2. Nullum accidens eſt dignius ſuo obiecto, ſed gratia eſt dignior anima; ergo non eſt accidens. 3. Omne accidens educitur de potentia ſubiecti;ſed gratia non educitur; ergo non eſt accidens.

Reſp.ad 1. *cum Fund. Doct. per illum textū* intelligi,quòd Deus tribuere volebat ſenioribus ſimilem gratiam gubernandi populum,non quòd voluerit tollere gratiam à *Moyſe*, & ideo gratia *Moyſis* non migrauit de ſubiecto in ſubiectum. Ad 2. *cum eodem* diſt. ma. Gratia eſt dignior anima quantùm ad entitatem,neg; quantùm ad bonitatem, conc; idèſt gratia formaliter ſumpta, prout gratia eſt, conc; ſic enim præſcindit à ſubſtantia, & accidente; gratia materialiter ſumpta, prout qualitas eſt,neg. Ad 3. *cum eodem* diſt. ma. Accidens naturale, quòd continetur in potentia naturali, conc; accidens ſupernaturale, quod continetur in potentia obedientiali,neg.

17 Obijc.3.cont.3.part.concl. Oppoſita ſunt apta nata fieri circa idem; ſed culpa, quæ opponitur gratiæ, eſt in eſſentia animæ mediante potentia,à qua committitur; ergo & gratia. 2. Gratia eſt in eo, per quod conuertimur ad Deum, ſed hoc eſt liberum arbitrium; ergo immediatè eſt in libero arbitrio. 3. Id, quòd ſuperadditur animæ mediante potentia, eſt immediatè in potentia, non in anima; ſed gratia eſt huiuſmodi; ergo non eſt immediatè in anima. 4. Gratia eſt principium, quo potentia elicit opera bona; ſed principium, quo mediante potentia elicit opera, eſt immediatè in ipſa potentia, quam præparat, & diſponit; ergo gratia immediatè eſt in voluntate, quam præparat iuxta illud *Prou.8. Voluntas præparatur à Domino*; quod ſæpe veget *Beatiſs. P; vt de præd.SS.c.20.*

Reſp. *cum Fund.Doct.art.3.vbiſ.ad 1*; quòd ideo macula culpæ eſt in anima per operationem creaturæ, & ideo mediante potentia, non quidem

dem ſubiectiuè ita, vt macula ſubiectetur ſolùm in potentia, ſed effectiuè ita, vt cauſetur mediante operatione in anima; gratia autem non cauſatur in anima mediante operatione creaturę, quia infunditur à Deo, & ideo non eſt in anima effectiuè mediante potentia creata, ſed mediante operatione Dei; illud autem axioma intelligitur ſubiectiuè, non effectiuè; ſicut macula culpæ, & gratia habitualis ſunt immediatè in anima, licèt illa ſit effectiuè per operationem creatam, hæc verò per operationem Dei. Ad 2. *cum eod.* neg. ma; nam id, per quod primò conuertimur ad Deum, eſt diſpoſitio ad gratiam, quæ diſpoſitio eſt gratia actualis, non habitualis; non eſt autem neceſſe, quòd diſpoſitio ſit in eodem ſubiecto, in quo eſt forma, ad quam diſponit; nam diſpoſitio naturalis, vt calor, eſt in toto compoſito; & tamen forma ignis, ad quam diſponit, recipitur in ſola materia; ſic operatio voluntatis, qua diſponimur ad gratiam habitualem, eſt in ipſa voluntate, & gratia habitualis eſt in ipſa anima. Ad 3. *cum eod.* neg. mi; nam gratia immediatè infunditur à Deo, qui cùm ſit agens immediatè in eſſentias rerum, ideo producit gratiam immediatè in eſſentia animæ; creatura verò, cùm agat per accidentia, ideo non attingit immediatè, niſi accidentia. Ad 4. neg. ma; nam gratia habitualis eſt principium *quod* mouens potentias, non autem eſt principium *quo*; principium autem exiſtens immediatè in potentia eſt principium *quo*, non *quod*. Quando autem *Beatiſs.* P. ait gratiam pręparare voluntatem, ſi intelligatur de gratia habituali, intelligendus eſt, quòd præparat mediante habitu charitatis, qui ſemper eſt connexus cum gratia habituali; ſi autem intelligatur de gratia actuali, tunc dicitur, quòd immediatè præparat voluntatem, ſed iſta non eſt gratia habitualis.

18 Obijc. 4. cont. 4. part. concl. Gratia habitualis non eſt indelebilis ab anima; ſed potentia eſt indelebilis; ergo gratia habitualis non eſt potentia, ſed habitus.

Reſp. diſt. mi. Potentia naturalis, conc; ſupernaturalis, neg; nam cùm potentiæ naturales exigantur naturaliter à natura creata, ideo ſunt eſſentialiter cum illa connexæ, tanquam proprietates illius, at verò potentiæ ſupernaturales non debentur, ſed gratis donantur creaturæ, ideo ſunt delebiles. *Vid. to. 1. de Inuiſib. q. 2. art. 1.*

19 Quæres, an gratia habitualis ſit ſupernaturalis ſecundùm entitatem?

Reſp. affirmatiuè; vt diximus *q. 2. art. 2. §. 1. n. 17. & ſeq;* quibus additur; quòd gratia habitualis dat eſſe ſupernaturale, ad quod ſequitur operatio ſupernaturalis; ait enim *Apoſt. Gratia Dei ſum id, quod ſum*; id autem, per quod res eſt, dat eſſe rei; ſed illud, quod dat eſſe ſupernaturale alteri, eſt ſupernaturale ſecundùm entitatem, nam eſſe ſumitur ab entitate, imò idem eſt, ac entitas, vnde implicat, quòd aliquod habeat eſſe ſupernaturale, & in illo non ſit entitas ſupernaturalis, à qua ſumitur eſſe ſupernaturale; ergo gratia habitualis eſt ſupernaturalis ſecundùm entitatem. Tum quia gratia habitualis eſt formalis participatio naturæ Diuinæ, prout ſupernaturalis eſt; vt *in ſeq;* ſed talis participatio nequit eſſe entitatiuè naturalis; quia entitas naturalis eſt participatio naturæ Dei, vt naturalis eſt; ergo eſt entitatiuè ſupernaturalis. *Vid. to. 3. de Ang. q. 4. art. 10. & to. 1. ibid. cit.*

ART. II.

In quo conſiſtat gratia habitualis?

1 OMnes fatentur *cum Apoſt. Petro 2. ep. c. 1.* gratiam habitualem eſſe participationem Diuinæ naturæ; dicitur enim *ibid. Per quem maxima, & pretioſa nobis promiſſa donauit; vt per hæc efficiamur Diuinæ conſortes naturæ; & Beatiſs. P. lib. 1. cont. duas ep. Pelagian. c. 3. Non viuunt homines bene, niſi priùs effecti ſint filij Dei; quia filiatio Dei, qua naturam Diuinam participant, eſt hominibus radix bene viuendi*, Difficultas eſt in explicanda hac participatione; nam certum eſt hanc participationem non eſſe ſecundùm prædicata analogica communia Deo, & creaturis; vt ſunt ens, ſubſtantia, ſpiritus, viuens &c; per hæc enim pręedicata participatur natura Diuina in ordine naturali, non in ordine gratiæ. Remanet ergo, quòd hæc participatio debeat eſſe ſecundùm propria prædicata ipſius Dei, quæ ſunt ſupra ordinem naturæ. In hoc autem eſt magna difficultas, quia prædicatum, quod eſt proprium, nequit pluribus participari; nam cùm pluribus participatur, fit commune, & deſinit eſſe proprium.

2 Prima ſententia vult gratiam habitualem eſſe participationem Diuinæ naturæ moralem, non phyſicam eò, quòd creatura per gratiam participat rectitudinem affectus, & ſanctitatem conuerſam ad opera bona, & auerſam ab operibus malis ſimilem rectitudini, & ſanctitati ipſius Dei. *Ita Maſtr; & Scotiſtæ cum Scot; & à noſtro Gibb;* tribuit videtur *Ouied; & Eſparz. lib. 1. de iuſtific. q. 2.*

3 Secunda docet eſſe participationem formalem, & phyſicam Diuinæ naturæ, non tantùm moralem. Eſt communis, ſed diuiſa eſt; nam *aliqui* volunt per illam phyſicè participari per ſe primò eſſe independens, imparticipatum, infinitum, actum purum, ens per eſſentiam; per ſe ſecundò autem participari naturam Dei, vt eſt trinus in perſonis. *Ita Martinez apud noſtrum Gibb; Gonet hic diſp. 2. art. 4;* qui referunt *Caiet; Ledeſm; & Aſturicenſ. Alij* volunt per illam phyſicè participari naturam Diuinam ſecundùm aliquod proprium, non ſecundùm rationem entis à ſe, independentis, infiniti, actus primi &c; ſed ſecundùm intellectualitatem ſupernaturalē, qua Deus intuitiuè, & clarè videt, & amat ſe

ſuper omnia; cùm enim formale conſtitutiuum naturæ Diuinæ ſit ipſa intellectualitas Dei, qua Deus clariſſimè videt ſe ipſum; ideo creaturã participando per gratiam principium radicalẽ intellectionis intuitiuæ Dei dicitur participare formaliter naturam Diuinam. *Ita noſter Gibb. hìc diſp.20. dub.2;* apud quem *Cur; Amic; Suar; Vaſq; Arrub, Sal, Naz; & Nauarret.* Hęc eſt noſtra ſententia licèt inſufficienter explicata; quã tradidimus *to.1.de Inuiſib. Dei q.1.art.4.§.1.* Igitur grati. habitualis formaliter importat participationem phyſicam Diuinæ naturæ, non quidem quatenus actualiter intellectualis ſui ipſius comprehenſiuè (ſic enim competit ſoli Deo; & hæc eſſet participatio vniuoca, perfecta, & adæquata, quæ repugnat creaturæ; aliter creaturã fieret Deus phyſicè, & formaliter adæquatè; ſicut quia homo generans communicat genito naturam rationalem eo modo, quo eſt in generante, ideo homo genitus eſt æquè perfectus, ac homo generans) ſed quatenus potentialiter intellectualis, ſeu radicaliter cognoſcitiuæ ipſius Dei intuitiuæ; nam quanuis conſtitutiuum formaliſſimum naturæ Diuinæ ſit ipſum actuale intelligere ipſius Dei, & in Deo non detur intelligere radicale virtualiter præciſum ab intelligere actuali, ſic enim eſſet imperfectum; vt diximus *to.1. de Subſt. Dei q.2. art.6;* attamen datur intelligere radicale, ſeu potentia intellectiuã omnino indiſtincta ab actuali intellectione; vnde idem actus habet munus potentiæ, & munus actionis. Intellectualitas ergo Dei participata, prout habet munus potentiæ intellectiuæ, eſt gratia habitualis. Sicut autem ad actuale intelligere conſtitutiuum Dei eſſentialiter ſequitur ſcientia, & amor ſui, & cetera attributa, quæ ſunt proprietates illius; ita ad gratiam habitualem, quæ eſt formalis participatio intellectionis eſſentialis Dei, ſequitur fides in intellectu, charitas in voluntate, iuſtitia, ſanctitas, & ceteræ virtutes, quæ ſunt proprietates gratiæ habitualis. Alia verò prædicata, quæ ſunt in Deo, & inuoluunt in ſuo conceptu formali negationem creaturæ; vt increatum, imparticipatum, independens, infinitum, &c; non communicantur, aut participantur per gratiam habitualem, deſtruerent enim ipſam creaturam; quia negatio rei deſtruit rem. Illa igitur prædicata Dei ſolùm, quæ ſunt ei propria, & non important formaliter negationem creaturæ, participantur per gratiam habitualem; vt diximus *de inuiſib. vbiſ.* Hæc ſententia ſine dubio eſt *Beatiſs. Patris*, vt oſtendimus *loc. cit; & inf.* magis patebit; & expreſsè traditur à *Fund. Doct. in 2. diſt.26.q.2.art.3. §. Tertio modo;* vbi loquens de gratia habituali ait: *Sed illa eſt maxima gratia, quando Deus dat nobis ſe ipſum, & quando dat nobis gratiam gratum facientem, quam habendo ſumus Deo digni, & ſumus digni bono increato, & vita æterna, quæ eſt ipſe Deus;* vita æterna autem eſt cognitio Dei; vt habetur *Io.17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum &c.*

4 Vnica concl. Gratia habitualis primariò importat participationem phyſicam Diuinæ naturæ, quatenus intellectiua eſt radicaliter; & ex cõſequenti importat ceteras proprietates Diuinæ naturæ, quæ in ſuo conceptu formali non inuoluunt negationem creaturæ.

Prob. 1. pars concl. *ex 1. Pet.1. Qui ſecundùm miſericordiam ſuam magnam regenerauit nos in ſpem viuam; & infra. Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili;* quod ſemen procul dubio eſt gratia habitualis; *& Io.1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri; & ex Beatiſs. P. vbiſ;* ex quibus ſic arguitur. Per gratiam habitualẽ regeneramur in filios Dei adoptiuos; ſed regeneratio in filium formaliter eſſentialiter importat participationem formalem phyſicam naturæ; vt patet ex definitione generationis, prout diximus *to.2. de Trin. q.3.art.8;* ergo gratia habitualis importat eſſentialiter participationẽ phyſicam naturæ Diuinæ. Mi. patet ex dictis *loc. cit;* & ampliùs prob. Participatio moralis rectitudinis non eſt formaliter participatio naturę Diuinæ; quia rectitudo moralis ſpectat ad voluntatem Diuinam, quæ eſt attributum naturæ, non natura; ergo nequit formaliter eſſe regeneratio in filium. Tum quia ſola participatio ſubſtantialis phyſica naturæ ſecundùm ſuam vltimam differentiam eſt formaliter generatio naturalis in filium; ergo ſola participatio accidentalis phyſica naturæ Diuinæ ſecundùm ſuũ formaliſſimum conſtitutiuum vltimum differentiale eſt regeneratio adoptiua in filium: Tũ quia gratia habitualis eſt ſemen, quo regeneramur in Deos, & in filios Dei iuxta illud *pſ.81. Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes;* ſed id, quo formaliſſime regeneramur in Deos, & filios Dei, eſt ipſa natura Diuina; quæ eſt id, quo formaliter conſtituitur Deus, & ex cuius communicatione formali conſtituitur filius; aliter ſi ſola communicatio materialis, idèſt alicuius attributi coniuncti cum natura ſufficeret ad filiationem, non eſſet ratio, cur etiam Spiritus S. non eſſet filius; ergo gratia habitualis eſt formaliſſimè participatio phyſica ipſius naturæ Diuinæ; nam gratia habitualis eſt qualitas phyſica, vt diximus *in ſup. art;* quo formaliter conſtituimur in ordine Dei, tanquam filij ipſius.

5 Conf. *ex 1. Io.3. Nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt.* Quibus verbis traditur in terminis noſtra concl. Arguitur autem ſic. Similitudo formalis conſtitutiua filiationis eſt natura participata ſecundùm rationem formalem vltimò conſtitutiuam; ſed per gratiam habitualem nobis communicatur ſimilitudo formalis Dei; quia nobis communicatur potentia radicalis ad videndum intuitiuè Deum, quæ actuabitur per viſio-

viſionem beatam; & per quam, prout ſic actuata, conſtituitur vltimò differentialiter natura Dei; ergo per gratiam habitualem nobis communicatur phyſicè natura Dei ſecundùm prædicatum vltimò conſtitutiuum; & ideo gratia habitualis importat formaliter participationē phyſicam naturæ Dei, vt eſt radicaliter intellectualis.

6 Prob. 2. Gratia habitualis immediatè ſubiectatur in natura hominis, vt dictum eſt *in ſup. art.*, ergo eſt formalis participatio phyſica naturæ Dei ſecundùm formaliſſimum conſtitutiuum ipſius, quod eſt intelligere; nam ſicut perfectio voluntatis Diuinæ, quæ eſt amor, ſeu charitas, participatur formaliter à voluntate, in qua ſubiectatur; & perfectio formalis intellectus Diuini, quæ eſt ſcientia, participatur formaliter phyſicè ab intellectu, in quo immediatè ſubiectatur; ita perfectio formaliſſima naturæ Diuinę formaliter participatur phyſicè à natura hominis, in qua immediatè ſubiectatur.

7 Conf. Ita ſe habet gratia habitualis per ordinem ad participationem naturæ Diuinæ; ſicut ſe habet charitas creata per ordinē ad participationem charitatis Diuinæ; & ſcientia creata per ordinem ad participationem ſcientię Dei; ſed charitas creata eſt participatio formalis phyſica charitatis Dei; & ſcientia creata eſt participatio formalis phyſica ſcientiæ Dei; ergo gratia habitualis hominis eſt participatio formalis phyſica natura Dei.

8 Prob. 3. In tantùm aliqua operatio poteſt conuenire alicui agenti ſolùm virtualiter habēti illam formam, à qua progreditur talis operatio; in quantùm illa operatio non eſt propria illius formę, ſed communis pluribus formis; v. g. in tantùm calefactio conuenit piperi, quod ſolùm virtualiter eſt calidum; in quantùm calefactio in remiſſo non eſt propria ſolius ignis, cuius ſolùm eſt propria calefactio in ſummo, quæ eſt cōbuſtiua; & hæc nequit conuenire piperi, quia non eſt formaliter ignis; ergo operatio propria alicuius agentis nequit conuenire alteri, niſi ei communicetur aliquo modo forma, cuius eſt propria illa operatio; atqui videre Deum, ſicut eſt in ſe ipſo, eſt operatio propria ſolius naturæ Diuinæ, quæ ſola naturaliter ei proportionatur; ergo nequit conuenire creaturæ, niſi ei communicetur aliquo modo natura Diuina; ſed natura Diuina communicatur creaturę rationali per gratia habitualem; vt docet *Apoſt.* ergo gratia habitualis eſt participatio formalis naturæ Diuinæ.

9 Prob. 4. Participare aliquid formaliter eſt habere intrinſecè rationem illius, quanuis imperfectam; v. g. accidens dicitur participare formaliter ens, quia habet intrinſecè rationem formalem entis, quanuis imperfectam; ſed gratia habitualis habet in ſe ipſa rationem formalem naturæ Diuinæ, quanuis imperfecto modo; quia habet rationem potentiæ intellectiuæ radicalis excludentis actualem intellectionem; potentia autem ſic accepta eſt imperfecta, quia excludit actum, à quo perficitur; in Deo autem illa potentia radicalis eſt cum ſumma identate actualis intellectionis; & ideo in Deo eſt perfectiſſimo modo; ergo gratia habitualis eſt participatio formalis imperfecta naturæ Diuinæ, quatenus radicaliter intellectualis.

10 Prob. 5. ſimul cum 2. part. concl. Forma, à qua eſſentialiter oritur naturalis inclinatio in Deum ſuper omnia, etiam ſupra ſe ipſam, nec non virtutes morales, eſt formaliter natura Diuina participata per modum intellectionis radicalis; ſed gratia habitualis eſt huiuſmodi; ergo idem. Ma. patet; quia proprietates naturæ Diuinæ nequeunt oriri, niſi ab ipſa natura Diuina, vel in ſeipſa, vel vt participata; quælibet enim natura eſt eſſentialiter connexa cum ſuis proprietatibus; & ideo ab illa ad iſtas, & è contra valet conſequentia. Prob. mi. Inclinatio in Deū, vt amabilem ſuper omnia, fundatur in aliqua natura, quia inclinatio eſſentialiter ſequitur naturam; hæc autem debet eſſe natura Diuina, quia natura creata ſolùm inclinatur in bonum ſibi proprium, & proportionatum, quod eſt bonum creatum; Deus autem, vt amabilis ſuper omnia, eſt bonum proprium, & proportionatum ſolius naturæ Diuinæ; & ideo inclinatio in Deum, vt amabilem ſuper omnia, eſt proprietas dimanans à natura Diuina. Item virtutes morales ſunt participationes formales attributorum naturæ Diuinæ, quæ ſunt proprietates illius; ſed attrita oriuntur à natura Diuina in ſe ipſa formaliter accepta; ergo virtutes creatæ oriuntur à natura Diuina, vt formaliter participata modo imperfecto à creatura. Tū quia ſicut virtutes phyſicæ coniunguntur cum natura, quæ eſt principium radicale omnium operationum naturalium, & non operatur, niſi mediantibus virtutibus phyſicis effectiuis; ita virtutes morales connectuntur cum natura ſupernaturali, quæ eſt principium radicale omnium operationum supernaturalium, & operatur mediantibus virtutibus ſuperadditis potentijs ſiue Theologicis, ſiue moralibus; ſed virtutes phyſicæ dicuntur oriri à natura phyſica eo, quia coniunguntur cum illa; non enim proprietates oriūtur ab eſſentia per veram productionem, aliter ſubſtantia eſſet immediatè operatiua, quia per veram actionem produceret ſuas proprietates; ſed oriuntur per reſultantiam eo, quia per productionem eſſentiæ producuntur etiam proprietares illius, quæ connectuntur cum illa; ergo virtutes morales oriuntur à gratia habituali. *Vid. ſuperiùs.*

11 Prob. vlt. pars concl. Proprietates Diuinæ naturæ, quæ inuoluunt in ſuo conceptu eſſentiali negationem creaturæ, nequeunt communicari creaturæ; aliter ſtaret ſimul negatio, & affirmatio, quod repugnat; ſed perfectiones Dei, quas importat ſecum gratia habitualis, communicantur creaturæ; ergo gratia habitualis non

importat ſecum perfectiones Dei inuoluentes formaliter negationem creaturæ, Tum quia ſi eſſet participatio talium prædicatorum, ſequeretur, quòd ſicuti homo denominatur filius Dei, ſanctus, iuſtus &c; ita dici poſſet formaliter increatus, independens, & trinus in perſonis, quod eſt abſurdum. *Vid. to. 1. vbiſ.*

12 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. Natura Diuina cõſtituitur formaliter per intelligere actuale, non per radicale, vt diximus *to. 1. vbiſ.* ſed per gratiam habitualem non participatur intelligere actuale, ſed potentiale; ergo non participatur natura Diuina ſecundùm ſuum formaliſſimum conſtitutiuum.

Reſp. diſt. 2. part. ma. Non per radicale, vt contradiſtinctum, & excludens actuale, conc; vt identificatum formaliſſimè cum actuali, neg. Per gratiam autem habitualem non participatur ſecundùm intelligere actuale, prout identificatum cum intelligere eſſentiali radicali, quia ſic participaretur perfectiſſimo modo; imò non participaretur; quia participare eſt *partem capere*; ſic autem non caperet partem, ſed totum conſtitutiuum Dei, & ideo creatura eſſet Deus phyſicè, formaliter, & adæquatè; & ſic communicaretur creaturæ, ſicut communicatur perſonis Diuinis; & per conſequens creatura non eſſet creatura, ſed Deus.

13 Obijc. 2. Ideo per gratiam habitualem phyſicè participatur natura Diuina, quia per illam conſtituimur filij Dei adoptiui; ſed hæc ratio nulla eſt. 1. quia *Matth.* 12. Chriſtus vocat fratres ſuos, & ideo filios Dei, qui faciunt voluntatem Patris ſui; & tamen per facere voluntatem Dei non participatur phyſicè natura Diuina. 2. Ad *Gal.* 3. habetur: *Vos eſtis filij Dei per fidem*; & tamen per fidem non participatur phyſicè natura Diuina. 3. In *Scriptura* etiam res inanimatæ dicuntur naſci ex Deo; & tamen eis non participatur natura Diuina ſecundùm formaliſſimum conſtitutiuum per gratiam habitualem, cuius ſunt incapaces. 4. De ratione adoptionis non eſt, quòd communicetur natura adoptato, ſed tantùm, quod ei tribuatur ius ad hæreditatẽ; aliter nõ eſſet filius adoptiuus, ſed naturalis, ergo per gratiã habitualem non participatur phyſicè natura Diuina.

Reſp. neg. mi. Ad 1. prob. dicitur, qui facit voluntatem Dei, eſſe filium Dei, quia ſupponitur habere gratiam habitualem, per quam facit voluntatem Dei. Ad 2. dicitur eodem modo; ſumitur enim fides pro fide formata charitate, perfecta, quæ ſemper eſt cum gratia habituali. Vel dicitur fidem regenerare hominem Initiatiuè, nam ad *Hebr.* 3. fides vocatur initium ſubſtantię Dei; gratia autem eſt forma regenerans. Ad 3. dicitur res inanimatas naſci ex Deo, vt eſt Auctor ordinis naturalis, non vt eſt Auctor ordinis ſupernaturalis, ideo non accipiunt naturã Diuinam formaliter, quæ eſt ordinis ſupernaturalis. Ad 4. dicitur, quòd ideo homo adoptans alterum hominem non communicat ei naturam quia illum ſupponit habere naturam humanam, quæ ſecundùm ſe eſt capax percipiendæ hæreditatis humanæ; at verò natura humana ſecundùm ſe non eſt capax percipiendæ hæreditatis Dei, ideo debet fieri capax per communicationem accidentalem naturæ Diuinæ.

14 Obijc. 3. Gratia dicitur ſemen; ſed ſemen ſolum virtualiter participat naturam generantis; ergo gratia non eſt participatio formalis, ſed virtualis. 2. Per gratiam non participantur formaliter attributa Dei, quia non participatur omnipotentia, immutabilitas, infinitas &c; ergo neque natura, quæ eſſentialiter annectitur cum attributis. 3. Gratia Chriſti non facit filios Dei adoptiuos; ergo nulla eſt ratio allata. Prob. ant. Gratia Chriſti eſt eiuſdem ſpeciei eum noſtra; ſed illa non fecit Chriſtum filiũ Dei adoptiuum; ergo neque iſta.

Reſp. ad 1; quòd dicitur ſemen bonorum operum, non autem naturæ Diuinæ. Ad 2. diſt. ant. Non communicantur attributa, quæ important formaliter negationem creaturæ, conc; quæ non important negationem creaturæ, neg. Additur, quòd etiam attributa, quæ important negationẽ creaturæ, cõmunicantur abſque tamen illa negatione, licèt enim nõ cõmunicetur omnipotẽtia, attamen communicatur potentia, & licèt non communicetur negatio creationis, attamen communicatur eſſe Dei, quòd ſubeſt, non prout ſubeſt negationi creationis; & hoc ſolùm obtinere poſſunt rationes *Gonet*. Vel dicitur *cum noſtro Gibb.* arg. valere de participatione adæquata, non inadæquata, vt in caſu. Ad 3. neg. ant. Ad prob. dicitur, quòd gratia Chriſti ſupponit naturam Diuinam communicatam ſubſtantialiter humanitati, per quam conſtituitur Chriſtus, vt homo, filius Dei naturalis; & ideo nõ facit filium Dei adoptiuum; at verò in nobis non ſupponit naturam Diuinam communicatam ſubſtantialiter; ideo illam communicat accidentaliter, & facit filium Dei adoptiuum.

§. I.

Afferuntur nonnulla corollaria.

1 Ex dictis infertur 1. ſolam gratiam habitualem eſſe fundamentum proximum filiationis adoptiuæ; & hoc ex ſua naturali ratione, non ex lege, pacto, aut ex fauore Dei; quapropter nec Spiritus S. Diuinitas nobis vnita mediante gratia habituali, nec habitus charitatis, nec quælibet alia forma ſupernaturalis etiã de potentia Dei abſoluta poteſt eſſe fundamentum proximum fundans relationem filiationis adoptiuæ. Eſt *cont. Leſſ. lib. 2. de ſummo Bono c. 1.* aſſerentem Diuinitatem Spiritus S. mediãte gratia habituali vnitam, & intimè præſentem animæ iuſti

iuſti eſſe formam, ſeu rationem formalem fundandi relationem filiationis adoptiuæ; *Aureol. in 1. diſt. 17. q. 1. art. 2.* putantem habitum charitatis eſſe rationem formalem fundandi talem relationem; *& cont. Nominales, Scot; & Dur.* opinantes gratiam habitualem hoc præſtare non ex natura ſua, ſed ex pacto, lege, & ex fauore Dei; *& cont. Sua. lib. de grat. c. 3.* arbitrantem de potentia Dei abſoluta poſſe talem effectum præſtari ab alia forma; imò hominem poſſe conſtitui filium Dei adoptiuum per ſolam denominationem extrinſecam ſine vllo habitu, aut qualitate intrinſecè inhærente; quia Deus poteſt ſola ſua voluntate ad hæreditatem gloriæ illum acceptare.

2 Prob. tamen 1; & reijciuntur iſti modi dicendi. Sola generatio paſſiua in creatis eſt fundamentum proximum, ſeu ratio formalis fundandi relationem filiationis nullo pacto, lege, aut fauore interueniente, ſed ex ſua natura, & ratione formali ita, vt repugnet filium conſtitui per aliud, quàm per generationem paſſiuam; ergo ſola gratia habitualis eſt fundamentum proximum fundans relationem filiationis adoptiuæ ex ſua ratione formali, non ex lege, pacto, aut fauore Dei ita, vt nec per Diuinitatem Spiritus S; nec per quodcunque aliud donum ſupernaturale, etiam de potentia Dei abſoluta hoc poſſit formaliter præſtari Ant. ſupp. *ex Logica*; ſicut enim ſola generatio actiua, ſeu potentia generatiua, vt communicans naturam, eſt ratio fundandi relationem paternitatis ita, vt abſque aliquo alio interueniente, idèſt lege, aut pacto, fundet talem relationem; & ſine illa implicet dari relationem paternitatis; ita dicendum de generatione paſſiua reſpectu filiationis. Prob. conſ. Ita philoſophandum eſt de relatione filiationis ſupernaturalis; ſicut philoſophamur de relatione filiationis naturalis ſeruatis ſeruandis; nam iuxta documentum *Apoſt. Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*; ergo idem dicendum eſt de relatione filiationis *adoptiuæ*. Diximus *ſeruatis ſeruandis*; quia per regenerationem adoptiuam communicatur nobis natura Diuina accidentaliter, vt diximus *in ſup. art*; at per generationem naturalem communicatur natura ſubſtantialiter.

3 Conſ. 1. Forma, qua iuſtus regeneratur in filium Dei, fundat relationem filiationis adoptiuæ; ſicut forma, qua homo generatur ab alio homine, fundat relationem filiationis naturalis; ſed ſola gratia habitualis eſt huiuſmodi; vt oſtēdunt rationes allatæ *in ſup. art*; quia ipſa ſola fundatur immediatè in eſſentia animæ, tribuit ius ad hæreditatem &c; ergo ſola gratia habitualis fundat relationem filiationis adoptiuæ.

4 Conſ. 2. Illud, per quod formaliter phyſicè communicatur natura intellectualis, ex ſua ratione formali fundat relationem filiationis; quia filiatio ſequitur ad actionem generatiuam, per quam communicatur formaliter natura; ſed gratia habitualis eſt huiuſmodi; vt diximus *in ſup art*, ergo idem, quòd priùs.

Conſ. 3. Si charitas, aut quodcunque aliud donum, ſufficeret ad conſtituendam relationem filiationis, ſequeretur, quòd Spiritus S. eſſet formaliter Filius, quia procedit formaliter, vt charitas, & vt donum; ſed conſ. eſt abſurdum; ergo & ant. Prob. ant. ſeq. Habito fundamento proximo relationis, & poſito termino habetur formaliter relatio; ſed in Spiritu S. haberetur charitas, aut aliud donum, & haberetur Pater communicans charitatem, aut donum; ergo in Spiritu S. haberetur formaliter relatio filiationis. *Vid. to. 2. de Trin. q. 4. art. 10*; rationes enim probantes ad veram filiationem requiri veram generationem probant etiam hanc concl.

5 Obijc. 1. Forma, qua iuſtus viuit in ordine ſupernaturali, facit formaliter Filium Dei adoptiuum; ſed Diuinitas Spiritus S. eſt huiuſmodi; dicitur enim *Io. 6. Spiritus eſt, qui viuificat; & ad Gal. 5. Si Spiritu viuimus; & in Symbol. Credo in Spiritum S. Dominum, & viuificantem*; ergo Diuinitas Spiritus S. vnita animæ iuſti mediante gratia habituali facit formaliter Filium Dei adoptiuum. 2. Filius conſtituitur formaliter per communicationem naturæ eiuſdem numero, vt in Diuinis; vel eiuſdem ſpecie, vt in humanis; ſed natura Diuina nequit multiplicari numero; ergo iuſtus conſtituitur filius Dei per ipſam naturam Diuinam formaliter aſſiſtentem.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Qua iuſtus viuit formaliter intrinſecè, conc; ſed in hoc ſenſu neg. mi; nam Spiritus S. non informat naturam iuſti intrinſecè. Qua iuſtus viuit efficienter, neg., & conc. mi; in quo ſenſu loquuntur *Scripturæ*, nam Spiritus S. dicitur viuificare effectiuè, quatenus cauſat gratiam habitualem, qua formaliter viuit iuſtus; ſicut Sol dicitur viuificare arbores, quia efficienter cauſat vitam in illis; & Chriſtus viuificauit mortuos, quia efficienter cauſauit vitam in illis; non quòd illi per animam Chriſti informantem eorum corpora viuerent. Ad 2. diſt. mi. Natura Diuina ſubſtātialiter ſumpta nequit multiplicari numero, conc; accidentaliter ſumpta, prout dicit rationem formalem accidentaliter participatam, neg.

6 Obijc. 2. *1. Io. 3. dicitur: Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur, & ſimus*; ergo charitas conſtituit Filium Dei.

Reſp. *D. Io.* arguere filiationem ex charitate; tanquam ex poſteriori coniuncto cum conſtitutiuo formali filiationis, nempe cum gratia habituali; & hoc tanquam ex magis noto; nobis enim magis innoteſcit charitas, quę eſt actus noſter; quàm gratia, quæ eſt purum donum Dei.

7 Obijc. 3. *Scot.* Filiatio Dei nequit ſtare ſine iure ad hæreditatem; ſed hoc ius exigit pactum Dei; ergo gratia non conſtituit filium Dei ex-

excluſo fauore extrinſeco. Prob.mi. Non minor eſt proportio inter opera iuſtorum formata per charitatem, & inter gloriam, vt merces eſt; quàm inter gratiam ſanctificantem, & viſionem beatam; ſed in operibus iuſtorum non datur ius ad gloriam abſque pacto, & promiſſione Dei; ergo ius, quod ponit gratia habitualis, exigit pactum. 2. Quod eſt debitum iure connaturalitatis, nequit proponi, vt prœmium; proprietas enim, quia connaturaliter fluit ab eſſentia, nequit ei, vt prœmium, proponi; ſed habenti gratiam habitualem proponitur gloria, vt prœmium; ergo non debetur ei iure connaturalitatis, ſed ex pacto, & fauore Dei. 3. Gloria non debetur gratiæ exigentia actiua, vt debētur proprietates eſſentiæ; neque exigentia paſſiua, vt ſpecies debentur Angelis; ergo nullo modo debetur. 4. Poteſt Deus de ſua potentia abſoluta negare gloriam habenti gratiam habitualem; ſed tunc habens gratiam non eſſet filius Dei, qui nequit eſſe ſine iure ad hæreditatem; quo tamen eſſet priuatus, & ideo filiatione; ergo idem.

Reſp. ad 1. neg. mi. Ad prob. neg. ſupp. ma; ſicut enim operibus filij non debetur ius ad hæreditatem, ſed naturæ; quia hæreditas datur naturæ, non operibus; ſic inter opera iuſtorum, & gloriam non datur proportio iuris; ſed datur tantùm proportio meriti, & mercedis; vnde inter opera, & gloriam; & inter gratiam habitualem, & viſionem beatam non datur proportio, ſed proportionalitas, quæ eſt proportio diuerſæ ſpeciei; nam ſicut inter opera, & gloriam datur proportio meriti, & mercedis; ita inter gratiam habitualem, & viſionem beatam datur proportio iuris, & debiti; quæ eſt alia à proportione inter meritum, & mercedem, vt patet; quia hæc proportio poteſt inueniri ſine illa, & è contra; ſeruus enim poteſt habere proportionem ad mercedem, non ad hæreditatem; & filius proportionem ad hæreditatem, non ad mercedem. Ad 2. diſt. ma. Si ei cooperemur operibus, neg; ſecus, conc; gloria autem proponitur, vt præmium; quia licèt habens gratiam habitualem habeat ius connaturale ad illam; attamen debet operibus cooperari ad conſecutionem illius; operibus autem præmium eſſentialiter reſpondet. Ad 3. neg. conſ; nam gratiæ habituali, vt principio elicitiuo meritorum, debeatur gloria, vt prœmium; quamuis ei non debeatur, vt proprietas eſſentiæ, vel vt ſpecies intellectui. Ad 4. neg. ma. *cum Beatiſs. P.*; vt diximus *q.2. de Iuſt. Dei art.2. n.11.*

8 Obijc. 4. *Suar.* Poteſt Deus velle dare homini gloriam efficaciter abſque voluntate conferendi gratiam habitualem, quia gloria non dependet eſſentialiter à gratia habituali; ſed in caſu homo glorificatus eſſet filius Dei, quia haberet hæreditatem; ergo ſine gratia poteſt haberi filiatio.

Reſp. *Gonet.* omiſſa ma. neg. mi; ſicuti enim poteſt quis legare teſtamento hæreditatem alicui abſque eo, quòd illum adoptet in filium; ita à pari.

9 Sed hæc reſponſio non placet; quia beato formaliter communicatur gratia conſūmata, quę eſt gratia habitualis perfectiſſima, per quam grata ſit eius anima, pulcra, & beata; vnde ſi per gratiam habitualem imperfectam receptam in anima iuſtus ſit filius Dei, à fortiori id dicendum eſt de gratia habituali perfectiſſima, quia ei communicatur accidentaliter natura Diuina. Igitur neg. ma; implicat enim Deum eſſe iniuſtū, & ideo implicat eum concedere gloriam iniuſto, vt eſt homo ſine gratia habituali. Tum quia implicat concedere gloriam abſque participatione Diuinæ naturæ, quia concederet gloriam ſine gloria, cùm ipſa gloria ſit perfecta participatio Diuinæ naturæ; nam gratia, & gloria, vt docet *Fund. Doct. Quodl. 2. q. 30*; differunt ſolùm, *ſicut perfectum, & imperfectum; vt initiatum, & completum*; ergo implicat concedere gloriam ſine gratia habituali, quæ eſt formaliter participatio Diuinæ naturæ. Quidquid ſit autem, an poſsit immediatè concedere gratiam habitualem perfectam in ſtatu patriæ; an verò debeat illam concedere in ſtatu viæ, & ideò quidquid ſit; an gloria, ſeu gratia conſummata eſſentialiter dependeat à gratia habituali viæ, quę eſt gloria inchoata; ſufficit enim, quòd gloria non poſſit haberi ſine gratia habituali, vel imperfecta, vel conſummata, & ideo ſine illa nequit haberi filiatio Dei.

10 Infertur 2. gratiam habitualem eſſe eiuſdem ſpeciei in omnibus, quia ſumitur à natura Diuina ſecundùm vltimum ſimpliciſſimùm conſtitutiuum illius.

11 Infertur 3. gratiam habitualem eſſe perfectiorem omnibus alijs donis ſupernaturalibus, quia eſt radix, & origo omnium aliorum, & gratia ſe habet veluti natura, cetera autem dona ſe habent veluti proprietates illius *vt ſup.* dictum eſt; natura autem eſt perfectior proprietatibus. Item perfectione ordinis eſt perfectior omni ſubſtantia creata, quia hæc eſt in ordine naturali, illa in ordine Diuino; quamuis quoad modum eſſendi poſſit dici imperfectior ſubſtantia, quæ exiſtit in ſe, & per ſe, modus autem exiſtendi in ſe, & per ſe eſt perfectior modo exiſtendi in alio. Gratia tamen formaliter ſumpta pręſcindit ab accidente, & ſubſtantia, & cùm tranſcendat totum ordinem ſubſtantiæ creatæ, ideo formaliter eſt perfectior ſimpliciter omni ſubſtantia creata; licèt materialiter, quatenus reperitur in genere qualitatis, poſſit dici illa imperfectior.

12 Infertur 4. ſolam creaturam intellectualem eſſe capacem filiationis adoptiuæ; quia cùm adoptio definiatur *à Iuriſperitis, gratuita, & liberalis aſſumptio perſonæ extraneæ ad hæreditatem*; & ſola creatura intellectualis ſit capax hæredi-

reditatis Dei, qui non poſſidetur, niſi per intellectum, & voluntatem, ideo ſola eſt capax filiationis adoptiuæ. Ideo etiam Angeli ſunt filij Dei.

13 Infertur 5. adoptare creaturam eſſe actionem totius Trinitatis, quia eſt actio ad extra, quæ eſt indiuiſa, & communis toti Trinitati; licèt appropriatiuè conueniat ſoli Patri, cui ſoli competit generare, & eſſe Patrem *ad intra*.

14 Infertur 6. Prædeſtinatum exiſtentem in peccato mortali non eſſe filium Dei actualiter, quia per peccatum priuatur iure hæreditatis, & gratia habituali, quæ conſtituit filiationem; reprobum autem habentem gratiam habitualem ad tempus eſſe quoque ad tempus filium Dei; priuatur tamen filiatione per peccatum finale. Item Patres veteri teſtamenti fuiſſe filios Dei, quanuis enim non fuerint in ſtatu filiorum in re, fuerunt tamen in ſpe, quia ſalui facti ſunt in ſpe Chriſti venturi, per quem acceperunt etiam ipſi gratiam habitualem.

15 Infertur 7. gratiam habitualem realiter diſtingui à charitate. Eſt *cont. Dur; Henr; Scot; Alen; Gabr; Marſ; Maior; Ocham; Veg; Bellarmin. lib. 1. de Grat. c. 6. Coninch. diſp. 21. de act. ſupernat. dub. 7; Eſparz. hìc, Merat. Leſſ; & Maſtr. hìc diſp. 7. de Iuſtific. q. 6. art. 1. Fab; Vulp; Ponc; Rada*, & alios. *Traditur tamen à Fund. Doct. in 2. diſt. 26. qu. 2. art. 1. ad 4; & diſt. 30. q. 1. art. 5. §. Sunt etiam*; vbi ait: *Vidimus aliquos Theologos noſtro tempore tenentes hanc opinionem, quòd idem eſſet realiter gratia, quòd charitas; & è conuerſo; cùm tamen hoc eſſe non poſſit, quia gratia perficit eſſentiam, charitas potentiam; & diuerſorum ſubiectorum diuerſas oportet eſſe perfectiones. Sicut enim non eſt idē agere, quod eſſe; ſic non eſt idem, quod perficit potentiam, à qua eſt agere; & quod perficit eſſentiam, à qua eſt eſſe. Si enim in his, quæ ſunt natura, damus eſſentiam, à qua eſt eſſe; multò magis in gratuitis dabimus gratiam perficientem eſſentiā, à qua eſt ſpirituale eſſe; & charitatem perficientem potentiam, à qua eſt ſpirituale agere.* Idem docet *D. Bon; in 2. diſt. 27. art. 1. q. 2; D. Th; Caiet; Med; Ferr; Capr; Bon; Cur; Monſeſin; Suar; Granad; Val; Amic; Quied. Io: à S. Th; Gonet; noſt. Gibb; & omnes alij Theologi communiter.*

16 Prob. 1. *ex 2. Cor. 13. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei &c; & 1. ad Tim. 1. Superabundauit gratia Domini noſtri cum fide, & dilectione; & Trid. ſeſſ. 6. can. 11. Excluſa gratia, & charitate*; ex quo patet falſum aſſumi à *Maſtr.* dicente nunquam à *Trid.* diſtingui gratiam à charitate. Ex quibus ſic. Quæ ſumuntur coniunctiuè *in Scriptura*, non licet dicere, quòd non diſtinguantur realiter, aliter poſſemus dicere, quòd fides non diſtinguatur realiter à charitate; ſic Pater à Filio, & Spiritu S; vt blaſphemabat *Sabellius*; ſed gratia, & charitas *in Scriptura* ſumuntur coniunctiuè; imò ſumuntur eodem modo, ac ſumitur fides, & gratia; ergo non licet dicere, quòd gratia, & charitas non diſtinguantur realiter.

17 Prob. 2. *à Fund. Doct. diſt. 27. vbiſ; ex B. P. de dono perſeu. c. 16*; vbi docet gratiam præuenire charitatem his verbis: *Si autem gratia præuenit fidem, quoniam præuenit voluntatem; profectò præuenit omnem obedientiam, præuenit etiam charitatem, quâ vna Deo veraciter, & ſuauiter obeditur; & hæc omnia gratia in eo, cui datur, & cuius hæc omnia præuenit, operatur.* Quibus verbis apertiſſimè docet gratiam eſſe principium radicale *quod* omnium operum bonorum; ſed ex eo, quòd ſit principium radicale *quod* fidei, realiter diſtinguitur à fide; ergo ex eo, quòd ſit principium radicale *quod* charitatis, realiter diſtinguitur à charitate. *Et de grat. Chriſti c. 26. ſuper illud 1. Io. 4. Non quòd nos dilixerimus Deū, ſed quia ipſe prior dilexit nos*; ait: *Vt enim acciperemus dilectionem, qua diligeremus, dilecti ſumus, cùm eam nondum haberemus. Hoc Io. Apoſt. apertiſſimè dicit: Non quòd nos dilexerimus Deum, ſed quia ipſe prior dilexit nos; & alibi: Nos diligamus, inquit, quia ipſe prior dilexit nos.* Ex quo ſic. Dilectio, qua Deus diligit nos, eſt prior charitate, qua nos diligimus Deum; ſed dilectio, qua Deus nos diligit, infundit, & donat nobis gratiam habitualem; ergo gratia habitualis eſt prior charitate, & ideo realiter ab illa diſtinguitur. Ma. eſt *Apoſt.* Mi. prob. *ex eod. Beatiſſ. P. ep. 105. ad Sixt*; vbi loquens de dilectione, qua Deus dilexit *Iacob Rom. 9.* ait: *Quid enim diligebat in Iacob, antequam natus feciſſet aliquid boni; niſi gratuitum miſericordiæ ſuæ donum?* Et alibi: *Quid dilexit in Iacob, niſi gratiam, quam donabat?* Ergo dilectio, qua Deus nos diligit, infundit, & donat nobis gratiam habitualem. Conſ. patet, quia idem nequit eſſe realiter prius ſe ipſo, & ſine ſeipſo; gratia autem habitualis eſt prior ipſa charitate realiter prioritate naturæ; quia cùm diligimus, à Deo habemus gratiā, & non habemus charitatem.

18 Prob. 3. *ab eod.* Quæ ſunt in ſubiectis realiter diſtinctis, diſtinguuntur realiter; nam forma diſtinctionem, & vnitatem trahit à ſubiecto; quod à fortiori dicendum eſt de forma accidentali, quæ cùm trahat eſſe à ſubiecto, ab eodem trahit etiam vnitatem, & diſtinctionem ſequentem ad eſſe, tanquam paſſio illius; ſed gratia, & charitas ſunt in diuerſis ſubiectis; quia gratia eſt in eſſentia animæ, & charitas eſt in voluntate, ſicut fides in intellectu; vt probatum eſt *art. 1*; ergo gratia, & charitas diſtinguuntur realiter.

19 Prob. 4. *ab eod.* Potentia, quæ ordinatur ad eſſe, diſtinguitur realiter à potentia, quæ immediatè ordinatur ad operari; vt forma ignis, quæ ordinatur ad dandum eſſe ſubſtantiale igni, realiter differt à calore, qui eſt potentia immediatè ordinata ad operari; ſed gratia habitualis eſt potentia ordinata ad eſſe ſupernaturale, &

chari-

Digitized by Google

charitas eſt potentia ordinata ad operari ſupernaturaliter; ſi enim in rebus naturalibus operatio eſſentialiter ſupponit eſſe;à fortiori in ſupernaturalibus; quo enim operatio eſt perfectior, magis ſupponit de eſſe; ergo gratia habitualis realiter diſtinguitur à charitate. Tum quia gratia habitualis differt realiter à fide, quæ eſt in intellectu; ergo multò magis à charitate; nam animæ, in qua eſt gratia, immediatiùs vnitur intellectus, quam voluntas; & ideo charitas, quæ eſt in voluntate;magis differt à gratia, quia magis diſtat, quàm fides.

20 Tandem anima iuſti debet immediatè ornari aliqua pulcritudine ſupernaturali; eſt enim tota pulcra, & decora; ſed hæc pulcritudo nequit eſſe charitas; quia charitas immediatè ornat voluntatem; & ſicut voluntas non ornatur per fidem, quæ ornat intellectum; ita anima non ornatur immediatè per charitatem; ergo hæc pulchritudo, qua ornatur anima immediatè, eſt gratia habitualis; quæ, cùm non ſit charitas, realiter à charitate diſtinguitur.

21 Obijc.1. *Dur.* Calor dat eſſe calidum igni, & eſt principium immediatum calefaciendi;ergo licèt forma dans eſſe ſubſtantiale diſtinguatur à forma accidentali operatiua; attamen hoc non valet in accidentibus. 2.Effectus gratiæ tribuuntur charitati; vt conſtituere filium Dei, tribuere ius ad gloriam; ergo gratia non differt à charitate. 3.Gratia nequit eſſe ſine charitate; ergo idem, quòd priùs. 4. Charitas eſt forma omnium virtutum; ſed gratia habitualis eſt huiuſmodi, quia facit,vt opera virtutum ſint meritoria vitæ æternæ; ergo idem. 5. *Scot.* Potentię animæ non diſtinguuntur realiter ab anima;ergo ruit alia ratio.

Reſp.ad 1.neg. paritatem; nam calor ſupponit ignem habere eſſe naturale ſubſtantiale, quod eſt principium *quod* operatiuum; charitas autem non ſupponit eſſe ſupernaturale *quod*, niſi per gratiam. Ad 2. diſt. ant. Tribuuntur charitati diſpoſitiuè,conc; formaliter, neg. *Vid.art.1.* Ad 3.neg.conſ; licèt enim charitas, & ſpes nequeant eſſe ſine fide; attamen realiter diſtinguntur; ſic viſio beata nequit eſſe ſine lumine, & tamen realiter differt ab illo. Ad 4.dicitur,quòd gratia eſt forma radicalis, charitas verò formalis, & proxima. Ad 5. dicitur nos ſupponere diſtinctionem realem inter potentias animę,quę probatur in *libris de an*; & huic ſuppoſito nititur illa ratio. Præterea etianſi non diſtinguerentur potentiæ, niſi formaliter ex natura rei; attamen gratia, & charitas differrent realiter; nam fides differt realiter à charitate; etianſi potentiæ non differant realiter; ergo à pari.

22 Obijc.2. *Maſtr. Beatiſſ.P. de nat.& grat. c.42.* ait: *Ipſa charitas eſt veriſſima, & pleniſſima, perfectiſſimaque iuſtitia*; ſed iuſtitia eſt gratia habitualis; ergo charitas, & gratia idem ſunt. 2. Gratia iuſtificans eſt vita ſpiritualis animæ; ſed hæc conſiſtit in perfecta vnione cum Deo, quæ ſit per charitatem; ergo idem. 3. Quæ realiter differunt, realiter poſſunt ſeparari; ſed gratia nequit ſeparari à charitate; aliter habens gratiam ſine charitate ſaluaretur,& non ſaluaretur; ergo idem. 4. Eadem forma poteſt remittere peccata, & mouere ad dilectionem; nam ſi infunderetur ſola charitas, tolleret peccata; ergo idem.

Reſp. ad 1. diſt. mi. Iuſtitia attributalis, ſicut eſt charitas, eſt gratia habitualis,neg; iuſtitia eſſentialis,conc; *Beatiſſ.P.* autem loquitur de iuſtitia attributali, aliquando enim ſumitur iuſtitia,prout contradiſtincta à gratia; vt *Rom.4. Multò magis abundantiam gratiæ, & donationis,& iuſtitiæ*; & tunc ſumitur pro attributo, & proprietate ipſius gratiæ; vt eſt iuſtitia legalis,quæ præcipit actus omnium virtutum,& eſt in voluntare. Ad 2. neg.mi; nam vita ſpiritualis animæ eſt per modum principij radicalis, ſe habet enim,vt natura in ordine Diuino. Ad 3. neg.ma; nam proprietates eſſentiales, licèt differant, nequeunt tamen ſeparari ab eſſentia; charitas autem eſt proprietas eſſentialis gratiæ. Ad 4. diſt.ant. Poteſt mouere ad dilectionem *vt quod* radicaliter, conc; *vt quo* proximè,neg; eadem enim ratione poſſet mouere ad credendum, & ad ſperandum, & ſic tolleretur diſtinctio virtutum Theologalium.Ad prob.dicemus *in ſeq.q.*

ART. III.

An ſolus Deus ſit cauſa principalis gratiæ habitualis?

1 EXceptis *Med. 3.par. q.13. dub.vlt; & Gabr.ibid. diſp.2.* opinantibus humanitatem Chriſti Domini eſſe cauſam principalem gratiæ iuſtificantis, ſecundariam tamen, & Deo, tanquam cauſæ primæ,ſubordinatam; *omnes alij DD.* communiter docent ſolùm Deum ita eſſe cauſam principalem gratiæ habitualis, vt repugnet cuicunque etiam poſſibili creaturę eſſe cauſam principalem illius. *Ita Fund.Doct. locis cit.to. 3. de creat. q.2.art.1; & 3; & in 2. diſt. 26. q. 1. art.1. ad 4;* vbi ait: *Dicendum, quòd effectiuè nos magis immediatè recreat, quàm creet; quia accipiendo creare pro productione rei in eſſe ſubſtantiali, vel in eſſe reali, Deus per ſua agentia producit multas naturas rerum; ſed immediatè per ſe ipſum ſemper dat gratiam effectiuè; & licèt diſpoſitiuè hoc poſſit facere per alia agentia, formaliter tamen loquendo, ſicut nunquam creat aliqua in eſſe naturali, niſi dando eis naturam; ſic nunquam recreat aliqua in eſſe gratuito, niſi dando eis gratiam.* Idem docet *diſt. 28. q. 1. art.3.; & ſæpe alibi.*

2 Non loquimur *hic* de cauſa meritoria, exemplari, aut finali; de hoc enim iam diximus *to.2. de præd.q. 3. art. 3;* ſed tantùm de cauſa efficiente phyſica.

3 Vni-

3 Vnica concl. Solus Deus eſt cauſa phyſica gratiæ habitualis; & ideo nulla creatura poteſt eſſe cauſa principalis, vel etiam inſtrumentalis directè, ſed tantùm inſtrumentalis indirectè ipſius gratiæ. Hæc concl. probata eſt *to.3. vbiſ.*

Prob.1. *ex Iob. 14. Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, niſi tu ſolus.* Vt legunt 70. Super quod *Beatiſs. P. lib. Medit. c.36. Tu es Deus omnipotens infinita pietatis, qui iuſtificas impium, & viuificas mortuos propter peccatum; qui mutas peccatores, & non ſunt.* Ex quo ſic. 1. Omnipotentia nulli creaturæ poteſt competere; ſed cauſa principalis productiua gratiæ habitualis eſt omnipotentia; ergo cauſa principalis productiua gratiæ habitualis nulli creaturæ poteſt competere. Mi. patet; nam cùm omnipotentia eſſentialiter habeat pro termino *à quo* nihil ſimpliciter, & pro termino *ad quem* omne eſſe creabile; & cùm creatura nequeat agere ex nihilo, ac producere omne creabile, quia poſſet producere ſe ipſam, quæ etiam eſt creabilis; ideo omnipotentia nequit competere creaturæ. Prob. mi. Cauſa principalis productiua ex nihilo ſimpliciter eſt omnipotentia, vt dictum eſt; ſed gratia habitualis producitur ex nihilo ſimpliciter, quia habet pro termino *à quo* peccatum, quod eſt nihil ſimpliciter; vt habet *Beatiſs. P. tract. 1. in Io*; tum quia propriè creatur, vt diximus *to.3. art.1. vbiſ.* ergo cauſa principalis productiua gratiæ habitualis eſt omnipotentia. Tum quia creare in ordine naturali (inquit *Fund. Doct.*) eſt effectus omnipotentiæ, nam ſi effectus inferior exigit indiſpenſabiliter cauſari ab omnipotentia ita, vt nulli creaturæ, quæ nequit eſſe omnipotens, poſſit competere; à fortiori effectus ſuperior nedum perfectione, ſed etiam ordine exigit indiſpenſabiliter cauſari ab omnipotentia; atqui recreare in ordine ſupernaturali eſt per gratiam habitualem; ergo gratia habitualis eſt effectus omnipotentiæ. 2. Subleuare à miſeria infinita nequit eſſe effectus, niſi pietatis formaliter infinitæ; ſed gratia habitualis ita ſubleuat; ergo eſt effectus pietatis infinitæ; atqui creaturæ, quæ eſt ſimpliciter finita, repugnat pietas formaliter infinita; ergo gratia habitualis nequit eſſe effectus creaturæ. Ma. patet; quia ſicut ſubleuare à miſeria, *vt ſic*, eſt effectus ipſius pietatis, *vt ſic*; & ſicut ſubleuare à miſeria finita eſt effectus pietatis finitæ; ita ſubleuare à miſeria infinita eſt effectus pietatis infinitæ. Prob. mi. Peccatum eſt miſeria infinita, nedum quis eſt offenſa bonitatis infinitæ, & priuatio illius; ſed etiam quia duratione infinita punitur; ſed gratia habitualis ſubleuat à peccato; quia illud remittit, & delet; ergo gratia habitualis ſubleuat à miſeria infinita.

4 Prob. 2. *ex eod. Beatiſſ. P. lib. 1. de pecc. merit., & remiſſ. c.14.* ſuper illud *Rom. 4. Credenti in eum, qui iuſtificat impium, deputatur fides ad iuſtitiam*, docente: *Quiſquis ergo auſus fuerit dicere: Iuſtifico te; conſequens eſt, vt dicat etiam: Credo in me. Quod nemo Sanctorum rectè dicere potuit, niſi Sanctus ſanctorum: Creditis in Deum; & in me credite; vt quia ipſe iuſtificat impium, deputetur fides ad iuſtitiam.* Ex quibus ſic 1. Qui poteſt principaliter cauſare gratiam habitualem, poteſt principaliter iuſtificare; quia gratia habitualis eadem eſt, ac iuſtificans; ſed nulla creatura poteſt principaliter iuſtificare, neque etiam vt cauſa principalis ſecunda; quia ſolus Deus iuſtificat; ergo nulla creatura poteſt principaliter cauſare gratiam habitualem. 2. Qui poteſt eſſe cauſa principalis gratiæ habitualis, poteſt eſſe quoque cauſa principalis fidei, ſpei, & charitatis; quæ ſunt proprietates gratiæ habitualis, vt *ſuperius* diximus; ſed nulla creatura poteſt eſſe cauſa principalis fidei, ſpei, & charitatis; ergo neque gratiæ habitualis. Ma. liquet; quia qui cauſat formam, cauſat etiam conſequentia ad formã; & ideo cauſat proprietates, quæ ſequuntur ad formam; tanquam accidentia propria. Prob. mi 1. *Epheſ.2. Gratia ſalui facti eſtis per fidem; & hoc non ex vobis, ſed Dei donum eſt; & Io.6. Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille*: & paulò poſt: *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet*; ſuper quod *Beatiſs P. de præd. SS. c.8.* ait: *Quid eſt ad me veniet, niſi credat in me? Sed vt fiat, Pater dat*; & *Matth.16. Beatus es, Simon Bariona; quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in Cælis*; quibus verbis expreſsè dicitur fidem non eſſe productam ab aliqua creatura, ſed à ſolo Deo, quia Pater eſt Deus, non homo ſimul; & ideo non eſt coefficienter ab humanitate, ſed tantùm à Diuinitate. Prob.2. eadem mi. ratione *Fund. Doct.* Fides, ſpes, & charitas ſunt virtutes Theologicæ habentes pro obiecto immediato, & fine Deum; ergo immediatè producuntur à ſolo Deo efficienter; quia habitus, & actus efficienter producitur à ſolo obiecto immediato, à quo ſpecificatur, vt *pluries* diximus *cit. locis.*

5 Prob.3. ex illo *Marc.2. Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Ex quo ſic. Nulla creatura poteſt dimittere peccata; quia nulla creatura poteſt ſatisfacere offenſæ infinitæ per peccatum Deo irrogatæ; vt *ſuo loco* dicemus; ſed per gratiam habitualem dimittuntur peccata; quia iuſtificatur anima; ergo nulla creatura poteſt eſſe cauſa principalis gratiæ habitualis.

6 Prob. 4. Nulla creatura poteſt dare Spiritum S; quia dare Spiritum S. ſpectat ſolùm ad perſonas Patris, & Filij, à quibus procedit Spiritus S; vt diximus *to.2. de Trin. q.10. art.1*; ſed per gratiam habitualem confertur Spiritus S; ergo nulla creatura poteſt conferre gratiam habitualem, & ideo nec humanitas Chriſti, quia ab illa non procedit originariè Spiritus S., poteſt principaliter conferre gratiam habitualem, ſed tantùm inſtrumentaliter excellenter.

7 Prob. 5. Nulla creatura poteſt adoptare effectiuè in filium Dei; quia adoptatio eſt ſolùm à pa-

à patre adoptante; ſed per gratiam habitualem homo adoptatur in filium Dei; ergo idem.

8 Tandem per gratiam habitualem efficimur conſortes,& participes naturæ Diuinæ; ſed nulla creatura, quantumuis ſancta,poteſt efficere conſortes naturæ Diuinæ; ergo nulla creatura poteſt principaliter cauſare gratiam. Prob. min. Participatio formæ ab illo tantùm eſt effectiuè principaliter, in qua eſt forma formaliter intrinſecè, vt participare formam ignis principaliter eſt ſolùm ab igne; calor autem, qui eſt imperfecta participatio formę ignis,nequit principaliter illam participare; & cœlum, cui tantùm extrinſecè aſſiſtit Angelus, nequit participare naturam Angeli; ſed nulla creatura habet formaliter intrinſecè naturam Diuinam per informationem, vt patet; ergo nulla creatura, quantumuis ſancta, etiam hypoſtaticè poteſt participare naturam Diuinam.

9 Prob. 2. pars concl. ex dictis *to. 3. art. 1. vbiſ.* Inſtrumentum debet habere aliquam actionem præuiam diſponentem ad formam principalem; ſed nulla creatura poteſt efficienter producere qualitatem præuiam diſponentem ad gratiam habitualem, quia ſi poſſet producere qualitatem præuiam, maximè actum contritionis, quo diſponimur ad gratiam habitualem; actus autem contritionis efficienter phyſicè producitur à ſolo Deo, quia eſt donum illius; & actus phyſicè producitur à ſolo obiecto; à potentia autem producitur ſolùm in genere cauſæ formalis vitalis, quatenus per ipſum in ipſa cauſatum ab obiecto potentia tendit in obiectum;vt continuò diximus agentes de actibus vitalibus; ergo nullam qualitatem præuiam ad gratiam creatura phyſicè producit. Tum quia inſtrumentum phyſicum debet phyſicè influere in effectum cauſæ principalis, & deferre influxum illius; vt diximus *loc. cit.*; ſed nulla creatura hoc poteſt efficere ob rationes allatas in probat. 1. part. concl. ergo nequit directè cauſare inſtrumentaliter gratiam. Tum quia gratia producitur per creationem, ad quam non datur diſpoſitio,quia non eſt per motum, & tranſmutationem; ergo nequit inſtrumentaliter directè produci à creatura; quia inſtrumentum debet habere actionem præuiam diſponentem ad actionem cauſæ principalis. Tum quia nulla creatura poteſt inſtrumentaliter directè concurrere ad productionem habitus fidei; nam vel concurreret viribus naturæ,vel viribus gratiæ? Non primum; quia eſt *Semipelagianum*; neque ſecundum; quia fides eſt initium omnis operis boni ſupernaturalis meritorij, vel diſpoſitorij ad vitam æternam; concurſus autem ſupernaturalis ad productionem fidei eſt opus bonum; ergo multò minùs poteſt inſtrumentaliter directè concurrere ad productionem gratiæ habitualis, quæ eſt perfectior fide. Tum quia virtus inſtrumentalis directa ita ſe habet, vt poſito effectu ipſius in ſubiecto ſtatim naturaliter educatur de potentia illius forma principalis; vt patet de calore, qui eſt inſtrumentum ignis; ſed gratia habitualis non educitur naturaliter de potentia ſubiecti; ergo ad illam non concurrit creatura inſtrumentaliter directè. Tandem quia licèt homo ponat vltimam diſpoſitionem ad animam rationalem; attamen non concurrit inſtrumentaliter directè ad creationem illius; ergo licèt creatura ponat actum contritionis, qui eſt vltima diſpoſitio ad gratiam habitualem; attamen non concurrit inſtrumentaliter directè ad creationem illius; & ſic de alijs rationibus allatis pro 1. part. concl.

10 Prob. 3. pars concl. Creatura ponit actū contritionis;quo poſito Deus infundit gratiam habitualem; ſed hoc eſt concurrere inſtrumentaliter indirectè ad creationem illius. *Vid.* alias rationes *to. 3. art. 4. vbiſ. n. 12; & ſeq.*

11 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. *Io 1.* dicitur: *Lex per Moyſen data eſt; gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*; ergo humanitas Chriſti fuit cauſa principalis gratiæ habitualis. 2. *Rom. 5. Sicut enim per vnius delictum in omnes homines in condemnationem; ſic & per vnius iuſtificationem in omnes homines ad iuſtificationem vitæ*; ſed hoc nequit intelligi, niſi de Chriſto, vt homine;ſubdit nanque: *Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi; ita & per vnius obeditionem iuſti conſtituuntur multi*; obediētia autem eſt propria hominis, qui eſt inferior; tum quia *ſuperiùs* dixerat nos iuſtificatos eſſe *in ſanguine ipſius per mortem*; quæ non poſſunt competere Chriſto,vt eſt Deus, ſed vt eſt homo. Hinc *Beatiſſ. P. de pecc. merit. vbiſ.* ait: *Iuſtus autem, & iuſtificans nemo, niſi Chriſtus* & *inf.* docet, quòd ſicut *per Adam* generamur in carne; ita per Chriſtum regeneramur in ſpiritu; ſed *Adam* generauit nos, vt homo; ergo & Chriſtus.

Reſp. *has, & alias Scripturas* intelligi de regeneratione morali meritoria; quam Chriſtus, vt Caput noſtrum, nobis meruit ſua paſſione. Si autem intelligi libeat de regeneratione phyſica per phyſicam collationem gratiæ; intelligi debet de Chriſto, vt eſt Deus; prout ſuperiùs monſtratum eſt *ex Scripturis*. Chriſtus igitur, vt homo, meruit nobis iuſtificationem; quam nobis contulit,vt Deus, ſimul cum Patre, & Spiritu S. cum quibus indiuiſè operatur ad extra.

12 Obijc. 2. Cauſa per formam nobiliorem producens effectum eſt cauſa principalis,non inſtrumentalis; ſed humanitas Chriſti producit gratiam habitualem in nobis per gratiam habitualem Chriſti, quę eſt nobilior noſtra, cùm ſit gratia Capitis; ergo eſt cauſa principalis gratiæ noſtræ. 2. Cauſa principalis vltimæ diſpoſitionis ad formam eſt cauſa principalis ipſius formæ; ſed habitus charitatis eſt cauſa principalis dilectionis, quæ eſt vltima diſpoſitio ad gratiam habitualem,ergo eſt cauſa principalis gratiæ. 3. Intel-

tel-

tellectus, & voluntas creata cum habitibus ſupernaturalibus ſunt cauſæ principales actuum ſupernaturalium; ergo & gratiæ habitualis; in tantùm enim videtur non eſſe cauſam; in quantùm gratia habitualis eſt ſupernaturalis. 4. Gratia habitualis eſt finita; ergo poterit dari virtus creata finita ſufficiens ad illam producendam.

Reſp.ad 1.diſt.mi. Humanitas Chriſti producit gratiam habitualem in nobis meritoriè, conc; phyſicè,neg. Ad 2.reſp, *noſter Gibb.* actum dilectionis eſſe diſpoſitionem moralem, non phyſicam ad gratiam. Sed hæc reſponſio non placet; nam charitas eſt proprietas phyſica ipſius gratiæ, vt *ſuperiùs* diximus; & ideo eſt diſpoſitio phyſica, & moralis. Igitur 1.diſt.ma. Si forma educatur de potentia ſubiecti diſpoſiti,conc; ſi non educatur, neg; in tantùm enim diſponens cauſat formam, ad quam diſponit, in quantùm per illam diſpoſitionem forma educitur de ſubiecto; ſi autem non educatur, ſed infundatur à ſolo Deo,non eſt cauſa illius. 2.Diſt.ma.Cauſa efficiens, conc; formalis, neg; & ſic diſt. mi. Habitus charitatis eſt cauſa efficiens dilectionis, neg; nam cauſa efficiens eſt ſolus Deus, à quo producitur vt qualitas eſt. Eſt cauſa formalis vitalis, idèſt tendens per actum efficienter cauſatum à Deo in Deum, conc. 3. Neg.ma. abſolutè; nam homo cauſat vltimam diſpoſitionem ad animam, & tamen animam non cauſat. Ad 3. eodem modo diſt. ant. Sunt cauſæ efficientes, neg; formales, quæ ſolùm referunt illum actum cauſatum à Deo, vt qualitas eſt, in Deum, quę referentia non eſt cauſalitas phyſica principalis, de qua *hic* loquimur, conc. Præterea dicitur, quòd ſicut creatura poteſt producere ſuas operationes naturales, non tamen poteſt producere ſuas potentias; ita quanuis mediantibus potentijs ſupernaturalibus poſſit producere ſuas operationes ſupernaturales; non tamen poteſt producere ipſas potentias ſupernaturales;vt eſt gratia habitualis. Ad 4.diſt.ant. Gratia eſt finita, quoad entitatem, conc; quoad modum producendi, neg;modus enim producendi eſt ex nihilo in ens, quod neceſſariò importat infinitatem; ſicut anima rationalis eſt finita; & tamen nequit dari virtus finita, quæ illam producat.

13 Inſt.1.Ex eo, quòd homo concurrat ad vltimam diſpoſitionem,dicitur effectiuè concurrere ad generationem hominis; ergo à pari. 2. Poteſt participari natura Diuina accidentaliter finitè; ergo & omnipotentia, quæ eſt attributum naturæ; plus enim eſt participari naturam,quàm proprietatem naturæ; ſed per omnipotentiam poteſt creari; ergo ſaltem de potentia abſoluta gratia habitualis poteſt à creatura principaliter produci.

Omiſſa reſponſione *Gonet* dicentis hominem concurrere ad generationem,quia vnit animam cum corpore mediantibus diſpoſitionibus; creaturam verò non concurrere ad regenerationem, quia non vnit gratiam cum anima, cùm gratia non educatur de potentia naturali animæ: hoc, inquam, omiſſo, quia nec anima rationalis educitur, & ideo ſi creatura non vnit gratiam cum anima, quia gratia non educitur; neque vnit animam cum corpore, quia anima quoque non educitur. Reſp.ergo neg.conſ.nam diſponens ad gratiam non producit efficienter phyſicè diſpoſitionem, vt dictum eſt, ſed tantùm formaliter per illam tendit in Deum; generans autem hominem efficienter phyſicè producit vltimam diſpoſitionem; & ideo effectiuè concurrit ad generationem; effectiuè enim dicitur ab efficientia. Ad 2.neg.conſ. Ad prob. inſert. dicitur; quòd omnipotentia eſt attributum importans in ſuo conceptu formali negationem creaturæ; vt dictum eſt *art.2*; & ideo nequit communicari creaturæ; aliter negatio, & forma eſſent ſimul. Quanuis igitur concedatur plus eſſe communicari naturam, quàm proprietatem; attamen ſi proprietas repugnat creaturæ, cui non repugnat natura, hæc, non illa poteſt communicari.

14 Obijc.3. *noſter Gibb.* cont. 3. part. concl; quæ eſt *contra Thomiſtas*. Humanitas, vt inſtrumentum, ſeu organum Diuinitatis coniunctum, & ſacramenta, vt inſtrumenta ſeparata, eleuantur ad producendam phyſicè gratiam; ergo inſtrumentaliter creatura poteſt gratiam producere. 2. Gratia educitur de potentia obedientiali animæ; ergo creatura poteſt eleuari ad illam producendam inſtrumentaliter, non enim ageret ex nihilo.

Reſp. humanitatem, & ſacramenta eſſe organa gratiæ indirectè, non directè, vt dictum eſt; & ſic intelligi SS.PP. Ad 2.neg.ant. Præterea dicitur, quòd cùm potentia obedientialis habeat ſoli Deo obedire, non creaturæ; vt docent *ipſi Thomiſtæ*;qui probant ex hoc creaturam non poſſe producere gratiam, quia potentia obedientialis obediret creaturæ, vt videre eſt *apud Gonet*; ideo creatura nequit educere de potentia obedientiali, & per conſequens nec gratiam creare.

15 Colligitur *contra Recentiores Thomiſtas, & Neotericos*; quibus adhæret *noſter Gibb*; gratiam non educi de potentia obedientiali animæ, ſed à Deo immediatè creari, & infundi in animam. Rationes, & obiectionum ſolutiones attulimus *to.3.vbi ſ.art.1.2.& 3.*

16 Dices. Id, ad quod datur diſpoſitio, non creatur; ſed ad gratiam habitualem datur diſpoſitio; vt videbimus *in ſeq*; ergo non creatur.

Reſp. ex dictis *in tract. de Creat*; vbi hanc materiam exactiſſimè diſcuſſimus, vt poteſt *illic* videri, diſt. ma. Id, ad quod datur diſpoſitio ex indigentia agentis, ſeu adiuuans actionem agentis, conc; ex indigentia rei actæ,neg; diſpoſitio autem ad gratiam non eſt ex indigentia Dei ita,

ita, vt Deus non poſſit infundere gratiam, niſi prius anima diſponatur ad illam ſuſcipiendam, ſed eſt ex indigentia ipſius gratiæ, quæ exigit recipi in ſubiecto diſpoſito, ſicut quamuis ad animam rationalem prærequiritur diſpoſitio corporis, quia anima exigit recipi in corpore diſpoſito; attamen non tollitur, quòd anima non creetur; ita à pari. *Vid. to. 3. vbiſ. art. 1. n 11; & 14.*

ART. IV.

An, qualis, & quæ diſpoſitio requiratur ad gratiam habitualem?

1 QVatnor agitantur in præſenti. 1. An ſit neceſſaria aliqua diſpoſitio ſupernaturalis ad gratiam habitualem; de diſpoſitione enim naturali nullum eſt dubium; quia diſpoſitio debet eſſe in eodem ordine cum forma, ad quam diſponit, vt docet *Fund. Doct. inf.* & circa hoc tantùm poſſet eſſe *Pelagius cum ſuis*; contra quos ſatis *ſuperiùs* actum eſt. 2. An hæc diſpoſitio detur nedum in adultis, ſed etiam in paruulis. 3. An ſit diſpoſitio phyſica, vel moralis tantùm. 4. Quænam ſit hæc diſpoſitio?

2 *Lutherani* in hac re ſibi turpiter contradicunt; aiunt enim paruulos, dum baptizantur, diſponi per actum fidei, quo credunt in Deum; vel ſaltem per quoſdam motus, & inclinationes in Deum; & colligunt *ex Io. Baptiſta*, qui exultauit in vtero matris, & nouit præſentiam Saluatoris. Deinde cùm loquuntur de adultis, aſſerunt nullam dari diſpoſitionem ad gratiam iuſtificantem; nam vt videre eſt *apud Io. Roffen. in art. 6. Lutheri*, aſſerunt omnia, quæ fiunt ad gratiam impetrandam eſſe hipocriſes, & figmenta.

3 Sed quomodò paruuli ſine vſu rationis vtuntur ratione actu credentes, & alijs motibus rationis in Deum tendentes, quibus diſponantur ad gratiam, & adulti vſu rationis prædicti vti ratione non poſſunt, vt credant, ſperent, & ament ſalubriter, fructuoſè, & meritoriè tendentes in Deum, quibus motibus diſponantur ad gratiam; operibus hypocriſi infectis, & malis nedum non diſponuntur, ſed potiùs impediuntur, ne gratiam recipiant? Quæ eſſe apertè implicatoria quilibet ſolos oculos habens poteſt videre. Sententiam hanc quoad paruulos eſſe contra communem ſenſum ait *Beatiſs. P. ep. 57*; nec ex exultatione *Ioannis* colligi poteſt; quia illa exultatio fuit motus corporis à Spiritu S; quo plenus erat, agitati, non motus rationis; tum quia etiamſi in naturæ ordinem fuerit diſpenſatus miraculosè *Ioannes*, quia mirabiliſſimum Incarnationis myſterium, quod eſt omnium miraculorum miraculum, debent multa miracula præcedere, & ſubſequi, vt patet *ex Scriptura*; attamen ex hoc non ſequitur, quòd omnes paruuli ab hoc diſpenſentur; cùm videamus naturam in omnibus expectare tempus debitæ organizationis ipſius corporis, vt rationis exerceat officia. Quoad adultos verò eſt contra fidem; manifeſtè namque *Scripturarum* id reprobant *textus*, quibus innixum *Trid.* hanc ſententiam anathemate explosit.

4 Omnes igitur Catholici fatentur ad gratiam habitualem dari diſpoſitionem in adultis; ſed diſſident; *aliqui* enim cēſent hanc diſpoſitionem eſſe tantùm moralem, non phyſicam; vt *noſter Gibb*; apud quem *noſter Bernardin; Caiet. Zum; Vaſq; Lorc; Cur; Suar, vterque Med, Ouied; & alij*. E contra verò *alij* docent eſſe diſpoſitionem phyſicam, non tantùm moralem. Hoc apertè docet *Fund. Doct. in 2. diſt. 28. q. 1. art. 3; & diſt. 27. q. 2. art. 2. §. Tertia via, ac ſæpe alibi*; vbi docet gratiam eſſe ſemper coniunctam cum charitate tanquam eſſentiam cum proprietate; & idem docet de iuſtitia originali, cuius proprietates ponit in voluntate, intellectu, & appetitu ſenſitiuo; diſpoſitiones autem morales non ſunt proprietates rei; quia proprietates oriuntur ex natura rei, & phyſicè nectuntur cum illa; at diſpoſitiones morales iunguntur tantùm ex Diuina inſtitutione. Hanc ſentent. ſequuntur *Sot; Can; Aluar; Gonet, & alij Thomiſtæ*.

5 Quantùm ad paruulos *Caiet.* aſſerit in baptiſmo diſponi non per actus proprios, ſed alienos, quos eliciunt illi, quos eis accomodat *Eccleſia*. *Capr; & Palud.* diſponi per ornatum, quem cauſat baptiſmus in anima; *Gonet; & alij* diſponi per habitus Theologales infuſos, non per actus. *Iſti omnes* verum dicunt, ſed inſufficienter loquuntur; quia vnum aſſerentes eum excluſione aliorum, diſpoſitionem inadæquatè aſſignant.

6 Noſtra igitur ſententia quantùm ad paruulos docet in baptiſmo diſponi moraliter per actus alienos, qui ſunt actus imputatiui, & ideo morales; phyſicè verò remotè diſponi per ornatum cauſatum in anima à ſacramento baptiſmi; & tandem proximè per habitus Theologales infuſos. Colligitur *ex Beatiſs. P*; vt mox patebit; & quantùm ad ornatum traditur *à Fund. Doct*; vt in videbimus *in 4. ſent*; & licèt *Gonet* aſſerat hunc ornatum eſſe purum inuentum fictum *ab Antiquis*, qui neſciebant componere, quomodò ſacramenta cauſent gratiam phyſicè, & tamen gratia creetur, cùm nulla creatura poſſit nec inſtrumentaliter eleuari ad creandum; nunc autem penitus ſublatam eſſe hanc difficultatem, dum ab omnibus communiter tradatur gratiam educi de potentia obedientiali animæ, non creari; attamen hæc propoſitio nititur falſo; quia falſum eſt gratiam educi, vt dictum eſt; nec aliter poteſt ſaluari cauſalitas phyſica ſacramentorum, niſi admittendo ornatum; quia eſt ineluctabilis doctrina, quòd inſtrumenta debent habere aliquem effectum præuium ſibi proprium; aliter nihil efficerent, & ſic nō eſſent inſtrumēta, cùm inſtrumētū reducatur ad cauſā efficientē, &

ideo

ideo eſſentialiter aliquod efficit; effectus autem proprius baptiſmi eſt ablutio corporis, à qua reſultat quidam nitor in anima per coniunctionem, quam habet ad corpus; poſt quem nitorem Deus infundit gratiã, quam ipſe ſolus creat; vt diximus *to. 3. de Creat. art. 1. ad 2. n. 25.*

7 Not. igitur; quòd diſpoſitio alia eſt remota; v. g. calor, vt duo; alia proxima, v. g. calor, vt octo; & hæc eſt differentia inter vtranque, quòd diſpoſitio remota non eſt proprietas quarto modo; calor enim, vt duo, poteſt conuenire alijs ab igne; diſpoſitio autem proxima eſt proprietas quarto modo, quia illi ſoli, & ſemper conuenit. Actus autem, & potentia propria alicuius eſſentiæ in hoc differunt; quòd actus non eſt proprietas quarto modo; non enim conuenit ſemper eſſentiæ; vt riſus non ſemper conuenit homini; potentia autem propria conuenit ſemper, quia eſt inſeparabilis, & ideo eſt proprietas quarto modo.

8 Ex hac doctrina, quæ communis eſt *inter Philoſophos*, deducitur, quòd actus contritionis non eſt diſpoſitio immediata ad gratiam habitualem, ſed tantùm mediata, quia ſecum trahit habitum charitatis, per quem ſolùm poteſt elici actus contritionis perfectę; ipſe autem habitus charitatis, quia eſt proprietas neceſſariò connexa cum gratia habituali, eſt diſpoſitio immediata. In paruulis autem, in quibus nequit eſſe actus contritionis, ornatus cauſatus à baptiſmo eſt diſpoſitio ad hoc, vt anima ametur à Deo; quia autem amor Dei eſt efficax; ideo in illam infũdit habitum charitatis, per quem actu amatur à Deo; & hoc modo intelligitur illud 1. *Io.* 4. *Quoniam ipſe prior dilexit nos*; vt explicat *Beatiſs. P.*; habitus autem charitatis eſt diſpoſitio proxima ad gratiam baptiſmalem. Nec refert, quòd charitas, vt proprietas gratiæ, debeat fluere ab illa, & ideo eſſe illa poſterior; non enim implicat, quòd idem ſecundùm diuerſas rationes ſit prius, & poſterius in diuerſo genere cauſæ; ſcilicet prius in genere cauſę efficientis diſpoſitiuę, & poſterius in genere cuſæ formalis; vt conſtat de calore, vt octo; qui, vt diſpoſitio, præcedit formam ignis, & vt proprietas ad illam ſequitur.

9 Vnica concl. In adultis ad gratiam habitualem datur diſpoſitio nedum moralis, ſed etiam phyſica. Diſpoſitio moralis eſt meritum Chriſti Domini, & Eccleſiæ, ſeu Sanctorum; diſpoſitio autẽ phyſica alia eſt mediata, & eſt actus contritionis, fidei, ſpei, & aliarum virtutum, proxima verò eſt habitus charitatis; in paruulis autem diſpoſitio moralis eſt meritum Chriſti, & Eccleſiæ accomodantis patrinos, qui vice paruulorũ credunt, ſperant, & amant abrenunciantes pompis mundi, & Diaboli illecebris; phyſica verò mediata eſt ornatus cauſatus à Sacramento baptiſmi in anima; & immediata eſt habitus charitatis infuſus. Hac concluſione conciliantur omnes ſententiæ, quæ veluti partialiter aſſerunt hanc veritatem.

Prob. 1. pars; quòd ſcilicet in adultis detur diſpoſitio abſolutè loquendo, eſt de fide, & prob. ex 1. *Reg.* 7. *Præparate corda veſtra Domino*; & *Prou.* 16. *Hominis eſt animam præparare*; & *Eccli.* 2. *Qui timent Dominum præparabunt corda ſua*; & *Trid. ſeſſ. 6. c. 6. Diſponuntur autem ad ipſã iuſtitiam, dum excitati Diuina gratia fidem ex auditu concipientes liberè mouẽtur in Deum*; & *can. 9. Si quis dixerit ſola fide impium iuſtificari ita, vt intelligat nihil aliud requiri, quod ad iuſtificationis gratiam conſequendam cooperetur; nulla ex parte neceſſe eſſe eum ſuæ voluntatis motu præparari, atque diſponi, anathema ſit*, & *Beatiſs. P. in pſ. 34. Chriſtus iuſtificat impium, quomodò autem iuſtificat impium, niſi credentem, & confitentem, quia corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem*; & *ſerm. 15. de verb. Apoſt. Qui ergo fecit te, non te iuſtificat ſine te; ergo fecit neſcienter, iuſtificat volentem*; & ratio *Fund. Doct. art. 3. vbi ſ. §. Propter primum* eſt. 1. In naturalibus ad formam principalem, per quam formaliter conſtituitur natura ſpecifica, datur diſpoſitio; ergo & in ſupernaturalibus; ex ijs enim, quæ videmus, debemus arguere *iuxta Apoſt.* ea, quæ non videmus, vt ſunt ſupernaturalia, ſed gratia habitualis in ſupernaturalibus eſt forma principalis, per quam natura humana formaliter conſtituitur in eſſe Diuino; ergo ad gratiam habitualem datur diſpoſitio. 2. Ex differentia formæ naturalis, & ſupernaturalis ſic. In hoc diſtinguitur introductio formæ naturalis ab introductione formæ ſupernaturalis, quòd poſita diſpoſitione naturali neceſſariò introducitur forma, & non niſi miraculosè ſuſpenderetur à Deo; gratia autem habitualis non introducitur in animam neceſſariò, ſed liberè, & voluntariè, cùm poſſit quilibet ponere obicem ad introductionem illius; quia *quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*; gratia autem recipitur in anima, in qua eſt liberum arbitrium; & ideò liberè recipitur; ſed nequit liberè recipi, niſi per actionem liberam voluntatis; ergo ad gratiam habitualem in adultis neceſſaria eſt actio libera ipſius hominis, qua diſponitur anima ad illam recipiendam; & ideo neceſſaria eſt diſpoſitio, illa enim eſt diſpoſitio, ſine qua forma introduci non poteſt. 3. Ad gratiam habitualem iuſtificantem neceſſaria eſt vocatio *iuxta Apoſt. Rom.* 8. *Quos vocauit, hos & iuſtificauit, & quos iuſtificauit, illos & glorificauit*; ſed vocationem ſequitur motus voluntatis in Deum, quia ſequitur reſponſio voluntatis *iuxta illud Iob.* 14. *Vocabis me, & ego reſpondebo tibi*; ergo ad gratiam habitualem neceſſarius eſt motus voluntatis in Deum, quo diſponitur voluntas ad illam ſuſcipiendam. Solet etiam probari, quia ſicut homo fit impius per motũ, quo liberè recedit à Deo, ita iuſtificatur per motum, quo liberè ad eũ accedit.

Oppoſitorum enim *eadem eſt ratio*; ſed non iuſtificamur niſi per gratiam habitualem; ergo ad illam neceſſarius eſt motus voluntatis in Deum, quo diſponimur,& præparamur. Tandem adultus accedens ad baptiſum cum maiori contritione maiorē ſuſcipit gratiam;vt docet *Trid.ſeſs.6. c.7*; ergo contritio eſt diſpoſitio ad gratiam.

10 Prob. 2.pars; quòd ſcilicet neceſſaria ſit diſpoſitio moralis in adultis. 1. *Ex Apoſt. Rom.5. Per vnius iuſtificationem in omnes homines ad iuſtificationem vitæ*; ſuper quod *Beatiſs.P. lib.1. de pecc. merit. & remiſs. c.15. Sicut nullius carnalis generatio, niſi per Adam; ſic ſpiritalis nullius, niſi per Chriſtum*; & *Trid ſeſs 6.can.20. Si quis dixerit homines ſine Chriſti iuſtitia, per quam nobis meruit iuſtificari &c.* Ex quo ſic. Cauſa meritoria iuſtificationis eſt diſpoſitio moralis ad iuſtificationem; ſed datur cauſa meritoria iuſtificationis omnis adulti; quæ eſt Chriſtus Dominus,& merita Eccleſiæ, ſeu Sanctorum; aut actus alieni, qui interpretatiuè, ſeu moraliter dicuntur proprij ipſius iuſtificati;ergo in adultis datur diſpoſitio moralis ad iuſtificationem,ſeu ad gratiam habitualem iuſtificantem. *Vid.loc.cit.in ſup. art. n.2.*

11 Prob.3.pars concl;quòd ſcilicet in adultis habitus charitatis ſit diſpoſitio phyſica proxima, & immediata; actus verò mediata. 1.Habitus charitatis eſt proprietas immediatè fluens à gratia habituali eſſentialiter cum illa connexa; nam gratia habitualis eſt participatio formalis naturæ Diuinæ ſecundùm munus intellectionis radicalis, à qua eſſentialiter fluit amor radicalis Dei ſuper omnia, tanquam proprietas intellectionis Diuinæ;ſed proprietas immediatè fluēs à forma eſſentialiter cum illa connexa eſt diſpoſitio proxima ad introductionem illius formæ;vt patet de calore reſpectu formæ ignis; actus autem contritionis fluens ab habitu charitatis tantùm mediante habitu charitatis coniungitur gratiæ habituali; ergo habitus charitatis eſt diſpoſitio immediata, & contritio eſt diſpoſitio mediata ad gratiam habitualem. 2. Poſito habitu charitatis ponitur gratia habitualis; & illo ablato hæc aufertur; ergo habitus charitatis eſt diſpoſitio immediata ad gratiam habitualem; nam diſpoſitio eſt illa, qua poſita introducitur forma; & qua ablata aufertur;vt patet de calore. Prob. ant. Nō minùs habitus charitatis,quā gratia habitualis pugnat cum peccato; vt *inf.* videbimus; ergo poſito habitu charitatis ponitur gratia habitualis in anima, per quam ſolam tollitur peccatum. Tum quia implicat animam eſſe Deo charam, & non gratam, & è contra; ergo implicat charitatem, quæ reddit animam formaliter charam, eſſe ſine gratia habituali, quæ reddit illam formaliter gratam. 3. Ad quamlibet naturam ſequitur eſſentialiter inclinatio ei propria, quæ dicitur pondus naturæ; ſed gratia habitualis dicit naturam Diuinam phyſicè participatam; ergo ad illam ſequitur inclinatio ei propria, quæ nequit eſſe, niſi habitus charitatis, quo inclinamur in Deum ſuper omnia. 4. Ita ſe habet natura Diuina in ſe ipſa reſpectu ſuorum attributorum ſequentium ad illam; ſicut natura Diuina, vt accidentaliter participata, reſpectu ſuarum proprietatum ſequentium ad illam; ſed attributa phyſicè nectuntur cum natura Diuina per ſummam identificationem ratione infinitatis; ergo proprietates gratiæ habitualis, quæ eſt natura Diuina accidentaliter participata,phyſicè nectuntur cum illa per diſtinctionem realem ratione finitatis creaturæ; ſed habitus charitatis eſt proprietas gratiæ; ſicut charitas increata eſt proprietas naturæ Diuinæ in ſe ipſa; ergo habitus charitatis eſſentialiter phyſicè nectitur cum gratia, & ideo eſt diſpoſitio phyſica, non moralis. 5. Habitus charitatis importat eſſe accidentale ſupernaturalizans voluntatem creatam; eſt enim ſupernaturalis ſecundùm entitatem; ſed ſupernaturalitas potentiæ creatę ſupponit ſupernaturalem eſſentiam, in qua eſt illa potentia; eſſentia autem non ſupernaturalizatur, niſi per gratiam habitualem, quæ immediatè eſt in illa; proprietas enim debet proportionari, & commenſurari cum eſſentia; ergo habitus charitatis habet annexam eſſentialiter gratiam habitualem. 6. *Trid. vbiſ. c.6; & 7.* docet contritionem, & alios motus ſupernaturales voluntarios in Deū eſſe diſpoſitiones ad gratiam; ſed contritio, & alij motus ſupernaturales voluntarij in Deum ſunt actus phyſici; ergo *ex Trid.* datur in adultis diſpoſitio phyſica ad gratiam. Tum quia motus ſupernaturales,quibus mouemur in Deū, non ſunt quid omiſſiuum, aut priuatiuum; ſed quid poſitiuum, vt conſtat; atqui ſolum voluntarium omiſſiuum, aut priuatiuum eſt morale; & voluntarium poſitiuum eſt quid phyſicum; vt diximus *to.3.de act.hum.q.1.art.1.§.2.n.45*; ergo motus ſupernaturales ſunt quid phyſicum; ſed iſti ſunt diſpoſitio ad gratiam *ex Trid*; ergo datur diſpoſitio phyſica ad gratiam; atqui habitus immediatè ſe habent, & actus mediatè; ergo illi ſunt diſpoſitio phyſica immediata; iſti verò mediata. Tandem prob. rationibus adductis pro 1.par.concl.nam in naturalibus ad formam principalem phyſicam datur diſpoſitio phyſica; ſed in ſupernaturalibus gratia eſt forma principalis phyſica; ergo ad illam datur diſpoſitio phyſica; & ſic de alijs.

12 Prob.4. pars concl; quòd ſcilicet in paruulis detur diſpoſitio moralis 1. *ex Beatiſs. P. ſerm.10. de verb.Apoſt.* docente: *Accommodat illis mater Eccleſia aliorum pedes, vt veniant, aliorum corda, vt credant.aliorum linguam, vt fateantur &c*, & *ep. 25. ad Bonif. In Eccleſia Saluatoris paruuli per alios credunt, ſicut ex alijs, quæ in baptiſmo remittuntur, peccata traxerunt.* Idem vrget *in Suppl.cont. Iul.lib.1.c.56*; vbi ait; quòd ſi paruuli non crederent per alios, nec fideles eſſent,

nec

nec ſaluarentur; quia *qui non crediderit, condemnabitur*. Idem habet *lib 1. de pecc. merit. & remiſſ. c.19; & lib.3. de lib. arb. c.23; & ſæpiſſimè alibi*. Ex quo ſic. Vt adulto remittatur peccatum perſonale proprium, eſt neceſſarius motus proprius perſonalis in Deum, tanquam diſpoſitio, vt docet *Trid*; ergo vt paruulo remittatur peccatum in alio commiſſum, eſt neceſſarius motus alienus in Deum, tanquam diſpoſitio ad gratiam ſuſcipiendam; ſed actus alienus cenſetur tantùm moraliter proprius, quia phyſicè à paruulo non elicitur; ergo in paruulis eſt neceſſaria diſpoſitio moralis. 2. Paruuli iuſtificantur per merita Chriſti, in quo ſolùm poſſunt liberari à peccato, cùm ſit redemptor etiam paruulorum; ergo in illis eſt neceſſaria diſpoſitio meritoria, quæ eſt moralis. 3. Si non eſſet neceſſaria diſpoſitio moralis, fruſtra inſtituiſſet Eccleſia, quòd patrini reſpondeãt pro paruulis *Credo*; *abrenuncio &c*; non enim iſti actus alieni eſſent neceſſarij, & ideo ſuperflui; ſed conſ. eſt abſurdum; ergo & ant.

13 Tandem prob. vlt. pars rationibus allatis pro 3. part. concl; nam per baptiſmum infunduntur in paruulis habitus fidei, ſpei, & charitatis; ſed iſti ſunt quid phyſicum connexum cum gratia habituali; ergo in paruulis datur diſpoſitio phyſica ad gratiam. *Vid. aliæ rationes*.

14 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. Agens infinitæ virtutis non requirit diſpoſitionem ad agẽdum; ergo adhuc, vt Deus creet gratiam in anima, nullam requirit diſpoſitionem. 2. Gratia creatur; ergo ad illam non datur diſpoſitio.

Reſp. *cum Beatiſſ. P.* diſt. ant. Non requirit diſpoſitionem adiuuantem actionem ex indigentia agentis, conc; ex exigentia formæ, neg; nam anima rationalis creatur à Deo, qui eſt infinitæ virtutis, & tamen exigit diſpoſitionem; & ſic ad 2. *Vid. to. 3. de Creat. art. 1.*

15 Obijc. 2. cont. 2. part. Gratia habitualis non cadit ſub merito; ait enim *Apoſt. Rom. 3. Iuſtificati gratis per fidem*; ſed diſpoſitio moralis eſt meritoria; ergo ad gratiam habitualem non datur diſpoſitio moralis.

Reſp. diſt. ma. Non cadit ſub merito Chriſti, ſeu alieno, neg; nam ſi iuſtificamur per fidem Chriſti, quam nobis meruit Chriſtus, vt docet *Trid*; cadit ſub merito illius. Sub merito proprio, conc; eſt enim radix operationis meritoriæ; attamen operatio meritoria poteſt eſſe diſpoſitio ad illam, quia in diuerſo genere cauſæ poteſt illam præcedere, vt dictum eſt; *ſed de hoc q. 5. Vid. Fund. Doct. in 3. diſt. 21. p. 2. q. 1. art. 2. §. Reſpondeo*; vbi ait diſpoſitiones quoad fieri præcedere formam, & quoad eſſe ſubſequi formam. *Vid. in ſeq. q. art. 5.*

16 Obijc. 3. cont. 3. part. Fides, & Spes poſſunt eſſe ſine gratia habituali; ergo non ſunt proprietates illius; ergo nec charitas. 2. Diſpoſitio phyſica recipitur in eodem ſubiecto, in quo recipitur forma; ſed habitus, & actus charitatis recipiuntur in voluntate, gratia verò in anima; ergo idem. 3. Diſpoſitio phyſica eſt eſſentialiter connexa cum forma, ad quam diſponit; ſed actus contritionis non eſt huiuſmodi; quia in paruulis non eſt, in quibus tamen eſt gratia; imò adultus attritus, in quo non eſt contritio, in ſacramento recipit gratiam; ergo non eſt diſpoſitio phyſica ad gratiam. 4. Diſpoſitio phyſica neceſſaria ad introductionem formæ eſt neceſſaria pariter ad ad conſecutionem illius; vt patet de calore reſpectu formæ ignis; ſed actus contritionis non eſt neceſſarius ad conſeruationem gratiæ; non enim iuſtus illum ſemper habet, vt patet in dormiente; ergo non eſt diſpoſitio phyſica. 5. Arguit *Gibb.* Actus non diſponunt ad gratiam ratione entitatis phyſicæ, ſed ratione bonitatis moralis; ergo ſunt tantùm diſpoſitiones morales. 5. *Idem Gibb.* Diſpoſitio phyſica requiritur, vt reddat ſubiectum proximè capax, & illud determinet ad formam; ſed anima eſt proximè capax ratione potentiæ obedientialis ad recipiendam gratiam ſine vlla præuia diſpoſitione, & Deus poteſt illam immediatè determinare; ſicut enim intellectus, quia per potentiam obedientialem eſt proximè capax ad recipiendum lumen gloriæ, ideo ad illud non datur diſpoſitio præuia, aliter abiretur in infinitum; quia illa diſpoſitio eſſet pariter forma ſupernaturalis, & ideo intellectus deberet proportionari per aliam formam, quæ cùm non poſſet eſſe naturalis, ideo exigeret aliam formam, quæ cùm non poſſet eſſe naturalis, ideo exigeret aliam formam ſupernaturalem proportionantem, & ſic in infinitum; ergo non datur diſpoſitio phyſica ad gratiam.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Fides, & ſpes formatæ per charitatem, neg; informes, conc; non ſunt autem proprietates gratiæ, niſi vt formatæ per charitatem. Ad 2. diſt. ma. Recipitur in eodem ſubiecto *quod*, conc; *quo*, neg; nam calor immediatè recipitur in quantitate, & forma ignis in materia, licèt recipiatur in eodem compoſito, quod eſt ſubiectum *quod*. Ad 3. diſt. ma. Diſpoſitio immediata, conc; mediata, neg; nam diſpoſitio immediata eſt proprietas, & ideo eſt ſemper connexa cum forma; mediata verò non eſt proprietas quarto modo, & ideo accidentaliter illi aduenit, ac poteſt non eſſe cum illa; actus autem contritionis eſt diſpoſitio tantùm mediata, vt dictum eſt; ideo actus contritionis poteſt non eſſe in paruulis, vt calor vt duo, quia eſt diſpoſitio mediata, non eſt neceſſarius ad introductionem formæ ignis, quia poteſt ſtatim introduci, vt octo, vt in ſtupa; ſic in paruulos poteſt introduci habitus charitatis immediatè, qui ſe habet, vt calor, vt octo. Ad aliud dicitur, quòd attritus in ſacramento fit cõtritus. Ad 4. eodem modo diſt. ma. de diſpoſitione immediata, conc; mediata, neg. Ad 5. neg. ant; nam entitas phyſica actuum eſt ſupernaturalis, & ideo diſponit ad entitatem phyſicam gratiæ, quæ pariter eſt ſupernaturalis.

Ad

Ad 6. reſp. *Fund. Doct. art.3. vbiſ.ad 3*.neg. mi. Ad prob. inſert. ait, quòd ſicut in naturalibus non datur proceſſus infinitus; quia licèt detur diſpoſitio ad formam principalem; attamen non datur diſpoſitio ad diſpoſitionem,quæ eſt forma minùs principalis; ita ad lumen gloriæ,quod eſt forma minùs principalis, quia eſt propter viſionem beatam, quæ eſt forma principalis, non datur diſpoſitio; & ſicut intellectus per potentiam obedientialem non eſt proximè diſpoſitus ad viſionem beatam, ſed debet diſponi per lumen; ita à pari.

17 Obijc. 4. cont. vlt.part. concl. *Concilia, & SS. PP.* ponunt diſpoſitionem ad gratiam in actibus liberis, quorum incapaces ſunt paruuli; ergo in illis nulla eſt diſpoſitio phyſica.

Reſp.*Concilia,& PP.* loqui de adultis, non de paruulis,vt patet.

ART. V.

An ſine peculiari reuelatione poſſit quis eſſe certus de ſua iuſtificatione?

1 CErtum eſt poſſe cuilibet homini à Deo reuelari ſe eſſe in gratia; nulla enim eſt implicantia;imò de facto fuiſſe aliquibus ſanctis reuelatum patet ex hiſtorijs Eccleſiaſticis. Quæritur igitur; an ſecluſa Dei reuelatione ſpeciali poſſit quis hoc certò ſcire certitudine infallibili, vel fidei,vel Theologica; vel ſaltem certitudine morali excludente omnem dubietatem,& formidinem?

2 Error fuit *Caluini, Lutheri, Melanctonij, & aliorum apud Bellarm. lib.3. de iuſtific. c. 3; & apud Vaſq. 1. 2. diſp.* 200. *c.* 2. aſſerentium omnes fideles debere credere fide Diuina omnia peccata ſibi eſſe dimiſſa, aliter nec iuſti eſſent, nec fideles.

3 *Catharin. de certitud.grat.* aſſerit,quòd licèt nullus fide Diuina poſſit eſſe certus ſe eſſe in gratia, attamen poteſt certificari per diſcurſũ Theologicum ex vna præmiſſa de fide, & altera nota lumine naturæ.

4 *Veg. lib 9. in Trid. c.46.* ait, quòd quanuis nemo poſſit eſſe certus certitudine fidei, aut Theologica; attamen poteſt habere tantam certitudinem, quantam habet de exiſtentia *Romæ*, *Troiæ* &c. ita, vt excludat omnem dubietatem, & formidinem.

5 Communis tamen ſententia docet, quòd nemo poteſt eſſe certus certitudine fidei, vel Theologica, aut certitudine morali excludente dubietatem, & formidinem; ſed tantùm poſſe habere certitudinem coniecturalem includentem formidinem, & dubietatem. *Ita Fund.Doct. in* 2. *pluribus in locis;& omnes alij DD.communiſſimè.*

6 . Vnica concl. Secluſa reuelatione ſpeciali nullus poteſt eſſe certus ſuæ iuſtificationis certitudine fidei, vel Theologica, vel morali excludente omnem dubietatem, & formidinem; ſed tantùm poteſt habere cognitionem coniecturalem.

Prob.1.pars concl. *Eccleſiaſtes c.9.* habetur: *Neſcit homo, vtrum amore, vel odio dignus ſit*; ſuper quod *Beatiſſ.P. de Spir; & an. c.59. Ego verò in regione vmbræ mortis neſcio, ſi dignus ſim amore,vel odio*; & 1. *ad Cor. 4. Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum; qui autem iudicat me, Dominus eſt*, & *Prou.*20. *Quis poteſt dicere: Mundum eſt cor meum; purus ſum à peccato? Eccli.* 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu*; *& pſ.* 50. *Incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*, ſuper quod B. P. *Qui ſe putat iuſtum, coram te iniuſtus eſt*; *& ſerm.*23. *de verb. Domini: Fortaſſe tu nihil inuenis in conſcientia tua;inuenit ille, qui meliùs videt.* Hinc *Trid. ſeſſ. 6.c.9. Quilibet dum ſe ipſum, ſuamque propriam infirmitatem; & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare, & timere valet; cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei,cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.* Ratio, quæ communiter aſſertur,eſt.Si poſſet quis certò ſcire ſe eſſe in gratia certitudine fidei, vel Theologica, hoc eſſet, quia eſſet explicitè reuelatum *in Scripturis* tales homines pro tali tempore eſſe in gratia; vel ſaltem implicitè, quia contineretur virtualiter in propoſitionibus explicitè reuelatis, & ſic poſſet deduci per diſcurſum Theologicum; ſed conſ. eſt falſum; nam quòd non ſit reuelatum explicitè, & formaliter in ſe ipſo, patet expreſsè, & ſic ſequitur non poſſe certò ſciri certitudine fidei; quòd autem non ſit reuelatum implicitè, & virtualiter, probatur ex eo; quòd licèt ſit reuelatum in baptiſmo collato cũ intentione baptizaudi gratiam conferri;& per ſacerdotem ritè conſecratum ab Epiſcopo habente intentionem ordinandi abſolui peccata integrè, & dolenter confeſſa; attamen intentio baptizantis non poteſt certò cognoſci, & intentio Epiſcopi,& effectus pœnitentis; quia cor hominis eſt abyſſus impenetrabilis; vt docet *Beatiſſ. P. in pſ.*41., ideo nec certitudine Theologica poteſt certò cognoſci; ergo falſum eſt etiam ant.

7 Conſ. Quanuis particularia contineantur in vniuerſalibus; attamen quia in ſe ipſis ſunt contingentia; ideo non poſſunt in illis certò, & determinatè cognoſci, ſed tantùm indeterminatè, vagè, & in confuſo; vt patet; atqui hæc propoſitio: *Ego ſum in gratia*; eſt particularis; ergo quanuis contineatur in propoſitione reuelata; attamen nequit certò, & determinatè cognoſci, ſed tantùm indeterminatè, vagè, & in confuſo.

8 Prætetea omnis noſtra cognitio eſt per phantaſmata materialia; quia *omnis noſtra cognitio habet ortum à ſenſu*; & ideo ſi cognoſcimus propoſitionem reuelatam,eſt, quia illa nobis manifeſtatur per ſonum materialem in auribus, vel per literas materiales in libris; ſed nullum eſt phantaſma materiale, quod poſſit manifeſtare exiſtentiam gratiæ; gratia enim non ſentitur in anima

anima, ſicut ſentitur qualitas exiſtens in corpore; nec eſt aliquod materiale, vnde poſſit deſumi tale phantaſma certò repræſentans; ergo nullus poteſt certò cognoſcere ſe eſſe in gratia.

9 Prob. 2. pars concl. *ex Trid. vbiſ.* aſſerente quenlibet debere formidare, & timere, an ſit in gratia; *& ex c. accipimus de purgat. Canonica*; vbi *Innoc.* reijcit tanquam temerarium iuramentum *cuiuſdam Archiepiſcopi Bizuntini*, qui iurauerat ſe eſſe immunem à peccatis tacitè intelligens ſibi eſſe remiſſa per ſacramentum pœnitentiæ; *& ex Beatiſſ. P. vbiſ*; & prob. eodem modo. Vel deſumeret hanc certitudinem moralem *ex Scriptura*, vel ex deductione *ex Scriptura*, vel ex aliquo, quod nobis naturaliter innoteſcit; ſed neutrum dici poteſt, vt dictum eſt; ergo nequit habere hanc certitudinem moralem excludentem omnem formidinem. Præterea conueniens eſt, quòd homo continuò operetur ſuam ſalutem cum timore, & tremore, vt certam illam faciat; quemadmodum præcipit *Petr. Apoſt*; ſic enim magis meretur, & magis dignum venia, & gratia Dei ſe reddit; ergo incongruum eſt dicere, quòd poſſit quis habere certitudinem moralem excludentem omnem formidinem, & timorem.

10 Prob. 3. pars. Poteſt homo per aliqua ſigna coniectari ſe eſſe in gratia; vt quòd non ſit conſcius alicuius criminis, quòd frequentet libenter ſacramenta; quòd amet Deum ſuper omnia; quòd hilariter, & faciliter exerceat actus omnium virtutum, & cetera huiuſmodi; quæ oriuntur à virtutibus connexis cum gratia habituali, vt *ſuperiùs* diximus; ergo poteſt coniecturaliter cognoſcere ſe eſſe in gratia. Item cum anxietate ſalutis eſt annexa ſpes firma, quæ nequit eſſe ſine aliquali certitudine coniecturali; aliter anxietate opprimeretur, & facilè in deſperationem incideret; ergo idem, quòd priùs.

11 Obijc. 1. cont. 1. part. concl. *Rom. 8.* dicitur: *Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filij Dei*; idèſt Spiritus S. nobis teſtatur nos eſſe iuſtificatos, per iuſtificationem enim efficimur filij Dei; ſed teſtimonium Spiritus S. credendum eſt fide Diuina; ergo fide Diuina poſſumus credere nos habere gratiam habitualem. 2. *Beatiſſ. P. lib. de vera pænit. c. 2.* ait: *Non dicimus: Dimitte nobis debita noſtra pro ijs peccatis, quæ remiſſa credimus in baptiſmo, niſi de fide dubitemus*, ſed eorum, quæ creduntur, habemus certitudinem fidei; ergo quis poteſt certitudine fidei ſcire ſibi remiſſa fuiſſe peccata; quæ cùm non remittantur, niſi per gratiam habitualem, poteſt certitudine fidei ſcire ſe eſſe in gratia habituali. 3. Eccleſia eſt certa certitudine fidei de martyrio huius hominis in particulari; ergo & ille homo, qui ſubit martyrium; atqui Eccleſia hoc proponit credendum fide Diuina; ergo & ipſe Martyr hoc credit fide Diuina. 4. *In Symb.* proponitur credendus fide Diuina articulus *remiſſionis peccatorum*; ergo vnuſquiſque tenetur illum credere, & ideo tenetur credere ſibi eſſe remiſſa peccata, & eſſe in gratia.

Reſp. ad 1; quòd *ille textus, & alij ſimiles* intelliguntur in vniuerſali, non in particulari; quòd ſcilicet homines habentes fidem Diuinam formatam charitate ſunt filij Dei; non in particulari de hoc, vel illo homine; nam *Apoſt.* loquẽs de ſe ipſo in particulari *1. Cor. 10.* ait: *Puto autem, quòd & ego Spiritum Dei habeam*; illud autem verbum *puto* ſignificat cognitionem coniecturalem, vt patet. Ad 2. dicitur nos credere in baptiſmo ritè adminiſtrato remiſſa eſſe peccata; an autem ritè adminiſtratus fuit, certò ſcire non poſſumus. Ad 3. omiſſo pro nunc, an in ijs, quæ ſunt facti, vt eſt canonizatio ſanctorum, Eccleſia poſſit errare; de quo *infra*, diſt. ant. Eccleſia eſt certa de Martyrio huius in particulari, poſtquam martyrium eſt conſummatum, conc; & ſic conc. etiam conſ; nam martyr in alia vita eſt certus de ſua beatitudine; antequam martyrium conſummetur, neg. Ad 4. dicitur, ſicut ad 1; quòd ſcilicet proponitur credenda remiſſio peccatorum in vniuerſali, non in particulari.

13 Obijc. 2. cont. 2. part. concl. Si fideles non haberent certitudinem moralem ſuæ iuſtificationis excludentem omnem formidinem, ſacerdotes non poſſent ſine temeritate miniſtrare Euchariſtiam, & alia ſacramenta viuorum; nec fideles illa recipere, quia dubitãs ſe non eſſe in gratia ſe exponit periculo ſacrilegij; ſed conſeq. eſt contra communem praxim Eccleſiæ; ergo & ant. 2. Poteſt quis eſſe certus de ſua ſpe, & fide; ergo & de charitate, & ideo de gratia, quæ ſemper cum charitate coniungitur. Prob. antec. *ex 2. Cor. vlt. Voſmetipſos tentate, ſi eſtis in fide; & Beatiſſ. P. lib. 13. de Trin. c. 1. Propterea credere iubemur, quia id, quod credere iubemur, videre non poſſumus; ipſam tamen fidem, quando ineſt, videmus in nobis.* Prob. conſ., quia non minùs ſupernaturalis eſt fides, & ſpes, quàm charitas, & gratia. 3. Quilibet certò ſcit ſacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem; ſed adultus ſuſcipiens baptiſmum certò ſcit ſe non ponere obicem; & aliunde poteſt certificari à miniſtro adfuiſſe intentionem baptizandi; ergo ſine ſpeciali Dei reuelatione poteſt eſſe certus ſe eſſe in gratia. 4. Quilibet accedens ad ſacramentum poteſt magis eſſe certus de ſua diſpoſitione, quàm de legitima electione huius Papæ; quia ſua diſpoſitio dependet à ſua voluntate, quæ eſt illi magis nota, quàm voluntas aliorum, à quibus dependet electio Pontificis; ſed electio huius Papæ eſt certa certitudine excludente omnem formidinem; ergo à fortiori diſpoſitio accedentis ad ſacramentum, & ideo gratia ſequens ad illam diſpoſitionem.

Reſp. ad 1. neg. ma. Ad prob. inſert. diſt. Dubitans ſpeculatiuè ſe non eſſe in gratia ſe exponit periculo ſacrilegij, neg; habet enim certitudinem practicam ſufficientem ſuæ diſpoſitio-

nis,

nis, etſi non excludat omne dubium ſpeculatiuũ. Dubitans practicè, conc; nam dubitans practicè non egit omne illud, quod in ſe erat, vt haberet diſpoſitionem; at verò dubitans ſpeculatiuè totum egit, vt illam haberet, & ideo non accedit ad ſacramentum indignè. Ad 2. dicitur ant. negari à pluribus, vt *à noſtro Gibb; Sua; Bellarm; Turrian; Sot; & alijs*. Ad prob. aſſerunt *Apoſt.* nos admonere, vt experimentum tale, quale poſſumus ſumere, ſumamus; non autem aſſerere hoc experimentum excludere omnem formidinem. Ad *Beatiſs.* P. dicunt nihil aliud docere, quàm quòd cùm credimus, certò ſcimus nos credere; an autem credamus ex motiuo Diuino, vel humano, nobis non eſſe omnino certum; & ſic explicant etiam *D. Tho.* Alij neg. conſ; & diſparitatem aſſerunt, quia fides habet infallibilem regulam extrinſecam, nempe propoſitionem Eccleſiæ, per quam poſſumus certò ſcire nos habere fidem Diuinam; at gratia habitualis non habet talem regulam, aut principium ſuæ cognoſcibilitatis, & ideo nequit certò cognoſci. Aliam diſparitatem aſſerunt; quia ſcilicet fides eſt in intellectu, & ideo intellectus, qui eſt potentia cognoſcitiua, poteſt illam cognoſcere; ſpes autem licèt ſit in voluntate, attamen quia ſemper coniungitur cum fide, niſi per deſperationem ſeparetur, ideo poteſt certò cognoſci, quia poteſt cognoſci nunquam habuiſſe actum deſperationis. At verò charitas eſt in voluntate, quæ non eſt cognoſcitiua, & ideo nequit cognoſci. Sed hæc diſparitas debilis eſt; intellectus enim nedum cognoſcit actus exiſtentes in ſe ipſo, ſed etiam exiſtentes in voluntate, vt patet; ergo quamuis voluntas nequeat cognoſcere gratiam, quia non eſt potentia cognoſcitiua; attamen illam poterit cognoſcere intellectus, qui eſt cognoſcitiuus. Sic etiam prima diſparitas poteſt reijci; nam propoſitio externa Eccleſiæ non ſufficit ad actum fidei, ſed requiritur actus internus credentis ex motiuo Diuino, qui nequit notificari per propoſitionem Eccleſiæ; vnde prima reſponſio ſolidior eſt. Ad 3. neg. 1. pars ant., nam nullus poteſt eſſe certus ſe non habere peccatum, & ideo ſe non habere obicem. Ad aliud dicitur miniſtrum non poſſe cauſare, niſi fidem humanam, quæ ſecundùm ſe fallibilis eſt. Ad 4. neg. ma., nam certitudo electionis Pontificis nobis innoteſcit ex infallibili aſſiſtentia Spiritus S., qui aſſiſtit Eccleſiæ acceptanti Pontificem electum. Quamuis ergo non poſſimus agnoſcere intentionem electorum ſecundùm ſe ipſam; attamen illam cognoſcimus ex infallibili aſſiſtentia Spiritus S. nobis promiſſa. *Sed de hoc ſuo loco*.

QVAEST. IV.

De Iuſtificatione impij.

IVſtificatio idem eſt formaliter, ac gratificatio, & ſanctificatio, ſicut gratia idem eſt, ac iuſtitia, & ſanctitas eſſentialis, non attributalis, qua iuſta, formaliter grata, & ſancta fit anima. Nomine *iuſtificationis* intelligitur effectus formalis gratiæ, ſicut nomine calefactionis intelligitur effectus formalis caloris; & ſicut calefactio non differt realiter à calore, ita iuſtificatio non differt realiter à gratia iuſtificante. Poſtquam igitur actum eſt de gratia habituali, quæ idem eſt, ac gratia iuſtificans; à priori procedimus ad agendum de iuſtificatione, quia à cauſa ad effectum cognoſcendum tranſimus.

ART. I.

In quo formaliter conſiſtat iuſtificatio?

1 NOn loquimur de iuſtificatione actiuè ſumpta ex parte Dei, quam certum eſt nihil aliud eſſe, quàm actum voluntatis Diuinæ infundentis in animam hominis gratiam, per quam anima iuſtificatur, & ſanctificatur. Sed loquimur de iuſtificatione paſſiuè ſumpta, qua formaliter intrinſecè redditur anima ſancta, & iuſta. Sicut enim calefactio actiuè ſumpta nihil aliud eſt, quàm calor exiſtens in agente calido; & calefactio paſſiuè accepta eſt calor formaliter receptus in re calefacta, per quem redditur formaliter intrinſecè calida; ita à pari.

2 Nec loquimur de iuſtificatione, prout eſt ſimplex generatio creaturæ in ordine ſupernaturali non ſupponens corruptionem antecedentem; vt fuit iuſtificatio Angelorum, qui ſteterunt; illa enim non præſuppoluit antecedentem corruptionem gratiæ factam per peccatum; quia illam nullum anteceſſit peccatum; & illa *à Theologis* vocatur ſimplex mutatio, ſeu ſimplex generatio ſpiritualis; quia fuit quidam tranſitus de pura negatione gratiæ, non de priuatione, quia Angeli boni nunquam fuerunt priuati gratia per peccatum, quod nunquam commiſerunt. Sed loquimur de iuſtificatione, prout eſt motus de contrario in contrarium, ſeu de priuatione inuecta per peccatum, ſupponens corruptionem gratiæ factam per peccatum commiſſum poſt gratiæ acceptionem, ſiue illa gratia ſit iuſtitia originalis accepta in prima creatione; ſiue ſit gratia habitualis infuſa in baptiſmo. Antequam tamen reſoluamus quæſitum, reijciendi ſunt breuiter errores *Caluini*.

§. I.

Reijciuntur errores Caluini.

3 PRimò aſſerit *Caluinus* in iuſtificatione peccata verè non tolli, ſed radi, & manere in iuſtificato.

Reij-

Reijcitur manifeſtè ex illo *Io.1.Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata Mundi*; *& Act. 3. Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra*; *& Act. 22.* dixit *Ananias Saulo: Exurge baptizare,& ablue peccata tua; & pſ.50. Aſperges me hyſſopo, & mundabor; lauabis me, & ſuper niuem dealbabor; & Ezech. 36. Effundam ſuper vos aquam mundã, & mundabimini ab inquinamentis veſtris; & Matth. 9. Remittuntur tibi peccata tua*; quod habetur etiam *Luc.5; & 7; & Io.20. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Ex quibus ſic. Id, quod tollitur, deletur, abluitur, mundatur, & remittitur, non manet, ſed tollitur; vt vulnus, quod medicus tollit à corpore, non manet in corpore, aliter non tolleretur: tolli enim, & manere eſt tolli, & non tolli, quod implicat; macula, quæ deletur, & abluitur, non manet; aliter nec deleretur, nec ablueretur; triticum, quod mundatur à zizania, non manet cum zizania; & calor, qui remittitur per frigus, non manet in ſubiecto; ſed peccata per gratiam iuſtificantem tolluntur, delentur, abluuntur, mundantur, & remittuntur; ergo peccata non manent, ſed tolluntur. Item *Iſaiæ 30. In die, qua alligauerit vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ eius ſanauerit*; *& Io.3. Tranſlati ſumus de morte ad vitam*. Ex quibus ſic. Vulnus, quod ſanatur, non manet; & mortuus, qui viuificatur, non manet mortuus, nihil enim magis repugnat, quàm eſſe ſimul priuationem, & formam illi oppoſitam; vulnus autem eſt priuatio ſanitatis, & mors priuatio vitæ; ſed iuſtificatio ſanat vulnus peccati, & dat vitam animæ mortuæ per peccatum; ergo in iuſtificatione peccatum non manet; ſed tollitur. Item *Io. 7. Sanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato*; Ex quo ſic, Sanguis Chriſti habet virtutem deſtructiuam peccati; eſt enim infiniti valoris potentis ſatisfacere pro infinitis offenſis, eaſque delere; ſed in iuſtificatione emundamur à peccatis in virtute ſanguinis Chriſti; ergo in iuſtificatione deſtruũtur peccata, at quod deſtruitur, non manet; ergo peccata non manent. Ma[illegible]traditur *Rom.6*; [illegible]i dicitur: *Hoc ſcientes; quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt; vt deſtruatur corpus peccati*. Tandem *Trident. ſeſſ.5.can.5.* anathematizauit *Caluinũ: Si quis dixerit peccatum originale non verè tolli per gratiam Chriſti, ſed tantùm radi, & non ampliùs imputari, anathema ſit*; & *Beatiſs.P. Malleus potentiſſimus omnium hæreticorum*, qui ante ipſum, & poſt ipſum fuerunt, hanc hæreſim in terminis *Caluini* damnat *lib.1.cont. duas ep.Pelagian.c.13. Dicimus baptiſmum omnium dare indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, neque radices peccatorum in mala carne teneri, quaſi raſorum in capite capillorum, vnde creſcant, iterum reſecanda peccata.*

4 Secundò aſſerit *idem Caluinus*; quòd licèt peccata non tollantur; attamen teguntur, & occultantur iuſtitia Chriſti, tanquam veſte, vt appareant in conſpectu Dei Patris, & puniantur.

Reijcitur 1., nam *Matth.10. Nihil enim eſt opertum, quod non reueletur; & occultum, quod non ſciatur; & Luc. 8. Non eſt enim occultum, quod non manifeſtetur; nec abſconditum, quod non cognoſcatur, & in palam veniat; & Rom. 2. In die, cùm iudicabit Deus occulta hominum; & pſalm. 138. Non eſt occultatum os meum à te; & Hebr. 4. Omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius; & Beatiſs.P. pſal.31. Nec intelligatis peccata cooperta eſſe, quaſi ibi ſint, & viuant, & Deus illa tegat*. Ex quibus ſic. Implicat, quòd aliquid ſit ſimul apertum, & occultum; nudum, & veſte contectum; ſed omnia peccata erunt nuda, & operta oculis Dei; aliter omnia non eſſent nuda, & aperta oculis eius; ergo peccata non occultantur, aut teguntur: 2. Viſioni infinitæ nihil poteſt occultari, aut tegi; aliter non eſſet viſio infinita, quæ eſſentialiter extenditur ad omne, quod eſt; & nihil ei poteſt celari; ſed Deus habet viſionem infinitam; ergo nihil ei poteſt occultari, aut tegi. 3. Si peccata tegerentur, ſequeretur, quòd peccator non iuſtificaretur; quandiu enim manent peccata, non eſt iuſtificatus; cùm iuſtificatio ſit liberatio ab iniuſtitia, quæ eſt peccatum; quandiu autem manet peccatum, manet iniuſtitia, & ſic non eſſet iuſtificatus; aut ſimul eſſet iniuſtus, & iuſtus; quod repugnat; ſed peccator per gratiam Chriſti verè iuſtificatur; ergo peccata iuſtificati non teguntur, ſed tolluntur. 4. Si manerent peccata, homo iuſtificatus nunquam diligeretur à Deo; *quia odio ſunt Deo impius, & impietas eius Sap. 4.*, vel à Deo peccator putaretur iuſtus, & non habens peccatum, & ſic falleretur infallibilis eius ſapientia; ſed conſeq. eſt falſum; ergo & antec. 5. Si ſolùm tegerentur peccata, nullus peccator ſaluaretur; quia Eccleſia triumphans dicitur *Epheſ. 6. Sancta, & immaculata non habens maculam, aut rugam*; & ideo homines, ex quibus conſtant, debent eſſe ſine peccato, quamuis tecto, & occulto; nam habens peccatum, quantumuis tectum, eſt verè maculatus, & rugoſus. Tandem reijcitur rationibus allatis contra primum dictum *eiuſdem Caluini*; eadem etenim res dicitur, ſed diuerſis terminis circunſcribitur, & explicatur, adeoque iiſdem rationibus impugnatur.

5 Dicit 3. peccata tecta per iuſtitiam Chriſti non imputari; vel vt interpretatur *Paraus*, manere quidem in homine, ſed tolli in iudicio Dei.

Reijcitur. Vel peccata non imputantur quoad culpam, vel quoad pœnam? ſeu vel tolluntur in iudicio Dei quoad culpam, vel quoad pœnam? Si primum; ergo Deus non iudicat ſecundùm veritatem; quòd eſt *contra Apoſtolum Roman. 2.* docentem: *Iudicium*

Dei eſt ſecundùm veritatem; nam Deus putat in homine non eſſe culpam, quæ tamen eſt in illo; & putat hominem eſſe iuſtum, & ſãctum, qui tamen eſt iniuſtus, culpabilis, & peccator; & ſic euertitus infallibilitas ſcientiæ Dei. Si ſecundum; ergo Deus eſt iniuſtus, quia culpæ non reddit debitam pœnam; quanuis enim, quia miſericots eſt, poſſit culpam dimittere, & pœnam ei debitam donare; attamen quia iuſtus eſt, manente culpa nequit non infligere ei debitam pœnam; & ſic euertitur Dei iuſtitia. Tum quia nequit Deus verè iuſtis gloriam non imputare; quia *nequit iuſtos fraudare mercede ſua*; vt docet *Beatiſs. P. lib. de nat. & grat. c. 2*; habetur enim *pſ. 61.*, & *Rom. 2. Reddet vnicuique ſecundùm opera eius*; aliter eſſet iniuſtus. Tãdem reijcitur rationibus allatis contra primum, & ſecundum dictum.

6 Dicit 4. hominem in iuſtificatione non fieri iuſtum in ſe ipſo; ſed manere iniuſtum peccatorem, immundum; & cenſeri tantùm iuſtum per extrinſecam Chriſti iuſtitiam. *Ita lib. 3. Inſt. c. 11. §. 3.*

Sed hoc refellitur ex dictis. Item *pſal. 50.* habetur: *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritũ rectum innoua in viſceribus meis*; quibus verbis apertè declaratur peccatorem fieri intrinſecè iuſtum, non autem ſolùm extrinſecè per iuſtitiam Chriſti externè imputatam; nam ſicuti fit intrinſecè peccator per cor immundum, idèſt per voluntatem plenam affectibus immundis, & impuris; ita fit intrinſecè iuſtus per cor mundum, quod creat Deus in iuſtificato, idèſt per voluntatem mundatam ab effectibus immundis. & plenam affectu mundo, & puro, idèſt dilectione Dei ſuper omnia. Idem habetur *Ezech. 36. Auferam cor lapideum, & dabo eis cor carneum, & in eodem pſ. Aſperges me hyſſopo, & mundabor; lauabis me, & ſuper niuem dealbabor*; ſed mundari, & dealbari non eſt denominatio extrinſeca, vt patet; paries enim nequit denominari albus per albedinem in alio exiſtentem, ſicut denominatur viſus; ergo in iuſtificatione non denominamur iuſti, albi, & mundi per extrinſecam Chriſti iuſtitiam, albedinem, & munditiem.

Dicit 5. omnia opera hominis iuſtificati eſſe peccata mortalia tum ex ſua natura, tum ex parte operantis; qui cùm ſit plenus peccatis, corrumpit, & vitiat omnia opera ab illo procedentia, ac propterea eſſe damnabilia, & iuſtam mereri opprobrij mercedem. Ex hoc deducit legem Dei eſſe ſeruatu impoſſibilem; quia opera mala non ſufficiunt ad legem ſeruandam. *Ita vbiſ. c. 14. §. 4.*

Reijcitur 1. *ex 1. Cor. 7. Si accipis vxorem, non peccaſti*; ex quo ſic. Iuſtus ſolutus accipiens vxorem non peccat; ergo opera iuſtorũ non ſunt peccata. 2. *Mat. 26. Quid moleſti eſtis huic mulieri; opus enim bonum operata eſt in me?* Quibus verbis actio Magdalenæ effundentis vnguentum, à Chriſto Domino bona vocatur, & à *Iuda* vocatur mala; ab illo enim laudatur, ab hoc exprobratur; *Vt quid perditio hæc?* Igitur vel in illa actione *Magdalena* peccauit, vel non? Si primum; ergo *Caluinus* ſequitur *Iudæ* ſententiam exprobrantis, tanquam malam illam actionem. Si ſecundum; ergo opera bona non ſunt peccata. 3. ex *2. Pet. 1. Satagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem faciatis; hoc enim facientes non peccabitis aliquando*; & *Matth. 7. Non poteſt arbor bona malos fructus facere*; arboris autem bonæ nomine ſignificatur iuſtus, & fructus ſignificat opera iuſti; ergo ſi iuſtus nequit facere opera mala, opera iuſti non ſunt peccata. 4. *Iob. 2. Vir ſimplex, & rectus, & recedens à malo*: Recedere à malo non eſt malum, ſed bonum; ſicut recedere à bono non eſt bonum, ſed malum; ſed iuſti recedunt à malo; ergo eorum opera non ſunt mala, ſed bona. *Item Iob. 1. Non peccauit labijs ſuis*; ſed labijs operatus eſt; quia locutus eſt, & loqui eſt operari; ergo opera iuſtorum non ſunt peccata. 5. *Pſal. 16. Probaſti cor meum, & non eſt inuenta in me iniquitas*; & *pſal. 13. Beati immaculati in via, qui ambulant in vijs eius; non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt*; ex quo ſic. Qui peccant, non ambulant in vijs Dei; qui enim peccant, operantur iniquitatem; *& qui operantur iniquitatem, in vijs eius non ambulauerunt*; ſed iuſti ambulant in vijs Dei; quia iuſtus viator eſt *immaculatus in via*, iuſtus enim, & immaculatus idem eſt; ergo iuſti non peccant. 6. *Caluinus* ait, quòd homo credendo ſibi eſſe remiſſa peccata iuſtificatur. Igitur vel hoc credendo peccat, vel non? Si primum; ergo per peccatum iuſtificatur. Si ſecundum; ergo *Caluinus* mentitur. Ex his apparet legem Dei non eſſe impoſſibilẽ; quia poſſumus facere opera bona, & legem implere.

8 Dicit 6. Iuſtificationem diſtingui à ſanctificatione; vult enim iuſtificationem conſiſtere in ſola rectione, ſeu non imputatione peccatorum; ſanctificationem verò in renouatione creaturæ; & ideo in iuſtificatione non infundi iuſtitiam inhærentem intrinſecè, bene tamen in ſanctificatione. *Ita in Antid. Trident. ſeſſ. 6. cap. 8.*

Reijcitur 1. *Rom. 8. Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iuſtificauit; quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit. Apoſt.* his verbis deſcribit totum ordinem, quem ſeruat Deus in exequenda ſalute electorum; ſed in ordine ſalutis electorum reperitur ſanctificatio; nam *1. ad Cor. 7. Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis*; & *ad Hebr. 2. Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex vno omnes*; ergo *Apoſt.* illis verbis nominat ſanctificationem; atqui hoc dici non poteſt, niſi ſanctificatio comprehendatur, & ſignificetur nomine iuſtificationis; ergo iuſtificatio, & sãctificatio idẽ ſũnt. 2. *ad Hebr. 9. Si ſanguis hircorum inquinatos ſan-*

ſanctificat ad carnis emundationem; quantò magis ſanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti? Ex quo ſic. Sanctificatio carnis per ſanguinem hircorum idem erat, ac iuſtificatio legalis, qua *Iudæi* emundabantur ab immunditie corporis contracta per legem; ergo emundatio ab operibus mortuis, quæ habetur per ſanguinem Chriſti, quæ idem eſt, ac iuſtificatio à peccatis, vt cõſentit *Caluinus*, idem quoque eſt, ac ſanctificatio ſpiritus. Tum quia ſicuti ſanctus idem eſt, ac *inſignis iuſtus*, ita ſanctitas, ſeu ſanctificatio idem eſt, ac *inſignis iuſtitia, ſeu iuſtificatio*. Tum quia iuſtificatio fit formaliter per iuſtitiam, & ſanctitatem inhærentem, vt *inf.* conſtabit; ergo formaliter idem eſt, ac ſanctificatio. Tum quia iniuſtitia, quæ opponitur iuſtificationi, idem formaliter eſt; ac peccatum, quod opponitur ſanctificationi; ergo iuſtificatio, & ſanctificatio ſunt formaliter idem.

9 Dicit 6. ſolàm fidem iuſtificare, idèſt ſolam fidem ſufficere, vt iuſtitia Chriſti, per quam peccata noſtra teguntur, nobis imputetur; quia ad iuſtificationem ſufficit apprehendere iuſtitiã Chriſti; & ſola fides poteſt illam apprehendere. Non quòd fides ſit forma, à qua denominamur iuſti; hæc enim eſt iuſtitia Chriſti; ſed quia fides eſt diſpoſitio antecedens iuſtificationem; vt calor formam ignis; vel illam conſequens, quia illam conſeruat; & ideo ſentit ſolam fidem iuſtificare, non quidem formaliter; ſed tantùm diſpoſitiuè antecedenter, & conſequenter. *Ita lib. 3. Inſtit. c. 11. §. 19.*

Reijcitur 1. *Scriptura* requirit ad iuſtificationem plures alios actus vltra actum fidei; ergo ſola fides non iuſtificat diſpoſitiuè. Prob. antec. *Eccli. 1. Qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari; Prou. 28. Qui ſperat in Domino, ſanabitur. 1. Io. 3. Qui non diligit, manet in morte; Act. 3. Pænitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra; & Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm; & Gal. 5. Neq; circuncifio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per dilectionem operatur;* ſuper quod *Beatiſs. P. de Trin. lib. 5. c. 18. Ipſam fidem non facit vtilem, niſi charitas; ſine charitate quippe fides poteſt quidem eſſe, ſed non prodeſſe;* ergo ſi fides iuſtificat ratione charitatis, ſola fides non ſufficit, ſed requiruntur plures alij actus. Imò ſi fides ratione charitatis iuſtificat, ſequitur, non quòd aliæ virtutes iuſtificent in virtute fidei, ſed quòd fides iuſtificet in virtute charitatis, quæ eſt proxima diſpoſitio ad iuſtificationem, vt diximus *in ſup. q.* Præterea in *Scripturis* nuſquam reperitur, quòd ſola fides iuſtificet, ſed reperitur, quòd etiam charitas, & aliæ virtutes diſponant ad iuſtificationem; ergo *Caluinus* ſentit aduerſus *Srcipturas*. Item *Apoſt. 1. Cor. 13.* ait: *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil ſum;* ergo fides ſine charitate non iuſtificat: *1. Cor. 4. Nihil mihi conſcius ſum;* apprehendit peccata facta ante conuerſionem ſibi eſſe remiſſa; & tamen ait ſe non eſſe per hanc apprehenſionem iuſtificatum; quibus reijcit in terminis hæreſim *Caluini*. Hanc rem ex profeſſo agit *Beatiſs. P. lib. de ſpiritu, & litera;* vbi *cum Apoſt.* oſtendit, quòd *litera occidit;* & quòd *non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Rom. 2. & lib. de fide, & oper. à c. 14. Vid. inf. de Fide q. 1. art. 6. à n. 5.*

§. 2.

Reſoluitur Articulus.

10 Omnes *Catholici* fatentur iuſtificationem impij in renouatione hominis formaliter factã per gratiam iuſtificantem intrinſecè receptam, & formaliter inhærentem, ac informantem animam iuſtificati. Diſſidium ſolùm eſt; an includat in ſuo conceptu formali remiſſionem peccatorum, vel ſolùm concomitanter, vel ſolùm extrinſecè; nam *Vaſq; Cur; & Philipp. a SS. Trin.* aſſerunt ſolùm concomitanter illam importare; *Scot.* verò *apud Maſtr. hìc diſp. 7. q. 1; OKam; Gabr; Ricc; Marſi Conimb; Suaj; & ex noſtris Put; & Cornejus, & alij Nominales* volunt gratiam iuſtificantem non habere ex natura ſua, & ex propria ratione formali phyſicè, ſed tantùm moraliter ex ordinatione Diuina, & fauore Dei extrinſeco remittere peccata. *Ceteri* tamen *omnes* docent gratiam iuſtificantem impium eſſentialiter includere, tanquam terminum *à quo*, remiſſionem peccatorum; & tanquam terminum *ad quem*, internam renouationem peccatoris. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 28. q. 2. art. 1. ad 3; & ſæpe alibi; præcipuè in 3; & in ep. ad Rom. c. 2.*

11 Vnica concl. Iuſtificatio impij formaliter conſiſtit, non in iuſtitia Dei, vel Chriſti nobis externè imputata, ſed in inhæſione intrinſeca gratiæ habitualis informantis animam iuſtificati, eamque interiùs renouante, ac phyſicè ſanctificante, & expellente, ſeu remittente peccata ita, vt remiſſio peccatorum eſſentialiter importetur ab ipſa iuſtificatione, vt eſt motus de iniuſtitia ad iuſtitiam eo modo, quo diximus *n. 2.*

Prima pars huius concluſ. definita eſt *contra Caluin. in Trident. ſeſſ. 6. c. 7.* ſtatuente: *Hanc diſpoſitionem iuſtificatio ipſa ſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum;* & paulò poſt: *Demum vnica formalis cauſa eſt iuſtitia Dei, non qua ipſe Deus iuſtus eſt; ſed qua nos iuſtos facit; qua videlicet ab eo donati renouamur ſpiritu mentis noſtræ; & non ſolùm reputamur, ſed verè iuſti nominamur, & ſumus iuſtitiam in nobis recipientes ſecundùm propriam cuiuſq; diſpoſitionẽ.*

Hoc dogma ſumptum eſt *ex Beatiſs .P.de Spir;& lit.c.9.* ſuper illud *Rom.3. Iuſtitia Dei manifeſtata eſt* docente: *Non dixit: iuſtitia hominis,vel iuſtitia propria voluntatis; ſed iuſtitia Dei, non qua Deus iuſtus eſt, ſed qua induit hominem, cùm iuſtificat impium.* Paulò poſt rationem reddens ait: *Nam hinc ſequitur, & adiungit dicens: Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti, hocêſt per fidem,qua creditur in Chriſtum . Sicut autem iſta fides Chriſti dicta eſt, non qua credit Chriſtus; ſic & illa iuſtitia Dei, non qua iuſtus eſt Deus* . Tandem concludit: *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius,nõ quòd ſine voluntate noſtra fiat &c.* Formatur autem ſic iſta ratio. Iuſtitia, quæ habetur per fidem Chriſti , non conſiſtit in ipſa iuſtitia , qua iuſtus eſt Chriſtus,nobis externè imputata,ſed in iuſtitia nobis inhærẽte intrinſecè per fidem ipſius Chriſti, & renouante, ac ſanctificante animam ; atqui noſtra iuſtificatio formaliter conſiſtit in iuſtitia , quæ habetur per fidem Chriſti; ergo noſtra iuſtificatio non conſiſtit in ipſa iuſtitia, qua iuſtus eſt Chriſtus, nobis externè imputata,ſed in iuſtitia nobis intrinſecè inhærẽte per fidem ipſius Chriſti, & renouante, & ſanctificante animam. Prob. ma. Fides Chriſti per quam habemus iuſtitiam , non conſiſtit in ipſa fide,qua Chriſtus credit, ſed in fide, qua nos credimus in Chriſtum,nobis intrinſecè inhærente; habet enim *Apoſt. ibid. Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes , & ſuper omnes , qui credunt in eo*; non autem ait: *In omnes,pro quibus credidit Chriſtus* ; & ideo fides Chriſti, quam habemus nos,non conſiſtit in ipſa fide, qua credidit Chriſtus , ſed qua credimus nos ; aliter omnes eſſent fideles ; quia Chriſtus credidit pro omnibus , ſicut pro omnibus paſſus eſt; & ſic nullus eſſet infidelis, quod eſt manifeſtè *contra Scripturas* ; ergo iuſtitia, quæ habetur per fidem Chriſti,non conſiſtit formaliter in ipſa iuſtitia, qua iuſtus eſt Chriſtus, nobis externè imputata, ſed in iuſtitia nobis intrinſecè inhærente per fidem Chriſti, & renouante, ac ſanctificante animam; nam *propter quod vnumquodque tale , & illud magis* ; & ideo ſi propter fidem Chriſti habemus illius iuſtitiam , à qua formaliter denominamur iuſtificati ; *iuſtificati per gratiam ipſius* ; & ipſa fides eſt quid formaliter intrinſecè nobis inhærens,& informans animam; multò magis ipſa iuſtitia , per quam iuſtificamur , eſt quid formaliter nobis inhærens, & informans animam &c. Mi.eſt *Apoſt.*docentis *ibid.Iuſtificati per gratiam ipſius &c; Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes , & ſuper omnes , qui credunt in eo; & Rom.10. Ignorantes iuſtitiam Dei , & ſuam volentes conſtituere,iuſtitia Dei non ſunt ſubiecti*; aliter iuſtificatio noſtra eſſet ex nobis, ſeu ex viribus naturæ , vt aſſerebat *Pelagius* , quem tamen impugnat *Caluinus, & eius Diſcipuli.*

12 Prob. 2. *ex Epheſ. 4. Renouamini ſpiritu veritatis veſtræ , & induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia,& ſanctitate veritatis.* Ex quo ſic. Renouatio ſpiritus in veritate , & creatio in iuſtitia, & ſanctitate nequit formaliter cõſiſtere in aliquo externè nobis imputato ; nam veritas formaliter eſt in intellectu, & iuſtitia , ac ſanctitas in voluntate ; vnde ſicut intellectus nequit eſſe formaliter verus per veritatem exiſtentem extrinſecè in intellectu alterius; ita voluntas nequit eſſe formaliter iuſta, & ſancta per iuſtitiam , & ſanctitatem extrinſecè exiſtentem in voluntate alterius ; ſed conſiſtit in aliquo intrinſeco formaliter inhærente ; atqui noſtra iuſtificatio conſiſtit formaliter in renouatione ſpiritus veritatis , & creatione in iuſtitia & ſanctitate;vt ait *Apoſt*; ergo noſtra iuſtificatio non conſiſtit formaliter in iuſtitia Chriſti nobis externè imputata, ſed in aliquo intrinſeco nobis inhærente.

13 Prob. 3. *ex 1. Cor. 15. Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem ; nouiſſimus Adã in ſpiritum viuificantem &c. Primus homo de terra terrenus; ſecundus homo de cælo cæleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cæleſtis, tales & cæleſtes . Igitur ſicut portauimus imaginem terreni,portemus & imaginem cæleſtis.* Ex quo ſic: *Adam* generauit nos in ordine naturæ efficienter communicando nobis naturam intrinſecè in nobis receptam; non enim dicimur naſci ex *Adã* per naturam *Adæ* extrinſecè nobis imputatam , & non exiſtentem formaliter in nobis; ſed Chriſtus ita regenerauit nos in ordine ſupernaturali per gratiam iuſtificantem, ſicut *Adam* generauit nos in ordine naturæ per communicationem ipſius naturæ ; ergo Chriſtus non regenerauit nos in ordine ſupernaturali per gratiam iuſtificantem exiſtentem in Chriſto nobis tantùm extrinſecè imputatam , ſed exiſtentem intrinſecè in nobis .

14 Conf. 1. Id, quo viuimus in ordine naturæ, nequit eſſe nobis extrinſecum , ſed debet eſſe intrinſecum formaliter; quia vita in actu ſecundo eſſentialiter eſt à principio formali intrinſeco ; ſed iuſtificatio eſt id, quo viuimus in actu ſecundo vita ſupernaturali; ergo debet eſſe à principio formali.

15 Conf. 2. *ex Rom. 12. Multi vnum corpus ſumus in Chriſto; ſinguli autẽ alter alterius membra*; ex quo ſic. Principium vitale operationum vitalium nedum eſt formaliter in capite,ſed etiã in membris,vt patet; nam membrum,in quo non eſt formaliter intrinſecè anima , nequit exercere operationes vitales , nec eſt viuum, ſed mortuum ; atqui per iuſtificationem actualem efficimur viua membra corporis Chriſti; ergo iuſtificatio actualis importat aliquod intrinſecum nobis formaliter inhærens.

16 Prob. 4. *ad hominem contra Caluiniſtas ; qui & illo Rom. 5. Per vnius obedientiam iuſti conſtituuntur multi*; putant per obedientiam in Chriſto formaliter exiſtentem nobis imputatam nos iuſtificari . Redarguitur autem ſic . Per inobedien-

dien-

dientiam *Adæ* non conſtituimur formaliter peccatores, ſed tantùm demeritoriè; quatenus non obediendo demeruit nobis iuſtitiam originalem; nam intrinſecè conſtituimur peccatores per peccatum originale in nos cum natura transfuſum, & in nobis formaliter exiſtens; ſed ita conſtituuntur iuſti per Chriſti obedientiam; ſicut conſtituuntur peccatores *per Adæ* inobedientiam; vt *ibid.* docet *Apoſt*; ergo per obedientiam formaliter in Chriſto exiſtentem conſtituimur iuſti tantùm meritoriè, quatenus meruit nobis gratiam juſtificantem; intrinſecè tamen, & formaliter conſtituimur iuſti per ipſam gratiam nobis intrinſecè inhærentem.

17 Vrgetur magis. Habet *Apoſt. ibid. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum; multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & iuſtitiæ accipientes in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum*. Ex quo ſic. Mors, quæ eſt peccatum, contracta *ex Adam* eſt intrinſecè in nobis; ergo vita deducta ex Chriſto eſt intrinſecè in nobis; & ſicuti non denominamur peccatores per peccatum, quod eſt *in Adam*, ſed per peccatum, quod eſt in nobis; ita non denominamur formaliter iuſti per *iuſtitiam*, quæ eſt in Chriſto, ſed per eam, quæ eſt in nobis intrinſecè.

18 Ampliùs. Iuſtitia originalis erat intrinſecè *in Adam*, & per peccatum illam ſibi, & nobis amiſit; ſed Chriſtus reſtituit nobis iuſtitiam amiſſam *per Adæ* peccatum; ergo reſtituit nobis iuſtitiam intrinſecè nobis inhærentem.

19 Prob.5. Per gratiam iuſtificantem conſtituimur formaliter filij Dei adoptiui; vt habetur 1.*Io*.1; ſed adoptio vel ſupponit naturam communicatam, vt in homine; vel participat naturam, velut in ordine ſupernaturali; ergo per gratiam iuſtificantem participatur nobis natura Diuina formaliter nobis inhærens. *Vid. in ſup. q. art.* 1.

20 Tandem denominatio extrinſeca nequit reddere agentem rem denominatam; denominat enim ſolùm paſſiuè; vt paries dicitur viſus paſſiuè; quia neque prout viſus, poteſt actiuè videre; & licèt aer dicatur ſanus actiuè, quia poteſt inducere ſanitatem; attamen dicitur ſanus actiuè, non ab ipſa ſanitate; ſic enim poſſet facere opera ſani; ſed à propria virtute, & qualitate, quæ eſt intrinſecè in illo, & ideo poteſt actiuè inducere ſanitatem; ſed per iuſtificationem homo redditur iuſtus actiuè, quia conſtituitur potens facere opera iuſta; ergo non denominatur extrinſecè à iuſtitia Chriſti, ſed intrinſecè à iuſtitia illi inhærente.

21 Prob. 2. pars concl. 1. ex dictis *art.* 1. Gratia ex ſua natura, & ratione formali phyſica efficit nos filios Dei adoptiuos; ergo ex ſua natura expellit peccata. Ant. probatum eſt *vbiſ.* conſ. optimè infertur; nam filiatio Dei nequit ſtare ſimul cum filiatione Diaboli; per peccatum autē efficimur filij Diaboli iuxta illud *Io.*8. *Vos ex patre Diabolo eſtis*; & ideo gratia efficiens nos filios Dei remittit peccatum, quo eramus filij Diaboli.

22 Conf. *ad hominem*. In tantùm gratia ex ſua natura non remittit peccata; in quantùm ex ſua natura non reddit nos Deo gratos, iuſtos, & ſanctos; nam eſſe gratum, & eſſe peccatorem, iuſtum, & iniuſtum; ſanctum, & malum pugnant directè, & phyſicè inter ſe; & ideo ſi gratia redderet formaliter gratos, iuſtos, & ſanctos, tolleret formaliter peccatum, iniuſtitiam, & malitiam; ſed hoc eſt *cont. Scripturas*; ergo & id, quod ſequitur. Ma. eſt fundamentum *Aduerſariorum*. Prob. mi. *In Scripturis* gratia vocatur *iuſtitia*; vt *Rom.*3. *Iuſtitia Dei manifeſtata eſt in nobis*; & dicitur *ſanctitas*; vt *Eccli.*30. *Salus animæ in ſanctitate*; ſalus autem animæ eſt per gratiam; *& Luc.* 1. *In ſanctitate, & iuſtitia*; *& Epheſ.*4. *In iuſtitia, & ſanctitate*; quibus nominibus eam appellat etiam *Trid*; ſed gratia ex ſua natura reddit gratum, iuſtitia iuſtum, & ſanctitas ſanctum; ſicut charitas reddit charum; & albedo album; nulla enim aſſignari poteſt ratio ſufficiens, & rationabilis; cur albedo ex ſua natura redat ſubiectum formaliter album; calor frigidum, & ſic de alijs; gratia verò ex ſua natura non reddat animam formaliter gratam, ſanctitas ſanctam, & iuſtitia iuſtam; ergo ratio *Aduerſariorum* eſt *cont. Scripturam*; & ideo eſt abijcienda.

23 Prob.2. *ex Trid. ſeſ.*6.*c.*7. docente: *Hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum; vnde homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus, vt ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* Hæc verba habentur *apud Beatiſs. P. de Eccleſ. Dogmat. c.*28. Et poſtquam dixit cauſam finalem noſtræ iuſtificationis eſſe gloriam, & vitam æternam; efficientem Deum miſericordem; meritoriam Chriſtum Dominum; & inſtrumentalem baptiſmum; ſubdit: *Demum vnica formalis cauſa eſt iuſtitia Dei, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit; qua videlicet ab eo donati renouamur ſpiritu mentis noſtræ; & non modò reputamur, ſed verè iuſti nominamur, & ſumus iuſtitiam in nobis recipientes*. Ex quibus ſic 1. Iuſtificatio ex ſua natura habet phyſicè remittere peccata, ſanctificare, & renouare hominem, & formaliter reddere ex iniuſto iuſtum, ex inimico amicum, & hæredem gloriæ Dei; vt docet *Trid*; ſed gratia iuſtificans eſt idem realiter, ac iuſtificatio; quia gratia iuſtificans eſt cauſa formalis iuſtificationis, vt docet *idem Conc*; & cauſa formalis non diſtinguitur realiter à ſuo effectu formali; vt eſſe album ab albedine, ergo gratia iuſtificans ex ſua natura habet phyſicè remittere peccata, ſanctificare, renouare hominem, eumque formali-

maliter reddere ex iniuſto iuſtum, ex inimico amicum, & hæredem gloriæ Dei. 2. Iuſtificatio eſt quid phyſicè expellens peccatum; ergo & gratia iuſtificans; implicat enim effectum formalem eſſe quid phyſicum, & cauſam formalem talis effectus non eſſe aliquid phyſicum; cùm cauſa formalis ſit vniuoca, imò ſit vnum, & idem cum ſuo effectu. 3. Recipientes gratiam rectè nominantur, ac ſunt iuſti non ſecus, ac recipientes albedinem nominantur, & ſunt albi; ſed nequeunt fieri iuſti, niſi per expulſionem peccati; quandiu enim manet peccatum, ſunt iniuſti; & implicat, quòd ſint ſimul iuſti, & iniuſti; ergo gratia iuſtificans ex ſua natura expellit peccatum iuxta *Trid.* doctrinam.

24 Prob. 3. Qualibet forma phyſica ex ſua natura expellit phyſicè priuationem ſibi phyſicè oppoſitam; ſed gratia iuſtificans eſt forma phyſica; ergo gratia iuſtificans ex ſua natura phyſicè expellit priuationem ſibi phyſicè oppoſitam, atqui priuatio phyſicè oppoſita gratiæ eſt peccatū; nam gratia eſt formoſitas animæ, & peccatum eſt illius deformitas, vt docet *Beatiſs. P. 15. de Trinit. c. 8;* vbi loquens de natura creata ait: *Quæ natura, cùm à ſuo Conditore iuſtificatur, à deformi forma formoſam transfertur in formam;* deformitas autem eſt priuatio phyſica oppoſita formoſitati; tum quia peccatum eſt mors ſpiritualis animæ; dicitur enim *Ezech. 7. Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur;* & gratia eſt vita ſpiritualis animæ, vt concedit *Maſtr. q. 4. art. 1. n. 161;* ſed mors eſt priuatio phyſicè oppoſita vitæ; vt patet; tum quia peccata ſunt tenebræ, & gratia lux; nam *Epheſ. 5.* habetur: *Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino;* ſed tenebræ ſunt priuatio luci phyſicè oppoſita; ergo gratia ex ſua natura phyſicè expellit peccatum. *Vid. de pecc. q. 4. art. 6.*

25 Prob. 4. Ex *Scripturis* habetur per ſolam gratiam iuſtificari; vt *iuſtificati per gratiam ipſius; Rom. 5. Secundùm electionem gratia ſua ſalua facta ſunt; Epheſ. 2. Gratia enim eſtis ſaluati per fidem; & ad Tit. 3. Vt iuſtificati ipſius gratia; & ſæpiſſimè alibi;* nunquam tamen nominatur condonatio externa diſtincta à gratia; imò *2. Cor. 12.* dicitur, quòd ſufficit gratia: *Sufficit tibi gratia mea;* non autem ſufficeret, ſi requireretur alius fauor externus diſtinctus ab illa, per quem tolleretur peccatum; ergo ſententia oppoſita nullum fundamentum habet *in Scriptura,* & ideo eſt abijcienda, tanquam merè per vanam ſpeculationem inuenta. *Sed de hoc iterum inferius agemus.*

26 Prob. 5. rationibus allatis pro 1. part. concl; nam iuſtitia Chriſti in nobis recepta expellit formaliter iniuſtitiam, ſeu peccatum. 2. Renouatio creaturæ eſt formalis deſtructio veteris creaturæ; vetus autem creatura conſtituitur per peccatum. 3. Scut *Adam* generauit nos transfundendo peccatum, ita Chriſtus regenerauit nos expellendo peccatum. 4. Vita formaliter expellit mortem. 5. Id, quo conſtituimur filij Dei in ordine ſupernaturali, eſt formaliter expulſiuum peccati; ſed gratia habitualis eſt iuſtitia Chriſti, renouatio creaturæ, regeneratio, vita, & conſtitutiuum filiationis Dei; vt tenentur *Aduerſarij* dicere *cum Catholicis* contra *Caluinum;* ergo tenentur dicere *contra ſe ipſos* gratiam eſſe formaliter expulſiuam peccati; ex quibus patet iiſdem rationibus reijci vnam, & alteram partem concl.

27 Prob. 6. Peccatum formaliter expellit gratiam habitualem, quia deformitas tollit formoſitatem, iniuſtitia iuſtitiam &c; ergo & gratia habitualis formaliter expellit peccatum.

28 Prob. 3. pars concl. Motus eſſentialiter importat priuationem, & ſubiectum commune; quia importat terminum, à quo incipit, & terminum, ad quem deſinit; alitèr eſſet infinitus, quia careret terminis; vt dicitur *in 1. Phyſ;* ſed remiſſio peccatorum in iuſtificatione, quatenus eſt motus, reſpicit terminum *à quo;* ergo iuſtificatio, quatenus motus importat eſſentialiter, non concomitanter tantùm, remiſſionem peccatorum. *Vid. in Phyſicis,* vbi probatur tria eſſe principia in fieri.

29 Tandem cauſa moralis verè, & propriè non agit, ſed tantùm mouet intentionem agentis phyſici ad agendum; vt conſulens occiſionem verè, & propriè non occidit, ſed tantùm mouet occidentem ad occidendum; ſed gratia verè, & propriè iuſtificat; non enim licèt dicere *Scripturas* in tanta re loqui impropriè; ergo gratia non eſt cauſa moralis, ſed phyſica iuſtificationis.

30 Obijc. 1. *Caluin.* cont. 1. part. concl. illud *pſ. 31. Beati, quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. 2. Rom. 4. Credenti in eum, qui iuſtificat impium, reputatur ei fides ad iuſtitiam;* ergo iuſtitia eſt tantùm imputata. 3. *Per vnius obedientiam iuſti conſtituuntur multi;* ſed obedientia Chriſti eſt quid extrinſecum; ergo tantùm extrinſecè iuſtificamur. 4. *1. Cor. 1. Chriſtus factus eſt nobis à Deo ſapientia, & iuſtitia, & redemptio. 5. Epheſ. 4. Induite nouum hominem;* vbi *Apoſt.* vtitur ſimilitudine indumenti; & *Iacob* indutus veſtimento primogeniti reportauit à Patre benedictionem, & hæreditatem oſtendens nos indutos iuſtitia Chriſti reportaturos hæreditatem æternam. 6. Eo modo dicimur iuſti, quo Chriſtus dicitur peccatum; ſed Chriſtus dicitur peccatum tantùm extrinſecè per peccatum exiſtens in nobis, non in illo; ergo nos dicimur iuſti per iuſtitiam exiſtentem in Chriſto, non in nobis. 7. *Arbitramur hominem iuſtificari per ſolam fidem ſine operibus legis; & Epheſ. 2. Saluati eſtis per fidem, non ex operibus; & Luc. 17. Fides tua te ſaluum fecit; & Io. 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius; & Io. 3. Qui credit in Filium, habet* vitam

vitam æternam; *& Rom.* 10. *Omnis, qui credit in illum, non confundetur*; *& Act.* 13. *In hoc omnis, qui credit, iuſtificatus*; ergo ſola fides, qua quis credit ſibi eſſe remiſſi peccata, iuſtificat per iuſtitiam Chriſti externè imputatam.

Reſp. ad 1. in illo *pſ.* præmitti: *Quorum remiſſæ ſunt iniquitates*; quo ſignificatur peccata remitti, & deleri, non verò ſolum tegi, & non remitti. Sicut enim (inquit *Beatiſs. P.* ſuper hunc *pſ.*) vulnera corporis dupliciter tegi poſſunt. 1. veſtibus ab ipſo vulnerato. 2. emplaſtro à medico, & ſicut vulneratus tegit vulnera, ſed non tollit; medicus verò tegit, vt tollat. *Vulneratus tegit ex pallio, ſed non tollit; medicus tegit emplaſtro, & tollit*; ita peccata, quæ ſunt animæ vulnera, ſi pallio erubeſcentiæ tegantur à peccatore, non tolluntur, quia non curantur à medico; ſi verò gratia tegantur à Deo, ſanantur. *Si tu tegere volueris erubeſcens, medicus non curabit. Medicus tegat, & curet; emplaſtro enim tegit. Sub tegmine medici ſanatur vulnus; ſub tegmine vulnerati celatur vulnus.* Ille ergo textus ſic explicatur. Peccatum dicit offenſam Dei, maculam animæ, & reatum pœnæ. Beatus igitur ille eſt, cui à Deo per gratiam remittitur offenſa; cuius macula tegitur gratia, vt ſanetur, & auferatur; & cuius pœna non imputatur remiſſa iam culpa, Ad 2. dicitur fidem, quæ eſt in nobis, formatam habitu charitatis, qui ſemper eſt coniunctus cum gratia, reputari ad iuſtitiam; nec per hoc ſequitur iuſtitiam, quæ eſt in Chriſto, nobis imputati. Ad 3. iam dictum eſt ſupra per obedientiam Chriſti nos iuſtificari meritoriè, non formaliter; & ſic ad 4. Ad 5. dicitur *Apoſt.* apertè aſſerere nos internè renouati per gratiam; vtitur autem exemplo veſtis; quia ſicut veſtis ab extrinſeco ſumitur, non enim in corpore naſcitur; ita gratia non oritur ex viribus naturæ, ſed diffunditur in nobis per Spiritum S; ſic *Apoſt. ad Coloſs.* 3. vtitur ſimilitudine veſtis, cùm dicit: *Induite viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam*; patet autem has virtutes eſſe internas, non externas; ita à pari. Ad illud *Iacob* ait *Beatiſs. P. lib.* 16. *de Ciu. Dei c.* 38. fuiſſe figuram Chriſti, qui aliena peccata portauit; *Iacob* enim hædinas pelliculas induit, hædus autem ſignificat reprobum. Ad 6. neg. ma.; nos enim nedum dicimur *iuſtitia Chriſti*, ſed etiam dicimur formaliter iuſti; Chriſtus verò ſolùm dicitur peccatum, non autem dicitur formaliter peccator. Ad 7. dicitur *Apoſt.* excludere opera fidem præcedentia, non ſubſequentia; fides enim non eſt ex operibus, ſed donum Dei eſt. Ad alias auctoritates dicitur, ſicut ad 2.

31. Ob. 2. *Maſtr.* Entitas phyſica gratiæ nihil habet ex natura ſua, cui debeatur vita æterna, hæreditas, & amicitia Dei; ergo non remittit peccata ex ſua natura; ſed tantùm ex Diuina ordinatione, & ideo moraliter. Prob. ant. Si haberet aliquid, cui deberetur vita æterna, maximè quia eſſet principium actiuum diligendi Deum ſupernaturaliter; ſed hoc non ſufficit; ex eo enim, quòd *Petrus* habeat potentiam naturalem amandi *Paulum*, non exigit naturaliter, vt redametur à *Paulo*; ita à pari; ergo idem, quod ſupra. 2. Actus dilectionis Dei perfectæ non ſanctificat animam; ergo neque habitus gratiæ, qui eſt principium illius; nam actus eſt perfectior habitu, etſi non ſanctificat id, quod eſt maius, neque id, quod eſt minus. 3. Gratia Diuina eſt quædam participatio imperfecta Diuinæ naturæ eo modo, quo cætera entia creata dicuntur participare Diuinam naturam; imò eſt deterior omnibus ſubſtantijs, cùm ſit purum accidens; ergo ſolum moraliter habet ſanctificare. 4. Character baptiſmatis conſtituit Chriſtianum ſolùm ex impoſitione Chriſti, & character ordinis confert poteſtatem conſecrandi, ſolùm ex ordinatione Diuina; ergo à pari. 5. Si iuſtificatio eſſet effectus formalis phyſicus gratiæ non poſſet Deus conſeruare gratiam ſimul cũ peccato mortali; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. 6. *Trid.* diſtinguit remiſſionem peccati ab infuſione gratiæ tanquam duas actiones ex natura ſua diſtinctas; ergo indicat remiſſionem peccati eſſe peculiare Dei beneficium. Item ait gratiam, qua iuſtificamur, non eſſe tantùm fauorem Dei extrinſecum; ergo vltra entitatem gratiæ admittit fauorem Dei extrinſecum, ſcilicet ordinationem Diuinam. 7. Sententia *Scot.* eſt conformior modo loquendi *Scripturæ, Conc. & PP.* docentium remiſſionem peccatorum fieri gratis à Deo, & iuſtificationem noſtram eſſe opus Dei omnino gratuitum; nam magis propriè iuſtificat gratis ex ſuo mero beneplacito, quàm tribuendo gratiæ vim phyſicam iuſtificandi. 8. Nulla creatura poteſt neceſſitare Deum ad illam amandam, & ad illi concedendam viſionem, & fruitionem beatam, necnon ad illam perpetuò conſeruandam; ergo gratia phyſicè iuſtificans non datur, hæc enim omnia præſtaret. 9. Peccatum eſt priuatio gratiæ tantùm moralis, non phyſica; eſt enim tantùm priuatio demeritoria; ergo per gratiam non tollitur phyſicè, ſed moraliter. Prob. ant. In iuſtificatione duæ ſunt mutationes, quarum vna eſt de peccato ad non eſſe peccati; altera de non eſſe gratiæ ad eſſe gratiæ; ſed non eſſe gratiæ eſt priuatio phyſica gratiæ, ergo eſſe peccati eſt priuatio phyſica non eſſe peccati; quia tamen gratia ex Diuina ordinatione eſt connexa cum non eſſe peccati; ideo peccatum eſt priuatio moralis gratiæ.

Reſp. ad 1. neg. ant. Ad prob. neg. ma. Nam vita æterna debetur gratiæ, quatenus eſt conſortium, & participatio Diuinæ naturæ; vt ex *Petro* diximus *in ſup. q. art.* 2. cui connaturaliter debetur vita æterna; quamuis à poſteriori etiam debeatur vita æterna gratiæ, quatenus habet annexum habitum charitatis, cui debetur actus di-

lectionis Dei ſuper omnia, in quo conſiſtit formaliter vita æterna, cùm eſt conſummatus; vnde etiam omiſſa ma. neg. mi; & ad prob. inſert. dicitur, quòd ex eo, quòd *Petrus* habeat potentiam naturalem amandi *Paulum*, habet inclinationem naturalem ad actum amoris; ita ex eo, quòd habeat habitum charitatis, habet inclinationem ad habēdum actum dilectionis Dei, quia potentia per habitum inclinatur ad actum; & in actu dilectionis, non redilectionis, ſeu reamoris, vt ſupponit *Maſtr*; conſiſtit formaliter vita æterna. Ad 2. neg. conſ. Ad prob. inſert. dicitur, quòd dilectio eſt actus charitatis, *vt quo*, & gratiæ, *vt quod*; principium autem, *quod*, eſt perfectius actu elicito ab habitu, *vt quo*. Ad 3. neg. ant. Nam ſi gratia eſſet participatio imperfecta eo modo, quo ſunt cętera entia, *D. Petrus* non tradidiſſet rationem differentialem gratiæ, ſed communem, & ſic illam non rectè definiuiſſet. *Vid. vbiſ. art.* 2. Ad 4. Omiſſo ant; de quo ſuo loco, neg. conſ. Nam gratia non eſt effectus formalis intrinſecus caracteris, ſicut iuſtificatio eſt effectus formalis gratiæ; & ideo nihil aliud eſt, niſi ipſa gratia. Item ex eo, quòd detur vna cauſa moralis, non valet arguere, quòd omnes cauſæ ſint morales; ideo nihil concluditur. Tandem dicimus Sacramenta cauſare gratiam phyſicè. Ad 5. neg. mi. Ad 6. neg. ant. Nam infuſio gratiæ, & remiſſio peccati ſunt tantùm duo munera, quæ habet vna actio, vt eadem actio calefactionis eſt inductiua caloris, & remiſſiua frigoris; non enim eſt duplex actio, vt patet experientia. Ad aliud dicitur, quòd ipſa entitas gratiæ eſt fauor Dei extrinſecus, ſi conſideretur actiuè ex parte Dei illam donantis gratis. Ad 7. neg. aſſumpt. Nam ſententia *Scoti* infirmat gratiam tollendo ei efficaciam, & vim, quam adeo inculcant *Scriptura*, *Conc. & SS. PP.* & ideo eſt ſententia illis difformis. Tum quia *Scriptura*, *Conc. & PP.* abſolutè docent gratiam iuſtificare; *Scotus* autem non iuſtificare ſecundùm ſe ipſam, & formaliter, ſed tantùm ratione fauoris extrinſeci; nos autem docemus iuſtificare ſecundùm ſe ipſam; ergo nos conformiter, ille difformiter loquitur *ad Scripturam*, *Conc. & SS. PP.* Nec ex eo, quòd gratia habeat vim connaturalem remittendi peccata, ſequitur, quòd iuſtificatio noſtra non ſit opus Dei omnino gratuitum: nam remiſſio, iuſtificatio, & gratia ſunt idem realiter, ſicuti albedo, & eſſe album; & ideo ſi gratia eſt opus omnino gratuitum, etiam iuſtificatio eſt huiuſmodi. Item dicitur, quòd licèt gloria ſit effectus gratiæ, non ſequitur, quòd gloria ſit minùs gratuita, quàm gratia; quia eſt *gratia pro gratia*, vt docet *Beatiſſ. P. de grat. & lib. arb.* c. 8. ita à pari. Ad 8. diſt. ant. Abſolutè, conc; ex ſuppoſitione, neg; quamuis enim non neceſſitetur Deus ad calefaciendum lignum; attamen ſuppoſito, quòd producat calorem in ligno, neceſſitatur ad illud calefaciendum; ita quamuis non neceſſitetur ad iuſtificandum aliquem, attamen ſuppoſito, quòd producat gratiam iuſtificantem in illo, neceſſitatur ad illum iuſtificandum. Ad 9. neg. ant. Ad prob. neg. ma; quidquid dicant *Recentiores*; ſicut enim quando generatur ignis in ligno, non eſt, niſi vna mutatio, quamuis lignum tranſeat de eſſe priuationis ignis ad non eſſe priuationis, & à non eſſe ignis ad eſſe ignis; quia tamen non eſſe priuationis ignis eſt idem, ac eſſe ignis, ſupra quod fundatur negatio priuationis ignis; negatio enim non diſtinguitur à ſubiecto, in quo eſt, vt docet *Beatiſſ. P. lib. 5. de Trin. c.* ideo eſſe priuationis, & non eſſe ignis eſt idem omnino, & per conſequens eſt vna tantùm mutatio. Præterea ſi arg. valeret, ſequeretur, quòd nec etiam priuatio ignis opponeretur phyſicè igni, quia illi tantùm opponeretur non eſſe ignis; ergo ſicuti priuatio ignis phyſicè opponitur formæ ignis, non ob aliam rationem, niſi quia priuatio ignis eſt idem, ac non eſſe formæ ignis; ita peccatum, quod eſt priuatio gratiæ, phyſicè opponitur gratiæ, quia priuatio gratiæ idem eſt, ac non eſſe gratiæ cum aptitudine, & debito illam habendi. Nec obſtat, quòd peccatum ſit priuatio rectitudinis debitæ, ſeu conformitatis ad legem; nam hoc verum eſt de peccato actuali; & ſicut peccatum actuale eſt priuatio rectitudinis debitæ, & rectitudo debita eſt gratia actualis, quia eſt ipſe actus inſpiratus; ita macula peccati, ſeu peccatum habituale eſt priuatio phyſica gratiæ habitualis; ex quo ſumitur alia ratio *contra Aduerſarios*.

ART. II.

An actus contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia habeat vim iuſtificandi?

1 Pluries diximus actum charitatis eſſe diſpoſitionem ad gratiam iuſtificantem. Nunc quærimus, an poſſit eſſe forma iuſtificans; & deciſio habetur ex dictis *in ſup. art.*

2 Prima ſententia vult actum contritionis, & dilectionis Dei ſuper omnia nedum de poſſibili, ſed etiam de facto formaliter iuſtificare. *Ita Ianſenius concordia Euang. c. 48. in Luc.* ſuper illud: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm. Ita Caſſal. lib. de Quadripartita iuſt. c. 16; Vaſq. hìc diſp. 203. c. 3. & ſeq;* vbi ait, quòd dummodò teneatur iuſtificationem eſſe per aliquod intrinſecum nobis inhærens, ſatisfit definitioni Conc. *Trident; Gaſpar Hurtad. de pœnit. diſp. 2. difficult. 7; Turrian. opuſc. 6. diſput. 4; Merat. de grat. diſput. 12. fuſiſſimè per plures ſect.*

3 Secunda vult de facto iuſtificare tantùm diſpoſitiuè, de poſſibili tamen poſſe iuſtificare forma-

Digitized by Google

formaliter. *Ita Morand. tract. 4. de grat. quaſt. 231 Serr. par. 2. quaſt. 113. artic. 2. dub. 2; Maſtr. hic diſp. 7. quaſt. 8; Monteſin; & Arauio apud Gonet.*

4 Noſtra docet nec de facto, nec de poſſibili actum charitatis, aut contritionis quantumcunque perfectæ formaliter poſſe iuſtificare, ſed tantùm diſpoſitiuè. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 26. q. 2. art. 1. Ex hoc autem*; vbi explicans illud *Beatiſs. Patris 16. de Trin. c. 18.* loquentis de dilectione: *Nullum eſt iſto Dei dono excellentius. Solum eſt, quod diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ*; ex quibus verbis videtur dilectionem eſſe formaliter iuſtificatiuam, quia diſtinguit iuſtos à reprobis; ait: *Ex hoc autem apparere poteſt illud Auguſtini in de prædeſtinatione SS; quòd gratia præuenit charitatem; quia opus charitatis eſt principaliter gratum per gratiam. Nam licèt charitas non poſſit eſſe informis; quia non poteſt eſſe ſine gratia, vt ex hoc dicatur eſſe illud donum, quod diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ, vt ait Auguſt. de Trinit; ſi enim poſſet eſſe charitas ſine gratia, non diceretur eſſe tale donum.* Quibus verbis affert rationem, vt *inf.* Hanc ſententiam ſequuntur *omnes noſtri*, inter quos nouiſſimè *Gibb. hic diſp. 25. dub. 3*; apud quem *noſter Bernardin; & ex alijs Sua. in 3. par. diſp. 4. ſect. 8; & de grat. lib. 7. cap. 8; & ſequuntur Veg. in Trid., Sot; Val; Bellarm; Auerſ; Monteſin; Granad; Ouied, Io. à S. Thom; Gonet; & omnes alij communiter*; qui oppoſitam ſententiam varijs notant cenſuris.

5 Vnica concl. Charitas ratione ſolius gratiæ habitualis diſtinguit inter filios regni cœleſtis, & filios perditionis æternæ; & ideo actus charitatis, aut pœnitentiæ nequit formaliter iuſtificare ſiue de facto, ſiue de poſſibili; ſed tantùm diſpoſitiuè, quatenus diſponit ad gratiam, quę non recipitur, niſi per actus voluntarios loquendo de adultis.

Prob. 1. *ex Scriptura*; nam *pſ.* 31. habetur: *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*; & *Iſaiæ 55. Reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius*; & *Ierem. 3. Conuertimini filij reuertentes, & ſanabo vos.* Ex quibus ſic 1. Si actus charitatis, aut pœnitentię poſſet formaliter iuſtificare, poſſet homo formaliter ſibi remittere ſua peccata; nam qui ponit cauſam formalem, ponit etiam effectum; vt qui ponit albedinem in pariete, ponit etiam eſſe album in illo, & illo verè dicitur illum dealbare; & ratio à priori eſt; quia cùm effectus formalis ſit idem realiter, ac cauſa formalis recepta in ſubiecto, ideo qui ponit cauſam formalem, realiter ponit etiam effectum formalem illius; ſed conſ. eſt *contra Scripturas* allatas, quæ aſſerunt apertè remiſſionem peccatorum eſſe effectum ſolius Dei; & habetur etiam *Iob 14. Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, niſi tu ſolus*; vt legunt *alij*; ergo & antec.

6 Conf. Remiſſio peccatorum promittitur pœnitentibus *in Scriptura*, tanquam donum diſtinctum ab actu charitatis, & pœnitentiæ, quibus conuertimur in Deum; vt patet *ex textibus* adductis; & *ex Beatiſſ. P. in pſ. 144. Deus conuerſioni tuæ indulgentiam promiſit*; ſed iuſtificatio eſt remiſſio peccatorum; ergo iuſtificatio eſt donum diſtinctum ab actu charitatis, & contritionis; atqui effectus formalis non diſtinguitur à ſua cauſa formali, quia effectus formalis non eſt, niſi ipſa cauſa formalis recepta in ſubiecto; cùm cauſa formalis intrinſeca, de qua loquimur, cauſet per ſolam exhibitionem ſuæ entitatis, vt patet de albedine, & eſſe albo; quamuis enim eſſe exiſtentiale albedinis, quod eſt eſſe ſubiecti, realiter diſtinguatur ab albedine; attamen eſſe ſpecificum albedinis, nihil aliud eſt, niſi ipſa eſſentia albedinis; ergo iuſtificatio nequit eſſe effectus formalis actus charitatis, aut contritionis.

7 Prob. 2. *Ex Trid.* habetur actum charitatis, & pœnitentiæ eſſe diſpoſitiones ad iuſtificationem; ergo nequeunt etiam per potentiam Dei abſolutam formaliter iuſtificare; nam diſpoſitio neque per potentiam Dei abſolutam poteſt cauſare effectum formalem formæ principalis, ad quam diſponit; vt calor nequit facere, quòd lignum ſit ignis ſine forma ignis; quia lignum eſſentialiter conſtituitur in ſpecie ignis ſolùm per formam ignis, cùm ſola forma eſſentialiter det eſſe ſpecificum rei, vt dicitur in eius definitione, definitio autem eſt eſſentia; & ideo quæ competunt ex definitione, eſſentialiter competunt; ergo actus charitatis, & pœnitentiæ neque de potentia Dei abſoluta poſſunt formaliter iuſtificare, quia diſpoſitio nequit præſtare effectum formalem formæ, ad quam diſponit, vt eſt manifeſtum.

8 Prob. 3. *à Fund. Doct. vbiſ. ex Beatiſſ. P.* Diuiſio inter filios Dei, & filios perditionis nequit haberi à ſola charitate ſine gratia; ſed iuſtificatio diuidit inter filios Dei, & filios perditionis; ergo iuſtificatio nequit haberi à ſola charitate ſine gratia. Prob. ma. Filij Dei, & filij perditionis differunt in hoc, quòd illi ſunt Deo grati; iſti verò odio habiti; ſed implicat, quòd aliquis ſit Deo gratus ſine gratia, ſicut charus ſine charitate, iuſtus ſine iuſtitia; ergo diuiſio inter filios Dei, & filios perditionis nequit haberi à ſola charitate ſine gratia. Mi. patet ex dictis; nam iuſtificatio formaliter facit filios Dei adoptiuos. Hęc ratio fundatur in illo principio: *Idem eſt conſtitutiuum, & diſtinctiuum.*

9 Prob. 4. Implicat, quòd actus charitatis, aut contritionis recipiatur immediatè in anima, tanquam in ſubiecto; ergo implicat, quòd actus charitatis, aut contritionis ſit cauſa formalis iuſtificationis. Prob. ant. Actus charitatis, & contritionis eſt eſſentialiter immanens; ſed implicat, quòd actus eſſentialiter immanens recipiatur

immediatè extra potentiam elicientem; ſic enim eſſet tranſiens à potentia, non manens intra potentiam; ergo implicat, quòd actus charitatis, aut contritionis immediatè recipiatur in anima. Prob. conſ. Iuſtificatio immediatè recipitur in anima; quia recipitur in eo, quod dealbatur; anima autem eſt huiuſmodi, tum quia recipitur in eo, in quo eſt macula peccati tollenda per iuſtificationem; nam *privatio, & forma oppoſita habent fieri circa idem*; macula autem peccati immediatè eſt in anima, quæ dicitur maculata, immunda &c., tum quia gratia habitualis immediatè eſt in anima; vt probatum eſt *in ſup. q. art. 1.*, ergo implicat, quòd actus charitatis, & contritionis ſit cauſa formalis iuſtificationis.

10 Prob. 5. Implicat per quancunque potentiam, quòd detur effectus formalis ſine cauſa formali; vt eſſe album ſine albedine, rationale ſine rationalitate &c., ergo implicat, quòd iuſtificatio ſit effectus formalis actus charitatis, & contritionis; nam iuſtificatio poteſt dari ſine actuali dilectione Dei, & ſine actuali contritione; vt patet in dormientibus, vel non habentibus actualiter actum charitatis; & contritionis; non enim dormientes, aut non habentes actum charitatis, & contritionis deſinunt eſſe iuſti.

11 Prob. 6. Implicat, quòd effectus formalis vnius formæ cauſetur ab alia forma ſpecie diuerſa; nam *eſſentia rerum ſunt impermixta*; quia nequeunt ſe immiſcere effectibus formalibus ad inuicem; ideo repugnat, quòd albedo det eſſe nigrum, nigredo eſſe album &c., ſed iuſtificatio eſt effectus formalis gratiæ habitualis: vt docet *Trident.*, & fatentur *Aduerſarij*; ergo implicat, quòd ſit effectus formalis charitatis, quæ eſt ſpecie diuerſa à gratia habituali; eſt enim formaliter ex natura rei diuerſa, vt docent etiam *Scotiſtæ*, qui tantùm nobiſcum contendunt non eſſe realiter diſtinctam.

12 Obijc. 1. *Vaſq. Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm; Io. 14. Si diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. 1. Pet. 4. Charitas operit multitudinem peccatorum; Trid. ſeſſ. 6. c. 7. Charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iuſtificantur, atque illis inhæret; & Beatiſſ. P. de natur., & grat. c. 42. Charitas veriſſima, pleniſſima, perfectiſſima iuſtitia eſt; & de Trinit. vbiſ. Sola diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ*; & eodem modo loquuntur alij SS. PP., ergo ſola charitas iuſtificat; nam remittere peccata, conſequi manſionem Dei, & illius filiationem eſt iuſtificare. 2. Viſio beata habet iuſtificare, quia habet emundare à peccato, quod eſt incompoſſibile cum illa; ergo à fortiori charitas ei annexa, quæ magis facit vnum cum Deo. Prob. ant. Si aliquis peccator aſſumeretur ad beatitudinem, viſio beata ſtatim illum iuſtificaret. 3. Diligens Deum habet Deum in ſe, quia charitas transformat in Deum; ſed habere Deum in ſe eſt iuſtificari; in tantùm enim gratia iuſtificat; in quantùm habens gratiam habet ſemen Dei in ſe · ergo dilectio Dei formaliter iuſtificat. 4. Qui diligit Deum amore amicitiæ, diligitur à Deo; ſed non diligitur, niſi iuſtificatus; ergo dilectio iuſtificat. 5. Contritio tollit peccatum; quia contritio, quæ eſt conuerſio in Deum, tollit auerſionem, quæ eſt peccatum; *vnumquodque enim tollitur per ſuum oppoſitum*; ſed tollere peccatum eſt iuſtificare; ergo contritio iuſtificat. 6. Conuerſio actualis in Deum eſt perfectior, quàm habitualis per gratiam, quia perfectiùs adhæremus obiecto per actum, quàm per habitum; ſed conuerſio habitualis iuſtificat; ergo & actualis. 7. Homo per actum contritionis, & charitatis reddit Deo, quod ei abſtulit, quia reddit rationem vltimi finis, quam ei abſtulerat per peccatum; ergo ſatisfacit iuſtitiæ pro peccato, & per conſequens iuſtificatur.

Reſp. hæc omnia diſſolui vnica reſponſione ſuperiùs allata ex *Fundat. Doct.*, ſcilicet charitatem, & contritionem ratione gratiæ habitualis, quam habent annexam, remittere peccata, iuſtificare &c; nam cùm actus charitatis, & contritionis perfectæ præſupponat habitum charitatis, & habitus charitatis ſit proprietas ipſius gratiæ habitualis, vt diximus *in ſup. quæſt. art. 2.* ideo ratione gratiæ annexæ iuſtificat. Ad 1. igitur dicitur *Scripturas* intelligi diſpoſitiuè, *idèſt* ratione gratiæ, cui annectitur iuſtificat; vt patet ex eadem *Scriptura in textibus ſuperiùs* allatis; nulla enim verior explicatio *Scripturæ*, quàm illa, quæ habetur per ipſam *Scripturam*. Ad *Beatiſs. P.* dicitur loqui de charitate gratia formata, quæ iuſtificat ratione ipſius gratiæ, quod manifeſtè tradit *de dono perſeuer. c. 8. Non itaque in hominum; ſed in Dei eſt poteſtate, vt habeant homines poteſtatem filij Dei fieri. Ab ipſo quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat fidem, quæ operetur per dilectionem; & de Prædeſtin. Sanctor. c. 5. Habere autem fidem, quemadmodùm habere charitatem gratia eſt fidelium*: ex quibus patet charitatem ſupponere filiationem Dei, & gratiam, & ideo ſupponere iuſtificationem; ſolus enim iuſtus eſt filius Dei, & Deo gratus. Ad 2. diſt. antec. Viſio beata habet iuſtificare ratione ſui; neg; ratione gratiæ habitualis conſummatæ, cui annectitur, conc. Ad prob. dicitur, quòd peccator aſſumptus ad beatitudinem Iuſtificaretur ratione gratiæ habitualis, cui annectitur viſio. Ad 3. dicitur, quòd diligens Deum dilectione perfecta habet habitum charitatis, & per conſequens gratiam, quæ charitati annectitur; vnde diligens Deum habet Deum in ſe in eſſe effectiuo; per gratiã autẽ in eſſe entitatiuo. Diſt. igitur mi. Habere Deum in ſe in eſſe affectiuo eſt iuſtificari, neg; in eſſe entitatiuo, conc; ſed in hoc ſenſu neg. ma. Ad 4. diſt. min. Diligitur à Deo,

qua-

quatenus iuſtificatus per gratiam, conc; ſecus, neg. Ad 4. eodem modo. Contritio tollit peccata immediatè ratione ſui, neg; ratione gratię, quam inuehit, conc. Ad probat. inſert. dicitur, quòd contritio eſt actualis conuerſio in Deum, & ideo tollit ſolùm auerſionem actualem à Deo; peccatum autem eſt macula relicta in anima per auerſionem; & ideo non tollitur, niſi per gratiam, quæ à contritione diſpoſitiuè inducitur in animam. Ad aliud dicitur, quòd tollere peccatum habituale, ſeu maculam peccati eſt iuſtificare; non autem tollere peccatum actuale. Ad 6. neg. ma; nam conuerſio actualis in Deum eſt effectus conuerſionis habitualis, effectus autem nequit eſſe perfectior ſua cauſa; & quanuis auerſio actualis à Deo ſit prior, quàm auerſio habitualis; attamen non currit paritas de conuerſione; quia auerſio habitualis eſt effectus auerſionis actualis; effectus autem poteſt eſſe imperfectior ſua cauſa, non perfectior; at in conuerſione è contra ſe habet, vt dictum eſt. Ad 7. eodem modo diſt. antec. Per actum contritionis formatę per gratiam, conc; ſine gratia, neg; nam ſine gratia nequit haberi actus contritionis perfectæ. Seu diſpoſitiuè, conc; formaliter, neg.

13 Inſt. 1. Actus dilectionis eſt quædam animi ſanctitas; vnde magis ſanctus eſt, qui habet habitum, & actum charitatis ſimul, vt adultus; quàm qui habet ſolum habitum, vt paruulus; ſed ſanctitas ratione ſui habet ſanctificare, & ideo remittere peccata; ergo actus dilectionis habet remittere peccata. 2. Dolor deteſtatiuus peccati ex ſua natura remittit peccatum, vt *inf.* dicemus *in 4. in tract. de pœnit.*, ideo pœnitentia ratione ſui eſt ſatisfactiua, & deletiua peccati; ergo actus pœnitentiæ eſt iuſtificatiuus. 3. *Trid. ſeſſ. 6. c. 7.* docet hominem iuſtificari per voluntariam gratiæ ſuſceptionem; ſed voluntaria ſuſceptio eſt actus voluntatis; ergo per actus voluntatis iuſtificatur.

Reſp. etiam hæc ſolui eodem modo; actus enim dilectionis eſt ſanctitas diſpoſitiuè, vel participialiter; ſic dolor, & ſuſceptio voluntaria diſpoſitiuè remittunt peccata, vt docet *idem Conc.*

14 Obijc. 2. *Maſtr.* cont. 2. part. concl. Peccatum mortale poteſt remitti de potentia Dei abſoluta abſque infuſione gratiæ, per ſimplicem condonationem; ergo multò magis poteſt remitti per actum contritionis. 2. Actus peccaminoſus, quanuis tranſiens, facit hominem impium; ergo actus contritionis, quanuis tranſiens, poteſt efficere hominem iuſtum. 3. Debitum habendi gratiam poſſet commutari in debitum habendi actum contritionis, nulla enim apparet implicantia; ſed de facto homo iuſtificatur per gratiã; quia peccatum dicit carentiam gratiæ cum debito illam habendi; ergo de poſſibili iuſtificaretur per contritionem; quia in caſu peccatum diceret carentiam contritionis cum debito illam habendi; priuatio enim tollitur per formam oppoſitam. 4. Ideo requiritur gratia ad tollenda peccata, quia peccatum tria importat, ſcilicet auerſionem, offenſam, & reatum pœnæ æternæ; ſed de potentia Dei abſoluta hæc tria poſſunt tolli per actum contritionis. 1. Quia contritio eſt conuerſio in Deum, & per conuerſionem tollitur auerſio, & eſt deteſtatio obiecti peccaminoſi, & per talem deteſtationem tollitur conuerſio ad creaturam. 2. Quia contritio ſuppoſita acceptatione Diuina coniungit hominem Deo; & homo Deo coniunctus non eſt dignus, vt odio habeatur à Deo, ſed vt ametur iuxta *Io. 14. Qui diligit me, diligetur à Patre meo*; & ideo Deus non eſſet illi offenſus. 3. Reatus pœnæ ſequitur auerſionem, & offenſam; & ideo illis ſublatis hic quoque aufertur, ergo idem, quod priùs.

Reſp. hæc probare nedum de poſſibili, ſed etiam de facto, vt facile eſt videre; ſed hoc non admittit *Maſtr*, ideo nihil obtinet. Ad 1. diſt. ant. Poteſt remitti iuſtificatiuè, neg; non iuſtificatiuè, tranſeat. Remiſſio ergo iuſtificatiua ſine gratia haberi non poteſt. *Sed de hoc inf.* Ad 2. iam reſponſum eſt ad 6. primæ ſententiæ. Item dicitur, quòd auerſio actualis de facto facit hominem pium; ergo ſi argum. valeret, contritio de facto pium efficeret. Neg. ergo conſ; imò & ſuppoſitum; nam perfecta contritio nequit haberi ſine habitu charitatis, & habitus charitatis ſine gratia. Tandem hoc arg. prob. *cum Pelagianis*, quòd ſicut ad peccandum non indigemus gratia, ita nec ad nos conuertendos; quod reijcit *Beatiſſ. P.* illo celeberrimo effato *de corrup; & grat. c. 11. Ad malum ſibi ſufficit; ad bonum autem, nihil eſt, niſi adiuuetur ab omnipotenti bono.* Ad 3. neg. ma; & ſupp; quia nequit haberi contritio ſine gratia, vt dictum eſt; ſicut enim ſine principio radicali *quod* naturali, quod eſt natura, nequit haberi actus naturalis; quia natura definitur *principium operandi*; & implicat aliquem operari ſine principio operandi; ita ſine gratia, quæ eſt principium *quod* radicale actus ſupernaturalis, nequit haberi actus ſupernaturalis propter eandem rationem. Ad 4. neg. mi. Ad 1. prob. dicitur, quòd nequit dari perfecta conuerſio in Deum, niſi per perfectam charitatem; & charitas perfecta nequit eſſe ſine gratia habituali. Ad 2. neg. aſſumpt; Deus enim nequit acceptare, niſi delendo per gratiam maculam peccati, per quam homo eſt Dei inimicus; & per hoc ad 3; nam manente macula, & auerſione manet quoque pœnæ reatus.

ART. III.

An de potentia Dei abſoluta pecata remitti poſſint per ſolam condonationem extrinſecam abſque gratia?

1 HAEc quoque difficultas pendet ex dictis *art.1.* Si enim ſola gratia formaliter eſt iuſtificatio, & remiſſio peccatorum, iam Deus nequit remittere peccata ſine gratia, per ſolam condonationem extrinſecam; aliter remitteret ſine remiſſione, & faceret idem ſine ſe ipſo. Quia tamen *Auctores* multa congerunt circa hoc, ideo ſunt explicanda.

2 Prima ſententia putat peccatum in pura natura potuiſſe remitti ſine gratia ſanctificante; non autem in natura eleuata ad finem ſupernaturalem. *Ita Bellarm; Zum; Martinez*; quibus probabiliter adhærent *Vaſq; & Turrian.*

3 Secunda vult poſſe remitti peccata per ſimplicem condonationem extrinſecam abſque vlla forma remittente intrinſecè recepta in peccatore, & abſque vlla mutatione peccatoris, vel reſtituendo ipſum ad ſtatum puræ naturæ ſine vlla ſanctitate; vel etiam aliquo modo illum iuſtificando. *Ita Scot. cum omnibus Scotiſtis, vt teſtatur Maſtr. hic q.3. n.63*; qui refert etiam *D.Bon; OKam; Sua; Granad; Auerſ; Lezan; Cur; Coninch; Arriag; & alios*. His additur *ex noſtris Gibb*; qui refert etiam *noſter Argent*; ſed falsò; nam *hic Doctor in 3. diſt. 19. q. 1. art. 1. concl. 1.* probat gratiam eſſe principium formale expulſiuum peccati; effectum autem formaliter non poſſe dari ſine principio formali in eius doctrina compertum eſt. Refert etiam *Gabr; Io. Med; Nugnez. Philipp. à SS. Trin*; apud quem *Ferrar; Sot; & Ledeſm.* ſequuntur *Ouied; Arriag; & alij*.

4 Noſtra docet peccata ſine gratia remitti non poſſe per quancunque potentiam. *Ita Fund. Doct. locis cit. art.1; & diſt. 26. q.1. art.1; & diſt. 36. q.2. art. 2. dub. lat*; vbi ait, quòd *ſine gratia nulla fit remiſſio*; cùm ipſa eſſentialiter ſit remiſſio. Ita etiam *Argent. vbiſ; & ex alijs Albert. Magn; Capreol; Ric; Caiet; Conr; Bellarm; Vaſq; Val; Sot; Greg; Martinez; Amic; Gonet, Ferrar; Med; Io.à S. Thom; Turrian, Lorc; Monteſin; & alij communius.*

5 Vnica concl. Abſoluta Dei potentia nequit per ſimplicem condonationem extrinſecam remittere peccata.

Hæc concl. prob. iiſdem rationibus, quibus probata concl. *art. 1. n. 23; & 24; & art. 2. n.5; 6; & 10*; nam ſine gratia nequit haberi ſanctificatio; ergo neque remiſſio peccatorum. Antec. probatum eſt *in ſup. art.* Conſ. prob. In tantùm ſine gratia nequit haberi ſanctificatio etiam de potentia Dei abſoluta; in quantùm ſanctificatio eſt idem formaliſſimè, ac gratia, cùm ſit effectus formalis illius; ſicut eſſe album, & albedo; ſed etiam remiſſio peccatorum eſt formaliſſimè gratia; docet enim *Trid. ſeſſ. 6. c. 7. Iuſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renouatio interioris hominis*; quam doctrinam tradit *Beatiſſ. P. in pſ. 77.* vbi ſuper illud: *Non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius*; ait: *Dictum eſt ad ſignificandam gratiam, quæ non ſolùm operatur remiſſionem peccatorum, ſed etiam cooperantem ſibi facit hominis ſpiritum in opere bonorum factorum*; ergo ſine gratia nequit etiam de potentia Dei abſoluta haberi remiſſio peccatorum per ſolam condonationem extrinſecam; quia implicat ex parte facti; idem enim haberetur ſine ſe ipſo.

6 Prob. 2. *ex Act. 2. Agite pænitentiam, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Christi in remiſſionem peccatorum; & accipietis donum Spiritus S.* ſuper quod *Beatiſſ. P. ſerm. 11. de Verb. Domini in Matth.* poſt medium ait; quòd *ipſa remiſſio peccatorum, tanquam proprium, eſt opus Spiritus S. Patre ſanè, & Filio cooperantibus*; Ex quo ſic. Opus Dei ad extra importat eſſentialiter aliquod poſitiuum receptum in creatura; ſed remiſſio eſſentialiter eſt opus Dei ad extra; cùm ſit operatio totius Trinitatis; ergo importat eſſentialiter aliquod poſitiuum; atqui hoc poſitiuum nequit eſſe, niſi gratia, quæ ſola habet expellere peccata: ergo remiſſio eſſentialiter importat gratiam; ea antem, quæ eſſentialiter importantur, nequeunt de potentia Dei immutari; quia *eſſentiæ rerum ſunt eſſentialiter immutabiles*; & ideo nec de potentia Dei abſoluta nequeunt remitti peccata abſque gratia.

7 Prob. 3. Mors nequit tolli, niſi per vitam, etiam de potentia Dei abſoluta; vt de ſe notum eſt; ſed peccatum eſt mors animæ, & gratia eſt vita; ergo peccatum etiam de potentia Dei abſoluta nequit tolli, niſi per gratiam.

8 Conf. Nequit Deus etiam per potentiam abſolutam in ordine naturali transferre creaturam extra nihilum, niſi creando illius naturam ſub eſſe; ergo neque in ordine ſupernaturali poteſt transferre creaturam extra ſtatum peccati, niſi ponendo illam ſub eſſe ſupernaturali, quod ſine gratia fieri nequit, vt eſt manifeſtum; nomine enim gratiæ intelligimus qualitatem ſupernaturalem eleuantem creaturam ad eſſe ſupernaturale. Antec. patet, quia ſi creatura non acquirat aliquod eſſe, ſemper remanet nihil, & ideo non transfertur à nihilo. Conſ. prob; quia peccatum in ordine ſupernaturali eſt nihil; vt habetur *Io. 1. Sine ipſo factum eſt nihil*; idèſt *peccatum*; gloſſat *B.P. ibid*, & ratio eſt; quia peccatũ, ſicut nihil, in ordine ſupernaturali priuat creaturam eſſe ſupernaturali; ergo ſicut illud rectè dicitur nihil; ita & peccatum.

9 Prob. 4. euertendo ſententias oppoſitas. Si peccata poſſent remitti per ſolam condonationem extrinſecam ſine gratia, vel eſſet reducendo naturam ad ſtatum puræ naturæ; vt dicit 1. ſententia; vel etiam ſine gratia aliquo

modo

Digitized by Google

modo iuſtificando; vt ait *Maſtr.* cum 2. ſententia; ſed neutrum dici poteſt; ergo neque primum.

10 Prob. 1. pars mi. Status puræ naturæ, quem ſæpe repetunt *Recentiores*, eſt omnino fictitius; quia nec datur de facto; vt tenentur fateri illum aſſerentes, qui tenent Angelos, & *Adam* fuiſſe creatos in gratia, aut ſaltem cum aliquo dono ſupernaturali; nec dari poteſt etiam per potentiam Dei abſolutam; nam vt *alibi* diximus *cum Fund. Doct. ex Beatiſs. P;* ſi Deus faceret naturam rationalem ſine omni gratia, illa non poſſet abſtinere à peccato, ſed rueret in omnem immunditiam; & peccatum refunderetur in Deum Auctorem; nec Deus poſſet illam punire; hinc docet idem *Beatiſs. P. de corr. & grat. c.* 11. loquens de adiutorio *ſine quo non*, ſeu de gratia ſufficienti, cùm qua creata eſt natura Angelica, & humana, ait: *Si autem hoc adiutorium vel Angelo, vel homini, cùm primùm facti ſunt, defuiſſet; quoniam non talis natura facta eſt, vt ſine Diuino adiutorio poſſet manere; ſi vellet, non vtique ſua culpa cecidiſſent; adiutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſet;* ſed implicat Deum eſſe Auctorem peccati; nam Deus ſummè bonus eſt, & ideo nequit malum operari; & implicat non poſſe punire peccata; quia iuſtus eſt; & ideo habet vindicare omnem iniuſtitiam, quæ eſt peccatum; ſicut enim quia omnipotens eſt, implicat, quòd detur aliquod ens, quod ab ipſo creari non poſſit; ita quia iuſtus eſt, implicat, quòd detur aliqua iniuſtitia, quæ ab ipſo vindicari, & puniri non poſſit; nam ita omnipotentia reſpicit ens creabile, ſicut iuſtitia peccatum punibile; ergo implicat, quòd detur natura rationalis pura ſine omni gratia. Tum quia natura ſine omni gratia ſtatim omni iniquitate macularetur; non enim poteſt viribus naturæ vitari peccatum; vt diximus *ſuperiùs*; ergo non eſſet pura, ſed impura; & ideo implicat natura pura; nomine enim naturæ puræ intelligunt *Recentes* naturam ſine omni gratia, & ſine omni peccato. Tum quia implicat creaturam non ordinari eo modo, quo eſt eſſentialiter capax, in Deum, tanquam in vltimum finem; ſicut enim implicat res naturales rationis expertes non ordinari in Deum, vt in finem naturalem, quia eſſentialiter in illum ſunt ordinabiles; eadem enim eſt ratio de efficientia, & ordinatione in finem; quia Deus æquè eſt cauſa efficiens, & finalis omnium creaturarum, cùm ſit *Alpha, & Omega*; & ſicut implicat dari creaturam, quæ non ſit efficienter à Deo, quia ſecundùm ſuam eſſentiam dicit poſſe à Deo produci; ita implicat dari creaturam, quæ non ſit ordinata in Deum, tanquam in vltimum finem eo modo, quo poteſt ordinari ſecundùm capacitatem ſuæ eſſentiæ; ſed creatura rationalis eſt eſſentialiter capax ordinationis per gratiam in Deum, tanquam in finem ſupernaturalem; ergo implicat creatura non ordinata in Deũ per gratiam. Tum quia implicat creari creaturam rationalem rationis expertem; illa enim creatura eſſet rationalis ſine ratione, ſed creatura rationalis eſſentialiter reſpicit æterna; quia ratio diuiditur in rationem inferiorem, quæ reſpicit temporalia, & rationem ſuperiorẽ, quę reſpicit ęterna, vt docet *Beatiſs. P. lib. 1. de lib. arb. & Fund. Doct. in 2. diſt. 24. p. 2. q. 2. art. 4*; non quòd iſtæ duæ rationes differant realiter inter ſe, ſed quòd eadem ratio eſſentialiter eſt ordinabilis ad temporalia, & ad æterna; ergo implicat dari creaturam rationalem, quæ non ſit ordinata ad æterna; atqui ad æterna non ordinatur, niſi per gratiam; ſicut ad temporalia ordinatur per naturam; ergo implicat dari creaturam rationalem ſine gratia.

11 Dices ex hoc ſequi Deum neceſſitari ad conferendam gratiam creaturæ; quod eſt falſum; quia quæ Deus agit ad extra, agit liberè.

Reſp. neceſſitari ex ſuppoſitione, quòd velit creaturam rationalem creare; non tamen abſolutè, quia poteſt creaturam non creare, & ſic nec ei gratiam conferre. Quis enim non videat Deum non poſſe hominem creare, niſi dando ei exiſtentiam, rationalitatem &c; ex tamen hęc neceſſitas non præiudicat eius libertati; quia neceſſitas ſuppoſitionis illam non deſtruit, ſed neceſſariò cum illa connectitur; vt docet etiam *Phil*; quia creatura liberè actu eſt, & dum actu eſt, neceſſe eſt eſſe. Deus ergo eſt tantùm liber abſolutè, non ex ſuppoſitione. Ex hoc habetur non poſſe dari creaturam rationalem ordinatam tantummodo in Deum, vt eſt finis naturalis.

12 Prob. 2. eadem pars mi. *ex Fund. Doct. in 2. diſt.* 28. *quæſt.* 2. *art.* 1; nam etiam omiſſo hoc figmento ſtatus puræ naturæ adhuc non ſequitur poſſe Deum remittere peccata per condonationem extrinſecam ſine gratia intrinſecè recepta in creatura; nam quanuis poſſit Deus à primordio creare creaturam ſine omni gratia, & ſine omni peccato; non tamen ſequitur ex hoc, quòd poſſit creaturam iam maculatam à peccato, vt de ea loquimur *in præſenti*, reducere ad ſtatum puræ naturæ ſine gratia; hæc enim duo quantùm inter ſe diſtent, non eſt, qui non videat; & ideo vnum non ſequitur ex alio. Prob. ſeq. Creatura per peccatum fit formaliter Deo ingrata, infenſa, & auerſa; quia peccatum formaliter eſt carentia gratiæ, eſt offenſa, & auerſio à Deo; ſed ſolùm per gratiam fit formaliter grata, tollitur offenſa, & conuertitur radicaliter, ſeu vt loquuntur, *habitualiter* in Deum; ergo ſolùm per gratiam poteſt tolli peccatum.

13 Dices creaturam in tali caſu non eſſe Deo gratam, nec ingratam, ſed indifferentem.

Sed contra eſt; nam quanuis paries poſſit eſſe indifferens ad albedinem, vel nigredinem, quia dantur colores medij, ſub quibus poteſt eſſe; attamen nequit eſſe indifferens ad albedinem, & illius priuationem; quia eo ipſo, quòd albedo

albedo non eſt in pariete, adeſt priuatio illius; quia priuatio albedinis non eſt, niſi non eſſe albedinis cum capacitate ad illam habendam; ergo non tollitur non eſſe gratum, niſi per gratiam; quia quandiu abeſt gratia, manet non eſſe gratum. Tum quia ſicut nequit dari à parte rei creatura, quæ nec ſit creata, nec non creata à Deo, ſed indifferenter ſe habeat ad creationem, & non creationem; ita nequit dari creatura à parte rei, quæ non ſit ordinata, & conuerſa in Deum, nec non ordinata, & non conuerſa; ergo repugnat hæc indifferentia. Et ſicut nequit dari aer, qui non ſit vel lucidus, vel tenebroſus; ita nequit dari creatura rationalis, quæ non ſit vel illuminata per gratiam, vel obtenebrata per peccatum; nam gratia eſt lux animæ, & peccatum tenebræ; vt habetur *Epheſ.5. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Vid. rationes adductas q.2.art.4.*

14 Item prob. eadem pars à *Fund. Doct. ibid.* Creatura per peccatum expoliatur, & vulneratur; peregrinus enim deſcendens *ab Ieruſalem in Iericho* eſt figura peccatoris, qui per peccatum expoliatur gratia, & vulneratur; vt docet *B.P. ſerm 2. de Verb. Apoſt.* ſed nunquam tollitur expoliatio, & nuditas, niſi veſtiatur gratia; ſicut non tollitur vulnus, niſi infundatur oleum, quod eſt gratiæ figura; quandiu enim nulla fiat mutatio intrinſeca in peccatore; ſemper manet peccatum; ergo ſine gratia nequeunt tolli peccata. Ex hoc ſequitur, quòd niſi infundatur gratia, manet reatus ad pœnam æternam, quia manet peccatum, quod importat eſſentialiter talem reatum; & ideo nequit Deus condonare reatum ad pœnam æternam ſine gratia, quæ ſola ſoluit talem reatum; ex quo reijcitur *Maſtr.* aſſerens poſſe Deum condonare peccata ſine infuſione gratiæ; quia putat peccatum importare ſolum reatum ad pœnam æternam; quod reiecimus *de pecc. q. art.* cæterùm hoc etiam omiſſo non ſequitur, quod *hic* intendit.

15 Prob. 2. pars mi. quæ minùs tolerabilis eſt. Sine ſanctitate repugnat creaturam eſſe ſanctam formaliter; ſed gratia eſt ſanctitas; ergo ſine gratia repugnat creaturam eſſe ſanctam formaliter. Prob. ma. Sine albedine repugnat parietem eſſe album formaliter; ergo à pari. Mi. expreſsè habetur *in Trid. Vid. rationes allatas art.1. & 2*; hoc enim probant directè.

16 Obijc. 1. *Maſtr.* Quidquid facit Deus ad exigentiam naturæ, poteſt facere pro ſua mera libertate, vt patet in humanis, in quibus Rex poteſt non rogatus facere, quidquid poteſt facere rogatus; ſed ad exigentiam gratiæ remittit peccata, ergo etiam per ſolam condonationem extrinſecam. 2. Poteſt Deus remittere debitum ſatisfaciendi iniuriæ ſibi illatæ, quia cùm ſit ſupremus Dominus, poteſt cedere iuri ſuo non minùs, ac homo creditor poteſt relaxare debitum debitori. 3. In iuſtificatione ſunt duæ mutationes realiter diſtinctæ, ſcilicet quibus peccator tranſit de non eſſe grato ad eſſe gratum, & de eſſe peccati ad non eſſe peccati; ergo poterit Deus facere, quòd tranſeat de eſſe peccati ad non eſſe peccati abſque eo, quòd tranſeat de non eſſe grato ad eſſe gratum. 4. Poteſt homo remittere alteri iniuriam, & fieri illi pacatum, ac amicum abſque impreſſione alicuius qualitatis; ergo & Deus. 5. Poteſt Deus conſtituere aliquem Imperatorem, vel Pontificem abſque impreſſione alicuius qualitatis; ergo eodem modo poteſt facere ſibi amicum, & filium adoptiuum. 6. Poteſt Deus abſque gratia remittere iniuriam, & offenſam, & tollere inimicitiam cedendo iuri ſuo; nec non tollere auerſionem à ſe per actum Diuinæ dilectionis extrinſecum creaturæ; quia ipſa dilectio Diuina eminenter continet gratiam, & ideo ſicut gratia poteſt tollere debitum; ita & dilectio; imò & tollere ipſam priuationem gratiæ illam reddendo puram negationem, vt eſſet in ſtatu puræ naturæ, quia poteſt tollere debitum habendi gratiam, per quod conſtituitur formaliter in ratione peccatoris; ſicut in nobis priuatio iuſtitiæ originalis non eſt peccatum, quia per gratiam baptiſmalem ſublatum eſt debitum illam habendi; ergo idem, quod priùs. 7. Poteſt Deus tollere gratiam ab homine iuſto; ſed ille remaneret inſtus, & amicus Dei, quia nihil haberet odio dignum; ergo carentia gratiæ poteſt eſſe ſine peccato. Prob. ma. Deus liberè producit, & conſeruat gratiam; ergo per ſuſpenſionem ſui concurſus conſeruatiui poteſt illam tollere. 8. Poteſt Deus acceptare actiones naturales hominis per ordinem ad beatitudinem; ſed in tali caſu eſſet à Deo dilectus ſine gratia; ergo ſine gratia poteſt eſſe Deo acceptus. 9. Homo in puris naturalibus eſt Deo acceptus, quia non haber peccatum, per quod ſit dignus odio, ſed eſt naturaliter bonus; iſta tamen dilectio, & acceptio non eſt digna vita æterna; ergo poteſt dari non eſſe peccati ſine gratia.

Reſp. hęc omnia fundari in falſo ſuppoſito; ſupponſit enim remiſſionem peccati eſſe aliquod diſtinctum à gratia, quod eſt falſum, vt ſupra probatum eſt, & *cont. Trident.* aſſerens, quòd iuſtificatio eſt *remiſſio peccatorum, & renouatio creaturæ*; iuſtificatio autem nihil aliud eſt, quàm ipſa gratia iuſto communicata. Ad 1. igitur diſt. ma. Si illud, quod concedit, diſtinguatur ab illo, quod exigit, tranſeat; ſed in hoc ſenſu neg. mi; nam remiſſio peccatorum non diſtinguitur ab ipſa gratia; ſi non diſtinguatur, neg. Ad 2. diſt. aſſumpt. Poteſt Deus remittere debitum ſatisfaciendi tollendo culpam per gratiam, conc; non tollendo culpam, neg; Deus enim, prout iuſtus, debet exigere ſatisfactionem cuiuſcumque iniuſtitiæ. Ad 3. neg. ant. vt *ſup.* dictum eſt. Ad 4. quod eſt principale, quod iactent *Aduerſarÿ*, omiſſis diſparitatibus, quæ communiter afferri

ſolent,

ſolent, ſcilicet, quòd amor Dei eſt efficax, humanus verò inefficax, & ideo ille producit gratiam; iſte verò nequaquam; & ſimiliter diſt. ant. Poteſt homo remittere iniuriam in foro externo, conc; in foro interno, & coram Deo, neg. Iniuria ergo in foro externo non eſt, niſi quid externum exiſtens in hominum exiſtimatione, & ideo poteſt tolli per condonationem externam; iniuria autem in foro interno, & reſpectu Dei nequit tolli, niſi per aliquod internum, & ideo niſi per gratiam. Ad 5. Omiſſo ant. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia dignitas imperialis, & pontificia importăt tantùm poteſtatem iuriſdictionis externæ, vt patet; amicitia autem, & filiatio adoptiua importat ſimilitudinem naturæ; natura autem eſt quid internum. Ad 6. neg. ant. Deus enim ſolùm poteſt cedere iuri ſuo tollendo culpam per gratiam, non autem manente culpa, ſic enim non eſſet iuſtus, vt *ſup.* dictum eſt, nec poteſt tollere auerſionem per dilectionem extrinſecam, quia auerſio eſt intrinſeca creaturæ; & ideo nequit tolli per aliquod extrinſecum. Neque poteſt tollere priuationem, niſi per formam illi oppoſitam; quæ eſt gratia. Ad aliud de iuſtitia originali dicitur, quòd tollitur debitum illam habendi, quia per gratiam Chriſti tollitur peccatum originale, & ideo tollitur priuatio iuſtitiæ originalis, in qua conſiſtit peccatum originale, & quia cum illa priuatione coniunctum eſt debitum habendi iuſtitiam originalem, ideo tollitur etiam ipſum debitum. At verò debitum nequit auferri, niſi auferatur etiam ipſum peccatum, quod tollitur ſolùm per gratiam. Et ratio *Fund. Doct.* eſt, nam ſi quis haberet debitum tranſeundi flumen per nauim, amiſſa autem naui fieret pons, quo faciliùs flumen tranſitur, tunc ceſſaret debitum tranſeundi flumen per nauim, quia poſſet faciliùs tranſiri per pontem. Sic iuſtitia originalis erat id, quo poteramus tranſire ad vitam æternam; amiſſa autem illa per peccatum *Adæ* nobis reſtituta fuit gratia Chriſti, qua facilius, quia potentior eſt, tranſimus ad vitam æternam, & ideo per illam abſoluimur à debito trăſeundi per iuſtitiam originalem. Ad 7. neg. ma; Deus enim, quia iuſtus eſt, nequit priuare iuſtum ſua iuſtitia; hęc enim iniuſtitia eſſet, niſi interueniat culpa ipſius hominis. Ad 8. diſt. antec. Liberè producit, & conſeruat gratiam abſolutè, & ſimpliciter, conc; ex ſuppoſitione, quòd creatura nullum obicem ponat gratiæ, neg; ſic enim eſſet iniuſtus, ſi ſubtraheret gratiam iuſto. Ad 9. neg. ma. quia actiones naturales nullo modo ſunt dignæ vita æterna; acceptare autem, tanquam dignum, id, quod non eſt dignum, eſt falſi, quod repugnat ſummæ Sapientiæ. Ad 10. neg. ſtatus puræ naturæ, vt dictum eſt. Præterea dicitur, quòd homo in tali ſtatu non eſſet dilectus dilectione ſupernaturali, ſed naturali, ſicut diliguntur res naturales, quæ dilectio terminatur ſolùm ad exiſtentiam rei in rerum natura; neg. tamen, quòd homo à ſtatu peccati poſſit ad illum ſtatum transferri ſine gratia, vt diximus.

17 Obijc. 2. *noſter Gibb.* Deus poteſt extinguere omne debitum morale contractum à creatura; vt patet de debito cŏtracto per votum, matrimonium &c; ergo poteſt tollere à peccatore debitum habendi gratiam; ſed in tali caſu priuatio gratiæ fieret negatio; vt patet in condonante debitum debitori; & negatio gratiæ non eſt peccatum; ergo poteſt tollere peccatum ſine gratia. 2. Si ponatur æqualis ſatisfactio, tollitur peccatum; ſed actus condonationis extrinſecæ æquiualet ſatisfactioni ipſius peccati; ergo idem, quod ſupra. 3. Poteſt Deus anihilare peccatorem, & ipſum reproducere ſine gratia; ſed in tali caſu eſſet ſine peccato; aliter tribueretur Deo; ergo poteſt remittere peccatum ſine gratia.

Reſp. ad 1. diſt. ant: Poteſt extinguere omne debitum tollendo debiti vinculum, vt tollendo votum extinguit debitum, quod fundat votum; conc; relinquendo vinculum debiti, neg; cùm autem vinculum debiti habendi gratiam ſit peccatum, & peccatum non tollatur, niſi per remiſſionem, quæ eſt formaliter gratia; ideo tantùm per gratiam poteſt tollere debitum illam habendi. Ad 2. dicitur, quòd ſatisfactio ſe tenet ex parte debitoris, non creditoris; condonatio autem extrinſeca non ſe tenet ex parte debitoris, quia eſt illi extrinſeca. Igitur neg. mi. Ad 3. neg. 2. pars ma. ob rationes *ſuperiùs* allatas; & ſic ſoluitur atgiquod *ab aliquibus* putatur conuincens.

18 Obijc. 3. Quoties aliqua duo non opponuntur immediatè, ſed inter illa datur aliquod medium; tunc poteſt tolli vnum non poſito alio, quia poteſt poni medium; v. g. quia albedo, & nigredo non opponuntur immediatè, habent enim colorem medium; ideo poteſt tolli albedo abſque eo, quòd ponatur nigredo; poteſt nanque poni color medius; ſed gratia, & peccatum non opponuntur immediatè; datur enim medius ſtatus puræ naturæ; ergo poteſt tolli peccatum abſque eo, quòd ponatur gratia.

Reſp. 1. neg. mi. 2. Gratis admiſſo ſtatu puræ naturæ, in quo magnam vim faciunt *Aduerſarij*, dicitur illum non eſſe medium inter peccatum, & gratiam; quia peccatum priuatiuè opponitur gratiæ, & ideo immediatè; & vt exemplo propoſito vtamur, dicimus, quòd licèt inter albedinem, & nigredinem; quæ ſunt formæ poſitiuæ, detur medium; attamen inter nigredinem, & priuationem illius non datur medium, & ſic de albedine; vnde quando ponitur color medius, tollitur vtique albedo; non tamen tollitur priuatio nigredinis, quæ coniuncta erat cum albedine; remanet enim coniuncta cum colore medio. Status ergo peccati cùm non ſit poſitiuus, ſed priuatiuus, quia peccatum eſt

pura

pûra priuatio gratiæ; ideo quanuis eſſet poſſibilis ſtatus puræ naturæ; attamen non eſſet medius inter peccatum, & gratiam; & ideo nunquam poſſet homo transferri de ſtatu peccati ad ſtatum puræ naturæ, quia ſemper transſerretur priuatio gratiæ; ſicut cùm paries transfertur de nigredine ad flauedinem, ſemper transſertur priuatio albedinis. Quanuis igitur contraria poſitiuè oppoſita poſſint tolli per medium; attamen oppoſita priuatiuè nonniſi ad inuicem tolli poſſunt.

A R T. IV.

An gratia habitualis, & peccatum poſſint ſimul eſſe?

1 DEciſio pariter huius quæſiti colligitur ex dictis *in ſup. articulis*, & probatur iiſdem rationibus; vt tamen appareat varietas ſententiarum, ad formam redigenda eſt.

2 Certum eſt 1. *apud omnes* peccatum veniale ſtare ſimul cum gratia habituali in eodem ſubiecto; & ideo ſermo eſt tantùm de peccato mortali. 2. Certum eſt de potentia Dei ordinaria non poſſe eſſe ſimul; & ideo controuertitur ſolùm de potentia extraordinaria, & abſoluta ab hoc ordine, quem Deus dedit rebus de facto, in quo dicunt *Aduerſarij* voluiſſe gratiam expellere peccatum, & è contra. 3. Conſtat ex dictis aliquam gratiam actualem eſſe ſimul cum peccato; nam fides procul dubio eſt gratia *ſecundùm Apoſt*; & tamen manet in peccatore fideli; non enim deſtruitur, niſi per infidelitatem, quæ illi opponitur; idem dicendum de ſpe; non enim per quodcunque peccatum inducitur deſperatio, per quam ſolùm tollitur fides; item in peccatore dantur multæ inſpirationes ſupernaturales tam ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis, imò etiam in infidelibus, antequam veniant ad fidem; quæ inſpirationes ſunt gratiæ actuales, vt diximus *quæſt.2. art.1; & ſeq.* loquimur ergo de gratia habituali, quanuis intelligi poſſit etiam de gratia actuali perfecta, quæ eſt actus gratiæ habitualis; & quærimus; an gratia habitualis poſſit ſimul cum peccato tam habituali, quàm actuali coniungi?

3 Prima ſententia vult non repugnare gratiam ſimul eſſe cum peccato ſiue habituali, ſiue mortali. *Ita Scot. in 1. diſt.17. in ſelect. quæſt.1; & in 2. diſt.28; & 35. quæſt.1; & in 4. diſt.1. qu.1. ad 5; & ſæpe alibi.* Sequuntur *Scotiſtæ, vt Fab; Vulp; Ponc; Aretin; & alij apud Maſtr. in 3. diſp.7. quæſt.2;* qui tamen *num.48; & ſeq.* ait hanc ſententiam intelligendam eſſe de gratia materialiter, vt qualitas eſt, non de gratia formaliter, vt gratia eſt; nam gratia, vt gratia eſt, formaliter ſubſtat Diuinæ ordinationi, & includit remiſſionem culpæ, vt effectum ſibi debitum ſiue ex natura rei, ſiue ex ordinatione Diuina, & reddit hominem gratum, ſanctum, filium, & amicum Dei; atque adeo cum ipſa nequit ſtare peccatum. Remanet ergo peccatum ſolummodò compoſſibile eſſe cum gratia materialiter ſumpta, vt qualitas eſt. Addit *Maſtr. omnes Sectatores* huius ſententiæ ita illam intelligere, vno excepto *Poncio*. Refertur etiam *D. Bon; Gabr; OKam; vterque Med; Zum; Cur; Suar; Leſſ; Coninch; Tanner; Bellarm; Ouied; Arriag; & ex noſtris M. Corneius apud Gibb;* quanuis non omnes ex eodem motiuo; nam *Scotiſtæ*, probant ex eo, quòd gratia non opponitur peccato phyſicè, & ex natura ſua, ſed tantùm moraliter ex Diuina ordinatione; vnde quia Deus liberè ordinauit, vt gratia expellat peccatum; ſequitur, quòd potuerit hoc non ordinare, in quo caſu peccatum non expelleretur à gratia, & ideo eſſent ſimul. *Vid. Maſtr. vbi ſ. n.47. Suar; verò & alij* volunt poſſe ſimul eſſe, quia expellere peccatum eſt effectus ſecundarius gratiæ, qui poteſt à Deo impediri; ſicut quia penetratio eſt effectus ſecundarius quantitatis, ideo poteſt à Deo impediri.

4 Secunda vult gratiam habitualem de facto eſſe ſimul cum peccato actuali pro vno inſtanti, quia priùs homo peccat, & poſtea Deus ſubtrahit gratiam; non tamen poſſe eſſe ſimul cum peccato habituali. *Ita Lorc. hìc diſp. 40; & 12. diſp.22.*

5 Noſtra docet gratiam per nullam potentiam poſſe ſimul eſſe cum peccato ſiue habituali, ſiue actuali. *Ita Fund. Doct. Quodl.2. q.28; & in Opuſc. de defectu, & deuiat. malorum culpa à Verbo c. 3; & ſæpe alibi.* Sequuntur *noſtri Argent. in 3. diſt.39. qu.1. art.1. concl.1; Arag. 2.2. qu.24. art. 10; M. Bernardin; Ger; & alij quamplures.* Ex exteris autem idem ſentiunt *omnes Thomiſtæ communiter, & Neoterici Vaſq; Granad; Monteſin; Amic; Eſparza, & alij*; ex quo deducitur hanc ſententiam ferè *ab omnibus* ſubſtineri *contra Scotiſtas, & alios paucos* illis adhærentes, quos retulimus.

6 Vnica concl. Repugnat gratiam habitualem etiam per potentiam Dei abſolutam ſimul eſſe cum peccato ſiue ſit habituale, ſiue ſit actuale.

Prob. 1. *ex Scripturis ſuperiùs* allatis. Repugnat etiam per potentiam Dei extraordinariam remiſſio, & non remiſſio ſimul coniungi in eodem ſubiecto; quia repugnat, quòd eſſe, & non eſſe; priuatio, & forma ſint ſimul in eodem ſubiecto, aliter de quacunque re verificari poſſent affirmatio, & negatio, quæ ſunt contradictoria; etenim eſſe fundat affirmationem, non eſſe negationem, vt eſt de ſe manifeſtum, hoc autem eſt contra vniuerſaliſſimum principium communiſſimè admiſſum in metaphyſica, quo nihil eſt notius; ſed gratia habitualis

lis

lis *ex Trid., & Batiſs. P.* eſt formaliter remiſſio peccatorum; peccatum autem eſt non remiſſio; quandiu enim eſt peccatum, eſt non remiſſum; ergo implicat, quòd gratia habitualis, & peccatum ſint ſimul. 2. Implicat, quòd vita, & mors ſint ſimul in eodem ſubiecto; quia implicat, quòd aliquod ſit ſimul viuum, & mortuum; nam vita dicit exiſtentiam animæ in ſubiecto, & mors priuationem illius; implicat autem, quòd forma, & priuatio eiuſdem formæ ſint ſimul, quia ſimul eſſent eſſe, & non eſſe; ſed gratia habitualis eſt vita animæ, & peccatum eſt mors, vt diximus *ex Beatiſs. P.*, ergo idem, quod priùs. 3. Ita implicat, quòd iuſtitia, & iniuſtitia ſint ſimul; ſicut implicat ſimul eſſe lucem, & tenebras, vt habet *Apoſt. 2. Cor. 6. Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate; aut quæ ſocietas lucis ad tenebras*; ſicut enim iniuſtitia eſt priuatio iuſtitiæ; ita tenebræ ſunt priuatio lucis; ſed gratia habitualis eſt formaliter iuſtitia, & peccatum eſt formaliter iniuſtitia; ergo implicat, quòd gratia, & peccatum ſint ſimul. Sic dicendum de pietate, & impietate; de amicitia, & inimicitia; de puritate, & impuritate; de munditia, & immunditia; dignitate, & indignitate; ac de ſanctitate, & malitia; gratia enim eſt pietas, amicitia, puritas, mundities, dignitas vitæ æternæ, & ſanctitas; peccatum verò eſt impietas, inimicitia, impuritas, immunditia, & malitia. Tandem eodem modo opponũtur gratum, & nõn gratum: ac album, et non album; nulla enim differentia, quæ ſit apparenter rationabilis, poteſt aſſignari; ſed implicat aliquod ſubiectum eſſe ſimul formaliter album, et non album; quia haberet ſimul eſſe, et non eſſe albedinis; ergo implicat aliquod ſubiectum eſſe ſimul formaliter gratum, et non gratum; atqui per gratiam redditur formaliter gratum; et per peccatum formaliter nõ gratum; ergo implicat ſimul eſſe gratiam, et peccatum. Ex hoc manet reiectus modus dicendi *Poncij*.

7 Reijcitur *Lorc.* iiſdem rationibus. Præterea hæc propoſitio *Baij*: *Charitas etiam perfecta poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis*; fuit damnata *à Pio V.*, ergo et iſta: *Gratia habitualis poteſt conſiſtere pro aliquo inſtanti ſimul cùm peccato mortali*; nam gratia habitualis habet coniunctam inſeparabiliter charitatem perfectam, eſt enim proprietas illius; et peccatum mortale importat reatum æternæ damnationis; ergo ſi charitas perfecta nequit conſiſtere cum reatu æternæ damnationis; neque gratia habitualis cum peccato mortali. Item ita ſe habet corruptio nouæ creaturæ in ſupernaturalibus, quæ fit per peccatum; ſicut corruptio formæ antecedentis in naturalibus; ex naturalibus enim iuxta documẽtum *Apoſt.* in cognitionem ſupernaturalium poſſumus deuenire; ſed quamuis intendens corrumpere formam antecedentem priùs introducat priuationem illius prioritate naturæ, ſeu naturalis ſequelæ; quàm expellere formam antecedentem, quia priuatio eſt ratio formalis cauſatiua expulſionis, et cauſa eſt aliquo modo prior effectu; attamen non ſequitur, quòd priuatio formæ, & forma ſint ſimul pro aliquo inſtanti; ergo à pari. Tandem quamuis forma ſubſequens priùs ex parte agentis introducatur in materiam, quàm expellatur forma antecedens; agens enim per ſe, & primariò intendit producere nouum compoſitum; & ſecundariò deſtruere compoſitũ præcedens; vt dicitur communiter *in Phyſicis*, attamen pro nullo inſtanti duæ formæ ſubſtantiales dicuntur eſſe ſimul in eadem materia; nam vt ait *Fundat. Doct. in 3. diſt. q. art.*; ſe habent, vt clauus expellens clauum; in eodem enim inſtanti, quo vnus intrat, alter exit; ſic in eodem inſtanti, in quo introducitur vna forma in materiam, expellitur alia; et ſic dicendum de forma, et priuatione; ergo à pari loquendum eſt de gratia, et peccato.

8 Reijcitur modus dicendi *Maſtr.* Gratia, vt qualitas, non diſtinguitur realiter à ſe ipſa, vt gratia eſt; ſicut albedo, vt qualitas, non diſtinguitur realitèr à ſe ipſa, vt albedo eſt; nam ratio qualitatis in albedine, et gratia eſt ratio generis; et ratio albedinis, et gratiæ eſt ratio differentiæ contrahentis rationem genericam; genus autem, et differentia non diſtinguuntur realiter, tanquam res à re, vt fatetur *Scot*; ergo ſi gratia, vt gratia, nequit eſſe ſimul cum peccato, neque gratia, vt qualitas; nam quæ ſunt idem realiter, neque per potentiam Dei poſſunt ſeparari ita, vt vnum maneat ablato alio; ſeparatio enim realis eſt potiſſimum ſignum diſtinctionis realis; vnde quia animalitas, et rationalitas in homine ſunt idem realiter; impoſſibile eſt manere animalitatem hominis non manente rationalitate. Quòd ſi ex cadauere hominis generetur ſerpens, non dicitur in illo manere realiter animalitatem hominis, ſed generari animalitatem ſerpentis, quæ eſt alia realiter ab animalitate hominis; quamuis in ſententia *Scoti* non ſit alia formaliter. Quare ſi intelligat *Maſtr.*, quòd cum peccato coniungitur ratio qualitatis, quæ eſt alia realiter à qualitate gratiæ, hoc non eſt manere gratiam formaliter, de quo quæritur in præſenti. Sicut quando ex ligno generatur ignis, licèt maneat ratio ſubſtantiæ, quæ eſt genus ad lignum, et ignem; improprijſſimè diceretur manere lignum; ita licèt ratio qualitatis, quæ eſt genus ad gratiam, et peccatum, maneat cum peccato; improprijſſimè dicitur manere gratiam. Quamuis in noſtra ſententia, et etiam in ſententia *ipſius Maſtr.* aſſerentis peccatum conſiſtere in priuatione falſum ſit qualitatem eſſe genus ad gratiam, et peccatum; attamen hoc omiſſo ſequitur ex hoc modo dicẽdi tantùm id, quod dictum eſt; ex quo apparet *Aduerſarios* percipere repugnantiam, et ad diſtinctiones, quę nihil proſunt, confugere.

9 Reijcitur modus dicendi *Sua., & aliorum.* Quamuis expulſio priuationis ſit effectus ſecūdarius formæ introducendæ, nam effectus primarius eſt informatio materiæ, & conſtitutio compoſiti; attamen expulſio priuationis nequit impediri à Deo; aliter priuatio, & forma poſſint eſſe ſimul per diuinam potentiam, & ſic eſſet, & non eſſet, ergo quamuis expulſio peccati ſit effectus ſecundarius gratiæ; attamen nequit impediri à Deo. Sicut enim per formam nouam generatur nouum compoſitum, & corrumpitur cōpoſitum vetus, cuius formæ eſt annexa priuatio noui compoſiti, & ideo per nouam formam deſtruitur forma vetus, & priuatio formæ nouæ illi annexa; ita etiã per gratiam generatur noua creatura, & deſtruitur vetus homo, & ideo deſtruitur peccatum, quod eſt priuatio gratiæ, quæ eſt forma noua regenerans nouum hominem. Igitur ſolus effectus ſecundarius poſitiuus poteſt à Deo impediri, quia non repugnat; non autem effectus ſecundarius priuatiuus, qui priuatiuè opponitur ipſi formæ præſtanti effectum primarium, ſicut eſt expulſio peccati, & dictum eſt.

10 Obijc. 1. *Maſtr.* Oppoſitio, quæ eſt inter peccatum, & gratiam, non eſt eſſentialis, phyſica, & ex natura rei, ſed tantùm moralis ex Diuina ordinatione, quia Deus voluit gratiam expellere peccatum; ergo præciſa ordinatione Diuina gratia ſtaret ſimul cum peccato, quia illi nō opponeretur; atqui Deus ſecundùm alium ordinem ſuæ prouidentiæ potuit non ita ordinare, quia liberè ordinauit; ergo per potentiam Dei abſolutam poteſt gratia ſimul cum peccato coniungi.

Reſp. neg. ant., cùm enim *ex Scripturis* gratia aſſimiletur luci, & peccatum tenebris; gratia nitori, & pulcritudini peccatum maculæ, & deformitati, cumque lux phyſicè eſſentialiter, & ex natura ſua opponatur luci; nitor maculæ; & pulcritudo deformitati; ideo congruentiùs *ad Scripturas* dicitur gratiam eſſentialiter opponi peccato priuatiuè; & ideo non poſſe eſſe ſimul, quia Deus nequit coniungere eſſe cum non eſſe. Tum quia gratia eſt vera iuſtitia, & peccatum vera iniuſtitia, vt dictum eſt; ſed iuſtitia eſſentialiter, & ex ſua natura opponitur iniuſtitiæ, vt patet; ergo & gratia peccato.

11 Obijc. 2. *alij Scotiſtæ.* Gratia importat ſanctitatem, iuſtitiam, amicitiam, dignitatem &c. tantùm in actu primo; quia gratia eſt habitus; peccatum verò dicit maculam, iniuſtitiam, inimicitiam, indignitatem &c. in actu ſecundo; ſed non implicat aliquod eſſe ſanctum, iuſtum &c. in actu primo, & maculatum, iniuſtum &c. in actu ſecundo; inſanus enim eſt particeps rationis in actu primo, & eſt expers in actu ſecundo; ergo non implicat gratiam habitualem ſimul eſſe cum peccato.

Fatetur *Maſtr.* hoc arg. nihil concludere, quia nimis probat; conuincit enim gratiam ſimul eſſe cum peccato de facto, *Scot.* tamen concedit ſolùm de poſſibili. Tum quia licèt peccatum ſit actus ſecundus, importat tamen ſecum maculam, quam relinquit in anima, quæ macula ſe habet per modū actus primi, quia ſe habet per modum habitus; & ideo dicitur peccatum habituale. In forma igitur diſt. 2. pars ant. Peccatum dicit maculam in actu ſecundo tantùm, neg; per modum habitus, & actus primi inclinantis voluntatem ad peccandum; hinc dicitur vnum peccatum inclinare in aliud peccatum, & ſic habet rationem actus primi. Ad illud de inſania dicitur, quòd ſi priuatio actualis vſus rationis deferret ſecum priuationem ipſius potentiæ rationalis, tolleretur etiam ipſa potentia; ſicut peccatum actuale defert ſecum maculam habitualem, quæ eſt priuatio gratiæ habitualis, ideo per ipſum tollitur gratia.

12 Obijc. 3. *Sua.* Deus poteſt impedire effectum ſecundarium; ſed expellere peccatum eſt effectus ſecundarius gratiæ; ergo poteſt impediri à Deo; & ſic manere peccatum cum gratia. 2. Solus Deus remittit peccata, vt habetur *ex Scriptura*; ergo idem 3. Peccatum eſt priuatio rectitudinis debitæ; ergo non eſt priuatio gratiæ; vna enim priuatio nequit priuare duplici forma. 4. Peccatum eſt in voluntate, & gratia in anima; ergo non opponuntur priuatiuè; oppoſita enim priuatiuè habent eſſe in eodem ſubiecto. 5. Peccatum veniale, & morale ſunt eiuſdem ſpeciei; vt patet de furto veniali, & mortali; ſed veniale non eſt priuatio gratiæ; ergo nec mortale. 6. Poteſt Deus ſimul ponere calorem, & frigus, quia poteſt tollere oppoſitionem; ergo à pari. 7. Peccante homine non expellitur gratia, niſi Deus ſuſpendat concurſum, quo illam conſeruabat; ſed Deus nequit neceſſitari ad ſuſpendendum ſuum concurſum; quia licèt Deus ſecundùm curſum naturæ agat iuxta exigentiam rerum; attamen ſecundùm altiorem ordinem poteſt conſeruare etiam ea, quæ ex ſua natura pugnant inter ſe; ergo idem. 8. Conſeruare gratiam cum peccato nōn præiudicat iuſtitiæ; quia Deus, vt ſupremus Dominus, poteſt relaxare debitū peccato; nec ſapientiæ; quia Deus non falleretur. 9. De facto conſeruat habitum fidei, & ſpei in peccatore fideli, non in infideli; & tamen poterat aliter diſponere; ergo à pari. 10. Gratia non ſufficit ad expulſionem peccati, ſed requiritur fauor extrinſecus; gratia enim eſt finitæ virtutis, & ideo non ſufficit ad expellendum peccatū, quod eſt infinitæ malitiæ. Tandem poteſt Deus non acceptare iuſtum ad vitam æternam, & acceptare peccatorem; ergo poteſt efficere, quòd peccator ſit in gratia; & per conſequens quòd gratia, & peccatum ſint ſimul.

Reſp. ad 1; quod pariter reijcit *Maſtr*; diſt. ma. Effectum ſecundarium poſitiuum, non oppoſitum, conc; ſed neg. mi; effectum priuatiuum priuatiuè oppoſitum, neg. Ad 2. diſt. ant. Solus

Deus

Digitized by Google

Deus remittit peccata infundendo gratiam, quæ habetur ſolùm à Deo, conc. ſine gratia, neg. Ad 3. diſt. ant. Rectitudinis actualis, & habitualis, conc; actualis tantùm, neg; nam ratio maculæ, quam importat, eſt priuatio rectitudinis habitualis. Ad 4. diſt. ma. Peccatum habituale, neg; actuale, conc. Ad 5. omiſſa ma. diſt. mi. Non eſt priuatio gratiæ ſimpliciter, conc; ſecundùm quid, neg; minuit enim gratiam. Ad 6. omiſſo ant. neg. conſ; quia oppoſitio poſitiua non importat eſſentialiter eſſe, & non eſſe, ſicut oppoſitio priuatiua. Ad 7. neg. mi; ſicut enim Deus nequit conſeruare formam ligni in ſubiecto, quando introducitur eius priuatiò; ita à pari. Ad 8. neg. aſſumpt; nam licèt Deus, vt ſupremus Dominus, poſſit dimittere culpam infundendo gratiam, & illam non vindicare; attamen nequit illam non dimiſſam non punire; quia iuſtitia ex ſua ratione formali habet vindicare culpam non dimiſſam; & ſic falleretur ſapientia, quia diligeret inimicum, vt amicum. Ad 9. dicitur, quòd non poterat aliter diſponere quantùm ad conſeruare fidem in infideli; nam fides priuatiuè opponitur infidelitati, conſeruat tamen fidem, & ſpem cum peccato, quia illi priuatiuè non opponuntur; & licèt aliter diſpoſuiſſet; non tamen ſequitur intentum; quia gratia priuatiuè opponitur peccato; & ideo nequit diſponere, vt ſimul conſeruentur. Ad 10. neg. aſſumpt. Ad prob. inſert. dicitur, quòd peccatum eſt finitum in genere malitiæ; & quamuis ſit infinitum in genere offenſæ, *de quo in 3. ſent;* dicitur, quòd gratia illud expellit in virtute meritorum Chriſti, quæ ſunt infiniti valoris. Ad vlt. neg. ant; docet enim *Beatiſs. P. de nat; & grat. c. 2. Non eſt iniuſtus Deus, vt iuſtos fraudet mercede ſua;* & habetur *ad Hebr. 6. Non eſt iniuſtus Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri.*

13 Obiectiones *Lorca* ſoluuntur *in Phyſicis* de coexiſtentia formæ veteris, & nouæ in eodem inſtanti generationis; ideo illuc remittuntur; tum quia faciliter ſolui poſſunt.

14 Collig. ex dictis vnum peccatum non poſſe remitti ſine alio; aliter gratia remittens vnum eſſet ſimul cum alio. An autem, & quomodò poſſit eſſe ſacramentum pœnitentiæ validum, & informe, *in 4. ſent.* dicemus.

A R T. V.

An ſine diſpoſitionibus poſſit Deus infundere gratiam?

1 EX dictis *q. 3. art. 4.* colligi poteſt, quid ſit dicendum ad præſentem difficultatem; dictum eſt enim habitum charitatis immediatè diſponere ad iuſtificationem, quia eſt proprietas immediatè, & eſſentialiter connexa cum gratia iuſtificante; habitus verò fidei Diuinæ, qua credimus myſteria à Deo reuelata; & habitum ſpei, qua ſperamus veniam peccatorum, diſponere mediatè; ſicut actus charitatis contritionis, timoris, fidei, ſpei, propoſiti ſuſcipiendi baptiſmum, ſeruandi mandata, & inchoandi nouam vitam diſponere quidem, vt docet *Trid. ſeſſ. 6. c. 6;* ſed tantùm mediatè; nam vt habet *idem Conc. ibid. c. 7; fides, niſi ad eam ſpes accedat, & charitas, neque vnit perfectè cum Chriſto neque corporis eius viuum membrum efficit;* & de fide habetur *Rom. 5. Iuſtificati ex fide;* de ſpe *Rom. 8. Spe enim ſalui facti ſunt;* de timore *Eccli. 1. Timor Domini expellit peccatum;* de contritione *Act. 3. Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra;* & idem dicendum eſt de actibus perfectis, & habitibus aliarum virtutum; quæ non ſunt perfectæ, niſi iungantur cum charitate, cuius ſunt proprietates; vt *ſuo loco* diximus. Vnde ſi habitus charitatis diſponit immediatè, & iſti habitus, & actus coniunguntur cum charitate, ſequitur mediatè diſponere. An autem hæc intelligantur ſolùm de facto ſecundùm ordinem huius prouidentiæ, qua Deus de facto ordinauit iuſtificationem impij; an verò etiam de poſſibili, controuertitur in præſenti. Quantùm ad habitus nulla eſt lis; ad actus ergo ſolos reſtringitur; & ideo quæritur, an ſecundùm potentiam Dei abſolutam ab hoc ordine poſſit adultus iuſtificari abſque vllo actu charitatis, contritionis &c.

2 Prima ſententia affirmat. *Ita Scotiſtæ apud Maſtr. hìc diſp. 7. q. 4. n. 100;* apud quem *Sua; Vaſq; Lug; Tanner; Arriag; Ouied; Coninch, Auerſ, Serra, Lez; Turrian; Lorc; Gonet hìc art. 7. in fine, & alij.*

3 Secunda negat. Hanc putamus eſſe mentē *Fund. Doct. in 1. diſt. 46. princ. 1. q. 1. in fine corp;* vbi ait: *Rurſus etiam collatio gratiæ requirit motum liberi arbitrij; quia nunquam datur nobis gratia, niſi velimus eam ſuſcipere, licèt huiuſmodi velle mediante noſtro libero arbitrio Deus operetur in nobis;* quod magis conſtabit ex dicendis. Hanc eſſe mentem *D. Tho.* contendunt *Conr. vterq; Sot; & alij Thomiſtæ;* ſequuntur *Albertus, Becc; Amic; Morand; Philipp. à SS. Trin; & alij prò explic.*

4 Not., quòd cùm per naturalia, vt ſæpè docet *Fund. Doct. ex Apoſt;* poſſumus deuenire in cognitionem ſupernaturalium; ideo ex paritate introductionis formæ naturalis poſſumus aſſignare implicantiam in hoc dubio de gratia, quæ eſt forma ſupernaturalis. Videmus ergo in naturalibus, quòd introductio formæ principalis fit per introductionem proprietatis eſſentialiter cōnexæ cum forma; aliter non introduceretur forma eſſentialiter; quia diſpoſitio illa non inhæreret, ſi non eſſet inſeparabiliter connexa cum illa; vt v.g. introductio formæ ignis in lignum fit per introductionem caloris, vt octo, qui hic ſumptus eſt diſpoſitio immediata ad formam ignis; quia eſt proprietas eſſentialiter connexa cum illa; ideo introducto calore, vt octo, ſtatim introducitur forma ignis, cum qua eſſentialiter inſeparabiliter colligatur.

Nec refert, quòd proprietas ſit poſterior eſſentia, quia ab illa fluit. id autem, quod eſt poſterius, nequit eſſe diſpoſitio, quæ debet ſemper antecedere formam, ad quam diſponit. Non obſtat, inquam; nam vt ait *Fund. Doct. loc. cit. in ſup. q. art. 4. n. 15*; non implicat, quòd idem in diuerſo genere cauſæ ſit prius, & poſterius; vt forma in genere cauſæ formalis eſt prior materia, quia eſt prior re informata; cùm res non ſit informata, niſi per formam; id autem, per quod aliquod eſt tale, eſt cauſa formalis illius; quia particula *per* dicit cauſam formalem; cauſa autem eſt prior re cauſata; & ideo forma in genere cauſæ formalis eſt prior materia. At in genere cauſæ materialis forma eſt poſterior materia, quia educitur ex illa; illud autem, quod educitur ex alio, eſt poſterius illo, cùm ſequatur ex illo. Ita calor, vt octo, ſi ſumatur *quoad fieri*, ſeu in genere cauſæ efficientis, quatenus per illam introducitur forma ignis, eſt prior forma ignis; quatenus verò eſt paſſio fluens à forma ignis in genere cauſæ materialis, vel formalis, eſt illa poſterior.

5 Inſuper videmus in naturalibus, quòd per actum introducitur habitus, qui per illum ſæpe repetitum generatur, vt diximus *de Habitib. art. 4*; & quamuis actus in genere cauſæ vitalis formalis ſit poſterior habitu, quia per illum producitur; attamē in genere cauſæ efficientis eſt prior; quia per illum efficitur.

6 Ita à pari in ſupernaturalibus; nam licèt charitas ſit proprietas fluens à gratia, & ideo in genere cauſæ formalis, aut materialis ſit illa poſterior; attamen in genere cauſæ efficientis eſt prior, & eſt diſpoſitio ad illam; & actus, qui procedunt ab habitu charitatis, vel immediatè, vt dilectio; vel mediante virtute pænitentiæ, vt contritio, & ſic de alijs, in genere cauſæ efficientis ſunt diſpoſitiones ad habitū charitatis, & conſequenter ad gratiam; quamuis in genere cauſæ formalis vitalis, vel materialis ſint quid poſteriùs.

7 Implicat autem introduci formam ſine præuia diſpoſitione, quia implicat introduci ſine proprietate illi eſſentialiter connexa; aliter pro eo inſtanti, in quo introducitur forma, forma eſſet ſine ſua proprietate, & ſic non eſſet ei eſſentialiter connexa, imò eſſet ſimul cum proprietate oppoſita ſuæ proprietati, quæ eſt ratio eſſentialiter fundans priuationem ſui, & ideo ſimul eſſet cum priuatione ſui, v.g. cùm introducitur forma ignis, ſi non introduceretur mediante calore, forma ignis eſſet ſimul cum forma frigoris, in qua proximè fundatur priuatio formæ ignis, frigus enim non expellitur, niſi per calorem; & ideo ſi pro eo tunc, quo introducitur forma ignis non eſſet calor in ligno, eſſet frigus; quia in illo non eſſet calor, per quem ignis expellitur. Quòd autem frigus ſit ratio eſſentialiter fundans priuationem ignis, deducitur ex eo, quòd materia nō eſt ratio formalis immediatè fundans priuatione, aliter materia Cęli haberet priuationem, & ſic eſſet corruptibilis, ſicut materia ſublunaris. In tantùm igitur materia Cęli non habet annexam priuationem, in quantùm non habet contrarium; quod eſt ratio formalis fundans priuationem; & ideo priuatio formæ ignis fundatur in contrario, quod non eſt, niſi frigus.

8 Ex his deducitur Deum non poſſe introducere formam in naturalibus, niſi medijs ſuis diſpoſitionibus. Cùm autem dicitur Deum in hoc differre ab agente creato, quòd Deus non agit per motum, & tranſmutationem, & ideo non agit medijs diſpoſitionibus, ſicut agit creatura. Ad hoc reſp. *Fund. Doct. loc. cit. to. 3. q. 2. de creat. art. 1. num. 16.*, quòd Deus non agit per motum, & tranſmutationem, quia non agit per alterationem, quæ ſemper importat tempus, quo diſponitur ſubiectum; ſed ſimul in eodem inſtanti introducit diſpoſitiones, & formam ita tamen, vt diſpoſitiones prioritate naturæ, ſeu originis, vt loquitur *Beatiſs. P. lib. 1. de Gen. ad lit. c. 15*; præcedant ipſam formam; atque adeo ſimul cum forma ſimultate temporis producit accidentia; agens verò creatum non niſi in tempore introducit formam, quia agit per alterationem ſubiecti, à quo indiget adiuuari in ſua actione. Et ratio eſt; quia id, per quod res conſeruatur, eſt id, per quod producitur; nam conſeruatio eſt continuata productio; ſed id, per quod res conſeruatur, eſt proprietas ei annexa; deſtructo enim calore, vt octo, deſtruitur forma ignis; & conſeruato conſeruatur, vt experientia conſtat; ergo proprietas eſt id, per quod eſſentialiter res producitur diſpoſitiuè tamen, non efficienter.

9 Igitur ſi forma naturalis nequit à Deo produci, niſi medijs ſuis diſpoſitionibus idem à fortiori dicendum eſt de forma ſupernaturali, quæ, vt potè perfectior, potiori iure exigit id, per quod producatur, & conſeruetur. *His not.*

10 Vnica concl. Gratia iuſtificans nequit à Deo infundi abſque aliquo peccatoris actu.

Prob. 1. *ex 1. Io. 3. Qui non diligit, manet in morte; & Io. 14. Si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus; & Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm; & Beatiſs. P. de nat. & grat. c. 2. Charitas pleniſſima iuſtitia eſt*; ſed hæc nequeunt intelligi ſolùm de facto, verumetiam de poſſibili; ergo etiam diuinitus neceſſaria eſt diſpoſitio ad gratiam. Prob. mi. Impoſſibile eſt per quancunque potentiam, quòd quis manens in morte viuat; quia repugnat priuationem, & formam ſimul coniungi, ſed qui non diligit, manet in morte, idèſt in peccato, quod eſt mors animę; ergo impoſſibile eſt per quancunque potentiam, quòd, qui non diligit, viuat; idèſt habeat gratiam iuſtificantem, qua viuificatur; & ideo operatio peccatoris eſt eſſentialiter exigita ad illius iuſtificationem.

11 Dices *hos textus* intelligi de dilectione habituali, non actuali; aliàs ſequeretur iuſtum

dor-

dormientem, qui actualiter non diligit, eſſe in peccato.

Sed contra eſt; nam quanuis non ſit neceſſe ſemper actu diligere; attamen ad acquirendam dilectionem habitualem, quæ eſt habitus charitatis, neceſſarius eſt actus charitatis, qui eſt diſpoſitio ad illam, vt dictum eſt; ergo ad acquirendam vitam ſupernaturalem neceſſarius eſt actus peccatoris. Tum quia ſi ſolùm de facto dilectio Dei eſſet diſpoſitio ad iuſtificationem, non eſſet pleniſſima iuſtitia; quia pleniſſimum eſt illud, vltra quod non eſt aliquid ſuſcipiendum; de poſſibili autem eſſet aliquid iuſtificato ſuſcipiendum præter dilectionem; & ideo hæc non eſſet pleniſſima iuſtitia.

12 Conf. *ex Fund. Doct. loc. cit. art. 4. vbi ſ.* In hoc diſtinguitur forma naturalis à forma ſupernaturali; quòd ſuſceptio illius eſt ſimpliciter neceſſaria, huius verò eſt eſſentialiter libera; vt *ibid.* dictum eſt; ſed non eſt libera, niſi per actum liberum creaturæ eo, quia peccator illam liberè, & voluntariè ſuſcipit; ideo *Trid. ſeſſ. 6. c. 7.* ait peccatorē *iuſtificari per voluntariam ſuſceptionem gratiæ*; ergo gratia iuſtificans eſſentialiter exigit motum peccatoris. *Vid. alias rationes ibid. allatas.*

13 Prob. 2. *Oppoſitorum eſt eadem ratio*; ſed macula habitualis relicta ex actu peccaminoſo opponitur gratiæ habituali; & actus peccaminoſus opponitur gratiæ actuali; ergo eadem ratione de illis eſt philoſophandum. Atqui implicat per quancunque potentiam, quòd detur macula habitualis ſine peccato actuali, quod eſt diſpoſitio ad illam; ergo eodem modo implicat, quòd detur gratia habitualis abſque gratia actuali, quę ad illam eſt diſpoſitio; gratia autem actualis eſt actus peccatoris à Deo inſpiratus, vt diximus *q. 2. art. 1.*

14 Prob. 3. euertendo rationem *noſtri Gibb.* Si Deus poſſet iuſtificare abſque motu peccatoris, maximè, quia gratia iuſtificans opponitur immediatè peccato, quod eſt illius priuatio; ſed hoc probat noſtrā ſententiam; ergo idem, quod priùs. Prob. mi. Quanuis priuatio formæ ignis opponatur immediatè ipſi formæ; attamen priuatio non tollitur, niſi tollendo frigus, quod eſt ratio immediatè fundans priuationem ignis; ergo quanuis peccatum ſit priuatio immediatè oppoſita gratiæ, attamen non tollitur, niſi tollatur voluntaria commiſſio peccati, quæ eſt ratio formalis fundans priuationem gratiæ in anima; atqui voluntaria commiſſio peccati habitualiter perſeuerans in voluntate non tollitur, niſi per voluntariam rejectionem eiuſdem voluntatis, quæ eſt actus peccatoris deteſtatiuus peccati; ergo niſi per eandem non tollitur priuatio gratiæ.

15 Prob. 4. euertendo aliam rationem. Deus nequit agere, niſi mediantibus diſpoſitionibus abſque tamen motu, quia diſpoſitiones immediate coniunguntur cum forma, ad quam diſponunt, vt *ſuperiùs* oſtenſum eſt; ſed charitas eſt diſpoſitio immediata ad gratiam, & actus charitatis ad habitum charitatis; quanuis enim habitus charitatis nō producatur effectiuè per actus, eſt enim habitus infuſus, non acquiſitus; attamen eſt ratio, per quam aliquo modo producitur habitus charitatis; ſicut quanuis vltima diſpoſitio ad animam rationalem non ſit id, per quod effectiuè producitur anima, quæ creatur, non educitur; attamen eſt ratio, per quam aliquo modo producitur anima; ergo ſicut ſine charitatis habitu nequit infundi gratia, ita ſine actu charitatis elicito, vel imperato nequit infundi charitas, & gratia.

16 Prob. 5. Quodlibet etiam per potentiam Dei abſolutam nequit tolli, niſi per ſuum oppoſitum priuatiuè; quia eſſe tollitur ſolùm per non eſſe, & è contra; ſed oppoſitum maculæ habitualis inductæ per auerſionem actualem à Deo eſt gratia habitualis inducta per conuerſionē actualem in Deum; ergo macula habitualis inducta per auerſionem actualem nequit tolli à Deo etiā per potentiam abſolutam, niſi per gratiam habitualem inductam per conuerſionem actualem in Deum; atqui conuerſio actualis in Deum eſt actus peccatoris; ergo macula peccati nequit tolli etiam per potentiam Dei abſolutam abſque actu peccatoris.

17 Prob. 6. Iuſtificatio, quanuis ſit gratuitum Diuinæ miſericordiæ donum, attamen nequit fieri in nobis, niſi volentibus nobis; quandiu enim nolumus, manet in nobis peccatum, quia talis nolitio peccatum eſt, ſed volitio eſt actus ipſius iuſtificati; ergo iuſtificatio nequit fieri ſine actu peccatoris.

18 Tandem ſi Deus per ſuam potentiam abſolutam poſſet iuſtificare ſine actu peccatoris, hoc feciſſet in iuſtificationibus miraculoſis, vt fuit conuerſio *D. Pauli*, qui dum actu perſequebatur Eccleſiam Dei, à Deo conuerſus, & iuſtificatus fuit, hæc enim conuerſio, tanquam miraculoſa, celebratur ab Eccleſia; ſed *D. Paulus* fuit conuerſus per actum voluntatis; ſtatim enim dixit: *Domine, quid me vis facere*; quibus verbis oſtendit ſe velle id, quod Deus volebat; ergo dicendum eſt ſine actu peccatoris non poſſe peccatorem iuſtificari; nullum enim fundamentum habemus *in Scripturis*, aut rationem oppoſitum ſubſtinendi.

19 Obijc. 1. *Maſtr.* Homo offenſus poteſt remittere offenſam abſque eo, quòd offendens offenſæ pœniteat; ergo multò magis Deus, qui eſt magis miſericors. 2. *Cum Sua.* Remiſſio peccati pendet ſolùm à libera voluntate Dei, qui ſolus poteſt peccata remittere; ergo peccatum poteſt remitti abſque eo, quòd ad remiſſionem concurrat voluntas peccatoris, aliter remiſſio nō penderet ex mera voluntate Dei, penderet enim etiam à voluntate peccatoris. 3. Eo ipſo, quod homo ceſſat ab actu peccandi, peccatum habi-

tuale

tuale tam non eſt ampliùs ei voluntarium actualiter, vt patet; nec virtualiter, quia voluntarium virtuale non eſt ſine aliquo actu voluntario actuali, in quo continetur; nec interpretatiuè; quia voluntarium interpretatiuum eſt, cùm quis tenetur facere, & non facit; quod non accidit in caſu; ergo eſt ſolummodo voluntarium cauſaliter, ſicut votum, & matrimonium; & ideo poteſt tolli à ſolo Deo, ſicut poteſt diſſolui votum, & matrimonium.

Reſp. ad 1. omiſſo ant. neg. conſ; vt diximus *art.3.n.16.* Imò ex eo, quòd Deus ſit magis miſericors, deducitur, quòd debeat magis diffundere ſua dona; & ideo cùm iuſtificat, nedum largitur gratiam habitualem, ſed etiam actualem, quæ conſiſtit in actibus pœnitẽtijs. Ad 2. diſt. ant. Remiſſio pendet ſolùm à voluntate Dei efficienter, conc; in genere cauſæ formalis, neg; nam *qui fecit te, non ſaluabit te ſine te*, inquit *Beatiſſ. P.* Ad 3. neg; quòd peccatum habituale non ſit voluntarium virtualiter; & ad prob. inſert. dicitur, quòd voluntarium virtuale nedum continetur in voluntario actuali poſitiuo, ſed etiam in omiſſiuo, quo omittit illud retractare; & ideo cenſetur durare tranſacto actu.

20 Obijc. 2. *idem.* Peccatum habituale conſiſtit formaliter in debito ſatisfaciendi; ſed Deus poteſt remittere hoc debitum etiam non concurrente voluntate creaturæ; ergo Deus poteſt remittere peccata ſine vllo actu peccatoris. 2. Vel retractatio requiritur, vt forma expellens peccatum; vel ſolùm, vt diſpoſitio? Non primum; quia *ex Trid.* vnica cauſa formalis iuſtificationis eſt gratia. Non ſecundum; quia Deus poteſt introducere quancunque formam ſine præuijs diſpoſitionibus. 3. Paruuli iuſtificantur ſine proprio actu; ergo abſolutè actus peccatoris non eſt neceſſarius ad iuſtificationem. 4. Vel peccatum habituale includit negationem retractationis, per quam formaliter conſtituitur; vel non? Si primũ; ergo per ſolam retractationem deſtruitur; & ideo per attritionem, quæ eſt retractatio illius, deletur, quod eſt *contra Trid.*, nam vel negatio retractationis eſt conſtitutiuum adæquatum peccati; & ſic illa ablata tollitur peccatum; vel ſolùm inadæquatum; & ſic pariter tollitur; nam ablata forma, quæ inadæquatè conſtituit compoſitum, tollitur compoſitum. Si ſecundum; ergo poterit auferri peccatum non ablata negatione retractationis; hæc enim eſt extra eſſentiam peccati.

Reſp. ad 1. neg. ma; vt diximus *de peccat. q.5. art.1.* Præterea omiſſa ma. neg mi; quamuis enim vnus homo poſſit remittere debitum alteri homini non concurrente huius voluntate, attamen hoc nequit Deus; quia remiſſio peccati eſt eſſentialiter voluntaria creaturæ; non autem relaxatio debiti humani. Ad 2. dicitur requiri, vt diſpoſitio. Ad improb. diſt. Poteſt Deus introducere quamlibet formam ſine præuijs diſpoſitionibus alterationibus in tempore, conc; ſine præuijs origine, neg. Ad 3. reſp. *cum Beatiſſ. P.*, quòd ſicut paruuli peccauerunt in alio, ita iuſtificantur per actum alterius; aliter falſum eſſet: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit*; ſi nulla in ipſis eſſet neceſſaria diſpoſitio, vt actus fidei, ad gratiam recipiendam. Ad 4. dicitur non conſtitui per negationem retractationis, attamẽ eſſe illi eſſentialiter annexã, tanquam proprietatẽ; ſicut licèt calor, vt octo, non conſtituat formaliter formam ignis; attamen quia eſt illi eſſentialiter annexus, ideo nequit tolli forma ignis, aut poni, niſi illo ſublato, vel poſito.

21 Obijc. 3. *Gibb.* Gratia, & peccatum priuatiuè opponuntur; ergo per ſolam infuſionem gratiæ tollitur peccatum; quia forma tollit priuationem. 2. *Gonet*, Adultus in ſacramento iuſtificatur per ſolam attritionem, quæ eſt dolor imperfectus de peccatis; ergo non eſt neceſſarius actus contritionis; ergo de potentia abſoluta poterit iuſtificari ſine vllo actu. 3. Poteſt Deus infundere gratiam dormienti; ergo idem, quod priùs. 4. Si humanitas maculata vniretur Verbo hypoſtaticè, iuſtificaretur ſine vllo actu; ergo de potentia abſoluta poteſt iuſtificari abſque vllo actu.

Reſp. ad 1. neg. conſ; nam peccatum tolleretur, quia poneretur forma illi oppoſita; & non tolleretur, quia maneret ratio formalis, per quã eſt peccatum, & ſic ſequerentur contradictoria. Ad 2. dicitur, quòd attritus in ſacramento fit contritus, & contritio, quæ eſt actus perfectè charitatis, diſponit ad habitum, & habitus ad gratiam. Ad 3. neg. ant. Ad 4. dicitur ſuppoſitum eſſe impoſſibile, quia humanitas nullam actionem penitus poteſt habere, *cum actiones ſint ſuppoſitorum*. Si autem Deus deſtrueret ſuppoſitum peccatoris, & aſſumeret illam humanitatem maculatam, iuſtificaretur diſpoſitiuè per actum dilectionis elicitum ab humanitate ſuppoſitata, vt dictum eſt de homine puro. Nec obſtat, quòd ſuppoſitatio præſupponatur ad actum; dicitur enim ſupponi in genere cauſæ elicientis, non in genere cauſæ materialis, aut formalis; vt dictum eſt *ſup.*

22 Collig. ex dictis facilis ſolutio illius difficultatis, quæ proponitur; an contritio, & dilectio perfecta ſit effectus gratiæ habitualis, vel alicuius auxilij actualis; dicitur enim eſſe effectum gratiæ habitualis, quia eſt effectus habitus charitatis, qui eſſentialiter eſt coniunctus cum gratia habituali. *Ita Fund. Doct. vbiſ.*, quamuis *Maſtr.* cum citet pro oppoſito, quod docet *Sua. Bellarm; Granad. Tauer; Monteſin; Lorc; Io à S. Tho; Quied; Maſtr., & aly.* Neque refert, quòd *ex Scriptura, Concilys, & SS.PP.* contritio, & dilectio dicantur præcedere gratiam, nam non implicat in diuerſo genere præcedere, & ſubſequi, vt diximus de calore, & forma ignis. Nec verum eſt, quod obijcit *Maſtr.*, ſcilicet *in Scriptura* non haberi has duas cauſalitates. Nam quòd con-

contritio, & dilectio præcedat, habetur *Luc.7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Quòd verò ſequatur, habetur 1. *Io.4. Nos diligamus, quia ipſe prior dilexit nos*; dilexit autem nos infundendo ſuam gratiam, vt explicat *Beatiſs. P. de grat. Chriſti c.26., & plures alibi*. Nec obſtat, cùm obijcir. Cùm contritio diſponit ad gratiam, vel habetur gratia, vel non? Si primum; ergo fruſtra diſponit. Si ſecundum; ergo nequit fluere ab ipſa, quæ non eſt. Non obſtat, inquam; nam iſtæ cauſalitates non ſunt in diuerſis inſtantibus temporis, ſed in eodem inſtanti, & non habent, niſi prioritatem, & poſterioritatum originis. Igitur habetur gratia per talem diſpoſitionem, ſi conſideretur in genere cauſæ efficientis; non habetur autem antecedenter, & ideo non eſt fruſtra. *Sed hæc ad Philoſophos*.

23 Quæres; an iuſtificatio ſit miraculoſa?

Reſp. eſſe opus quidem excellentiſſimum, & ſummè mirabile, non tamen miraculoſum, quia non eſt ſuper ordinem, quem Deus dedit rebus de facto; quamuis enim conuerſio quorundam peccatorum ſit miraculoſa, quia fit per extraordinaria auxilia; iuſtificatio tamen eorum, quia fit per gratiam eo ordine, quo iuſtificantur alij, non eſt miraculum.

QVAEST. V.

De Merito.

SVpereſt agendum de merito, quòd nedum eſt effectus gratiæ, ſed etiam eſt gratia; actus enim meritorij ſunt dona Dei nobis miſericorditer inſpirata, vt diximus *q.2. art.1. ex Beatiſs. P. de grat., & lib. arb. c.3., & lib.1. ad ſimplic. q.2., & ſæpe alibi*; ideoque agere de merito *ad hunc tractatum* pertinere non eſt dubium.

A R T. I.

An, quid, quotuplex, & quas conditiones exigat meritum?

1 QVoad 1, duæ extremæ ſunt hæreſes; altera *Pelogianorum*, qui aſſerebant in nobis dari merita per vires naturales liberi arbitrij, vt refert *Beatiſs. P. ep.46., & ep.105. ad Sixt., & de grat. Chriſti, & de grat., & lib. arb.*, ac *alijs in libris cont. Pelagianos*.

2 Hanc hæreſim, vt teſtatur idem *Beatiſs. P. ibid., Pelagius* coactus fuit damnare propter irrefragabilia *Scripturarum* teſtimonia; vt *Rom.11. Reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non eſt gratia*. Et in fine c. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? & c.7. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius*; ſi autem gratia iuſtificans redderetur meritis, iam non eſſet gratis; quia *nec iſta eſſet gratia* (inquit *ep.105.*) *Si non daretur gratuita, ſed debita redderetur*; & *1. Cor.4. Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti; quid gloriaris, quaſi non acceperis?* & iterum *Rom.6. Stipendium peccati mors; gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro*. Super quod ait *idem Beatiſs. P. ibid. Quod autem merces operanti, hoc militanti ſtipendium &c. Stipendium, inquit, peccati mors. Rectè ſtipendium, quia debetur, quia dignè retribuitur, quia merito redditur. Deinde ne iuſtitia de humano ſe extolleret bono merito, ſicut humanum meritũ malum non dubitatur eſſe peccatum, non à contrario retulit dicens: Stipendium iuſtitiæ vita æterna; ſed gratia, inquit, Dei vita æterna. & alijs textibus*, qui videri poſſunt *in libris cit., & reliquis contra Pelagianos*.

3 Altera hæreſis extremè oppoſita eſt *Calviniſtarum*, qui putantes per peccatum extinctum fuiſſe arbitrium humanum, ſine quo nullum poteſt eſſe meritum, & per baptiſmum non tolli, ſed tegi peccatum originale, à quo dicunt infici omnia opera iuſtorum, ac propterea omnia opera etiam bona eſſe peccata, dixerunt nullum dari meritum, imò hoc nomen *meriti* exoſum eſſe, & fidei non congruere, quæ docet opera humana ad Dei iudicia comparata eſſe damnabilia, & merè iniqua.

4 Sed hæc conuincitur *Eccli.10. Serua animam tuam, & da illi honorem ſecundùm meritum ſuum & c.14. Et omne opus electum iuſtificabitur; & qui operatur illud, honorabitur in illo; & c.16. Omnis miſericordia faciet locum vnicuique ſecundùm meritum operum ſuorum, & 2. Cor.5. Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſiue bonum, ſiue malum*; ergo non omnia opera ſunt mala, ſed aliqua bona, & meritoria. Præterea merces reſpondet merito; ſed *in Scripturis* operibus bonis promittitur merces; nam *Gen.15.* Deus dixit *Abrahæ: Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis; & Sap.5. Apud Dominum eſt merces eorum; & Matt.5. Merces veſtra copioſa eſt in Cælis, & 20. Redde illis mercedem ſuam*; ergo dantur opera meritoria. Fuit hoc definitum *in Trid. ſeſſ.6. c.25. Si quis in quolibet bono opere iuſtum ſaltem venialiter peccare dixerit, aut quod intolerabilius eſt, mortaliter &c. anathema ſit*; nomine autem *meriti* intelligimus opus meritorium; vt *inf. & Beatiſs. P. ep.105. Nullane igitur ſunt merita iuſtorum? Sunt planè, quia iuſti ſunt; ſed vt iuſti fierent, merita non fuerunt; iuſti enim facti ſunt, cùm iuſtificati ſunt, ſed ſicut dicit Apoſtolus: Iuſtificati gratis per gratiam ipſius. Rom.3; & ep.46. Non quia nullum eſt meritum vel bonum piorum, vel malum impiorum; alioquin quomodò iudicabit Deus mundum?* Rationes afferentur *inf.*

5 Quoad 2. quamuis meritum aliquando ſumatur etiam in malum, & ſignificet opus peccaminoſum; vt ait *Beatiſs. P. de grat. & lib. arb. c.5. Meritum enim fuit quidem in Apoſtolo Paulo,*

ſed

ſed m..i..m, quando perſequebatur Eccleſiam Dei; quod habetur etiam *in Scriptura;* nam *Iob.6. Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui;* attamen opus malum proprio vocabulo appellatur *demeritum;* & ideo meritum propriè dicitur solùm *opus bonum dignum premio, mercede, & corona;* quia meritum eſſentialiter importat ius ad præmium, mercedem, retributionem, & coronam; vnde meritum in concreto definitur *opus bonum dignum præmio, & mercede;* in abſtracto autem *ius ad gloriam, & mercedem.*

6 Quoad 3. meritum 1. diuiditur in naturale, & ſupernaturale. Naturale eſt per ordinem ad mercedem naturalem, & acquiritur viribus naturæ; ſic dicitur miles mereri ſtipendium Principis; & de hoc non loquimur *hic* ſupernaturale eſt per ordinem ad præmium ſupernaturale conferendum à Deo; & de hoc eſt ſermo; hoc enim ſolùm ſpectat ad gratiam. 2. Meritum ſupernaturale aliud eſt de condigno, & aliud de congruo. *Ita Fund. Doct. in 2. in hac diſt. 27. q. 1. art. 4.* Meritum de condigno eſt illud *cui ex iuſtitia debetur præmium.* De congruo eſt illud, *cui debetur præmium ſolùm ex quadam condecentia, & congruitate attenta liberalitate, & magnificentia præmiantis;* vnde iſtud non ita dicit ius ad prœmiũ, vt ſi prœmians illud negaret, non iniuſtus, ſed illiberalis, & paruificus diceretur.

7 Meritum de condigno adhuc duplex eſt (inquit *Fund. Doct. ibid.*) aliud eſt ſecundùm rem; vt quando per meritum acquiritur ius ad conſequendam rem, quæ eſt præmium. Aliud ſecundùm æqualitatem; vt quando meritum eſt, vt duo, & præmium, vt duo.

8 Meritum de condigno ſecundùm æqualitatem adhuc duplex eſt; aliud ſecundùm æqualitatem aritmeticam quantitatis ipſius rei; vt quãdo quantitas pręmij correſpondet quantitati ipſius meriti ita, vt ſi meritum ſit, vt duo, etiam prӕmium ſit, vt duo; & hæc vocatur proportio aritmetica; aliud ſecundùm æqualitatem proportionis geometricæ. Hæc autem proportio triplex eſſe poteſt. 1. Ad gratiam ita, vt det tantùm gloriæ, quantùm dedit gratiæ; vt ſi vni dedit gratiam, vt quatuor, et det gloriam, vt ſex; alteri, cui dedit gratiam vt duo, debet dare gloriam, vt tria. 2. Ad Diuinam promiſſionem; vt ſi promiſit habenti meritum, vt quatuor, gloriam, vt octo, habenti meritum, vt duo, debet dare gloriam, vt quatuor. 3. Ad Diuinam liberalitatem, & magnificentiam; vt ſi habenti meritum, vt duo, dat gloriam, vt quatuor; habenti meritum, vt quatuor, debet dare gloriam, vt octo.

9 Quæres; quomodò meritum differat ab impetratione, & ſatisfactione?

Reſp. meritum de condigno differre, quia importat ius ad præmium: quod non importat impetratio, & ſatisfactio. Meritum verò de congruo differt; quia ei debetur præmium ex condecentia; impetrationis autem nullum eſt debitum; ſed tribuitur ſolùm ex gratia; vnde illud ſpectat quodammodo ad virtutem iuſtitiæ; iſta verò ad virtutem religionis ſatisfactio verò reſpicit iniuriam recompenſandam; & meritum præmium obtinendum.

10 Quoad 4. dicimus ſex conditiones requiri ad meritum; tres ſcilicet ex parte actionis; duas ex parte merentis, & vnam ex parte Dei, apud quem homo meretur. Ex parte actionis requiritur, quòd ſit libera, bona moraliter, & facta in vtilitatem, vel obſequium alterius. Ex parte merentis requiritur, quòd ſit in ſtatu gratiæ, & in ſtatu viæ. Ex parte Dei requiritur acceptatio, & ordinatio operis ad pręmium.

11 Prima conditio prob. *à Beatiſſ. P. ep. 46.* ex illo *Io. 3. Non venit in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* & ex illo *2. ad Tim. 4. Qui iudicaturus eſt viuos, & mortuos;* quod habetur etiam *in Symb.* ſuper quæ ait: *Si igitur non eſt Dei gratia, quomodò ſaluat mundum; & ſi non eſt liberum arbitrium quomodò iudicat mundum?* Idem fuſiſſimè probat *de grat., & lib arb. à c. 1. ad 8. Omnes Theologi* conſentiunt exceptis, *Gabr., Maior., Holchot, & paucis alijs Nominalibus.* Rationem tradidimus *to. 3. de Act. hum. q. 1. art. 2. §. 1.*

12 Quæres, quæ libertas exigatur ad meritum.

Reſp. non ſufficere libertatem imperfectam, quæ eſt idem, ac ſpontaneitas; quia hæc non ſufficit ad actum demeritorium. Non requiritur tamen libertas ad poſſe peccare; quia hæc non fuit in Chriſto, in quo tamen fuit ſummum, & pleniſſimum meritum; ſed ſufficit libertas ad ponendum hunc actum bonum, vel illum.

13 Dices 1. Actus bonus imperfectè liber poteſt prouenire à gratia habituali; ergo poteſt eſſe meritorius vitæ æternæ. 2. Opus exiguum ratione materiæ, v.g. datio vnius oboli, poteſt eſſe meritorium vitæ æternæ, ſi referatur in finẽ ſupernaturalem; ergo & opus exiguum ratione imperfectæ libertatis. 3. Habitus valde intenſi inclinant in opus ſine perfecta aduertentia; ergo idem.

Reſp. ad 1. neg. ant. Ad 2. reſp. *cum Fund D. in 2. diſt. 29. q. 2. art. 1. dub. 2. lat.* neg. conſ; nam grauitas materię compenſatur ex maximo conatu, & libertate; & ille actus non à materia, ſed à fine habet magnitudinem, & ideo eſt actus perfectus, non imperfectus. Ad 3. neg. ant. loquendo de habitibus ſupernaturalibus; nam gratia habitualis habens annexos habitus intenſos habet maiorem illuſtrationem intellectus per fidẽ, & maiorem inflammationem per charitatem; & ideo quò intenſiores ſunt habitus gratiæ, eo perfectior eſt cognitio. *Vid. to. 3. vbi ſ.*

Quæres; an libertas eliciendi actus æquales cum neceſſitate vnius ſufficiat ad meritum?

Reſp. *noſter Gibb.* neg., nam ad quenlibet ex illis neceſſitaretur; & ideo in nullo diſiunctiuè mereretur.

14 Se-

14 Secunda conditio colligitur *ex Beatiſs. P.ep.47.vbiſ.* docente: *Non quia nullum eſt meritum vel bonum piorum, vel malum impiorũ.* Ex quo ſic. Opus malum moraliter non eſt meritũ, ſed demeritum; & opus indifferens non datur; & ſi daretur, nec eſſet meritum, nec demeritum; quia nec eſſet dignum prœmio, nec pœna; ergo ad rationem meriti requiritur, vt ſit actus bonus moraliter. Tum quia ad rationem meriti digni vita æterna requiritur, vt ſit actus ſupernaturalis, quia vita æterna eſt ſupernaturalis; correlatiuum autem prœmij ſupernaturalis eſt meritũ ſupernaturale; ſed implicat actum ſupernaturalem eſſe moraliter malum; quia actus malus eſt præter naturam, vel contra naturam; ergo meritum vitæ æternæ, de quo loquimur, importat actum moraliter bonum.

15 Ex hoc deducitur meritum eſſentialiter importare actum poſitiuum pro materiali; adeoque puram omiſſionem non poſſe eſſe meritoriam; vt diximus *tom.3. de Act.hum. qu.1.art.3. n.16*; nam *bonum, & ens conuertuntur*; ens autem eſt quid poſitiuum; ſed meritum dicit actum bonum; ergo dicit quid poſitiuum. Tum quia meritum eſt effectus Dei; eſt enim donum illius, vt docet *Beatiſs. P*; cauſatum ab ipſo; ſed effectus cauſatus à Deo eſt quid poſitiuum; ergo importat qui poſitiuum. *Vid. alias rationes allatas vbiſ.*

16 Dices 1. Demeritum poteſt eſſe ſine omni actu, vt diximus de pura omiſſione; ergo & meritum; quia *oppoſitorum eſt eadem ratio*. 2. Poteſt Deus præcipere puram deſiſtentiã ab omni actu; ſed talis deſiſtentia eſſet bona, & meritoria; quia Deo obedire bonum eſt, ergo idem. 3. Abſtinentia à matrimonio propter Deum eſt omiſſio, & tamen placet Deo; & ratione illius meremur; ergo idem.

Reſp. ad 1. neg. conſ. Ad prob. dicitur oppoſitorum eſſe eandem rationem genericam, vt idem color eſt genus ad albedinem, & nigredinem; non autem eadem rationem differentialem; vt patet; ideo neg. conſ. Ad 2. neg. ant; Deus enim nequit præcipere malum morale, quod eſt eſſentialiter tale; deſiſtentia autem ab omni actu eſt malum morale eſſentialiter, quia importat otioſitatem. Ad 3. dicitur non omiſſionem, ſed actum poſitiuum, quo volumus Deo obedire, & abſtinere à matrimonio, placere Deo, & eſſe meritorium; ablato autem hoc actu nil remanet placens Deo, & meritorium.

17 Tertia conditio prob. *ex Apoſt. Rom.10. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Ex quo ſic arguit *Beatiſs.P. ep.105.* Retributio prœmij eſſentialiter ſupponit actionem bonam factam in vtilitatem, vel gloriam, & obſequium retribuentis; ſed meritum eſſentialiter importat retributionem prœmij; eſt enim correlatiuum ad prœmium; ergo eſſentialiter importat actionem bonam factam in vtilitatem, vel gloriam, & obſequium retribuentis. Prob. ma. Retributio pœnæ eſſentialiter ſupponit actionem malam factã in damnum, iniuriam, & offenſam retribuentis; ergo à pari.

18 Quarta conditio prob. *à Beatiſs.P.ep.46. Vt iuſti fierent, merita non fuerunt; iuſti enim facti ſunt, cùm iuſtificati ſunt; ſed ſicut dicit Apoſtolus Rom.3. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius.* Ex quo ſic arguit *Fund.Doct. in 2. diſt.28. qu.2. art.1. §. Poſtquam.* Actio eſſentialiter præſupponit principium, à quo elicitur; ſed gratia iuſtificans eſt principium actionis meritoriæ; ergo gratia iuſtificans præſupponitur actioni meritoriæ. Ma. patet; quia quæcunque cauſa eſt prior effectu ſaltem prioritate naturæ. Prob. mi. Intantùm actio eſt meritoria; in quantùm eſt grata ei, apud quem meretur; actio enim non grata potiùs demeretur, quàm mereatur; ſed implicat, quòd aliqua actio ſit grata Deo abſque gratia iuſtificante; quia hæc ſolùm reddit actionem formaliter gratam; ſicut enim ab albedine res dicitur formaliter alba; ita à gratia dicitur actio formaliter grata; ergo gratia iuſtificans eſt principium actionis meritoriæ. *Sed de hoc inf.* 2. Si meritum non præſupponeret merentem eſſe iuſtificatum per gratiam, poſſet quis mereri ſuam iuſtificationem; nam qui poteſt mereri finem, poteſt mereri, & media conducentia ad finem, quia à fine dependent; & ſunt quid minus fine; ſed nullus poteſt mereri gratiam iuſtificantem, vt docet *Apoſt*; quia gratis datur; ergo idem.

19 Quinta conditio prob. *ex Galat.6. Dum tempus habemus, operemur bonum*; patet autem *Apoſt.* loqui de tempore, quo ſumus in hac vita, quod tempus non habebimus in alia vita; & ideo bonum meritorium ſolùm in hac vita, non in alia, poſſumus operari. Hinc *Beatiſs.P. lib.22.de Ciu.Dei c.30.* ait: *Seruandi autem gradus erant Diuini muneris, ut primùm daretur liberum arbitrium, quo non peccare poſſet homo; nouiſſimum, quo peccare non poſſet; atque illud ad comparandum meritum; hoc ad recipiendum præmium pertineret.* Ex quo ſic. Status prœmij contradiſtinguitur formaliter à ſtatu meriti; prœmium enim eſt correlatiuum meriti; & correlatiua contradiſtinguuntur ad inuicem; quanuis enim idem ſecundùm rem, vt diximus *tom.3. de Ang. quaſt.8. art.4*; poſſit eſſe meritum, & prœmium ſecundùm diuerſas rationes formales, ſcilicet prout habet rationem motus, & termini, ſeu quietis; attamen meritum, & prœmium contradiſtinguuntur formaliter, quia conſtituuntur per diuerſas rationes formales; vt *ibid.* dictum; ſed ſtatus prœmij eſt ſtatus patriæ, quia eſt ſtatus quietis, & termini; ergo ſtatus meriti eſt ſtatus viæ. Præterea arguit *Fundat. Doct. in 2.diſt.7. q.1.art.2. §.Sunt autem, & ſeq.* In tantùm meremur, in quantùm mouemur ad acquirendum prœmium, quod non habemus;

vel ſi illud habemus; attamen illud non poſſidemus ſub ratione prœmij; ſed ſolùm in ſtatu viæ poſſumus moueri, quia via eſſentialiter dicit motum ad terminum; & in termino habetur eſſentialiter quies, quæ importat ceſſationem à motu; ergo ſolùm in ſtatu viæ ſolùm poſſumus mereri. Tum quia meritum importat laborem; proponitur enim nobis *Matt.*20. ſub parabola laborantium in vinea Domini; ſed ſolus ſtatus viæ eſt ſtatus laboris, quia ſtatus gloriæ eſt tantùm mercedis, & quietis; ergo ſtatus meriti eſt ſtatus viæ.

20 Sexta conditio colligitur *ex Matth.*20. *Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno*; ſuper quod *Beatiſs.P. de Verb. Domini ſerm.*59. ait: *Denarius ille diurnus vita æterna eſt; & de Domo perſen.c.*8. *Nunquid, & hìc audierunt murmurantes à Patrefamilias, niſi hoc volo?* Conſonat *Fund.Doct.in* 2.*diſt.*27.*quæſt.*1. *art.*4.§.*Secundò* dicens: *Conſiderata tamen Diuina promiſſione, qua conduxit nos in vineam ſuam pro huiuſmodi præmio, & pro huiuſmodi denario, eſt ibi quoddam condignum, & quadam æquitas.* An autem iſta ordinatio, pactum, ſeu conuentio ſit indiſtincta, vel diſtincta à voluntate dandi gratiam habitualem, dicemus *in ſeq.art.*

A R T. II.

An, & quomodo poſſimus mereri vitam æternam?

1 EX *Scripturis* conſtat vitam æternam dari nedum ſub ratione hæreditatis juxta illud *Rom.*8. *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*; ſed etiam per modum prœmij, mercedis, & coronæ, quæ ex iuſtitia redditur meritis iuxta illud 2. *ad Thim.* 4. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi in illa die iuſtus Iudex.* Certum eſt etiam merita, quibus redditur vita æterna, eſſe dona Dei miſericorditer nobis donata; vt docet *Beat.P.ep.*105; *& de grat.& lib.arb.c.*8; & ex illo *Fund.Doct. in hac diſt.*27.*art.*4.*in* 2.*reſp.ad* 4. Quæritur modò; an vita æterna debeatur meritis ex iuſtitia ita, vt ex ſua ratione formali habeant condignitatem ab intrinſeco; vel ex Diuina liberalitate fidelitate, miſericordia, vel quocunque alio titulo ita, vt habeant condignitatem tantùm extrinſecam, idèſt fiant condigna vitæ æternæ per alium actum voluntatis Diuinæ diſtinctum ab actu donante merita?

2 Ratio dubitandi eſt; nam *Luc.*17. habetur: *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Serui inutiles ſumus; quod debuimus facere, fecimus*; ſeruus autem non meretur ex iuſtitia mercedem, aut prœmium à Domino; quia inter ſeruum, & Dominum non datur ius ſtrictè ſumptum; operatur enim ex debito, non liberè, & ideo non ex merito, quia libertas requiritur ad meritum, vt dictum eſt *in ſup. art.* Item *Rom.* 8. *Non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*; ex quibus patet nos non mereri gloriam de condigno etiam per martyrium, quod eſt actus ſummè meritorius; *& Rom.*5. *Gratia autem Dei eſt vita æterna*; quod autem eſt ex gratia, non eſt ex meritis, quia meritum gratiam euacuat; vt habetur *Rom.* 12.

3 Ex oppoſito habet *Apoſt.*2.*ad Tim.*4. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex*; *& Rom.*4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam; ſed ſecundùm debitum*; *&* 2.*ad Teſſal.*1. *Vt digni habeamini in Regno Dei*; *& Apoc.*3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt*; *& Sap.*3. *Quoniam Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos ſe*; *& Matt.*5. *Quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cœlis*; & ſimilia; ex quibus deducitur vitam æternam reddi meritis de condigno; quia merces redditur operibus de condigno; *vt Luc.*10. *Dignus eſt enim operarius mercede ſua*; & quod redditur ex iuſtitia, redditur de condigno. Propter hæc diuiſi ſunt *Theologi*.

4 Prima ſententia vult gloriam non reddi meritis ex condignitate iuſtitiæ, ſed tantùm ex fidelitate, vel gratitudine; quia Deus fidelis eſt in obſeruando, quæ promittit; & gratus eſt operibus bonis. *Ita Vaſq. hìc diſp.*215. *c.*1; *& ſeqt Lorc; Aran; & alij.*

5 Secunda vult merita habere quidem condignitatem ad gloriam, non intrinſecam, ſed extrinſecam, quæ conſtituitur per acceptationem, promiſſionem, pactum, & ordinationem Dei; qua præciſa non eſſent digna vita æterna. Tribuitur *Scot.in* 1.*dix.*17.*q.*2.*& in* 3.*diſt.*18.*q.*1.*& alijs Nominalibus.*

6 Tertia vult gloriam reddi meritis ex ſtricta iuſtitia commutatiua, quæ eſt in Deo ſecluſis imperfectionibus; ordinationem autem Dei extrinſecam conſiſtentem in pacto, & promiſſione requiri ſolùm tanquam conditionem complentem meritum de condigno. *Ita Suar.lib.*12. *de grat. c.*30. *noſter Gibb. hìc diſp.*31. *dub.*2; vbi refert *noſtrum Bernardin; Aluar; Tanner; & alij.*

7 Quarta vult gloriam reddi meritis ex vera, & ſtricta iuſtitia diſtributiua, & ordinationem extrinſecam non eſſe neceſſariam ad rationem meriti, neque tanquam rationem formalem, neque tanquam conditionem, ſed ſufficere illam ordinationem, quæ includitur in voluntate dandi gratiam, vt principium meriti. *Ita Gonet hìc diſp.*2.*art.*3;*&* 4; apud quem *Caiet; Conr; Sot; Serra, & alij.*

8 Quinta vult merita habere valorem intrinſecum dignum vita æterna in actu primo remoto; proximè tamen requirere promiſſionem Diuinam, vt ſint compleṫè condigna. *Ita noſter Gibb. hìc diſp.*29. *dub.*10; vbi refert *Fund. Doct.* ſed falsò; *& noſtros Bernardin; ac Gamboam; & ex alijs Med; Zum; Suar; Granad; Ripald; Monteſin; Ouied; Amic; Arriag; Philipp. à SS. Trin; & alios.*

9 No-

9 Noſtra tandem docet, quòd merita habent condignitatem intrinſecam gloriæ, quantùm ad rem; quantùm autem ad quantitatem rei habent ſolùm cōdignitatem à Diuina promiſſione, liberalitate, & magnificentia; & hano condignitatem non eſſe ex iuſtitia diſtributiua ſimpliciter, & rigorosè, ſed ex ſimilitudine iuſtitiæ diſtributiuæ, & latè. *Ita Fund.Doct.vbiſ* ait enim §.*Hoc ergo: Si conſideremus gratiam, meremur gloriam, & vitam æternam ex condigno, quantùm ad rem; ſed non quantùm ad quantitatem rei. Quantùm ad rem quidem meremur ipſam; quia omnis habens gratiam dignus eſt gloria, & dignus eſt vita æterna; propter quod quantùm ad rem, poteſt ibi eſſe meritum ex condigno. Sed quantùm ad quantitatem rei, non erit ibi meritum ex condigno, quia dabitur nobis menſura bona, conferta, & coagitata, & ſuperfluens; præmiabimur enim vltra condignum, & mali punientur citra condignum.* Et deinde §. *Secundò poſſumus mereri ex condigno, & cum quadam æqualitate vitam æternam, ſi conſideremus Diuinam promiſſionem.* Infra §. *Tertiò poſſumus mereri ex condigno, & æquitate vitam æternam eo modo, quo habebimus ipſam, ſi conſideretur Diuina liberalitas, vel Diuina magnificentia.* Aliud verò docet *in ſup. art.3.* §.*Reſpondeo* vſque *ad* §.*His viſis*; vbi ait, quòd inter Dominum, & ſeruum; inter patrem, & filium; inter virum, & vxorem rigoroſa iuſtitia cadere non poteſt; & quia comparamur ad Deum, tanquam ſerui ad Dominum, tanquam filij ad patrem; & tota Eccleſia fidelium, tanquam ſponſa ad ſponſum; ideo inter nos, & Deum ſtricta iuſtitia eſſe non poteſt. Hanc putamus eſſe ſententiam *D.Thom*; quam non modicum obuoluerunt *eius Expoſitores*.

10 Vnica concl. Per gratiam habitualem poſſumus mereri gloriam quantùm ad rem, ex condignitate iuſtitiæ non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, & ſimilitudinariè ſumptæ; quantitatem autem gloriæ poſſumus mereri ſolùm attenta promiſſione, liberalitate, & magnificentia Diuina.

Prob. 1. Sola hæc ſententia eſt congruentior *Diuinis Scripturis*, earumque rectè explicat concordantiam; ergo ſola eſt tenenda; quia id, quod non congruit *Scripturis Diuinis*, in quibus veritas infallibilis eſt, nec verum eſt, nec tenendum. Prob. ant. *Scriptura Diuina* docet. 1. gloriam reddi operibus ex debito, & ex iuſtitia; vt diximus pro 2. parte rationis dubitandi: ergo operibus bonis debetur gloria ex iuſtitia, non ex fidelitate, aut gratitudine, aut ex promiſſione; quia quod redditur ex debito iuſtitiæ, non redditur ſolùm ex fidelitate, aut gratitudine, vt patet; nam ſi quod redditur ex debito iuſtitiæ, non redderetur; non reddens eſſet iniuſtus: non reddens verò ex motiuo fidelitatis, aut ingratitudinis eſſet infidelis tantùm, aut ingratus; Deus autem non reddens meritis gloriam eſſet iniuſtus *ex Apoſt*; aſſerente: *Abundate in omni opere bono, ſcientes quòd non eſt iniuſtus Deus vt obliuiſcatur operis veſtri*, quæ verba refert *Trid.ſeſs.6. c.6; & Beatiſs.P. de nat; & grat.c.2. Non eſt iniuſtus Deus, vt iuſtus fraudet mercede ſua*; ex quo reijcitur 1. ſententia tanquam *Scripturæ* inconformis. Præterea docet bene operantes eſſe dignos vita æterna; vt *ſup.* viſum eſt *in textibus allatis*; ſed operantes, qui ſunt digni vita æterna; ſuis operibus illam merentur ex condignitate iuſtitiæ; ergo ex condignitate operum intrinſeca operibus, non extrinſeca merentur vitam æternam; per quod refellitur 2. ſententia. Docet 2. vitam æternam eſſe gratiam, & ideo reddi ex gratia; vt habetur *Rom.6. Gratia autem Dei vita æterna; & pſ.102. Qui coronat te in miſeratione, & miſericordia*; quia vt explicat *Beatiſs.P. de grat; & lib.arb c.8; & 9*; ipſa merita, quibus redditur gloria, ſunt gratia; vt dicitur *Io. 1. Nos ex plenitudine eius accepimus, & gratiam pro gratia; gratiam* quidem, idèſt gloriam, quæ gratia eſt; *pro gratia*, idèſt pro meritis, quæ gratia ſunt; ſed quod redditur ſimul pro iuſtitia, & pro gratia, non eſt ex iuſtitia ſimpliciter, aliter eſſet ſolùm ex iuſtitia, non ex gratia; ergo gloria non redditur meritis ex condignitate iuſtitiæ ſimpliciter, ſed ſecundum quid, & ſimilitudinariè. Docet 3. merita noſtra eſſe inutilia ad gloriæ conſecutionē; quia ſumus ſerui, & non eſſe condigna ipſius gloriæ; vt diximus pro 1. parte rationis dubitandi: & *Luc.6. Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum*; & merita noſtra præmiantur ſupra condignum; ſed ſerui præmiantur ſupra condignū, quia inter ſeruum, & Dominum non eſt condignitas iuſtitiæ, nec ius ſtrictè ſumptum, vt diximus *de iuſt; & iur. art.1*; præmium autem collatum ſupra condignum non æquatur merito iuxta quantitatem æqualem; vt conſtat: ſed tantùm poteſt æquari attenta promiſſione, liberalitate, & magnificentia ipſius Domini, & præmiantis; nam ſi Dominus liberaliter, & magnificenter promittat ſeruo elicienti aliquam operationem bonam, mercedem, vt quatuor, quæ merces excedit valorem illius operationis: tunc illa merces æquatur illi promiſſioni liberaliter, & magnificenter factæ, non autem æquatur valori illius operationis; ergo quantitatem ipſius gloriæ poſſumus mereri ex condigno ſolùm attenta Diuina promiſſione, liberalitate, & magnificentia.

11 Prob. 2. reijciendo alias ſententias: Quod redditur, vt præmium, vt merces, & corona, non redditur ex fidelitate, & gratitudine, ſed ex iuſtitia; atqui gloria eſt huiuſmodi; ergo non redditur ex fidelitate, & gratitudine, ſed ex iuſtitia. Probatur maior. Præmium, merces, & corona eſſentialiter eſt retributio meriti, laboris, & victoriæ, vt eſt manifeſtum

prœmium enim eſſentialiter refertur ad meritum, merces ad laborem, & corona ad victoriam; ſed retributio meriti, laboris, & victoriæ non eſt formaliter actus fidelitatis, & gratitudinis, ſed iuſtitiæ; quia retributio eſt actus dandi pro accepto; actus autem dandi pro accepto eſt actus iuſtitiæ, vt patet in actu venditionis, & emptionis; in quo venditor dat rem pro accepta pecunia; & emptor è contra; ergo prœmium, merces, & corona redditur ex iuſtitia, non ex fidelitate, & gratitudine: Tum quia gratia iuſtificans datur peccatori ſe conuertenti ex fidelitate, non ex meritis, quæ nulla ſunt ante iuſtificationem; & Incarnatio *SS.PP.* promiſſa nobis data eſt ex fidelitate, *non ex actibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos*; ergo actus reſpiciens eſſentialiter merita non eſt formaliter actus fidelitatis; atqui collatio gloriæ, vt eſt prœmium, eſt actus reſpiciens eſſentialiter merita; ergo non eſt actus fidelitatis, ſed iuſtitiæ. De gratitudine dictum eſt *to.2.de iuſt.Dei art.3.num.23.* Tum quia inter ſeruum, & Dominum; patrem, & filium; virum, & vxorem nequit dari gratitudo; quia gratitudo dicit beneficium gratis acceptum; quidquid autem facit ſeruus pro Domino; filius pro patre, & vxor pro viro, facit ex debito; quia illi obligatur; licèt non è contra; ſed anima iuſti eſt ſerua, filia, & ſponſa Dei; ergo in Deo reſpectu creaturæ nequit eſſe vera gratitudo; quæ reperitur tantùm in creatura reſpectu Dei; quia creatura recipit gratis à Deo tot beneficia; ob quæ tenetur ei gratias rependere; & ſic reiecta manet 1. ſententia.

12 Reijcitur ſecunda. Merita habent valorem ex gratia ſanctificante; ſed gratia ſanctificans habet intrinſecè ius ad gloriam; vt diximus *quæſt.3.art.2; & q.4.art.1.S.2*; ergo & merita. 2. Si merita non haberent condignitatem intrinſecam; gloria non redderetur meritis, ſed promiſſioni extrinſecæ; quia prœmium, & merces redditur ei, quod eſt dignum formaliter intrinſecè; ſed conſ. eſt *contra Scripturas*; ergo & ant. 3. Actus malus eſt intrinſecè demeritorius vitæ æternæ; ergo actus meritorius eſt intrinſecè dignus. 4. Ad hoc, vt aliquod ſit intrinſecè dignum aliqua re, ſufficit, quòd habeat eandem dignitatem intrinſecè, quam habet illa res; & ad hoc, vt habeat eandem dignitatem, ſatis eſt, quòd ſit eiuſdem ordinis, & perfectionis ſpecificæ; quamuis enim non habeat eandem quantitatem, quam habet alia res; attamen eſt æquè dignum illa re conſiderata ſecundùm rem, non ſecundùm quantitatem; v.g. quamuis dimidius nummus aureus nõ ſit æquè dignus, ac nũmus aureus ſecundùm quantitatem, eſt tamen æquè dignus ſecundùm rem præſcindendo à quãtitate rei; ſed actus meritorij habent eandem dignitatem intrinſecè, quam habet gloria; nam ſunt eiuſdem ordinis ſupernaturalis; & eiuſdem ſpeciei, quia actus charitatis viæ, & charitatis patriæ non differunt ſpecie, ſed ſolùm differunt ſecundùm perfectum, & imperfectum; ergo quamuis non ſint digni gloria ſecundùm quantitatem illius, ſunt tamen intrinſecè digni ſecundùm rem.

13 Tertia ſententia reiecta fuit *to.2.de iuſt. Dei art.* 3; vbi oſtenſum fuit non dari formaliter in Deo iuſtitiam commutatiuam. *Vid. rationes ibid. allatas.*

14 Reijcitur quarta. 1. *Ex textibus allatis, Non ſunt condigna paſſiones huius temporis &c. Cùm feceritis &c.* 2. Nullum temporale eſt æquè dignum, ac æternum; ergo ex ſtricta iuſtitia ſimpliciter non poſſumus mereri vitam æternam quantùm ad quantitatem rei. 3. Iuſtitia diſtributiua non reſpicit eſſentialiter exceſſum ad meritum; nam ſi quis diſtributor v.g. habenti meritum, vt quatuor, daret prœmium, vt quatuor; & habenti meritum, vt duo, daret prœmium, vt duo; non eſſet iniuſtus, ſed iuſtus; ergo cum dat exceſſum prœmij ad quantitatem meriti, hoc non agit ex ſtricta iuſtitia diſtributiua formaliter; aliter non dans exceſſum eſſet formaliter iniuſtus diſtributor; ſed ex liberalitate, magnificentia, & promiſſione, per quam ſolùm redditur meritum æquale proemio. 4. Diſtribuens plus, quàm exigat meritum, illud plus eſt effectus liberalitatis, & magnificentiæ ipſius diſtributoris; non enim reſpondet merito, quia eſt ſupra meritum; aliter non eſſet plus, quàm meritum, ſed æquale merito; ergo quantitas prœmij excedens quantitatem meriti non tribuitur ex iuſtitia, quæ neceſſariò exigit æqualitatem exceſſus in merito, ſed ex liberalitate, & magnificentia, quæ nihil exigit in eo, cui ille exceſſus confertur. 5. Ad ſtrictam iuſtitiam requiritur, quòd nulla gratia interueniat; ſed meritum eſt gratia; ergo non retribuitur ex ſtricta iuſtitia. 6. Inter patrem, & filium; ſeruum, & dominum non eſt ſtricta iuſtitia; quia iuſtitia eſſentialiter eſt ad alterum; filius autem eſt pars patris; & ſeruus res Domini; ergo inter Deum, & creatorem non eſt ſtricta iuſtitia.

15 Reijcitur quinta. Gloria reduplicatiuè, vt prœmium, confertur merito ex iuſtitia, vt dictum eſt; ſed actus iuſtitiæ formaliter non completur per actum promiſſionis Diuinæ, quia promiſſio Diuina eſt actus liberalitatis, aut magnificentiæ, aut fidelitatis, vel alterius virtutis; actus autem vnius virtutis non completur formaliter per actum alterius virtutis, nec poteſt eſſe actus primus reſpectu actus alterius virtutis, tanquam reſpectu actus ſecundi; quia actus primus, & ſecundus pertinent ad eandem virtutem, vt patet; ergo meritum non completur formaliter per promiſſionem Diuinam.

16 Si autem intelligat *Gibb.* quòd compleatur in ratione exceſſus eo modo, quo dictum eſt; verum dicit, & veraciter citat *Fund. Doct.* nec allata ratio hoc improbat; quia promiſſio extrin-

ſeca

ſeca ſolùm ſupplet defectum meriti, & ipſum æquat prœmio; quod non eſt complere formaliter actum in ratione actus intrinſecè, ſed valorem ipſius tantùm extrinſecè arguere.

17 Obijc. 1. *Vaſq.* Vita æterna eſt gratia, vt docet *Apoſt*; *& Trid. ſeſſ. 6. c. 6*; ſed quod datur ex gratia, non datur ex iuſtitia ſtrictè ſumpta; ergo datur ex iuſtitia latè ſumpta, vt eſt fidelitas, & gratitudo. 2. Retributio pœnæ pro demeritis ſpectat ad iuſtitiam vindicatiuam, quæ non eſt ſtricta iuſtitia, ſed pars potentialis illius; ergo idem dicẽdum de retributione meritorum. 3. Remuneratio meritorum reſpicit affectum dantis; vt patet *de Vidua*, quæ offerens duo minuta plus obtulit, quàm alij propter maiorem affectum, vt dicitur *Marc. 12*; ſed reſpicere affectum eſt proprium gratitudinis, non iuſtitiæ, quę reſpicit ſolùm æqualitatem dati, & recepti; ergo idem, quod prius. 4. Merito non debetur præmium ex iuſtitia; ergo tantùm ex fidelitate. Prob. ant. 1; quia debitum fundatur in ratione dati, vel accepti; creatura autem nequit aliquid Deo dare, vt ei retribuatur iuxta illud *Rom. 12. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* 2. Quod eſt debitum ex iuſtitia, habet rationem pretij, pretium autem diſtinguitur à præmio, quia pretium redditur etiam pro labore brutorum. 3. Sequeretur, quòd ſi Deus merita noſtra non remuneraret, faceret nobis iniuriam, quod eſt falſum; nam docet *Beatiſs. P. in pſ. 78. Si Deus damnaret iuſtum; quis ei diceret, quare ſic feciſti.* 4. Debitum ex iuſtitia repugnat ſupremo Domino, vt eſt Deus; quia ſupremum dominium eſt *ius vtendi qualibet re ſine iniuria alterius*; poſito autem debito ex iuſtitia Deus non haberet ſummum dominium gloriæ; quia illam non poſſet negare ſine iniuria creaturæ. 5. Debitor ex iuſtitia ſubditur creditori; Deus autem nequit ſubdi creaturæ. 6. Debitor ex iuſtitia tenetur ſe abdicare à dominio rei debitæ, & illud transferre in creditorem, Deus autem non poteſt ſe ſic abdicare. 7. Inter ſeruum, & Dominum non datur vera iuſtitia. 8. Homo recipiens gloriam conſtituitur debitor Dei; quia ab illo accipit nouum beneficium, nouum donum, & nouam gratiam; ergo gloria non eſt ei debita.

Reſp. ad 1. *cum Beatiſs. P. de grat. & lib. arbitr. c. 8*; quòd vita æterna eſt gratia, quia redditur meritis, quæ ſunt gratia Dei; & ideo dicitur *gratia pro gratia*; eſt tamen etiam iuſtitia, quia redditur meritis; vnde ſicut merita habent duplicem rationem, ſcilicet gratiæ Dei, & meriti noſtri; ita gloria, prout eſt reſpondet meritis, quatenus habent rationem gratiæ, gratia eſt; prout verò reſpondet meritis, quatenus habent rationem meriti, præmium eſt, quod ex iuſtitia redditur. Ad 2. diſt. ant. Retributio pœnæ, prout eſt propulſatiua iniuriæ, eſt pars potentialis iuſtitiæ, conc; prout eſt inflictiua pœnæ cum æqualitate ad demeritum, neg; ſic enim pertinet ad diſtributiuam; quæ diſtribuit nedum præmia iuxta æqualitatem meritorum, ſed etiam pœnas iuxta æqualitatem præmiorum. Ad 3. neg. min; nam cùm affectus ſit meritorius, & iuſtitia diſtributiua reſpiciat formaliter merita, ideo reſpicit formaliter affectum. Ad 6. neg ant. Ad 1 prob. diſt. antec. Debitum iuſtitiæ commutatiuæ, quæ habet permutare vnam rem cum alia, vel cum pecunia; vel pecuniam cum pecunia, fundatur in ratione dati, & accepti, conc; diſtributiuæ, quæ habet ſolùm retribuere meritis, neg. Vel diſt. mi. inſert. Creatura nequit aliquid dare Deo non acceptum à Deo, conc; acceptum, neg. Creatura ergo nequit aliquid priùs Deo dare, vt ei retribuatur; attamen poteſt illud accipere à Deo, & poſtea dare Deo; quia accipit merita, quæ ſunt ei à Deo donata, & illa tribuit Deo, vt eis à Deo retribuatur gloria; & hoc vult *Apoſt.*, vt explicat *Beatiſſ. P.* Ad 2. prob. diſt. min. Pretium meritorum diſtinguitur à præmio, neg; pretium laborũ, qui non ſunt meritorij, vt ſunt actiones brutorum, conc. Ad 3. prob. *Gonet* neg. ma; nam debitum iuſtitiæ diſtributiuæ non naſcitur ex iure alterius; ſicut naſcitur ius commutatiuæ: ſed naſcitur ex rectitudine naturali, & ex ipſa lege ęquitatis. Sed iſta reſponſio nil obtinet, nam habens meritum habet verum ius ad præmium, ideo ius merentis naſcitur ex ipſo merito, & non ſolùm ex ipſa rectitudine. Tum quia ſi Deus ageret contra legem æquitatis, iam eſſet iniuſtus, & ideo iniuriam faceret creaturæ, quia faceret contra ius, quod illi fauet. Omiſſa igitur hac reſp. neg. mi; & *ad Beatiſſ. P.* dicitur loqui tranſitiuè, non intranſitiuè; idèſt ſi damnaret iuſtum permittendo, vt labatur in peccatum, & tranſeat de ſtatu iuſti ad ſtatum peccatoris; nam intranſitiuè loquens ait Deum fore iniuſtum, ſi negaret mercedem iuſtis, vt *ſup.* dictum eſt. Ad 4. prob. diſt. Debitum ſimpliciter, & abſolutè repugnat ſupremo dominio, conc; debitum ex ſuppoſitione, quod aliunde eſt gratuitum, quia donatum, neg. Saluatur ergo ſupremum Dei dominium, quia meritum, quod fundat ius ad gloriam, eſt merum donum Dei liberè donatum creaturæ, vt diximus *cum Beatiſſ. P.*, & ideo ſicuti illud liberè dedit; ſic liberè potuit illud negare; imò illud extinguere, quia poteſt permittere, vt ruat in peccatum, & ius illud amittat. At ſuppoſito, quòd maneat meritum, & ius naſcens ex merito, non poteſt prœmium negare; neceſſitas autem ſuppoſitionis non tollit dominium liberum, vt patet in nobis. Ad 5. prob. diſt. eodem modo. Si debitor ſit ex iuſtitia ſimpliciter, conc; ſi ſimul ex gratia, & iuſtitia, neg; nam liberè donans alicui non eſt ſubditus donatario, quoties poteſt donationem reuocare permittendo, vt donationem amittat. Ad 6. diſt. eodem modo. Si ſit debitor ſimpliciter, conc; ſi ex ſuppoſitione conceſſerit ius particulare cum retentione dominij ſupremi, neg; vt patet de Rege concedente ſubdito

dito dominium ſubordinatum alicuius Feudi, & retinente dominium ſupremum. Ad 7.diſt. Simpliciter, conc; ex ſuppoſitione, quod pater conſtituat filium liberum in aliquibus bonis, & ſic de ſeruo, neg, Ad 8. diſt. conſ. Gloria, vt gratia, non eſt ei debita, conc; vt prœmium, neg; cùm enim gloria ſit ſimul iuſtitia, & gratia: ſicut meritum eſt ſimul meritum, & donum; & quatenus debitum eſt ſimul donum; ideo vt gratia, eſt indebita; & vt iuſtitia, eſt debita. Igitur in his omnibus diſtinguendum eſt de debitore, qui eſt ſimpliciter debitor, & nullo modo eſt creditor, & donator; ſic enim dicit imperfectionem; & de debitore ex ſuppoſitione, qui eſt ſimpliciter creditor, & donator, & habet altum, ac ſupremum, abſolutúmque dominium vniuerſaliſſimum omnium; ſic namque dicit perfectionem, & non repugnat Deo. Sicut enim Deus, qui eſt cauſa ſuprema, poteſt communicare rationem cauſæ particularis creaturæ; ſic quia eſt Dominus ſupremus, poteſt communicare dominium particulare creaturæ; quia communicat libertatem, quæ dominium formaliter importat; per dominium autem conſtituitur ius creditoris; ſed hoc ius mora Dei gratia eſt; & ideo non eſt iuſtitia ſimpliciter, ſed ſimile iuſtitiæ.

18 Dices 1. *cum Araujo*. Ex his ſequitur remunerationem meritorum eſſe antidotalem; antidora enim, vt colligitur *ex Gloſ. in l.Sed etſi §.Conſuluit ff.de petit.hæredit.*, idem eſt, ac *contraria donatio*; dicitur nanque ab *anti*, quod ſignificat *contra*; & *doron*, quod ſignificat *donum*; gloria autem donatur meritis; vt dictum eſt; ſed retributio antidoralis eſt ex gratitudine, non ex iuſtitia; ergo datur ex gratitudine.

Reſp. neg. ſeq; nam retributio antidoralis eſt pro beneficio gratis accepto; Deus autem nullum beneficium accipere poteſt gratis à creatura; quæ omnia debet in Deum referre. Dicitur ergo gloria donari, prout reſpondet gratiæ, per quam acquiritur; dicitur verò retribui, prout reſpondet meritis ſub ratione meritorum.

19 Dices 2. Ratio debiti importat imperfectionem; ergo nequit Deo congruere.

Reſp. diſt. ant. Formaliter, neg; materialiter, conc; debitum enim fundatum in ſeruitute dicit imperfectionem; & fundatum in liberalitate nullam imperfectionem importat; hinc Rex liberaliter promittens ſubdito, quanuis debitor illius euadat; attamen quia tale debitum fundatur in mera, & gratuita liberalitate ipſius Principis, non reddit Principem inferiorem ſubdito, nec vllam aliam imperfectionem importat.

20 Obijc. 1. pro 2. ſent. Opera, quantunuis ſancta, ſunt improportionata beatitudini; quia ipſa ſunt finita; illa verò eſt obiectiuè infinita; ergo non habent dignitatem, niſi ab extrinſeca promiſſione Dei. 2. Ablata promiſſione, vel pacto opera non ſunt meritoria vitæ æternæ; quia opera animarum Purgatorij, & beatarum nequeunt mereri vitam; illis enim Deus non promiſit vitam æternam; ergo non ſunt ab intrinſeco meritoria. 3. *Trid.ſeſſ.6.c.6. Mogunt.in confeſſ.fidei c.8., & Senon in decret.fidei c.16.* docent opera iuſtorum habere rationem meriti ex Diuina promiſſione, ergo idem. 4. Opera Chriſti habuerunt meritum ex pacto, & promiſſione Diuina; nulla enim ratio aſſignari poteſt, cur opera Chriſti, quæ fuerunt infiniti valoris, non meruerint gloriam etiam Angelis malis, niſi pactum Diuinum; ergo idem. 5. Meritum dicit ordinationem nedum ad prœmium, ſed etiam ad debitorem prœmij; ſed Deus nequit eſſe debitor, niſi ratione pacti, ſeu promiſſionis ſuæ; habet enim *Beatiſſ.P. ſerm.16. de Verb. Apoſt. Debitor factus eſt, non aliquid à nobis recipiendo, ſed quod placuerit, promittendo*; ergo idem. 6. *Gibb.* Meritum de condigno tribuit merenti ſtrictum ius ad prœmium; & conſtituit in prœmiante ſtrictum debitum ex iuſtitia iuxta *Rom.4. Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum*; at nulla creatura poteſt conſtituere Deum ſtrictè debitorem ex iuſtitia ſine ipſius promiſſione; quærit enim *Beatiſſ. P. vbiſ. An creatura poſſit dicere ſuo Creatori: Redde mihi, quod debes?* Vbi reſpondet quòd tantùm dicere poteſt: *Redde, quod promiſiſti; quia fecimus, quod iuſſiſti*; ergo idem. 7. *Idem*. Nemo poteſt habere ius ad rem alterius, niſi interueniat pactum illius; ſed gloria eſt bonum proprium Dei; ergo creatura illam meretur tantùm ex pacto. 8. Ad meritum requiritur ordinatio Dei ad prœmium, vt diximus *in ſuper. artic.*, ergo idem.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Sunt improportionata beatitudini quantùm ad rem, neg; quantùm ad quantitatem, conc; finitas autem, & infinitas ſumuntur penes quantitatem rei; & ſic eodem modo diſt. conſ. Ad 2. neg. ant. Ad prob. infert. dicitur opera beatorum, & purgantium non eſſe meritoria, quia non ſunt in ſtatu viæ, ſed in termino, non autem defectu pacti. Ad 3. dicitur, ſicut ad 1; opera iuſtorum habere rationem meriti ex Diuina promiſſione quoad quantitatem rei. Ad 4. neg. ant. Ad prob. dicitur *cum Fund. Doct.* Chriſtum Dominum non meruiſſe gloriam Angelis malis, quia ſtatim poſt peccatum fuerunt in termino, & deſierunt eſſe in via; vt diximus *tom.3.* Ad 5. diſt. mi. Deus nequit eſſe debitor ſimpliciter, conc; ex ſuppoſitione gratiæ conceſſæ, neg. *Beatiſſ.P.* autem ait, quòd Deus non eſt debitor ſimpliciter; quia *totum, quod ſumus, & quod habemus boni, ab illo habemus*. Eſt tamen debitor ſecundùm quid ſuppoſita gratia; quia *ibid.* ait: *In his, quæ iam habemus, laudemus Deum largitorem; in his, quæ nondum habemus, tenemus debitorem*. Quibus verbis apertè docet nos non poſſe mereri gratiam, ſed tantùm gloriam. Promiſſio autem reſpicit nõ rem, ſed quanti-

ritatem rei, Vel dicitur, quòd talis promiſſio non eſt alia à voluntate dandi gratiam. Ad 6. diſt. mi. Meritum ſimpliciter, conc. meritum ſecundùm quid, quod eſt ſimul gratia, neg. Ad 7. neg. ma; qui enim præſtat aliquod beneficium alicui, meretur apud illum etiam non ſuppoſito pacto de tali beneficio præſtando. Ad 8. dicitur, quòd ordinatio Dei requiritur ad quantitatem præmij, vt dictum eſt; ad rem autem nulla alia ordinatio requiritur, quàm illa, per quam confert nobis gratiam.

21 Objic. 3. *Gibb.* pro 3. ſent. Proprium eſt iuſtitiæ commutatiuæ reddere tantùm pro tanto proportione aritmetica; ſed iuſtitia Dei eſt huiuſmodi; vt dicitur 1. *Cor.* 3. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiunt ſecundùm ſuum laborē*; ergo eſt commutatiua. 2. Collatio boni promiſſi pro æquali pretio interueniente pacto eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ; ſed collatio gratiæ eſt huiuſmodi; ergo idem.

Reſp. ad 1. neg. ma; nam vt diximus *to.* 2. *vbiſ.* commutatiua importat rem commutatam non eſſe ſub dominio recipientis; reddere autem tantum pro tanto eſt commune etiam iuſtitiæ retributiuæ, & diſtributiuæ; ut dictum eſt. Neg. etiam mi. nam Deus præmiat ſupra condignum, vt dictum eſt. Ad *Apoſt.* dicitur intelligendum eſſe proportionaliter geometricè, non aritmeticè, vt dictum eſt. Ad 2. diſt. ma. Si pretium ſit ſub dominio, conc; ſed neg. mi. *Vid. vbiſ.* alias rationes, & obiectionem.

22 Obiectiones factæ pro 4. ſent. ſoluuntur dicendo, quòd concludunt de iuſtitia, quæ ſimul eſt gratia, quæ non eſt iuſtitia ſimpliciter; non autem de iuſtitia ſimpliciter dicta.

23 Quæres 1; an mereamur de condigno primum gradum gloriæ?

Reſp. affirmatiuè; quia gratia habitualis, meritum, & gloria adæquantur inter ſe, tanquam principium, actus, & obiectum.

24 Quæres 2; an de potentia abſoluta poſſit quis mereri gloriam ſine gratia?

Reſp. negatiuè; quia gratia eſt formale principium tribuens ius ad gloriam; & ideo ſine ipſa implicat gloriam ex iure deberi; quia deberetur ex iure ſine iure.

A R T. III.

An, & quomodò actus virtutum ſint meritorij vitæ æternæ?

1 CErtum eſt. 1. actus virtutum nedum Theologicarum, ſed etiam moraliū per charitatem ordinatos in Deum, vt in finem ſupernaturalem eſſe meritorios vitæ æternæ; habetur enim *Matth.* 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*; mandata autem ſeruantur per actus virtutum; *& Matth.* 5. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum; beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram; beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur; beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt; beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum &c.*, actus autem paupertatis ſpiritus, idèſt humilitatis; actus manſuetudinis, miſericordiæ, caſtitatis, iuſtitiæ &c. ſunt actus virtutum moralium; vt patet. De virtutibus autem Theologicis id à fortiori dicendum; quia illarum actus ſunt perfectiores, & digniores; hinc de fide dicitur *Matth.* 9. *Fides tua te ſaluum fecit; & Luc.* 8. *Crede tantùm, & salua erit anima tua.* De ſpe *Rom.* 8. *Spe ſalui facti ſumus*; & de charitate 1. *Pet.* 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Inquiritur ergo de actibus non ordinatis per charitatem in homine tamen iuſto habente habitum charitatis.

2 Quamuis autem diſputent *Recentiores*, an ſoli actus virtutum infuſarum abſque eo, quòd per charitatem ordinentur in finem ſupernaturalem, ſint de condigno meritorij vitæ æternæ; vt vult porior eorum pars; vel etiam actus virtutum moralium acquiſitarum, quos volunt eſſe merè naturales, dignificari tamen à gratia habituali, vt gloriam de condigno mereantur; vt volunt *Vaſq; Amic. & Gabr. à S. Vinc*; attamen quia actus virtutum moralium, ſiue infuſarum, ſiue acquiſitarum ſunt formaliter ſupernaturales, & materialiter naturales; non enim differunt, niſi quia entitas naturalis virtutis infuſæ producitur à ſolo Deo; entitas autem virtutis acquiſitæ producitur etiam à creatura mediantibus ſuis actibus; vt diximus *de Virt. quæſt.* 1. *art.* 8; & non ſunt meritorij, niſi prout ordinantur in finem ſupernaturalem; aliter ſi ſecundùm entitatem naturalem eſſent moraliter meritorij vitæ æternæ, per vires naturæ poſſemus mereri vitam æternam, quod eſt *Pelagianum*; ideo eodem modo loquendum eſt de vtriſque; actus enim virtutum moralium non ordinati, & non eleuati in finem ſupernaturalem non ſunt actus veræ virtutis, nec præmio ſupernaturali digni; quia non habent æqualem valorem.

3 Certum eſt 2. ordinationem in finem ſupernaturalem triplicem eſſe; ſcilicet actualem, qua opus virtutis fit ex motiuo actuali amoris Dei, vt eſt Auctor gratiæ, & gloriæ; virtualem, qua fit opus in virtute actus præcedentis præteriti, ſed manentis virtualiter in alio actu per actum amoris Dei ordinato ad opus virtutis; & habitualem, qua fit opus ab eo, qui ſemel ordinauit omnes actus eliciendos etiam pro tota vita in amorem Dei. Sicut autem non requiritur ordinatio actualis in Deum; quia quoties plures actus ſucceſſiui ſunt ordinati ab vno actu in aliquem finem, tunc præterito actu priori manet illius ordinatio in poſteriori; eſt enim vnica ordinatio in priori, & poſteriori; nam *vbi vnum propter aliud, vtrobique vnum tantùm*; ergo & præterito actu actiuè ordinante manet illius ordina-

dinatio in actu ordinato; & ideo actus actiuè ordinans dicitur virtualiter manere in actu ordinato; quia manet illius ordinatio. Tum quia cauſa influit nedum per ſe ipſam, ſed etiam per ſuum effectum, in quo relinquit ſuam virtutem; vt aer calefactus à ſole fœcundat terram, etiam non præſente Sole, quia fœcundat in virtute caloris, qui eſt virtus Solis relicta in aere à Sole; & ob id dicitur terra fœcundari à Sole etiam, cùm non eſt præſens; ergo à pari cùm aliquis actus eſt ordinatus per charitatem ad aliquod opus virtutis, vt cùm quis it ad Eccleſiam, vt Deum colat; etianſi actus voluntatis ordinans itionem ad cultum Dei prætereat; attamen dicitur manere in illa itione virtualiter, & ordinare cultum ad Deum. Ita ordinatio habitualis non ſufficit; quidquid dicat *Maſtr. hìc cum Scot.* aſſerens ſatis eſſe, quòd quis ſemel ordinauerit in tota ſua vita referre omnia opera virtutum in Deum, & nunquam retractauerit talem actum. Non ſufficit, inquam; nam efficientia actus tollitur nedum per retractationē, ſed etiā per actū diſparatum interpoſitum; in tantùm enim, vt diximus, vnus actus ordinat alium, in quantùm vel ordinat in ſe, vel eius ordinatio manet in alio actu, etiam poſtquam ille præterijt; ſic cauſa nullo alio modo agere poteſt, niſi exiſtat in ſe ipſa, vel in ſua virtute; exiſtentia enim cauſæ neceſſaria eſt ad actionem; nam ſi aer non haberet calorem productum à Sole, nullo modo diceretur Sol, quando non eſt præſens, calefacere terram; ſed actus diſparatus non eſt ordinatus à charitate, aliter non eſſet diſparatus; nec manet in ipſo actus charitatis virtualiter, aliter eſſet ordinatus; quia ordinatio eſt actus charitatis; ergo ordinatio tollitur nedum per actum retractatiuum, ſed etiam per actum diſparatum. Atqui ordinatio habitualis eſt illa, in qua interponuntur actu diſparati, non ordinati; aliter ſi illi actus eſſent ordinati, eſſet ordinatio virtualis, non habitualis, vt dictum eſt; ergo ordinatio habitualis non ſufficit, vt aliquis actus ſit formaliter ordinatus in Deum. *His ſupp.*

4 Prima ſententia vult omnia opera virtutum ſiue infuſarum, ſiue acquiſitarum abſque eo, quòd ordinentur per charitatem in Deum, eſſe de condigno meritoria vitæ æternæ; dummodò ſupponant in homine habitum charitatis, per quem habitualiter referantur in Deum; quia ſolus iuſtus, non iniuſtus, poteſt elicere opera meritoria vitæ æternæ. *Ita Vaſq. hìc diſp.* 207. per totam; *& Gabr. à S.Vinc. hìc diſp.* 21. *q.*3. referens *Scot;* quem vindicat *Gonet* ab hac ſententia. Accedit *Amic.* loquendo de operibus heroicis citans *Capr; Gaiet; & Med;* iniuſtè tamen, vt ait *noſter Gibb.*

5 Secunda affirmat opera virtutum infuſarum, ſiue ſint Theologicæ, ſiue morales, eſſe meritoria vitæ æternæ, quamuis non ſint imperata per charitatem ſiue actualiter, ſiue virtualiter; negat autem de operibus virtutum acquiſitarum; quia opera virtutum infuſarum ſunt ſupernaturalia, & ideo proportionata vitæ æternæ; opera verò virtutum acquiſitarum ſunt naturalia, & ideo improportionata. *Ita Sua; Monteſin; Granad; Gaſpen; Lez; Coninch. apud Maſtr; & ex noſtris Gibb; Bernardin; & Gambea.* Referuntur etiam apud *Gibb. Merat., Tanner., Ouied., Serra, & alij.*

6 Noſtra tandem docet nullum actum virtutis ſiue moralis, ſiue Theologicæ eſſe meritorium vitæ æternę, niſi per actum charitatis ordinetur in Deum. *Ita Fundat. Doct. in* 2. *diſt.* 26. *q.*2. *art.*1. *Ex hoc autem*, vbi ait; quòd *gratia eſt forma charitatis, prout opera charitatis ſunt grata Deo per gratiam. Charitas ergo ſic habens grata opera eſt forma aliarum virtutum; quia omnes aliæ virtutes agunt opera meritoria per charitatem habentem opera Deo grata. Nam opera aliarum virtutum, etſi non ſint à gratia mediante charitate elicita, ſunt à gratia mediante charitate imperata; quia charitas innixa gratia imperat omnia opera meritoria aliarum virtutum; nulla enim opera ſunt meritoria, niſi prout à charitate innixa gratia ſunt elicita, vel imperata.* Idem habet *art.*3. *dub.*1. *lat.§.*2; *& in* 2. *diſt.*17. *q.*2. *§. Secundum inconueniens;* vbi ait: *Omne, quod eſt meritorium, eſt meritorium ſecundùm quod in radice charitatis fundatur, & alibi.* Tribuitur *Scot. in* 2. *diſt.*41. *q.*1; quamuis *Maſtr. hìc diſp.*7. *q.*9. aſſerat docuiſſe etiam primam ſententiam; vnde problematicè vtranque defendit. *D. Bon. in* 2. *diſt.*41. *q.*3. *art.*1; licèt *noſter Gibb.* aſſerat docuiſſe ſolos actus elicitos à charitate mereri prœmium eſſentiale, quod eſt vita æterna; actus verò aliarum virtutum mereri ſolùm prœmium accidentale, quod pariter ait ſenſiſſe *Ban., D. Tho. apud Gonet hìc diſp.*5. *art.*6. §.4., quamuis aſſerat actus aliarum virtutum elicitos abſque ordinatione charitatis in Deum eſſe meritorios prœmij accidentalis. *Ita etiam Bellarmin. de iuſtific. c.* 15., *Val., Lorc., & alij.*

7 Vnica concluſ. Nullus actus virtutis ſiue Theologicæ, ſiue moralis eſt meritorius vitæ æternæ, aut alicuius prœmij accidentalis, niſi ſit ex motiuo charitatis ordinatus in Deum, tanquam in finem ſupernaturalem.

Prob. 1. *ex Matth.* 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt maximum, & primum mandatum. Secundum autem ſimile huic: Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet, & prophetæ.* Super quod *Beatiſſ. P. in Enchir. c.*121. ait; *Omnia igitur præcepta legis referuntur ad charitatem, de qua dicit Apoſt.* 1. *ad Tim.*2. *Finis præcepti eſt charitas.* Paulò poſt: *Quæcunque ergo mandat Deus, ex quibus vnum eſt: Non mœchaberis; & quæcunque non iubentur, ſed ſpeciali conſilio monentur, ex quibus vnum eſt: Bonum eſt homini mulierem non*

tan-

ta gere, tunc rectè fiunt, non referuntur ad diligendum Deum, & proximum propter Deum. Quid euidentius? Ex quo ſic 1. Sine obſeruantia legis non poſſumus mereri vitam æternam; ſed actualis dilectio Dei, & proximi eſt tota obſeruantia legis; ergo ſine actuali dilectione Dei, & proximi non poſſumus mereri vitam æternam; atqui actualis dilectio Dei, & proximi eſt actus charitatis; ergo ſine actu charitatis non poſſumus mereri vitam æternam. Prob. ma. Soli obſeruantiæ legis promiſſa eſt vita æterna; hinc *Luc.* 10. dixit Ieſus Legiſperito recenſenti hæc duo præcepta legis: *Fac hoc, & viues*. & d *Apoſt. Rom.* 2. dixit, quòd *factores legis iuſtificabuntur*; & ratio eſt; quia qui legem non obſeruat, peccat contra legem; & qui peccat, non meretur, ſed demeretur vitam æternam; ergo ſine obſeruantia legis non poſſumus mereri vitam æternam. Prob. min. Si poſſemus legem ſeruare ſine dilectione Dei, & proximi, tota legis obſeruantia non penderet à dilectione Dei, & proximi; quia ſine illa poſſemus legem ſeruare; ſed conſ. eſt contra Euangelium; ergo & antec. 2. Actus non ordinatus in vltimum finem non eſt formaliter meritorius illius; quia caret rectitudine ad illum; ſed actus virtutum non directus in amorem Dei per charitatem caret ordinatione ad finem vltimum; quia finis præcepti eſt charitas; ergo non eſt meritorius. Tum quia vt arguit *Fund. Doct. in* 3. *diſt.* 27. *q.* 2. *art.* 1. *§. Reſpondeo*; ratio meriti propriè ſumitur per ordinem ad finem; ille enim dicitur mereri, qui dignus eſt conſequi præmium, quod eſt finis meriti; ergo ablato fine nullum eſt meritum; at finis omnium operum bonorum eſt dilectio Dei; ergo ſine dilectione Dei nullum eſt meritum. *Vid.* alias rationes allatas *q.* 2. *art.* 4; *& loc. ib. cit.*

9 Prob. 2. *ex* 1. *Cor.* 13. *Si linguis hominum loquor, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum, velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam; & ſi habuero omnem fidem ita, vt montes transferam; charitatem autem non habuero; nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & ſi tradidero corpus meum ita, vt ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*. Ex quo ſic. Nihil eſſe, & nihil prodeſſe eſt nihil valere, & nihil mereri; nam quod valet, & meretur, aliquid eſt, & prodeſt ad vitam æternam; ſed ſine actu charitatis nihil ſumus, & quicunque actus etiam virtutis Theologicæ, vt eſt fides, nihil eſt, & nihil nobis prodeſt; ergo ſine actu charitatis nihil poſſumus mereri.

10 Reſpondent *Aduerſarij hunc textum* intelligēdum eſſe de charitate habituali; cùm enim ſine gratia nullus actus poſſit eſſe meritorius vitæ æternæ; cùmque habitus charitatis connectatur cum gratia; ideo ſine habitu charitatis nequit eſſe actus meritorius. Attamen ſine actu charitatis poteſt aliquis actus dignificari à gratia habituali, à qua elicitur, & fieri meritorius.

11 Sed contra eſt; nam *Apoſt. ibid.* expreſsè loquitur de actu, non de habitu charitatis; vt enim reijciat hanc vanam reſponſionem, ſubdit ſtatim: *Charitas patiens eſt, benigna eſt. Charitas non æmulatur, non agit perperam &c. Congaudet autem veritati; omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet*; ſed eſſe benignam, patientem, non æmulari, non agere perperam, &c. congaudere veritati, ſufferre, credere, ſperare, ſuſtinere, ſunt actus, vt patet, quia ſunt actus aliarum virtutum, quos dicit *Apoſt.* eſſe à charitate; quod autem eſt à charitate, eſt actus charitatis, vt patet; ergo *Apoſt.* manifeſtè loquitur de actu, non de habitu charitatis. Prætcrea *Beatiſs. P. ſerm.* 53. *de Temp.* ait *Apoſt. ibid.* loqui *de charitatis officio*, quod actum ſonat, non habitum.

13 Prob. 3; & magis reijcitur allata reſponſio *ex Beatiſſ. P. in Enchir. c.* 117. docente: *Cùm enim quæritur, vtrum quiſque ſit homo bonus; non quæritur, quid credat, aut ſperet, ſed quid amet. Nam qui rectè amat, procul dubio rectè credit, & ſperat; qui verò non amat, inaniter credit, etiamſi ſunt vera, quæ credit; inaniter ſperat, etiamſi ad veram fælicitatem doceantur pertinere, quæ ſperat*. Paulò poſt. *Ipſa eſt autem fides, quam commendat Apoſt. ad Galat.* 5; *quæ per dilectionem operatur*. Quid apertius, & reſolutius? Arguitur autem ſic. Actus inanis non eſt meritorius; ſed actus fidei, & ſpei Diuinæ ducentis ad vitam æternam ſine actu charitatis eſt inanis; ergo nō eſt meritorius. Ma. patet; nam ille eſt actus inanis, qui fruſtratur fine, & ideo non meretur finem; quia qui meretur finem, illum obtinet, & ſic non fruſtratur, nec eſt inanis. Prob. mi. *Fides per dilectionem operatur ex Apoſt.*; ergo operatio fidei eſt per operationem charitatis, dilectio enim eſt actus charitatis; ergo ſine actu charitatis actus fidei eſt inanis. Tum quia actus ſine propria forma eſt inanis; quia eſt vacuus ſua perfectione, ſicut materia ſine forma dicitur inanis, & vacua; ſed actus charitatis eſt forma, & perfectio actus fidei; ergo ſine actu charitatis actus fidei eſt inanis. Ex quo patet reſponſionem datam ad 2. rationem eſſe contra *Apoſt.*, nam particula *per* dicit cauſalitatem; & ideo ſi fides operatur per dilectionem, dilectio debet cauſare actum fidei, & per conſequens non ſufficit habitus, ſed requiritur actus charitatis.

14 Obijc. 1. *Matth.* 12. habetur: *Quicunque fecerit volūtatem Patris mei, ipſe meus frater &c.* ſed qui facit opera virtutum etiam acquiſitarum, facit voluntatem Dei; ergo opera virtutum ſine dilectione Dei ſunt meritoria vitæ æternæ. 2. Operibus miſericordiæ promittitur vita æterna *Matt.* 10. *Qui dederit potum aquæ frigidæ tantùm, non perdet mercedem ſuam*; *& Matth.* 5; vt *ſup.* dictum eſt; ergo idem, quod priùs. 3. Ad ſeruanda præcepta naturalia non eſt neceſſe, quòd fiant ex motiuo charitatis, nam *Trid. ſeſſ.* 6. *c.* 10. ait bonis

operibus à iuſtificato elicitis nihil deeſſe, vt mereātur vitam æternam; quod habet etiam *can.* 32; vbi nullam mentionem facit actus charitatis; ergo idem. 4. Actus virtutum in Chriſto Domino erant meritorij ſolùm ratione dignitatis perſonæ, ergo à pari. 5. Poteſt eſſe actus ſatisfactorius ſine actu charitatis. 6. Sequeretur opera honeſta elicita ſine motiuo charitatis eſſe inania.

Reſp. ad 1. diſt. mi. Qui facit opera virtutum ex motiuo amoris Dei, conc; ſecus, neg. Ad 2. eodem modo diſt. antec. Operibus miſericordiæ factæ ex motiuo amoris Dei, conc; nam *Marc.* 9. eidem textui additur: *In nomine meo*, idèſt propter mei amorem. Sine motiuo amoris Dei, neg. Ad 3. neg. ant., nam obſeruantia præceptorum naturalium quoad ſubſtantiam ſimul, & modum tota pendet ex dilectione Dei, & proximi, vt dictum eſt. Ad prob. infert. dicitur; quòd dum *Trid.* ait *operibus bonis* implicitè mentionem facit charitatis, quia opera bona non ſunt, niſi per charitatem; vt explicitè *c.* 16. *Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius.* Ad 4. dicitur opera Chriſti Domini eſſe meritoria ratione dignitatis perſonæ radicaliter, formaliter verò, & proximè ratione actus charitatis. Ad 5. neg. conſ; nam poteſt eſſe ſatisfactio ſine gratia, vt in damnatis; non tamen poteſt eſſe meritum ſine gratia; ergo à pari. Ad ſatisfactionem igitur ſufficit æqualitas pœnæ cum culpa, ad quam æqualitatem non requiritur actus elicitus voluntatis, cùm poſſit haberi per ſatiſpaſſionem; at verò ad meritum requiritur actus voluntatis, qui eſt radix omnis meriti, & demeriti. Ad 6. conc. ſeq; vt dictum eſt; & neg. mi; nam illa opera non ſunt honeſta vndequaque, cùm careant honeſtate finis, & habeant ſolam honeſtatem obiecti.

15 Obijc. 2. *Maſtr. n.* 270. Adhoc, vt opera ſint meritoria vitæ æternæ, ſufficit fieri ex gratia; ſic enim ſtatuunt *Mileuit; Araux; Paleſt; & Trid;* ergo non requiritur affectus, aut imperium charitatis. 2. *n.* 273. *cum Turrian.* Si requireretur actus charitatis, maximè propter illud *Matt.* 10. *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet*; ſed hoc optimè explicatur, quòd velit negare mercedem eximiam, non autem omnem mercedem; ergo per hoc nihil probatur.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Ex gratia ſine charitate, neg; cum charitate, conc; illa autem *Concilia*, quæ procul dubio formata ſunt ex doctrina *Beatiſs. P.*, nequeunt intelligi, niſi conformiter *ad eundem*; qui, vt *ſup.* diximus, apertè docet neceſſitatem actus amoris. Ideo autem *Concilia, & SS. PP.* aliquando non nominant expreſsè charitatem; quia cùm charitas gratia ſit; nam *ex Deo eſt*, ideo nomine *gratiæ* genericè intelligunt gratiam habitualem ſimul, & charitatem; tunc enim non erat neceſſe diſtinguere, quia hæc res non erat controuerſa. Ad 2. neg. mi; talis enim explicatio eſt manifeſtè contra fidem; quod ſic oſtēditur. Vel merces, quam non negat, eſt vita æterna, vel non? Si primum; ergo in nomine prophetæ poſſumus acquirere vitam æternam; quod eſt contra fidem; habetur enim *Act.* 4. *Nec enim aliud nomen eſt ſub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri* Si ſecundum; ergo præciſo actu charitatis nullum opus eſt meritorium vitæ æternæ.

16 Obijc. 3 *Gibb.* Actus virtutum ſupernaturalium habent omnes conditiones requiſitas ad meritum vitæ æternæ; ſunt enim liberi, hominis iuſti, viatoris, & ſupernaturales; ergo idem, quod *ſup.* 2. Gratia ſe habet per modum naturæ; ſed natura habet eſſe principium radicale ordinans omnes ſuas operationes in finem; ergo gratia eſt principium ordinans omnia opera virtutum in finem, qui eſt vita æterna; atqui opus virtutis ordinatum in vitam æternam eſt meritorium illius; ergo opus virtutis ex eo, quòd ſit elicitum à gratia, etiam præciſa charitate eſt meritorium vitæ æternæ. 3. Actus fidei, & ſpei theologicæ ſunt meritorij vitæ æternæ, quia ſunt proportionati cum illa; ſunt enim ſupernaturales; & opera virtutum moralium; nam prout elicita à gratia, ſunt ſupernaturalia. 4. Ita gratia eſt principium operum bonorum, ſicut anima eſt principium actuum ſuarum potentiarum; ſed anima poteſt influere in actum ſuarum potētiarum independenter à voluntate; ergo à pari. 5. Actus charitatis habet valorem à gratia ita, vt ſi daretur charitas ſine gratia, non eſſet meritoria; attamen ſi daretur gratia ſine charitate, quod non implicat, eſſet meritoria; ergo idem.

Reſp. ad 1. neg. ant; deficit enim conditio per charitatem. Ad 2. diſt. mi. Ordinans omnes ſuas operationes in finem ratione ponderis, & inclinationis naturalis, cuius proprium munus eſt ordinare in finem, conc; ſecus, neg. Sic gratia ordinat in finem opera virtutum per charitatem, quæ eſt pondus ſpirituale iuxta illud *Beatiſs. P. Amor meus pondus meus.* Ad 3. diſt. ant. Sunt meritorij ſi fiant ex motiuo charitatis, conc; ſecus, neg; nec quæcunque ſupernaturalitas ſufficit ad meritum; nam in peccatore ante iuſtificationem dantur plures actus ſupernaturales, qui non ſunt meritorij, nec vitæ æternæ, nec gratiæ iuſtificantis, vt *in ſeq.* Ad 4. dicitur, quòd anima nequit influere in actiones liberas, niſi mediante voluntate; & in actiones neceſſarias, niſi mediante inclinatione naturali. Ad 5. dicitur, quòd actus charitatis habent valorem à gratia, vt à principio radicali *quod*; & ab habitu charitatis, vt à principio formali *quo*; à fine autem ſupernaturali, vt ab obiecto ſpecificatiuo formali; vnde ſi daretur gratia ſine habitu charitatis, daretur principiū radicale *quod* meriti, nō tamen poſſet dari meritū, quia nō daretur principiū formale *quo* proximū. Si autē daretur charitas ſine gratia, nō poſſet dari meritū, quia principiū *quo* ſine prin-

principio *quod* nequit agere. Hæc autem omnia implicant, quia propria paſſio eſt inſeperabilis à ſubiecto.

17 Obijc. 3. Si quis rapiatur ad martyrium ita, vt non habeat tempus referendi mortem per amorem in Deum, meretur de condigno vitam æternam; ergo actus charitatis non eſt neceſſarius. 2. Poteſt quis ſine charitate mereri prœmium accidentale; quia, vt docet *D.Thom. apud Gonet*, meritum primò pertinet ad charitatem; ſecundariò ad alias virtutes; ergo & eſſentiale; quia nequit dari accidentale ſine eſſentiali.

Reſp. ad 1. diſt. antec. Meretur ex vi illius mortis, neg; tunc enim non eſſet verus martyr, ſi mortem pro Deo non ſubiret; ex vi gratiæ aliàs habitæ, conc. Ad 2. neg. ant. Ad prob. inſert. dicitur, quòd *D.Tho.* nihil aliud docet, quàm quòd charitas eſt ratio per quam virtutes merentur; & virtutes merentur, per charitatem, & ideo ratione alterius; non autem ait virtutes præciſa charitate mereri prœminm accidentale, ſed tantùm quòd illud merentur, prout ordinatæ per charitatem.

A R T. IV.

An poſſit quis ſibi, vel alteri mereri primam gratiam?

1 CErtum eſt nos non poſſe mereri primam gratiam actualem, quæ datur, tanquam diſpoſitio ad gratiam habitualem; quia vt ait *Fund.Doct. in hac diſt.27. art.1*; illam non meremur per aliam gratiam; aliter ipſa non eſſet prima; nam illa, qua meremur, eſſet cauſa illius, & ideo eſſet prior; & ſic illa, quam meremur, eſſet ſecunda, non prima. Nec meremur per puras vires naturæ; vt definitum eſt *contra Pelag*; ſic enim gratia non eſſet gratia, quia daretur ex debito, non gratis; vt *ex Apoſt.* ſæpiſſimè docet *Beatiſſ. P.* Difficultas ergo procedit de gratia habituali, quę dicitur prima gratia per reſpectum ad augumentum gratiæ, quod dicitur ſecunda gratia; & idem eſt, ac quærere; an principium meriti cadat ſub merito; cùm enim gratia habitualis ſit principium meriti de condigno; vt patet ex dictis, & ex dicendis magis patebit; ideo quærere, an poſſimus mereri primam gratiam habitualem, idem eſt, ac quærere; an principium meriti poſſit cadere ſub merito. Seu idem eſt, an actus fidei, contritionis &c; quibus diſponimur ad gratiam habitualem, mereantur de condigno, vel de congruo, aut tantùm impetratoriè gratiam habitualem?

2 Conueniunt *omnes* nullum poſſe de condigno mereri primam gratiam ſibi, neque alteri (excepto Chriſto Domino); Reducitur ergo difficultas ad meritum de congruo.

3 Prima ſententia vult poſſe hominem iuſtum mereri ſibi, & alteri primam gratiam de congruo. *Ita ex noſtris Gibb. diſp.30.dub.3; & 4; apud quem Bernardin; & Gamboa, ex alys verò Sua; Vaſq; Merat; Ferr; Veg; Bellarm; Arriag; Philipp. à SS.Trin; Ouied;* apud quem *alij.*

4 Noſtra docet nec de condigno, nec de congruo, ſed tantùm impetratoriè poſſe mereri gratiam ſibi, & alteri. *Ita Fundat. Doct. vbiſ; & art.2; & in ep. ad Rom.c.2; lect.7. dub.1. Capr. in 4. diſt.14. q.2. art.3. Sot. lib.2. de natur; & grat. c.4; Med. hic art.5., Gonet diſp.2. art.7.concl.2; & aly.*

5 Hoc diſſidium, vt fatetur *Gibb.*, eſt potiùs de nomine, quàm de re; explicato enim, quid ſignificet meritum de congruo controuerſiæ vix relinquitur locus? Videndum igitur eſt id, quod diximus *in hac q.art.2. à n.6. ad 9. ex Fund.Doct*; ſcilicet meritum de cõdigno, de congruo, & impetratorium in hoc differre, quòd meritum de condigno importat verum, & ſtrictum ius ita, vt ſi prœmium negaretur, negans eſſet iniuſtus; meritũ de congruo importat tantùm ius ex quadam decentia attenta liberalitate, & magnificentia prœmiantis ita, vt ſi prœmium negaretur, negans non eſſet iniuſtus, ſed tantùm illiberalis, & paruificus; impetratio verò nullum importat ius, ſed tantùm meràm gratiam prœmiantis ita, vt ſi prœmium negaretur, nec iniuſtus, nec illiberalis, aut paruificus, ſed tantùm liberè diſtribuens ſua dona cenſeatur. *Hoc ſupp.*

6 Vnica concl. Nullus poteſt de condigno, vel de congruo, ſed tantùm ſupplicatoriè, & impetratoriè mereri ſibi, aut alteri primam gratiam.

Prob. 1. pars *ex Rom.3. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius*; ſuper quod *Trid.ſeſſ.6. c.8. Gratis iuſtificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ iuſtificationem præcedere, ſiue fides, ſiue opera, ipſam iuſtificationis gratiam promeretur; & Beatiſſ.P. de grat; & lib. arb. c. 6. Cui redderet coronam iuſtus Iudex, ſi non donaſſet gratiam miſericors Pater? Quomodo illa, tanquam debita redderetur, niſi priùs iſta gratuita donaretur?* Et *ep.105. Quid eſt meritum hominis ante gratiam; cùm omne bonum meritum noſtrum non in nobis faciat, niſi gratia?* Expreſſiùs *ep.46. Vt iuſti fierent, merita non fuerunt; iuſti enim facti ſunt, cùm iuſtificati ſunt; ſed ſicut dicit Apoſtol. Iuſtificati gratis per gratiam ipſius.* Ex quibus ſic. Illud, quod retribuitur merito de condigno, vel de congruo, tribuitur ex debito iuſtitiæ, vel congruitatis ita, vt ſi non tribuatur, retributor ſit iniuſtus, vel illiberalis, & paruificus; ſed noſtra iuſtificatio non tribuitur nobis ex debito iuſtitiæ, vel congruitatis; quia *ſi eſt ex debito, iam non eſt gratia*; vt docet *Apoſt. Si autem gratia* (inquit *Beatiſſ.P. ep.105.*) *utique nullis meritis reddita, ſed gratuita bonitate donata*; quibus verbis excludit quolibet meritum, ſiue de condigno, ſiue de congruo; nec Deus gratiã denegans eſſet illiberalis, aut paruificus, ſed tantùm iuſtiſſimus iudex, quia

iuſtè negaret; quod homo per peccatum amiſit iniuſtè; ergo nos non poſſumus nobis mereri de condigno, vel de congruo noſtram iuſtificationem.

7 Conſ. In humanis debitor de congruo cogitur ſecundùm leges ad ſoluendam congruam; ergo meritum de congruo formaliter importat ius ad pręmium, & debitum tetribuendi in pręmiante; ſed Deus nequit cogi, nec habet debitum tribuendi gratiam iuſtificantem, aliter non iuſtificaret gratis, ſed ex debito; nec donaret honorem indebitum ſimpliciter, iuſtificatio enim deberetur de congruo; quæ omnia falſa ſunt; ſicut enim denegans gratiam ex iuſtitia reddit, quod peccato debetur; ita iuſtificans donat honorem indebitum; vt ait *Beatiſſ. P. vbiſ. Quia vniuerſa iſta maſſa merito damnata eſt, contumeliam debitam reddit iuſtitia, honorem donat indebitum gratia*; ergo nullus poteſt mereri de condigno, vel de congruo gratiam iuſtificantem.

8 Prob.2. Ius ad meritum ſiue de condigno, ſiue de congruo nequit fundari, niſi in illo, quod tribuit ius ad finem ſiue de condigno, ſiue de congruo; quia media ſunt propter finem; & *vbi vnum propter aliud, vtrobique vnum tantùm*, ſed ſola gratia iuſtificans tribuit ius ad gloriam, quæ eſt finis; nam decedenti ſine gratia iuſtificante, etianſi habeat quanlibet gratiam actualem, non debetur gloria nec de condigno, nec de congruo; ergo ſola gratia iuſtificans tribuit ius ad ſecundam gratiam. & ideo gratia iuſtificans nequit cadere ſub merito de condigno, aut de congruo, quia ſine ipſa nullum eſt ius condignũ, vel congruum; cùm ipſa ſit ratio formalis omnis condignitatis, & congruitatis.

9 Prob.4. alia ratione *Fund. Doctoris allata art. 1. n. 18.* Nulla actio eſt iuſta, & grata, niſi per gratiam iuſtificantem, quæ ſola eſt forma denominans formaliter iuſtum, & gratum; ſed omnis actio meritoria de condigno eſt iuſta; & de congruo eſt grata; ideoque illi debetur prœmium ex iuſtitia, huic ex iure amicitiæ; ergo nulla actio eſt meritoria de condigno, vel de congruo, niſi per gratiam iuſtificantem; at actio antecedens gratiam habitualem non eſt ex gratia habituali, aliter gratia habitualis eſſet, antequam eſſet; ergo gratia habitualis nequit cadere ſub merito.

10 Prob.5; & ſimul oſtenditur 2. pars concl. Si poſſemus mereri de congruo gratiam iuſtificantem, maximè per actum fidei, pœnitentiæ, orationis &c; quibus diſponimur ad iuſtificationem; ſed hoc non eſt mereri de congruo, ſed tãtùm impetratoriè; ait enim *Beatiſſ. P. Sed nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat*; & inferiùs. *Si dixerimus meritum præcedere orationis, vt donum gratiæ conſequatur; impetrando quidem oratio quicquid impetrat, euidenter donum Dei eſſe oſtendit*; ergo poſſumus tantùm illam mereri impetratoriè, non de congruo.

11 Conſ. 1. Id, quod debetur ex decentia, aliquo modo debetur; & quod aliquo modo debetur, non eſt ſimpliciter gratia; quia debitum gratiam euacuat; ſed gratia iuſtificans eſt gratia ſimpliciter *ex Apoſt.*, ergo nec ex decentia debetur, & ideo nec de congruo, quia deberi de congruo eſt deberi ex decentia; ergo ſolùm impetratoriè debetur;

12 Conſ. 2. Merito de congruo negatur prœmium ex indecentia, ſicut ex decentia conceditur; ſed impium eſt dicere, quòd indecentia ſit in Deo; ergo impium eſt dicere, quòd Deus neget prœmium merito de congruo; atqui ſæpe negat id, quod orando imploramus, & impetrare conamur; ergo meritum impetratorium non eſt de congruo; & ideo merita præcedentia iuſtificationem non ſunt de congruo, ſed tantùm impetratoria, quia decenter Deus negaret id, quod implorant.

13 Prob. altera pars concluſ. Nullus homo quantumuis iuſtus, poteſt eſſe redemptor alterius hominis à captiuitate peccati, ſed tantùm poteſt orare, vt Deus donet alteri gratiam iuſtificantem: ergo nemo poteſt mereri alteri de condigno, aut de congruo, ſed tantùm impetratoriè gratiam iuſtificantem. Prob. 1. pars ant. In tantùm Chriſtus Dominus eſt redemptor omnium, quia meruit omnibus gratiam iuſtificantem; quia cùm eius merita fuerunt infiniti valoris, vtpotè elicita à ſuppoſito infinito; ideo ſe extenderunt ad omnes homines, quorum Caput eſt; ſed meritum cuiuſuis hominis iuſti eſt finitum, & limitatum tantùm ad ſubiectum, in quo eſt; ergo nullus homo, quantumuis iuſtus, poteſt eſſe redemptor alterius hominis. Prob. 2. pars *ex illo Iac. vlt. Orate pro inuicem, vt ſaluemini*; & *Beatiſſ. P. hom. 144. in Exod.* ait *nos releuari meritis eorum, qui diligunt Deum, & ab eo diliguntur*; & *ſerm. 1. & 4. de S. Stephano: Si Stephanus ſic non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet. Vid. to. 2. de prad q. 3. art. 3*; ergo iuſtus poteſt orare, vt Deus donet alteri gratiam iuſtificantem; quod præcipuè prob. *ex articulo Fidei in Symb*; qui eſt *communio Sanctorum*. Prob. 1. pars conſ. Mereri alteri gratiam iuſtificantem eſt redimere illum à peccato; ſed nullus poteſt eſſe redemptor alterius; ergo neque alteri mereri gratiam iuſtificantem. Prob. 2. pars; nam opera amici, & filij ſunt grata amanti, & patri; & eorum preces poſſunt ab eo obtinere gratiam alijs, vt patet in humanis; ergo iuſti, qui ſunt Dei amici, & filij, poſſunt alijs mereri gratiam iuſtificantem impetratoriè.

14 Obic. 1. cont. 1. part. concl. *Rom. 3.* habetur: *Arbitramur enim iuſtificari hominem per fidem*; ſed fides eſt ante iuſtificationem; ergo per actum fidei poteſt mereri gratiam iuſtificantem. 2. Poteſt miles, poſtquam accepit donum à Re-

ge

ge, illud mereri Regi inſeruiendo; ergo poſtquam quis accepit gratiam, poteſt illam mereri eliciendo opera meritoria. 3. Exiſtens in gratia poteſt mereri, vt ſi contingat eum cadere in peccatum, reſtituatur ei gratia iuſtificans; ergo gratia iuſtificans poteſt cadere ſub merito. 4. Actus charitatis, licèt procedat à gratia, poteſt tamen ad illam diſponere, vt diximus *in ſup.q. art.* 5. ergo licèt meritum procedat à gratia, poterit tamen illam mereri.

Ad 1. reſp. *Fund.Doct.hic art.1.ad.1.* neg. conſ. dicitur enim fides iuſtificare, quia Deus priùs infundit nobis fidem, deinde gratiam, per quam expellit peccata, & iuſtificat. Ad 2.neg. conſ. nam miles poteſt ex labore proprio illud mereri, qui labor non eſt ex dono Regis; at verò meritum eſt à gratia, & ideo non poteſt gratiam mereri; quia idem mereretur per idem. Ad 3. neg.ant.*ibid.* quia exiſtens in gratia non meretur, niſi vt innititur gratiæ, & nequit præmium recipere; niſi prout eſt gratus; quia præmium gratiæ non datur, niſi gratis, cùm non detur, niſi dignis: ſed poſt peccatum non innititur ampliùs gratiæ, nec eſt gratus, nec dignus; ergo nequit præmium gratiæ recipere; & ideo nequit mereri reparationem poſt lapſum. Hinc dicitur *Ezech.18. Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur.* Tum quia homo per peccatum amittit omne ius, & meritum apud Deum. Ad 4. neg. conſ. nam ad meritum præſupponitur eſſentialiter gratia in genere cauſæ efficientis, cùm ſit effectus illius; ad diſpoſitionem autem non præſupponitur forma in genere cauſæ efficientis, ſed ſubſequitur, vt patet; quamuis in genere cauſæ materialis oriatur ab illa; vt diximus *loc.cit.*

15 Obijc. 2. *Beatiſs. P. tract.44. in Io.* loquens *de Publicano* ait: *Iſta confeſſio meruit iuſtificationem*; ſed non meruit de condigno; ergo de congruo. 2. Congruum, & decens eſt, vt peccatori pœnitenti, & contrito Deus remittat peccatum; ergo peccator poteſt mereri de congruo gratiam iuſtificantem. 3. Poteſt mereri impetratoriè; ergo & de congruo; idem enim eſt hoc, & illud.

Reſp. ad 1. *Beatiſs. Patrem* ſe ipſum *locis cit.* explicare loqui de merito imperatorio, non de congruo, aut de condigno. Ad 2. diſting. ma. Congruum, & decens eſt, & debitum de congruo, neg; gratis enim remittitur; congruum, ſed non debitum, conc. Igitur eſſe congruum latiùs patet, quàm eſſe debito; congruum enim eſt, quòd Deus donet gratiam, non tamen ex debito. Merito autem de congruo debetur præmium de congruo; ex quo patet æquiuocatio arg. Ad 3. neg. conſ. diſparitas enim inter meritum de congruo, & impetrationem ſuperiùs allata eſt.

A R T. V.

An iuſtus viator poſſit mereri augmentum gratiæ?

1 Certum eſt ſecundùm fidem gratiam iuſtificantem augeri, & intendi per opera bona per ipſam elicita, vt patebit. Solùm dubium eſt de modo, quo augetur, & intenditur; nam cùm gratia non producatur per actus, quia non eſt habitus acquiſitus, ſed infuſus, videtur, quòd per actus non poſſit augeri. Tum quia ſi augeretur per actus, deberent illi actus eſſe perfectiores ipſa gratia; nam actus imperfectior non auget; ſed minuit habitum, vt diximus *de habitib. art.7.* & actus æqualis nequit perfectiorem reddere ipſam gratiam; actus autem perfectior ipſa gratia nequit dari, quia actus eſt effectus gratiæ, & effectus nequit eſſe perfectior ſua cauſa. Vt hæc diſſoluantur.

2 Not. *ex Fund. Doct. in hac diſt.27. qu.2. dub.1. lat.* quòd ſicut philoſophamur in naturalibus; ita proportione ſeruata dicendum eſt de ſupernaturalibus. Igitur ſicut per actus naturales magis diſponitur ſubiectum, vt fortiùs radicetur habitus, & magis intendatur, ita per actus meritorios magis diſponitur iuſtus, vt Deus maiorem infundat gratiam; gratia enim producitur à ſolo Deo, ſicut habitus acquiſitus producitur ab agente creato eo modo, quo diximus *vbi ſ. art.4.* Actus autem meritorius elicitus à gratia, cùm ſemper fiat per impulſum, ſeu motionem diuinam impellentem, ſeu mouentem animam iuſti ad agendum; & cùm iſte impulſus; ſeu motio Diuina poſſit eſſe fortior, & validior in vno actu, quàm in alio; ideo vnus actus poteſt eſſe perfectior, quàm alter, non quidem pro vt eſt à gratia, ſed prout eſt ab impulſu, & motione Diuina, & ſic magis diſponere animam iuſti, vt maiorem gratiam recipiat productam, & infuſam à Deo. Ex hoc ſoluitur vtraque ratio dubitandi; nam actus meritorij non augent gratiam producendo nouum gradum gratiæ, ſed tantùm diſponendo animam, vt illum à Deo productum recipiat. Sunt autem perfectiores, prout ſunt à fortiori impulſu, & motione Diuina; ſicut actus naturalis eo ex eo, quòd producatur ab habitu naturali, & à potentia naturali agente cùm maiori conatu, eſt perfectior habitu, & ideò illum intendit, vt diximus *vbi ſ.*

3 Vnica Concl. Iuſtus poteſt ſibi mereri de condigno augmentum gratiæ, & gloriæ; alter verò tantum impetratoriè. Ita *Fund. Doct. vbi ſ. & in ep. ad Rom. c.2. lect.7. dub.vn.*

Prob. 1. pars concl. *ex Apoc.22. Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc*; & definita eſt *in Trid. can.32. Si quis dixerit*

vit hominis iuſtificati bona opera ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius iuſtificati merita; aut ipſum iuſtificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Ieſu Chriſti meritum, cuius viuum membrum eſt, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ (ſi tamen in gratia deceſſerit) conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema ſit; & *Beatiſs. P. ep.* 106. *Ipſa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur, & perfici*. Ex quibus ſic. Eodem modo *ex Trid.* meremur augmentum gratiæ, & gloriæ, quo meremur vitam æternam; ſed per gratiam iuſtificantem meremur de condigno vitam æternam; ergo & augmentum gratiæ, & gloriæ. 2. cum *Fund. Doct.* In tantùm non poſſumus condignè mereri primam gratiam iuſtificantem, in quantùm nō ſumus antecedenter dignificati per gratiam iuſtificantem; ſed ante augmentum gratiæ, & gloriæ præſupponimur dignificati per gratiam, quæ ſimul cum fortiori impulſu Diuino elicit actum magis meritorium; ergo poſſumus condignè mereri augmentum gratiæ, & gloriæ. *Vide rationes allatas art.* 2.

4 Prob. 2. pars concl. *ex dictis in ſup. art.* Nam valor meritorius puri hominis iuſti eſt finitus, & limitatus ad ſubiectum, in quo eſt; ergo nequit de condigno mereri alteri augmentum gratiæ, & gloriæ, ſed tantum impetratoriè. *Vid. ibid.* 2. In tantùm poteſt quis ſibi mereri augmentum gratiæ, & gloriæ; in quantùm per ſuos actus meritorios diſponitur ad recipiendam à Deo maiorem gratiam, & gloriam; vt dictum eſt; ſed per actus vnius non diſponitur alter, quia actus vnius non poſſunt recipi in alio; ſunt enim actus immanentes; ergo nequit quis alteri mereri augmentum gratiæ, & gloriæ de condigno, ſed tantùm impetratiuè; impetrare enim poteſt orando à Deo, vt augeat gratiam, & gloriam alterius agendo in animam illius fortiori impulſu.

5 Dices. Qui non poteſt minùs, non poteſt maius; ſed nullus poteſt ſibi mereri gratiam iuſtificantem, quæ eſt minùs, quàm gratia augmentata; ergo nequit ſibi mereri gratiam augmentatam, ſeu augmentum gratiæ.

Reſp. diſt. ma. Cum æquali vi, & auxilio, conc. cum maiori vi, & auxilio, neg. Sine gratia ergo non poſſumus gratiam mereri; cum gratia autem, & cum maiori impulſu Diuino poſſumus augmentum gratiæ mereri.

***

ART. VI.

An poſſimus mereri perſeuerantiam finalem?

1 Videndum eſt, quid importet, & in quo conſiſtat formaliter donum perſeuerantiæ; quod omittimus *quaſt. 2. art. 10*; vbi de hac re agere neceſſe non fuit.

2 Noſter *Gibb. Gonet, & alij Recentiores hîc* aſſerunt donum perſeuerantiæ conſiſtere in coniunctione gratiæ habitualis, & aliorum donorum cum morte; vnde nomine *perſeuerantia* non intelligunt aliquod donum ſupernaturale, ſeu qualitatem ordinis Diuini ſuperadditam gratiæ habituali, & alijs donis, ſed ſolùm applicationem gratiæ, & donorum cum morte.

3 Verùm hæc ſententia parum conformis eſt *Scripturis, & doctrinæ Beatiſs. Patris lib. de dono perſeuer.* per totum. 1. *Ad Phil.* 1. habetur: *Vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolùm, vt credatis in eum; verum etiam vt patiamini pro eo.* Super quod *Beatiſs. Pater vbi ſ. cap.* 2. ait; *Eorum quippe vnum ad initium, alterum ad finem pertinet; vtrumque tamen eſt Dei donum, quia vtrumque dictum eſt eſſe donatum, ſicut & ſuperiùs iam diximus. Quod enim eſt initium verius chriſtiano, quàm credere in Chriſtum? His finis melior eſt, quàm pati pro Chriſto?* Et mox: *Quid autem dici poteſt, cur perſeuerantia vſque in finem non donetur in Chriſto, cui donatur pati pro Chriſto? aut vt expreſſiùs eloquar, cui donatur mori pro Chriſto?* Ex quibus ſic. Eodem modo philoſophandum eſt de initio, & de fine noſtræ ſalutis; quia *Apoſt.* vtrumque Dei donum appellat; Tum quia finis debet correſpondere principio; ſed initium importat habitum fidei, qui eſt qualitas ſupernaturalis diſtincta à gratia habituali, & cæteris donis; ergo & finis, ſeu perſeuerantia finalis. 2. *Ex eod. ibid.* ſuper illud *Hierem.* 32. *Timorem meum dabo in cor eorum, vt à me non recedant.* Super quod ait *Beatiſs. Pater, quod quid eſt aliud, quàm talis, ac tantus timor meus, quem dabo in cor eorum, vt mihi perſeueranter adhæreant?* Ex quo ſic. Perſeuerantia dicit nouum actum timoris non recedendi à Deo in vltimo vitæ inſtanti miſericorditer à Deo nobis donatum in illo inſtanti; ergo non dicit ſolam applicationem actus antecedentis gratiæ, & donorum; ſed dicit nouam qualitatem ſupernaturalem nobis à Deo donatam diſtinctam à gratia habituali, & cæteris donis; actus enim eſt qualitas. 3. *Ibid. cap.* 5. ſuper illud orationis Dominicæ: *Ne nos inferas in tentationē, ſed libera nos à malo*; ait: *Quid aliud, quàm vt in ſanctitate perſeuerent, precantur? Nam profectò conceſſo ſibi iſto Dei dono (quod eſſe Dei donum, cùm ab illo poſcitur, ſatis, aperteque monſtratur) iſto igitur conceſſo ſibi Dono Dei; ne inferantur in tentationem;*

nemo

Digitized by Google

nemo Sanctorum eſt, qui non teneat vſque in finem perſeuerantiam ſanctitatis. Ex quo ſic. Donum perſeuerantiæ datur ad vincendas tentationes in fine vitæ, quæ ſunt omnium grauiſſimæ; ſed ſola applicatio gratiæ habitualis, & aliorum donorum cum morte non eſt huiuſmodi; quia donum ad vincendas tentationes grauiſſimas dicit nouas gratiæ vires ſuperadditas animæ iam iuſtificatæ; tentationes enim vincuntur ſolùm gratiæ viribus; ergo perſeuerantia finalis non importat ſolam coniunctionem gratiæ cum morte, ſed dicit nouam gratiam formaliter inhærentem animæ, per quam anima elicit actum quo vincit vltimas tentationes grauiſſimas. 4. *ibid. cap.* 7. ſuper illud *pſ.* 79. *Fiat manus tua ſuper virum dextera tua, & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi, & non diſcedimus à te;* ait: *Sicut operatur, vt accedamus; ſic operatur, ne diſcedamus.* Ex quo ſic. Operatio Dei, qua fit, vt per gratiam habitualem accedamus ad eũ, non eſt pura applicatio voluntatis, ſed eſt qualitas ſupernaturalis nobis infuſa adiuuans voluntatem, vt accedat ad Deum; ergo operatio, qua Deus operatur in fine vitæ, ne diſcedamus à Deo, non eſt pura applicatio, ſed eſt qualitas ſupernaturalis ſuperaddita animæ iuſtæ, qua elicitur actus victoriæ tentationum. 5. ſuper *pſal.* 139. docet: *Perſeuerantia ad virtutem pertinet, vt merear ſalutem;* ſed virtus eſt aliqua qualitas inhærens animæ, per quam elicitur actus bonus; ergo perſeuerantia non dicit puram applicationem, quæ non eſt niſi modus. 6. Pura applicatio gratiæ cum morte nihil aliud dicit, niſi mortem in ſtatu gratiæ, ſed mors in ſtatu gratiæ ſupra gratiam nihil aliud addit, niſi quid naturale; quia dicit ſolam ſeparationem animæ à corpore, quæ eſt ordinis naturæ, vt patet; ergo perſeuerantia finalis, quæ eſt donum Dei ſupernaturale, eſt enim effectus principalis prædeſtinationis, non conſiſtit in pura coniunctione animæ iuſtæ cum morte, ſed in aliqua qualitate ſupernaturali ſuperaddita gratiæ habituali pertinente ad ordinem prouidentię ſupernaturalis ſpecialis, ſcilicet prædeſtinationis, qua mediante anima iuſta egrediens à corpore elicit actum amoris Dei firmum, & ſtabilem duraturum etiã poſt mortem, cum quo decedit, & Deo præſentatur, vt remunerationem accipiat, & hæreditatem filiorum, ac coronam, *quam repromiſit diligentibus ſe*, idẽſt habentibus actualiter, non autem antecedenter, & in præteritum, actum dilectionis, & cum iſto ſibi actu præſentatis poſt mortem. Ex quo habetur differentia actus amoris Dei eliciti per gratiam habitualem, & actuũ aliorum donorum; quòd iſti non ſunt firmi, & ſtabiles; actus verò virtutis perſeuerantiæ ſunt firmi ſtabiles, & perpetui, & ideo præmium perpetuum, quod eſt vita æterna, recipiunt. *Hoc ſupp.*

4 Vnica concl. Nemo poteſt mereri de condigno, aut de congruo, ſed tantùm impetratoriè, ſeu ſupplicatoriè donum perſeuerantiæ finalis ſiue ſibi, ſiue alteri. *Ita Fund. Doct. loc. cit. q. 2. art.* 10; vbi afferuntur rationes probantes hanc concl. quam tenent communiter *omnes Theologi*.

Prob. 1. pars. Perſeuerantia eſt donum Dei purè gratuitum omnino miſericorditer à Deo nobis donatum; vt patet *ex Scripturis adductis; & Trid. ſeſſ. 6. c.* 13. ſuper illud *Rom.* 14. *Potens eſt enim Deus ſtatuere illum;* ait: *Quod quidem aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt eum, qui ſtat, ſtatuere, vt perſeueranter ſtet; & eum, qui cadit, reſtituere. ex Beatiſs. P. de dono perſeu. c.* 2. *Profectò & ipſam perſeuerantiam magnum Dei donum, quo cætera dona eius conſeruantur, accipiunt;* ergo non poſſumus illam mereri de condigno, vel de congruo; meritum enim importat debitum; vt diximus *ex Apoſt. art.* 4. Tum quia perſeuerantia finalis pertinet ad ordinem prouidentiæ ſupernaturalis ſpecialis, qui eſt alius ab ordine prouidentiæ, ad quem pertinet gratia habitualis; hic enim eſt ordo prouidentiæ ſupernaturalis communis reprobis, & electis; vt diximus *art.* 10. *vbiſ.* ergo per gratiam habitualem non poſſumus mereri perſeuerantiam finalem; quia non poſſumus mereri, niſi ea, quæ ſpectant ad ordinem, ad quem pertinet gratia habitualis; quia meritum ordinatur ad præmium; & ideo præmium debet eſſe in eodem ordine, in quo eſt meritum; cùm ſint correlatiua. Tum quia perſeuerantia finalis dicit conſeruationem gratiæ habitualis; vt diximus *ex Beatiſs. P.*; ſed non poſſumus mereri productionem gratiæ habitualis; ergo neque conſeruationem; nam conſeruatio *eſt quædam continuata productio*. Tum quia in tantùm non poſſumus mereri gratiam habitualem, in quantùm deberet dari gratia habitualis, antequam eſſet producta in nobis; ergo nec poſſumus mereri perſeuerantiam finalem, quia deberemus habere donum perſeuerantiæ, per quod ſolùm poſſemus mereri ipſam perſeuerantiam finalem; & ſic daretur perſeuerantia ante perſeuerantiam, quod implicat. Nam gratia habitualis non eſt principium formale effectiuum perſeuerantiæ finalis; aliter habens gratiam habitualem haberet, & perſeuerantiam; quia poſita cauſa formali ponitur effectus; ſed falſum eſt, quod habens gratiam habeat perſeuerantiam; quia de fide eſt multos iuſtos cadere à gratia; impoſſibile eſt autem, quòd habens perſeuerantiam finalem cadat, & non perſeueret finaliter; ergo ad cauſandum meritoriè actum perſeuerantiæ finalis neceſſarium eſt donum perſeuerantiæ finalis diſtinctum à gratia habituali. *Vid. alias rationes art.* 10. *vbiſ.*

5 Prob. 2. *ex Beatiſs. P. vbiſ. c.* 6. *Hoc ergo Dei donum ſuppliciter emereri poteſt;* ergo tantùm ſupplicatoriè, & impetratoriè poſſumus nobis, &

& alijs perſeuerantiam finalem mererl. *Vid. alias rationes allatas in hac q. art.*4; oratio enim tendit in id, quod pura gratia eſt, & nullo iure eſt debitum; & quod eſt perfectius, ac dignius illa; vt patet; & quod ſpectet ad alium ordinem; ſicque ceſſant rationes adductæ pro 1.parte concl.

6 Obijc.1. Qui poteſt mereri finem, poteſt mereri, & id, quo conſequitur finem; ſed iuſtus poteſt mereri vitam æternam, quæ eſt finis; ergo & perſeuerantiam, qua conſequitur vitam æternam. 2. In tantùm nemo poteſt mereri gratiam habitualem, quia deberet eſſe in gratia, quæ eſt principium merendi, ſed iuſtus ante perſeuerantiam eſt in gratia; ergo poteſt illam mereri. 3. Poteſt mereri augmentum gratiæ; ergo & perſeuerantiam, quæ gratiam auget. 4. Chriſtus Dominus potuit mereri continuationē vnionis hypoſtaticæ, & reunionem animæ cum corpore poſt reſurrectionem; ergo & iuſtus vnionem gratiæ cum morte.

Reſp.ad 1. neg.ma; nam id, quo conſequimur prœmium, eſt meritum; vnde ſi poſſet mereri id, quo conſequimur finem, poſſet mereri meritum; & ſic daretur meritum meriti. Vel diſt. Si id, quo conſequitur finem, habeat rationem prœmij, & debiti, conc; ſi habeat rationem merè gratuiti, vt eſt perſeuerantia, neg. Ad 2. diſt. mi. Ante perſeuerantiam eſt in gratia perſeuerantiæ, quæ eſt gratia ſpecialis diſtincti ordinis à gratia habituali, vt dictum eſt, neg; eſt in gratia habituali, conc; ſed hæc non eſt meritoria perſeuerantiæ. Ad 3. neg. conſ; nam augmentum gratiæ habitualis ſpectat ad ipſam gratiam; at verò perſeuerantia ſpectat ad alium ordinem. Ad 4. neg. 1. pars ant; nam continuatio vnionis hypoſtaticæ dependet ex ſola voluntate Dei. *Sed de hoc in 3. ſent*: vbi reliqua de merito dicenda ſeruamus; *& in 4. de Pœnit.*

7 Quæres; an iuſtus poſſit mereri bona temporalia?

Reſp. poſſe mereri bona temporalia, quatenus conducunt ad æterna; non autem ſecundùm ſe ſpectata; quia non poteſt mereri iuſtitiam originalem; cui ſoli debebantur bona temporalia, vt diximus *cum Beatiſs. P; & Fund. Doct. Aeg.*

DE

Digitized by Google

DE FIDE, SPE, ET CHARITATE.

ISraelitas ex AEgypto ſolutos columna nubis, & ignis amænissima terræ promiſſæ perduxit ad loca. Hoc fuiſſe myſterium, quo peregrinantis hominis via è captiuitate peccati ad libertatem filiorum oſtenditur, communis eſt Interpretum ſenſus. Quid nanque *Moyſen*, niſi Chriſti Domini geſsiſſe figuram credendum eſt; qui humanum genus vinculis mortis, quibus Diabolo mancipabatur, diſciſsis reſtituit in viam, qua perueniret ad vitam omni felicitate fruentem, deduxit ad terram omni voluptate fluentem? Quid columna, nubes, & ignis itineris indices, vindiceſque iterantium, niſi fidem, ſpem, charitatemque ſignabant, quæ directo tramite ducunt in Deũ, in quo eſt omnis vitæ felicitas, omniſq; felicitatis vbertas? Fides columna eſt, quæ totũ Eccleſiæ ædificium inconcuſſa firmitate ſuſtentat. Firmiſſimum columen, quo erigitur ſpes; fundamentalis petra, ſine qua extinguitur charitas, cuius ignes ex hoc ſilice tantùm erumpunt; ceterarumque virtutum baſis, quæ molem fundat, ſubſtinetque ſalutis. Columna, quæ ad Cœlos ſummitate pertingit; & licèt per ipſam è terris homines in Cœlum tranſiliant, ipſa tamen fixo forinſecus limire ad fores religioſa conſiſtit; nubis etenim obſcuritate veſtitur, quæ lucis antitheta cum patriæ claritate iungi nequit in fœdus; ni dixerimus, quòd pallio obſcuritatis exuta lucem amiciens mutato ornamento nomen quoque permutet ita, vt non ampliùs fidei, ſed viſionis appellationem ſortiatur. Spes in nube adumbratur, qua in Deum erigimur, & veluti ſubiecto curru ad gloriam euehimur. Nubes, quæ nos rore Diuinæ gratiæ reſpergit, ac ſaluberrimis pietatis vndis alluendo fæcundat. Nubes, quæ præſentium malorum docet patienter tolerare iacturam, futurorumque bonorum fideliter expectare præſentiam. A ventis anhelantium deſideriorum non tollitur, ſed firmatur; Diuini Solis aſpectu deſtruitur, & tamen exambit aſpicere; ad patriam ducit, & manet extorris; viam parat, ſed cum via deſinit; deſiderat poſsidere, quod quærit, & tamen illius poſſeſsione conuellitur; ſatiari cupit, & ſatietate eliquatur; terminum optat, & cùm terminum tangit, exterminatur; ad vitam immortalem anhelat, quam cùm aſſequitur, ipſa commoritur; niſi fortè etiam ipſa, quemadmodum & fides, extincta ſpei notione, quæ deperit, renaſcatur in gaudium, quod manet. Charitatis denique illuſtre præambulum ignis præſetulit; charitas ſiquidem Diuini amoris igne ſuccendit animam, quæ ſuper tremulas ſpiritualium flammarum alas his terrenis detineri non patiens irrequieta conſcendit ad Deum, ſeu ad ſphæram, in qua ſine pabulo viuit, & abſque defectu ſeruatur. Charitas ignis eſt, quæ mortiferas vitiorum hydras adeo faciliter renaſci aſſuetas delet, ne reuiuiſcant. Hoc igne tartareus fugatur leo, qui hac flamma, qua caret, crematur ampliùs, quàm eo, quo ardet, incendio. Noſtra caro, quæ puluis eſt, hoc igne exuſta exploditur in extaſes, & corporeo detracto pondere leuis effecta in ſpiritualem tranſit naturam. Depluis flammis in Apoſtolorum præcordia è Cœlis cecidit charitas; vt cor, quod terrenam inchoat vitam, inchoaret cœleſtem. Ignis perpetuus, qui nunquam extinguitur, quia immortalitatis eſt prodromus; non affligit, ſed beat, quos vrit; eſt nanque ſempiternæ beatitudinis oriens poſt occaſũ huius vitæ ſuccedens nulla tẽporum ſucceſsione declinaturus.

Ad explicandas igitur has Diuinas virtutes tranſimus; vt eas inquirendo acquiramus, vel acquiſitas ſeruemus; quibus iter ad patriam tuti arripiamus.

DE FIDE.

A Fide tractatum hunc exordimur; hæc enim Theologicas inter virtutes primum obtinet locum. Quoniam autem prius optimum medium eſt ad dignoſcendum poſterius, quia prius poſterioris eſt cauſa, & notitia cauſæ ducit in agnitionem effectus; ideo priùs explananda ſunt, quæ ſpectant ad fidem, vt ex his ad ea, quæ pertinent ad ſpem, charitatemque pergamus.

QVAEST. I.

De habitu Fidei.

QVanuis plura in hac quæſtione tractanda ſint, quæ communia ſunt omnibus virtutibus Theologicis; ob quod *aliqui*, antequam ad ſpeciales difficultates deueniant, quæſtionem præmittant, in qua agunt de virtutibus Theologicis in genere, attamen illas tractatui ipſius fidei applicamus, quia ſolùm occaſione huius ortæ ſunt, vt patebit, ita tamen, vt quæ dicturi ſumus de fide, etiam de ſpe ſubintelligantur, & charitate. Priùs autem de habitu, quàm de actu, & obiecto, tractamus, quia habitus eſt principium actus, cuius terminus eſt obiectum.

ART. I.

De ſignificatione, & definitione fidei.

1 FIdes quoad nominis ethimologiam ex duabus ſyllabis conſtat, quarum prima deriuatur *à fieri*, ſecunda à *dici*, vt docet *Beatiſs. P. Aug. ſerm. 237. de temp.*, vbi ait: *Fides appellata eſt ab eo, quia fit, quod dicitur. Duæ ſyllabæ ſonant, cùm dicitur fides. Prima ſyllaba eſt à facto, ſecunda à dicto. Interrogo ergo te, vtrum credas? Fac, quod dicis, & fides eſt, & lib. de Mendacio ad conſent. c. 20. Fides appellata eſt in latina lin-*

qua ex eo, quia ſit, quod dicitur, quod habet etiam *cp. 16., & ſæpe alibi*. In hoc ſenſu ſumitur fides pro fidelitate in ſeruandis promiſſis; quomodò ſumitur *Rom. 3. Nunquid incredulitas illorū fidem Dei euacuabit?*

2 Sumitur 2. fides pro fiducia, quæ eſt *conſtans, firma, & vehemens cogitatio roborans ſpem obtinendi id, quod ſperatur*, & de hac dicitur *Iac. 1. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* Debet autē hæc cogitatio eſſe ſine hæſitatione, aliter eſſet opinio, non fiducia, vnde noſter *Calepinus, Gibb., & alij* DD. impropriè loquuntur, cùm definiunt fiduciā certam, & vehementem opinionem, opinio nanque formidinem, & hæſitationem eſſentialiter includit, vt diximus *to. 1. q. 3. proem. art. 7*; fiducia verò illam excludit. Inſuper non bene diſcurrunt *Sot., Med., & Bellarm.*, qui, vt reijciant hæreticos noſtri temporis aſſerentes fidem iuſtificātem eſſe fiduciam Diuinæ miſericordiæ, negant *in Scriptura* vnquam ſumi fidem pro fiducia, ſed tantùm ſumi pro fidelitate, vel pro fide Theologica. Contra enim dicitur *Matt. 14. Modicæ fidei, quare dubitaſti?* Vbi fides non ſumitur pro fidelitate, non enim promiſerat *Petrus* ſe non timere ſubmerſionem, neque pro fide Theologica, poterit enim *Petrus* timere ſine detrimento fidei, & ideo ſolùm pro fiducia intelligi debet.

3 Sumitur 3. pro conſcientia, *vt 1. Tim. 1. Conſcientia bona, & fide non ficta.*, & *c. fin. de praeſcript.*, in quo habetur *nullam præſcriptionem valere abſque bona fide*, idēſt abſqua bona conſcientia.

4 Sumitur 4. pro quadam gratia gratis data, quæ dicitur fides miraculorum, de qua diximus *in ſup. tract. q 1. art. 2.*, & hæc non eſt fides, de qua *hic* loquimur, non enim omnes fideles habent gratiam faciendi miracula.

5 Sumitur 5. pro obiecto fidei, ſeu pro rebus creditis, vt *in Symb. D. Athan. Hæc eſt fides catholica, quam niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit &c.*, idēſt iſtæ ſunt veritates, circa quas verſatur fides catholica.

6 Sumitur 6. pro baptiſmo, qui dicitur *Sacramentum fidei*, quia per ipſum acquiritur fides, vt habet *Beatiſſ. P. ep. 23. ad Bonif, & Trid ſeſſ. 6. c. 7.*

7 Tandem ſumitur pro aſſenſu intellectus præſtito propter teſtimonium, & auctoritatem dicentis, qui aſſenſus vel poteſt eſſe in habitu, vel in actu, & ideo fides diuiditur in actualem, & habitualem. In hoc ſenſu tantùm fides *hic* ſumitur, & ſicut duplex eſt teſtimonium, ſcilicet Dei, & hominum iuxta illud *1. Io. 5. Si teſtimonium hominum accipitis, teſtimonium Dei maius eſt.*, ita duplex eſt fides, ſcilicet humana, & Diuina, & de hac poſtrema agimus in præſenti.

8 Diximus ſolam vltimam acceptionem eſſe propriam ſignificationem fidei Theologicæ, de qua agimus in præſenti; quidquid garriant *Lutherō Caluiniſtæ* arbitrantes fidem eos iuſtificantem eſſe fiduciam de Diuina Miſericordia remittentē peccata propter Chriſtum, quam hæreſim damnauit *Trid. ſeſſ. 6. can. 12.*, & de quo egimus *in tract. de Grat. q. 4. art 1.*

9 Fides itaque in hoc ſenſu accepta definitur *ab Apoſt. Hebr. 11. Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* In hac definitione (inquit *Fund. Doct. 3. diſt. 23. q. 2. art. 2. §. Secūda ratio*) explicatur fides quantùm ad habitum, actum, & obiectum; dicitur enim 1. *ſubſtantia*, non quidem *à ſubſiſtere in ſe, & per ſe*; fides nanque eſt accidens, quod eſt in alio; ſed *à ſubſtare alijs*, quod non repugnat accidenti, quātitas enim eſt accidens ſubſtans qualitatibus, ſic fides ſubſtat ſpei, alijſque virtutibus, quarum eſt fundamentum, & baſis illas ſuſtentans. Quoniā autem de ratione fundamenti eſt eſſe immobile; ponitur enim, ne res fundata vacillet, ideo nomine *ſubſtantiæ* ſignificatur habitus fidei, prout habitus eſt, cum de ratione habitus ſit eſſe immobile; quia definitur *qualitas difficulter mobilis à ſubiecto*. Dicitur *rerum ſperandarum*; quo manifeſtatur fidei obiectum, quod eſt Deus; virtutes nanque Theologicæ habent pro fine, & pro obiecto Deum. Dicitur *argumentum non apparentium*; quibus verbis indicatur actus fidei; nam argumentum procul dubio eſt actus intellectus; quia argumentum eſt aſſenſus, quo intellectus aſſentitur alicui veritati. Non eſt autem fides qualecunque argumentum, ſed conuincens; quapropter alia verſio habet *conuictio non apparentium*; vt videri poteſt *apud Beatiſſ. P. lib. 2. de pecc. meritis, & remiſſ. c. 21.*, quanuis enim *lib. 50. hom. 32.* Typographi errore legatur *confictio*; attamen legi debet *conuictio*, vt habet *loc. cit.*, & ſic legit *Gloſ.* ſuper hunc locum. Conuictio autem eſt actus intellectus, vt eſt manifeſtum.

10 Ex his patet optimam eſſe allatam definitionem, eſt enim per principia ſpecificantia, cùm habitus ſpecificetur per actum, & actus per obiectum; principium autem ſpecificans eſt cauſa formalis, ideoque eſt per cauſam formalem. Eſt etiam per cauſam efficientem, quia obiectum, quod eſt Deus, eſt cauſa efficiēs habitus fidei. Tādem eſt per effectum, quia actus eſt effectus habitus. His euertitur *Eraſmus*, qui *in annot. ſup. c. 11. ad Hebr.* temerè arbitratur *Apoſtolum* non tradidiſſe definitionem fidei, quæ eſt virtus Theologica, qua credimus res ſupernaturales, ſed fiduciæ, qua in Deo confidimus nos viſuros veritates ſupernaturales, quas credimus in hac vita. Item reijcitur *Ariaga* aiens hanc definitionem eſſe inſufficientem eo, quia fides verſatur nedum circa res ſperandas futuras, ſed etiam circa præſentes, & præteritas; imò nedum circa res ſperandas, ſed etiam abominandas, vt ſunt peccata. Reijcitur ſic. Illa eſt bona definitio, quæ traditur per ordinem ad cauſam principalem, ad quam reducuntur omnia alia, quæ dicuntur de re definita; ſed hæc eſt huiuſmodi; traditur enim per ordinem ad Deum reuelantem, qui eſt cauſa, & obiectum principale, ad quod reducuntur omnia myſteria ſiue præterita, ſiue præſentia, ſiue futura; & peccata, quæ prohibentur à Deo; ergo eſt bona. Di-

Digitized by Google

11 Dices. 1. Definitio tradita per metaphoram non eſt eſſentialis, quia non eſt per aliquod conueniens rei per proprietatem, ſed per tranſlationem; atqui definitio fidei eſt huiuſmodi; quia traditur per ſubſtantiam, quod prædicatum non conuenit fidei, quæ eſt accidens; ergo non eſt bona. 2. Quicunque habitus rectè definitur ſolùm per ordinem ad obiectum formale, non ad materiale; ſed res ſperandæ ſunt obiectum materiale, non formale; & ratio non apparentis eſt ratio *ſub qua*, quæ eſt communis obiecto formali, & materiali; ergo idem. 3. Res ſperandæ ſunt obiectum ſpei, non fidei; ergo per ordinem ad ipſas non bene definitur fides, quæ debet definiri ſolùm per ordinem ad proprium obiectum. 4. Argumentum eſt oratio faciens ſcire; ſed ſcientia eſt incompoſſibilis cum fide, quia obſcuritas pugnat cum claritate; ergo idem.

Reſp. *cum Fund. Doct.* ad 1. neg mi. Ad prob. infert diſt. Definitio fidei traditur per ſubſtantiã, prout dicitur *ab eſſe in ſe, & per ſe*, in quo diſtinguitur ab accidente, neg., prout dicitur *à ſubſtando alijs*, quod propriè conuenit etiam accidentibus, vt dictum eſt de quantitate, conc. Ad 2. diſt. mi, Res ſperandæ minùs principales reductæ in aliam magis principalem ſunt obiectum materiale, conc; magis principales, ad quas aliæ reducuntur, vt eſt Deus, neg. Ad 3. diſt. ant. Res ſperandæ ſub ratione boni ardui, ſunt obiectum ſpei, conc; ſub ratione veri non apparentis, ſeu obſcurè reuelantis, neg. Vel neg. conſ., nam habitus rectè definitur nedum per ordinem ad proprium obiectum, ſed etiam per ordinem ad proprium finem; vt patet de definitione virtutum, quæ traditur per ordinem ad finem; res autem ſperandæ licèt ſint obiectum ſpei, ſunt tamen finis fidei; ideo per ordinem ad illas rectè etiam definitur fides. Quatenus ergo fides definitur per ordinem ad res ſperandas, definitur per ordinem ad cauſam finalē; quatenus verò definitur per ordinem ad res apparentes, definitur per ordinem ad cauſam formalem, & efficientem; quia ordo ad res non apparentes eſt ratio formalis conſtituens fidem; & res ſperanda, quæ eſt Deus, eſt cauſa efficiens illius, vt dictum eſt. Definitio autem per cauſam eſt bona, vt conſtat apud omnes; ex quo magis probatur allatam definitionem eſſe optimam. Ad 4. diſt. ma. Argumentum ex per ſe notis euidenter, conc; ex reuelatis ineuidenter, neg. Præterea dicitur *argumentum hic* ſumi, non quidem pro diſcurſu illatiuo, quia fides diſcurſiua non eſt; ſed pro actu conuincente intellectum fortiùs, quàm conuincat diſcurſus.

12 Prob. vlteriùs. Fides eſt habitus intellectus, cuius actus neceſſariò involuit aliquã affectionem, quæ eſt actus voluntatis; ergo eſſentialiter debet definiri per ordinem ad res ſperandas, quæ ſunt obiectum ſpei, quæ exiſtit in voluntate, & per ordinem ad res non apparentes, quæ ſunt obiectum habitus intellectualis.

13 Tandem prob. aſſignando differentias, quibus fides diſtinguitur ab aliis habitibus. Illa eſt bona definitio, quæ conſtat ex proprio genere, & propria differentia, per quam res definita differt à qualibet alia re; ſed hæc eſt huiuſmodi, nam *ſubſtantia* eſt genus, importat enim habitum vt dictum eſt, qui eſt genus ad omnes virtutes. Per *res ſperandas*, idèſt non poſſeſſas, differt à viſione beata, quæ eſt de rebus poſſeſſis, & illi ſuccedit; & à prophetia, quæ non eſt per ordinem ad rem, quam ſperet ipſe propheta, ſed potius alter, ad quem talis prophetia dirigitur, fides enim eſt in bonum ipſius credentis, & ideo in ea, quæ credens ſperat, quæ ſunt illi maximè bona; prophetia verò eſt in bonum alterius, non ipſius prophetæ, niſi indirectè, & ſecundariò, & à virtutibus moralibus, quæ non habent pro obiecto immediato Deum, ſed aliquod creatum, res autem ſperanda, circa quam immediatè verſatur fides, eſt Deus, vt diximus. Per *argumentum*, quod ſpectat ad intellectum, differt à ſpe, & charitate, & ab omnibus habitibus voluntatis, nec non ab opinione, dubio, & errore, quæ licèt ſint in intellectu, attamen illum non conuincunt, & ideo non ſunt argumentum, quod eſt idem, ac *conuictio*, quæ dicitur argumentum per antonomaſiam, quia eſt argumentationum potiſſima; & à Theologia, quæ argumentatur cum diſcurſu, fides autem eſt argumentum ſine diſcurſu, vt probatum eſt *to. 3 q. 3. procem. art. 2.* Per *non apparentium* differt à ſcientiis naturalibus, quæ ſunt de apparentibus, & euidentibus, & iterum à viſione beata, quæ eſt cum claritate, & tandem à prophetia, quæ in propheta poteſt eſſe cum euidentia, vt fuit in Chriſto Domino, qui fuit verus propheta, & tamen clarè vidit, quæ prophetauit, ergo hæc definitio eſt optima.

14 Collig. fidem non eſſe diſcuſiuam formaliter. Eſt contra *Eſparzam hic q. 29.* Prob. Per fidem aſſentimur reuelatis tantùm ex vi auctoritatis, & atteſtationis ipſius Dei, non autem ex vi illationis vnius propoſitionis ex alia; per diſcurſum verò aſſentimur tantùm ex vi illationis vnius ex alio, hoc enim formaliter importat diſcurſus, vt patet, ergo fides non eſt diſcuſſiua. Tum quia fides eſt habitus primorum principiorum ſupernaturalium, vt diximus *to. 1. vbiſ.* vbi *vid.* aliæ rationes.

15 Dices. 1. Certum eſt noſtrum modum iudicandi, dum anima operatur in corpore, eſſe diuiſiuum, & compoſitiuum eſſentialiter, qui enim operatur dependenter à phantaſia, quaſi legit, & colligit caracteres in ea diſperſos, & ideo neceſſe eſt, vt priùs apprehendat terminos ſimplices, qui poſſunt eſſe ſubiectum, & prædicatum, eoſq. poſtea coniungendo ferat iudicium, ſed hoc eſt ſufficiens ad conſtituendum diſcurſum, quia ex vna veritate infertur alia, ergo fides eſt diſcuſſiua. 2. Ex vna præmiſſa de fide poteſt inferri alia de fide, ergo idem.

Reſp. ad 1. ma. veram eſſe de ijs, quæ cognoſcuntur per ratiocinationem humanam, non verò per reuelationem Diuinam; nam ſtatim reuelata aliqua propoſitione, & cognitis terminis

qua ex eo, quia fit, quod dicitur, quod habet etiam *ep. 16., & ſæpe alibi*. In hoc ſenſu ſumitur fides pro fidelitate in ſeruandis promiſſis; quomodò ſumitur *Rom. 3. Nunquid incredulitas illorũ fidem Dei euacuabit*?

2 Sumitur 2. fides pro fiducia, quæ eſt *conſtans, firma, & vehemens cogitatio roborans ſpem obtinendi id, quod ſperatur*, & de hac dicitur *Iac. 1. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans*. Debet autẽ hæc cogitatio eſſe ſine hæſitatione, aliter eſſet opinio, non fiducia, vnde noſter *Calepinus, Gibb., & alij* DD. impropriè loquuntur, cùm definiunt fiduciã certam, & vehementem opinionem, opinio nanque formidinem, & hæſitationem eſſentialiter includit, vt diximus *to. 1. q. 3. proem. art. 7*; fiducia verò illam excludit. Inſuper non bene diſcurrunt *Sot., Med., & Bellarm.*, qui, vt reijciant hæreticos noſtri temporis aſſerentes fidem iuſtificãtem eſſe fiduciam Diuinæ miſericordiæ, negant *in Scriptura* vnquam ſumi fidem pro fiducia, ſed tantùm ſumi pro fidelitate, vel pro fide Theologica. Contra enim dicitur *Matt. 14. Modicæ fidei, quare dubitaſti*? Vbi fides non ſumitur pro fidelitate, non enim promiſerat *Petrus* ſe non timere ſubmerſionem, neque pro fide Theologica, poterit enim *Petrus* timere ſine detrimento fidei, & ideo ſolùm pro fiducia intelligi debet.

3 Sumitur 3. pro conſcientia, *vt 1. Tim. 1. Conſcientia bona, & fide non ficta.*, & *c. fin. de præſcript.*, in quo habetur *nullam præſcriptionem valere abſque bona fide*, idèſt abſqua bona conſcientia.

4 Sumitur 4. pro quadam gratia gratis data, quæ dicitur fides miraculorum, de qua diximus *in ſup. tract. q. 1. art. 2.*, & hæc non eſt fides, de qua *hic* loquimur, non enim omnes fideles habent gratiam faciendi miracula.

5 Sumitur 5. pro obiecto fidei, ſeu pro rebus creditis, vt *in Symb. D. Athan. Hæc eſt fides catholica, quam niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit &c.*, idèſt iſtæ ſunt veritates, circa quas verſatur fides catholica.

6 Sumitur 6. pro baptiſmo, qui dicitur *Sacramentum fidei*, quia per ipſum acquiritur fides, vt habet *Beatiſſ. P. ep. 23. ad Boniſ., & Trid. ſeſſ. 6. c. 7.*

7 Tandem ſumitur pro aſſenſu intellectus præſtito propter teſtimonium, & auctoritatem dicentis, qui aſſenſus vel poteſt eſſe in habitu, vel in actu, & ideo fides diuiditur in actualem, & habitualem. In hoc ſenſu tantùm fides *hic* ſumitur, & ſicut duplex eſt teſtimonium, ſcilicet Dei, & hominum iuxta illud *1. Io. 5. Si teſtimonium hominum accipitis, teſtimonium Dei maius eſt.*, ita duplex eſt fides, ſcilicet humana, & Diuina, & de hac poſtrema agimus in præſenti.

8 Diximus ſolam vltimam acceptionem eſſe propriam ſignificationem fidei Theologicæ, de qua agimus in præſenti; quidquid garriant *Luthero-Caluiniſtæ* arbitrantes fidem eos iuſtificantem eſſe fiduciam de Diuina Miſericordia remittentẽ peccata propter Chriſtum, quam hæreſim damnauit *Trid. ſeſſ. 6. can. 12.*, & de quo egimus *in tract. de Grat. q. 4. art 1.*

9 Fides itaque in hoc ſenſu accepta definitur *ab Apoſt. Hebr. 11. Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* In hac definitione (loquit *Fund. Doct. 2. diſt. 23. q. 2. art. 2. §. Secũda ratio*) explicatur fides quantùm ad habitum, actum, & obiectum; dicitur enim 1. *ſubſtantia*, non quidem *à ſubſiſtere in ſe, & per ſe*; fides nanque eſt accidens, quod eſt in alio; ſed *à ſubſtare alijs*, quod non repugnat accidenti, quãtitas enim eſt accidens ſubſtans qualitatibus, ſic fides ſubſtat ſpei, alijſque virtutibus, quarum eſt fundamentum, & baſis illas ſuſtentans. Quoniã autem de ratione fundamenti eſt eſſe immobile; ponitur enim, ne res fundata vacillet, ideo nomine *ſubſtantia* ſignificatur fides, prout habitus eſt; cum de ratione habitus ſit eſſe immobile; quia definitur *qualitas difficulter mobilis à ſubiecto*. Dicitur *rerum ſperandarum*; quo manifeſtatur fidei obiectum, quod eſt Deus; virtutes nanque Theologicæ habent pro fine, & pro obiecto Deum. Dicitur *argumentum non apparentium*; quibus verbis indicatur actus fidei; nam argumentum proculdubio eſt actus intellectus; quia argumentum eſt aſſenſus, quo intellectus aſſentitur alicui veritati. Non eſt autem fides qualecunque argumentum, ſed conuincens; quapropter alia verſio habet *conuictio non apparentium*; vt videri poteſt *apud Beatiſs. P. lib. 2. de pecc. meritis, & remiſs. c. 21.*, quamuis enim *lib. 50. hom. 32.* Typographi errore legatur *confictio*; attamen legi debet *conuictio*, vt habet *loc. cit.*, & ſic legit *Gloſ.* ſuper hunc locum. Conuictio autem eſt actus intellectus, vt eſt manifeſtum.

10 Ex his patet optimam eſſe allatam definitionem, eſt enim per principia ſpecificantia, cùm habitus ſpecificetur per actum, & actus per obiectum; principium autem ſpecificans eſt cauſa formalis, ideoque eſt per cauſam formalem. Eſt etiam per cauſam efficientem, quia obiectum, quod eſt Deus, eſt cauſa efficiẽs habitus fidei. Tàdem eſt per effectum, quia actus eſt effectus habitus. His euertitur *Eraſmus*, qui *in annot. ſup. c. 11. ad Hebr.* temerè arbitratur *Apoſtolum* non tradidiſſe definitionem fidei, quæ eſt virtus Theologica, qua credimus res ſupernaturales, ſed fiduciæ, qua in Deo confidimus nos viſuros veritates ſupernaturales, quas credimus in hac vita. Item reijcitur *Arriaga* aiens hanc definitionem eſſe inſufficientem eo, quia fides verſatur nedum circa res ſperandas futuras, ſed etiam circa præſentes, & præteritas; imò nedum circa res ſperandas, ſed etiam abominandas, vt ſunt peccata. Reijcitur ſic. Illa eſt bona definitio, quæ traditur per ordinem ad cauſam principalem, ad quam reducuntur omnia alia, quæ dicuntur de re definita; ſed hæc eſt huiuſmodi; traditur enim per ordinem ad Deum reuelantem, qui eſt cauſa, & obiectum principale, ad quod reducuntur omnia myſteria ſiue præterita, ſiue præſentia, ſiue futura; & peccata, quæ prohibentur à Deo; ergo eſt bona.

Di-

11 Dices. 1. Definitio tradita per metaphoram non eſt eſſentialis, quia non eſt per aliquod conueniens rei per proprietatem, ſed per tranſlationem; atqui definitio fidei eſt huiuſmodi; quia traditur per ſubſtantiam, quod prædicatum non conuenit fidei, quæ eſt accidens; ergo non eſt bona. 2. Quicunque habitus rectè definitur ſolùm per ordinem ad obiectum formale, non ad materiale; ſed res ſperandæ ſunt obiectum materiale, non formale; & ratio non apparentis eſt ratio *ſub qua*, quæ eſt communis obiecto formali, & materiali: ergo idem. 3. Res ſperandæ ſunt obiectum ſpei, non fidei; ergo per ordinem ad ipſas non bene definitur fides, quæ debet definiri ſolùm per ordinem ad proprium obiectum. 4. Argumentum eſt oratio faciens ſcire; ſed ſcientia eſt incompoſſibilis cum fide, quia obſcuritas pugnat cum claritate; ergo idem.

Reſp. *cum Fund. Doct.* ad 1. neg. mi. Ad prob. inſert diſt. Definitio fidei traditur per ſubſtantiã, prout dicitur *ab eſſe in ſe, & per ſe*, in quo diſtinguitur ab accidente, neg., prout dicitur *à ſubſtando alijs*, quod propriè conuenit etiam accidentibus, vt dictum eſt de quantitate, conc. Ad 2. diſt. mi, Res ſperandæ minùs principales reductæ in aliam magis principalem ſunt obiectum materiale, conc; magis principales, ad quas aliæ reducuntur, vt eſt Deus, neg. Ad 3. diſt. ant. Res ſperandæ ſub ratione boni ardui, ſunt obiectum ſpei, conc; ſub ratione veri non apparentis, ſeu obſcurè reuelantis, neg. Vel neg. conſ., nam habitus rectè definitur nedum per ordinem ad proprium obiectum, ſed etiam per ordinem ad proprium finem; vt patet de definitione virtutum, quæ traditur per ordinem ad finem; res autem ſperandæ licèt ſint obiectum ſpei, ſunt tamen finis fidei; ideo per ordinem ad illas rectè etiam definitur fides. Quatenus ergo fides definitur per ordinem ad res ſperandas, definitur per ordinem ad cauſam finalẽ; quatenus verò definitur per ordinem ad res apparentes, definitur per ordinem ad cauſam formalem, & efficientem; quia ordo ad res non apparentes eſt ratio formalis conſtituens fidem; & res ſperanda, quæ eſt Deus, eſt cauſa efficiens illius, vt dictum eſt. Definitio autem per cauſam eſt bona, vt conſtat apud omnes; ex quo magis probatur allatam definitionem eſſe optimam. Ad 4. diſt. ma. Argumentum ex per ſe notis euidenter, conc; ex reuelatis ineuidenter, neg. Præterea dicitur *argumentum hic* ſumi, non quidem pro diſcurſu illatiuo, quia fides diſcurſiua non eſt; ſed pro actu conuincente intellectum fortiùs, quàm conuincat diſcurſus.

12 Prob. vlteriùs. Fdes eſt habitus intellectus, cuius actus neceſſariò involuit aliquã affectionem, quæ eſt actus voluntatis; ergo eſſentialiter debet definiri per ordinem ad res ſperandas, quæ ſunt obiectum ſpei, quæ exiſtit in voluntate, & per ordinem ad res non apparentes, quæ ſunt obiectum habitus intellectualis.

13 Tandem prob. aſſignando differentias, quibus fides diſtinguitur ab aliis habitibus. Illa eſt bona definitio, quæ conſtat ex proprio genere, & propria differentia, per quam res definita differt à qualibet alia re; ſed hæc eſt huiuſmodi, nam *ſubſtantia* eſt genus, importat enim habitum vt dictum eſt, qui eſt genus ad omnes virtutes. Per *res ſperandas*, idèſt non poſſeſſas, differt à viſione beata, quæ eſt de rebus poſſeſſis, & illi ſuccedit; & à prophetia, quæ non eſt per ordinem ad rem, quam ſperet ipſe propheta, ſed potius alter, ad quem talis prophetia dirigitur, fides enim eſt in bonum ipſius credentis, & ideo in ea, quæ credens ſperat, quæ ſunt illi maximè bona; prophetia verò eſt in bonum alterius, non ipſius prophetæ, niſi indirectè, & ſecundariò, & à virtutibus moralibus, quæ non habent pro obiecto immediato Deum, ſed aliquod creatum, res autem ſperanda, circa quam immediatè verſatur fides, eſt Deus, vt diximus. Per *argumentum*, quod ſpectat ad intellectum, differt à ſpe, & charitate, & ab omnibus habitibus voluntatis, nec non ab opinione, dubio, & errore, quæ licèt ſint in intellectu, attamen illum non conuincunt, & ideo non ſunt argumentum, quod eſt idem, ac *conuictio*, quæ dicitur argumentum per antonomaſiam, quia eſt argumentationum potiſſima, & à Theologia, quæ argumentatur cum diſcurſu, fides autem eſt argumentum ſine diſcurſu, vt probatum eſt *to. 3 q. 3. proem. art. 2.* Per *non apparentium* differt à ſcientiis naturalibus, quæ ſunt de apparentibus, & euidentibus, & iterum à viſione beata, quæ eſt cum claritate, & tandem à prophetia, quæ in propheta poteſt eſſe cum euidentia, vt fuit in Chriſto Domino, qui fuit verus propheta, & tamen clarè vidit, quæ prophetauit, ergo hæc definitio eſt optima.

14 Collig. fidem non eſſe diſcuſiuam formaliter. Eſt contra *Eſparzam hic q. 29.* Prob. Per fidem aſſentimur reuelatis tantùm ex vi auctoritatis, & atteſtationis ipſius Dei, non autem ex vi illationis vnius propoſitionis ex alia; per diſcurſum verò aſſentimur tantùm ex vi illationis vnius ex alio, hoc enim formaliter importat diſcurſus, vt patet, ergo fides non eſt diſcuſſiua. Tum quia fides eſt habitus primorum principiorum ſupernaturalium, vt diximus *to. 1. vbiſ.* vbi *vid.* aliæ rationes.

15 Dices. 1. Certum eſt noſtrum modum iudicandi, dum anima operatur in corpore, eſſe diuiſiuum, & compoſitiuum eſſentialiter, qui enim operatur dependenter à phantaſia, quaſi legit, & colligit caracteres in ea diſperſos, & ideo neceſſe eſt, vt priùs apprehendat terminos ſimplices, qui poſſunt eſſe ſubiectum, & prædicatum, eoſq. poſtea coniungendo ferat iudicium, ſed hoc eſt ſufficiens ad conſtituendum diſcurſum, quia ex vna veritate infertur alia, ergo fides eſt diſcuſſiua. 2. Ex vna præmiſſa de fide poteſt inferri alia de fide, ergo idem.

Reſp. ad 1. ma. veram eſſe de ijs, quæ cognoſcuntur per ratiocinationem humanam, non verò per reuelationem Diuinam; nam ſtatim reuelata aliqua propoſitione, & cognitis terminis

quoad quid nominis fides aſſentitur coniunctioni illorum terminorum propter ſolam auctoritatem atteſtantem, vnde falſum eſt ex cognitione terminorum inferri coniunctionem eorum, & ideo neg. mi. Ad 2. diſt. ant. Ex vna veritate poteſt inferri alia ex vi habitus fidei, neg., ex vi habitus Theologici, conc., & licèt propoſitio illata ſit de fide, attamen non eſt de fide, quatenus illata, ſed tantùm quatenus reuelata. Ideo qui negaret propoſitionem illatam abſolutè, & ſpecificatiuè, eſſet hæreticus, qui autem illam concederet abſolutè in ſe ipſa, & negaret tantùm illationem, eſſet erroneus, non hæreticus, quia illatio illa reuelata non eſt.

16 Inſt. *Eſparza* Propoſitio euidenter inferibilis ex duplici præmiſſa de fide, vel ex vna de fide, & altera naturali metaphyſicè euidenti eſt certa de fide, & credenda eſt per fidem Diuinam, & nequit negari, niſi per hæreſim, quia qui negat aliquid, vel totaliter, vel ſaltem partialiter diſſentit, & negat id, ex quo, tanquam ex motiuo infertur., propoſitio autem, ex qua infertur concluſio, nequit, niſi per hæreſim negari, ergo fides tendit etiam in illationem, & conſequenter eſt diſcurſiua.

Reſp. hoc fuiſſe diſcuſſum *to. 1. q. 1. proem. art.7.* Neg. igitur ant. Ad prob. infert. neg. aſſumpt. aliud enim eſt illatio, aliud res, ex qua infertur, & ideo primum poteſt negari, & ſecundum concedi, hinc aliqui Theologi contendunt aliquas concluſiones Theologicas inferri ex propoſitionibus fidei, & alii negant, vt paſſim videri poteſt *in Scholis* inter ſe oppoſitis. Nec euidentia naturalis ſufficiens eſt ad conſtituendam hæreſim, ſed errorem, requiritur enim reuelatio formaliter, vnde ſi illa propoſitio non ſit reuelata *in Scripturis*, aut ab Eccleſia, non reddit negantem formaliter hæreticum, ſed turpiter erroneum. *Vid. vbiſ.*

A R T. II.

An certum ſit dari habitum fidei?

1 QVæritur; an certum ſit *ex Scripturis, vel Concilijs, aut SS.PP.* dari habitum fidei, ſeu fidem habitualem ſtabiliter permanentem in anima etiam, dum actu non creditur; vel ſolùm dari actum, ſeu fidem actualem tranſeuntem ceſſante anima cogitare. Idem quæritur de ſpe, & charitate.

2 Ratio dubitandi eſt; quia *Scriptura, Concilia, &* SS. *PP.*, cùm loquuntur de Diuinis auxilijs, inter quæ numerantur fides, ſpes, & charitas, concludunt ſemper de actualibus, non habitualibus ergo circa fidem habitualem, & alias virtutes nihil certi habemus ex *Scripturis, Concilijs, aut PP.* Auget difficultatem *Beatiſs. P. in Suppl. cont. Iul. lib. 1. c. 56., & ſape alibi* exponens illud *Marc. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit*, quærit de duobus paruulis, quorũ vnus ſtatim moritur poſt baptiſmum, alter non baptizatus expirat, cur vnus ſaluetur, & alter damnetur, cum neuter credendi habeat facultatem, quia nondum ad vſum peruenit rationis, reſpondet illum ſaluari, quia credit per alios, qui reſpondent pro ipſo, quando interrogatur, an credat? Per hunc autem actum credendi alienum nuncupatur fidelis: Verba eius ſunt hæc: Si *autem dixeris: Per alios credunt, ſic etiam per alium peccauerunt. Et quoniam verum eſt, quod per alios credunt, propter hoc enim & fideles per totam Eccleſiam nuncupantur, profecto pertinent ad illud, quod ait Dominus, Qui autem non crediderit, condemnabitur. Condemnabuntur ergo, ſi per alios non credant, cùm per ſe ipſos non valeant credere.* Ex quo ſic argui poteſt. Si daretur fides habitualis ſecundùm *Beatiſs. P. Auguſtinum*, reſpondiſſet paruulum baptizatum ſaluari, quia credit in habitu, quamuis nõ in actu, vt reſpondet *Innoc. III. in c. maiores de bapt. cum Theologis*, & eſſe fidelem, quia habet habitum fidei, quamuis actum habere non poſſit, ſed hoc non reſpondit, ergo manifeſtum eſt hoc ab ipſo non admitti, vel ſaltem non affirmari. His tamen non obſtantibus.

3 Vnica concl. *Ex Scripturis, Concilijs, &* SS.PP. prælertim *ex Beatiſs. P. Aug.* manifeſtè colligitur dari habitus fidei, ſpei, & charitatis

Prob. 1. pars concl. 1. ex definitione fidei tradita ab *Apoſt.*, in qua dicitur *ſubſtantia rerum ſperandarum*, idèſt fundamentum ſpei, vt diximus *in ſup. art.*, ex quo ſic arguit *Fund. Doct. loc. ibid. cit.* Qualitas intellectualis ſe tenens ex parte potentiæ habens aliquam rationem immobilis habet rationem habitus, non actus; quia habitus definitur *qualitas difficulter mobilis à ſubiecto*, & actus eſt faciliter mobilis., ac propterea habitus dicitur perſeuerare, actus verò tranſire, ſed fides definita *ab Apoſt.* habet rationem immobilis, quia habet rationem fundamenti, quod eſſentialiter importat immobilitatẽ, ponitur enim, ne res fundata vacillet, ergo fides definita *ab Apoſt.* habet rationem habitus.

4 Prob 2. *ex 1. Cor. 13. Nunc autem manent fides, ſpes, charitas*, ex quo ſic. Illud, quod manet, & non tranſit, habet rationem habitus, non actus, quia de ratione habitus eſt remanere tranſeunte actu, & de ratione actus eſt tranſire, ſed fides, ſpes, & charitas manent, non tranſeunt, ergo habent rationem habitus, non actus. Item *ad Coloſs. 1. Si tamen permanetis in fide fundati, & ſtabiles, & immobiles à ſpe Euangelij* Ex quo ſic. Fides permanens, ſtabilis, & immobilis eſt fides habitualis, non actualis, ſed *ex Scriptura* datur fides permanens, ſtabilis, & immobilis, quomodò enim iuberemur permanere, ſtabiles, & immobiles eſſe in fide, ſi fides non permaneret, nec ſtabilis, aut immobilis eſſet, ergo *ex Scriptura* datur fides habitualis.

5 Prob. 2. pars *ex Conc. Mogunt. c. 7.*, vbi dicitur. *Cùm venia peccatorum homo etiam Dei gratiam, & Spiritum* S. *vna cum fide, ſimul charitatem in corde diffuſam, ac ſpem accipit, uſque donis in ipſo manentibus, non tam ſolum reputatur, aut nominatur, ſed verè exiſtit iuſtus.* Dona autem, quæ manent, ſunt habitus, non actus, vt dictum eſt.

Digitized by Google

eſt; idem habet *Trid. ſeſſ. 6. c. 7.* aſſerens iuſtificatũ per baptiſmum ſimul accipere cum remiſſione peccatorum, fidem, ſpem, & charitatẽ: *Vnde in ipſa iuſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem*. Patet autem in paruulis non habere locum actus, ſed habitus; quia paruuli actuum in ſe ipſis ſunt incapaces; ſed paruuli verè per baptiſmum iuſtificantur, fiunt membra Chriſti, & transferuntur in adoptionem filiorum; ergo accipiunt ſimul cum remiſſione peccati originalis habitum fidei, ſpei, & charitatis.

6 Prob. 3. pars. *SS.* PP. & præſertim *Beatiſs. P. Aug.* aſſeuerat paruulis per Chriſti merita donari gratiam remittentem peccata, ſanctificantem, eruentem de poteſtate Diaboli, & transferentem in libertatem filiorum, illuminantem ſpiritum, efficiẽtem membra Chriſti, & tradentem poſſeſſionem Regni Cęleſtis; & addunt hæc munera gratię eſſe paruulis ſimpliciter neceſſaria; ſed hęc important gratiam habitualem cum habitibus fidei, ſpei & charitatis; ergo *SS.* PP., & prę́ſertim *Beatiſs.* P. admittunt habitus fidei, ſpei, & charitatis. Prob. ma. *ex Beatiſs.* P. *Aug. in Suppl. cont.* Iul. *lib.* 1. *c.* 53. vbi ait *Iulianus* omnibus etiam paruulis dari gratiam baptiſmatis licèt enim paruulis non ſit in remedium, remiſſionem, & veniam peccatorum (negat enim eis peccatum originale) attamen eis datur ſecundùm alia munera, & dona ſpiritalia, ac virtutes, quibus locuples eſt; ait namque. *Sed hanc gratiam locupletem ſpiritalibus donis credimus, quæ multis optima muneribus, ac reuerenda virtutibus pro infirmitatum generibus, & humanorum ſtatuũ diuerſitatibus vnica remediorum conlatrice, quam munerum virtute medicatur*. Poſtea concludit: *Hanc igitur gratiam, per quam vis venia, illuminatio ſpiritualis, adoptio filiorum Dei, municipatus cæleſtis Hieruſalem, ſanctificatio, & in Chriſti membra tranſlatio, & poſſeſſio Regni Cæleſtis mortalibus datur, qui aliquibus negandam putat, omnium bonorum execrationem meretur*. Reſpondet autem immediatè Beatiſs P. *in his omnibus, quæ commemoraſti gratiæ Dei muneribus, illud, quod priùs poſuiſti, dari per illa reis veniam, non vis ad paruulos pertinere, quos vllum reatum negas ex Adã trahere. Cur ergo cetera multis negat Deus paruulis, qui ſine hac gratia in illa ætate moriuntur? Cur, inquam, non eis datur illuminatio ſpiritus, adoptio filiorum Dei, municipatus Hieruſalem celeſtis, ſanctificatio, atque in Chriſti membra tranſlatio, & poſſeſſio regni calorum? Hacne tot munera tam neceſſaria, tot imaginibus ſuis nullum ſecundùm vos peccatum habentibus negaret Deus, penes quem ſumma poteſtas eſt, cùm hoc beneficium non à ſe prohibeat voluntas contraria paruulorum?* Ergo *ex Beatiſs.* P. nedum datur, ſed etiam neceſſaria eſt paruulis gratia remittens, ſanctificans, illuminans &c; ſeu ſunt neceſſaria munera gratiæ, aut virtutes hæc præſtantes officia. Imò nec etiam ipſi *Pelagiani* hoc negabant, vt patet *ex allatis textibus, & pluries alibi*. Ex quo deducitur totam cõtrouerſiam *inter SS.* PP., *& hos hæreticos* fuiſſe tantum de gratia actuali, non de habituali, quæ admittebatur communiter. Prob. mi. Remiſſio peccatorum, & ſanctificatio habetur tantùm per gratiam habitualem; vt diximus *de Grat. q.* 4. Illuminatio ſpiritus habetur tantùm per fidem, quæ ſpectat ad intellectũ, in quo ſolùm reſidet lumen, & qui ſolus capax eſt illuminari. vnde *Beatiſs. P. lib.* 50. *hom.* 32. ait: *Habet & ipſa fides lumen ſuum &c.* Datio municipatus Hieruſalem cæleſtis habetur in hac vita ſolùm in ſpe, vt eſt manifeſtum; & poſſeſſio non habetur niſi per charitatem; ergo hæc munera gratiæ important gratiam habitualem cum habitibus fidei, ſpei, & charitatis; paruuli enim ſolorum habituum poſſunt eſſe capaces.

7 Conf. *SS. PP.* communiter admittunt gratiã habitualem remittentem peccata, ſanctificantem, & renouantem hominem; ergo admittunt etiam habitus fidei, ſpei, & charitatis. Ant. oſtenſum eſt *in ſup. tract*; conſ. ſequitur *ex ibid dictis*, vbi probauimus fidem, ſpem, & charitatem eſſe proprietates inſeparabiles à gratia habituali; ſed actus ſeparantur; ergo neceſſariò admittunt habitus, qui remanent abeuntibus actibus.

8 Præterea *SS. PP.* communiter docent fidem non amitti per quodcunque peccatum, ſed per ſolam infidelitatem, quæ illi opponitur; ideo *Beatiſs.* P. *in pſ.* 55. prope finem loquens de Deo ait: *Ipſe dedit fidem, ſpem, & charitatem &c. Fidem nemo perdet, niſi qui ſpreuerit*; ſed actus amittitur etiam à non ſpernente, ſtatim, ac quiſque deſinit cogitare res fidei; ergo *Beatiſs. P.* admittit habitum fidei, & ſic de habitu ſpei, & charitatis.

9 Ad rationem dubitandi dicitur, quòd licèt *Scriptura, Concilia, & SS.* PP. quando loquuntur *contra Pelagianos*, qui negabant ſolùm actus ſalutares ſupernaturales infuſos à Deo, concludant tantùm de auxiliis actualibus; attamen quando non loquuntur *contra Pelagianos*, concludunt etiã de habitualibus, vt *ſup.* oſtenſum eſt. Ad *Beatiſs. Patrem* dicimus eius mentem fuiſſe manifeſtè explicatam. Ad *textum* allatum dicitur, quòd actus videndi eſt duplex; vnus fidei informis antecedẽs baptiſmum, quem habent cathecumeni, antequam baptizentur; credunt enim in Chriſtum, & ideo volunt baptizari. Alter fidei formatæ per charitatem habitam per baptiſmum. *Textus D. Marc. Qui crediderit, & baptizatus fuerit*; intelligitur de actu credendi ad huc informi; præcedit enim baptiſmum; ante quem nequit haberi fides formata, quę infunditur ſolùm per baptiſmum. Paruuli autem nequeunt habere hunc actum in ſe ipſis, ſed ſolum in parentibus reſpondentibus pro ipſis: *Credo*. Neque habent habitum fidei infuſum ante baptiſmum; ideo *Beatiſs.* P; non ait quòd credant in habitu, quem non habent; ſed quòd credant in aliis credentibus pro ipſis. Sic per actum alienum credendi nuncupantur fideles per totam Eccleſiam; quia per illum actum mediante baptiſmo acquirunt habitum fidei; ſine illo enim fideles non eſſent., vnde per illum actum veluti cauſatiuè., per habitum verò fidei formaliter denominantur fideles.

Obijc.

10 Obijc. *Innoc. III. vbiſ. & Clem. V. in Conc. Vien.* propoſitis opinionibus circa exiſtē. iam horum habituum ſententiam affirmatiuam ſolùm approbarunt, tanquam probabiliorem, ergo exiſtentia horum habituum non excedit limites probabilitatis.

Reſp. illam vocem *probabiliorem* ſumi, vt eſt idem, ac magis probatum, tanquam magis conſentaneum *Scripturæ*, SS. *PP.*, & rationi; non autem, vt ſignificat veritatem contingentem diſputabilem in vtranquē partem, vnde *Clemens* V. ait hanc ſententiam *tanquam probabiliorem, & dictis SS., et DD. modernorum magis conſonam, & concordem Sacro approbante Concilio duximus eligendam.* ex quibus verbis liquet hanc ſententiam fuiſſe electam, & approbatam à *Concilio.*

ART. III.

An fides ſit adeo vera, vt ei falſitas nequeat ſubeſſe?

1 VEritati opponitur falſitas, quæ habet ſub ſe mendacium, fallaciam, deceptionem, errorem &c., & ad quam reducuntur amphibologia, æquiuocatio, reſtrictio mentalis &c. Quærere igitur, an fidei poſſit falſum ſubeſſe, eſt inquirere, an valeat continere mendacium, deceptionem, errorem &c.

2 Dubitatur autem. 1. an fidei Diuinæ poſſit ſubeſſe falſitas ex parte Dei reuelantis ita, vt Deus queat falſum reuelare. 2. an ſaltem ex parte credentis ita, vt creatura rationalis valeat per habitum fidei Diuinæ elicere actum falſum, & erroneum. Diximus *per habitum fidei Diuinæ*; nā quòd creatura habens habitum fidei Diuinæ poſſit elicere actum falſum, qui tamen non procedat ab habitu fidei, ſed ab intellectu deficiente à veritate, nemo dubitat, cōſtat enim de catholico labente in hæreſim. Dubium igitur eſt, an habitus fidei Diuinæ ſupernaturalis à Deo infuſus ſit indifferēs ad actum verum, vel falſum ita, vt ab eodem, tanquam à principio formali *quo* poſſit elici actus verus, vel falſus?

3 Hæreſis fuit *Priſcillianiſtarum*, qui, vt refert *Beatiſs. P. Aug. lib. cont. mendac. ad Conſent. c. 2.*, ſenſerunt Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Angelos, imò & Chriſtum Dominum multa mendacia protuliſſe, quæ leguntur *in Scripturis* nobis ad credendum propoſitis, putantes mendacia non eſſe peccata, ſed aliquando licita, vt ad ſeruandū ſecretum, de quo aiebant: *Iura, periura, ſecretum prodere noli.*, & ideo fidei Diuinæ poſſe ſubeſſe falſitatem ex parte Dei reuelātis ſaltem per alios, ſcilicet per ſuos miniſtros. Hoc idem ſenſiſſe *Armenos* tradit *Guido*, *Alfonſus* tamen *de Caſtro lib. 3. verb. Deus Hær. 3.* ait inueriſimile eſſe *Armenos*, qui accipiebant tanquam canonicas *ſacras Scripturas*, in quibus apertè dicitur Deum non poſſe mentiri, hoc docuiſſe. Et quidem aſſerere Deum poſſe mentiri eſt idem, ac dicere veritatem eſſe mendacem, vt docet *Beatiſs. P. vbiſ.* His adiungunt *Caſſianum collat. 17. c. 17.* dicentem mendacium in caſu neceſſitatis eſſe licitum, quod reprobat *Beatiſs. P. lib. de mend. c. 13.* vbi refert quendam *Epiſc. Tagaſten. Firmum* nomine, ſed firmiorem voluntate, cùm ab eo quæreretur quidam homo iuſſu Imperatoris ab apparitoribus ab eo miſſis, quem ad ſe confugientem ea, qua poterat, diligentia occultauerat, reſpondiſſe quærentibus: *Nec mentiri ſe poſſe, nec hominem prodere.* Tandem *Holchot in 2. q. 2. art. 8. memb. 3., & in 3. q. 1. art. 8.* ait Deum de facto decepiſſe, falſumq. dixiſſe, nec tamen mentitum fuiſſe, quia mentiri importat malitiam moralem, quam non dicit falſum dicere, & decipere; ſicut poteſt Deus hominem occidere, non tamen committere homicidium, quia homicidium vltra mortem hominis importat malitiam moralem.

4 *Alij* volunt, quòd quamuis Deus non poſſit mentiri, quia mendacium eſſentialiter importat malitiam moralem, poteſt tamen de potentia abſoluta falſum reuelare ſaltem per alium, nam falſitas poteſt ſeparari à malitia morali. *Ita Gabr. in 3 diſt. 38., Adam ibid. diſt. 14. q. 4. art. 2., Altacen. in 1. q. 2. dub. 3., & Almain. in moral. c. 7., & Holchot. vbiſ.*

5 *Alij* aiunt probabile eſſe fidei poſſe falſum ſubeſſe per accidens, ſcilicet ex parte credentis per habitum ſupernaturalem elicientis in aliquo caſu aſſenſum falſum. *Ita Ripalda de Ente ſupernat. lib. 3. diſp. 59.* apud quem *alii*. *Vid. to. 3. de Act. hum. q. 5. art. 5. §. 1. n. 18.*

6 Noſtra ſententia docet fidem Diuinam ita eſſe veram, vt nulla ei queat falſitas ſubiacere nec ex parte Dei reuelantis; nec ex parte creaturæ credentis. *Ita Fund. Doct. Quodl. 5. q. 7., & in 2. diſt. 21. p. 2. dub. 6 lit.* dicens: *Deus ergo, cùm ſit ipſa veritas, & mentiri non poſſit, dubitare non potuit Eua illa verba non eſſe vera., & in ep. ad Rom. c. 3. lect. 10. dubit. 1.* docet, quòd hominem non eſſe veracem prouenit ex duplici capite. 1. ex defectu ſapientiæ., nam *quia alicui non ita ſunt notæ conditiones futuræ. ſicut præſentes, ex hoc defectu, quem habet in ſcientia, contingit multoties cum promittere aliqua in præſenti, quæ obſeruare renuit in futuro.* 2. Defectu naturæ; *nam quia habemus naturam mutabilem, & habemus naturam pronam ad deceptiones. & fallacias, & ad alia mala, ideo &c.* In Deo autem nullus eſt defectus in ſcientia, & natura., ideoque nulla falſitas. Idem docet *noſter Greg. in 1. diſt. 42. q. 2., Argent. in 3. diſt. 24. q. 1. art. 2., Gibb. & omnes alii.*

7 Vnica concl. Fides noſtra eſt adeo verax, vt nullo modo poſſit illi falſitas ſubeſſe ſiue ex parte Dei reuelantis, ſiue ex parte creaturæ credentis.

Prob. 1. *ex Matth. 22. Magiſter, ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Ex quo ſic. Si fidei poſſet ſubiacere falſitas ex parte Dei reuelantis, Deus poſſet mentiri, & falſum dicere; conſ. eſt *contra Scripturam.*, ergo & ant. Ma. patet, quia poſſe fidei ſubiacere falſitatem ex parte Dei reuelantis nihil aliud eſt, quàm Deum poſſe reuelare aliquam falſitatem, & illam pro-

po-

ponere credendam per fidem, ſicut falſitatem ſubeſſe fidei ex parte credentis ex hominem credere per habitum fidei Diuinæ aliquam falſitatem ſibi propoſitam; ſed reuelare aliquam falſitatem credendam per fidem eſt mentiri, vel falſum dicere; nam ſi reuelans aliquod falſum cognoſcat illud eſſe falſum, & tamen illud reuelet credendum, vt verum, mentitur; quia mentiri idem eſt, ac *contra mentem ire*; idèſt contra id, quod mens iudicat eſſe verum. Si autem reuelans non cognoſcat illud, quod reuelat eſſe falſum, ſed iudicet illud eſſe verum, non mentitur, ſed falſum dicit; hoc autem nequit Deo conuenire, quia Deus, vt potè omniſcius, omnia clarè cognoſcit, nec eius ſcientia falli poteſt, ideo ſi Deus falſum reuelaret, mentiretur, quia proferret aliquod, quod ſciret nō eſſe verum; ergo ſi fidei poſſet falſitas ſubiacere ex parte Dei reuelantis, Deus poſſet mentiri, aut falſum dicere. Mi. etiam conſtat; nam qui poteſt mentiri, aut falſum dicere, non eſt verax per eſſentiam, ſed eſt indifferens ad proferendam veritatem, & mendacium, vel falſitatem; indifferens autem ad veritatem, & falſitatem abſolutè verax dici nequit; vt homo, quia habet huiuſmodi indifferentiam non dicitur verax, ſed potiùs mendax; natura enim eſſentialiter defectiua vergit potiùs in defectum, ex quo extracta eſt, quàm in profectum, ad quem facta eſt; & ideo dicitur *pſ. Omnis homo mendax*; ſed dicere Deum non eſſe veracem per eſſentiam eſt contra *textum* allatum *S. Scripturæ*, & contra id, quod habetur *Io. 14. Ego ſum via, veritas, & vita*; & quemadmodum prout eſt via, & vita, nequit docere, & perſuadere peccatum, quod eſt mors; ita prout eſt veritas, nequit docere falſitatem, & mendacium.

8 Conf. ex *Beatiſs. P. lib. cont. mend. c. 2.* Implicat ſecundùm quancunq; potentia veritatem eſse mendacem, aut falſam; ergo implicat Deum poſse mentiri, aut falſum dicere; & ideo implicat etiam de potentia abſoluta fidei Diuinæ poſse ſubeſse falſitatem ex parte Dei reuelantis. Ant. patet; ſicut enim implicat lucem eſse tenebroſam, & obſcuram; actum bonum moralem eſse mortaliter malum; quia implicat formam eſse ſimul cum ſua priuatione; ita implicat veritatem eſse mendacem, aut falſam; quia mendacium, aut falſitas eſt priuatio veritatis, vt conſtat. Conſ. etiam liquet; quia Deus eſt ipſa veritas per eſsentiam, ſicut eſt ipſa entitas, veritas enim eſt paſſio entis, & commenſurata cum ipſa entitate, & ſicut Deus, quia eſt ipſum ens per eſſentiam, etiam de potentia abſoluta nequit coniungi cum non eſse, quod eſt priuatio eſse, aliter non eſset omne eſse, quia non eſset illud eſse, cuius haberet priuationem, ita quia eſt veritas per eſsentiam, eſt omnis veritas, & ideo nequit coniungi cum falſitate, quæ eſt priuatio veritatis.

9 Prob. 2. ex verbis Chriſti Domini *Io. 8. Et ſi iudico ego, iudicium meum verum eſt*. Ex quo ſic. Si Deus poſset mentiri, aut falſum dicere, non valeret hæc conditionalis: *Si iudicat Deus, iudicium Dei verum eſt*, ſed conſ. eſt *contra Scripturam*, ergo & ant. Prob. ma. Quia homo poteſt mentiri, aut falſum dicere, non eſt infallibilis, & certa hæc conditionalis: *Si homo iudicat, iudicium hominis verum eſt.*, ergo a pari.

10 Præterea *ibid.* ait Chriſtus Dominus: *Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi?* Ex quo ſic ſi Deus poſset falſum reuelare, ſequeretur, quòd non omne reuelatum à Deo eſset infallibiliter credendum, ratio enim infallibilis credibilitatis eſt veritas, aliter conditionalis allata non concluderet, teneremur enim credere nedum veritatem, ſed etiam falſitatem, dummodò eſset à Deo reueſata, ſed conſ. eſt hæreticum, fidei enim dogma eſt omne reuelatum à Deo eſse infallibiliter credendum, ergo & ant.

11 Inſuper *Io. 17. Sanctifica eos in veritate: Sermo tuus veritas eſt*. Si Deus poſset falſum reuelare credendum per fidem Diuinam, Deus abſolutè poſset ſanctificare in falſitate; & eius ſermo abſolutè veritas non eſſet, ſed falſitas; ſed conſ. eſt immediatè *contra Scripturam*; ergo & ant.

12 Deinde Spiritus S. dicitur *Spiritus veritatis Io. 14; 15., & 16.*, & dicitur docere omnem veritatem; ſi autem poſſet falſum reuelare; poſset dici abſolutè Spiritus falſitatis; in tantùm enim dicitur Spiritus veritatis; in quantùm reuelat veritatem; & ideo ſi poſset falſitatem reuelare, poſſet dici Spiritus falſitatis; & omne illud, quod doceret, non eſset veritas; quia poſset docere falſitatem; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant.

13 Accedit *Apoſt. Hebr. 6.*; vbi volens oſtendere fidelibus, quòd debeant habere certam ſpem ſalutis; quia Deus promiſit iureiurando, ait: *Vt per duas res immobiles* (ſcilicet promiſſionem, & iusiurandum) *quibus impoſſibile eſt Deum mentiri, fortiſsimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem*. Sed hoc impoſſibile referendum eſt etiam ad potentiam Dei abſolutam; aliter *Apoſt.* non probaret certam ſpem noſtræ ſalutis, cùm Deus aliquando per potentiam abſolutam diſpenſet in lege potentiæ ordinariæ, vt patet in operibus miraculoſis; ergo etiam de potentia Dei abſoluta nequit mentiri &c.

14 Prob. 3 ex *Beatiſs. P. lib. 1. de ſymb. c. 1. Deus omnipotens eſt, & cùm ſit omnipotens, mori non poteſt, falli non poteſt, mentiri non poteſt; & quod ait Apoſtolus, negare ſeipſum non poteſt*. Ex quo ſic arguit *Fund. Doct.* Omnipotentem poſſe mentiri, aut fallere repugnat etiam de potentia abſoluta, ſed Deus eſt omnipotens; ergo idem. Mi. eſt de fide. Prob. ma. Poſse mentiri, aut fallere dicit defectum in potentia, & natura; nam mentiri dicit defectū à veritate, & ideo ab omniſcientia, quæ eſt radix remota omnipotentiæ; & dicit mutabilitatem naturæ, quia dicit potentialitatem paſſiuam, quæ eſt radix mutabilitatis; ergo de potentia abſoluta repugnat omnipotentem mentiri. Tum quia ſicut tendere in malum eſt deficere à bono, ita tendere in falſum eſt deficere à vero; ſed implicat omnipotentem deficere à vero, quia implicat deficere ab ente, cùm ſit omne ens; & a bono cùm ſit omne bonum; ens enim, bonum, & verum conuertuntur; ergo idem.

15 Prob.

15 Prob.4. Implicat Deum poſſe peccare; ſed ſcienter mentiri, aut fallere eſt peccare; ergo implicat Deum poſſe mentiri, aut fallere. Ma. patet; quia peccare eſt recedere à bonitate; Deus autem eſt ipſa bonitas; & ideo ſicut nequit recedere à ſe, ita nequit recedere à bonitate. Prob mi. Peccare eſt operari difformiter ad rectam rationem; ſicut bene agere eſt operari conformiter ad rectam rationem; quæ eſt regula, & principium operis moraliter boni, vel mali; vt diximus *to.3. de Act hum. q.5.art.1.§.1.*, ſed volens mentiri, aut fallere operatur difformiter ad rectam rationem; quia operatur difformiter ad id, quod cognoſcit; tum quia ſicut verum dicere eſt operari conformiter ad rationem; ita falſum dicere, quod ei opponitur, eſt difformiter operari; ergo ſcienter mentiri, aut fallere eſt peccare, & ideo communiter dicitur mendacium ſcienter prolatum eſſe eſſentialiter malum moraliter. Tum quia ita ſe habet falſitas reſpectu intellectus, ſicut malitia reſpectu voluntatis; ſed in voluntate Dei nequit eſſe formaliter malitia, quia eſt ſummè bona; ergo nec falſitas in eius intellectu, quia eſt ſummè verus.

16 Tandem ſi Deus poſſet mentiri, eius dicta non eſſent ſummæ auctoritatis, quia falſitas in dicente tollit auctoritatem illius ita, vt non mereretur omnem fidem; ſicut ſi non eſſet ſummè bonus, non mereretur omnem amorem. Item non eſſet ſummæ æſtimabilitatis, falſiloquus enim deſpicitur ab omnibus. Tum quia rectus ordo prouidentiæ Diuinæ exigit, vt ordinet creaturas rationales in Deum, vt in vltimum finem, qui eſt ſummè bonus, & ideo ſummè verus; & ideo ſi reuelaret falſitatem, eas auerteret à ſummè vero, ac peruersè ordinaret. Tum quia error in intellectu eſt præambulus ad malitiam in voluntate; ergo ſaltē præambulè ordinaret ad malitiam; ſed hæc omnia repugnant etiam de potentia abſoluta; ergo & mentiri, aut falſum dicere.

17 Prob.2. pars concl.1. *ex 2.Tim.1. Scio, cui credidi, & certus ſum &c & ex Trid. ſeſſ.6.c.9. Cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum*; quibus verbis oſtendit ſe loqui ex parte credentis, quia loquitur ex parte ſcientis; & *Beatiſs. P. lib.7 Conf.c.10. Faciliùs dubitarem viuere me, quàm eſſe vera, quæ audiui*, de propria autem vita eſt certitudo. *Vid. to.3. vbiſ.* Si nanque per habitum ſcientiæ, qui eſt verus veritate naturali, non poſſumus elicere actum falſum, quia veritas nequit eſſe ratio formalis falſitatis; quapropter ſimul cum habitu ſcientiæ ponimus habitum deceptiuum circa concluſiones falſas; ſicut circa concluſiones probabiles ponimus habitum opinatiuum; à fortiori idem dicendum eſt de fide, quæ habet veritatem ſupernaturalem.

18 Obijc.1.cont.1.part.concl. *Iob.12.* dicitur: *Qui immutat cor Principum, & decipit eos, & errare eos facit, quaſi ebrias, Ezech.14. Ego Dominus decepi Prophetam. Iſaia 63. Quare errare nos feciſti, Domine, de vijs tuis? Induraſti cor noſtrum &c., 3. Reg.22. Ego decipiam illum. Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius; & dixit Dominus: decipies &c. Nunc igitur ecce dedit Dominus ſpiritum mendacij in ore omnium Prophetarum; & 2. ad Theſſal. 2.* Ideo *mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio*; ergo Deus de facto decepit.

Reſp. B.P. *ep* 105. Deum indurare *non impertiendo malitiam, ſed non impertiendo miſericordiã; & de præd., & grat. c.4. indurare Deus dicitur eum, quem mallire; ſic etiam excæcare dicitur eum, quem illuminare noluerit., ſic etiam repellere eum, quem vocare noluerit.*, & ſic explicat ſemper *huiuſmodi textus*. Ita etiam *Fund. Doct. in ep. ad Rom. c.1 lect.5. dub.1.* Neque obſtat, quòd aliquando vtatur verbis imperatiuis; nam imperare, præcipere, & mandare nonnunquam ſumuntur *pro permittere*; vt bene aduertit *noſter Gibb.*, vt *Matt.19. Quid ergo Moyſes mandauit dare libellum repudij?* Cui interrogationi reſpondet Chriſtus Dominus: *Ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxorem, & Marc.10. Moyſes permiſit libellum repudij ſcribere.*, vbi *mandauit* ſumitur pro *permiſit*. Item *Io.23.* dixit Chriſtus *Iudæ: Quod facis, fac citiùs.*, idèſt: *Quod tu vis facere, permitto, vt citiùs facias.*, vt explicat *Beatiſs. P. tract.61.*

19 Obijc. 2. Multa ſunt mendacia *in Sacris Scripturis.*, vt *Gen.20. Abraham* dixit *de Sara vxore ſua: Soror mea eſt*; & 22. Idem *Abraham* petens ad immolandum filium cùm perueniſſet ad montis radicem dixit famulis *Expectate hìc: Ego, & puer illuc vſque properãtes, poſtquam adorauerimus, reuertemur ad vos.*, & 27. Iacob mentitus eſt Patri, vt benediceretur; & *Exod.1.* obſtetrices *Hebræorum* mentitæ ſunt *Pharaoni* dicentes, quòd mulieres *Hebrææ* pepererant, antequàm peruenirent ad illas; & hoc mendacium remuneratum fuit à Deo; *Ioſue 2. Rahab* mentita eſt Regi dicens explotatores *Hebræos* iam diſceſſiſſe, quos tamen abſconditos detinebat domi., propter quod Deus bene fecit cum illis., & plura alia ſimilia., vt *Exod.11. Hebræi* fefellerunt *Ægyptios* petendo eorum vaſa &c., & *Luc.24.* Ieſus appropinquans Caſtello *Emaus finxit ſe longiùs ire.* Idem habetur *Marc.5.*, vbi de muliere fluxum patiente dixit: *Quis tetigit veſtimenta mea.*, & *Io.11. de Lazaro* ſepulto inquit: *Vbi poſuiſtis eum?* Quibus verbis finxit ſe neſcire, cùm tamen vtrunque ſciret.

Reſp. *Beatiſs.* P. *lib. cont. mend. c.* 10; quòd *Abraham* tacuit ſolùm, & rogauit *Saram*, vt taceret, quòd eſſet eius vxor, & diceret, quòd eſſet ſoror, tacere autem non eſt mentiri., & eius ſoror erat ex patre, non ex matre; vt teſtatus eſt *Gen.27.* Ad 2. reſp. *lib. de Quatuor virtut. charitatis Abrahã* non eſſe mentitum, quia ſperabat filium reſurrecturum, & ſecum reuerſurum., cognoſcebat enim prophetico ſpiritu illum eſſe figuram Chriſti Domini, qui reſurgere debebat ex mortuis. Ad 3. reſp. *lib. cont. mend. c.10. Iacob* allegoricè locutum fuiſſe., nomine enim *Iacob* ſignificabatur Chriſtus, qui pellibus hædinis membra contexit, quia aliena peccata portauit, & primogenituram tranſtulit in gentes, quæ erat apud *Hebræos* ſignificatos per *Eſau*. Ad 4., & 5. Reſp. *ibid. c.15. obſtetrices, & Ra-*

& Rahab à Deo remuneratas fuiſſe, *non quia mentita ſunt, ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt. Non eſt itaque in eis remnnerata fallacia, ſed beneuolentia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis.* Ad 9. reſp. *in pſ.* 104. *Hebræos* petiiſſe uaſa ab *Ægyptijs* in mercedem ſuorum laborum, hoc tamen tacuiſſe, & ideo mentiti non fuerunt. Ad 7. reſp. *cont. Mend. c.* 13. Chriſtum Dominum ſignificaſſe ſuam aſcenſionem in Cœlum, nec tamen Diſcipulos ab ipſo fore deſerendos; & ſic *ibid.* ait *de Muliere, & Lazaro,* ſignificabant enim *populum gentilem,* qui utpotè peccatis obtentus, quodammodò neſciebatur à Deo, dicitur enim *pſ.* 17. *Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi, & pſ.* 30. *Proiectus ſum à facie oculorum tuorum.* Ita reſpondendum eſt ad alia, quæ aſſumuntur ad ſignificaoda per translationem, quæ uera ſunt, quia uerè ſignificant ea, quæ ſignificari intenduntur, adeoque mendacia eſſe non poſſunt.

20 Obiic. 3. Malitia poteſt ſeparari à mendacio, aut falſitate, ergo in tali caſu poteſt Deus mentiri, & fallere. Prob. ant. 1. Malitia mendacii, aut falſitatis conſiſtit io deordinatione à fine recto, ſed poteſt mendacium, & falſitas ordinari in finem rectum; u.g. cùm quis mentitur, ne blaſphæmetur Deus, ergo malitia poteſt ſeparari à mendacio, aut falſitate. 2. Malitia mendacii conſiſtit in inæqualitate per ordinem ad alterum, tenetur enim loquens cum altero ſeruare æqualitatem dictorum cum factis, nam mendacium opponitur ueracitati, quæ eſt pars potentialis Iuſtitiæ, cuius eſt ſeruare æqualitatem in rebus, ſed Deus poteſt licitam reddere inæqualitatem cum proximo, nã ſtrictior eſt obligatio ſeruandi ęqualitatem cum proximo, quia ſtrictior eſt obligatio ſeruandi æqualitatem cum proximo in bonis uitæ, & fortunæ, quàm in locutione externa, & tamen Deus inæqualitatem cum proximo in bonis uitæ, & fortunæ licitam rèddit, ut patet *in Abraham* immolante filium, & in *Hebrais* ſpoliantibus *Aegyptios*; ergo poteſt ſeparare malitiam à mendacio.

Reſp. neg. ant. Ad 1. prob. neg. mi., nam mendacium, & falſitas ſunt ex ſuo genere, & ex ſua natura mala, & ideo ſunt eſſentialiter inordinabilia ad rectum finem; aliter etiam blaſphæmia, idolatria, adulterium, & quodlibet aliud peccatum poſſet ſeparari à malitia, & cohoneſtari, quia eodem modo poſſent ordinari àd rectum finem, & ſic tota lex oaturæ poſſet ſubuerti. Ad 2. neg. mi., nam occiſio, & furtum important tantùm inæqualitatem, ſi fiant ex priuata poteſtate, non autem ſi fiant ex poteſtate legis, quæ eſt poteſtas publica, & Dei; vt patet de miniſtris iuſtitiæ, & Iudicibus, at verò mendacium non licet ex poteſtate priuata, ſeu publica; non enim licet miniſtris, & Iudicibus mentiri, aut fallere.

21 Obijc. 4. Non repugnat Deum aſſumere naturam humanam habentem hãbitum erroris; ergo non repugnat Deum meotiri per naturam humanam. 2. Non minùs repugnat immortalitati Dei mors, quàm veritati falſitas; ſed potuit Deus mori in natura humana; ergo & in illa mentiri.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Cum conſiſtentia habitus erroris, neg; repugnat enim Deus incarnatum habere propenſionem proximam, facilem, & expeditam ad malum. Sine conſiſtentia, tranſeat. Ad 2. dicunt communiter, quòd mors opponitur vitæ ſenſitiuæ, qua ſenſitiua eſt; in qua oppoſitione nequit eſſe vlla deformitas moralis, quæ eſt per ordinem ad rationem; & ideo Deus potuit mori in natura humana abſque vlla deformitate morali: At verò mendacium opponitur naturæ, qua rationalis eſt; in qua oppoſitione conſiſtit deformitas moralis, quæ Deo repugnat. Hanc rationem impugnat *Ripalda* eo, quia poteſt Deus infundere errorem, & ignorantiam, quæ opponitur naturæ, qua rationalis eſt; *ſed de hoc in ſeq.* Addimus, quòd mors eſt pura paſſio, quæ non eſt actiuè inflicta à ſuppoſito, cuius natura moritur, ſed tantùm paſſiuè in natura recepta, & ab extrinſeco actiuè illata; vnde iſte defectus non relunditur in ſuppoſitum Diuinum; & ideo ſic retorquetur. Nequit Deus incarnatus actiuè occidere ſe ipſum; quapropter Chriſtus aſſumptus tentatus à Dęmone, vt ſe deijceret à pinnaculo templi reſpondit: *Non tentabis Dominum Deum tuum*; quia illa actio eſſet à ſuppoſito Diuino; ita non potuit mentiri, quia cùm ſit actio vitalis, eſſentialiter eſt actiuè à ſuppoſito Diuino; & ſolùm paſſiuè potuit blaſphæmari, & impeti mendacijs, ac falſitatibus *Iudaorum.*

22 Obijc. 4. Deus præcipit, vt habens conſcientiam erroneam ſequatur illam; vnuſquiſque enim tenetur lege naturæ, quæ procul dubio eſt à Deo, ſequi dictamen ſuæ rationis, ſed conſcientia erronea ſequitur falſitatem; ergo idem.

Reſp. diſt. ma. Deus præcipit ſequi conſcientiam erroneam cognitam, vt erroneam, neg; putatam, vt veram, & inuincibiliter ignoratam, vt falſam, conc; & ideo illa tendentia non eſt falſa formaliter, ſed tantùm materialiter; quia tendit in verum apparens, quod eſt realiter falſum; ſicut diximus de bonitate; excuſatur tamẽ à peccato, quia inuincibiliter ignoratur falſum eſſe.

23 Obiic. 5. Deus poteſt vti amphibologia, & æquiuocatione, quibus audientes inducantur in falſitatem; vt *Io.* 7. Chriſtus rogatus, vt aſcenderet ad diem feſtum *Scenophegia*, ſeque clarũ miraculis redderet, reſpondit: *Non aſcendo ad diem feſtũ*; per reſtrictionem mentalem intelligens ſe nolle aſcendere manifeſtè, ſed occultè; aſcendit enim, *non manifeſtè, ſed quaſi in occulto*: & ſic illos decepit; ergo poteſt fallere. Sic illud *Marc.* 13. *De die illo, vel hora nemo ſcit, neque Angeli in Cęlo, neque Filius, niſi Pater*; quod per reſtrictionem mentalem intelligitur, quòd Filius non ſcit, vt dicat; ſcit tamen, vt taceat; vel quòd non ſcit à ſe ipſo, ſed eſt reuelatum ſibi à Patre.

Reſp. diſt. ant. Amphibologia, & æqoiuocatione actiua, quæ eſt cum intentione fallendi, neg; amphibologia, & æquiuocatione paſſiua, quæ eſt cum intentione ſignificandi veritatem, licèt non tam clarè, & apertè, ex quo ſumunt audientes occaſionem æquiuocandi, conc. Deus ergo actiuè nequit amphibiè, & æquiuocè loqui intendendo in-

inducere in ſenſum contrarium, licèt poſſit ita profundè loqui, vt poſſint audientes interpretari eius verba amphibiè, & æquiuocè, ſi tamen negligant verum ſenſum inquirere. Imò aliquando ſic decet; obſcuritas enim, & profunditas *ſacræ Scripturæ*, vt docet Beatiſ. P. *lib. 5. de Gen. ad lit. c. 3;* altitudinem, & maieſtatem illius oſtendit, ad illius ſtudium excitat, attentos tenet, ſuperbos irridet, humiles nutrit, magnoſque paſcit, vt creſcant, fiatque maiores. Neque obſtat periculum deceptionis; quia Magiſtrum in Eccleſia, qui eſt Summus Pontifex, vt veros ſenſus aperiat, Chriſtus reliquit; quo etiam Summi Sacerdotij maieſtas ſubſtinetur, & veneratio conciliatur. Reſtrictio autem mentalis, quia ſemper eſt cum intentione negandi verum, & perſuadendi falſum; ideo eſt eſſentialiter illicita; & idem dicitur de amphibologia, & æquiuocatione actiuè ſumpta. At verò profunda, & myſterioſa locutio, quia eſt cum intentione dicendi verum à ſolis tamen quærentibus, petentibus, & fatigantibus cognoſcendum; ideo eſt eſſentialiter licita. Ad illud *Io.* dicitur, quòd Criſtus rogatus, vt aſcenderet Hieroſolymam ad patranda miracula coram toto populo, & ſic manifeſtaret gloriam ſuam, negauit ſe ſic velle aſcendere, quia nondum venerat horá glorificandi ſe ipſum; non tamen abſolutè negauit ſe velle aſcendere, nec intendit perſuadere fratribus ſe nullo modo velle aſcendere; ſic enim mentitus fuiſſet; quia locutus fuiſſet contra ſuam mentem. Ad aliud reſp. Beatiſ. P. *in pſ. 36.* conc. 1. hoc dictum eſſe *quodam modo locutionis, lætum enim diem dicimus, quia lætos nos facit; & triſtem diem, quia triſtes nos facit; & frigus pigrum, quia pigros nos facit.* Sic illud *Gen. 22.* Nunc cognoui, quòd timeas Deum, idèſt *cognoſcere te feci;* & illud *Rom. 8. Spiritus interpellat pro nobis inenarrabilibus fletibus;* idèſt interpellare nos facit &c. Sic Filius neſcit illum diem, idèſt neſcientes non facit, quia neſcientia illius non obeſt, ſed prodeſt nobis; vbi nulla eſt reſtrictio, æquiuocatio, aut amphibologia actiuè ſumpta, vt patet.

24 Obijc. cont. 2. part. concl. 1. Si Parochus, vel aliquis vir doctus proponeret populo aliquod falſum, tanquam reuelatum à Deo, v.g. Incarnationem Spiritus S., idiota aſſentiretur per habitum fidei Diuinæ, quia ille aſcenſus eſt ſupernaturalis, cùm eſſet ex pia affectione voluntatis, & eſſet meritorius; & eadem facilitate elicitur, qua elicitur aſſenſus circa alios articulos fidei; ergo fidei Diuinæ ex parte credentis poteſt ſubeſſe falſum. Prob. magis ant. Si idiota diſsentiretur illi propoſitioni, eſſet hæreticus, quia recederet à propoſitione, quam non dubitat eſſe reuelatam à Deo, & propoſitã ab Eccleſia; ergo eius aſſenſus eſt actus fidei, qui opponitur hæreſi. Tum quia audiens talem propoſitionem non haberet diſcerniculum, quo poſſet illam diſtinguere tanquam falſam à verè reuelata; non enim ſufficit interior inſtinctus Spiritus S., vt volunt hæretici; ergo teneretur illam credere.

Reſp. neg. ant. Ad prob. inſert. dicitur, quòd duo actus in caſu eſſent diſtinguendi, ſcilicet pia affectio ad aſſentiendum omnibus verè reuelatis à Deo, & hic eſſet ſupernaturalis, & meritorius, quia eſſet ex charitate erga Deum, & actus credendi propoſitioni falſæ, & hic nec eſſet ſupernaturalis, nec meritorius, quia non eſſet erga obiectum verum, & ideo nec erga obiectum bonum. Igitur non eſſet actus fidei Diuinæ, ſed humanæ, quia fides Diuina eſſentialiter ſpecificatur ab obiecto verè reuelato à Deo, vt propoſito à legitimo Eccleſiæ miniſtro; illa autem propoſitio eſſet propoſita ab aliquo pſeudominiſtro Eccleſiæ, nec eſſet verè reuelata, ideo actus ab illa ſpecificatus non eſſet actus fidei Diuinæ, ſed humanæ. Inſuper admiſſa eadem facilitate non ſequitur eſſe ex habitu fidei Diuinæ, quia facilitas conuenit etiam habitui fidei humanæ. Ad 2. prob. neg. ant.; nam ad rationem hæreſis requiritur receſſus à propoſitione verè à Deo reuelata, & propoſita à legitimo Eccleſiæ miniſtro, & ideo non ſufficit non dubitare. Ad 3. neg. ant., illa enim propoſitio non haberet conuenientiam *cum Scripturis,* nec cum locutione Summi Pontificis, qui ſolus eſt infallibilis in proponendo, parochus autem, & alii promulgatores Euangelij ſunt fallibiles, nec induunt infallibilitatem, niſi quatenus in proponendo fidei myſteria concordant cum Summo Pontifice; aliter parocho labenti in hæreſim, eamque prædicanti teneremur credere, eiq. crederemus per fidem Diuinam, quod eſt abſurdum. Quamuis autem vltra inſtinctum Spiritus S. requiratur locutio externa, attamen Spiritus S. ſemper aſſiſtit ſuis fidelibus eos illuminando, vt cognoſcant, an propoſitiones Doctorum conueniant cum Summo Pontifice, qui eſt ſolus magiſter infallibilis totius Eccleſiæ.

25 Obiic. 2. Ita ſe habet virtus intellectualis ad verum, ſicut virtus affectiua ad bonum, ſed virtutes affectiuæ etiam ſupernaturales poſſunt tendere nedum in bonum verum, ſed etiam in bonũ putatũm, vt verum, & inuincibiliter ignoratum, vt falſum, quia actu charitatis ſupernaturalis diligimus aliquem, quem prudenter exiſtimamus eſſe amicum Dei, etianſi ſit inimicus, & viator reprobus ſpe Theologica ſperat beatitudinem obtinere, licèt re vera illam obtenturus non ſit, & actu miſericordiæ erogamus eleemoſinam illi, quem pauperem putamus, qui tamen pauper non eſt, & ex virtute religionis adoramus hoſtiam non conſecratam, quam tamen putamus cònſecratam, ergo idem dicendum de fide, quæ eſt uirtus intellectualis.

Reſpondent *aliqui*, inter quos *noſter Gibb.* diſcrimen eſſe inter uirtutes affectiuas, & intellectuales, quòd illæ ſpecificantur à bono, ut propoſito per intellectum, & prudenter iudicato, ut honeſto, quia prudentia eſt proxima ratio bonitatis moralis; adeoque poſſunt fieri in obiectũ malum à parte rei, practicè tamen bonum, & ideo illarum rectitudo conſiſtit in cõformitate ab bonũ, prout prudẽter repræſentatũ per iudiciũ practicũ, non autem in conformitate honeſtatis à parte rei.

At

At verò intellectuales habent pro obiecto formali uerum, & tamen rectitudo conſiſtit in conformitate cum obiecto, prout eſt à parte rei, non autem quatenus putatur, ut tale.

26 Sed hæc reſponſio non uidetur ſubſiſtere, ſequeretur enim virtutes morales non ſpecificari formaliter à bono honeſto à parte rei, ſed à bono communi bono honeſto, & inhoneſto à parte rei, apparenter tamen honeſto, circa quod poſſent eſſe formaliter vitia oppoſita illis virtutibus, & ſic virtutes, & vitia poſſent habere idem obiectum formale cum ſola diuerſitate putationis, ſeu iudicij, quo putatur, vt bonum, quod eſt mera conditio requiſita ad obiectum voluntatis, quæ cùm ſit potentia cœca, ideo neceſſariò tendit in bonum, vt apprehenſum per intellectum. Sequeretur etiam ſpe Theologica poſſe aliquem ſperare in creaturam prudenter putatam, vt Deum, vt enim ait *D.Hier.in Matt c.6.*, *Herodes* cognoſcens *Ioannem* baptizare, & Diſcipulos illius miracula patrare, putauit illum eſſe *Meſſiam* dicens: *Quem eg decollaui Ioannem, ipſe ſurrexit à mortuis, & virtutes operantur in eo*. Idem dicendum de charitate, & ſic virtutes Theologicæ non haberent pro obiecto Deum verum, vt eſt à parte rei, ſed Deum vt prudenter iudicatum per rationem, etianſi à parte rei ſit Deus falſus, quod eſt abſurdum. Relicta igitur hac reſponſione.

27 Reſp. diſt. mi. Virtutes affectiuæ poſſunt tendere etiam in bonum putatum, vt verum, ſi ſermo ſit de bono, quod eſt principium formale ſpecificatiuum illarum, neg., ſpecificantur enim ab vltimo fine, quod eſt ſummum bonum à parte rei. Si ſermo ſit de bono, quod eſt obiectum materiale, & ſecundarium, ſubdiſt. Poſſunt tendere etiam in bonum putatum, ut uerum, & à parte rei eſt indifferens ad bonum, & malum, conc., ab obiecto enim materiali, & ſecundario non habetur ſpecificatio habitus, & ideo etiam illo ablato poteſt haberi eſſentia habitus. A parte rei eſt malum morale, neg., nam ad conſtituendum actum uirtutis requiritur, quòd actus, uel ſit ex ſuo genere bonus, uel ſaltem indifferens, qui poſtea ex ordinatione ad finem optimum, quod eſt Deus, fit moraliter bonus, & aliunde id, quod eſt indifferens, poteſt conſtitui in ſpecie bonitatis, ad quam eſt indifferens. At uerò quod eſt determinatè malum moraliter, nequit conſtitui in ſpecie bonitatis, ut patet de animalitate, quæ poteſt conſtitui in ſpecie rationali, quia eſt ad illam indifferens, quod nequit dici de irrationalitate. Tum quia *bonum ex integra cauſa*, ideo ad conſtituendum actum bonum requiritur, quòd ſit bonus nedum ex fine, ſed etiam ex obiecto, & ad conſtituendum actum malum ſufficit eſſe malum ex fine, uel ex obiecto. Ad 1. inſtantiam dicitur, quòd actus charitatis conſtituitur per ordinationem in Deum, tanquam in ultimum finem, qui eſt ſpecificatiuum primarium, & formale illius., creatura autem ſe habet, ut obiectum ſecundarium, & materiale, quod eſt indifferens ad bonitatem, & malitiam moralem., unde ſi ordinetur in Deum, fit moraliter bona, ſecus uerò, fit mala. Præterea quia nedum tendimus in bonum actuale, ſed etiam in bonum apprehenſum, ut poſſibile futurum, ideo actu charitatis poſſumus diligere proximum, qui licèt non ſit Dei amicus, poteſt tamen eſſe, & apprehenditur à nobis, ut talis, & propter hoc Eccleſia etiam pro infidelibus orat, ut docet *Beatiſs. P. lib. de dono Perſeu. c. 22.*, & 23. Ad 2. eodem modo, ſperatur enim beatitudo, ut poſſibilis futura, non ut actualis, quia ſpes eſt de bono poſſibili futuro, de actuali enim eſt gaudium, non ſpes. Ad 3. dicitur uirtutem miſericordiæ tunc habere bonitatem à fine, qui eſt Deus. Sic ad 4. dicitur, quòd obiectum religionis eſt cultus Dei, qui poteſt eſſe etiam in hoſtia non conſecrata, in qua eſt imago Chriſti, & ſpecificatiuum formale illius actus eſt Deus, ut ſummè colendus, ideo eſt uerus actus uirtutis religionis.

28 Obijc. 3. Prudentia eſt uirtus intellectualis, & tamen inclinat ad aſſenſum falſum, dictat enim adorandam eſſe hoſtiam, quæ poteſt eſſe non conſecrata, ergo à pari. 2. Aſſenſus fidei, quo ante Chriſti aduentum credebatur hæc propoſitio: *Naſcetur Chriſtus*, poterat idem numero continuari etiam poſt Chriſti natiuitatem, ergo idē. Ex una de fide, & alia falſa infertur concl. falſa, quia *concluſio ſequitur debiliorem partem*, ſed utraque præmiſſa eſt cauſa concluſionis, ergo idem.

Reſp. ad 1. neg. ant. Ad prob. inſert. dicitur prudentiam dictare omnem hoſtiam ritè conſecratam eſſe adorandam, quòd autem talis hoſtia ſit conſecrata, uel non, prudentia tantùm dictat nullam apparere rationem dubitandi de eius conſecratione, quamuis poſtea poſſit ſubſequi iudicium falſum, quod tamen non eſt actus prudentię. Ad 2. neg ant. licèt enim ante, & poſt ſit idem myſterium quoad ſubſtantiam, & uarietur ſolùm quoad circunſtantiam temporis, attamen reuelatio illius propoſitionis limitatur ad tempus natiuitatis, cui ſuccedit alia reuelatio: *Natus eſt nobis Filius*: & quia reuelatio eſt ratio formalis ſpecificatiua fidei, ideo ceſsante iſta declaratione ceſſat actus fidei. Ad 3. iam diximus *t. 1. q. 1. proem. art. 7*; quòd vna præmiſſa non eſt cauſa concluſionis, niſi prout vnitur alteri pręmiſſę; vnio autē præmiſſæ de fide cum præmiſsa naturali falſa nec eſt de fide, nec eſt vera, ideo gignit concluſionem falſam, non quidem quatenus eſt de fide reuelata, quia non eſt reuelatum talem propoſitionem habere vnionem cum propoſitione falſa; ideo diſt. mi. Vtraque præmiſsa eſt cauſa concluſionis, ſecundū quod vnitur, conc; ſecundùm ſe præciſè, neg.

29 Obiic. 4. Cognoſcens obſcurè aliquod nequit illud diſcernere à non ipſo; ergo ſubditur falſitati; ſed per fidem Diuinam cognoſcitur obſcurè res reuelata; ergo fidei Diuinæ poteſt ſubeſſe falſitas. 2. Fidelis habet potentiam proximam formidandi de rebus Diuinis; ſed potens proximè formidare poteſt falli; ergo fidelis poteſt falli circa res Diuinas. 3. Viſio beata poteſt tranſire in falſam., quia eſt corruptibilis., ergo multò magis fides, cui ſuccedit viſio.

Reſp. 1; quòd licet quis poſſit errare, falli, & dubitare circa res fidei, non tamen ſequitur, quod talis actus erroneus, falſus, & dubius ſit elicitus ab habitu fidei; cùm poſſit elici à potentia, vel habitu erroneo, falſo, & opinatiuo. 2. Ad 1. diſt. ant. Si cognoſcens nitatur teſtimonio infallibili, neg.; ſi fallibili, conc. Ad 2. diſt. ma. Habet potentiam próximam formidandi per habitum fidei, neg., talis enim habitus determinat potentiam ad certitudinem. Præciſo habitu fidei, conc. Ad 3. neg. ant. Vel diſt. Viſio poteſt tranſire in falſam ſuppoſita reuelatione Diuina de eius incorruptibilitate, neg. Sic fides ratione reuelationis Diuinæ, qua dicitur: *Verba autem mea non tranſibunt*: nequit falſificari. Non ſuppoſita tali reuelatione, tranſeat.

30 Obijc. 5. Poteſt Deus infundere habitum erroris; & patrare miracula in atteſtationem falſæ ſectæ; ergo tunc crederetur falſum.

Reſp. hæc duo ſoluenda eſſe *in duobus* §. *ſeq.*

§. I.

An Deus poſſit infundere habitum erroris?

31 Deum de potentia abſoluta poſſe infundere actum, & habitum erroris, & vitij tenent *Auctores citati in ſup. art.*, quibus adhærent *Vaſq.* 1. 2. *diſp.* 60. *n.* 11., *Turrian.* 2. 2. *diſp.* 3. *dub.* 4. *Hurt.*, *Lug.*, *Arriag. hic*, *Ripald. de ente supernat. lib.* 3. *diſp.* 49., *& hic diſp.* 4. *ſect.* 6., vbi ait Deum poſſe infundere ſolùm errorem ſpeculatiuum, qui conſiſtit in ſolo aſſenſu phyſico intellectus, non autem practicum, qui complectitur etiam prauum affectum voluntatis.

32 Noſtra tamen ſententia docet repugnare etiam potentiæ abſolutæ produci habitum, vel actum erroris ſiue practici, ſiue ſpeculatiui, ſiue ſolitariè, ſiue ſimul cum creatura. *Ita Fund. Doct. in ſup. art.*, vbi docet Deum non poſſe mentiri, fallere, aut falli: quibus oſtenditur non poſſe errare, nec errorem infundere., *noſter Greg. ibid.*, & quanuis *à Gibb.* citetur pro ſententia contraria: attamen *ibid.* non docet, niſi quòd licèt Deus poſſit producere, imò de facto producat entitatem phyſicam actus, qui poteſt eſſe error, & iudicium falſum: attamen non poteſt producere, nec de facto producit errorem, aut iudicium falſum: quia illa entitas phyſica actus eſt omnino indifferens ad falſitatem, & veritatem, & poteſt eſſe vera, & falſa: quod non bene capiunt *Aduerſarij*: vt ſæpiſſimè oſtendimus *cùm Fund. Doct.* Idem docet *noſter Gibb.*, apud quem *noſter Cornejus, & omnes noſtri, omnes Thomiſtæ, atque alij*, qui oppoſitam ſententiam vocat improbabilem, temerariam, &c.

33 Vnica concl. Abſolutè repugnat Deum producere actum, vel habitum erroris ſiue practici, ſiue ſpeculatiui, ſiue circa res fidei, ſiue circa res naturales.

Prob. 1. *ex Scripturis* adductis *in ſup. art.*, in quibus dicitur Deus *excæcare, decipere, & tradere in reprobum ſenſum*: quas *SS. PP.*, *& DD.* exponunt de ſola permiſſione, non de poſitiua cauſalitate; ſed producere actum, vel habitum erroris, vel quocunque modo illum inducere in intellectum alterius non eſt tantùm permiſſiuè, ſed poſitiuè illum cauſare per veram cauſalitatem phyſicam, vel moralem; ergo dicere Deum poſſe producere actum, vel habitum erroris eſt contra communem ſenſum *SS. PP.*, *& DD.*, & ideo contra communem ſenſum *Eccleſiæ*.

34 Reſp. *Ripald. SS. PP.*, *& DD.* loqui de errore practico inuoluente prauum affectum voluntatis, non de ſpeculatiuo. 1. Quia ſi quis haberet aſſenſum falſum ſine prauo affectu, non diceretur excæcatus (non enim eſſet peccator) iuxta phraſin *S. Scripturæ*, quæ ſolos peccatores vocat excæcatos. 2. Quia Dæmones etiam vocantur excæcati, etianſi nullus error exiſtat in eorum intellectu; ergo excæcatio *in Scripturis* ſumitur ſolùm pro aſſenſu falſo inuoluente prauum affectum voluntatis.

Sed contra. Excæcatio corporalis formaliter importat priuationem luminis, quo videntur corpora; ergo excæcatio ſpiritualis formaliter importat priuationem luminis ſpiritualis, quo videtur bonum ſequendum; ſed quia voluntas eſt potentia cæca ſequens ductum intellectus; & ſicut ad aſſenſum verum ſequitur pia affectio voluntatis; ita ad aſſenſum falſum ſequitur praua affectio; ideo excæcatio *in Scripturis* importat formaliter priuationem illuſtrationis ſpiritualis in intellectu, & conſecutiuè prauam affectionem in voluntate. Ergo ſicuti *ex SS. PP.*, *& DD.* nequit Deus poſitiuè aliquem excæcare cauſando habitus, & actus erroneos in intellectu, quia ad illos ſequitur prauus affectus in voluntate, quos conſequenter cauſaret; ſed tantùm permiſſiuè ſubtrahendo gratiam illuſtrationis, & ſic permittendo vt eliciant actus, & habitus falſos; ita *ex hac doctrina* optimè arguitur Deum non poſſe poſitiuè cauſare actum, aut habitum erroris; quia poſitiuè cauſaret etiam affectum prauum determinatè ſequentem. Ad 1. dicitur, quòd habens aſſenſum falſum ſine prauo affectu non dicitur excæcatus; quia non eſt omnino priuatus illuſtrationibus Diuinis; in tantùm enim voluntas retrahitur à ſequendo illum aſſenſum falſum; in quantùm intellectus ei oſtendit oppoſitum, & ad illud eam illuminat. At ſi determinatè ſolùm falſum oſtenderet, & nullo modo verum, voluntas illud ſequeretur determinatè, quia ad libertatem voluntatis requiritur indifferentia iudicij, vt conſtans eſt *apud omnes*, quapropter intellectus dicitur radix libertatis, voluntas enim, cùm ex ſe ſit potentia cæca, ex ſe nihil poteſt videre, & ideo determinatè ſequitur illud, quod ſibi proponitur ab intellectu, & ſi illud ſit determinatè falſum, determinatè illud ſequitur. Ad 2. neg. 2. pars ant., vt diximus *ſuo loco*.

35 Inſt. Ergo quanuis Deus non poſſit producere errorem ſine illuſtratione ad oppoſitum, quia ad illum neceſſariò ſequeretur prauus affectus, attamen poterit illum producere ſimul illuſtran-

ſtran-

ſtando ad oppoſitum, quia ad illum non ſequitur neceſſariò prauus affectus, cùm voluntas poſſit illum liberè reſpuere.

Reſp. neg. conſ., nam ad errorem ex ſua ratione formali ſequitur prauus affectus, cùm affectus ſit inclinatio ſequens cognitionem. Et licèt prauus affectus poſſit diuerti ab illuſtratione ad oppoſitum, non tamen fit, quòd de ratione intrinſeca, & formali erroris non ſit; quòd ipſum ſequatur prauus affectus v.g. ſi *Petrus* ſuadeat *Paulo* errorem, quanuis *Ioannes* eidem *Paulo* ſuadeat veritatem oppoſitam tali errori, non fit, quòd *Petrus*, quantùm eſt ex ſe, non inducat *Paulum* in malum, quia ex errore, quem ſuadet, ſequitur prauus affectus, quanuis non ſequatur, quia *Paulus* obtemperat *Ioanni*, ergo ſi Deus infunderet poſitiuè errorem, quanuis ſimul illuminaret ad oppoſitum, attamen prout infundit talem errorem, induceret in peccatum affectum, quia quælibet cognitio, quantùm eſt ex ſe, inducit, & allicit voluntatem ad illam ſequendam, inducere autem in prauum affectum repugnat Deo, ergo & inducere in errorem.

36 Prob 2. hac ratione. Deformitas moralis eſſentialiter imbibitur in errore etiam ſpeculatiuo intellectus, ſed Deus nequit poſitiuè cauſare deformitatem moralem, alias poſſet etiam cauſare peccatum, ergo Deus nequit poſitiuè cauſare errorem etiam ſpeculatiuum intellectus. Prob. ma. 1. Deformitas moralis eſſentialiter conſiſtit in deordinatione à recta ratione, in tantùm enim actus prauus voluntatis dicitur deformis moraliter, in quantùm deordinat à recta ratione, quæ eſt regula omnis moralitatis, vt diximus *to. 3. de Act. hum. q. 5. art. 1* §. 2., *& de legib. q. 2. art. 3.* § 2., ſed error etiam ſpeculatiuus intellectus eſt deordinatus à recta ratione, quæ dictat verum eſſe affirmandum, & negandum falſum, error autem eſt affirmatio falſi, & negatio veri, cuius eſt priuatio, ergo deformitas moralis eſſentialiter imbibitur in errore intellectus. 2. Mendacium etiam ſpeculatiuum intellectus eſt moraliter deforme non ob aliam rationem, niſi quia eſt deordinatum à recta ratione, quæ dictat aſſerendam eſſe veritatem, & negandam falſitatem, ergo à pari de errore. 3. Diſcordantia actus voluntatis cum recta ratione eſt ratio formalis deformitatis moralis in illo, ergo à fortiori diſcordantia actus intellectus cum recta ratione eſt ratio formalis deformitatis moralis in illo, nam ſi diſcordãtia cuiuslibet actus cuiuſcunque potentiæ cum recta ratione eſt ratio deformitatis moralis in illa, motus enim, quo mouetur manus ad tangendum obiectum inhoneſtũ, dicitur moraliter deformis, quia diſcordat cum recta ratione, ſic de oſculis impudicis &c., multò magis diſcordantia actus rationis cum recta ratione eſt moraliter deformis, quia *propter quod vnunquodque tale, & illud magis.*

37 Prob. 3. Actio formaliter auerſiua à Deo nequit à Deo efficienter in nobis produci, ſed error etiam ſpeculatiuus eſt huiuſmodi, ergo nequit efficienter à Deo in nobis produci. Ma. patet; nam ſicuti ex eo, quòd Deus ſit primum principium efficiens omnium creaturarum, nequit efficere, quòd aliqua creatura non ſit ab ipſo producta, ſic ex eo, quòd ſit vltimus finis omnium, nequit efficere, quòd aliqua creatura ſit ab illo auerſa, & ideo nequit producere actionem in nobis auerſiuam à ſe ipſo. Tum quia ſi poſſet produci à Deo actio formaliter auerſiua à ſe ipſo, non eſſet ratio, cur non poſſet produci peccatum, quod formaliter eſt auerſio. Prob. mi. Actio formaliter oppoſita conuerſioni in Deum eſt formaliter auerſio, auerſio enim, & conuerſio reſpectu eiuſdem priuatiuè opponuntur, ſed error etiam ſpeculatiuus eſt actio formaliter oppoſita actioni conuerſiuæ in Deum, nam creatura conuertitur in Deum per actiones intellectus, & voluntatis, quæ ſunt duæ potentiæ, quibus Deus conſequimur, vt diximus *to. 3 tract. de Beat.*, ſicut autem per actionem voluntatis conuertitur in Deum, quatenus tendit in bonitatem, quæ eſt in Deo, & eſt ipſe Deus, auertitur autem à Deo, quatenus tendit in malitiam moralem, quæ non eſt in Deo, ſed eſt Deo oppoſita, ita per actionem intellectus conuertitur in Deum, quatenus tendit in veritatem, quæ eſt in Deo, & eſt ipſe Deus, error autem etiam ſpeculatiuus opponitur veritati formali actionis intellectiuæ, per quam tendimus in primam veritatem obiectiuã, quę eſt ipſe Deus, qui eſt omnis veritas tum practica, tum ſpeculatiua, & ideo opponitur actioni conuerſiuæ in Deum, ergo error etiã ſpeculatiuus eſt actio formaliter auerſiua à Deo. Sic explicatur illa ratio, qua dicitur, quòd ſicuti ex eo, quòd Deus ſit ſummè bonus, nequit formaliter cauſare peccatum, per quod auertimur ab eius bonitate, ita ex eo, quòd ſit ſummè verax, nequit cauſare in nobis errorem, quo auertimur ab eius veritate.

38 Nec valet paritas de morte, quæ opponitur uitæ, nam mors non eſt aliqua actio, per quam auertamur à Deo, ſed potiùs eſt paſſio, qua Deo coniungimur. Sic de ignorantia, & neſcientiã, quæ eſt mera negatio fundata in ipſa potentia, non in aliqua actione uirtuali, uel phyſica, per quam ſolùm auertimur à Deo.

39 Prob. 4 Locutio falſa ſiue in ſe, ſiue in alio repugnat Deo etiam de potentia abſoluta, ſed error etiam ſpeculatiuus à Deo nobis infuſus eſt locutio falſa, ergo repugnat Deo etiam de potentia abſoluta. Ma. patet ex dictis *in ſup. art.* Prob. mi. Locutio falſa eſt manifeſtatio alicuius conceptus aliter, ac eſt; ſed error etiam ſpeculatiuus eſt huiuſmodi, vt patet; ergo eſt falſa locutio.

40 Reſpondent infuſionem erroris non eſſe propriè locutionem. 1. Non manifeſtaret Dei mẽtem; Deus enim non eſſet in illo errore, quia cognoſceret illum eſſe errorem. 2. Non ordinaret ſuam mentem ad illum, cui talem errorem infunderet. 3. Ad locutionem non ſufficit ſola ſignificatio obiecti, ſed etiam interni iudicij; infuſio autem erroris non ſignificaret iudicium Dei internũ, quia Deus non iudicaret verum eſſe illum errorẽ.

4. Om-

4. Omnis cognitio vera infuſa à Deo non eſt locutio Dei, aliter eſſet obiectum formale fidei, quod nullus admittit.

Sed contra eſt, hæc enim omnia vana ſunt, & futilia. Ad 1. dicitur, quòd cùm quis manifeſtat alteri aliquid aliter, ac ipſe habet in mente, verè dicitur loqui, ita à pari. Ad 2. dicitur ordinare ſuam mentem ad alterum nihil aliud eſſe, quàm velle, vt alter concipiat aliquod, ſiue illud ita cognoſcat, ſiue non, vt patet de eo, qui alium vult fallere, ſic autem ſe haberet Deus. Ad 3. dicitur falſum eſſe ad locutionem requiri ſignificationem interni iudicij; nam quis iudicans aliquod falſum communicans tamen illud, vt verum, verè dicitur ei loqui, vt patet de fallente. Ad 4. dicitur, quòd omnis cognitio infuſa à Deo eſt Dei locutio, hinc habet *Beatiſſ. P.*, *& ex illo Fund. Doct.*, quòd *cùm ſtudemus, Deus nobiſcum loquitur*, quia Deus nobis inſpirat cognitiones, nec tamen iſtæ cognitiones ſunt obiectum formale fidei, quia ſunt locutiones internæ, ad obiectum autem fidei ſpectant ſolæ locutiones externæ nobis manifeſtatæ per *Scripturas*, & voces ſenſibiles, vt *inf.*

41 Tandem mentiretur, quia reuelaret aliquid contra id, quod verè ſentit in mente, & ſic iret contra ſuam mentem, & ideo probatur omnibus rationibus allatis *in ſup. art.*

42 An autem poſſit Deus producere habitum vitioſum, *vid. de Peccat. q. 5. art. 2.* vbi aſſeruntur aliæ rationes, quæ huic concluſioni poſſunt accõmodari.

43 Obijc. 1. cont. 1. part. Error eſt malum pœnæ; ergo poteſt à Deo cauſari. 2. Error, & deceptio ſæpe conducit ad bonum; vt *Petrus* erroneè cogitans aliquod factum eſſe de præcepto audit miſſam; ergo error aliquando eſt bonus. 3. Deus eſt cauſa principalis actus, in ordine ad quẽ dat auxilium ſupernaturale; ſed in ordine ad actum erroris aliquando dat auxilium ſupernaturale; vt dat prudentiam infuſam, & ſtudioſitatem ſupernaturalem, quæ per ſe influunt in actum erroneum iudicatum, vt probabilem; & dat piam affectionem, quæ imperat aſſenſum reuelationis apparentis; ſicuti præmiſſa ſupernaturalis influit per ſe in concluſionem falſam; ergo eſt cauſa actus erroris. 4. Deus poteſt eſſe cauſa omnium principiorum determinantium cognitionem falſã, quando error neceſſariò, non liberè contingit; ergo tunc eſt cauſa erroris; quia *quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati per ſe.*

Reſp. ad 1. diſt. ant. Error eſt malum pœnæ, quod ſimul importat deformitatem moralem, & & ideo dicitur effectus peccati originalis, à quo ortum habet error in intellectu, & malitia in voluntate, conc. Eſt malum pœnæ carens deformitate morali, neg. Ad 2. diſt. ant. Error conducit ad bonum per ſe, neg; eſt enim per ſe radix malitiæ. Occaſionaliter, & per accidens, vt conducit peccatum, conc. Ad 3. diſt. ma. Deus eſt cauſa principalis actus, in ordine ad cuius productionem dat auxilium ſupernaturale, conc; tunc enim actus productus per auxilium ſupernaturale eſt ſupernaturalis, & ſic nequit eſſe malus, aut falſus. In ordine ad cuius directionem dat auxilium ſupernaturale, neg; nam Deus dat auxilia ſupernaturalia in ordine ad dirigenda etiam peccata in bonum, vt ad pœnitentiam, humilitatem &c. Sic prudentia infuſa dirigit tantùm actum erroneum; non autem illum elicit; & pia affectio imperat directionem aſſeſſus reuelationis apparentis, qui elicitur ab intellectu naturali. Ad concluſionem falſam iam dictum eſt *in ſup. art. n.* Ad 4. dicitur, quòd principia cognitionis falſæ ſunt intellectus, & obiectum; *ex obiecto namque, & potentia pariter notitia*; vt docet *Beatiſs. P.*, intellectus autem, & eius obiecta producuntur à Deo, vt indifferentia ad cognitionem falſam, & veram; quanuis ex infectione peccati determinetur intellectus ad falſam. Diſt. ergo ant. Deus poteſt eſſe cauſa principiorum, prout determinantium cognitionem falſam, neg., prout indifferentium, conc.

44 Obijc. 2. Cognitio referens obiectum contingens redditur falſa ab exiſtentia, vel carentia obiecti; ſed Deus eſt cauſa exiſtentiæ, & carentiæ obiecti; ergo eſt cauſa falſitatis cognitionis. 2. Ponamus eandem cognitionem variari de vera in falſam, vt *plures* ſentiunt; ſed Deus eſt cauſa cognitionis pro eo tempore, quo eſt vera; ergo etiam, quando eſt falſa; quia ipſe deſtruit obiectum. 3. Viſio intuitiua poteſt conſeruari non exiſtente obiecto, à quo ſolùm dependet in genere cauſæ efficientis, quod Deus poteſt ſupplere; ſed tunc eſſet falſa; ergo idem. 4. Error intellectus non eſt malum morale, ſed phyſicum, & aliunde poteſt conferre ad actus ſalutares; ergo idem.

Reſp. ad 1. neg. ma; nam veritas, & falſitas conſiſtunt in relatione conformitatis, & difformitatis ad rem conceptam, & exiſtentem à parte rei; vnde quanuis Deus ſit cauſa actus cognitionis, & obiecti, vel carentiæ obiecti; attamen quia non eſt carentia actus difformis ad obiectum, ideo non eſt cauſa falſitatis: Ad 2. eodem modo; nam cognitio non redditur falſa, niſi per relationem difformitatis, quam non cauſat Deus, ſed intellectus creatus deficiens. Ad 3. neg. ma; nam viſio intuitiua eſſentialiter definitur, quòd ſit rei exiſtentis, & præſentis; vnde ſublata exiſtentia, & præſentia rei tollitur eſſentia viſionis intuitiuæ, quia tollitur eius definitio. Ab obiecto autem dependet nedum, vt à cauſa efficiente, ſed etiam ipſum reſpicit, vt terminum eſſentialiter requiſitum; eſt enim de genere relatiuorum; & relatiua ſunt ſimul. Ad 4. neg. 1. pars ant; & diſt. 2. Poteſt conferre ad actus ſalutares occaſionaliter, conc; per ſe, neg.

45 Obiic. 3. Deus cum creatura producit habitum erroris, & vitij concurrendo ad actum illius; ergo poteſt & ſe ſolo. 2. Habitus erroris, & vitij tantùm concurrunt ad facilitatem actus, non autem ad entitatem, vt dictum eſt *de Habit.*, ergo Deus non inclinaret ad actus prauos. 3. Appetitus ſenſitiuus inclinat ad peccandum, & tamen producitur à Deo; ergo à pari. 4. Deus ſe ſolo con-

conſeruat habitum erroris, & vitij; quia noſtri actus, quibus productus eſt, tranſierunt; ergo poteſt illum producere; quia *conſeruatio eſt continuata productio*.

Reſp. ad 1. diſt.ant. Producit entitatem materialem phyſicam, quæ ſecundùm ſe eſt indifferens ad hoc, vt ſit habitus virtutis, & vitii, vt *toties diximus*; & tandem capere debent *Aduerſarij*, propter quod Deus nequit dici cauſa habitus vitioſi, conc; producit formalitatem, neg. Ad 2. neg. ſup; nam entitas actus non eſt praua, ſed phyſicè bona; deformitas autem, ad quam concurrit habitus, eſt praua; & licèt admitteretur habitum non concurrere ad deformitatem, niſi tantùm facilitando; attamen hoc eſt turpe, quod repugnat Deo; ſicut enim facilitare ad actus virtutis eſt honeſtum; ita è contra. Ad 3. diſt.ant. Appetitus ſenſitiuus inclinat ad peccandum ex ſua natura, neg; fuit enim conditus à Deo cum perfecta obedientia ad rectam rationem; ex infectione peccati, per quam rebellauit à recta ratione, cum qua non eſt conditus à Deo, conc. Ad 4. neg. ſup; ſupponitur enim, quòd entitas phyſica, quæ producitur á Deo, ſit formaliter habitus; quod eſt falsũ; habitus ergo pro formali importat ſolam relationem deordinationis ad obiectum, quæ ad præſentiam ſolius obiecti conſeruatur; non enim eſt aliqua entitas, quæ indigeat conſeruari ab aliquo agente.

§. 2.

An Deus poſſit patrare miraculum in conteſtationem falſa Secta?

46 LOquimur de miraculo vero, quod ſit per virtutem Diuinam ſupernaturalem, non autem dé miraculo apparenti, quod fit Magorum præſtigiis, Dœmonumque magiſterio applicantium actiua paſſiuis, ex quibus conſurgit effectus, qui videtur ſupra naturæ ordinem; vel fingentium conſpiſſatis magis, & minùs aeris partibus, varièque adaptatis ſimulacrum alicuius rei, quæ verè non eſt. Miraculum ergo, vt docet *Fund.Doct. in 2. diſt. 18. q.2. dub.13. lit*; vel eſt ſupra naturam, vel præter naturam, vel contra naturam; vt cùm virgo parit, cæcus videt, mortuus reſurgit, eſt ſupra naturam, quæ vires non habet ad tales effectus præſtandos. Præter naturam miraculum poteſt eſſe tripliciter. 1. Ratione quantitatis; vt cũ araneæ productæ ſunt in *AEgypto*; licèt enim natura habeat virtutem producendi araneas, non tamen in tanta multitudine. 2. Ratione qualitatis; vt cùm *Num.* 5. quando vir zelotypus erat, ſacerdos aſſumebat aquam ſanctam in vaſe fictili, quam dabat bibendam mulieri; & ſi erat culpabilis, putrefiebat fœmur eius; quanuis enim aqua poſſit naturaliter putredinem inducere, ſi ſubiectum ſit diſpoſitum per qualitates inducentes putredinem; non tamen hoc poteſt, ſi careat talibus qualitatibus. 3. Ratione temporis; vt cùm 3. *Reg.* 13. manus *Ieroboam* ad dictum Prophetæ arefecit; quanuis enim manus poſſit naturaliter areſcere, non tamen illico, & inſtantaneè, ſicut in caſu. Contra naturam eſt, cùm fit aliquid contra ordinem ipſius naturæ; vt cùm *Iſaia* 28. reuerſus eſt Sol decem lineis; ordo enim naturæ Solis eſt, quòd pergat ad occidentem, à quo reuertitur in Orientem, non autem quòd reuertatur ad Orientem, antequam perueniat ad occidentem. Omne tamen miraculum ſimpliciter eſt ſupra naturam; nam producere effectus in multitudine excedente curſum, quem videmus; introducere formam ſine præuiis diſpoſitionibus; & in inſtanti operari, quod ordinariè fit in tempore, ſuperat vires naturæ, & ideo eſt ſupra naturam.

47 Itaque verum miraculum eſt effectus agẽtis, quod eſt ſupra naturam, habentis virtutem ſuperantem vires naturæ, quod agens eſt ſolus Deus verus, vt conſtat. Ideo miraculum nequit fieri, niſi à Deo, vt à cauſa principali; creatura autem nequit ad illud concurrere, niſi vt cauſa inſtrumentalis, vel phyſica eliciendo aliquam actionẽ phyſicam, ad quam Deus patrat miraculum; vel moralem implorando, & impetrando à Deo, vt illud operetur. Gratia autem miraculorum, cùm ſit gratia gratis data contradiſtincta a gratia gratum faciente, eſt communis iuſtis, & peccatoribus. Quæritur ergo, an Deus poſſit communicare creaturæ gratiam miraculorum ita, vt creatura poſsit abuti intendendo conteſtationem falſæ Sectæ eo modo, quo abutitur virtute Sacramentorum?

48 Dices ex hac doctrina ſequi creationem eſſe miraculoſam, quia nulli creaturæ poteſt competere; & creaturam poſſe eſſe cauſam principalem effectiuam miraculorum., quia poteſt recipere virtutes ſupernaturales, quibus poteſt principaliter elicere actionem ſupernaturalem, quanuis non primariò, ſed ſecundariò. Item inſtificatio impij, & reſurrectio mortuorum eſſet miraculoſa.

Reſp. *Fund.Doct.* neg. ſeq., nam ad miraculum requiritur aliqua repugnantia vel ex parte rei actæ., vt quòd virgo pariat., vel ex parte modi agendi., vt quòd introducat formam ſine diſpoſitionibus., vel ex parte ordinis rerum., vt quòd planta producat fructus ſine floribus. In creationem autem nulla eſt repugnantia; quia eſt ex nihilo, in quo nullà eſt repugnantia, quia in nihilo nihil eſt. Item creatura per gratiam diſponitur ad ſupernaturalem, neque eſt repugnantia ex parte actus ſupernaturalis, quòd eliciatur à creatura habente gratiam, neque ex parte modi agendi. Sic ad iuſtificationem diſponitur per gratiam. Iuſtificatio tamen peccatoris indiſpoſiti, ſicut fuit cõuerſio *D.Pauli*, foret miraculoſa. Tandem reſurrectio mortuorum erit miraculoſa., quia erit repugnantia ex parte naturæ, quæ à priuatione non regreditur ad formam. *His ſupp.*

49 *Ripalda hic diſp.4 ſect.5*, vult, quòd iuxta leges ordinarias prouidentiæ ſupernaturalis nequit Deus patrare miraculum in confirmationem falſæ ſectæ., etianſi per tale miraculum falſa ſecta reddatur prudenter credibilis. Ratio eius eſt, quia de facto miracula ſunt inſtituta ad oſtendendam ve-

veritatem veræ fidei iuxta doctrinam totius Eccleſiæ., & habetur ex textibus *inf.* adducendis., ergo non poſſunt patrari in conteſtationem falſæ ſectæ; aliter non eſſent determinata ad perſuadendam veram fidem, ſed eſſent indifferentia ad ſuadendam veram æquè, ac falſam. Tum quia aliæ ſectæ poſſent reddi æquè credibiles, ac vera fides, quia poſſent æquè miraculis ſuaderi, & ideo æquè credibiles reddi. Tum quia Theologi confligentes cum hæreticis de veritate fidei nullum fortius argumentum habent, quàm illud, quod ſumitur ex miraculis: ergo ſi miracula poſſent patrari in conteſtationem falſæ ſectæ, tolleretur vis huius argumenti; quàm adeo vrgent *SS.PP.*, inter quos *Beatiſs. P. lib.22. de Ciu. c.*8.

50 At verò loquendo de potentia abſoluta, & ſecundùm alium ordinem alterius prouidentiæ miracula non eſſent inſtituta ad perſuadendã veram fidem; non enim ex ſua ratione formali habent perſuadere veram fidem; quia non eſſent verba, & teſtimonia mentis Diuinæ, ſicut ſunt de facto; nam quòd Sol media nocte reſplendeat, arguit tantùm manifeſtationem rerum eſſe intentã, & per ſe volitam a Deo, non verò illuminationẽ eſſe in mente Diuina; ideoque talis actio miraculoſa non eſſet vera locutio: cùm de ratione locutionis ſit exprimere rem propoſitam eſſe in mente loquentis. 2. Si miracula ſuaptè natura eſſent veræ locutiones Dei, poſſent admitti inter intrinſeca fidei motiua., quia locutiones Dei ſunt motiua intrinſeca fidei, vt tenent communiter *Theologi*: miracula autem ſunt ſolùm quædam conditiones extrinſecæ. 3. Miracula non connectuntur infallibiliter cum veritate fidei., quia ab ipſis non ſumitur euidens argumentum veritatis fidei., nam etianſi Dœmones nouerint miracula Chriſti eſſe vera miracula., attamen non nouerunt veritatem doctrinæ, quã prædicabat., & diuinitatem eiuſdem Chriſti., in cuius confirmationem fuerunt patrata. 4. De facto Deus fuit cauſa principalis miraculorum, quæ ediderunt *Mag. Pharaonis*, & quæ edet *Antichriſtus*, abſque eo, quòd Deus loquatur falſum., ergo à pari. Pro hac ſententia refert *Dur. in 1. q. 1. prol. n. 47.*, vbi tamen *iſte Auctor* loquitur tantùm ex ſuppoſitione, quòd Chriſtus non eſſet Deus, ſi inuocaret Deum, vt patraret miraculum ad teſtificandum ſe eſſe Deum., ait, quòd in tali hypotheſi patraret miraculum, non quidem ob ſuadendam falſitatem, ſed ob alium finem, quem ignoraret creatura., loqui autem ex ſuppoſitione non eſt abſolutè aſſerere, vt patet. Refert etiam *Gabr. in 3. diſt. 24. q. 1. art.*3. Sed *hic* loquitur de miraculis apparentibus, quæ non ſunt vera miracula. *Item Caiet. 2. 2. q. 1. art, 4., Val. diſp. 1. q. 5. punct. 2. §. Quanquam, Med. lib 5. de recta in Deum fide c. 7., Ponte Hurt. diſp. 26. ſect. 4. § 9; & ſeq., Ban. hic q. 5. art. 1. ad 1., Sua. in 3. p. diſp. 31. ſect. 2. poſt 3. concl.*, quorum mens (excepto vno, vel altero) longiſſimè abeſt. Tandem *Gran. hic tract. 1. diſp.* 8. ait Deum non poſſe patrare miraculum etiam ſola creatura intendente ſuaſionẽ falſæ doctrinæ, quando ex patratione talis miraculis talis doctrina redditur prudenter credibilis, ſecus verò ſi non reddatur prudenter credibilis.

51 Noſtra ſententia docet Deum non poſſe patrare miraculum in atteſtationem falſæ doctrinæ nec etiam de potentia abſoluta. *Ita Fund Doct. in 2. diſt. 18. q. 2; dub. 11. lit., noſter Greg. in 1. diſt. 42. q. 2. art. 1. concl 1. probat. 2., & communiter noſtra Schola.* Ex alijs *S. Tho. Quodl. 2. art. 6. ad 4., Scot. q 2. prol. §. De octauo., Bellarm. lib. 4. de not. Eccl. c. 14. §. Iam quod., Tolet. annot. 2. in c. 3. Io. & alij ferè omnes.*, qui oppoſitam ſententiam exibilant, tanquam Deo decedentem.

52 Vnica concl. Deus nequit patrare miraculum in conteſtationem alicuius falſæ doctrinæ pertinentis ad falſam ſectam etiam ſola creatura intendente talem conteſtationem.

Prob. 1. *Script. Io. 5. Opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me., & 10. Si mihi non vultis credere, operibus credite, & 15. Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Ad hæc *Beatiſs. P. in Io. c. 6 tract. 24. Interrogemus ipſa miracula, quid nobis loquantur de Chriſto., habent enim, ſi intelligantur, linguam ſuam., nam quia ipſe Chriſtus Verbum Dei eſt, etiam factum Verbi verbum nobis eſt, & c. 15. tract. 49. Domini quippe facta non ſunt tantummodò facta, ſed ſigna.* Quid autem loquantur, & ſignificent, docet *lib. 10. de Ciu. Dei c. 9.* his verbis: *Fiebant ad commendandum vnius veri Dei cultum., & multorum falſorumque prohibendum.* Ex quibus ſic. Miracula ex ſua ratione, & conceptu formali ſunt verba Dei ſignificantia, & conteſtantia veram fidem, quæ eſt fides veri Dei., ergo non poſſunt patrari in conteſtatiooem falſæ ſectæ etiam id intẽdente ſola creatura inſtrumentaliter patrante miraculum. Prob. ant. 1. Si miracula ex ſua ratione formali non eſsent verba Dei ſignificantia, & conteſtantia veram fidem, & id ſolùm haberent ex libera inſtitutione Dei, qui poterat ea aliter inſtituere, ſequeretur per ipſa non ſignificari infallibiliter veram fidem., poſsent enim videntes miracula dubitare, an eſsent inſtituta ad ſignificandam falſam ſectam, cùm Deus in miraculis agat ſupra leges à ſe inſtitutas., ergo non bene deduceret Chriſtus Dominus ſibi eſse credendum ex operibus miraculoſis, nec miracula eſse vera teſtimonia veræ fidei; poſsent enim ſecundùm aliam prouidentiam, ſecundùm quam aliquando Deus operatur, falſum conteſtari. Sed hoc impium eſt., ergo & id, ex quo ſequitur. 2. Deus nedum loquitur verbis ſuis, ſed etiã ſuis factis., quia inſtitutor verborum, & factorum loquitur verbis, & factis. Deus autem inſtitutor eſt verborum, & factorum, ideoque vtriſque loquitur., vt diximus *to. 1, q. 1. proem.* qua propter omnes creaturæ ſunt voces Dei exprimentes: *Deus non fecit*., ſed miracula ſunt facta Dei ex ſua ratione formali ita, vt non poſſint eſse facta creaturæ principaliter., ergo ex ſua ratione formali ſunt uerba Dei ſignificantia, & conteſtantia fidem Dei, quæ eſt uera fides. 3. Miracula ex ſua ratione formali ſignificant uirtutem ueri Dei operatricem eorum., a nulla enim

crea-

Digitized by Google

creatura poſſunt principaliter fieri; ergo ex ſua ratione formali ſignificant cultum exhibendum Deo vero, ſolus enim verus Deus eſt colendus, non autem falſus, vt eſt per ſe notum: ſed cultus veri Dei eſt vera fides; ergo ex ſua ratione formali ſignificant veram fidem. Conſ. patet, quia Deus nequit loqui verba ſignificantia falſum, aliter falſum diceret, & falleret. Tandem ſine vllo fundamento dicitur miracula ſignificare tantùm ex libera inſtitutione Diuina, id enim non habetur *in Scriptura*, in qua tamen habetur miracula fidem ſignificare; ergo ſententia oppoſita reijcienda eſt, tanquam ſine vllo fundamento.

53 Conſ. *ex eod. B.P. q.63. ex nouo Teſt. Signa, & virtutes idcirco ab Apoſtolis facta ſunt, vt infidelitas cogeretur ad fidem, vt videntes facta, quæ hominibus impoſſibilia ſunt, Dei ex hoc eſſe prædicationem agnoſcerent, & rationem eſſe in fide virtute probarent.* Ex quo ſic. In hoc differunt ſignum ad placitum, & ſignum naturale; quòd ad placitum ita ſignificat contingenter, vt potuerit oppoſitum ſignificare: eſt enim ex libera hominum inſtitutione determinatum ad ſignificandum hoc, vt potuerit determinari ad ſignificandum oppoſitum; at verò ſignum naturale ita ſignificat determinatè hoc, vt non potuerit ſignificare oppoſitum, eſt enim à natura rei, quæ eſt ad vnum eſſentialiter determinata; vt gemitus, qui naturaliter ſignificat mœſtitiam, nequit ſignificare lætitiam; ſed miracula ſunt ſigna naturalia virtutis Diuinæ illa patrantis, cui nequit falſa fides congruere, cùm ſit eſſentialiter prima veritas; miracula enim ſunt eſſentialiter effectus Diuinæ virtutis, & effectus eſſentialiter ſignificat ſuam cauſam, non contingenter, & ad placitum, aliter demonſtratio cauſæ per effectum non eſſet ſcientifica, ſed opinatiua, quia ſcientia non eſt de contingentibus; ergo miracula eſſentialiter ſignificant virtutem Diuinam, & veram fidem, non autem ad placitum.

54 Prob. 2. *ex eod. de Ciu. Dei vbiſ. ita de miraculis loquente: Fiebant autem ſimplici fide, atque fiducia pietatis.* Super quod ait *Fund. Doct. vbiſ. Dicendum, quòd miracula videntur inniti fidei, & veritati doctrinæ. Fidei quidem innituntur dicente Domino Matth., & Luc. 17. Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, & dixeritis huic monti: Transfer te, transferet ſe; & dicente Apoſt. 1. Cor. 13. Et ſi habuero omnem fidem ita, vt montes transferam. Qui ergo habet omnem fidem, id eſt perfectam fidem poteſt miracula facere, & montes transferre: miracula ergo innituntur fidei. Innituntur etiam veritati doctrinæ, quia & ſi inuentum eſt, quòd malus homo fecerit miracula, numquam tamen inuentum eſt, quòd falſa prædicans miracula fecerit. Cùm ergo fides, & veritas doctrinæ ordinentur ad gratiam, bene dictum eſt* (ſupple à *Mag. ſent.*) *quòd talia fiunt ad ſignandam gratiam. Illud enim ſignatur per aliquid, per quod datur intelligi. Cùm ergo miracula moueant nos ad intelligendam Diuinam potentiam, vt conuertamur ad ipſam, & habeamus eius gratiam, bene dictum eſt, quòd talia fiunt ad ſignandam gratiam, & propter gratiam.* Ex quibus ſic. 1. Actus veræ fidei cum fiducia pietatis Diuinæ nequit eſſe conteſtatiuus falſæ ſectæ etiam ſola creatura intendente talem conteſtationem; ſed miraculum eſt huiuſmodi; ergo idem. Prob. mi. Actus veræ fidei nequit eſſe falſus; quia veræ fidei nequit falſitas ſubeſſe, aliter eſſet falſa, non vera fides, ſed actus conteſtatiuus falſæ ſectæ eſt falſus, quia teſtatur rem aliter, ac eſt, ergo actus veræ fidei nequit eſſe conteſtatiuus falſæ ſectæ. Tum quia actus teſtatiuus falſæ ſectæ eſt coniunctus cum impia intentione ſeducendi, & auertendi à Deo, non cum pia affectione conuertendi in Deum, ergo non eſt actus veræ fidei. Tum quia ſicut actus ſuadens concluſionem falſam non eſt actus ſcientiæ, aliter ſcientia non eſſet habitus certus, ita actus ſuadens falſam fidem nõ eſt actus veræ fidei, aliter vera fides non eſſet certa. Mi. patet *ex textibus allatis*, nam miraculum eſt actus imperatus à fide. 2. Miracula eſſentialiter mouent ad intelligendam Diuinam virtutem, vt ex tali cognitione conuertamur ad colendum verum Deum, & gratiam ipſius acquiramus, propter quod docet *Mag* miracula ſignificare gratiam, ergo nequeunt eſſe in conteſtationem falſæ ſectæ, quæ nos mouent ad colendum falſum Deum.

Mag. Frideric. Nic. Ganardi. T o.4.

55 Prob. 3. ſimul euertendo rationem *Aduerſariorum ex Beatiſ. P. lib. 4. cont. Creſcon. c. 21.* docente: *Nec omnino fieri poteſt, vt Chriſtus det Schiſmatico, non fidem, ſed ſacrilegum errorem, aut in Chriſto radicem ſchiſmatis fixerit; aut Schiſmatico Chriſtus ſit origo, & Caput, & tamen baptiſmum Chriſti ſi dederit, datum erit, ſi acceperit, acceptum erit.* Ex quo ſic. Cauſa inſtrumentalis agens ex intentione nequit operari oppoſitum intentioni agentis principalis, vt miniſter ſacramentorum, qui eſt agens inſtrumentale ex intentione, ſi non intendat facere, quod fecit Chriſtus, & continuò facit eius Eccleſia, non conficit ſacramentum, ſed Deus, qui eſt agens principale miraculorum, nequit intendere patrationem eorum in confirmationem falſæ ſectæ, vt fatentur *Aduerſarij*, ergo neque creatura poteſt eam intendere. Ma. explicatur, nam malleus, quia eſt inſtrumentum agens ex duritie intenta à principali agente, ideo præciſa duritie nequit inſtrumentaliter agere, quia ageret ſine ratione formali agendi, ergo inſtrumentum agens ex intentione nequit operari, niſi conformiter ad intentionem principalis agentis, ſecus ageret ſine ratione formali agendi. Tum quia agens inſtrumentale debet attingere effectum principalis agentis, quia debet habere actionem conuenientem, non repugnantem actioni principalis agentis, quia ſic potius impediret, quàm adiuuaret actionem illius; vt calor dicitur inſtrumentum ignis, quia habet calefacere, quod congruit igni; ſi autem haberet infrigidare, quod opponitur calefactioni, non ageret, vt inſtrumentum ignis, quia impediret actionem illius; ergo patrans inſtrumentaliter miracula nequit illa patrare ex intentione ſuadendi falſam ſectam, quia operaretur impediendo, non ponendo effectum principalis agentis.

56 Dices ſufficere intentionem faciendi verũ miraculum, quanuis illud intendatur in confirmationem falſæ ſectæ; ſicut ſufficit intentio conficiendi verum ſacramentum, quanuis illud ordinetur ad malum finem.

Reſp., quòd verum miraculum ex ſua ratione ordinatur ad ſignificandum verum Deum, cui debetur verus cultus, qui præſtatur per fidem Diuinam; ergo non habens intentionem huius ſignificationis non habet intentionem requiſitam, quæ eſt ratio formalis patrandi miraculum. Sicut confectio ſacramenti eſt per intentionem ordinatam ad intentionem Chriſti Domini in ſe ipſo, vel in Eccleſia; ideo non habens hanc intentionem Sacramentum non facit. Sicuti autem miniſter ſacramenti habens intentionem requiſitam conficit ſacramentum, etianſi habeat aliam intentionem ſecundariam accidẽtem primæ intentioni eſſentialiter requiſitæ; ita ſi quis intenderet facere miraculum in oſtenſionem veræ fidei, poſſet illud in virtute Dei patrare, quanuis haberet aliam intentionem ſecundariam malam; vt v.g. ex illo caperet vanam gloriam; quia tunc ſaluaretur ratio eſſentialis miraculi, & variaretur ſola ratio accidentalis, quæ nec tollit, nec ponit eſſentiam. Ideo dicitur, quòd malus homo poteſt facere miracula, non tamen in conteſtationem falſæ ſectæ.

57 Ad rationes *Ripaldæ* dicitur ad 1. Omnia facta Dei eſſe veras Dei locutiones, vt dictum eſt; ideoque ſi Deus vellet, quòd Sol media nocte luceret; nedum Sol, ſed etiam illuminatio mediæ noctis eſſet in mente Dei, non quidem illuminatio materialis materialiter, vt fortè nimis materialiter ſentit *Ripalda*, ſed ſpiritaliter; ſicut domus facienda dicitur eſſe in mente artificis; Deus autem eſt agens artificioſo modo; adeoq; omnes effectus habet in mente. *Vid. Beatiſs. P. tract. 1. in Io.* Ad 2. iam dictum eſt ſolas locutiones Dei ſcriptas *in Scripturis*, vel habitas ex traditione, & perpetua conſuetudine Eccleſiæ eſſe motiua fidei. Miracula autem alia ſunt, quæ cõtinentur explicitè *in Scripturis*; & hæc ſunt motiua intrinſeca; quia ſunt res formaliter reuelatæ. Alia ſunt, quæ non continentur explicitè *in Scripturis*, & hæc non ſunt motiua intrinſeca, ſed conditiones extrinſecæ, quia ſunt *extra Scripturam*; ea autem ſolùm dicuntur motiua intrinſeca, quæ ſunt explicitè *intra Scripturam*. Ad 3. neg. aſſumpt. Ad prob. expreſsè eſſe *contra Scripturam* aſſerentem Dæmones cognouiſſe Chriſti Diuinitatem; habetur enim *Marc. 5. Quid mihi, & tibi Ieſu fili Dei altiſſimi; & Luc. 4. Sine, quid nobis, & tibi; Ieſu Nazarene? Veniſti perdere nos. Scio te, qui ſis Sanctus Dei; & ibid. Exibant autem dæmonia à multis clamantia, & dicentia, quia tu es filius Dei, & increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum, & 8. Quid mihi, & tibi Ieſu fili Dei altiſſimi? Obſecro te, ne me torqueas*. Vel dicitur, quòd ad cognoſcendam Chriſti Diuinitatem nedum requiritur motiuum ex parte obiecti, ſed etiam illuminatio mentis per gratiam Chriſti, quæ negata eſt Dæmonibus; vnde cognoſcebant quidẽ opera Chriſti eſſe ſupra naturam, & fieri virtute Dei; non tamen cognoſcebant, an Chriſtus eſſet Deus; cùm virtus inſtrumentaliter præſtandi illa opera ſit cõmunicabilis creaturæ. Ad 4. dicitur illa non eſſe vera miracula, ſed falſa, & ideo poſſe falsò ſignificare. Nec Deus phyſicè concurrens ad illa dicitur loqui falſum; cùm illa, vt potè non vera miracula, non ſint locutiones Dei ſupernaturales, quibus ſolùm ſignificatur fides; ſed ſint tantùm locutiones Dei intra ordinem naturæ, quæ loquũtur Deum eſſe Auctorem totius naturæ, etiam operum mirabilium, quæ ſunt intra naturam.

ART. IV.

An fides ſit adeo certa, vt ſit incompoſſibilis cum opinione, & dubietate?

1 QVid, & quotuplex, ac vnde ſumatur certitudo, iam diximus *to. 1 q 1. proem. art. 6.*, ex quo deduci poteſt reſolutio huius difficultatis. Item opinionem includere eſſentialiter formidinem nedum radicalem, ſed etiã actualem, oſtendimus *ibid q 3 proem. art. 7. n. 3. contra Ripald; noſtrum Landon in Log., & alios*. In hoc autem opinio, & dubietas differunt; quòd illa determinationem ad vnam partem importat cum formidine alterius; hæc autem tenet mentem ab omni actu æqua lance ſuſpenſam ita, vt nec in vnam partem, nec in aliam inclinet.

2 Prima ſententia vult fidem Diuinam poſſe ſtare ſimul cum opinione, & dubietate actuali phyſica circa idem obiectum formale, per diuerſa tamen media, non tamen poſſe ſtare ſimul cum opinione, & dubietatẽ radicali morali, quia intellectus poteſt ita aſſequi veritatem obiecti, vt nequeat dubitare, & formidare; vnde dubietas, & formido in ignorantiam naturalem intellectus referenda eſt. *Ita Ripalda hic diſp. 11. ſect. 2., & paſſes ex Neotericis*; quibus accedit *noſter Landon in Log. diſp 18. dub. 8.*, vbi ait actum opinionis poſse ſtare ſimul cum habitu fidei, quia actus non pugnat cum habitu, ſed cum actu; imò habitum opinionis poſſe de facto ſtare ſimul cum habitu fidei in gradibus remiſſis, non in intenſis; quia duo contraria ſtant ſimul in eodem ſubiecto in gradibus remiſſis; de potentia autem Dei abſoluta poſſe ſtare ſimul etiam in gradibus intenſis.

3 Noſtra docet, quòd licèt habitus fidei, & opinionis, ac dubietatis poſſint ſtare ſimul circa idem obiectum materiale; quia credens Deum eſſe trinum in perſonis poteſt dubitare, at ſit trinus in ſubſiſtentijs relatiuis, ac alteram partem ſubſtinere; attamen nequit eſſe ſimul circa idem obiectum formale, quanuis per diuerſa media, ſiue opinio, & dubietas ſumantur pro habitu, ſiue pro actu; quia credens Deum eſſe trinum in perſonis, nequit dubitare, vel opinari Deum non eſſe trinum in perſonis, aut vnum in eſſentia, aut quodcunque aliud reuelatum à Deo; nam tunc tendit in Deum ſub eadem ratione formali reuelationis Diuinæ, quæ ſpecificat fidem Diuinam; cùm tam trinitas perſonarum, quàm

vni;

Digitized by Google

Vnitas eſſentiæ ſit nobis à Deo reuelata, vt credenda; triplex autem ſubſiſtentia perſonalis non eſt à Deo reuelata; & ideo credens Deum trinum in perſonis, & probans in Deo eſſe vnam tantùm ſubſiſtentiam abſolutam, vel triplicem relatiuam non tendit in Deum ſub ratione reuelationis Diuinæ. *Ita Fund. Doct. locis cit; & ſæpe alibi, omnes noſtri DD; ac alij exteri;* quibus accedit *Eſparza de Virt. Theolog. lib. 6. q. 23;* vbi diſtinctionem illam de formidine radicali, & actuali irridet, & reijcit tanquam chimæricam; ſicut enim, inquit, non admittitur certitudo radicalis, & actualis; ita loquendum eſt de formidine, quæ opponitur certitudini, & cum illa debet æquiparari, cùm oppoſitorum eadem ſit ratio; & licèt concedatur formidinem eſſe refundendam in naturalē ignorantiam intellectus, quæ tamen ſupponit dubitabilem manifeſtationem obiecti, à qua ſpecificatur, fides tamen exiſtens in intellectu tollit eam ignorantiam.

4 Vnica concl. Quamuis fides, & opinio, vel dubietas ſiue habitualis, ſiue actualis poſſint ſtare ſimul circa idem obiectum materiale, diuerſum tamen formaliter; non tamen circa idem obiectum formale etiam per diuerſa media; vnde fides Diuina adeo certa eſt, vt circa myſteria reuelata, quæ ſunt obiectum formale ſpecificatiuum illius, excludat omnem opinionem, formidinem, vel dubietatem ſiue radicalem, ſiue actualem ita, vt voluntariè, & pertinaciter formidans, vel dubitans circa fidei myſteria fidem amittat, & à *SS. Inquiſitione* puniendus ſit, tanquam hæreticus.

5 Prima pars concl. euidenter oſtenditur. Notum eſt *apud omnes* circa idem corpus, quod eſt obiectum materiale philoſophiæ, mathematicæ, & medicinæ ſub diuerſa ratione formali obiectiua mobilitatis, quantitatis, & ſanabilitatis dari ſimul in eodem intellectu diuerſos habitus, ſcilicet philoſophiæ, mathematicæ, & medicinæ: & circa eundem Deum, quatenus eſt prima veritas reuelans, dari habitum fidei; quatenus eſt ſummè bonus in ſe, dari habitum charitatis: quatenus eſt bonum arduum à nobis difficulter conſequibile, dari habitum ſpei: quatenus eſt cognoſcibilis per illationem ex reuelatis, dari habitum Theologiæ; & ſicuti circa idem corpus mobile, quatenus in ipſo conſiderantur quædam veritates, quæ non apparent, notum eſt dari habitum opinionis, & dubietatis; & circa veritates, quæ euidenter apparent, dari habitum ſcientiæ: ita notum eſt circa Deum, quatenus nobis reuelat veritates certas, & infallibiles, dari habitum fidei; & quatenus à nobis concipiuntur in ipſo quædam veritates, quæ nec ſunt reuelatæ, nec euidenter deducuntur ex reuelatis, dari habitum opinionis, & dubietatis; ergo certum eſt circa Deum, tanquam circa obiectum materiale, dari ſimul fidem, & opinionē, vel dubietatem, ſub diuerſa tamen ratione formali obiectiua, quia ſic ſunt habitus omnino diſparati nullam habentes inter ſe oppoſitionem, & incompoſſibilitatem. Circa hoc nullum eſt diſſidium.

6 Prob. 2. pars 1. *ex Io. 20;* vbi Apoſtolis atteſtantibus reſurrectionem Chriſti Domini his verbis: *Vidimus Dominum*: reſpondit *Thomas*, qui eum non viderat, quoniam abſens erat, cùm illis apparuit: *Niſi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in latus eius, non credam*. Ieſus autem iterum illis apparens dixit *Thomæ*: *Infer digitum tuū huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli eſse incredulus, ſed fidelis.* Ex quo ſic. Implicat per quancunque potentiam habitum fidei Diuinæ, & habitum, vel actum infidelitatis ſimul eſſe circa idem obiectum formale; ſed habitus, vel actus dubietatis infert habitum, vel actum infidelitatis; ergo implicat per quancunque potentiam habitum fidei Diuinæ, & habitum, vel actum dubietatis ſimul eſſe circa idem obiectum formale. Ma. patet, quia infidelitas priuatiuè opponitur fidei, & priuatio nequit ſimul eſſe cum forma. Prob. mi. Habitus, vel actus incredulitatis eſt idem formaliter, ac habitus, vel actus infidelitatis, nam Chriſtus Dominus ſumit incredulum, prout contradiſtinguitur à fideli, ait enim: *Noli eſse incredulus, & fidelis*: & ideo prout idem eſt, ac infidelis, quia incredulitas negat habitum, vel actum credendi, vt patet; habitus autem, vel actus credendi, eſt formaliter fides habitualis, vel actualis, ſicut habitus, vel actus ſciendi eſt formaliter ſcientia habitualis, vel actualis; id autem, quod formaliter negat fidem, eſt infidelitas, vt conſtat: quapropter *Beatiſs. P. ſerm. 156. de Temp.* incredulitatem Apoſtoli vocat infidelitatem, quæ noſtram fidem propugnauit, his verbis: *Quam bona infidelitas, quæ ſæculorum fidei militauit*! Dicitur autem *bona* occaſionaliter, non autem formaliter, quia paulò poſt vocat ipſam *vitium*: ideo habitus, vel actus incredulitatis eſt idem formaliter, ac habitus, vel actus infidelitatis; ſed dubitatio actualis inducit actum incredulitatis, quo replicato inducitur habitus; nam *D. Thomas* ſolùm dubitauit, vt docet *Beatiſs. P. cont. Fauſt. lib. 16 c. 33,* inquiens; *Thomam, quem Chriſtus de ſe dubitantem non eſt aſpernatus*: & formidauit, ſeu trepidauit, quod eſt actus opinionis; vt docet *ſerm. 159. de Temp.* aſſerens: *Ecce Diſcipulus trepidauit*; & per hunc actum dubitationis, & opinionis incredulus effectus eſt: *Noli eſſe incredulus*; ergo habitus, vel actus dubietatis, & opinionis infert habitum, vel actum infidelitatis; & ideo fides Diuina nequit eſſe ſimul cum habitu, vel actu dubietatis, & opinionis, & conſequenter excludit formidinem radicalem, & actualem.

7 Prob. 2. *ex ſymb. D. Athan.* vbi habetur: *Hęc eſt fides catholica, quam niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit, ſaluus eſse non poterit*. Ex quo arguitur ſic. Ita ſe habet actus moralis mortaliter malus reſpectu habitus charitatis, ſicut actus opinionis, vel dubietatis circa articulos fidei reſpectu habitus fidei Diuinæ; ſed cum habitu charitatis nequit componi actus moralis mortaliter malus; ergo dicendum eſt, quòd cum habitu fidei nequeat componi opinio, vel dubietas.

Prob.ma Ideo actus moraliter malus pugnat cum habitu charitatis, quia opponitur actui moraliter bono, qui eſt actus charitatis; quod enim pugnat cum actu, pugnat cum habitu; quia habitus,& actus ſunt eiuſdem ſpeciei, cùm pertineant ad eandem lineam athomam; in tantùm enim actus malus, licèt pugnet cum actu bono, qui eſt actus voluntatis, poteſt eſſe ſimul cum voluntate; quia voluntas non eſt determinata ad lineam athomã, ſicut habitus, ſed eſt indifferens ad omnes actus etiam diuerſæ ſpeciei; ſed actus opinionis, & dubietatis opponitur actui fidei Diuinæ; quia actus fidei Diuinæ debet eſſe firmus, & certus, vt docet *Symb*; actus autem opinionis, & dubietatis eſt infirmus, & incertus; ergo eodem modo ſe habet. Mi. patet., quia peccatum nequit ſtare ſimul cum gratia habituali, quæ eſt inſeparabilis ab habitu charitatis, vel eſt idem, ac charitas, vt volunt *alij*, & ideo nequit componi cum habitu charitatis.

8 Prob. 3. *ex c. de Hæreticis Dubius in fide infidelis eſt*. Hanc decretalem (ſiue ſit *Stephani Papæ*, vt notatur *in textu*, ſiue *Sixti I.*, *vel Iulij*, vt vult Pegna) *Canus lib.12. de loc. Theolog. c.9.* ſic interpretatur, vt in cauſis fidei infideles, tanquam legitimi teſtes contra fideles, habendi non ſint, non autem ita, vt dubitantes in fide habeantur, tanquam hæretici. Sed hæc interpretatio aliena eſt à *Gloſ.* dicente: *De fide vera nullus dubitare debet, ſed firmiter credere articulos fidei*., vt habetur *de ſumma Trin. c. 1.*, ſuper quod *Fund. Doct.* ait: *Firmiter credimus, quia fide catholica debemus firmiter adhærere, & ſimpliciter*. Idem habetur *diſt.24. c. quando epiſcopus, & 24. q.1. apud Gloſ.*, *& Clem.* I. §. *Porrò* damnantur, vt hæretici, qui negant, vel dubitant animam rationalem eſſe formam corporis., *& in Conc. Lat. ſub Leone X.* damnantur, vt hæretici, qui negauerint, vel verterint in dubium animæ immortalitatem., ideo praxis I*nquiſitionis* eſt, vt voluntariè, & pertinaciter dubitantes in fide cogat abiurare, tanquam hæreticos formales *teſte Carena de Offic. Inquiſit. p. 2. de Hær., & Hæret. tit.1.§.3*, apud quem Pegna *in Direct. Inquiſit. in com. c.1. de hæret.*, *Farinac. de hær. q.178. n. 107.*, *Riciull. de iur. perſon. extra Eccleſiæ gremium exiſtentium lib.5.c.4.*, *Sanctarel. de hær. c.1. dub.3.*, *Azeueda*, Portell., *Alphon à Caſtro*, *Palao p.1. tract.4. diſp.3. punct 2. n.8.*, *Barboſ. in collectaneis ad ius canonic. ſuper dictum c. de hæret.*, *Sua.*, *Gibb. diſp.12. dub.1.*, *& alii communiter* Ex quibus ſic. Ad hoc, vt quis ſit fidelis, requiritur, vt firmiter adhęreat fidei catholicæ, ſed voluntariè pertinaciter dubitans, vel opinans circa myſteria reuelata non adhæret firmiter, & ſimpliciter fidei catholicæ., ergo non eſt fidelis, & ideo fides non eſt compoſſibilis cum dubietate, & opinione circa idem obiectum formale. Ma. patet *ex c. Firmiter, & aliis vbiſ., & ex ſymb. Athanaſ.* Prob. mi. Opinans adhæret ex parte fidei catholicæ, & ex alia parte formidat, & titubat, & ideo non adhæret firmiter, & ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundùm quid: & dubitans ſuſpendit ſimpliciter aſſenſum, ergo idem. 2. Eadem pœna ſupponit eandem culpam, quia pœna menſuratur cũ culpa, ſed hæretici, & pertinaciter dubitantes in fide puniuntur eadem pœna, quia utrique coguntur abiurare: ergo idem.

9 Prob 4. Implicat, quòd plures habitus recepti in eodem ſubiecto uerſentur circa idem obiectum formale, ſed fides, opinio, & dubietas ſunt plures habitus recepti in intellectu: ergo idem. Prob. ma. Illi plures habitus non differrent numero, quia duo accidentia numero diuerſa nequeũt ſimul eſſe in eodem ſubiecto. Neque ſpecie, quia eſſet unum, & idem ſpecificatiuum formale, eſſent enim de eodem obiecto formali. Mi. patet, nam ſi fides, opinio, & dubietas eſſent unus habitus, ſequeretur, quòd idem habitus eſſet certus, & incertus, ſimpliciter adhæſiuus, & non ſimpliciter adhæſiuus, quod repugnat.

10 Prob. 5. Duo habitus, quorum unus habet annexam priuationem alterius, nequeunt eſſe ſimul, aliter ſimul eſſet forma, & priuatio, ſed opinio habet annexam incertitudinem, quæ eſt priuatio certitudinis, quam eſſentialiter importat fides Diuina: ergo idem.

11 Item ſi fides poſſet ſtare cum actu dubietatis eo, quia actus non pugnat cum habitu, poſſet etiam actus infidelitatis circa unum articulum ſtare ſimul cum habitu fidei circa alios, ſed conſ. eſt contra illud *Iac. 2. Qui autem offenderit in uno, factus eſt omnium reus*: ergo & ant.

12 Tandem Beatiſs. P. *lib.7. Conf. c.10. Clamaſti de longinquo, imò verò: Ego ſum, qui ſum. Et audiui, ſicut auditur in corde, & non erat prorſus, vnde dubitarem, faciliúſque dubitarem viuere me*. Si autem dubium eſſet compoſſibile cum fide, locus dubitandi non eſſet *prorſus* ablatus. Ex quo ſic. Minùs certa eſt cognitio, qua quis noſcit ſe uiuere, quàm illa, qua credit Deo reuelanti, quia illa innititur lumini creato, & ſenſui, cui non repugnat falli, falſitas enim non repugnat creaturæ: hæc uerò innititur lumini Diuino, & Deo, cui repugnat falli: ſed dubium, & formido ſunt ſimpliciter incompoſſibiles cum cognitione, qua quis noſcit ſe uiuere, ſolus enim fatuus fatuè dubitaret, & formidaret ſe actu uiuere, dubitando enim manifeſtè oſtenderet ſe uiuere, cùm ſolus uiuens poſſit dubitare, dubitatio enim eſt operatio intellectus, in qua conſiſtit formaliter uita in actu ſecundo: ergo dubium multò magis eſt incompoſſibile cum fide Diuina.

13 Obijc. 1. *Ripalda Marc 9.* habetur: *Credo, Domine, adiuua incredulitatem meam*: quibus uerbis demonſtratur credere eſſe ſimul cum incredulitate: & ideo *D. Greg. lib.12. mor. c.14.* ait: *Ipſa enim fides in exordiis ſuis nutat, & ſolida eſt, & iam certiſſimè habetur, & tamen de eius fiducia adhuc ſub dubitatione trepidatur*: *& D. Proſper lib. 2. de Voc. gent. c.11.*, *& Beda ſuper eundem locum*: *Vno, eodemque tempore is, qui nedum perfectè crediderat, ſimul & credebat, & incredulus erat*; ergo non pugnat fides Diuina cum opinione, & dubietate. 2. Fides componitur phyſicè cum actuali formidine,

& du-

Digitized by Google

& dubietate obiecti irrrepente inaduertenter, & inculpabiliter; non enim per motum primò primū contra fidem ſurgentem amittitur fides; ergo non pugnat cum illa. 3. Fideles, qui quotidie anguntur ſcropulis circa myſteria fidei, dubitant, & formidant, & tamen fidem non amittunt, ergo idem. 4. Obſcuritas, & ineuidentia phyſica poteſt ſimul ſtare cum formidine, & dubietate, quia ſola euidentia obiecti poteſt cogere intellectum ad aſſenſum, & ideo opinio, quia obſcura, & incuidens eſt, actum formidinis; & dubietatis admittit; quoties enim veritas manifeſta non eſt, naturale eſt intellectui dubitare, & formidare circa veritatem obiecti. Tum quia in hoc diſtinguitur cognitio euidens ab ineuidenti, quantumuis certa; quòd illa non admittit, hæc admittit formidinem; ergo idē.

Reſp. hæc omnia faciliter ſolui ex dictis; vera enim ſunt de dubitatione merè ſpeculatiua, non de practica, quæ includit affectum voluntatis, per quem dubitatio fit practica. Dubitatio autem merè ſpeculatiua non eſt de eodem obiecto formali, de quo eſt fides; quia obiectum formale fidei eſt veritas reuelata, vt firmiter credibilis; credere autem inuoluit pium affectum voluntatis; & ideo credibile eſt formaliter obiectum practicum; dubitatio autem ſpeculatiua habet pro obiecto eandem veritatem, non quidem, ut credibilem propter ſolam auctoritatem dicentis, ſed vt attingibilem per rationem; & ideo eius obiectum eſt formaliter diuerſum ab obiecto formali fidei. Ad 1. ergo dicitur, quòd fides, quæ eſt practica, ſtat ſimul cum dubitatione ſpeculatiua; & ſic intelliguntur *SS. DD.* relati. Item ſi ſic deberent intelligi prædictæ auctoritates, vt contendit *Ripalda*; ſequeretur actum infidelitatis circa vnum articulum poſſe eſſe ſimul cum habitu fidei circa eundē, vel circa alios; quod eſt falſum, vt diximus. Intelliguntur ergo de dubitatione merè ſpeculatiua, & de minori intenſione fidei, quæ eſt intenſior in vno, quàm in alio. Ad 2. diſt. ant. Fides componitur cum formidine, & dubietate ſpeculatiua, & inuoluntaria, conc; practica, & voluntaria, neg. Et ſic ad 3. dicitur, quòd fideles ſcrupuloſi dubitant merè ſpeculatiuè, non practicè. Ad 4. diſt. ant. Obſcuritas, & ineuidentia ſecundùm omnem rationem, ſcilicet ſecundùm motiua intrinſeca, & extrinſeca, conc; ſecundùm aliquam rationem tantùm, nempe ſecundùm principia intrinſeca, nō ſecundùm extrinſeca, neg. Quanuis autem fides habeat obſcuritatem quoad principia intrinſeca, habet tamen euidentiam credibilitatis extrinſecę; à qua ſumitur certitudo; *vt inf. art. 5. §. 2.* Vel diſt. Obſcuritas, quæ nititur lumini naturali, quod eſt fallibile, conc., quæ nititur lumini Diuino, quod eſt ſimpliciter infallibile, neg. Ad aliud dicitur, quòd naturale eſt intellectui dubitare, quoties obiectum eſt ſimpliciter obſcurum, & non eſt infallibile, ac certum, non autem quoties eſt infallibile, & ſaltem extrinſecè euidens. Ad vlt. dicitur, quòd cognitio euidens diſtinguitur ab ineuidenti, quia per illam intuitiuè videtur obiectum in ſe ipſo; per hanc abſtractiuè in ſigno: vtraque tamen poteſt eſſe ita certa, vt excludat omnem formidinem, vt dictum eſt.

14 Inſt. Dubium ſpeculatiuum poteſt ſtare ſimul cum fide, ergo & practicum.

Reſp. neg. conſ. Diſparitas eſt, quia dubiū ſpeculatiuum, & fides, quæ eſt practica, ſunt reſpectu diuerſorum obiectorum formalium, vt diximus, & ideo nulla eſt inter hos habitus repugnantia. At verò dubium practicum, & fides ſunt de eodem obiecto formali, & ideo pugnant inter ſe.

15 Obijc. 2. Repugnantia debet eſſe de eodē ſecundùm idem, ſed fides, & opinio per diuerſa media non eſſent ſecundùm idem, quia non eſſent ſecundùm idem medium; ergo non repugnant inter ſe. 2. Poſſumus per medium neceſſarium probare concluſionem phyſicam v.g., & per medium probabile eandem probare probabiliter, ergo idem.

Reſp., quòd vel illa media reducuntur ad idem obiectum formale, ratione cuius ſpectant ad eandem ſcientiam, vel non? Si primum, ergo quanuis non eſſet repugnantia ex parte mediorū, quia eſſent diuerſa, eſſet tamen repugnantia ex parte vnius, & eiuſdem rationis formalis obiectiuæ, quæ in vno medio eſſet certa, & in alio eſſet incerta, ſicut quanuis *Petrus, & Paulus* ſint diuerſi numero inter ſe, attamen ratio formalis ſpecificatiua *Pauli* nequit eſſe irrationabilitas, & *Petri* rationalitas, implicat enim, quòd una, & eadem ratio ſit rationalitas, & irrationalitas. Certitudo autem, & incertitudo eodem modo opponuntur, ſicut rationalitas, & irrationalitas, ut patet ex terminis, & ideo idem dicendum in caſu, quòd ſcilicet diuerſa media ſe habent tantùm de materiali, non de formali, formaliter enim eſt una tantùm ratio formalis ſpecifica omnium mediorum, aliter ſi illa media haberent diuerſas rationes formales ſpecificas, ſpectarent ad ſcientias ſpecie diuerſas, quia ſpecificarentur à diuerſis rationibus formalibus obiectiuis. Si ſecundum: ergo fides, & opinio nequeunt eſſe de eodem obiecto formali. Ad 2. diſt. conſ. Scientia, & opinio de eodem obiecto formali poſſunt eſſe ſimul, neg. de eodem obiecto materiali formaliter tamen diuerſo, conc.

16 Quęres 1. an aſſenſus fidei excludat formidinem tantùm ratione imperii uoluntatis, uel ratione firmæ adhæſionis ipſius intellectus?

Reſp. excludere formidinem ex parte uoluntatis, & intellectus: quia fides eſt habitus practicus, & ideo importat actum intellectus, & uoluntatis, per quam intellectus fit practicus. Tum quia uerum, quòd proponitur intellectui abſque ulla falſitate, cogit intellectum ad aſſentiendum abſque ulla formidine: & bonum, quod proponitur uoluntati ſine ulla malitia, trahit uoluntatem ad conſenſum ſine ullo timore: ergo formido excluditur ab utraque.

17 Dices *cum Ripalda*. *SS.* PP. non adſcribūt aſſenſui fidei excluſionem formidinis, niſi ratione imperii uoluntatis: nam *D. Hier. ep. 61. ad Pamach.* c. 3.

c.3. refert adhæſionem fidei in ardorem charitatis.

Reſp. neg. ant; nam *D.Paul.vbiſ.* docet: *Scio, cui credidi, & certus ſum*; quibus verbis certitudinem refert in ſcientiam, quæ ſpectat ad intellectum; *& ad Gal.c.1. Scio, quia neque mors, neque vita &c.*, vbi refert firmitatem fidei in ardorem charitatis, & ideo habetur ab vtraque. Igitur quando *SS. PP.* referunt firmitatem fidei in actum voluntatis, non excludunt actum intellectus. Imò apertè illam referunt etiam in actum intellectus, cùm docent fidei non poſſe falſum ſubeſſe, quia Deus, cùm ſit ſummè verax, mentiri non poteſt; vt patet *ex ſuperiùs* dictis; veritas autem ſpectat ad intellectum; vt conſtat.

18 Quæres 2. in quo conſiſtat pertinacia?

Reſp. pertinaciam eſſe, qua quis determinatè, idèſt ſciens, & volens ſentit aliquod, cuius contrarium eſt determinatum ab Eccleſia. *Vid. Caren. vbiſ.* §.2.

ART. V.

An fides ita ſit obſcura, vt nequeat eſſe ſimul cum ſcientia?

1 Dictum eſt veritatem, & certitudinem ita eſſe eſſentialem fidei Diuinæ, vt nequeat ſtare ſimul cum falſitate, & incertitudine. Nunc videndum eſt; an idem dicendum ſit de obſcuritate, an poſſit ſtare ſimul cum ſcientia, quæ claritatem importat? Quoniam autem de ſcientia beatorum, quæ eſt viſio Dei iam locuti ſumus *to. 1.q.4. proem.art.2.*; reſtringitur difficultas ad ſcientiam naturalem; & procedit de eodem obiecto formali; nam de eodem obiecto materiali formaliter diuerſo nullum eſt dubium, vt diximus *in ſup.art.*

2 Supponimus autem *contra Manichæos* aſſerentes omnia myſteria fidei poſſe rationibus naturalibus euidenter demonſtrari (*teſte Beatiſſ.* P. *de vtilit. credendi c.1.*, *& ſæpe alibi*, qui deſiderio ſciendi, quod tantùm credi poteſt, illis nouem annos adhæſit, donec vanitatem huius promiſſionis agnouit) ſupponimus, inquam, quòd fides obſcuritatem importat, Colligitur ex eius definitione tradita *Hebr.11.* qua dicitur: *Argumentum non apparentium*; non apparentia autem, & obſcuritas, ſeu ineuidentia idem eſt: quia quod non apparet, obſcurum eſt, & non videtur; & è contra. Item *1. Cor.13. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate*; nec officit illud verbum *Videmus*, quod uidetur importare euidentiam; non officit, inquam; nam per uerba ſequentia *per ſpeculum in ænigmate* indicatur obſcuritas, & ineuidentia; & ideo ſumitur *Videmus* eo modo, quo uidentur tenebræ, uel aliquod exiſtens in tenebris. Item *1.Pet.1. In quem nunc quoque non videntes creditis*; non uidere autem ineuidentiam importat, & *2.Petr.1. Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco.*, quapropter *Beatiſs.P.tract.40. in Io.*, *& ſæpe alibi* definiens fidem ait: *eſt credere, quod non vides*. Et ratio eſt. Fides eſt habitus aſſentiens Diuinis myſteriis, quatenus reuelatis à Deo propter auctoritatem dicentis; conſtat autem Deum non reuelare nobis in uia euidenter, & intuitiuè; aliter non aſſentiremur ex ui auctoritatis dicentis, ſed ex ui euidentiæ, & ſic non eſſet fides, ſed ſcientia, ideo reuelat tantùm obſcurè, & inæuidenter; & conſequenter obſcuritas eſt de ratione fidei. Hoc communiter fatentur *catholici*.

3 Diſſident ſolùm in explicando, quomodò obſcuritas ſpectet ad fidem *aliqui* enim putant eſſe tantùm conditionem concomitantem obiectum formale fidei pro ſtatu uiæ. *Ita Dur.in.3.diſt. 24. q.1. Palud.ibid., & Aureol. apud Capr.diſt.25. q.1.art.2.* *Alij* volũt non conuenire obiecto fidei ut creditum, ut *quod*; & ideo non ſpectare ad obiectum materiale fidei; neque eſſe rationem formalem motiuam ad credendum, obſcuritas enim obiecti motiui non mouet, ſed potiùs retardat ad aſſenſum, quia potiùs impedit, quàm cauſet cognitionem; & ideo eſſe tantùm modum neceſſarium, & intrinſecum obiecti formalis fidei, ſicut euidentia eſt tantùm conditio in obiecto formali ſcientię. Tum quia certum eſt obiectum formale fidei debere eſſe ineuidens, ſed ineuidentia non eſt obiectum materiale, aut formale fidei: ergo remanet, quòd ſit conditio, *ſine qua non*; uel modus neceſſarius ſe tenens ex parte obiecti formalis. *Ita noſter* Gibb., qui teſtatur hanc eſſe communem ſententiam.

4 Nos *cum Fund.Doct.*, *& aliis inf.*; cùm de obiecto fidei agemus, dicimus obſcuritatem eſſe rationem differentialem extraneam accidentaliter ſuperadditam obiecto formali, quod eſt Deus ſub ratione glorificatoris, quæ ratio differentialis extranea eſt formaliter ſpecificatiua fidei, cùm enim fides habeat modum habitus ſubalternati, vt diximus *to.1.q.3. proem art.2.*, *&* 8., ideo obſcuritas eſſentialiter ſpectat ad fidem. Quando autem dicitur, quod creditum, *ut quod*, non eſt ipſa obſcuritas, verum eſt, quia creditum, *ut quod*, eſt ipſa res obſcurè reuelata. Cùm ſubditur, quòd obſcuritas non eſt ratio motiua formalis ſpecificatiua communis fidei, & viſioni beatæ, cui ſimilitudinariè ſubalternatur, verum pariter eſt; non tamen ſequitur, quòd non ſit ratio formalis conſtitutiua, & diſtinctiua fidei a viſione beata; & quauis obſcuritas impediat cognitionem claram, cauſat tamen cognitionem obſcuram, quia licèt obſcuritas ſecundùm ſe non cauſet cognitionem, attamen illam cauſat in nobis Deus, vt obſcurè reuelans: ſicut licèt viſualitas ſecundùm ſe non cauſet actum perſpectiuæ; attamen illum cauſat linea, ut viſualis. In tantùm ergo non cauſat, in quantùm eſt differentia accidentalis extranea ſuperaddita rationi formali, quæ ſimul cum illa cauſat cognitionem, vt patet de omni habitu ſubalternato. Ad id de euidentia, quæ non dicitur conſtitutiua ſcientiæ, aſſignatur diſparitas, nam ſcientia non eſt ſubalternata, & ideo nequit conſtitui per rationem differentialem extraneam. Ad vlt. dicitur ineuidentiam eſſe differẽtiam extraneam, non obiectum materiale, vel formale.

5 Pri-

5 Prima ſententia vult nedum habitum fidei poſſe ſimul eſſe cum habitu ſcientiæ, ſed etiã actũ illius cum actu iſtius; imò nedum per diuerſa media, ſed etiam per idem medium. Tandem eundem actum fidei poſſe eſſe euidentem. *Ita Ripalda hic diſp.12.*, Alen; Albert; *Altiſiodor; Val; Ariag.,& alij*, apud *eundem Ripaldam vbiſ.*

9 Secuoda vult habitum, & actum fidei poſſe componi cum habitu,& actu ſcientiæ abſtractiuæ, non intuitiuæ; noo enim ſola cognitio intuitiua, ſed etiam abſtractiua euidens eſt;quia nedum euidenter cognoſco *Petrum*, cùm illum intueor in ſe ipſo, ſed etiam cùm illum video in ſpeculo. *Ita Sua; Vaſq., Coninch., Gran., Hurt; Lug.*, apud quẽ *alij*. *Ripalda* idem ſentit; propterea negat fidem poſſe coniungi cum viſiooe beata.

7 Tertia vult habitus tantùm, non actus poſſe coexiſtere. *Ita Aranius, & Turrian. apud Gonet.*

8 Quarta vult, quod licèt habitus fidei nequeat componi cum habitu ſcientiæ; & actus cum actu; attamen habitus fidei poteſt componi cum actu ſcientiæ; & ideo cum viſione beata *Ita communiter Thomiſta Recentes: noſter* Gibb. *hic diſp. 4. dub.1., & 3.*

9 Noſtra tandem docet omnino repugnare compoſitionem fidei cum ſcientia ſiue ſecundùm habitus, ſiue ſecundùm actus, ſiue ſecundùm habitum, & actum. *Ita Fund. Doct. in 3. diſt.1. p.2. q.1. art.3. §. Tertia via* docens: *Si Fides eſſet de ijs, quæ ſufficienter apparent in lumine rationis noſtra, iam non eſſet fides, quia eſt de non ſic apparentibus, & in Opuſc. in Ep. ad Rom. c.8. lect.26. § Adducit tertiam rationem* ait: quòd *ipſum non apparere fidei facit ad meritum, quia fides non habet meritum, vbi humana ratio prabet experimentum, & Quodl.2.q.3., & in 2. Sent. diſt.29. q. 1. art.3., & ſæpe alibi.*, vbi docet fidem non manere in patria; quia eius obſcuritas nequit coniungi cum claritate. Sequitur *Capr in 3 diſt. 25. art.3., Fonſ., Philipp. à SS. Trin., & alij.*

10 Not., quòd hæc quoque difficultas procedit de eodem obiecto formali; nam qnòd circa idem obiectum materiale poſſit ſimul eſſe ſcientia & fides, manifeſtum eſt; & patet ex dictis *in ſup. art.*

11 Vnica concl. Fides eſt adeo eſſentialiter obſcura, vt repugnet ſimul eſſe cum habitu, vel actu ſcientiæ circa idem obiectum formale.

Prob.1. ex definitione tradita *ab Apoſt*; in qua dicitur *argumentum non apparentium*: per quas particulas fides diſtinguitur formaliter à viſione beata; diſtinctiuum autem formale eſt conſtitutiuum eſſentiale, quia eſt differentia eſſentialis. Arguitur autem ſic. Conſtitutiuum eſſentiale fidei eſt ſimpliciter incompoſſibile cum euidentia, & claritate, quæ eſt eſſentialis habitui, vel actui ſcientiæ, ſed obſcuritas eſt conſtitutiuum formale fidei; ergo eſt fidei ita eſſentialis, vt ſit ſimpliciter incompoſſibilis cum euidentia, & claritate, quæ eſt eſſentialis habitui, vel actui ſcientiæ. Prob. ma. Obſcuritas, & ineuidentia eſt ſimpliciter incompoſſibilis cum claritate, & euidentia; nam ei priuatiuè opponitur; ſunt enim teuebræ, & lux: ſed conſtitutiuum formale fidei eſt obſcuritas, & ineuidentia; ergo conſtitutiuum eſſentiale fidei eſt ſimpliciter incompoſſibile cum euidentia, & claritate, quæ eſt eſſentialis habitui, vèl actui ſcientiæ, & ideo fides eſt ſimpliciter incompoſſibilis cũ habitu, vel actu ſcientiæ. Prob. vtraq. mi. Illud eſt conſtitutiuum formale fidei, per quod differt eſſentialiter à viſione beata, quæ illi ſuccedit, ſed obſcuritas eſt huiuſmodi docente *Apoſt. 1. Cor. 13. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, & pſ.47. ſicut audiuimus, ſic vidimus*., ergo obſcuritas eſt conſtitutiuum formale fidei.

12 Conf.1. ex *Beatiſs. P. 15. de Trini c. 19.* ſuper *textum* mox allatũ docente: *Ænigma eſt a deo obſcura rei ſimilitudo, vt deſinat eſſe ænigma, quando aliqua ex parte clareſcit*. Ex quo ſit. Nulla eſt manifeſtior repugnantia, quàm ſimul eſſe umbrã, & lucem: obſcuritatem, & claritatem: euidentiam, & ineuidentiam: ſunt enim priuatio, & forma, eſſe, & nooeſſe: ſed fides eſſentialiter importat vmbram, obſcuritatem, & ineuidentiam, quia eſſentialiter eſt ænigmatica, vt docet *Apoſt., & omnes SS. DD.*, ſcientia verò ſiue habitualis, ſiue actualis importat lucem, claritatem, & euidentiam: ergo repugnat fidem ſimul eſſe cum ſcientia.

13 Conf.2. Implicat aliquod obiectum ſecũdùm eandem rationem formalem eſſe ſimul viſũ, & non viſum, apparens, & non apparens: ſed fides eſsentialiter eſt de obiecto non viſo: & ſcientia eſt de obiecto viſo: ergo implicat ſimul eſse fidem cum ſcientia: quotieſcunque enim duo ſpecificatiua nequeunt eſse ſimul, idem dicitur de eorum ſpecificatis: vt quia rationalitas, & irrationalitas nequeunt ſimul eſse, ideo implicat, quòd homo ſimul ſit rationalis, & irrationalis: ergo à pari.

14 Prob.2. *Beatiſs. P. Aug. tract.79. in Io., & ex illo D. Greg. hom.26. in Euang., & alij SS. PP. communiter* explicantes illud *Io. 20. Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti*, quærunt, quomodo potuit videre, quod credebar, cùm fides ſit de non viſis, & reſpondent *Apoſtolum* aliud vidiſse, & aliud credidiſse, ideoque non implicare fidem, & ſcientiam reſpectu diuerſorum eſse ſimul: *Non hoc credidit* (inquit *Beatiſs. P.*) *quod vidit*, *ſed aliud vidit, aliud credidit, vidit enim hominem, credidit Deum: cernebat quippe, atque tangebat carnem viuentem, quam viderat morientem, & credebat Deum in carne ipſa latentem*: ergo *SS. PP.* apertè docent implicare ſimul eſse fidem, & ſcientiam reſpectu eiuſdem.

15 Dices *SS. Patres* intelligendos eſse, quòd actus fidei nequit ſimul eſse cum actu ſcientiæ, nõ verò de habitu.

Reſp. *SS. Patres* manifeſtè docere, quòd actus viſionis habuit obiectum formale diuerſum ab obiecto formali fidei; ergo manifeſte docent de eodem obiecto formali non poſse eſse actum fidei, & ſcientiæ, & per conſequens neque habitus

tus, qui eſſentialiter ſpecificantur ab actibus.

16 Inſt. ſufficere diuerſitatem medii, ſeu motiuis, quia fides eſt propter auctoritatem dicentis, & ſcientia propter veritatem euidenter notam.

Reſp. ſolutum fuiſſe *in ſup. art.*, nam licèt eſſet diuerſum motiuum, eſſet tamen idem obiectum formale, cui repugnat eſſe ſimul apparens,& non apparens, vt docent *SS.PP.* qui propterea recurrunt ad diuerſitatem obiectorum.

17 Prob. 3. *ad hominem* cont.4. ſent.Habitus fidei,& habitus ſcientiæ nequeunt eſſe ſimul,quia formæ elicitiuæ actuum priuatiuè oppoſitorum ſunt ſimpliciter incompoſſibiles, vt patet de gratia, & peccato habituali: ergo neque habitus fidei poteſt ſimul eſſe cum actu ſcientiæ. Ant. eſt doctrina *Aduerſariorum*, vt videri poteſt *apud noſtrum* Gibb. *in hac diſp*.4.*dub*.2. §.2.*n*.8.Prob.conſ. Duo habitus elicitiui actuum priuatiuè oppoſitorum nedum ſunt incompoſſibiles inter ſe,ſed etiã vnus illorũ eſt incompoſsibilis cum actu alterius, vt habitus gratiæ (quod eſt exemplum *Aduerſariorum*) nedum eſt incompoſsibilis cum peccato habituali, ſed etiam cum peccato actuali mortali: & ratio eſt, In tantùm illi duo habitus ſunt incompoſsibiles, in quantùm actus priuatiuè oppoſiti, vt potè ſpecificatiui habituum, transfundunt in ipſos habitus priuationem, & per conſ.oppoſitionem priuatiuam, per quam redduntur incompoſsibiles: ſed etiam actus oppoſitus habet annexam eandem priuationem, nam habitus fidei habet annexam inceuidentiam, quæ eſt priuatio claritatis, quam importat actus ſcientiæ: ergo habitus fidei eſt etiam incompoſsibilis cum actu ſcientiæ. Tum quia eodem modo eſt incompoſsibilis cum forma frigiditatis forma caloris, ac ipſe actus calefactionis: ergo eadem ratio eſt de forma, & actu.

18 Prob 5. Cognoſcibile per cauſam, & reuelatum credibile ex vi ſolius auctoritatis dicentis ſunt formaliter diuerſa: ſed ſcientia habet eſſentialiter pro obiecto formali cognoſcibile per cauſam, & fides reuelatum &c., ergo ſcientia, & fides eſſentialiter ſunt de diuerſis obiectis formalibus, & ideo de eodem obiecto formali nequit eſſe ſimul ſcientia, & fides.

19 Prob.5. Idem nequit eſſe ſpecificatiuum auditus, & viſus, vt conſtat: ſed fides eſt *ex auditu*, & ſcientia ex *viſu*: ergo idem nequit eſſe obiectum formale ſpecificatiuum fidei & ſcientiæ,& actuum ipſarum; & ideo nequit habitus fidei, & actus ſcientiæ dari erga idem obiectum formale, quod eſt ſpecificatiuum. *Vid. alia rationes in ſup. art*; *& de habit. art.* 2., vbi oſtendimus habitum nihil aliud eſſe, quàm actum radicatum, & perſeuerantem in ſubiecto; repugnantia autem habitus fidei cum habitu ſcientiæ non ſumitur ex radicatione, vel non radicatione ſcientiæ, ſed ex claritate, quæ opponitur obſcuritati; vnde cùm in actu ſcientiæ eſſentialiter reperiatur claritas,ſecus non eſſet ſcientia, ideo eadem eſt repugnantia inter habitum fidei, & actum ſcientiæ, quæ eſt inter habitum, & habitum.

20 Obiic. 1. *D.Paulus* raptus ad tertium Cœlum vidit Deum clarè, nec tamen fidei habitum amiſit; vt docet *D.Tho.* 2.2. *q.*175. *art.* 3. *ad* 3., quamuis ſimul non habuerit actum fidei; aliter amiſiſſet fidem, & non placuiſſet Deo; quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*; Hebr.11.,ergo ſaltè cum actu viſionis poteſt ſimul ſtare habitus fidei.

Reſp. neg.2. part.anti nam habitui fidei *D. Pauli* in raptu ſubrogatum eſt lumen gloriæ, & reuelatio clara,quæ eſt perfectior reuelatione obſcura, & actui fidei ſubrogatus eſt actus viſionis beatæ. Cùm autem ſubditur, quòd fidem amiſiſſet; diſt. Fidem amiſiſſet per acquiſitionem alicuius perfectionis eo modo, quo illam ammittũt beati, conc. per iacturam ſimplicem ipſius fidei, neg; & in hoc ſecundo ſenſu impoſſibile eſt placere Deo ſine fide, aliter Deo non placerent beati, nec Chriſtus Dominus, qui fidem non habuit ex confeſſione *Aduerſariorum*; quia tamen habuit perfectiorem, vt potè euidentem, cognitionem myſteriorum fidei, vt docet *Fund.Doct. in* 3.*diſt.* 23.*p.*1.*q.*1.*art.*1.*ad* 5. ideo maximè Deo placuit. *D. Tho.* autem poteſt explicari de habitu fidei, idèſt promptitudine, & diſpoſitione ad illum habendum, tranſeunte lumine claro, vt de facto illum habuit, quæ promptitudo non eſt incompoſſibilis cum fide.

21 Dices. Si *D.Paulus* non habuiſſet fidem in raptu, nec illam habuiſſet poſt raptum, nam qui ſemel vidit aliquod obiectum, non poteſt illud credere; ſed conſ. eſt falſum: ergo & ant.

Reſp. neg. ma. Ad prob. infert. diſt. Si retineat memoriam claram, euidentem, & diſtinctam illius obiecti, conc. Si tantùm obſcuram, confuſam, & ineuidentem, vt fuit in *D.Paulo* poſt raptum, neg.

22 Obiic. 2. Habitus fidei non contrariatur actui ſcientiæ; ergo poſſunt ſtare ſimul. Prob.ant. Habitus dicit ſolam inclinationem, ſeu facilitatẽ ad eliciendum actum, actus verò dicit actualẽ tẽdentiam; ſed cum actuali tendentia ſtat inclinatio in oppoſitum,vt in amãte ſtat inclinatio ad odiũ, & in lapide ſurſum proiecto ſtat inclinatio tendendi deorſum, & in peccatore habituato recenter conuerſo ſtat habitus vitii cum actu virtutis: item habens habitum intemperantiæ poteſt actu ieiunare: ergo non opponuntur.

Reſp. neg.ant. Ad prob. dicitur, quòd inclinatio, prout ſpectat ad præſens, triplex eſt, alia radicalis, & eſt inclinatio potentiæ in obiectum ſibi propoſitum, & hanc non eſſe habitum eſt manifeſtum. Alia eſt adueniens potentiæ ipſam facilitans ad actum, & hæc eſt habitus. Alia autem eſt quædam aſſuefactio membrorum ad tales actus. *Hoc ſupp.* diſt. mi. Cum actuali tendentia ſtat inclinatio radicalis in oppoſitum, quæ eſt in ipſa potentia, & non eſt habitus: vel quæ eſt aſſuefactio membrorum, conc; quæ eſt adueniens, & facilitans potentiam, neg. Sic in amante ſtat inclinatio in oppoſitum primo, & tertio, non ſecundo modo. Ad id de lapide dicitur, quòd motus ſurſum eſt ad terminum formaliter diuerſũ á termino

mino

mino motus deorſum, & ideo non implicat cauſari à virtute extrinſeca impellente in lapide habente grauitatem, quæ eſt forma inclinans deorſum, & ſic reſpectu obiecti formaliter diuerſi non implicat habitus fidei, & actus ſcientiæ. Tum quia motus ſurſum eſt motus ad locum, non ad formam, & ideo non eſt corruptiuus formæ inclinantis in oppoſitum terminum. At verò actus clarus eſt de ſe corruptiuus obſcuritatis, ſeu formæ eſſentialiter obſcuræ, quia comparatur ad illam, vt forma ad priuationem; ideo eſt incompoſſibilis cum habitu fidei. Ad recenter conuerſum iam dictum eſt *q.1.art.1.* non habere habitum vitij, ſed ſolam aſſuefactionem membrorum, quæ non eſt habitus. Ad ieiunium dicitur, quòd pro eo tunc, quo quis habet actum abſtinentiæ, ceſſat habitus intemperantiæ; attamen ſi talis actus non continuetur per multum tempus, vel non replicetur, ita tollitur ille habitus, vt ſtatim redeat ceſſante actu ieiunij. Sicut cùm calefit lignum viride, ſi ſtatim remoueatur ignis, ſtatim redit frigiditas; ita cùm quis intemperans actu ieiunat, ſi non replicet, vel continuet actum ieiunii, ablato ieiunio ſtatim redit habitus intemperantiæ. *Vid. de habit. art.2.*

23 Obiic.3. *Ripalda.* Actus confuſus, & clarus poſſunt ſtare ſimul, quia poſſumus cognoſcere in vniuerſali hominem eſſe animal, & poſtea in particulari eſſe rationalem; ergo actus fidei, qui eſt obſcurus, poteſt ſtare cum actu ſcientiæ, qui eſt clarus. 2. Amor neceſſarius, & liber fuerunt ſimul in Chriſto Domino, quia amore beatifico dilexit Deum, & amore libero procedente ex ſcientia infuſa dilexit creaturas; ergo à pari. 3. Poteſt Deus decernere viſionem beatam pro eodem inſtanti, quo illum amat ſuper omnia; ſed pro illo inſtanti, quo illum ſic amaret, cognoſceret illum per fidem; ergo ſimul haberet actum ſcientiæ, & fidei. 4. Poteſt Propheta credere fide Diuina, quæ illi Deus loquitur per cognitionem euidentem rei reuelatæ, aliter non haberet meritum fidei; ergo idem. 5. Idem obiectum eſſet euidens ſecundùm prædicata intrinſeca, & obſcurum ſecundùm principia extrinſeca; ergo nulla eſſet repugnantia, quia non eſſet ſecundùm idem. 6. Exiſtentia Dei *Hebr.11;* quæ euidenter ſcitur, proponitur credenda: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt;* ergo idem. 7. Angeli *ex D.Tho. q.5.art.1.* habuerunt fidem in via hominibus communem, per quam crediderunt exiſtentiam Dei, bonitatem, & cæt[illegible] attributa, quæ tamen euidenter cognoſcuntur ex creaturis; ergo idem. 8. Poteſt idem intellectus moueri ex duplici obiecto formali adæquato ſeorſim accepto, quia diſcipulus audiens duplex motiuum ſibi propoſitum à magiſtro poteſt per vtrunque vnico aſſenſu aſſentiri eidem concluſioni; ergo poteſt dari vnus, & idem actus circa obiectum euidens, & ineuidens, & ideo eſt fidei, & ſcientiæ.

Reſp. ad 1. neg. ant., quando enim cognoſcimus clarè hominem, ceſſat obſcuritas primæ cognitionis, ſicut aduenient e luce in aere ceſſant tenebræ. Ad 2. omiſſo ant. neg. conſ; nam dicti amores ſunt reſpectu diuerſorum obiectorum, quod concedimus etiam in caſu. Ad 3. neg. ant; implicat enim, quòd ſimul in eodem inſtanti habeat cognitionem per fidem, & per ſcientiam. Ad 4 neg. ant., ſicut enim *D. Paulus* in raptu vidit clarè, quæ poſtea propoſuit obſcurè credenda; ita dicendum de Propheta in hypotheſi; & ſic non haberet meritum fidei in videndo, & illud haberet in proponendo. Ad 5. dicitur, quòd obiectum ineuidens eſt idem Deus, vt obſcurè reuelans, & euidens, vt clarè reuelans; ergo eſſet idem cum oppoſitis rationibus, quæ repugnant coniungi in eodem obiecto, videmus enim, quòd tenebræ, & lux nequeunt in eodem aere vniri. Ad 6. dicitur *cum Fund.Doct.in 3.diſt.1.p.2.q.1.art.3.§.Tertia via* proponi *ab Apoſt.* credendam exiſtentiam Dei in tribus perſonis; quæ ratione naturali non cognoſcitur, *ibid.* enim ait fidem eſſe *de non apparentibus*, quod ſolùm intelligi poteſt de exiſtentia in tribus perſonis. Ad 7. eodem modo vnitas, bonitas, omnipotentia, iuſtitia in tribus ſuppoſitis proponitur credenda; ait enim *D. Athan. in ſymb. Omnipotens Pater, Omnipotens Filius &c;* quibus apertè monſtratur omnipotentiam, quæ creditur per fidem, eſſe, prout reperitur in tribus perſonis, & ſic de reliquis attributis. Vel dicitur loqui de exiſtentia quoad quid rei, non quoad quid nominis, per medium intraneum, non extraneum. *Vid. to.1.de ſubſt.Dei q.1.art.1., & 2.* Ad 8. diſt. ant. Idem intellectus poteſt moueri ex duplici motiuo per modum vnius, conc; per modum plurium, neg. *Vid.to.3.de Ang.q.4.art.7.*

24 Obiic.4. Formæ oppoſitæ tunc ſolùm ſe expellunt, quando ſunt in ſtatu perfecto, & permanenti, non autem quando ſunt in ſtatu imperfecto, & tranſeunti, vt patet de accidente ſpirituali, cui quanuis repugnet eſſe permanenter in ſubiecto corporeo, non implicat eſſe in illo tranſeunter, vt docet *D.Tho.3.p.q.62.art.4.* de virtute ſupernaturali productiua gratiæ, quam ait recipi in rebus ſacramentorum per modum qualitatis citò tranſeuntis, licèt in illis permanenter eſſe non poſſit; ſed habitus eſt quid permanens, & actus cito tranſit: ergo habitus fidei poteſt ſtare ſimul cum actu ſcientiæ, & è contra.

Reſp. neg. ma., nam claritas per modum permanentis nequit ſtare ſimul in aere cum luce per modum tranſeuntis, quanuis enim deſinente luce redeat ſtatim obſcuritas, attamen pro eodem inſtanti, quo aer eſt illuminatus, nullus diceret aerem eſſe ſimul obſcurum, & clarum. Ad prob. inſert. dicitur materiale, & ſupernaturale non opponi priuatiuè, ſed diſparatè ſe habere, ideo non repugnat eſſe ſimul, claritas autem, & obſcuritas priuatiuè opponuntur, ideo eſſe ſimul incompoſſibiles. *Sed de hoc ſuo loco.*

25 Obiic. 5. Duo lumina, quorum vnum ſit maius alio, poſſunt ſtare ſimul, ſed ſcientia, & fides ſunt duo lumina intellectus, ergo idem.

2. Quæ opponũtur contrariè, poſſunt de potentia abſoluta ſimul eſſe; ſed fides, & ſcientia ſunt huiuſmodi, ſunt enim duo entia poſitiua; ergo idem.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Duo lumina, quorum vnum formaliter conſtituatur per obſcuritatem, & aliud per claritatem, neg; ſic enim obſcuritas, & claritas poſſent ſimul eſſe, quod nullus diceret, niſi qui priuationem, ſiue non eſſe ſimul cum eſſe coniungeret. Duo lumina conuenientia in claritate, vt candela, & Sol, conc. Ad 2. dicitur, quòd contraria ſunt duplicis generis, vt diximus *de Pecc. q.1. art.1. n.21.*, alia enim conſtituuntur per diuerſam formam poſitiuam, quarum vna expellit aliam, vt ignis, & aqua; alia verò conſtituuntur per formam poſitiuam, & priuationem ipſius formæ, vt cœcum eſſe, & videntem eſſe. Diſt. igitur ma. Contraria primo modo, tranſeat; ſecundo modo, neg; ſcientia autem, & fides ſolùm ſecundo modo contrariantur, ideo non poſſunt ſimul eſſe.

26 Obijc.5. Quando *philoſophus Ethnicus* fit catholicus, debet credere Deum eſſe, vt docet *Apoſt.*, *& Trid.*, ſed per actum fidei non amittit ſcientiam, qua priùs euidenter cognoſcebat Deũ eſſe; ergo idem.

Reſp. ad hoc arg., quod *Gonet* vocat adeo difficile, patere reſponſionem ex dictis; nam philoſophus veniens ad fidem debet credere Deum eſſe vnum in tribus perſonis; debet enim credere myſterium Trinitatis, cuius cognitio eſt neceſſaria ad ſalutem; vt dicitur *in Symb. D. Athan.*, antea autem hoc neſciebat. Præterea fides eſt de Deo, vt eſt ſupernaturalis, quia eſt de eo, vt eſt Auctor gratiæ; exiſtentia autem Dei non eſt ſupernaturalis, niſi vt eſt in tribus perſonis, hoc nanque ſuperat naturam; ergo debet credere Deum eſſe in tribus. Per hoc autem non deſtruitur cognitio naturalis, quam habebat de Deo, vt eſt Auctor naturæ per medium extraneum, ſcilicet per exiſtentiam creaturarum, ideo hæc cognitio, & actus fidei ſunt de eodem obiecto materiali, non formali.

27 Obijc.6. Habitus ſcientiæ, & opinionis poſſunt ſtare ſimul, quamuis vnus ſit certus, alter incertus, quia per diuerſa media procedunt; ergo à pari.

Reſp. diſt. ant. Poſſunt ſtare ſimul de eodem obiecto formali, neg; implicat enim, quòd idem ſpecificet plures res diuerſi generis, & ſpeciei; materiali, conc. Ad diuerſa media diximus *ſuprà*.

§. I.

An euidentia atteſtationis poſſit ſtare ſimul cum fide?

28 SVpponitur *cont. Ban.* poſſe dari in hac vita euidentem cognitionem, qua manifeſtè cognoſcatur Deum loqui, reuelare, & atteſtari creaturæ aliquam veritatem ſupernaturalem credendam per fidem, quia dari poſſunt motiua euidentia credibilitatis fidei Diuinæ, vt *inferiùs* dicemus.

29 Prima ſententia vult, quòd licèt euidentia Diuinæ atteſtationis poſſit ſe ſola præciſa omni alia cognitione euidenti ſtare ſimul cum fide; attamen ſuppoſitis aliis duabus cognitionibus euidentibus, nempe quòd Deus fallere, aut falli non poſſit; & quòd determinatè cognoſcatur ſenſus, in quo loquitur Deus, nequit ſimul eſſe cum fide. *Ita Dur. in 3. diſt.33. q.9. n.12.*, *Ban.*, *Vict. apud Arrag.*, *Sua. hic diſp.3. ſect.8.*, *Med.3. p. q.7. ad 3.*, *Lug. hic diſp.2. ſect.1.*, & probabilem cenſet *Io. à S. Tho. apud noſtrum Gibb.*, qui illos ſequitur *hic diſp.4. dub.4. §.2.*

30 Noſtra tamen docet euidentiam atteſtationis etiam coniunctam cum cognitione euidenti, quòd Deus nequit fallere, aut falli, & cum clara notitia ſenſus, in quo loquitur Deus, cùm reuelat, eſſe ſimul cum fide. *Ita Fund. Doct. inf.*, vbi *cum Phil.* docet in diſcipulo eſſe fidem, licèt atteſtationem magiſtri euidenter cognoſcat, eiuſque veracitatem, ſcientiamq; pro certo habent. Ita etiam *Caiet. hic q.5. art.1.*, *Ferr. 3. cont. Gent. c.40.*, *Vaſq. 1. p. diſp.134. c.3*, *Turrian.*, *Gonet*, *Phil. à SS. Trin*; *pro cuius reſol.*

30 Not. *ex Beatiſs. P. Aug. lib.12. de Gen. ad lit. c.6.*, quòd viſio ſpiritualis, à qua dicitur euidentia, de qua *hic* eſt ſermo, duplex eſt; ſcilicet viſio rei immediatè in ſe ipſa; & in ſua ſpecie, ſeu imagine ipſam repræſentante; ſi enim res ſit præſens, videtur in ſe ipſa, & in propria forma; ſin autem abſens, videtur in propria ſpecie, ſeu imagine. Verba *Sanctiſs. Doctoris* ſunt: *Præſentia videntur in ſuis formis, & abſentia cogitantur imaginibus animo impreſſis*. Præter hæc duo genera viſionum aſſignat tertium genus, quod *eas res continet, quæ non habent imagines ſui ſimiles, quæ nõ ſunt, quòd ipſa*. Hæc doctrina colligi poteſt ex viſione corporali, a qua tranſlatum eſt ad intellectionem hoc nomen *viſionis*. Poſſumus nanque videre hominem in ſe ipſo, hocèſt in propria forma, ſeu facie, & poſſumus eum videre in ſpeculo continente imaginem, & ſpeciem hominis; & poſſumus videre veſtigium hominis impreſſum in puluere neceſſariò, & infallibiliter ducens in cognitionem hominis, tanquam ſignum à ſolo homine cauſatum. Sicut autem videns hominem in ſe ipſo, vel in ſpeculo propriè dicitur videre faciem hominis vel in ſe ipſo, vel in ſua imagine, videns autem veſtigium hominis propriè non dicitur videre faciem hominis, quamuis videat aliquod ſignum infallibiliter ducens in cognitionem hominis. Ita dicendum eſt de viſione intellectuali, quòd videns clarè rem in ſe ipſa, vel in ſua ſpecie clarè repræſentante ipſam rem dicitur propriè illam videre, ſeu euidentiam illius tenere; videns autem ſolùm ſignum, quantumuis infallibiliter ducens in cognitionem illius, non dicitur propriè illã videre, ſeu euidẽtiã illius habere. Itaque cum locutio Dei externa non ſit ipſe Deus,

ſeu

ſeu myſterium ipſum reuelatum; neque ſit imago, aut ſpecies quiditatiua repræſentans Deum, aut myſterium; ſed ſit purum ſignum ducens infallibiliter in cognitionem illius, ideo euidenter cognoſcens Dei locutionem, quamuis habeat annexas prædictas cognitiones, non dicitur habere euidentiam rei reuelatæ per illam locutionem, & deductæ per tales cognitiones, quia nec locutio, nec illæ cognitiones ſunt ipſa res reuelata, nec imagines quiditatiuè, & clarè illam repræſentantes, quod requiritur ad euidentiam, vt dictum eſt. *Hoc not.*

32 Vnica concl. Euidentia atteſtationis coniuncta cum cognitione euidenti, quòd *Deus nequit falli, aut fallere*; & cognitione euidenti, quod *ſenſus propoſitionis reuelatæ ſit determinatè talis*, poteſt cum ineuidentia coniungi.

Prob. 1. *ex Num. 23. Non eſt Deus, quaſi homo, vt mentiatur; nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non facit? Locutus eſt, & non implebit?* Ex quo ſic. Prophetæ cognouerunt euidenter locutionem Dei, veracitatem, & determinatum ſenſum locutionis, vt diximus *cum Beatiſſ. P. to. 1. p. 6. proem, art. 2. n. 2.*, & tamen non cognouerunt euidenter myſteria, quæ docuerunt populum; nam myſterium Trinitatis v.g., Incarnationis, prædeſtinationis &c. nequeunt euidenter cognoſci, niſi per lumen gloriæ; ergo euidentia atteſtationis etiam coniuncta cùm cognitione euidenti veracitatis Dei, & ſenſus determinati eſt compoſſibilis cum obſcuritate rei reuelatæ, & ideo cum habitu fidei.

33 Prob. 2. *ex Beatiſſ. P. vbi ſ.* Tunc res euidenter cognoſcitur, quando clarè videtur in ſe ipſa, vel in ſua ſpecie quiditatiuè, & clarè illam repræſentante; ſed locutio Dei externa nec eſt ipſa res reuelata, nec ſpecies quiditatiuè, & clarè illam repræſentans, vt patet; ergo non obſtante euidentia locutionis Dei, & ſupradictis cognitionibus adhuc res reuelata obſcurè cognoſcitur.

34 Conf. 1. *ad hominem.* Ideo *per Aduerſarios* euidenter cognoſcitur res reuelata, quia talis locutio ſuppoſitis prædictis cognitionibus annexis eſt ſignum infallibiliter ducens in cognitionem certam rei reuelatæ; ſed hoc potiùs concludit oppoſitum, quia veſtigium hominis ducit infallibiliter in cognitionem hominis, & tamen nullus diceret, quòd videns veſtigium videat hominem euidenter; ergo idem.

35 Conf. 2. *cum Fund. Doct.* Tunc affectus euidenter cognitus ducit in cognitionem euidentem ſuæ cauſæ, quando eſt vniuocus cum illa habens eadem prædicata eſſentialia, eſt enim ſimilis illi in ſpecie, & ideo poteſt repræſentare prædicata ſpecifica illius: ſed locutio Dei non eſt huiuſmodi, vt patet, quia nihil poteſt dari vniuocum Deo, & creaturis, vt diximus *to. 2. de Ineffab. Dei art. 4.*, ergo idem. Prob. ma. Effectus improportionatus non ducit in cognitionem, niſi confuſam, & obſcuram ſuæ cauſæ, vt oſtendimus *to. 1. de ſubſt. Dei q. 1. art. 1.*, ergo ſolùm quando eſt vniuocus, & proportionatus cum cauſa, poteſt ducere in cognitionem euidentem illius.

36 Conf. 3. Suppoſita fide cognoſcimus euidenter veſtigium Trinitatis in creatura, euidenter enim cognoſcimus omnia eſſe in numero, pondere, & menſura; imò euidenter cognoſcimus eius imaginem, quia cognoſcimus animam rationalem cum tribus potentijs ſpiritualibus, & tamen non cognoſcimus euidenter myſterium Trinitatis; ergo non omne ducens infallibiliter in cognitionē alterius, efficit, vt illud euidenter noſcatur.

37 Prob. 2. Sequeretur omnes Apoſtolos, qui vixerunt cum Chriſto Domino, poſt aduentum Spiritus Sancti in die Pentecoſtes fidem amiſiſſe; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. Mi. patet; nam fides non amittitur, niſi per viſionem beatam; vt dicitur *1. Cor. 3. Cùm venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt*; patet autem eos non habuiſſe viſionem beatam, ait enim *1. Io. 3. Videbimus eum, ſicuti eſt*; & hoc certum eſt apud omnes. Prob. mi. Apoſtoli cognouerunt locutionem Chriſti eſſe locutionem Dei, quia *Petrus* ex perſona omnium confeſſus eſt: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui*; & cognouerunt illuminationem externam, & internam factam in die Pentecoſtes eſſe locutionem Spiritus S., quia habuerunt ſcientiam infuſam, per quam illam potuerunt cognoſcere; tum quia cognouerunt nullam creaturam poſſe ſic illuminare, ſed per locutionem Chriſti, & Spiritus S. didicerunt omnia myſteria fidei; ergo fidem amiſiſſent.

38 Prob. 3. *cum Fund. Doct. loc. cit. to 1. q. 3. proem, art. 8.* Diſcipulus, quamuis certò ſciat magiſtrum eſſe veracem, & ei tradere determinatum ſenſum doctrinæ, & euidenter cognoſcat locutionem illius; attamen addiſcens habitum ſubalternatum non acquirit ſcientiam, ſed fidem; acquirit autem ſcientiam, quando acquirit ſcientiam ſubalternantem; non ob aliam rationem, niſi quia habitus ſubalternatus tendit ſolùm circa concluſiones; non autem circa principia, circa quæ ſolùm tendit ſcientia ſubalternans; & ideo acquirens habitum ſubalternatum non acquirit ſcientiam, cùm ſcientia *ſit cognitio rei per cauſam*, non quidem in cognoſcendo, aliter etiam habitus ſubalternatus eſſet ſcientia, cùm habeat ſuos diſcurſus, & ideo cauſas ſuarum concluſionum; *vid.* alias rationes allatas *to. 1. de ſubſt. Dei q. 1. art. 4* §. 1; ſed in eſſendo; ſed adhuc ſuppoſita euidentia atteſtationis coniuncta cum prædictis cognitionibus ignoratur cauſa myſterij in eſſendo; ergo idem.

39 Prob. 4. Solùm per lumen ſupernaturale clarum, & euidens euidenter oſtenditur res ſupernaturalis reuelata; ſed ſuppoſita euidentia atteſtationis, & dictarum cognitionum non habetur lumen ſupernaturale clarum, & euidens, ergo non oſtenditur euidenter res reuelata, & ideo creditur per fidem. Ma. eſt certa, quia lumen eſt principium *quo* viſionis cum illa commenſuratum; & ſicut in lumine obſcuro obſcurè videtur obiectum; ita videtur clarè in lumine claro, & ideo quia lumen fidei eſt obſcurum, myſteria fidei videntur obſcurè, quia autem lumen gloriæ eſt clarum, clarè videntur. Prob. mi.

Suppoſita euidentia atteſtationis non habetur lumen gloriæ, aliter haberetur viſio beata, & ſic non poſſet haberi euidentia atteſtationis extra viſionem beatam, cuius oppoſitum docent *Aduerſarij contra Ban.*, vt dictum eſt; ergo non habetur lumen ſupernaturale clarum, & euidens, nullum enim aliud lumen ſupernaturale clarum, & euidẽs datur præter lumen gloriæ, vt diximus *to. 1. q. 2. proem art.* 3. Tum quia vel videretur res reuelata per idem lumen, quo videretur ipſa locutio Dei, vel per aliud diuerſum? Non primum; quia locutio Dei per effectum naturalem ſecundùm entitatem videtur per lumen naturale, quo poteſt videri omnis entitas naturalis; per lumen autem naturale nequit videri res reuelata ſupernaturalis. Nec eſt neceſſe, quòd per idem lumen, quo quis videt locutionem, videat rem ſignificatam per illam; nam gentilis idiota videns catholicum diſcurrentem de rebus ſupernaturalibus videt quidẽ illius locutionem, non tamen ſignificatum illius; ergo res reuelata ſupernaturalis non videtur per idem lumen, quo videtur ipſa locutio. Non ſecundum; quia nullum aliud lumen clarum, & euidens datur præter lumen naturale, & lumẽ gloriæ, vt diximus *loc. cit.*, ergo non videretur per idem lumen, nec per diuerſum.

40 Tandem Angeli in via habuerunt fidem; vt *inf. cum Fund. Doct.*, *& D. Tho.*, ſed ſupremus Angelus euidenter cognouit ſe à Deo illuminatũ eſſe, quia non poterat illuminari ab inferiori; vt diximus *to. 3.*, & illuminatio eſt locutio, vt *ibid.* diximus; ergo clarè cognouit locutionem Dei, cũ qua tamen habuit fidem annexam.

41 Reſpondent *aliqui* quòd Angelus ſupremus poterat exiſtimare Deum ſibi occultare creaturam ſuperiorem. Sed contra eſt, quia Angelus clarè nouit omnes quiditates naturales exiſtentes, vt diximus *to. 3.* *Alij*; quòd Angelus non cogitabat Deum non poſſe falli, aut fallere. Sed contra, quia iſta propoſitio eſt naturaliter noſcibilis; & ideo non poterat Angelum latere. *Alij*, quòd Deus non reuelauit Angelis ſenſum determinatum. Sed contra, quia illum reuelauit Prophetis; vt docet *Beatiſs. P. de Moyſe loc. cit. to.* 1. ergo à fortiori Angelis, qui habuerunt perfectiorem cognitionem.

42 Obiic. 1. *Gibb* Medium neceſſitans intellectum ad ſpeciem aſſenſus ita, vt etiam reluctante voluntate non poſsit diſſentiri, cauſat cognitionem euidentem; ſed locutio Dei clarè cognita coniuncta cum duabus ſupradictis cognitionibus eſt huiuſmodi; ergo cauſat euidentem cognitionem rei reuelatæ, & ideo nequit ſtare cum fide. Prob. ma. Si tale medium relinqueret veritatem obſcuram, iam non neceſſitaret intellectum reluctante voluntate. Prob. mi. Ex præmiſſis euidentibus deducitur concluſio euidens, ſicut ex veris vera; ſed intellectus neceſsitatur ad concluſionem euidentem; ergo locutio Dei eſt medium neceſsitans.

Reſp. diſt. ma. Medium neceſsitans, quod eſt ſpecies clarè repræſentans rem reuelatã, conc; quod eſt tantùm ſignum infallibile, neg. Ad prob. neg. aſſumpt: nam vt *ſuperiùs* diximus, licèt relinquat veritatem obſcuram, quia tamen reuelat in lumine Diuino, quod eſt magis infallibile, quàm naturale clarũ, ideo tollit omnẽ rationem dubitãdi, & ſic neceſsitat intellectum. Ad mi. dicitur, quòd locutio Dei non eſt ſpecies clarè repræſentans rem reuelatam, ſed merum ſignum. Ad prob. eodem modo diſt. Quando præmiſſæ habent rationem ſpeciei clarè repræſentantis, conc; quando habent rationem ſigni, neg. Vel diſt. Quando præmiſſæ, & concluſio videntur per idem lumen, conc; quando illæ videntur per lumen naturale, quod eſt clarum; iſta verò per lumen fidei, quod eſt obſcurum, vt in caſu, neg. Vel diſt. mi. primi arg. Locutio eſt medium neceſsitans ſuppoſito lumine fidei oſtendente vnionem cum re reuelata, & ipſam reuelatam, quæ non oſtenditur per lumen naturale, quo cognoſcitur locutio, conc; præciſo lumine fidei, neg.

43 Obiic. 2. Aſſenſus fidei pendet à pia affectione voluntatis; ſed euidentia atteſtationis modo prædicto excludit piam affectionem; ergo excludit fidem. Prob. mi. Pia affectio voluntatis requiritur ad determinandam indifferentiam intellectus; ſed poſita euidentia atteſtationis modo prædicto determinatur intellectus ita, vt nec per imperium voluntatis poſsit diſſentire; ergo excludit piam affectionem.

Reſp. neg. mi. Ad prob. neg. mi; nam poſita euidentia atteſtationis, quia clarè non cognoſcitur vnio eiuſdem atteſtationis cum re atteſtata; hæc enim vnio cognoſcitur ſolùm per lumen fidei, quod eſt obſcurum; ſicuti per idem cognoſcitur res reuelata: ideo defectu rationis naturalis, quæ nequit hanc vnionem, & extremum attingere, ponitur pia affectio, quæ intellectum determinat.

44 Obiic. 3. Qui videret viſionem beatificam, videret quoque Diuinam eſſentiam; ergo à part. 2. Exiſtentia creaturarum eſt medium indicans euidenter eſſentiam Dei, & tamen non eſt ſpecies clarè illam repræſentans; ergo ruit allata doctrina. 3. Sequeretur beatus habere fidem perpetuitatis ſuæ beatitudinis, & futurorum contingentiũ, quæ non pertinent ad ſuum ſtatum, non enim hæc cognoſcunt in Diuina eſſentia: ſed hæc falſum eſt: ergo & illud.

Reſp. neg ant, nam viſio beata non eſt ſpecies Diuinæ eſſentiæ, vt opinati ſunt *aliqui Recentes*; & ideo illam videntes non eſt neceſſe, vt hanc quoque in illa intueantur, ſicut in ſpeculo. Quia tamen dicit relationem ad illam, ideo ſufficit, quòd illam cognoſcat ſub præciſa ratione termini illam terminantis: & ideo confusè, & obſcurè. Ad 2. dicitur, quòd exiſtentia creata habet aliquam ſimilitudinem analogicam imperfectam cum exiſtentia Dei, ideo eſt medium illam cognoſcendi *quoad an eſt*: non ſic autem locutio cum re reuelata. Ad 3. neg. ſeq., beati enim cognoſcunt perpetuitatem ſuæ beatitudinis in Diuina eſſentia: de futuris autem contingentibus, quæ non pertinent ad ſuum ſtatum habent neſcientiam, non fidem, quia nullam habent de illis reuelationem, quam ſi ha-

be-

rent, eſſet clara, quia reuelarentur in Diuina eſſentia per lumen gloriæ, non per lumen ſupernaturale obſcurum, quod repugnat claritati patriæ.

§. 2.

An euidentia credibilitatis ſit neceſſaria ad credendum?

45 VIdimus *in ſup.*§. euidentiam credibilitatis extrinſecæ poſſe ſtare ſimul cũ fide. Inquirimus modò, an euidentia credibilitatis externæ ſit adeo neceſſaria ad credendum In ſingulis, vt ſine illa nemo poſſit elicere verum actum fidei?

46 Prima ſententia negat. Refertur *Capr. in 3.diſt.32.q.1.art.3.ad 3.cont.1. concl;Can. apud noſtrum Arag.hic q.1.art.4. dub. vlt.*, *Turrian. diſp.7. dub.7. & alij apud Gran. tract.2.diſp.3.ſect.1.n.3., Maſtr.in 3.diſp.6.q.10.art.2.* aſſerens ruſticos, & pueros non cognoſcere euidenter motiua inducentia ad credendum.

47 Noſtra tamen docet ad actum fidei neceſſariò prærequiri iudicium euidens practicè dictás illud eſſe credendum, & ideo motiua extrinſeca, ſuper quæ fundatur hoc iudicium euidens, debere eſſe euidenter cognita. Collig *ex Fund. Doct. Quodl.3.q.7.*, vbi docet, quòd miracula, & alia motiua, de quibus *inf.*, induxerunt ad credendum, quia fuerunt viſa. Ipſum ſequitur *noſter Gibb. hic diſp.5.dub.1.* aſſerens hanc ſententiam eſſe communem *inter Theologos.*

48 Vnica concl. Euidentia credibilitatis eſt omnino neceſſaria ad eliciendum actum fidei Diuinæ.

Prob.1. *ex pſ.72 Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Ex quo ſic. Nimia credibilitas eſt credibilitas ſuperabundans, ſeu ſuperans alias credibilitates, nimietas enim propriè dicit exceſſum, ſed credibilitas euidens ſuperabundat, & ſuperat omnes alias credibilitates, quia magis conuincit intellectum, ergo credibilitas euidens eſt nimia credibilitas. Atqui ad eliciendum actum fidei Diuinæ perquiritur credibilitas euidens; ergo.

49 Prob.2 *ex Io.20. Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti*, ſuper quod *Beatiſs.P.*, vt diximus *n.14*, ait: *Aliud vidit, aliud credidit*, quibus verbis indica motiuum externum inducens ad credendũ eſſe euidens. Ex quo ſic. Cauſa inductiua ad credendum eſt omnino neceſſaria ad eliciendum actum fidei Diuinæ, ſed euidentia credibilitatis eſt cauſa inductiua ad credendum, ergo eſt omnino neceſſaria ad eliciendum actum fidei Diuinæ. Ma. patet, quia illud eſt omnino neceſſarium, ſine quo res haberi non poteſt, ſed ſine cauſa effectus haberi non poteſt, ergo cauſa eſt omnino neceſſaria ad producendum effectum, & ideo cauſa inductiua ad credendum eſt omnino neceſſaria ad eliciendum actum fidei Diuinæ. Mi. etiam conſtat, illa enim particula *quia* importat rationem cauſæ.

50 Dices. Ad illa verba immediatè ſubditur: *Beati, qui non viderunt, et crediderunt*: ergo ad credendum ſufficit ineuidentia. Præterea 1. *Cor. 14.* dicitur: *Signum ſunt infidelibus, non fidelibus*, ergo licèt ad hoc, vt infideles eliciant actum fidei, ſit neceſſaria euidentia ſignorum, non tamen neceſſaria eſt fidelibus.

Reſp., quòd licèt non ſit neceſſaria euidentia omnium motiuorum inducentium ad credendum, non tamen ſequitur, quòd non ſit neceſſaria euidentia aliquorum, ſeu huius, vel illius, quia licèt non ſit neceſſarium, quòd intellectus firmetur ad aſſentiendum ab omnibus cauſis inducentibus firmitatem aſſenſus, eſt tamen neceſſarium, vt firmetur ab aliqua cauſa inducente firmitatem, aliter aſſenſus non eſſet firmus, ſed infirmus. Quanuis igitur non ſit neceſſaria ad credendum viſio humanitatis Chriſti Domini in omnibus, ſicut fuit neceſſaria *in Thoma*, ad firmandam noſtram fidẽ, attamen non ſequitur, quòd non ſit neceſſaria euidentia alterius motiui inductiui ad credendũ. Sic quanuis non ſit neceſſaria fidelibus viſio ocularis miraculorum, ſicut eſt neceſſaria infidelibus, attamen eſt neceſſaria conteſtatio euidens illorũ, aut aliud motiuum ex *inf.* aſſignandis. Ratio eſt. Quotieſcunque plures cauſę æquiuocæ producunt aliquem effectum, tunc eſt neceſſaria aliqua ex illis, non tamen omnis, ſed motiua ad credendum ſunt huiuſmodi, ergo non eſt neceſſaria euidentia omnium, ſed ſufficit euidentia huius, vel illius. Sic *ad illos textus*, in quibus habetur Chriſtum Dominum noluiſſe miracula facere *Iudæis* quærentibus ſignis, ut conuerterentur, ut *Matt.12. Signum quærit, & ſignum non dabitur ei, & 27. Deſcendat de cruce, & credimus ei*, dicitur, quòd licèt negauerit euidentiam huius motiui, conceſſit tamen euidentiam aliorum.

51 Prob.3. ratione. Affectio uoluntatis firma, & infallibilis neceſſariò præſupponit iudicium euidens intellectus, ſed actus fidei Diuinæ neceſſariò importat affectionem uoluntatis firmam, & infallibilem, ergo neceſſariò præſupponit iudicium euidens intellectus. Atqui nequit eſſe euidẽs reſpectu ipſius rei reuelatæ, quæ eſſentialiter eſt obſcura, ut *ſup.* diximus: ergo debet eſſe euidens reſpectu motiui extrinſeci. Prob.ma. Iudicium firmum, & infallibile eſt euidens, ſicut enim intellectus nequit contradicere ei, quod videt, ita poteſt contradicere ei, quod non uidet, & ideo illi firmiter non aſſentitur, euidentia nanque, & ineuidentia ſunt oppoſita, *& oppoſitorum oppoſita ſunt rationes*, ſed affectio firma, & infallibilis voluntatis neceſſariò præſupponit iudicium firmũ, & infallibile intellectus, actus enim voluntatis ſequitur ad actum intellectus, & cum illo commenſuratur, ideoq; ſi intellectus euidenter proponat voluntati aliquod obiectum ſub præciſa ratione boni abſque vlla mixtione mali, voluntas determinatè tendit in ſolam rationem boni, ut in beatis, ſin autem ſub dubia ratione boni, & cum formidine oppoſiti, uoluntas tendit trepidanter, & anxiè, quia uolũtas actuatur ab intellectu, & ideo ſi actus intellectus eſt dubius, & formidoloſus, dubius quoque eſt actus uoluntatis; effectus enim nequit eſſe præ-

Google

præſtantior ſua cauſa, præſtantior autem eſt aſſenſus certus, quàm incertus: ergo affectiò voluntatis firma, & infallibilis neceſſariò præſupponit iudicium euidens intellectus. Mi. eſt certa; vt *inferiùs* videbimus.

52 Prob. 4. Non eſt iudicium prudens firmiter adhærere obiecto merè probabili, ſicut enim prudentia dictat firmiter adhærēdum eſſe obiecto certo, ita probabiliter probabili; ſed actus fidei præſupponit neceſſariò iudicium prudens intellectus, aliter imprudēter crederemus rebus Diuinis; ergo nequit firmiter adhærere obiecto merè probabili. Atqui obiectum ſecundùm omnē rationem ineuidens eſt merè probabile, quia euidens, quod illi opponitur, eſt ſimpliciter certum; ergo actus fidei nequit firmiter adhærere obiecto ſecundùm omnem rationem ineuidenti; & ideo debet neceſſariò tendere in obiectum, quod ſit intrinſecè ineuidens, vt ſaluetur, quòd ſit *de non viſis*, & extrinſecè euidens, vt ſaluetur, quòd ſit firmus, & certus.

53 Obijc. 1. Si Myſteria fidei eſſent euidenter credibilia, à nullo poſſent negari; qui enim euidenter moraliter certus eſt *Romam* eſſe, nequit hoc negare, ſed conſ. eſt falſum, quia infideles illa negant; ergo & ant. 2. Sequeretur, quòd illi, qui pertinaciter ea negant, ſcirent illa eſſe euidenter credibilia; ergo ſcirent euidenter ſuas hæreſes cōtrarias myſterijs fidei eſſe prudenter incredibiles; ſed hoc eſt falſum, infideles enim putant ſe prudenter ſequi ſuas hæreſes; ergo idem. 3. Sequeretur myſteria fidei eſſe euidenter vera, quia euidēter credibile eſt euidenter verum, & ſic eſſent viſa, non obſcurè cognita. 4. Sequeretur, quòd cognoſcerentur, vt euidenter poſſibilia, quia euidenter verum eſt euidenter poſſibile; ſicut euidenter falſum eſt euidenter impoſſibile; ſed ſeq. eſt falſa; quia poſſibilitas myſteriorum fidei nequit euidēter demonſtrari; ergo & ant.

Reſp. ad 1. diſt. ma. A nullo poſſent ſapienter negari, conc; inſipienter, neg. Ad prob. dicitur, quòd ſicut inſipienter negatur fides; ita inſipienter negari poteſt *Romam* eſſe; quanuis enim euidens ſit Deum eſſe; attamen *Atheiſtæ* id negant, ſed inſipienter; vt dicitur in *pſ.* 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Infideles ergo negant inſipienter fidem. Ad 2. dicitur, quòd quanuis *aliqui hæretici* id cognoſcant, vt dicitur *de Luthero*, qui interrogatus à Matre; quænam lex eſſet vera; reſpondit *Lex Papiſtarum*; attamen *aliqui* ſunt ita excæcati, vt ampliùs lucem veritatis non queant aſpicere, ideo neg. ma. abſolutè. Ad 3. diſt. ſeq. Eſſe euidenter vera veritate extrinſeca, quæ ſumitur à motiuis extrinſecis euidenter viſis, conc; veritate intrinſeca, quæ ſumitur à principijs intrinſecis, neg. Ad 4. diſt. eodem modo. Cognoſcerentur euidenter, vt poſſibilia, per principia, ſeu motiua extrinſeca, conc; intrinſeca, neg.

54 Obijc. 2. Si eſſent neceſſarium iudicium euidens credibilitatis, vel illud eſſet per fidem humanam; vel per fidem Diuinam? Non primum, quia fides humana nequit attingere myſteria fidei, cùm illa ſit naturalis, hæc ſupernaturalia. Non ſecundum, quia per fidem Diuinam nequit haberi euidentia, cùm ſit de non viſis; ergo nequit dari hoc iudicium 2. Vt quis prudenter credat, ſufficit, quòd cognoſcat ſe eſſe obligatum ad credēdum; ergo fruſtra hoc iudiciū euidens. 3. Vt quis prudenter adoret hoſtiam, ſufficit, vt prudenter iudicet illam eſſe ritè conſecratam, quanuis ſimul prudenter formidet illam non eſſe conſecratam; ergo à pari.

Reſp. ad 1. motiua credibilitatis, vt porè naturalia, ſecundùm ſe abſolutè cognoſci per cognitionem naturalem, quatenus autem coniunguntur cum myſterijs reuelatis, cognoſci per cognitionem, & fidem ſupernaturalem, ſicut propoſitio naturalis cognoſcitur naturaliter, vnio tamen ipſius cum propoſitione ſupernaturali ſupernaturaliter cognoſcitur. Idem dicitur de humanitate Chriſti Domini, & ſic à pari. Ad 2. neg. paritas; nam adoratio hoſtiæ importat quid facti, de quo poteſt dari ignorantia inuincibilis, at myſteria fidei ſunt quid iuris; de quo nequit dari ignorantia inuincibilis; vt dicitur *in regulis iuris in 6.*

55 Obijc. 3. Pueri, & ruſtici ſunt incapaces huius euidentiæ, & tamen habent veram fidem Diuinam; ergo non eſt neceſſaria ſimpliciter in omnibus. Prob. ant. *ex Beatiſ. P. Aug. cont. Ep. Fund. c. 4.* docente: *In Catholica Eccleſia pauci ſpirituales ad ſinceriſſimam ſapientiam perueniunt in hoc ſtatu; ceteram quippe turbam non intelligendi viuacitas, ſed videndi ſimplicitas tutiſsimos facit.* Ex quo ſic. Euidentia credibilitatis conſurgit ſolùm ex multis rationibus, & circunſtantiis, & ex omnibus motiuis bene intellectis, & ponderatis; nam ad hanc euidentiam neceſſe eſt, vt proponantur omnia motiua ita clarè, vt conuincant intellectum credentis, quòd res propoſita vt credibilis, ſit à Deo teſtata, ſed pueri, & ruſtici non percipiunt clarè omnes rationes, circumſtantias, & motiua, ergo ſunt incapaces huius euidentiæ.

Reſp. neg. ant. Ad prob. dicitur *Beatiſ. P.* apertè loqui de habitu Theologiæ explicante res fidei, de ratione enim huius habitus, qui eſt ſapientia, eſt penetrare omnes rationes, & motiua inducentia ad credendum: nō autem loqui de fide, quæ non eget ratione inueſtigante motiua intrinſeca Diuinorum myſteriorum, ſed ei ſufficit nuda, & pura euidentia credibilitatis extrinſecæ, quæ *ſimplicitas à B. P.* appellatur. Neg. igitur ma., nam ad euidentiam ſatis eſt, quòd vnum, vel alterum motiuum clarè percipiatur, vt patet in ſcientiis naturalibus, nam adhoc, vt aliquis habeat euidentiam alicuius concluſionis, non eſt neceſſe, vt clarè percipiat omnia motiua, & rationes, ex quibus deducitur illa concluſio, hoc enim conuenire non poteſt intellectui ignorantiæ vulnere laboranti, vt eſt omnis intellectus in ſtatu peccati. Nec ad conuincendum intellectum requiritur, quòd percipiantur omnia motiua, & rationes, ſed ſufficit vnum, vel alterum, vox enim ferè omnium philoſophantium eſt: *Hac me ratio conuincit*: cùm tamen plures ſint rationes. Cùm igitur pueri, &

ru-

Digitized by Google

ruſtici clarè percipiant parentes, & parochos inſtruentes illos in fide nolle illos decipere, ſed velle illorum ſalutem, ſufficit, vt conuincatur eorum intellectus, & aliquam euidentiam habeant credibilitatis.

56 Quæres 1. an iudicium euidens præcedens piam affectionem volũtatis ſit ſupernaturale quoad ſubſtantiam, vel tantùm quoad modum?

Reſp. eſſe ſupernaturale quoad ſubſtantiam. *Ita noſter Gibb*; apud quem *noſter Cornejus in M.S*; *Gran*; *Ripalda*, *Hurt*; *Lugo*, *Io. à S.Tho*; *& Arriag. contra Almain*; *noſtrum Aragon*; *Coninck.*, *& Sua.* Prob. 1. *ex Beatiſs. P. lib. 2. cont. duas ep. Pelagian. c. 8. ſuper illud 2. Cor. 3. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis*, docente: *Quis non videat priùs eſſe cogitare, quàm credere? Nullus enim credit, niſi priùs cogitet eſſe credendum; & hoc vult Apoſtolus non eſſe ex nobis, ſed ex gratia Dei. Et in Suppl. cont. Iul. lib. 1. c. 95. Quomodò res minor ex Deo nobis eſt, & maior ex nobis? Qua ſine Deo donante ſcientiam, hoc eſt docente noſſe non poſſumus; illo autem charitatem, quæ ſupereminet ſcientiæ, non donante diligere poſſumus.* Ex quibus ſic 1. Actus voluntatis, qui ſequitur ad tale iudicium euidens eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam: ergo & illud iudicium euidens, ad quod ſequitur: actus enim voluntatis commenſurari debet cum actu intellectus, qui eſt ratio illius, & cauſa *ad quam*, aliter cauſa eſſet ignobilior effectu. 2. Actus infuſus inſpiratus, & donatus nobis à Deo habens pro obiecto aliquod ſimpliciter ſupernaturale eſt ſupernaturalis quoad ſubſtãtiam; ſed tale iudicium eſt huiuſmodi, vt patet *ex Apoſt.* ergo idem 3. Iudicium euidens attingit connexionem motiui naturalis cum myſterio ſupernaturali quoad ſubſtantiam, iudicat enim tale myſterium eſſe credẽdum, quia connectitur cum tali motiuo naturali euidenter viſo; ergo eſt ſupernaturale quoad ſubſtantiam, ſecus per cognitionem entitatiuè naturalem poſſemus cognoſcere vnionem naturæ humanæ cum natura Diuina, & ſic naturaliter cognoſcere myſterium Incarnationis, quod eſt falſum. 4. Pia affectio voluntatis ſequens ad illud iudicium eſt ſupernaturalis ſimpliciter, vt fatentur *Aduerſarij*; ergo & illud iudicium, quod debet illi proportionari, aliter ad cognitionem naturalem poſſet ſequi amor ſupernaturalis, quod implicat; nam voluntas nequit tendere, niſi in obiectum ſibi propoſitum, & manifeſtatum ab intellectu, per cognitionem autem naturalem nequit proponi, & manifeſtari obiectum ſupernaturale, quod eſt illi improportionatum, amor autem ſupernaturalis tendit formaliter in obiectum ſupernaturale.

57 Dices 1. Omnis actus ſupernaturalis quoad ſubſtantiam ſpectat ad noſtram iuſtificationem: ſed tale iudicium non eſt huiuſmodi, quia non eſt actus fidei, cùm illam præcedat, fides autem eſt initium totius noſtræ iuſtificationis, vt docet *Trid. ſeſſ. 6. c. 8.* ergo nõ eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantia. 2. Tale iudicium eſt euidens; ſed nullus actus ſupernaturalis in hac vita eſt euidens, quia eſt de rebus reuelatis obſcurè; ergo idem. 3. Tale iudicium habetur per medium naturale, ergo eſt naturale.

Reſp. etiam actus ſupernaturales quoad modum ſpectare ad noſtram iuſtificationem, vt patet de actibus virtutum moralium, & tamen iſti præcedunt fidem. Item actus diſponentes ad fidem, vt motiones, & illuſtrationes internæ, ſunt ſupernaturales ſimpliciter, ſunt enim auxilia Dei actualia, & tamen præcedunt fidem, quia ad illam diſponunt. Dicitur ergo tale iudicium præcedere fidem in genere cauſæ diſpoſitiuæ, non tamen in genere cauſæ materialis, vt mox dicemus, & ideo fides eſt radix iuſtificationis ſimpliciter, quia omnia pertinentia ad noſtram iuſtificationem in aliquo genere ſunt à fide, non autem in omni genere cauſæ, non enim fides eſt cauſa charitatis in genere cauſæ finalis, ſed potiùs è contra, quia fides ordinatur ad charitatem, tanquam imperfectum ad perfectum. Ad 2. dicitur tale iudicium dici euidens reſpectu motiui naturalis, & ineuidens reſpectu myſterij ſupernaturalis, & ideo ſecundùm diuerſas rationes; & ſic ad 3.

58 Dices 2. Quanuis iudicium euidens practicum ſit ſupernaturale, attamen iudicium merè ſpeculatiuum eſt naturale, quia ad hoc non ſequitur pia affectio.

Reſp. neg. aſſumpt. quanuis enim ad hoc iudicium non ſequatur pia affectio, eſt tamen diſpoſitio proxima ad illam, diſpoſitio autem proxima eſt in eodem ordine, in quo eſt forma, ad quam diſponit. Tum quia rationes allatæ probant etiam de iudicio merè ſpeculatiuo, vt conſideranti patebit.

59 Quæres 2. an iudicium euidens credibilitatis procedat ab habitu fidei.

Reſp. affirmatiuè. *Ita noſter Aragon.*, *Ban.*, *Caiet.*, *& alij cont. noſtrum Gibb.*, apud quem *Capr.*, *Val*, *Sua.*, *Lugo*, *Io. à S.Tho.*, *Arriag*, *Ripald.*, *& alij*. Colligitur *ex ſup.* dictis; nam illud iudiciũ attingit vnionem motiuorum cum myſteriis fidei, quæ non cognoſcuntur, niſi per fidem; ergo eſt actus imperatus ab habitu fidei, aliter myſteria fidei attingerentur, eiſque intellectus aſſentiretur ſine fide, quod implicat; quanuis enim motiua per ſe præcisè ſumpta cognoſcantur per rationem naturalem, attamen quatenus ex illis infertur veritas myſteriorum ſupernaturalium, nequeunt cognoſci per lumen naturale, quod eſt improportionatum; ſed non cognoſcuntur per lumen gloriæ, quod ſolis beatis datur; ergo remanet; quòd cognoſcantur per lumen fidei, quod eſt ſupernaturale, & rebus ſupernaturalibus cognoſcendis proportionatum, non enim datur aliud lumen præter hæc tria; vt diximus *to. 1. q. 2. proem. art 3.*, & vt docet *Fund. Doct. in Opuſc. de Articulis Fidei fol. 17. col. 2.*, ex quo deducitur hanc doctrinam eſſe eidem conformem. Conſentit *Beatiſs. P. lib. 9. de Trin. c. 1.* docens: *Sed ea recta intentio eſt, quæ proficiſcitur à fide, certa enim fides vtranq. inchoat cognitionem.*

60 Dices 1. *cum Gibb.* Ad omnem actum fidei prærequiritur pia affectio; ſed ad illud iudicium non

non prærequiritur pia affectio, aliàs idem eſſet prius, & poſterius; ergo tale iudicium non eſt actus imperatus à fide. 2 Illud iudicium verſatur circa motiua credibilitatis, quæ ſunt quid creatum, ergo nequit eſſe actus fidei, qui eſt ſulùm circa obiectum increatum, quod eſt prima veritas reuelans. 3. In infidelibus, qui erudiuntur ad fidem, non eſt habitus fidei, & tamen eſt illud iudicium euidens, ergo idem.

Reſp. 1. ad 1. neg. mi. non enim implicat actum intellectus, & voluntatis in diuerſo genere cauſæ eſſe priores, & poſteriores, quia intellectus conſulit voluntati, vt imperet, & voluntas imperat intellectui, vt conſulat. 2. *Cum Beatiſs. P. lib.* 10. *de Trin. c.* 1. dicitur, quòd ſicut cognitio quædam confuſa, & imperfecta præcedit coguirionem claram, & perfectam: ita quidam amor imperfectus ſequendi veram fidem præcedit piam affectionem perfectam: nam vt *alibi* diximus velle imperfectum, & incompletum præcedit cognitionem perfectam, quod velle imperfectum regular cognitio rerum in genere. Diſt. igitur ma. Prærequiritur pia affectio vel perfecta, vel imperfecta, conc: & in hoc ſenſu neg. mi., nam licèt ad piam affectionem perfectam prærequiratur iudicium euidens, ad imperfectam tamen prærequiritur ſolùm cognitio confuſa. Perfecta tantùm, neg. Ad 2. diſt. ant. Verſatur circa quid creatum, prout reuelatū à prima Veritate, conc., ſecus, neg. Fides autem nedum verſatur circa Deum, ſed etiam circa creaturas, quia credit reſurrectionem mortuorum &c. quatenus tamen à Deo reuelata. Ad 3. dicitur *cum Beatiſs. P. tract.* 21. in *Io*: quòd cathecumeni habent fidem actualem licèt imperfectā, ait enim: *Si dixerimus cathecumeno, credis in Chriſto? Reſpondet: Credo, & ſignat ſe cruce Chriſti, portat in fronte, & non erubeſcit de cruce Domini ſui*: Et ideo incipiunt eſſe de gremio Eccleſiæ. Non tamen habent fidem perfectam, quia *interrogemus eum: Manducas carnem filij hominis, & bibis ſanguinem filij hominis? Neſcit, quid dicimus, quia Ieſus non ſe credidit ei* illum illuminando de omnibus myſteriis in particulari, & ideo Ni*codemus, qui crediderat in nomine eius, venit ad eum nocte*, idèſt in tenebris ignorantiæ. Renati autem per baptiſmū fiunt lux in Domino dicente *Apoſtolo Epheſ.* 5. *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Neg. igitur 2. pars ant. iudicium enim euideus, quod eſt lux, non eſt, niſi in habente fidem.

§. 3.

Aſſignantur motiua credibilitatis.

61 INnumeris in locis ferè innumera tradūtur motiua inducentia ad credendum in Chriſtum Dominum à *Beatiſſ.* P. vt *in libris de Ciu. Dei* præcipuè *lib.* 1. *c.* 22., *lib. de Vtilit. credendi verſus finem; lib. de Cathec. lib. de fid. & ſymb. orat. cont. Infidelibus. Lib. cont. Ep. Fundam. c.* 4. aliqua enumerat dicens: *Multa ſunt, quæ in Eccleſia Catholica me rectiſsimè tenent. Tenet conſenſio populorum, & gentium. Tenet auctoritas miraculis confirmata, ſpe aucta, & vetuſtate nutrita. Tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas Dominus poſt reſurrectionem mandauit, vſque ad præſentem Epiſcopum ſucceſſio Sacerdotum. Tenet denique ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia obtinuit, vt cū omnes hæretici ſe catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam perueniatur, nullus hæreticorum Baſilicam ſuam, vel Domum audeat oſtendere.* Hæc colliguntur à *Fund. Doct. Aeg. Quodl.* 3. *q.* 7., *& alibi*

62 Primum igitur credibilitatis motiuum eſt *conſenſio populorum, & gentium*: nam ſi hæc propoſitio *Roma eſt* eſt euidenter credibilis, quia tot homines, & tot nationes diuerſis, continuiſque temporibus teſtati ſunt *Romam* eſſe, adeoque moralem euidentiam inuexerunt, multò euidentiùs credibilis redditur noſtra fides, quam ferè omnes totius Orbis nationes ſuſceperunt vnanimi conſēſu atteſtantes ipſam eſſe a Deo reuelatam, & à Sāctiſſimis, ac doctiſſimis Viris receptam.

63 Ad hoc reducitur concordia *tot Scriptorū, & Doctorum* genio magis, quàm genere diſſonantium omnino tamen in iis, quæ ſunt *quid iuris*, cōſonantium, quamuis quoad *quid facti*, & quoad rationes diſſentiant. Sicut itaque in exercitu vnitas militum geniis, & moribus inter ſe diſſidentiū manifeſtè arguit vnico vnius Ducis ſpiritu regi, non propria vniuſcuiuſque mente, ſecundùm quam diuerſitas ſententiarum, nō vnitas ſumitur. Inſuper ſicut vnitas ordinis Vniuerſi coaleſcentis ex partibus nedum inter ſe diſcrepantibus, ſed altercantibus vſque ad deſtructionem apertè oſtendit, vt ait *Phil.* 12. *Met.* vnum eſſe Deum; qui res adeo inter ſe contrarias cogit in ſocietatem: ita vnitas Doctorum in tam diuerſis, diſſitiſque partibus mundi exiſtentium de aliis rebus tam diuerſè opinantium in ſolius fidei articulis confitendis, docendis, prædicandiſque vnanimi ſenſu conuenientium euidenter demonſtrat ſe à Spiritu veri Dei, qui ſolus vnus eſt, non verò à ſpiritu humano, qui multiplex eſt, regi, & duci, adeoque talem fidem eſſe Diuinam. Per hoc euincitur falſas eſſe hæreticorum ſectas tot contradictionibus plenas ita, ut nedum inter plures eiuſdem hæreſis ſectatores diſcordia uideatur, ſed etiam unus, & idem hæreitcus modò docens, modò damnans ſua dogmata ſibi contradicat; clarè oſtendit falſitatem illarum, & ueritatem fidei Catholicę, quę à Spiritu Dei, qui nunquam mutatur, immutabilitatem ſortitur. Quanuis enim in Eccleſia nouæ in dies explicationes, & definitiones factæ fuerint, & faciendæ ſint *per Concilia*, & Romanos Pontifices, eadem tamen doctrina ſemper perſeuerauit, & perſeuerabit immota.

64 Secundum motiuum eſt miraculorum cōtinuata patratio. Cùm enim vera miracula à ſolo Deo fieri queant, *qui facit mirabilia magna ſolus*, creaturam tamquam inſtrumentis Diuinæ virtutis concurrentibus, ſequitur nemine poſſe patrare miracula, niſi fuerit Deus cum eo: quaproter Ni*codemus* videns Chiſti miracula ait: *Nemo enim poteſt*

teſt hæc ſigna facere, niſi fuerit Deus cum eo: & ideo fides, quæ miraculis conteſtantibus confirmatur, neceſſariò eſt fides Diuina, fides enim falſa miraculis comprobari non poteſt, vt *ſup.* diximus. Plena ſunt Euangelia, pleni Eccleſiaſtici faſces cœcorum, mutorum, claudorum, alijſque morbis laborantium, quos noſtra fides ſanitati reſtituit, & mortuorum, quos reuocauit ad vitam, aliorumque ſignorum ſupra naturæ vires, & ordinem, quorum totus mundus eſt teſtis.

65 Sed miraculorum miraculum fuit extemporanea fidei per totum mundum diffuſio, non quidem armis, vi, potentia, aut illecebris ad terrenam felicitatem, delectationes, honores, diuitiaſque inuitantibus, ſed ſimplici prædicatione perſuadente mundi contemptum, paſſiones, anguſtias, egeſtatem, tormenta, mortes horribiles, & quæque terribiliora loquentibus rudibus piſcatoribus, qui literas non didicerant, & ſapientiores Orbis magiſtros ad veram conuerterunt ſapientiã operantes vbique ſigna, & prodigia, interdicentes igni calorem; aquis ne ſuffocarent; feris, ne ſæuirent, ſed blandirentur; tormentis, ne torquerent, ſed delectationem afferrent; pœnis, ne affligerent, ſed bearent; elementis, ne ſuis fungerentur officiis, & cætera huiuſmodi, quæ vires humanas tranſcẽdunt, & captum. Ideo tot Virgines adhuc viuendi neſciæ delicato non reluctante, ſed anhelante ſexu mortem quærere, non timere; vitam fundere, non tueri, & atrociora inter ſupplicia, velut inter ſuauiſſima gaudia viſæ ſunt deliciari.

66 At hæc miracula mendaciter neget obcœcata infidelitas, nunquid poterit negare (inquit *Beatiſs. P. or. cont. infideles, & cum illo Fund. Doct. vbiſ.*) ſummum miraculum eſſe totum mundum ſine miraculis fuiſſe conuerſum? *Negando miracula* (inquit *Beatiſs. P.*) *ingẽs miraculum ingerit. Quid enim dici poteſt mirabilius, quàm Romanum Imperium, totamque gentilitatem, Religionem, quam tam acriter impugnabant, ſubuertereque moliebantur, deſertis paternis ritibus, nullis viſis ſignis, mirandiſque operibus, ſponte ſuſcepiſſe, & in ea retinenda tam conſtantes fuiſse?* Vel vt arguit *lib. 22. de Ciu. c. c. 8.*, ubi plura refert, & teſtatur miracula ſuo tempore patrata: *Magnum eſt ipſe prodigium, qui mundo credente non credit.* Mirum etenim eſt, quòd quis neget ea, quæ totus mundus affirmat.

67 Tertium eſt ſpes firma æternorum bonorum, quæ fides promittit; ſpes enim eſt paſſio fidei commenſurata cum fide; & ſicut ſpes incerta arguit fidem falſam, cui poteſt error ſubeſſe, & hæc nequit eſſe fides Diuina, quæ ſimpliciter eſt infallibilis; ita ſpes certa arguit fidem infallibilem, quæ eſt fides ueri Dei, qui ſolus fallere, aut falli non poteſt.

68 Ad hoc reducuntur tria alia motiua, nempe ueritas, honeſtas, & ſanctitas fidei, quæ manifeſtè demonſtrant eſſe fidem ueri Dei. Veritas quidem, quia fides nihil continet rationi naturali contrarium, nullas inuoluit abſurditates, ut inuoluunt aliæ ſectæ. Hinc *Fund. Doct. Quodl. 5. q. 1.* ait nos naturali ratione poſſe ſoluere omnes rationes contra fidem obiectas, ſicut naturaliter poſſumus cognoſcere alias ſectas eſſe falſas, quia illarum abſurditates naturaliter patefacere poſſumus. Imò fides proponit credenda de Deo, quæ maximè Deo conueniunt, ut unitas, bonitas, omnipotentia, immutabilitas, immenſitas, æternitas, prouidentia &c. Ex quibus colligitur fidei veracitas, & altitudo, cùm ad tam ſublimes veritates eleuetur. Honeſtas autem colligitur ex eo, quòd præcipiat actus omnium virtutum, & prohibeat actus omnium vitiorum. Tandem ſanctitas, quia tradit regulas ad vitam ſanctè, pièque inſtituendam. Cùm igitur ſanctitas ſit à Deo, qui ſolus ſanctus eſt per eſsentiam; & honeſtas ordinetur in Deum, qui eſt bonum omnium bonorum; & veritas reguletur à Deo, qui, cùm ſit prima veritas, eſt regula omnium veritatum, euidenter apparet fidem catholicam eſſe fidem veri Dei, cui eſt propria ſanctitas, veritas, & honeſtas.

69 Quartum eſt vetuſtas noſtræ fidei; nam ſi les quoad præcepta moralia naturalia fuit ab exordio mundi, & vſque in finem durabit, quannis pro diuerſis temporum ſtatibus mutata fuerit quoad ceræmonialia, & iudicialia, vt diximus *in tract. de Legib.* Ceteræ autem ſectæ non ſemper fuerunt, quia idololatria cepit *in Nembroth* poſt diluuium, vt diximus *to. 1. de Simpl. Dei art. 1. n. 4*; gentilitas incepit *in Ioue* poſt bis mille annos circiter à creatione mundi; hæreſes autem inceperũt, & aliquæ parum durarunt, vt conſtat; ex quo deducitur earum falſitas; non eſt enim credibile, quòd mundus aliquãdo fuerit ſine lege veri Dei, quia non eſſent in mundo homines, qui eum colerent, & quos ordinaret ad gloriam, ſic enim non glorificaretur; ergo ſola noſtra fides eſt vera.

70 Ex hoc eruuntur quatuor alia motiua, nempe ſtabilitas fidei ſæuiſſimarum perſecutionum in medio; augmentum Chriſtianorum, cùm è viuis tollebantur Chriſtiani; punitio perſecutorum; & innumerabilium martyrum teſtimonium. Primum ſic prob. Ex eo, quòd aliqua communitas à potentiſſimis perſecutoribus plurium ſæculorum ſpatio concuſſa non deſtruatur, apertè conuincitur illam ſpeciali prouidentia regi, & conſeruari à Deo, qui ſolus eſt ſupra illos potentiſſimos hoſtes; videmus enim opulentiſſimas, fortiſſimaſque Reſpublicas, ac potentiſſima Imperia, vt fuit Imperium Romanorum, Perſarum, Aſſiriorum bellis externis, vel internis euerſa; ſed fides catholica importat communitatem fidelium quatuordecim perſecutionibus generalibus ſupra ſexcentum annis oppreſſam à potentiſſimis, ac ſæuiſſimis Imperatoribus, nec tamen ab illis euerſam; ergo fides catholica ſpeciali prouidentia à Deo ſeruatur, & regitur. Atqui fides, quæ à Deo ſeruatur, & regitur, eſt verax, & Diuina; ergo fides catholica eſt verax, & Diuina. Secundum ſic oſtenditur. Quod magis propagatur, quo magis intenditur eius deſtructio à cauſis naturalibus, indicat euidenter ſe conſeruari à cauſa ſuperiore ad virtutes naturales; ſed fides, catholica eſt huiuſmodi; nã moriente vno martyre relinquebat Carnifices,

& perſecutores ſuæ fidei ſucceſſores, vt conſtat *ex Annalib. Eccleſiaſticis*; ergo euidẽter oſtenditur ex Chriſtianorum martyrio fidem catholicam à Deo ſupernaturaliter conſeruari, & ideo eſſe Diuinam. Tertium prob. Illa lex, cuius impugnatio eſt peccatum ſeuerè punitum a Deo, eſt vera fides Dei; nam impugnatio falſæ fidei non eſt peccatum, ſed actus meritorius, ſi fiat in obſequium veræ fidei; ſed fides catholica eſt huiuſmodi; nam *Hebræi* captiuitatem, alíaſque pœnas patiuntur vſque in præſentem diem; & quicunque perſecutores gentiles, & hæretici variis ſuppliciorum generibus necati ſunt; ergo eſt vera. Quartum declaratur. Illa fides, quam ſuo ſanguine tam hilariter effuſo teſtati ſunt innumerabiles martyres omnis ætatis, omnis ſtatus, & conditionis, eſt vera; quamuis enim quidam pauci obſtinati, & nocentes ſuis peccatis obcœcati pro falſa ſecta mortui ſint; non tamen tot innocentes, nec omnis ætatis, aut ſtatus; nec mortem adeo glorioſam portentis, & ſignis illuſtrẽ obiere; ſed fides catholica eſt huiuſmodi; ergo idem.

71 Quintum eſt continua, & nunquam interrupta Summorum Pontificum ſucceſſorum *D. Petri* vſque ad præſentem die ſucceſſio. Si enim falſæ ſectæ diu non durant, vt dictum eſt, quia Deus Mundi Creator, cùm ſit prima Veritas, nequit ſinere, vt in ſuis operibus falſitas diu perennet; ideoque licèt plures, graueſq; Philoſophi falſitates docuerint, vt *Ariſt.* æternitatem Mundi; attamen progreſſu temporis manifeſtatæ, & euerſæ fuerunt; concludendum eſt illam fidem eſſe veracem, quæ inconcuſſa conſiſtit, & nullis voluentium temporum diſcriminibus conteritur, & vertitur; atqui fides catholica eſt huiuſmodi, quia continuò durat fidei Magiſter, qui eſt Pontifex Romanus *Petri* ſucceſſor eam immutabiliter docens: ergo eſt vera. Hoc motiuo ſatetur *Beatiſs. P. Aug. in ep. Fund. c. 4.* fatetur ſe fuiſſe conuictum.

72 Sextum eſt nomen *catholica, & Apoſtolica*, quòd ſola fides Chriſtiana inter alias ſectas obtinuit. Arguitur autem ſic. Lex vniuerſaliter data toti Vniuerſo, ſeu omnibus hominibus per Vniuerſum diſperſis eſt lex veri Dei, quia ſicut Deus eſt creator, & principium, ita eſt prouiſor, & finis totius Vniuerſi, & ideo ſicut Deus, vt creator, & principium, dedit eſſe toti Vniuerſo; ita, vt prouiſor, & finis, dare debuit legem, qua dirigeretur totum Vniuerſum in Deum iuxta capacitatem cuiuslibet creaturæ, & per conſequens quia omnes homines ſunt gloriæ capaces, ideo omnibus hominibus debuit dare legem, qua ad gloriam dirigerentur; *hinc Tim. 2.* dicitur: *Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire*; quod nequit eſſe, niſi per legem, quæ eſt regula vitæ, & veritatis; ſed ſola fides chriſtiana eſt vniuerſalis, quia ſola eſt *catholica*, quod nomen ſonat idem, ac *vniuerſale*; ergo ſola fides chriſtiana eſt vera.

73 Præterea fidem catholicam teſtantur vniuerſaliter omnes. Illam confeſſi ſunt Dœmones *Matt. 16. Tu es Chriſtus Filius Dei viui*. Illam confeſſi ſunt *Gentiles*; vt conſtat *de Sybillis*, & pluribus Imperatoribus, vt *de Cæſare Auguſto* referunt *Suidas, Cedrenus, & Nicephorus*; *de Tiberio Beatiſs. P. Aug. lib. de conſenſu Euang.*, *de Adriano Lampridius &c.* Illam confeſſæ ſunt *Turcæ*; vt patet *ex Alcorano teſte Marſilio Ficino lib. de Chriſtiana Religione c. 2.* Illam confeſſi ſunt *Iudæi* etiam poſt Chriſti paſſionem, vt patet *ex Ioſeph. lib. 18. Antiquit. c. 4*; teſtimonia autem, quæ ſumuntur *ab Aduerſarys*, habent firmitatem, & euidentiam. Ante paſſionem autem Chriſti Domini illam confeſſi ſunt Prophetæ; ex concordantia autem *Scripturarum* eruitur moralis euidentia motiui inducentis ad credendum, vt *ſup.* dictum eſt; ergo fides catholica, vt potè vniuerſaliter ab omnibus atteſtata, vera eſt, & innegabilis.

A R T. VI.

Quid, & qualis ſit fides informis?

1 Diximus *ſuperiùs* fidem aliam eſſe informem, & aliam formatam; modò explicandum eſt, in quo conſiſtat eius informitas, & formatio.

2 Quoad 1. Informitas, ut patet ex nomine, importat carentiam formæ; & formatio importat exiſtentiam formæ in ſubiecto; ſic materia informis eſt materia conſiderata ſine forma; & formata eſt materia ſimul cum forma. Forma autem fidei *communiter* dicitur charitas; unde fides informis eſt fides ſine charitate; & forma eſt fides cum charitate. Quomodò autem charitas poſsit eſſe forma fidei, ſeu una qualitas, quæ eſt forma, poſſit eſſe forma alterius qualitatis, quæ pariter eſt forma; uidetur enim hoc non bene dici; quia daretur forma formæ; explicat *Fund. Doct. in 3. diſt. 19. p. a. q. 1. art. 1. ad 1.*, quòd forma alia eſt intrinſecè informans; & in hoc ſenſu charitas non eſt forma fidei; quia charitas ſubiectatur in uoluntate, & fides in intellectu; & ideo nequit charitas intrinſecè informare fidẽ; aliter fides eſſet in eodem ſubiecto, in quo eſt charitas; efficeretur enim unum cum charitate; & unum, & idem nequit eſſe ſimul in diuerſis ſubiectis; ut patet de qualitate ſenſibili, quæ quia intrinſecè informat quantitatem, ideo recipitur in eadem materia, in qua quantitas ſubiectatur. Alia eſt forma tantùm extrinſecè mouens ad agendum; cùm enim forma ſit principium *quo* actionis, cùm ſit actus conſtituens ſubiectum proximè potens agere; materia enim, ſeu ſubiectum, quod habet rationem materiæ, nullius eſt actiuitatis, cùm habeat ſecundùm ſe puram rationem paſsionis; ideo omne illud, quod conſtituit, & mouet ſubiectum aliquod ad agendum, dicitur forma illius, etianſi ſit extra illud ſubiectum exiſtẽs; ſic lux dicitur forma omnium colorum, quia colorata non poſſunt agere in medium educendo formas intentionales, niſi in virtute ipſius lucis: eſt autem forma extrinſeca, quia lux tantùm extrinſecè attingit colorata, quæ manifeſtat. In hoc ſenſu charitas rectè dicitur forma fidei. *Vid. in epiſt. ad Rom. c. 4. lect. 13. dub. 2.*

3 Duo autem genera operationum attribuuntur fidei, ſcilicet operationes viuæ, ſalutares, & meritoriæ vitæ æternæ, dicitur enim fides *principium ſanctificationis, & cauſa ſalutis*, habetur namque ad *Gal.* 3. *Iuſtus ex fide viuit*: & in hoc ſenſu eſt fides viua, quæ eſt ſufficiens cauſa ſalutis, vt habet *Fund. Doct. in ep. ad Rom. c. 4. lect. 13. dub 2.*, & operationes mortuę, ut dicitur *Iac. 2. Fides ſine operibus mortua eſt*. Operationes uiuę ſunt illę, quę fiunt à fideli exiſtente in gratia, quæ eſt uita animę, ut docet *Beatiſs.* P., & conſequenter à charitate, quę eſt proprietas gratiæ. Operationes mortuę ſunt illę, quę fiunt à fideli exiſtente in peccato, quod eſt mors animę, & per conſequens ſine gratia, & charitate, quæ nequit cum peccato coniungi, ſicut uita nequit ſimul eſſe cum morte. Sic actus, quo credit peccator, dicitur opus mortuum. Porrò charitas dicitur forma fidei per ordinem ad operationes uiuas, ſalutares, & meritorias vitę ęternę, & in hoc ſenſu dicitur iuſtificare, non autem per ordinem ad operationes mortuas.

4 Ex his manifeſtè deducitur, quòd fides Informis eſt fides ſine charitate, quę eſt forma extrinſeca illius, & ſine gratia habituali, quę eodem modo eſt forma charitatis. Fides autem formata eſt fides coniuncta cum charitate, & gratia habituali. Informis eſt in peccatore fideli, formata verò in homine iuſto.

5 *Hæretici recentiores* aſſerentes ſolam fidem iuſtificare, & ſolùm peccatum infidelitatis efficere peccatorem conſequenter ſentiunt in peccatoribus non poſſe reperiri fidem informem ſeparatam à charitate, ſed in illis eſſe tantùm quandam fidẽ generalem, ſeu hiſtoricam, qua credunt eſſe, quæ ſunt à Deo reuelata. *Ita Io. Muſ̄ans diſp. 1. de Eccl., & omnes Lutherani apud Bellarm. lib. 1. de Iuſtific. c. 4.*

6 Ceterùm dogma fidei eſt dari in peccatoribus fidelibus fidem informem, quę eſt vera fides, licèt non ſit viua. Ita definitum eſt in terminis *à Trid. ſeſſ. 6. c. 15., & can. 28.* docente: *Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti, aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licèt non ſit viua, aut eum, qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum, anathema ſit*. Colligitur expreſsè hoc dogma *ex Iac. 2. Fides ſine operibus mortua eſt, & 1. Cor. 13. Si habuero omnem fidem ita, vt montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil ſum, & Iac. 2. Quid proderit, fratres mei, ſi fidem, quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides ſaluare eum?* ſuper quod *Beatiſs. P. lib. de fide, & oper. c. 14. Quonſque igitur falluntur, qui fide mortua ſibi vitam perpetuam pollicentur*, & alijs allatis *de Grat. q. 4. art. 1. §. 1. n. 9.*

7 Dices 1. Fides ſine charitate eſt mortua, ſed homo mortuus non eſt verus homo; ergo fides in peccatore non eſt vera fides. 2. *Iac. 2., & Beatiſs. P. lib. de fide, & oper. c. 14.* comparant fidem ſine operibus fidei Dæmonum; ſed fides Dæmonum non eſt vera; ergo idem. 3. *Ex 1. Io. 2.* habetur: *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt*: ergo idem. 4. Fides eſt proprietas gratiæ habitualis; ergo ſublata gratia per peccatum tollitur fides. 5. Fides actualis mortua non eſt eadem numero, ac fides actualis viua: ergo idem dicendum de fide habituali. 6 Idem numero animal nequit eſſe, viuum, & mortuum: ergo à pari.

Reſp. ad 1., quòd fides ſine charitate dicitur mortua vitæ æternæ, quia nullum actum meritorium vitæ æternæ poteſt elicere; non autem dicitur mortua per ordinem ad proprios actus; quos elicit ipſa fides etiam ſine charitate; & ideo dicitur mortua ſolùm per ordinem ad vitam extrinſecam, quia charitas eſt forma extrinſeca fidei; non verò per ordinem ad vitam intrinſecam ipſi fidei, quæ eſt principium actuum vitalium etiam præciſa charitate. Ad 2, dicitur comparari fidei Dæmonum per ordinem ad inefficaciam actuũ promerentium vitam æternam; quapropter *Beatiſs.* P. aſſerit: *Fidem Dæmonum videntur habere*; idèſt videtur eſſe eadem fides, quæ tamen eadem non eſt. Omnis autem comparatio aliquam diſſimilitudinem debet habere: quia debet eſſe inter diuerſa, cùm idem ad ſe ipſum nequeat comparari. Ad 4. *cum Beatiſs. P. lib. de fide, & oper. c. 14.* diſt. ant. Fides formata charitate, ſeu *quæ per dilectionem operatur*, vt ait *Apoſt. ad Gal. 5*, conc., informis, neg. Ad 5. neg. conſ., ſicut enim ex eo, quòd unus homo habeat plures actus fidei numero diuerſos, non ſequitur, quòd habeat quoque plures habitus numero diuerſos, quia unus habitus poteſt habere plures actus, ita à pari. Ad 6. diſparitas eſt, quia animal non uiuit duplici uita, intrinſeca, & extrinſeca, ſicut uiuit fides: & ideo illud nequit uiuere uita intrinſeca, non extrinſeca, ſicut fides: & per conſequens nequit eſſe uiuum, & mortuum, ſicut dicitur de fide.

8 Quoad 2. quæres 1., an fides informis ſit uera uirtus?

Reſp. eſſe ueram uirtutem, non tamen perfectam, ſicut eſt fides formata charitate, quæ illam perficit. Eſt *cont. Dur in 3. diſt. 23. q. 6.* aſſerentem fidem ſecundùm ſe non eſſe propriè uirtutem, ſed tantùm latè; adeoque neque formatam charitatem eſſe uirtutem ſtrictè, & propriè. *Et cont. Suar. hic diſp. 7. ſect. 2. n. 2.* dicentem non eſſe uirtutem ſimpliciter, ſed cum addito, ſcilicet uirtutem intellectualem. Prob. ex dictis *to. 3. de Act. hum. q. 5. art. 5. §. 2. à n. 25.*

9. Dices. Virtus eſt ad optimum; ſed actus fidei non eſt optimus: ergo non eſt uirtus. 2. *Phil.* non numerat fidem inter uirtutes.

Reſp. ad 1. etiam actum charitatis uiæ eſſe imperfectum, & tamen eſt uirtus. Igitur actus fidei eſt optimus in ſuo genere. Ad 2. dicitur *Phil.* loqui de uirtutibus moralibus, non Diuinis: fides autem naturalis non eſt uirtus, quia eſt fallibilis.

10 Quæres 2. quænam uirtus ſit fides informis?

Reſp. eſſe uirtutem intellectualem, quia perficit intellectum per ordinem ad aſſenſum uerum, & Theologicam, quia habet pro obiecto, & fine immediato Deum.

11 Collig. 1. ex hoc fidem informem eſſe ſupernaturalem infuſam; habetur enim 1. *Cor.* 12. *Aly datur fides in eodem ſpiritu*; & ratio eſt; nam verſatur circa obiectum ſimpliciter ſupernaturale; & eſt virtus Theologica; quæ diſtinguitur à virtute morali per hoc, quòd infundatur à Deo; virtus autem moralis acquiri poſſit per actus.

12 Collig. 2. fidem informem non eſſe in Dæmonibus, in quibus ſolùm eſt virtus acquiſita ſimpliciter naturalis; quia Dæmones omni gratia ordinis ſupernaturalis priuantur, cùm ſint Dei inimici; & ideo priuantur fide, quæ eſt gratia ordinis ſupernaturalis.

13 Quæres 3., an fides informis per aduentum charitatis expellatur?

Reſp. non expelli, ſed formari, & perfici, nam fides, vt *ſup.* dictum eſt *cum Fund. Doct.*, reſpectu charitatis ſe habet, velut color reſpectu lucis; ſed color adueniente luce non expellitur à colorato, ſed perficitur, & formatur in ratione principij mouentis potentiam viſiuam; ergo fides informis adueniente charitate non expellitur, ſed formatur, & perficitur. Item fides informis ſe habet, vt corpus mortuum; ſed corpus mortuum adueniente anima perficitur, & formatur, non deſtruitur; ergo à pari.

14 Tandem collig. fidem informem poſſe infundi ſine gratia, & charitate; vt patet in baptiſmo peccatoris adulti habentis firmam, & rectam intentionem ſuſcipiendi tale ſacramentum; habentis tamen affectum ad aliquod peccatum mortale, quod impedit ſuſceptionem gratiæ, & charitatis, cum qua nequit coniungi; non tamen impedit ſuſceptionem fidei; cum qua poteſt ſtare; quia non repugnat informitatem, quæ eſt peccatum, ſtare ſimul cum fide; aliter non daretur fides informis.

15 Miniſter tamen baptiſmi cognoſcēs adultum baptizandum non eſſe diſpoſitum, ſed habere affectum ad peccatum non debet ei baptiſmum conferre; vt fusè probat *Beatiſs. P. lib. de fide, & oper.* per totum; quod probat *ex Act.* 2., vbi *Petrus* ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum*; vbi dolorem peccatorum præmittit baptiſmo; & deinde: *Eripite vos à ſæculo hoc prauo; at illi audiſſimè capientes exceperunt verba, & crediderunt, & baptizati ſunt. Et Act.* 8. *Philippus* priùs euangelizauit Ieſum *Eunucho*, idèſt prædicauit ea, quæ pertinent ad mores; vt habet *Beatiſs. P. ibid. c.* 9., & poſtea illum baptizauit. *Et Exod.* 14. hoc fuit figuratum *in Hebrais*; qui priùs *ab Egypto* liberati ſunt; & poſtea per mare rubrum tranſierunt; vt indicarent priùs debere hominem ſolui à peccatis, & poſtea baptizari; & *Matt.* 3. *Ioannes* prædicauit pœnitentiam, vt diſponeret ad baptiſmum Chriſti; *& plura huiuſmodi.*

16 Quæres 4., an habitus fidei informis infundatur etiam extra ſacramentum baptiſmi?

Reſp. hac in re diſſidere *Theologos*; nam *aliqui* volunt infundi habitum fidei cathecumenis, quando ante baptiſmum eliciunt actum fidei, nec tamen adhuc habent diſpoſitionem ad gratiæ habitualis infuſionem. *Ita Caiet., Ban., Val., Sua., Vaſq., Lorc., Salas, Conet apud noſtrum Gibb. inf. Aly* verò aſſerunt nunquam infundi habitum fidei ſine habitu gratiæ, & charitatis. Ita *Lugo*, qui refert *D. Bon., Scot., Dur., Ric.* ſequitur *Arriag. apud eundem Gibb.*

17 Dicendum tamen *cum Fund. Doct. in ep. ad Rom. c.* 10. *lect.* 33. *dub.* 2., *noſtro Gibb. hic diſp.* 9. *dub.* 6., apud quem *noſter Aragon. hic q.* 6. *art.* 1. *ad vlt., Sot. lib.* 1. *de nat., & grat. c.* 8., *Salm, & alii*; quòd ante baptiſmum infunditur actus fidei, non habitus. *Ex Conc. Mog. c.* 7. *de iuſtific., & Trid. ſeſs.* 6. *c.* 7., *& Clem. vnica de Summa Trin., & c. Maiores de baptiſmo*; vbi ſtatuitur in iuſtificatione hominem accipere ſimul infuſam fidem, ſpem, & charitatem. Ex quo ſic. Si cathecumenis iam credentibus infunderetur habitus fidei ante ſuſceptionem baptiſmi, non infunderentur in baptiſmo ſimul habitus fidei, ſpei, & charitatis; aliter habitus fidei bis infunderetur; vel deperderetur habitus fidei informis infuſus ante baptiſmum; vel in baptizato eſſet duplex habitus fidei; ſed conſ. eſt falſum; quia in peccatore fideli eſt habitus fidei informis; & cùm iuſtificatur non infunditur nouus habitus fidei ſimul cum habitu charitatis, qui in iuſtificatione infunditur ſimul cum gratia habituali; ergo falſum eſt ant. Tum quia ſi cathecumeni haberent habitum fidei informis, ſe haberent, ſicut peccatores fideles; ſed conſ. eſt falſum, nam nondum perfectè illuminati ſunt, vt docet *Beatiſs. P. tract.* 11. *in Io.*, ergo remanet, quòd in illis ſit tantùm fides actualis. Tādem in cathecumenis ſunt tantùm auxilia actualia, vt amor Dei, cognitio &c., ſed inter auxilia actualia eſt fides actualis; ergo in illis eſt tantùm fides actualis. Idem dicendum de habitu ſpei, qui comitatur habitum fidei, inuoluitur enim in eius definitione.

18 Dices. Hæreticis, dum reuertuntur ad fidem, infunditur habitus fidei in ipſo actu deteſtationis ſuæ hæreſis; ergo & infidelibus in deteſtatione actuali infidelitatis; & ideo etiam ante baptiſmum.

Reſp. neg. conſ; nam in hæreticis eſt character indelebiliter impreſſus in baptiſmo, ratione cuius dicitur virtualiter durare virtus baptiſmi eo modo, quo virtus cauſæ dicitur in ſuo effectu manere; at in infideli nihil eſt, quod habeat virtutem trahendi habitum fidei; non enim eſt in eo baptiſmus, nec effectus baptiſmi.

19 Baptiſmus autem alius eſt in re, alius in voto, vt *ſuo loco* dicemus; in vtroque infunduntur habitus.

20 Dices 1. Actus fidei nequit elici ſine habitu fidei; in hoc enim diſtinguuntur habitus ſupernaturales à naturalibus; quòd illi ſunt ad ſimpliciter, quia ſine illis nequit elici actus ſupernaturalis; & ideo habent rationem potentiæ; iſti autem ſunt tantùm ad faciliùs; ſed ante baptiſmum cathecumeni habent actum fidei; ergo & habitum. 2. Habitus fidei conſeruatur ſine habitu charitatis; vt conſtat in peccatore fideli; ergo ſine illo producitur; quia *conſeruatio eſt continuata productio*. 3.

Con-

Connaturaliùs elicitur actus fidei per habitum, quàm per auxilium tranſiens; ergo idem. 4. *Trid. ſeſſ. 6. c. 6.* ait: *Fides, niſi ad eam ſpes accedat, & charitas, neque vnit perfectè cum Chriſto, neque corporis eius viuum membrum efficit*; ergo ſupponit fidei habitum eſſe in adulto iuſtificando per baptiſmum. Tandem *Araux. & Beatiſs. P.* ſæpiſſimè aſſerunt cathecumenos habere fidem ante baptiſmum; ergo idem.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Actus perfectus, conc; imperfectus, neg; aliter ſequeretur, quòd exiſtens in peccato non poſſet elicere actum imperfectum amoris Dei; quia eſt ſine habitu charitatis: neque poſſet moueri in Deum per amorem; quod tamen falſum eſt; mouetur enim per auxilia actualia. Ad 2. diſt. conſ. Sine illo producitur in baptiſmo collato cum obice peccati, conc; extra baptiſmum, neg. iſti enim habitus ſecundùm curſum præſentis prouidentiæ producuntur ſolùm virtute baptiſmi, vt dictum eſt. Ad 3. dicitur, ſicut ad 1. Ad 4. dicitur *Trid. ibid.* docere fidem, ſpem, & charitatem ſimul infundi; & aſſignat rationem; quia niſi fidei iungeretur ſpes, & charitas; non fieret fidelis perfectum, & viuum membrum Chriſti; vnde potiùs probat oppoſitum. Ad 4. dicitur ſermonem eſſe de fide actuali, non habituali.

ART. VII.

Soluuntur aliquot dubia.

1 Explicanda tandem breui ſtylo ſont aliqua ſpectantia ad habitum fidei, quę vel parum habent difficultatis, vel deducuntur ex *alibi* dictis.

2 Dub. 1. an fides ſit practica, vel ſpeculatiua?

Reſp. non eſſe practicam, aut ſpeculatiuam, ſed affectiuam. Eſt *cont. nonnullos apud Dur.* putantes eſſe purè ſpeculatiuam, *& cont. Thomiſtas, vt Caiet., Gonet., Val., & alios* ſubſtinentes eſſe eminenter practicam, & ſpeculatiuam, & contra alios opinantes eſſe formaliter ſpeculatiuam, & practicam, principaliùs tamen ſpeculatiuam, vt, *noſter Gibb. hic diſp. 9. dub. 4.* apud quem *Ban., Mol., Sua., Lorc., Coninch, Turrian., Gran., & Lugo.* Prob. tamen *ex Fund. Doct. locis cit. to. 1. q. 3. proem. art. 4.*, vbi hanc rem funditus expendimus. Ratio practici, & ſpeculatiui ſumitur à fine; nam ſpeculatiuum definitur, *cuius finis eſt ſpeculari, ſeu ſiſtere in ſola cõtemplatione veritatis*: & practicum, *cuius finis eſt opus alterius potentia ab intellectu*, ſed finis fidei eſt amor, ſeu affectus Dei, dicitur enim 1. *ad Tim. 1. Finis autem præcepti eſt charitas*, & nomine præcepti venit fides: ergo fides eſt affectiua, non ſpeculatiua, aut practica. *Vid. alios rationes ibid.* obiectiones, ac earum ſolutiones.

Dub. 2. an fides ſit vna ſpecie athoma in omnibus?

3 Reſp. affirmatiuè. *Eſt cont. Lug. Hurt. & Arriag.* qui licèt ſentiant habitum fidei eſſe vnum ſpecie in omnibus, attamen putant actus fidei diuinæ ſpecie diſtingui; quia verſantur circa res reuelatas, quę ſpecie diſtinguuntur; & quia eorum aliqui important aſſenſum, & alii diſſenſum. Traditur tamen *à Beatiſs. P. ep. 86.*, & probatur *ex dictis to. 1. q. 3. proem. art. 1.* Habitus ſumunt ſuam vnitatem ſpecificam ex obiecto formali, à quo ſumunt ſpecificationem, vt *ex Phil.* probat *Fund. Doct. 2. ſent. q. 1. prol. & lib. 1. Met. q. 6.* ſed obiectũ formale fidei eſt vnum ſpecie, quia eſt Deus, vt obſcurè reuelans, ergo quamuis obiecta materialia reuelata ſint plura ſpecie, attamen habitus fidei eſt vnus ſpecie. Item quamuis obiecta materialia *Philoſophia* ſint plura, & plures ſint demonſtrationes, attamen eſt vnus ſpecie habitus: ergo quamuis ſint plures reuelationes, & plura reuelata, attamen fides eſt vnus habitus, reuelationes enim ita ſe habent ad fidem, ſicut demonſtrationes ad ſcientiam, nam tam reuelationes, quam demõſtrationes ſunt manifeſtationes veritatum obiecti formalis; & ſicut demonſtrationes ſunt veritates particulares reductæ in vnam rationem formalem obiectiuam adæquatam, quæ ſpecificat ſcientiam, ita dicendum de reuelationibus extrinſecis, quæ reducuntur in primam veritatem ſpecificantem fidem. Quòd autem non multiplicentur ſpecie, prob. Implicat eundem habitum elicere actus diuerſæ ſpeciei, quia tenderet extra ſphæram ſuæ actiuitatis, quæ concluditur in vna ſpecie, ergo actus fidei ſunt eiuſdem ſpeciei. Tum quia habitus ſpecificatur ab actu, & actus ab obiecto: ergo implicat, quòd ſit vnus ſpecie habitus habens plures actus ſpecie diuerſos, ſicut implicat vnum ſpecie actum habere plura obiecta formalia adæquata ſpecie diuerſa. Dicendum ergo actus fidei eſſe tantùm materialiter diuerſos, quia verſantur circa obiecta materialia ſpecie diuerſa. Sic aſſenſus, & diſſenſus diuerſificantur ſolùm materialiter, non formaliter; reducuntur enim in vnam veritatem reuelantem. Tum quia negatio reducitur ad eandem ſpeciem, ad quam ſpectat affirmatio, vt docet *Beatiſſ. P. lib. 5. de Trin. Vid. to. 1. vbiſ.*

4 Dub. 3., an fides ſit prima inter virtutes Theologicas?

Reſp. eſſe primam ordine originis, & in hoc ſenſu dicitur *à SS. PP. primogenita inter virtutes, initium ſalutis, radix totius iuſtificationis, & fundamentum bonorum omnium*, vt docet *Beatiſs. Pater ſerm. 38. de Temp., & ſerm. 181., & ep. 106., & ſæpe alibi.* Ratio eſt, quia nullus ſperat, aut amat aliquem, in quem non credit, ſeu non cognoſcit; nullus enim poteſt incognita amare, nam *nil volitum, quin præcognitum*: ſed fides importat cognitionem Dei reuelantis ea, quæ ſpectant ad noſtrã ſalutem, ſpes autem importat amorem concupiſcentiæ, & charitas amorem Dei in ſe: ergo fides ordine originis prima eſt inter virtutes Theologicas. Sic ſpes prior eſt charitate, quia amor imperfectus præcedit perfectum. Ordine verò dignitatis charitas eſt perfectior ſpe, & fide, & ſpes fide. Habetur *ex Apoſt. 1. Cor. 13. Maior autem horum eſt charitas*: nam charitas eſt forma omnium virtutũ, ſed forma eſt perfectior materia: ergo charitas eſt per-

perfectior omni uirtute morali, ſiue Theologica.

5 Dub.4. an, & quomodo fides ſit certior uirtutibus intellectualibus naturalibus?

Reſp. hoc ſoluendum eſſe eo modo, quod diximus de Theologia *to.1.q.1.*

6 Dub.5. an fides ſit diſcurſiua?

Reſp. negatiuè. *Ita* B.P. *lib.6. Conf. c.5.* ubi ait fidem non egere demonſtratione, quia eſt habitus primorum principiorum ſupernaturalium, ut diximus *to.1.q.3. proem. art.2.* Tum quia fides non haberet meritum, quia aſſentiretur ex vi rationis naturalis, non propter auctoritatem Dei atteſtantis, ut ait *cum* B. *Greg. Fund. Doct. in ep. ad Rom. c.10. lect.33. dub.2.*

7 Dub.6. An Angeli, *&* *Adam* in ſtatu innocentiæ habuerint fidem?

Reſp. affirmatiuè. *Ita Fund. Doct. in 2. diſt. 23. q.2. art.2.* D. *Tho. 2.2. q.5 art.1. & de Ver. q.18. art.3. & omnes communiter.* Prob. *ex B.P. lib.12. de Ciu. c.9.* docente: *Confitendum eſt igitur cum debita laude Creatoris non ad ſolos ſanctos homines, verumetiam de ſanctis Angelis poſſe dici, quòd charitas* Dei *diffuſa ſit in eis per Spiritum S., & ſup.* dixerat fuiſſe creatos *cum amore caſto*, quo in Deũ conuerterentur. Ex quo ſic, Actus charitatis ſupponit cognitionem ſupernaturalem, uolũtas enim nequit amare bonum ſupernaturale, niſi illum cognoſcat, ſed cognitio, qua Angeli cognouerunt Deum in uia, ut ſummum bonum ſupernaturale, fuit per fidem, non enim fuit per lumen gloriæ, aliter fuiſſent creati cum uiſione beata: non enim eſt alius modus cognoſcendi Deum, ut eſt obiectũ ſupernaturale, niſi per fidem in uia, & lumen gloriæ in patria docente *Apoſt.* 1. *Cor.* 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*: ergo habuerunt fidem. *Item lib.9. de* Gen. *ad lit. c.19. de Adam* à Deo ſoporato ait: *Vt ipſius mens per extaſim particeps fieret tanquam Angelicæ Curiæ, & intrans in Sanctuarium Dei intelligeret nouiſſima*: Ex quo ſic; Cognitio qua intelliguntur nouiſſima, eſt fides: ſed Angeli, & *Adam* in uia cognouerunt nouiſſima, ergo habuerunt fidem. Item Angeli, & *Adam* fuerunt creati cum gratia originali, vt docet *Gloſ.*, quæ tenebat locum gratiæ habitualis; ſed fides, & charitas ſunt proprietates gratiæ: ergo fuerunt creati cum fide, & charitate. Tum quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*; ſed fuerunt creati placentes Deo, quia fuerunt creati iuſti, ergo idem.

8 Dices 1. *Hug. de ſacram. c.14.* ait *de Adam*: *Cognouit Creatorem ſuum non ea cognitione, qua modò Deus à credentibus abſens fide inuenitur, ſed ea, qua tunc per contemplationis præſentiam cernebatur*: ſed fides eſt de obiecto abſenti: ergo non habuit fidem. 2. Si habuiſſet fidem, cognouiſſet Chriſtum, & ſic ſui caſus futuri fuiſſet præſcius, quod negat *Beatiſs. P.* ergo idem.

Reſp. ad 1: *cum Fund. Doct.* auditum triplicem eſſe: alium per inſpirationem internam, de quo *pſ.84. Audiam, quid loquatur in me Deus*: & ſic fuit fides *in Adam, & Prophetis*: alium per locutionem Prophetarum, & ſic habent fidem Doctores: alium per locutionem Doctorum, & ſic illam habent rudes. *Adam* ergo habuit fidem à Deo præſente, idèſt ſibi internè loquente, per quam non cognouit Chriſtum, vt Redemptorem à peccatis, ſed tantùm, vt translatorem hominum ab hac ad aliam vitam, prophetauit enim coniunctionem Chriſti cum Eccleſia, vt ait *Apoſt.* ſuper illa verba: *Erunt duo in carne vna*: idèſt *in Chriſto, & in Eccleſia*; gloſat *Apoſt.*, & ideo non fuit præſcius ſui caſus futuri, quia & ſi habuerit fidem Chriſti venturi, vt translatoris, vel præſeruatoris, non tamen ut Redemptoris à peccato.

9 Dub.7; an diſcredens vnum articulum habeat habitum fidei quoad alios articulos?

Reſp. negatiuè. *Ita omnes Theologi cont. Dur. in 3. diſt.23. q.9.* Prob. *ex Iac.2. Quicunque autem totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus, & ad Gal.5. Modicum fermentum totam maſſam corrumpit; & 2. Cor.6. Quæ ſocietas luci ad tenebras? Et Trid. ſeſſ.6. c.15: & can.28.* docet *infidelitate fidem amitti*; loquitur autem generaliter de quocunque peccato infidelitatis, vt eſt hæreſis circa vnum articulum; nec intelligi poteſt de fide actuali, quæ amittitur etiã ſine infidelitate; actus enim fidei, cùm ſint tranſeuntes, amittuntur per deſiſtentiam à cogitatione rerum fidei. *Et Beatiſs. P. q.11. in Matt. Qui falſa de Deo credit, vel de aliqua parte doctrinæ, quæ ad fidei pertinet ædificationem, hæreticus eſt, & foris eſt animo, quamuis intus eſſe videatur.* Ratio eſt. Sublata ratione formali ſpecificatiua cuiuſlibet habitus aufertur habitus; quia ſublata ſpecificatiua formali aufertur res ſpecificata: ſed diſcredens vnum articulum fidei amittit ſpecificatiuum formale ipſius fidei; quia credit alijs articulis ex motiuo humano, non ex motiuo Diuinæ atteſtationis, quę eſt ratio formalis ſpecificatiua fidei, nam Diuina atteſtatio extenditur nedum ad articulos, quos credit, ſed etiam ad articulum, quem negat: & ad infallibilem propoſitionem Eccleſiæ, quam pariter negat, & eſt vnus ex articulis fidei, vt patet *ex Symb.*, ergo amittit fidem. Tum quia priuatio excludens vnam formam, nequit ſtare ſimul cum alia forma eiuſdem ſpeciei cum illa, quam excludit; vt tenebræ excludentes lucem *A.* nequeunt eſſe ſimul cum luce B., & frigiditas, quæ habet annexam priuationem caloris *A*, nequit ſimul eſſe cum calore *B*; ſed actus infidelitatis circa vnum articulum eſt priuatio vnius numero veritatis fidei; ergo nequit ſimul eſſe cum actu fidei circa aliam veritatem, & ideo nec ſimul cũ habitu. Tandem implicat idem eſſe, & non eſſe membrum Eccleſiæ intus Eccleſiam, & foris; ſed diſcredens unum articulum non eſt membrum Eccleſiæ, ſed foris, & habens habitum fidei eſt membrum exiſtens intus Eccleſiam, vt conſtat de paruulis; ergo idem.

10 Dices 1. Peccatum infidelitatis non deſtruit habitum fidei phyſicè, nam actus indeliberatus hæreſis habet eandem entitatem phyſicam, quam habet actus deliberatus, & tamen non deſtruit

ſtruit habitum fidei, nec moraliter, quia peccatum blaſphæmiæ magis meretur deſtructionem habitus fidei, cùm ſit magis graue; quam mereatur negatio v. g. *communionis SS.*, & tamen blaſphæmia non deſtruit fidem; ergo peccato infidelitatis non ammittitur fides. 2. Diſcredens vnum articulum habet eandem facilitatem credendi alios, quam habebat ante; ſed facilitas eſt ſignum habitus; ergo habet habitum. 3. Poteſt quis obedire Deo ſeruando aliqua præcepta, & deobedire trãſgrediendo vnum tantùm præceptum: ergo à pari. 4. Poteſt quis credere homini atteſtanti aliquas veritates, & non credere eidem atteſtanti aliam veritatem: ergo à pari.

Reſp. ad 1. neg. 1. part. ant. infidelitas enim, cùm ſit priuatio fidei, deſtruit fidem, ſicut priuatio deſtruit formam, cui opponitur. Ad prob. inſert. dicitur, quòd habitus ſit relatiuus ſecundùm dici, conſtituitur enim per ordinem ad actum: ideo phyſicè conſtituitur, non per entitatem abſolutè ſumptam, ſed relatè ad actum comparatum ad ſuum obiectum formale. Ad 2. diſt. ma. Habet eandem facilitatem acquiſitam, conc. infuſam, neg. Ad 3. diſt. ant. Per ordinem ad vnam obedientiam, in quam reducuntur omnia præcepta, neg., tranſgrediens enim vnum præceptum eſt abſolutè inobediens. Per ordinem ad ipſa præcepta, conc., & neg. conſ. quia fides conſtituitur vnica ratione formali indiuiſibili, præcepta verò pluribus rationibus formalibus plurium virtutum, per ordinem, ad quas dantur præcepta. Ad 4. neg. paritas, quia homo non eſt ſimpliciter infallibilis in omnibus, ſicut eſt Deus, & ideo homo poteſt fidem mereri in vno, non in omnibus, ſecus de Deo dicendum.

11 Dub. 8, in qua potentia ſubiectetur fides?

Reſp. ſubiectari in intellectu. Traditur expreſsè à *Beatiſs. P. lib. 50. hom. 32.* docente: *Fides enim gradus eſt intelligendi*. Ratio eſt. Omnis habitus habens pro obiecto verum ſubiectatur in intellectu, ſicut omnis habitus habens pro obiecto bonum, ſubiectatur in voluntate, quia ſubiectatur in potentia tendente formaliter in bonum, quę eſt voluntas, quæ à bono ſpecificatur, ſed fides eſt habitus habens pro obiecto verum, quia habet pro obiecto primam veritatem reuelantem, vt *inf.*, ergo ſubiectatur in intellectu.

ART. VIII.

De infidelitate, & eius ſpeciebus.

1 Eſſentias rerum aliquando meliùs explicari per ſuum oppoſitum *apud omnes* compertum eſt: ideo de infidelitate, quæ opponitur fidei, ſummatim agendum eſt.

2 Infidelitas peccatũ antonomaſticè dicitur, vt docet *Beatiſſ. P. lib. 3 cont. duas Epiſt. Pelagian. c. 3.* quia ſicut fides facit filios Dei, ita infidelitas filios inſtituit Diaboli, ait enim: *Filios autem Diaboli infidelitas facit, quod peccatum proprium vocatur, quaſi ſolùm ſit, ſi non exprimatur, quale peccatum ſit*. Et mox. V*nde quod ais Dominus de Spiritu Sancto: Ipſe arguet mundum de peccato, infidelitatem voluit intelligi; hoc enim cùm exponeret, ait: De peccato quidem, quia non crediderunt in me*. Sicut igitur fides dicitur primogenita omnium virtutum: ita infidelitas dicitur peccatum omnium peccatorum: ſicut illa ſecum defert certitudinem, & infallibilitatem: ita iſta mendacium, & falſitatem, ſicut illa illuminat mentem: ita hæc excæcat, & ſic de reliquis.

3 Diuiditur infidelitas in negatiuam, & priuatiuam. Illa eſt, quæ oritur ex ignorantia inuincibili præceptorum fidei, ſiue omittantur purè omiſſiuè, ſiue poſitiuè negentur. Hæc eſt, quæ oritur ex ignorantia vincibili, aut ſcienter, & ex malitia. Ignorantia iuris modò non datur, vt diximus *to. 1. de Subſt. Dei q. 1. art. 5.* & præter ea, quæ illic attulimus, habetur etiam *in reg. iuris in 6.* aliter daretur aliqua excuſatio, qua homines poſſent Chriſto Iudici reſpondere, cur ipſum neſcirent, quod eſt contra illud. *Io. 15. Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*, quę verba generaliter dicta ſunt de hominibus totius Mundi, paulò enim ante dixerat Chriſtus Dominus: *Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit*, ex quibus patet generaliter loqui de omnibus hominibus, de quibus poſtea ſubdit excuſationem non habere, quod non verificaretùr, ſi daretur ignorantia iuris in rebus fidei. Remanet ergo dari ſolam ignorantiam facti inuincibilem, non iuris, & in hoc ſenſu tenemus locutum fuiſſe *D. Tho.* præſertim quia *Fund. Doct.* ei contẽporaneus ſic aſſerit, *& alios Theologos antiquos*.

4 Diuiditur infidelitas priuatiua in *paganiſmum*, ſeu *gentiliſmum*, *Iudaiſmum*, *& hæreſim*. Variè explicantur hæ ſpecies infidelitatis, nam *Caiet.*, *Ban.*, *& alij* volunt differre ex parte ſubiecti ita, vt qui reijcit nouum, & vetus teſtamentum, ſit *paganus*, qui verò confitetur ſolum vetus, ſit *Iudæus*, qui verò ſolùm partem noui teſtamenti, *hæreticus*. *Hurt.*, cui non placet prædicta explicatio, aſſerit *paganum* eſſe illum, qui non eſt baptizatus, nec circuncisus, *Iudæum*, qui eſt circuncisus, & vtitur ritibus *Moſaicis*, & *hęreticum*, qui eſt baptizatus, deficit tamen à fide catholica. *Noſter Gibb.* vtranque explicationem reiicit. 1. Quia ſi *Iudęus*, vel Chriſtianus tranſeat ad *paganiſmum* totaliter, non *hęreticus*, ſed *gentilis* dicitur. 2. *Anabapiſtæ*, antequam baptizentur, dicuntur verè *hæretici*, & *Pauliániſtę* dicuntur *hæretici à D. Hier. cont. Luciferianos* prope finem, *& ab Innoc. I, ep. 22. c. 5.*, & tamen non erant verè baptizati, quia eorum baptiſma non erat verum Sacramentum, non enim conſtabat ex vera forma. Item inſtructus in fide *Lutherana* dicitur *hæreticus* etiam baptiſmum. Ideo aſſerit illum eſſe *paganum*, qui nullo modo profitetur legem Chriſti vel in figuris, vel in manifeſtatione veritatis, *Iudæum* verò, qui profitetur legem Chriſti venturi in figuris, non in veritate: *hæreticum* autem, qui credit iam veniſſe, & retenta hac confeſſione diſcredit alicui articulo, & hanc differentiam ſe tenere nedum ex parte ſubiecti, ſed etiam ex parte obiecti. Sed etiam hic modus videtur aliqualiter deficere, nam

nam abijciens totam fidem chriſtianam, & tranſiens ad paganiſmum non dicitur paganus, ſed Apoſtata, vt nuncupatur *Iulianus*; apoſtaſia autem eſt hæreſis in toto; vt fatetur *Gibb.* Tum quia Chriſtianus tranſiens ad paganiſmum eſt punibilis ab Eccleſia; & cogi poteſt ad fidem; paganus autem nec eſt punibilis ab Eccleſia, nec cogi poteſt; quia eſt extra Eccleſiam, dicitur enim 1. *Cor.* 5. *Quid mihi de ijs, qui foris ſunt, iudicare? Nam Deus eos iudicabit.*

5 Dicendum itaque illum eſſe propriè *paganum*, qui non confitetur, nec vnquam confeſſus eſt vetus, & nouum teſtamentum; *Iudæum* verò, qui confitetur teſtamentum vetus, & nunquam confeſſus eſt teſtamentum nouum; *hæreticum* autem, qui ſemel confeſſus eſt teſtamentum vetus, & nouum; & poſtea rebellauit vel in parte, & dicitur *hæreticus* ſimpliciter; vel in toto, & nuncupatur *apoſtata*; nam vt docet *Beatiſs. P. lib.* 18. *de Ciu. Dei c.* 51., *& ſæpe alibi, hæretici dicuntur, qui exierunt è gremio Eccleſiæ; nullus autem ingreditur Eccleſiã, niſi per baptiſmum; & nemo exit, niſi, qui ſemel intrauit.* Ratio autem huius eſt; quia iſtæ tres ſpecies infidelitatis ſic acceptæ, optimè diſtinguuntur inter ſe; ergo ſic conſtituuntur; nam diſtinctiuum eſt conſtitutiuum.

6 Not. tamen, quòd ſicut baptiſmus alius eſt in re, alius in voto; ſic hæretici dici poſſunt nedum baptizati recedentes à fide, qui ſuſceperunt baptiſmum in ſe; ſed etiam cathecumeni, qui habuerunt baptiſmum in voto; ex quo enim ceperunt credere in Chriſtum, de gremio Eccleſiæ eſſe ceperunt, vt docet *Beatiſs. P. tract.* 11. *in Io*; & ideo illam abijcientes aliqualiter dicũtur exire. Per hoc patet ad illud *de Paulianiſtis*, & alijs *hæreticis*, qui non ſunt verè baptizati, & ideo ſunt rebaptizandi, & vocantur *hæretici à Beatiſs. P. lib. de Vnico bapt. cont. Donatiſt. c.* 3., ſicque diſcipuli *Lutheri* dicuntur *hæretici*, quia iam ſuſceperunt talem ſectam in voto; ſecus autem ſi curioſitatis gratia *hæreticorum* dogmata audiant, vel ſtudio inquirendæ veritatis, vt *Beatiſs. P.* auſcultauit *Academicos*, & per nouem annos *Manichæos*, prout teſtatur *in lib. Conf.*, *& lib.* 1. *de lib. arb. c.* 1., quapropter nec *Academicum* fuiſſe, aut *Manichæum* dicendum eſt, ſed veræ doctrinæ indagatorem ſollicitum, & ſtudioſum, quod non bene aduerterunt *aliqui* vanè garrientes. Ad hoc ergo, vt quis ſit hæreticus in voto, debet habere deliberatum, & firmum propoſitum ſuſcipiendi talem ſectam.

7 Inſt. Cathecumeni recedentes à fide non ſunt punibiles ab Eccleſia, vt docet *Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 2., & vt volunt *Sua. hic diſp.* 19. *ſect.* 5. *n.* 5., *&* 8., *Sanctarell de hær. c.* 1. *dub.* 2. *n.* 5., *Ricciull. de Iure perſon. extr. Eccl. lib.* 3. *c.* 40. *n.* 28., *Farinac. de hær. q.* 178. *n.* 131., *Carena p.* 2. *de hær., & hæret.* §. 5. *n.* 26., apud quem *alij*, ergo non ſunt intra Eccleſiam, & ideo non ſunt *hæretici*.

Reſp. diſt. conſ. Catêchumeni non ſunt intra Eccleſiam in voto, neg., in re, conc., illi autem ſolùm, qui ſunt intra Eccleſiam in re, ſunt punibiles ab Eccleſia, quia ſolùm per baptiſmum in re, qui eſt quid externum ſenſibile, ſpectant ad forum externum Eccleſiæ, in quo ſolùm *hæretici* ſunt punibiles, *Eccleſia enim non iudicat de internis, c. erubeſcant diſt.* 32., idèſt interna non ſubijcit ſuo externo. Sunt ergo Catechumeni intra Eccleſiam, ſicut nouitij ſunt intra Religionem. Idem dicendum de verè non baptizatis.

8 Dices. Præter tres ſpecies aſſignatas datur atheiſmus, & *apoſtaſia*: ergo non eſt bona diuiſio.

Reſp. *atheiſmum* reduci ad *paganiſmum*, qui nullum verum Deum nouit, & *apoſtaſiam ad hæreſim*.

9 *Hæreſis* autem, quæ ex exitus à vera fide, vt colligitur *ex* 1. *Io.* 2., vbi loquens de hæreticis, quos *AntiChriſtos* vocat, ait: *Ex nobis prodierunt, quia non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum*: hæreſis, inquam, propriè dicitur nedum, prout eſt exitus à fide Euangelica: ſed etiam prout ante Chriſti aduentum erat exitus à fide Hebraica, quia illa tunc erat vera, & viua fides: nunc autem licèt ſit vera, eſt tamen mortua, vnde *Sadducæi, & Phariſæi* erant verè hæretici; quando autem quis exit a *paganiſmo* veniens ad fidem catholicam, non dicitur propriè hæreticus, quia *paganiſmus* non eſt vera fides, & ideo exitus *à paganiſmo* non eſt propriè hæreſis, cùm hæreſis ſit exitus à vera, & viua fide: & idem dicendum eſt *de Iudaiſmo*.

10 Quæres 1., an iſtæ tres ſpecies diſtinguantur ſpecie?

Reſp. affirmatiuè, quamuis enim opponantur vni virtuti fidei; attamen opponuntur etiam pluribus virtutibus, nam *paganiſmus* opponitur latriæ, *Iudaiſmus* miſericordiæ Redimentis, & *hæreſis* veracitati Redemptoris.

11 Quæres 2., quænam ex his ſpeciebus ſit grauior?

Reſp. *paganiſmum* eſſe grauiorem extenſiuè, quia negat plures ueritates fidei, quàm *Iudaiſmus*, & Iudaiſmus, quàm *hæreſis*. Intenſiuè tamen eſt omnibus grauior *hæreſis*, ut docet Beatiſs. P. *lib.* 21. *de Ciu. Dei c.* 25., quia *peior vtique eſt deſertio fidei, & ex deſertore oppugnator fidei effectus, quàm ille, qui non deſeruit, quam nunquam tenuit*. Tum quia ubi maior eſt cognitio ueri Dei, ibi maius peccatum, nam actus uoluntatis commenſuratur cum actu intellectus, ſed maior cognitio ueri Dei eſt in hæretico: ergo maius peccatum. Idem dicitur *de Iudaiſmo reſpectu paganiſmi*.

12 Quæres 3., an cum infidelibus ſit diſputandum?

Reſp. non licere laicis, uetatur enim *c. quicunque de hæret. in* 6. ſub pœna excommunicationis: *Inhibemus, ne cuicunque laica perſona liceat publicè, vel priuatim de fide catholica diſputare, qui verò contrafecerit, excommunicationis laqueo innodetur*. Poſſe tamen laicos doctos, præſertim in regionibus mixtis ex fidelibus, & infidelibus, docet *Gibb. hic dub.* 3., apud quem *Sua., Sanch., Conincb., Palao, Lugo, & alij*: quapropter illic *huic canoni* continua conſuetudine eſt derogatum. Vel dicendum

dum

dum illam particulam *cuicunque* facere ſenſum: *Non omnibus*; ſed tantùm aliquibus, vt cùm dicitur: *Non licet cuicunque ingredi cubiculum Regis*; nõ enim facit ſenſum, quòd excludantur omnes; ſed tantùm aliqui. Item laici poſſunt diſputare ex commiſſione clericorum; vt patet *ex Conc. Carthag. 4. c. 98.* præſentibus tamen ipſis clericis. Clerici autem non debent diſputare, niſi ſint firmi in fide, docti, vrgente neceſſitate, cum ſpe notabilis fructus, &c.

13 Quæres 4., an ſit communicandum cum infidelibus?

Reſp. non licere communicare in operibus infidelitatis; prohibetur enim nedum iure naturali, quod dictat non eſſe cooperandum operibus malis; & Diuino; vt 1. *Cor.* 10. *Fugite ab Idolorum cultura*; ſed etiam Eccleſiaſtico; nam *can. 69. Apoſtolorum* deponuntur clerici, qui interſunt feſtis *Iudaorum*; & laici excommunicantur, & *can. 7.* excommunicantur deferentes oleum ad feſtiuitates *Gentilium*, & ad *Synagogas Iudaorum*. Idem habetur *in Conc. Aurelian. III., Laodic., & Brachar.* Item *in c. Iudai 2. de Iudais, & c. Nullus 28. q. 1.* prohibetur habitatio cum *Iudais, & Saracenis*; hoc tamen non obſtante poteſt Chriſtianus habere ſeruum *Iudaum, aut Saracenum*; quia Dominus non dicitur cum ſeruo, ſed ſeruus cum Domino habitare; *& c. omnes 18. q. 1.* vetatur, ne Chriſtiani inuitent *Iudaos* ad conuiuia, aut è contra, poſſunt tamen ſimul comedere in hoſpitio, quia talis comeſtio non eſt conuiuiũ publicum, ſed priuatũ, non recreationis, ſed neceſſitatis, habetur enim 1. *Cor. 7. Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire, omne, quod vobis apponitur, mandacate, & c. nullus eit.*, prohibetur, ne Chriſtiani vtantur medicis *Iudais*, aut medicinis eorum; nec in eodem balneo ſe lauent; nec azima ab ipſis accipiant, aut comedant, quando fit in approbationem *ritus Iudaici*, & in *Conc. Lat. III.*, ne famulentur *Iudais, & Saracenis*; & ne illos ad publica officia admittant; *& c. Iudaorum filios 28 q. 1.* præcipitur, vt filij baptizati ſeparentur à conſortio parentum *Iudaorum*; ne inuoluantur eorum erroribus. Tandem illicitum eſt conuerſari, & communicare in omnibus actionibus, in quibus eſt periculum peruerſionis, aut ſcandalum; non autem quando nullum eſt periculum, aut ſcãdalum.

14 Quæres 5., an infideles poſſint cogi ad ſuſcipiendam fidem catholicam?

Reſp. 1. poſſe Principes chriſtianos cogere infideles non baptizatos ſibi ſubditos ad audiendam prædicationem euangelicam; non verò ſibi non ſubiectos. Patet *ex Bulla Greg. XIII. S. Mater Eccleſia*; & ex praxi, & ratio eſt, quia Principes poſſunt cogere ſuos ſubditos ad bonum virtutis, & ad declinanda vitia, nam virtutibus conſeruantur, & vitijs euertuntur communitates; non verò ſibi non ſubiectos, in quos non habent dominium, ſed prædicatio Euangelica ſuadet bonum virtutis, & decliuationem vitiorum; ergo Principes poſſunt cogere ad illam. 2. Non poſſe cogere infideles non baptizatos directè ad fidem amplectendam, quia poteſtas coactiua conuenit tantùm reſpectu ſubditorum, ſed infideles non ſubduntur Eccleſiæ in ſpiritualibus, quia non ſunt eius membra; nec à fortiori Principibus, qui poteſtatem ſpiritualem non habent, ſed temporalem, hinc 1. *Cor. 5.* dicitur: *Quid mihi de ijs, qui foris ſunt, iudicare? Et Io. vlt.* Chriſtus dans poteſtatem *Petro* dixit: *Paſce oues meas*; infideles autẽ nõ ſunt oues Chriſti. Itẽ *Conc. IV. Tolet.* improbat factum *Siſebuthi*, qui compulit *Iudaos* ſibi ſubditos ad baptiſmum. Idem ſtatuitur *in c. ſicut Iudai de Iudais, & Saracenis, & in c. maiores de baptiſmo; & c. Qui ſincera diſt. 45., & Trid. ſeſs. 14. c. 2., & l. Chriſtianis C. de Paganis.* Dixi non *directè*, quia poſſunt prohibere ſacrilegos Dęmoniorum cultus, & alia flagitia, vt patet *ex l. 1. l. ne quis, & l. nemo ea, & l. nemo venerandi C. de Paganis*, hoc autem eſt indirectè tantùm cogere ad fidem. Alios tamen ritus non adeo flagitioſos non poſſunt vi armorum prohibere, nec eos inducere ad ſeruanda præcepta naturæ, quando nullũ eſt præiudicium. Hoc patet *ex Epiſt. Nicolai Papa ad Bulgaros, & textibus* mox allatis. 3. *Hæreticos* poſſe cogi, quia vt docet *Trid. ſeſs. 14. c. 2* Eccleſiæ membra facti fuerãt per baptiſmũ, & cõſtat *ex Deut. 13. & 17.* ubi habetur punitio *Hebraorum* inobedientium Sacerdoti, & ad idolatriam tranſeuntium, *& ex Conc. Coſtan. ſeſſ. 15.* ubi damnatur propoſitio *Io. Huſ.* negantis poteſtatem Eccleſiæ puniendi hæreticos: *& ex Bulla Leonis X. contra Luther. & c. Ad abolendam; & c. Excommunicamus, & c. contra Chriſtianos de hareticis in 6. & c. maiores de baptiſmo, & c. de Iudais diſt. 45.*

15 Quæres 6. quibus pœnis afficiantur hæretici?

Reſp. incurrere ipſo facto excommunicationem maiorem Papæ reſeruatam. *c. Achatius 24. q. 1. c. ad abolendam, c. excommunicamus 1. & 2. de heret. in 6. & c. Quicunque ibid. & c. nouerit de ſent. excommunic.*; & habetur *in Bulla cana Domini*. Hoc tamen non eſt intelligendum de hæreticis purè mentalibus, *vt ex c. Tua nos, & c. ſicut tuis de Simonia, & c. Erubeſcant diſt. 32.* vbi dicitur *Eccleſiam non iudicare de occultis*.

An autem hęc excõmunicatio ſit à iure Diuino? affirmant *aliqui*, habetur enim *Rom. 16. Declinate ab illis, & 1. Cor. 5. Nec cibum ſumere cum illis; & 2 Io 1. Nec aue ei dixeritis; & ad Gal. 1. Si quis vobis euangelizauit præter id, quod euangelizatum eſt, anathema ſit.* Negant *Gibb. hic diſp 12. dub. 6. n. 4. Sot; Val; Sua; Henriquez, Caſtro, Lorc; Hurt; Palao, Lugo*, apud quem *alii*.

16 An hæreticus ſit vitandus? Reſp. *Gibb.* non eſſe vitandum, niſi declaretur hæreticus, & incurriſſe cenſuras hæreticorum.

17 Præterea incurrunt hæretici irregularitatem. *Ita c. ſaluberrimum 1. quæſt. 7.* Si autem ante hæreſim promoti erant ad aliquos ordines, poſſunt diſpenſari ab Epiſcopo. *Sylu. in ſumma; & alii*: Idem dicitur de hæreticis exterois etiam occultis. Ab hac irregularitate nequeunt Epiſcopi diſpenſare ex vi *Trid. ſeſs. 24. c. 6. de Reformat.*, quia *ibid.* ſermo eſt de irregularitate proueniente ex delicto occulto, non ex hæreſi, quæ debet exprimi, quia longè grauior eſt delicto homicidii, quod ta-

tamen *ibi* nominatim excipitur. Igitur à ſolo Papa diſpenſabilis eſt.

18 Item incurrunt infamiam, *c. Excommunicamus* 1. §. *credentes de hæret.*, & *c. ſtatutum eod. tit. in 6.*, & *c. infames 6. q. 1.* Inſuper priuationem ſepulturæ ſacræ, *c. Quicunque de hæret. in 6.*, vbi excõmunicatur dans ſepulturam alicui hæretico. Deinde incurrunt inhabilitatem ad beneficia, & officia *c. 2. §. hæretici de hæret. in 6.* Hæc pęna extenditur ad filios hæreticorum vſque ad ſecundam generationem: *c. cit.*: attamen *c. ſtatutum eod. tit.*, reſtringitur ad lineam paternam. Item incurrunt priuationem beneficiorum ante hæreſim eis collatorum; non tenentur tamen reſignare ante Iudicis ſententiam. Item priuantur omni iuriſdictione Eccleſiaſtica.

19 Item incurrunt pęnam mortis. *l. Quicunque C. de hæreticis*; *l. Arianos*, *l. Manichæos*. Ideo *Conc. Conſtan. ſeſs. 15.* iuſſit *Io. Huſ.*, & *ſeſs. 21. Hieronymum de Praga* tradi foro ſæculari ad comburendum.

20 Tandem incurrunt pænam confiſcationis omnium bonorum temporalium, etianſi occulti ſint. *c. Vergentes*; & *c. cùm ſecundùm leges in 6. de hæret.*, & *l. Manichæos in authen. Gazaros C. de hæret.*, *l. Quiſquis*; & *l. vlt. C. ad legem Iuliam Maieſt.*, & *l. vlt. C. de bonor. præſcript.* Non tamen tenentur reſignare bona, niſi poſt ſententiam. *Noſter Gibb. vbi ſ. dub. 9. n. 3.*, apud quem *alij*.

21 Quæres 7., à quo abſolui queat hæreticus?

Reſp. 1. certum eſſe in articulo mortis poſſe abſolui à quolibet ſacerdote. *Ita Conc. Trid. ſeſs. 14. c. 7.* Imò *plures* volunt etiam à clerico apud *Gibb. hic dub.* 8. Tandem *alij* putant etiam à laico; quia debet præſumi S. Matrem Eccleſiam in extremo caſu dediſſe facultatem omnibus, quibus poteſt illam concedere; poteſt autem facultatem abſoluendi à cenſuris concedere etiam laicis. Verius tamen exiſtimant *alij communiter* hanc facultatem conceſſam eſſe ſolis ſacerdotibus; quia *Trid.* ſolos ſacerdotes nominat; nec alibi legitur conceſſa clericis, aut laicis.

22 Item certum eſt ſolum Papam poſſe abſoluere hæreticos, vt conſtat *ex Bulla cænæ.*

23 Quæres 8., quænam pertinacia requiratur ad hæreſim?

Reſp. certum eſſe ad hæreſim non ſufficere errorem in intellectu, ſed requiri pertinaciam in voluntate. *Ita Beatiſs. P. ep. 62.* relatus *in c. Dixit 24. q. 1.*, & *in Clement. vnica de Summa Trin.*, & *Fund. Doct. in c. Firmiter de Summa Trin. fol. 7. col. 2.*, & *omnes DD. communiter.* Ratio eſt, nam ſicut ad fidem non ſufficit veritas in intellectu, ſed requiritur pia affectio in voluntate, ita ad infidelitatem, quæ fidei opponitur, non ſufficit falſitas in intellectu, ſed requiritur praua affectio in voluntate, quæ pertinacia dicitur; vnde qui falſum aſſereret in rebus fidei, non eſſet hæreticus, ſi eſſet paratus reijcere errorem, cùm primũ illum cognoſcit. *Aliqui* tamen volunt ad pertinaciam requiri, quòd errans vna, vel altera vice admoneatur, & ſpreta tali admonitione in ſuo errore perſiſtat, & ideo debet diu morari in ſuo errore. Tribuitur *Syl. in Summa V. hæreſis 1. q. 2. n. 5.*, & *alijs paucis*. Communior tamen ſententia docet ſufficere, vt quis ſcienter, & cum plena deliberatione teneat aliquod contrarium ijs, quæ proponuntur ab Eccleſia, etianſi hoc ſit in inſtanti tẽporis. *Ita Caiet.*, *Sua.*, *Vaſq.*, *Val.*, *Diana*, *Sanch.*, *Carena*, *noſter Gibb.*, & *alij*. Prob. Ad actum fidei ſufficit inſtantanea affectio, ergo à pari. Tum quia monitio eſt tantùm neceſſaria ad hoc, vt errans ſciat ſuum errorem eſſe contra doctrinam Eccleſiæ, ſed ſciens cum plena deliberatione cognoſcit ſuum errorem eſſe contra doctrinam Eccleſiæ, aliter non eſſet ſciens cum plena deliberatione: ergo non eſt neceſſaria talis monitio, aut mora temporis, ſed ſufficit ſcire oppoſitum eſſe ſufficienter propoſitum ab Eccleſia ad credendum. Tandem ad alia peccata ſufficit inſtantaneus conſenſus, ergo à pari.

24 Sed petes, an diſſentiens reuelationi priuatæ, quam ſcit certò eſſe factam à Deo, ſit hæreticus?

Reſp. poſſe dici hæreticum internum, non externum, priuatum, non publicum, quia negat veram fidem Dei internè, & priuatè, non externè per Eccleſiam, & publicè reuelatam, nam quòd fides reueletur per Eccleſiam, aut immediatè per ipſum Deum internè loquentem, non variatur ſubſtantialiter: Papæ enim reuelatur internè à Deo inſpirante veritas ab ipſo credenda per fidem: quam poſtea ipſe fidelibus externè reuelat, ergo negans veritatem à Deo reuelatam fidem amittit, & ideo eſt hæreticus internus, & priuatus, non externus, & publicus. Sic conciliantur *Sua.*, *Azor.*, *Sanch.*, aſſerentes eſſe hæreticum, & *Palao*, *Lugo.*, & *Gibb.*, negantes eſſe hæreticum, quamuis admittant amittere habitum fidei.

25 Quæres 9., in quo differat propoſitio hæretica ab erronea, & alijs?

Reſp. propoſitionem *hæreticam* eſſe, quæ immediatè, & directè opponitur propoſitioni à Deo reuelatæ, & per Eccleſiam propoſitæ ad credendum, & debet eſſe aſſerta cum pertinacia, ut dictum eſt. *Erronea* eſt, quæ opponitur concluſioni Theologicæ deductæ ex propoſitione de fide. Propoſitio *hæreſi proxima* eſt, quæ facilè infert hæreſim; vel infertur ab hæreſi: quam *plures graues Doctores*, licèt non omnes, cenſent eſſe oppoſitam propoſitioni de fide. *Errori proxima* eſt, quæ infert errorem, vel infertur: vel *cum Gibb.*, quam cenſent *omnes* eſſe contra concluſionem Theologicam. *Sapiens hæreſim* eſt, quæ indicat proferentem habere animum infidelem. *Suſpecta de hæreſi* eſt, quæ continet ſenſum catholicum, inducit tamen ſuſpicionem hæreſis ratione perſonæ, loci, & temporis, vt ſi *Lutheranus* dicat: *Fides iuſtificat*; quamuis enim vera ſit de fide formata, de qua loquitur *Apoſtolus*: attamen in ſenſu *Lutherano* eſt hæretica. *Malè ſonans* eſt, quæ exprimit æquiuocè ſenſum ſimul catholicum, & hæreticum.

Pia-

Piarum aurium offenſiua eſt, quæ exprimit aliquod indecens in materia pietatis, ſeu religionis; vt cùm dicitur: *Chriſtus quotidie peccat*; intelligens de corpore myſtico. *Temeraria* eſt, quæ caret omni ratione ſolida, & nititur ſolùm ratione futili; & eſt contra communem *SS.PP.* ſententiam. *Seditioſa* eſt, quæ diſſoluit vnitatem Eccleſiæ. *Schiſmatica* eſt, quæ auertit ſubditos á Papa, qui eſt legitimus Superior. *Scandaloſa* eſt, quæ inducit aliquem ad peccandum. *Blaſphæma* eſt, quæ continet irreuerentiam, vel iniuriam in Deum, Deiparam, aut Sanctos. *Impia*, quæ vergit ad *Atheiſmum*. Aſſerere autem has propoſitiones, vel illas ſcienter defendere eſt peccatum illius ſpeciei, in qua eſt materia talis propoſitionis; vt ſi eſt hæretica, eſt hæreſis &c.

26 Quæres 10: quid ſit apoſtaſia, & an ſit ſpecies à tribus enumeratis diſtincta?

Reſp., quòd apoſtaſia in genere definitur *receſſio à Deo*. Sumitur autem tripliciter. 1. latè pro receſſu ab obedientia Diuinorum præceptorum; & ſic omnis peccator dicitur *apoſtata*. 2. pro receſſu ab aliqua religione, aut ordine ſacro; & in hoc ſenſu dimittens habitum religioſum, vel clericalem animo viuendi laicaliter eſt apoſtata. 3. ſtrictè, & propriè; & ſic eſt receſſus à fide catholica. Hic receſſus poteſt adhuc dupliciter accipi. 1. pro receſſu in toto ita, vt negentur omnes propoſitiones fidei, & tranſeatur ad *paganiſmum*, vt fecit *Iulianus* Imperator *apoſtata* nuncupatus; & in hoc ſenſu apoſtaſia ſumitur ſtrictiſſimè. 2. pro receſſu à fide non ſimpliciter illam deſerendo, & negando omnes propoſitiones illius, ſed retenta quoad nomen religione chriſtiana negando ſolùm vnū, vel alterum fidei articulum; & in hoc ſenſu *apoſtaſia* idem eſt, ac *hæreſis*. Diximus *quoad nomen*, quia negans vnum tantùm articulum amittit totam fidem ſecundùm rem; vt *ſup.* diximus: non enim credit alios articulos fide Diuina, ſed humana.

27 An autem apoſtaſia ſtrictiſsimè ſumpta diſtinguatur ſpecie à tribus alijs ſpeciebus infidelitatis?

28 Communis eſt ſententia non eſſe ſpeciem diſtinctam, ſed ad illas reduci. Sed dubium eſt: an reducatur ad hęreſim, vt volunt *Caſtro, Caiet; Ban; Val; & alij*. Vel reducatur ad illam ſpeciem, ad quam tranſit apoſtata: v.g. cùm apoſtata tranſit *ad Iudaiſmum*, tunc apoſtaſia reducatur *ad Iudaiſmum* tanquam circunſtantia notabiliter illum aggrauans, vt vult noſter *Gibb. hic diſp. 13. dub. 1.*, apud quem Turrecręmata, *Palud., Can; Lorc., Lugo; Arriag., & alij*.

29 Dicendum *apoſtaſiam* reduci ad hæreſim, vt *ſup.* innuimus. 1. Hæreſis propriè eſt exitus à vera fide, ſed apoſtaſia eſt huiuſmodi, ergo eſt hęreſis propriè. 2. Non minùs eſt paganus, qui credit ſolos duodecim Deos maiores, vel tantùm aliquos ex his, & nunquam profeſſus eſt ueram fidem, quàm qui credit omnes Deos maiores, minores, & minutos, quos finxit *gentilitas*, ergo à pari. 3. Hæreſis eſſentialiter eſt amiſsio fidei catholicæ habitæ per baptiſmum, ſed diſcredendo uni articulo, uel omnibus amittitur fides catholica, ergo idem. 4. Priuatio non diſtinguitur ſpecie ab alia priuatione, niſi per diſtinctionem ſpecificam formæ, cui opponitur, nam ſecundùm ſe eſt non ens, & ideo ſecundùm ſe nullam habet diſtinctionem ſpecificā, quæ ſequitur ad eſſe ſpecificū, ſed apoſtaſia eſt priuatio fidei catholicæ, ergo non diſtinguitur ab hæreſi. 5. Totum, & partes alicuius obiecti non diſtinguuntur ſpecie formali ſpecificante aliquem habitum, licèt partes materialiter differant, aliter circa idem obiectum, & partes illius darentur plures habitus ſpecie diuerſi, ſed hæreſis uerſatur circa partem obiecti fidei, & apoſtaſia circa totum, ergo idem. 6. hæreſis, & apoſtaſia à fide puniuntur iiſdem pęnis, ut patet *ex c. contra Chriſtianos de haret. in 6., & ex l. 2. C. de apoſtatis*, ergo important eandem ſpecie malitiam, quia pęna correſpondet culpæ. 7. In apoſtata eſt caracter impreſsus in baptiſmo indelebilis, per quem ſignatur, & diſtinguitur à pagano, ergo non eſt paganus.

30 Dices *cum Gibb.* 1. Catholicus tranſiens *ad Iudaiſmum* eſt *Iudæus* formaliter, non hæreticus, ſed apoſtata negans omnes ueritates fidei tranſit *ad paganiſmum*, ergo eſt formaliter paganus, non hæreticus. 2. Hæreſis definitur error pertinax contrarius fidei catholicæ in eo, qui profitetur legem Chriſti, ſed apoſtaſia non retinet legem Chriſti, cùm illam totam abijciat, ergo non eſt hæreſis. 3. Habitus, & actus ſumunt diuerſitatem à termino *ad quem*, ſed habitus, & actus apoſtatantis ad paganiſmum habet diuerſum terminum *ad quem*, ac habeat hæreſis, quæ profitetur legem Chriſti, ergo idem. Addimus, quòd ſi apoſtaſia non differret ſpecie ab hæreſi, in ſententia docente non eſſe neceſſarium explicare in confeſsione circunſtantias aggrauantes ſufficeret apoſtatæ dicere ſe fuiſſe hæreticum, ſed conſ. eſt contra praxim inquiſitionis, quę cogit ſingulos errores abiurare, ergo idem.

Reſp. ad 1. neg. ma., ad ſummum enim poteſt dici *paganus* cum addito, ſcilicet *profeſsione*, non ſimpliciter, quia nomine *pagani* ſignificatur, qui nunquam profeſſus eſt fidem catholicam. Ad 2. diſt. ma. Qui profitetur, uel profeſſus eſt legem Chriſti, conc., qui tantùm actu profitetur, neg. Ad 3. diſt. ma. Habitus poſitiui, conc., priuatiui, ut apoſtaſia, neg., priuatio enim ſpecificatur à forma, qua priuat. Ad 4. dicitur argumentum æquè militare contra *Aduerſarios*, communiter enim admittitur diuiſionem infidelitatis in has tres ſpecies eſſe adæquatam. Dicitur ergo, quòd licèt apoſtaſia ſit idem ſpecie cum hæreſi generaliter ſumpta per ordinem ad fidem, à qua recedit, diſtinguitur tamen ſpecie athoma per ordinem ad diuerſas uirtutes, quæ ancillantur ipſi fidei: ſicut enim omnia peccata contra charitatem conueniunt in ratione generica, prout tamen ſunt contra diuerſas uirtutes charitati connexas, quæ ſunt partes ipſius, ſpecie athoma diſtinguuntur, ut ſurreptio rei, & uxoris alienæ: ita à pari.

31 Inſt. Lug. Non minùs eſt intemperans, qui nunquam habuit temperantiam, quàm qui illam habuit; ergo non minùs eſt paganus, qui nunquam profeſſus eſt fidem catholicam, quàm qui illam profeſſus eſt.

Reſp. neg. conſ., nam fides ſemel recepta imprimit caracterem indelebilem, per quem diſtinguitur apoſtata a pagano, qui illo caret; temperantia autem non imprimit caracterem; ideo non eſt paritas.

32 Apoſtaſia triplex eſt; ſcilicet à fide, à religione, & ab ordine. De prima ſatis dictum eſt.

33 Apoſtaſia à religione eſt *retroceſſio temeraria religioſi ſolemniter profeſſi à religionis inſtituto ſine propoſito reuertendi.* Dicitur *temeraria*: quia ſi adſint rationabiles cauſæ, non eſt apoſtaſia. Dicitur *ſolemniter profeſſi*; quia nouitius dimittens habitum non eſt apoſtata. Dicitur *à religionis inſtituto*; quia recedens ab aliqua congregatione hominum piorum, quæ non eſt propriè religio, non eſt apoſtata. Dicitur *ſine propoſito reuertendi*; quia ſi quis recedat per aliquod tempus, v.g. per horam, non eſt apoſtata, ſi habeat animum reuertendi: vnde qui ſine licentia fugit à conuentu animo non deponendi habitum, non eſt apoſtata, ſed excommunicatus, quamuis *Trid. ſeſſ.* 25 *c.* 4. tanquam deſertorem ordinis vagatorem ſine huiuſmodi licentia tradat ordinarijs puniendum.

34 Apoſtaſia ab ordine ſacro eſt *retroceſſio à ſtatu ſacro ad ſtatum laicalem propria auctoritate. c. ult. de vita, & honeſt. cleric.* Talis apoſtata eſt infamis. *c. Beatus* 3. *q.* 4. Si ſemel monitus non ſe corrigit, eſt deponendus. *c. præcipimus* 2. *q.* 4 Eſt excommunicatus. *Clem. vnic. de affinit., & conſang.* Amittit priuilegium canonis: *Si quis ſuadente &c. c.* 1. *extr. de apoſt., & reit. bapt.*, vnde ſi quis talem percutiat, non incurrit excommunicationem dicti canonis. *c. in audient.* 25., *conting.* 45. *extr. de ſent. excomm.*

35 Quæres vlt., quid, & quotuplex ſit blaſphæmia, & an reducatur ad hæreſim?

Reſp., quòd blaſphœmia eſt *maledictio, ſeu contumelia prolata in Deum, vel in ſanctos, quatenus redundat in Deum*; ſicut enim Deus laudatur in ſanctis, ita in illis blaſphematur.

36 Blaſphœmia alia eſt cum intentione directa inhonorandi Deum, vt in damnatis, & deſperatis ex indignatione inhonorantibus Deum: alia tantùm cum intentione indirecta, vt cùm quis profert aliqua verba intendendo tantùm inducere audientes ad credendum, quæ verba tamen continent ei contemptum.

37 Item diuiditur in hæreticalem, & ſimplicem. Hæreticalis eſt, qua tribuitur Deo aliquod, quod ei non conuenit, vel negatur, quod ei conuenit. Simplex eſt, quæ profert aliquod Deo conueniens, ſed cum contemptu, vt cùm quis iurat per ſacramenta, per ſanguinem Chriſti &c.

38 Blaſphœmia attribuens Deo aliquod ei inconueniens, vel negans aliquod conueniens in Chriſtiano reducitur *ad hæreſim*, in pagano *ad paganiſmum*; hæreſis enim propriè poteſt eſſe ſolum in baptizato, vt dictum eſt, ſicut paganiſmus in nõ baptizato, & blaſphœmans aſſerit aliquod, quod negat fides; vel negat, quod aſſerit fides. Poteſt autem oriri vel ſolum ex prauo affectu, vel ex errore intellectus, vel ex vtroque. Eſt grauiſſimum omnium peccatorum, quia reducitur ad peccatum infidelitatis, quod eſt grauius omni peccato cõmiſſo contra virtutes morales.

QVAEST. II.

De actu fidei.

POſtquam egimus de habitu, qui eſt principium actus, procedimus ad agendum de actu, qui immediatè deſcendit ab habitu. Actus autem fidei communiter diuiditur in internum, qui elicitur ab ipſo habitu, & externum, qui non elicitur, ſed tantum imperatur à fide. De vtroque *hic* agemus.

A R T. I.

An ad actum fidei internum requiratur pia affectio voluntatis?

1 BEatiſs. P. *Aug. ſerm.* 181. *de temp.* diſtinguit tres actus fidei, ſcilicet *credere Deum, credere Deo, & credere in Deum. Fund. Doct. in ep. ad Rom. c.* 4 *lect.* 13. *dub.* 3., *& ac laud.* Diuinæ *Sap. c.* 5. ait, quòd credere Deum eſt credere Deum eſſe, quod agunt etiam *gentiles*, imò & Dœmones ipſi, & de hoc actu in præſenti non loquimur, poteſt enim eſſe actus fidei naturalis, vt in *gentili*, & dœmonibus. Credere Deo eſt credere uera eſſe, quæ locutus eſt Deus, quod agunt fideles ſiue iuſti, ſiue peccatores. Credere in Deum eſt tendere in Deum per amorem, tanquam in vltimum finẽ, in quem dirigit ſuam fidem, & hoc modo credunt ſoli fideles iuſti; quia credere hoc modo ſumptum eſt actus fidei formatæ per charitatem. Hanc doctrinam colligit *Beatiſs.* P. ex illo *Io.* 6. *Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille*, dicens: *Hoc eſt opus Dei, vt credatis in Deum, non ut credatis ei. Sed ſi creditis in eum, creditis ei: non autem continuò qui credit ei, credit in eum.* Et mox. *Credenti autem in eum, qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam. Quid eſt ergo credere? credendo amare, credendo in eum ire.* Ex hoc habetur, quòd credere Deo poteſt eſſe actus fidei informis; credere autem in Deum eſt actus fidei formatæ. Et quamuis peccatores recitando *Symbolum* dicant: *Credo in Deum, & Io.* 12. dicatur: *Ex Principibus multi crediderunt in eum, ſed propter Phariſæos non confitebantur, dilexerant enim magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei*; ex quibus patet, quòd crediderunt in Deum non amando perfectè, ſed imperfectè, propterea comparat *Apoſt.* amorẽ hominum cum amore Dei, & dicit illum fuiſſe maiorem, & ideo fuit credere imperfectum. Habetur etiam, quòd licèt credere Deum eſſe conueniat etiam dœmonibus, & gentilibus per uires naturæ, attamen fidelis hoc poteſt credere etiam per fidẽ

Diuinam, ut *ſup.* diximus. Tandem habetur, quòd debemus credere S. Eccleſiam, non in S. Eccleſiã, ſed ſolùm in Deum, quia ſolus Deus eſt ultimus finis, in quem debemus ultimatè tendere per amorem, ut docet *B. P. ſerm. 33. de Temp.* Quærimus ergo, an ad omnem actum fidei ſiue informis, ſiue formatæ ſit neceſſaria pia uoluntatis affectio?

2 Prima ſententia negat, putat enim intellectum neceſſitari à motiuis euidentibus credibilitatis aſſentiendum ueritatibus fidei, ſicut cogitur à præmiſſis euidentibus ad aſſentiendum concluſionibus ſcientificis. Ita *Holcoth in 1. q. 1. art. 1., & Pic. Mirand. in apolog. q. 8., & Turrian. hic diſp. 29. dub. 1.* aſſerentibus, quòd uel motiua fidei ſunt ſufficientia ad inducendum intellectum ad credendũ, & ſic intellectus non eget uoluntatis motione, uel non ſunt ſufficientia, & ſic non ſufficit uoluntatis imperium, quod nequit ſupplere defectum obiecti.

3 Secunda vult, quòd licèt ab initio, cùm intellectus primò tranſit de infidelitate ad fidem, indigeat poſitiuo imperio, & pia voluntatis affectione ſupernaturali ad credendum; attamen poſtquam iam factus eſt fidelis, & eſt aſſuetus ad credendum, non requiritur ſemper talis pia affectio, ſed ſufficit imperium ordinis naturalis, quo intellectus applicetur ad cogitandum de rebus fidei; ad quòd negatiuè non contramoueat, aut diſſentiat in ſupernaturalibus, ſed omiſſiuè, & quaſi habitualiter conſentiat actui fidei; quia tunc intellectus habitu ducitur, & determinatur, & in virtute præcedentium actuum voluntatis ſupernaturaliter mouentis; non autem in virtute imperij præſentis ſupernaturalis; quanuis regulariter, & vt plurimùm, interueniat etiam hoc imperium, quod eſt pia affectio. Hanc ſententiam contendit *Maſtrius in 3. diſp. 6. q. 8. art. 8.* eſſe *Scot. in 3. diſt. 25. q. 2.*, quam ſequitur *Aretin., Sua. hic diſp. 6. ſect. 7. n. 6., & alii*; quanuis *alii Scotiſtæ* aſſerant ad actum fidei aliquando ſufficere, vt voluntas non contradicat; & hanc eſſe *Scoti* opinionem.

4 Noſtra tandem docet ad actum fidei Diuinæ ſemper requiri piam voluntatis affectionem ſupernaturalem mouentem, & determinantem intellectum ad credendum, & influentem in actum fidei, ac captiuitatem intellectum in obſequium fidei. Colligitur *ex Fund. Doct. in 3. diſt. 24. q. 1. art. 1.*, vbi habet: *Et cum homo habens fidem formatam ſit magis in charitate, quàm habens fidem informem, quæ fides non eſt charitati coniuncta*; idèſt non eſt coniuncta habitui charitatis; eſt tamen coniuncta alicui charitatis affectui; aliter ſi habens fidem informem nullum haberet coniunctum affectum in Deum, non aſſereret, quòd habens fidem formatam ſit *magis in charitate*; ſicut bene dicitur, quòd habens calorem permanentem ſit magis calidum, quam habens calorem tranſeuntem, ineptè tamen diceretur, quòd habens calorem ſit magis calidũ, quâm non habens calorem, comparatio enim propriè eſt inter formas eiuſdem ſpeciei. Diſtinctionem autem charitatis in habitualem, & actualem tradit *in ep. ad Rom. c. 5. lect. 16.* ſuper illud: *ſpes autem non confundit*: in fine. Hanc ſententiam, vt potè *Scripturis, Conciliis, & SS. PP.* conformem, tradunt *omnes noſtri Arag., Gibb. omnes Thomiſtæ, & alii communiter*.

5 Vnica concl. Ad actum fidei ſemper requiritur pia voluntatis affectio influens in ipſum actum.

Prob. 1. pars concl. 1. *ex Rom. 10. Corde enim creditur ad iuſtitiam, & Luc. 24. O ſtulti, & tardi corde ad credendum.* Nomine autem *cordis* ſignificatur voluntas, quæ reſidet in corde; ſicut nomine *mentis* ſignificatur intellectus. Ex quo *Conc. Araux. II. c. 5.* ſtatuit *affectum credendi eſſe initium fidei, quo in eum credimus, qui iuſtificat impium*: & *Trid. ſeſs. 6. c. 6. Dum excitati Diuina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum credentes vera eſſe, quæ diuinitus reuelata, & promiſſa ſunt*: & *B. P. tract. 26. in Io. Multa poteſt facere homo non volens, credere autem non poteſt, niſi volens.* Ex quo ſic. Sine principio formali actus nunquam poteſt haberi actus, ſed pia affectio eſt principium formale actus fidei, quia *cor*, idèſt affectus, eſt principium, quo creditur, idèſt quo elicitur actus fidei: tum quia pia affectio eſt initium fidei, vt docet *Araux*; tum quia actus fidei eſſentialiter eſt liber, & meritorius; & ideo ſicut nequit eſſe liber poſitiuè ſine imperio poſitiuo voluntatis, nam omiſſio dicitur libera priuatiuè, non poſitiuè: ita nequit eſſe meritorius ſine aliquo affectu voluntatis procedente à charitate; ergo ſine pia affectione nequit dari actus fidei Diuinæ. Atqui id, ſine quo actus haberi nequit, eſt ſimpliciter, & ſemper neceſſarium; ergo ad actum fidei eſt ſimpliciter, & ſemper neceſſaria pia affectio.

6 Conf. Initium actus fidei, quod eſt in voluntate *iuxta Scripturas*, eſt donum Dei inſpiratum in corda noſtra, vt docet *Araux can. 5. Si quis ſicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſum credulitatis affectum, non per donum gratiæ, idèſt per inſpirationem Spiritus S. &c.; ſed naturaliter nobis ineſſe, Apoſtolicis dogmatibus aduerſarius probatur*; ſed non contradictio, ſeu imperium negatiuum, & imperium poſitiuum naturale, vt intellectus applicet ſe ad cogitandum de rebus fidei, non eſt donũ Dei diuinitus inſpiratum; quia non contradictio habetur naturaliter in voluntate; vt dicunt *Aduerſarii*; & illud imperium poſitiuum, vt intellectus cogitet, eſt ordinis naturalis (quanuis hoc falsò dicatur; ſicut enim imperium, quo voluntas præcipit intellectui, vt cogitet de rebus naturalibus, eſt naturale; ita imperium, quo præcipit, vt cogitet de ſupernaturalibus, eſt ſupernaturale; actus enim ſpecificatur ab obiecto) ergo ad actum fidei requiritur pia affectio ſupernaturalis.

7 Dices *Concilia* loqui tantum de primo actu fidei, non de reliquis, qui fiunt ab intellectu aſſuefacto ad credendum.

Reſp. *Concilia* loqui ſimpliciter, & abſolutè; ergo non ſunt merè arbitrariè reſtringenda; aliter valeret etiam de primis actibus ſalutaribus, ad quos aſſerunt eſſe neceſſariam gratiam: poſſet enim dici loqui tantùm de primis actibus, cùm volun-

luntas non eſt aſſuefacta; non autem de ſecundis, cum iam eſt aſſuefacta; tunc enim ſufficeret non contradictio voluntatis; ſed hoc eſt impium, ergo & illud. Hinc. *Beatiſs. P.* cuius doctrina formatum eſt *ſupradictum Conc. lib. de præd. SS. c. 9.* ait: *Fides igitur & inchoata, & perfecta Donum Dei eſt:* quibus verbis expreſsè reijcit ſententiam oppoſitam, vt patet.

8 Prætereа in tantùm *Concilia* aſſerunt ad actum fidei eſſe neceſſariam piam affectionem, quę eſt donum Dei inſpiratum per Spiritum S; in quâtùm actus fidei eſt ſupernaturalis, qui nequit haberi per vires naturales voluntatis, vt habetur *Io. 6. Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum*, & fuſiſſimè probat *Beatiſs. P. lib. de* Præd. SS. *& de dono* Perſeu. ſed nedum primus actus fidei, ſed etiam reliqui eliciti ab intellectu iam aſſuefacto ad credendum ſunt ſupernaturales; aliter nõ eſſent actus fidei Diuinæ; ergo ad vtroſque neceſſaria eſt pia affectio *iuxta Concilia*; & ideo non poſſunt reſtringi ſolum ad primum actum.

9 Propter hæc *Maſtrius n. 250. & 244* aſſerit *Scotum* velle, quòd ſit neceſſaria ſemper motio actualis poſitiua; attamen ad hanc motionem eliciendam non eſt neceſſarius aliquis habitus ſupernaturalis; per quod ad nos redire videtur.

10 Explic. magis. Quotieſcumque aliquis actus ordinis ſuperioris habet eſſe à duplici potentia ordinis inferioris; tunc nequit eſſe ab altrerutra, niſi eleuetur ad ordinem, in quo eſt ille actus; ſed actus fidei eſt ordinis ſuperioris, & habet eſſe ab intellectu, & voluntate; ergo intellectus, & voluntas debent eleuari ad ordinem, in quo eſt actus fidei; atqui voluntas eleuatur per piam affectionem, quæ eſt motio voluntatis in Deum; vt in finem ſupernaturalem; ergo ad actum fidei neceſſariò requiritur pia affectio. Ma. patet; quia cauſa nequit eſſe ignobilior effectu, ſed debet cum illo proportionari. Prob. mi. Actus fidei eſſentialiter eſt actus practicus; eſt enim initium, quo homo inſtituit vitam moralem; quæ eſt practica; ſed actus practicus eſt ab intellectu, & voluntate *intellectus enim extenſione fit practicus*; quando ſcilicet extenditur ad alias potentias, quæ ſimul cum illo concurrunt ad actum illius; ergo actus fidei eſſentialiter eſt ab intellectu, & voluntate.

11 Vlteriùs. Ex eo, quòd voluntas ſimul cum habitu charitatis aſsueſcat ad eliciendos actus meritorios, non ſequitur, quòd iam aſſueſacta poſſit elicere ſine charitate actus meritorios; & quòd habitus charitatis ſit neceſsarius ſolùm ad primum actum meritorium; voluntas enim, quantuncunque aſsuefacta, ſine habitu charitatis eſt ſimpliciter improportionata; & potentia debet proportionari cum actu; ſecus nequit illum elicere; ergo à pari voluntas, quantumcunque aſsuefacta per piã affectionem ad eliciendos actus fidei ſine pia affectione nequit illos elicere; eſt enim improportionata, quia illi ſunt ordinis Diuini, hæc verò ordinis naturalis, & ideo nequit elicere neque actum primum, nec poſteriores.

12 Ampliùs. Per actum fidei mouemur in Deum, vt in vltimum finem, vt docet *Trid.*, ſed nomine piæ affectionis intelligimus actum, quo intellectus mouetur in Deum per fidem: ergo idem.

13 Prob. 2. ratione communi deſumpta *ex D. Ambr.* in illud *Rom. 4. Ei autem, qui operatur &c.* ſuper quod ait: *Aut credere, aut non credere voluntatis eſt; neque enim cogi poteſt ad id, quod manifeſtum non eſt*. Ex quo ſic. Aſſenſus determinatus ad veritates à Deo reuelatas neceſſariò importat poſitiuum imperium voluntatis; ſed actus fidei eſt huiuſmodi; ergo neceſſariò importat poſitiuum imperium voluntatis, quod eſt pia affectio. Mi patet; quia credere Deo reuelanti, quod eſt actus fidei, eſt aſſentiri determinatè, & certò veritatibus à Deo reuelatis. Prob. ma. Determinatio intellectus circa res fidei habetur per ſolum imperium poſitiuum voluntatis; intellectus enim ſecundùm ſe, eſt indifferens ad aſſentiendum, vel non aſſentiendum cuilibet veritati; & ideo ad hoc, vt determinatè aſſentiatur huic veritati, debet determinari; ab indifferenti enim, vt indifferens eſt, nequit eſſe actio determinata; non poteſt autem determinari ab obiecto fidei, quia eſt obſcurum, & veritatem potiùs occultat, quàm manifeſtet; hinc ſolum obiectum euidenter cognitum determinat, neceſſitat, & cogit intellectum ad aſſentiendum; vt eſt in cognitione ſcientifica. Tum quia ſi determinaretur ab obiecto, talis determinatio eſſet neceſſaria; quia obiectum eſt neceſſarium; determinatio autem aſſenſus fidei eſt libera, cùm ſit meritoria, neque poteſt determinari à ſe ipſo, quia intellectus non eſt potentia formaliter libera, quæ ſola poteſt ſe ipſam determinare, in hoc enim conſiſtit libertas; neque à motiuis credibilitatis, quia hæc determinant ſolùm ad iudicium, & cùm ſint tantùm extrinſecè connexa, relinquunt ipſum obiectum obſcurum, & ideo impotens ad determinandum intellectum; neque ab habitu, quia potentia etiam cum habitu eſt indeterminata, vt patet de intellectu habente habitum ſcientiæ, qui tamen indiget determinari ab obiecto; neque ab aſſuefactione, quæ habet rationem habitus, ob eandem rationem; & ideo à ſufficienti enumeratione deducitur talem determinatinnem haberi à ſolo imperio poſitiuo; quia negatiuum non determinat, ſed relinquit intellectum in ſua indifferentia; nam determinatio eſt per actum; quia *ex Phil. actus eſt, qui determinat*; imperium autem negatiuum eſt negatio actus; neque ſufficit imperium, quo voluntas applicat intellectum ad cogitandum de rebus fidei, quia hoc relinquit intellectum indifferentẽ, vt patet; ſed aſſenſus determinatus ad veritates reuelatas importat determinationem circa res fidei; ergo aſſenſus determinatus ad veritates reuelatas importat imperium poſitiuum voluntatis. Hac ratione vtitur etiam *Scot. teſte Maſtr.*, quanuis non quoad omnia.

14 Prob 3. alia ratione communi. Actus fidei eſt liber, & meritorius; liber quidem quoad exercitium, quia poteſt actum non elicere; & quoad ſpecificationem, quia poteſt non tendere in tale obiectum; & meritorius ſuppoſito habitu charitatis,

tis, *Trid.* enim *vbiſ.* habet: *Liberè mouentur in Deum*; *& Rom.*4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam*: ſolum autem meritum reputatur ad iuſtitiam, ſed actus liber meritorius neceſſariò inuoluit imperium poſitiuum voluntatis, nam meritum eſſentialiter eſt actus deſcendens poſitiuè à voluntate, voluntas enim purè omittens non meretur: vt *alibi* diximus: neque ſufficit imperium merè naturale, quo voluntas applicat intellectum ad cogitandum de rebus fidei; quia *in naturalibus neq. meremur, neque demeremur*: ergo actus fidei neceſſariò importat imperium poſitiuum, & ideo piam affectionem voluntatis.

15 Conf. Quamuis ex imperio negatiuo, ſeu ex omiſſione voluntatis poſſit ſequi aliquis effectus ordinis naturalis voluntarius, & liber voluntari, vt diximus *to.3. de Act. hum q.1. art.4.*, attamen ex omiſſione nequit ſequi actus alterius potentiæ, qui ſit liber, & meritorius, quia in tantùm actus eſt meritorius, in quantum habet eſſe à charitate, quæ eſt radix omnis meriti: de qua dicitur *Matt.* 5. *Arbor bona bonos fructus facit*: vt explicat *Beatiſs. P. lib. de grat. Chriſt. c.*18., *& Apoſt.* 1. *Cor.* 13. *Charitatem autem non habeam, nihil ſum*: neque qui ſit ordinis ſupernaturalis, qui debet eſſe à voluntate ſupernaturalizata per aliquod donum ordinis Diuini, ſed actus fidei eſt huiuſmodi, ergo nequit eſſe ab imperio negatiuo, aut omiſſione.

16 Obiic. 1. Dœmones non habent piam affectionem, & tamen credunt: nam *Iac.* 1. dicitur: *Dæmones credunt, & contremiſcunt*. 2. Motiua credibilitatis, cùm ſunt euidentia, ſufficiunt ad determinandum intellectum ad credendum, niſi obſiſtat voluntas, ergo actus fidei poteſt eſſe ſine pia affectione cum ſola non contradictione voluntatis. 3. Vel obiectum fidei proponitur, vt magis verum, quàm oppoſitum, vel vt æqualiter verum, vel vt minùs verum. Si primum, ergo intellectus poteſt illi aſſentiri præ oppoſito, quia fortiùs mouet, quàm oppoſitum. Si ſecundum: ergo voluntas nequit imperare aſſenſum, quia ex duobus bonis æqualibus nequit vnum eligere alio relicto. Si tertium, multo minùs poteſt eligere, quia tenderet in malum, vt diximus *to.3. de Act. hum. q.4. art.* 6. §. 2.

Reſp. ad 1. Dœmones credere fide naturali, non Diuina, *hic* autem loquimur de actu fidei Diuinæ. Ad 2. neg. ant., nam motiua credibilitatis inducũt intellectum tantùm ad iudicandum fidem eſſe credibilem, quia tamen obiectum fidei relinquunt obſcurum, ideo intellectus debet determinari à voluntate, vt tendat in illud. Ad 3. dicitur obiectum fidei proponi, vt magis verum, ſed vt obſcuriſſimum, non enim idem eſt proponi, vt verum, & vt euidens, & ideo intellectus minùs poteſt tendere in illud, niſi determinetur.

17 Inſt. 1. Intellectus non mouetur, niſi à veritate obiecti, ſed ex eo, quòd voluntas imperat; non auget veritatem obiecti: ergo pia affectio non mouet. 2. Actus fidei humanæ non requirit piam affectionem humanam, quia non eſt in mea poteſtate credere *Romam eſſe* omnibus id affirmantibus, nullo contradicente: ergo multò minùs fides Diuina, quia *teſtimonium Dei maius eſt*, quàm teſtimonium hominum, vt habetur 1. *Io.* 5.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Intellectus non mouetur, niſi à veritate obiecti efficienter producentis in ipſo intellectionem, vt qualitas eſt, conc., non mouetur imperatiuè, neg. *Vid. to.3. vbiſ. q.3. art.*2. 3., *& ſeq.* Ad 2. ſi diceretur ad credendum etiam veritates humanas dari piam affectionem, voluntas enim parata eſt ad aſſentiendum fide dignis, nullum videtur incommodum. Sed admiſſo etiam ant. neg. conſ., & diſparitas eſt, quia res humanæ non tranſcendunt captum naturalem intellectus, & ideo ex teſtimonio omnium hominum fidem merentium redduntur moraliter euidentes, & ſic poſſunt mouere intellectum abſque imperio volũtatis: at res Diuinæ tranſcendunt captum intellectus, nec redduntur euidentes ex teſtimonio Dei, quamuis maioris ſit auctoritatis, quàm hominum, & ideo indigent imperio voluntatis. Hoc conſtat ex eo, quòd ſi vir fide digniſſimus narret aliquod ſuperans ordinem naturæ, magis hæſitat intellectus, quàm ſi quis minùs fide dignus narret aliquod poſſibile iuxta naturæ vires. Cum ergo res naturalis ex teſtimonio hominum fiat moraliter euidens, poteſt mouere intellectum: at verò res Diuina ex teſtimonio Dei, quamuis maiori, manet ineuidens, quia ſuperat lumen rationis, & ideo nequit mouere.

18 Obiic. 3. Ex eo, quòd quis præbuerit ſæpiùs aſſenſum alicui concluſioni, poſtea ſine repetitione præmiſſarum aſſentitur, ergo à pari.

Reſp. neg. conſ., nam quamuis detur memoria, quæ eſt conſeruatiua ſpecierum intellectus, & per conſequens præmiſſarum ſemel cognitarum, quæ manent in proſpectu mentis, quandiu occurrit concluſio ex illis deducta; attamen non datur in voluntate locus conſeruatiuus actuum ipſius; & ideo neceſſe eſt illos replicare; hinc ſi heri quis habuit voluntatem eundi Romam, hodie non ibit, ſi non repetat eandem volitionem. Vel dicitur, quòd licèt hoc valeat in naturalibus: attamen non valet in ſupernaturalibus, quæ exigunt ad ſui productionem motionem ſupernaturalem actualem voluntatis in Deum, vt dictum eſt.

19 Obiic. 4. Potentia non impedita poteſt per ſe ferri in obiectum ſibi ſufficienter propoſitum, vt patet de potentiis ſenſitiuis; ergo intellectus non eget impelli à voluntate ad credendum. 2. Pia motio non poteſt ſupplere inſufficientiam obiecti; quia inſufficientia obiecti eſt carentia euidentiæ: voluntas autem nequit reddere euidentem rem fidei; ergo ſuperfluit.

Reſp. per hoc impugnari doctrinam *Conciliorum, & SS. PP., vt ſup.* Ad 1. ergo diſt. ant. Potentia poteſt ferri in obiectum ſufficienter propoſitum, vt moueat, quemadmodum contingit in potentiis ſenſitiuis, conc., ſufficienter propoſitum, vt non moueat, ſed aliunde poſſit impelli ad credendum, neg., obiectum autem fidei eſt propoſitum hoc ſecundo modo. Ad 2. diſt. ant. Pia motio

non

non poteſt ſupplere inſufficientiam obiecti reddendo illud euidens, conc., piè afficiendo intellectum, vt aſſentiatur Deo reuelanti, quia dignus eſt, vt ei credatur, neg. Vel dicitur, quòd pia motio potiùs ſupplet inſufficientiam intellectus, qui nequit tendere in obiectum obſcurum, quia nequit ab illo determinari; ideo determinando intellectum præſtat id, quod deberet obiectum præſtare, & ſubuenit indigentiæ intellectus: vnde, omiſſo ant.neg.conſ.

20 Quæres; an intellectus de potentia abſoluta poſſit eliecre actum fidei ſine pia affectione?

Reſp. negatiuè. Eſt *cont.Lug.,Maſtr.,Gibb.,et alios*. Prob. Vel eſt actus fidei formatæ, vel fidei informis? Si primum; ergo nequit eſſe, niſi ſit imperatus ab habitu charitatis, Si ſecundum; ergo nequit eſſe ſine principio ſupernaturali in voluntate; implicat enim effectum ſupernaturalem produci à cauſa naturali.

21 Dices *cum Gibb.* Imperium concurrit ad actum fidei in genere cauſæ efficientis; Deus autem poteſt ſupplere genus cauſæ efficientis.

Reſp. diſt. ant. Concurrit In genere cauſæ efficientis tantùm, neg., in genere cauſæ efficientis, & formalis ſimul, conc., nam pia affectio eſt forma fidei, ſicut charitas eſt forma omnium virtutum. *Sed de hoc in ſeq.*

ART. II.

A quo ſit pia affectio, & an ſit ſupernaturalis?

1 DVo ſimùl coniungimus, quia probatio vnius eſt concluſio alterius; vt ex dicendis conſtabit.

2 Quoad 1. adeo varij ſunt *DD.*, vt ferè tot ſint ſententiæ, quot capita. *Val.hìc q.1.punct.*4.§.4. vult piam affectionem elici ab habitu ſtudioſitatis; ſed hæc ſententia refellitur: quia ſtudioſitas eſt pars potentialis temperantiæ ponens medium inter curioſitatem, & ignauiam; pia autem affectio ponit medium inter lenitatem, & duritiem credendi. *Med. lib.4. de recta in Deum fide c.1.* vult elici à virtute obedientiæ iuxta illud *Rom. 1. Accepimus gratiam, & apoſtolatum ad obediendum fidei*. Sed reiicitur quia obedientia reſpicit præceptum ſuperioris, non honeſtatem credendi propter auctoritatem loquentis; *Apoſt.* autem loquitur de obedientia latè ſumpta, prout eſt communis omnibus virtutibus, quæ exequuntur Dei mandata. *Leſſ.lib. 2 de iuſtit.c.36.n.9.* vult elici à quadam iuſtitia hominis erga Deum, qua tenetur credere, quoties aliquid reuelat. Sed refellitur eadem ratione, quia in omnibus actibus virtutum ſeruatur iuſtitia hominis erga Deum; nam non ponens actum virtutis à Deo præceptum dicitur iniuſtus; & tamen hoc non obſtante ponitur virtus ſpecialis eliciēs talem actum. *D-Bon.in 3.diſt.25.art.1. q.2., & Alen.3.p. q.66. membr.*8. volunt elici ab habitu fidei, quem dicunt reſidere ſimul in intellectu, & voluntate. Sed hoc reiicitur; quia implicat eundem habitum eſſe in duplici ſubiecto, à quo trahit vnitatem, & diſtinctionem numericam. Tum quia in cathecumenis eſt pia affectio, & non eſt habitus fidei. *Alij* volunt eſſe à virtute religionis; quatenus creatura ſe ſubiicit Deo teſtificanti. Sed reiicitur, quia religio habet pro obiecto cultum Dei externum, pia autem affectio fidem internam. *Alij* volunt eſſe ab vrbanitate; ſed contra eſt, quia nolens credere Deo non dicitur inurbanus, ſed infidelis. *Alij* volunt eſſe à virtute, quæ dicitur pia affectio, ut *Sua., Arriag., Coninch, & noſter Gibb.* Sed hoc eſt, quod quæritur, ſcilicet quidnam ſit iſte habitus piè affectiuus; & ſic dicitur ad *alios* aſſerentes eſſe à quadam uirtute innominata. *Alii* uolunt eſſe ab auxilio actuali, non habituali, ut *Gonet*. Sed reiicitur à *Gibb.*, quia pia affectio non elicitur à fideli ratò; ſed frequentiſſimè, & faciliter, & ſicut propter hoc admittitur habitus fidei in peccatore fideli, ita admitti debet habitus piæ affectionis. *Alii* uolunt eſſe à uirtute credulitatis, ſeu fidelitatis, quæ diti poteſt fides appetitiua, ſeu ſpectās ad uoluntatem. *Ita Maſtr in 3. diſp.6. q.9.art.2. n.281.*, ubi refert *Poncium*. Sed hic incidit in ſententiam *D. Bonau.*, quam impugnat; nam nomine fidelitatis non intelligit uirtutem, quæ diſtinguitur à fide, & quæ ſeruat promiſſa, uolens enim credere nullum ſeruat promiſſum, & ideo cogitur admittere habitum fidei in uoluntate diſtinctum ab habitu fidei exiſtente in uoluntate. Relictis ergo his modis dicendi.

3 Noſtra ſententia docet piam affectionem in fideli iuſto eſſe ab habitu charitatis, in peccatore autem ſiue fideli, ſiue infideli eſſe à charitate actuali, ſeu eſſe ipſum actum charitatis à Deo nobis infuſum, & miſericorditer inſpiratum. Colligitur *ex Fund.Doct.in 3. diſt.9.p.1.q.1. art.2.*, & deduci poteſt etiam ex doctrina *D.Tho.* quam *ibi* refert. *Ita etiam Phil à SS.Trin., & alii.*

4 Ex hoc deducitur ſecundum, quod quæritur in titulo; ſcilicet piam affectionam eſſe ſupernaturalem ſimpliciter quoad ſubſtantiam, non ſecundùm quid quoad modum. Ita ſentiunt *noſter Gibb. hìc diſp.7.dub. 4., & omnes Thomiſtæ, & alii communiter cont.Scot., & eius aſſeclas*; ut uidere eſt apud *Maſtr. vbi ſ art.1.*

5 Not. *ex Fund Doct. vbi ſ; & D.Tho. in 4.diſt. 9 q.1. art.1.*, quòd licèt uirtutes habeant ſpecialem rationem formalem òbiectiuam, per quam conſtituuntur, & diſtinguuntur ad inuicem; attamen poſſunt uerſari circa actus omnium uirtutum, tanquam circa obiectum materiale. Quatuor generalitates *D.Tho.* concedit uirtutibus, quibus uerſantur circa omnes uirtutes. Prima eſt generalitas per prædicationem, quia una uirtus poteſt prædicari de omni uirtute; ut iuſtitia legalis dicitur omnis uirtus. Sed hoc reiicitur *à Fund. Doct.*, quia licèt iuſtitia legalis ſit omnis uirtus materialiter, cùm uerſetur circa materiam omnium uirtutum, non tamen eſt omnis uirtus formaliter, quia alia eſt ratio formalis iuſtitiæ legalis, alia aliarum uirtutum; nam uſtitia legalis agit opera temperantiæ u.g., quia uult legem implere; temperantia uerò, quia delectatur in illis: illa autem, quę ſunt uniuerſalia per prædicationem, habent eandem ratio-

nem

ſiem formalem communem omnibus, vt eadem ratio animalis formaliter prædicatur de omnibus ſpeciebus animalis. Aliter ergo aſſignat *Fund.D.* has quatuor generalitates.

6 Prima generalitas eſt generalitas actuum; nam vnà virtus generaliter agit actus omnium virtutum, vt diximus de iuſtitia legali, quãuis ſub diuerſa ratione formali; vt magnanimitas agit opera fortitudinis, vt ex illis recipiat honorẽ; latria poteſt eleemoſinam facere, vt exhibeat cultum debitum Deo, & ſic de reliquis virtutibus.

7 Secunda generalitas eſt connexionis, quia quælibet virtus in ſtatu perfecto eſt connexa cum omnibus virtutibus; connexio autem habituum extenditur etiam ad connexionem actuum, quæ nequit eſſe, niſi omnes virtutes connexè producant actus procedentes ab illis.

8 Tertia eſt generalitas concurſus, quia ad actum vnius virtutis poſſunt concurrere actus omnium virtutum; v.g. ad actum fortitudinis poteſt concurrere abſtinentia, ne corpus nimio cibo grauetur, & debilitet animam; nam *corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam ex Apoſt.*

9 Quarta tandem eſt generalitas imperii, quia vna virtus poteſt imperare actum alterius ſub ſua tamen ratione formali, vt latria poteſt imperare actum fidei, vt præſtet debitum cultum Deo, ſic de actu charitatis &c. Ex hoc tamen, quòd latria poſſit imperare actum fidei (vt ait *Fund.Doct.*) non colligitur *Fund.Doct.* mentem eſſe, quòd pia affectio ſit actus procedens ab habitu latriæ; nam ad piam affectionem non ſufficit quodlibet imperiũ, quia quælibet uirtus poteſt imperare actum fidei, vt *ex eodem* dictum eſt, & tamen nullus dixit piam affectionem eſſe actum omnis virtutis.

10 Requiritur ergo ad piam affectionem, vt ſit imperium virtutis affectiuæ diligentis Deum, quatenus ſummè bonum, & ordinantis actum fidei in Deum, vt in vltimum finem, vt habet *idem Fund.D. ibid.*, ratio autem finis, formaliter eſt ratio boni, & ideo imperium, quod requiritur ad piã affectionem, eſt actus virtutis affectiuæ habentis pro obiecto formali Deum, quatenus ſummè bonus eſt; & ordinantis actum fidei in Deum ſummè veracem, quia ſummè bonus eſt, quod ſoli charitati ex ſua ratione formali poteſt competere, vt patet. *His not.*

11 Vnica concl. Pia affectio in homine iuſto eſt actus elicitus ab habitu charitatis; in peccatore autẽ fideli, vel infideli eſt charitas actualis infuſa, & à Deo inſpirata, ideo eſt ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam.

Prob.1 pars concl. apertis *Scripturarum* teſtimoniis *à B.P. lib. de prad. SS. c.2.*, vbi loquens de conuerſione *D.Pauli* ſuper illud *pſ* 84. *Tu conuertens viuificabis nos*: ait, quòd nedum fides, ſed etiã volitio, qua voluit credere, fuit gratia Dei, & *inf.* explicans, quænam gratia fuerit volitio credendi, quæ idem eſt, ac pia affectio, aſſerit eſſe charitatem ex illo *Rom.1. Charitas cum fide à Deo Patre, & Domino Ieſu*: quibus verbis expreſsè dicitur illam piam affectionem credendi fuiſſe charitatem, non quidem habitualem, quia volitio eſt actus, qui cõtradiſtinguitur ab habitu, ſed actualẽ: patet autem, quòd charitas actualis, ſeu actus charitatis in homine iuſto eſt ab habitu charitatis; & in peccatore eſt à Deo infuſa, & inſpirata: ergo pia affectio in homine iuſto eſt actus charitatis elicitus ab habitu charitatis, & in peccatore fideli, vel infideli eſt actus charitatis à Deo nobis donatus: *& c.* 3. loquens de credere, quod eſt actus fidei, & operari, ac deinde de velle credere ait: *Vtrunque ergo noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis, & vtrunque tamen datum eſt per Spiritum fidei, & charitatis; neque enim ſola charitas, ſed ſicut ſcriptum eſt: Charitas cum fide à Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto. Et quod paulò poſt dicit: Noſtrum eſt enim credere, & velle, illius autem dare credentibus, & volentibus facultatem bene operandi per Spiritum S., per quem charitas diffunditur in cordibus noſtris; verum eſt quidem, ſed eadem regula, & vtrunque ipſius eſt; quia ipſe præparat voluntatem* (ſcilicet per charitatem, & fidem) *& vtrunque noſtrum; quia non fit, niſi volentibus nobis.* Quo nihil explicatius adduci poteſt ad noſtræ ſententiæ demonſtrationem. *Et lib. de Perſ. iuſt.* circa medium aſſerens fidem, & ſpẽ euacuari in patria, & ſolam charitatem manere ait: *Charitas autem, quæ in his tribus maior eſt, non auferatur, ſed augeatur, & impleatur contemplata, quod credebat, & quod ſperabat, indepta*; ſed charitas nequit credere, niſi piè affectando actum fidei; ergo pia affectio eſt actus charitatis. *Et inferiùs ſup.* illud 1.Io 5. *Hæc eſt charitas Dei, vt mandata eius obſeruemus*, refert ad illud *Rom.*10. *Corde creditur ad iuſtitiam*; ſed elicere actum fidei eſt ſeruare Dei mandatum: ergo actus fidei eſt à charitate. Præterea actus, quo volumus legem implere, eſt actus charitatis: vt habet *ibid.*, nam *finis præcepti eſt charitas*, vt dicitur 1. *ad Tim.*1; *& plenitudo legis eſt charitas*; *Rom* 13; ſed pia affectio eſt actus, quo volumus legem implere; quia lex præcipit credendum eſſe Deo, dicitur enim *Marc.* 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit*: & finis, ad quem ordinatur actus fidei, eſt Dei dilectio, ad quam non ordinatur, niſi per piam affectionem, quia non ordinatur, niſi per actum voluntatis, quæ ſola habet formaliter tendere, & alias potentias ordinare in finem, à quo ſpecificatur, ergo pia affectio eſt actus charitatis. Plura *in his libris, & de dono Perſeu., et de grat., & lib. arb., & alijs cont. Pelagian.* habet.

12 Prob.2. *ex Trid. ſeſſ.6. c.6.* Actus, quo voluntas excitatur, & mouetur in Deum, vt in vltimũ finem, eſt actus charitatis, ſed pia affectio eſt huiuſmodi: ergo eſt actus charitatis Prob. ma. Vltimus finis, & ſummũ bonũ idem ſunt formaliſſimè, quia *finis, et bonum conuertuntur ex Phil.* ſed actus, quo voluntas mouetur in Deum, ut ſummè bonum, eſt actus charitatis, per hoc enim differt à fide, quæ tendit in Deum, vt eſt ſummè verax: & à ſpe, quæ tendit in Deum, ut eſt ſummè bonum nobis: ergo actus, quo voluntas excitatur, & mouetur in Deum, ut in ultimum finem, eſt actus charitatis. Mi. traditur *à Trid. vbiſ.*

13 Conf. Quamuis pia affectio habeat pro obiecto materiali Deum, vt ſummè verum, imperat enim intellectui; vt credat Deum, quia ſummè verax eſt in ſe ipſo, & ideo vera ſunt, quæ nobis reuelauit; attamen habet pro obiecto formali Deum, vt ſummè bonus eſt in ſe ipſo: implicat enim quòd detur actus voluntatis, qui habeat pro obiecto formali verum, quod eſt ſpecificatiuum actuū intellectus, aliter confunderentur iſtæ duæ potentiæ; & ideo pia affectio, quæ procul dubio eſt actus voluntatis, habet pro obiecto formali ipſum Deum vt ſummè bonus eſt in ſe ipſo: ſed actus habēs pro obiecto Deum, vt ſummè bonus eſt in ſe ipſo eſt actus charitatis; ergo pia affectio eſt actus charitatis.

14 Prob. 3. Nomine *cordis* ſæpe intelligitur actus charitatis, quæ diffunditur in corde; ſumitur enim continens pro contento; vt *Ezechiel. 36. Dabo nobis cor nouum*, idēſt nouum amorem in corde; ſed pia affectio ſignificatur nomine cordis; nam *corde creditur ad iuſtitiam*; ergo pia affectio eſt actus charitatis.

15 Prob. 4. Actus fidei elicitus ab homine exiſtente in gratia eſt formaliter meritorius, vt docet *Beatiſs. P. de præd SS. c. 2. & 3.* & actus fidei in peccatore eſt diſpoſitorius ad actum meritorium; ſed actus meritorius nequit eſſe ſine charitate; vt ſup. docet *Apoſt. Charitatem autem non habeam, nihil prodeſt*; ergo actus fidei debet eſſe à charitate; atqui nequit eſſe à charitate elicitiuè, quia ſic eſt ab habitu fidei; ergo debet eſſe imperatiuè. Sed imperium, quo à voluntate imperatur actus fidei, eſt pia affectio, vt fatentur *Aduerſarij*, ergo pia affectio eſt actus charitatis.

16 Tandem hoc nomen *affectus*, ſeu *affectio* cordis idem eſt, ac *amor*, ſeu *dilectio*; vt patet *apud grammaticos*: ſicut potentia affectiua idem eſt, ac dilectiua; ſed amor, ſeu dilectio eſt actus charitatis: ergo & pia affectio.

17 Prob. 2. pars concl. Ex dictis pia affectio eſt actus charitatis; ſed actus charitatis eſt ſupernaturalis ſimpliciter *per Aduerſarios*; vt patet *ex Maſtr*; ergo & pia affectio.

18 Præterea *ad Philipp. 1. Vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolùm, vt credatis in eum, verumetiam, vt patiamini pro eo*; Super quod *Beatiſs. P. de præd. SS. c. 2.* ait: *Vtrunque oſtendit Dei donū, quia vtrunque dixit donatum, & Io. 6. Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum, quem miſit ille*. Ex quibus ſic. Illud eſt ſupernaturale ſimpliciter, quod nullo modo poteſt haberi per vires naturæ; ſed pia affectio eſt huiuſmodi, vt tenet Eccleſia *cont. Pelagianos*: ergo eſt ſupernaturalis ſimpliciter. Prob. ma. Illud eſt ſupernaturale ſecundùm quid, quod licèt cum tali modo non poſſit haberi per vires naturæ: attamen ſimpliciter ſecundùm entitatem ſine tali modo poteſt haberi per naturæ vires, vt patet de viſione reſtituta cœco, quæ dicitur ſupernaturalis ſecundùm modum, non ſecundùm ſubſtantiam, quia licèt talis modus non ſit poſſibilis naturæ, attamen ſimpliciter ipſa viſio poteſt haberi per vires naturæ; ergo illud eſt ſupernaturale ſimpliciter, quod nullo modo poteſt haberi per vires naturæ; Prob. mi. Si pia affectio poſſet eſſe aliquo modo per vires naturæ, principium noſtræ ſalutis poſſet eſſe ex nobis ſimpliciter, & meritum poſſet eſſe ex viribus naturalibus arbitrij, non autem eſſet ſimpliciter ex miſericordia Dei, ſed tantùm ſecundū quid; at hoc dānauit Eccleſia *in Pelagio, & Pelagianis*: ergo pia affectio nullo modo poteſt eſſe per vires naturæ. Tum quia ſi pia affectio eſſet entitatiuè naturalis, maximè, quia elicitur à creatura, ſed hoc non probat, quia etiam viſio beatā elicitur à creatura, & tamen eſt ſupernaturalis entitatiuè, vt fatentur *Aduerſarii*, inter quos *Maſtr.* ergo idem.

19 Obijc. 1. *Gibb.* Obiectum formale piæ affectionis diſtinguitur ſpecie ab obiectis formalibus aliarum virtutum, eſt enim honeſtas ſpecialis, quę eſt in aſſentiendo reuelationi obſcuræ, & captiuando intellectum in obſequium Diuinæ auctoritatis; ergo pia affectio eſt actus virtutis diſtinctæ ab omnibus aliis virtutibus. 2. Ideo in peccatore fideli admittitur habitus fidei, & non ſufficit auxilium actuale, quia actus fidei non rarò, ſed ſæpe, & frequenter à fideli elici debet, ſed etiam pia affectio ad credendum ſæpe elici debet, cùm non poſſit elici actus fidei ſine pia affectione, ergo debet poni in peccatore habitus elicitiuus piæ affectionis, atqui in ipſo non eſt habitus charitatis, ergo nequit eſſe ab habitu charitatis, ſed ab alio habitu compoſſibili cum peccato, cum quo habitus charitatis nequit ſtare.

Reſp. ad 1. neg. ant., nam honeſtas aſſentiendi veritatibus fidei poteſt cadere ſub imperio voluntatis affectæ charitate, & ideo non diſtinguitur ab obiecto charitatis imperantis. Ad 2. neg. ma., ideo enim ponitur habitus fidei in peccatore fideli, quia non deſtruitur per quodlibet peccatum, ſed tantùm per infidelitatem, non enim ſolum debet elicere actum fidei frequenter, ſed etiam actū amoris Dei, à quo tota lex pendet, & tamen non ponitur habitus charitatis, quia pugnat cum quolibet peccato, attamen poteſt frequenter elicere actus charitatis, quia Deus ſemper eſt paratus illos infundere, cùm ſemper ſtet ad oſtium cordis, vt illud aperiamus actibus, quos paratus eſt inſpirare iuxta illud: *Ego ſto ad oſtium, & pulſo*. Idem dicitur de cathecumeno, qui frequēter elicit actus fidei, & tamen non habet habitum fidei.

20 Obiic. 2. *Maſtr. Conc. Araux. II. can. 5.* virtutem voluntatis reſpicientem actum fidei appellat *affectum credulitatis, & Beatiſs. P. de præd. SS. c. 2.* appellat *fidem inchoatam*, ergo habitus elicitiuus piæ affectionis eſt fides appetitiua exiſtens à voluntate.

Reſp. *Conc., & B. P.* loqui de actu, non de habitu; & ideo ● pia affectione actuali, non de virtute elicitiua illius, in quo fallitur *Maſtr.*

21 Obiic. 3. cont. 2. part. concl. Multi conuertuntur ad fidē ob captandas diuitias, honores &c., ſed hæc voluntas credendi non eſt ſupernaturalis, ergo affectio ad fidem non eſt ſemper ſupernaturalis.

Reſp.

Reſp. *Gibb.* neg.ma. illi enim, qui ſic conuertuntur; non recipiunt veram fidem, ſed falſam, ſicèt illam exteriùs ementiantur, nam vt docet *Beatiſs. P. lib. de catechizand. rudibus c.15., fides non eſt res ſaluandi corporis, ſed credentis animi.*

22 Obijc. *q. Maſtr. vbiſ. art. 1. n. 266.* Si pia affectio eſſet ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, maximè quia talis eſt actus fidei, ſed hoc eſt falſum, ergo & illud. 2. Nec auctoritate, nec ratione poteſt probari ſupernaturalitas ſecundùm ſubſtantiam, quia *Concilia* commodè explicantur de ſupernaturalitate quoad modum: ergo idem. 3. Stante euidentia credibilitatis poteſt voluntas ſine ſpeciali auxilio velle credere non minùs, ac velle aliud bonum morale: ergo idem. Prob. ant. Nulla poteſt afferri ratio, cur voluntas naturalis non poſſit imperare talem actum, cùm intellectus habeat habitum fidei, & Deus ſit paratus præbere auxilium actuale ad aſſenſum.

Reſp. ad 1. neg. ma; actus enim fidei viribus naturæ nullo modo elici poteſt, nã habet obiectũ formale ſupernaturale, & ſic de reliquis rationibus *ſup.* allatis. Ad 2. neg. ant. nam *Concilia* ſtatuunt actum fidei viribus naturæ elici non poſſe vllo modo, quod nequit intelligi de actu ſupernaturali quoad modum, qui ſimpliciter elici poteſt viribus naturæ, vt diximus. Ad 3. neg. ant. Ad prob. dicitur rationes fuiſſe *ſuperiùs* allatas. *Vid. q. 1. art. 5. §. 2. à n. 26.*

A R T. III.

An fides explicita in Chriſtum ſemper fuerit neceſſitate medii neceſſaria ad ſalutem?

1 Neceſſitas ad ſalutem duplex aſſeritur, alia medij, ſine qua ſalus hominis nullo modo haberi poteſt, vt gratia iuſtificans, ſine qua homo peccator nullo modo poteſt ſaluari. Alia præcepti, ſine qua poteſt haberi ſiuis, quando adeſt impotentia ſimpliciter implendi tale præceptum, vt ieiunium eſt neceſſarium adulto ad conſequendam vitam æternam, attamen poteſt illam conſequi ſine ieiunio, quando adeſt impotentia ſimpliciter ieiunandi, vt in grauiter ægrotante. Quæritur hìc, an fides in Chriſtum explicita ſit neceſſaria neceſsitate medii, vel præcepti ad ſalutem? Fides autem explicita eſt, qua creditur aliquod reuelatum in ſe ipſo immediatè, in proprijs terminis, & in propria notione: ſicut fides implicita eſt, qua creditur in alio, in quo illud continetur: vt credens quidquid credit Eccleſia, implicitè credit omnia myſteria reuelata.

2 Prima ſententia (omiſſis *Pelagianis* ſentientibus hominem viribus naturæ poſſe ſaluari) vult, quòd ſi quis ſeruaret legem naturæ, & quoties peccaret, toties doleret naturaliter de illo peccato, quatenus eſt contra rationem, ſaluaretur, etiãſi ignoraret Deum inuincibiliter. *Ita Vega in Trid. lib. 6. c. 17. 20., & 21.*, cui ſubſcripſit *Sot. de nat., & grat. c. 11. in 1. edit.*, ſe tamen retractauit *in 2. edit.* Hęc ſentẽtia pluribus afficitur cenſuris *à Sua. Can. Gran. Hurt., & alijs*: quia vult hominem viribus naturæ poſſe ſaluari, vt aiebant *Pelagiani.*

3 Secunda vult homines poſſe ſaluari ſine fide Theologica ſtrictè ſumpta per quandam fidem imperfectam introductoriam, quæ conſiſtit in quibuſdam cognitionibus ſupernaturalibus habitis ex creaturis, ex quibus naturaliter oſtenditur nobis bonitas Dei, & honeſtas virtutis: quoties enim naturaliter proponitur nobis bonitas Dei, & honeſtas virtutis, Deus eleuat noſtrum intellectum, & voluntatem ad eliciendos actus ſupernaturales circa Deum, & virtutes, quibus iuſtificamur. Hæc autem dicitur fides lata, qua credimus Deo loquenti nobis naturaliter per ipſaſmet creaturas, & in hoc ſenſu Deus prouidit omnibus hominibus de medijs ſufficientibus ad ſalutem. *Ita Ripald. to. 1. de Ente ſupernat. diſp. 20. ſect. 21. 22., & 23., & diſp. 63. per totam.* Hæc ſententia damnata eſt *ab Innoc. XI. propoſit. 23.* aſſerente: *Fides latè dicta ex teſtimonio creaturarum, ſimiliue motiuo ad iuſtificationem ſufficit.*

4 Tertia vult idiotis ſatis eſſe ad ſalutem, ſi implicitè credant, quidquid credit Eccleſia, etſi nullum articulum credant in particulari. *Sic quidam Canoniſtę in Direct. inquiſ. 2. p. q. 10.*

5 Quarta vult fidem explicitam vnius Dei, nõ autem remuneratoris, neceſſariam eſſe ad ſalutem. Hæc quoque damnata eſt *vbiſ. prop. 22.*

6 Quinta vult fidem explicitam Dei exiſtentis, & remuneratoris fuiſſe quolibet tempore neceſſariam iuxta *Hebr. 11. Sine fide impoſsibile eſt placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, et inquirentibus ſe remunerator ſit:* non tamen fidem explicitam in Chriſtum. *Sic ferè omnes Recentes*, qui tamen diuiſi ſunt: nam *alij* volunt fidem explicitam Redemptoris fuiſſe neceſſariam ſingulis in lege ſcripta, non naturæ, in qua erat neceſſaria ſolùm in Maioribus. *Alij* non fuiſſe neceſſariam in ulla lege. *Ric. Sot. Sua. Val. Turrian. lo. à S. Tho. Gonet.* Gibb., *et alii apud eund. Gib.* In ſtatu autem gratiæ poſt ſufficientem Euangelij promulgationem *aliqui* volunt fidem explicitam Incarnationis, & Trinitatis eſſe quidem neceſſariam ad glorificationem, quam vocant ſecundam ſalutem, non autem ad iuſtificationem, quam dicunt primam ſalutem. *Ita Can. in relect. de Sacram. in genere p. 2. concl. 3. Ledeſm. Ban. & alii apud Sua.* *Alii* opinantur fidem explicitam Redemptoris nõ eſſe neceſſariam ad primam, aut ſecũdam ſalutem. *Ita Michael. Med. Sot. Lug. &* Arriaga, qui tamen reiiciuntur *per Extra. Vnam ſanctam de maiorit. & obed. & per c. Firmiter de ſumma Trin.*, vbi ſtatuitur extra Eccleſiam ſalutẽ nullo modo eſſe poſſe, & ideo extra Eccleſiã nullũ poſſe ſaluari: in ſtatu autem gratiæ nullus conſtituitur intra Eccleſiam, niſi per fidem in Chriſtum *& per Symb. D. Athan. ſed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem &c.* *Alij* putant, quòd licèt fides per ſe ſit neceſſaria, per accidens tamen, ſcilicet per ignorantiam inuincibilem poſſe ſuppleri per fidem implicitam. *Ita Sot; Cordub. Sua. Turrian. apud Sua.* qui reiiciuntur, quia non datur ignorantia iuris, vt dicitur *in reg. Iuris in 6.*

7 Sexta vult fidem explicitam Incarnationis, paſſionis, & reſurrectionis fuiſſe ſemper neceſſariam. *Ita quidam ex noſtris, & alij pauci. Alij* verò volunt fuiſſe neceſſariam ſolam fidem Incarnationis, non autem paſſionis, reſurrectionis. *Ita Cordub. Lors. Coninch Philipp. à SS. Trin. & alij*, qui tamen addunt non fuiſſe reuelatum, an Redemptor ſit Deus? Quod *de Iudæis* nequeunt ſubſtineri; habetur enim in Prophetis: *Deus noſter manifeſtè veniet*. Nec de Gentibus; ait enim *Iob: In carne mea videbo Deum Saluatorem meum*.

8 Noſtra tandem docet fidem explicitam in Chriſtum Redemptorem fuiſſe ſemper neceſſariam neceſſitate medij ad iuſtificationem, & glorificationem; quoad myſteria verò incarnationis, paſſionis, reſurrectionis, & alia ſatis fuiſſe ante aduentũ Chriſti illa implicitè credere in ipſo Chriſto explicitè credito, nõ verò tantùm in Deo prouiſore; quia ſatis fuit credere in Chriſtum liberatorem ſecundùm modos ſibi placitos; poſt Chriſti aduentum autem neceſſarium fuit credere etiam hæc myſteria in ſe ipſis explicitè. *Ita Fund. Doct. in Opuſc. de Renunc. Papæ c. 17.* docens: *Nullus nec ante aduentum Chriſti, nec poſt eius aduẽtum potuit, nec poterit Spiritualem Hieruſalem conſequi ſine fide mediatoris: Vnde Aug. 18. de Ciu. Dei ait. Nemini conceſſum eſt (ſupple pertinere ad Spiritualem Hieroſolymam) niſi cui Diuinitus reuelatus eſt vnus mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus. Et idem ibidem ſubdit: Vna, eademque fides antiquorum, & noſtra; quia ſicut illi credebant Chriſtum venturũ, ita nos credimus ipſum veniſſe. Siue enim in ſtatu gentilitatis, ſiue in quocunque ſtatu ſemper fuit ſalus per fidem Mediatoris. Non habebant primo ipſi gentiles quibus reuelatus eſt Mediator noſter; nec habuerunt Iudæi, quibus promiſſus eſt Meſſias ita claram intelligentiam de noſtro Mediatore, ſicut nos habemus. Cùm non ſit aliud nomen ſub Cælo, ſub quo oporteat nos ſaluos fieri, niſi Chriſtus, vt dixit Petrus Act. 4. Et quicunque ſaluati ſunt à principio Mundi vſque nunc, & quicunque ſaluabuntur vſque in finem, oportet, quòd in fide Mediatoris ſaluentur. Verè iſtud Sacerdotium Chriſti ratione huius remedij, videlicet quia fides de hoc Sacerdote, id eſt de Chriſto Mediatore, ſemper fuit in remedium, & ſemper erit, dicitur eſſe in æternum, & non habuiſſe initium, neque finem.* Idem repetit *c. 18.* Quòd autem loquatur de fide explicita, apertè deducitur; quia loquitur de ea fide, qua reuelatus eſt Chriſtus venturus Mediator Dei, & hominum ſub propria notione, nempe Mediatoris; hæc autem eſt explicita; vt eſt de ſe manifeſtum; nam fides implicita eſt, qua reuelatur Deus, vt generalis prouiſor, vel vt exiſtens, & vt remunerator; occultatur autem Chriſtus, vt mediator. Tum quia *cum Beatiſs. P. Aug.* ait fidem, qua ſaluati ſunt antiqui, non differre à noſtra: niſi quia illi credebant Chriſtum venturum; nos verò credimus iam veniſſe; hoc autem eſt credere explicitè, quia eſt credere in proprijs terminis; nam ratio venturi non facit ſenſum implicitum; aliter nec Prophetæ explicitè credidiſſent in Chriſtum, quia erat venturus. Hanc ſententiam expreſsè docent *Mag. Sent. D. Tho. 2. 2. q. 2. art. 7. & quamplures doctiſſimi Recentiores ex noſtra Schola in M. S.*

9 Vnica concl. Fides explicita in Chriſtum fuit ſemper neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem; & licèt ante Chriſti aduentum non fuerit omnibus neceſſarium explicitè credere Incarnationem, paſſionem, reſurrectionem, & alia myſteria, quia ſatis fuit minoribus illa implicitè credere in Chriſto explicitè credito; attamen poſt Chriſti aduentum neceſſaria eſt omnibus, & ſingulis fides explicita horum omnium myſteriorum.

Prob. 1. pars cõcl. 1. *ex 1. ad Tim. 2. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominũ homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redẽptionẽ ſemetipſum pro omnibus, cuius teſtimonium temporibus ſuis confirmatũ eſt. Super quod Beatiſs.* P. *de Ciu. Dei c. 47.* ait: *Quod nemini conceſſum fuiſſe credẽdũ eſt niſi cui diuinitus reuelatus eſt vnus Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus; qui venturus in carne ſic antiquis Sanctis prænunciabatur, quemadmodum nobis veniſſe nunciatus eſt; vt vna, eademque fides per ipſum omnes in Dei ciuitatem, in domum Dei, in Dei templum prædeſtinatos perducat ad Deum.* Ex quibus ſic 1. Fides, qua reuelatur vnus Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, ſicut reuelatus eſt nobis, eſt explicita, non implicita; ſed omnibus hominibus, qui ſaluati ſunt quolibet tempore, reuelatus eſt Mediator Dei, & hominum Chriſtus Ieſus, ſicut nobis reuelatus fuit; ergo fides, qua ſaluati ſunt homines quolibet tempore, eſt fides in Chriſtum explicita, non implicita. Prob. ma. Fides, qua reuelatur aliquod ſub propria notione, eſt explicita, non implicita; nam fides implicita eſt; qua reuelatur in alio, & ſub notione alterius; ſed fides, qua reuelatus eſt Chriſtus, vt Mediator, eſt ſub propria notione, quia eſt ſub notione Mediatoris, quæ eſt propria notio Chriſti; ergo eſt explicita, non implicita. Tum quia fides, qua Chriſtus reuelatus eſt nobis, eſt explicita; aliter non crederemus explicitè in Chriſtum: ergo fides, qua reuelatus eſt Chriſtus, vt Mediator, ſicut reuelatus eſt nobis, eſt explicita, non implicita. Prob. min. Confirmatio reuelationis ſupponit ipſam reuelationem iam factam; aliter confirmaret id, quod non erat, quod eſt abſonum: ſed reuelatio Chriſti Mediatoris nobis facta fuit confirmatio reuelationis factę omnibus antiquis iuſtis; ait enim *Apoſt. Cuius teſtimonium temporibus ſuis confirmatum eſt*; ergo omnibus antiquis iuſtis fuit reuelatus Chriſtus Mediator, ſicut reuelatus eſt nobis. 2. Reuelatio Chriſti venturi eſt explicita, non implicita; manifeſtat enim Chriſtum in ſe ipſo, non in alio: ſed omnibus reuelatus eſt Chriſtus venturus: ergo talis reuelatio eſt explicita, non implicita. 3. Vna, & eadem fides eſt, qua antiqui iuſti ſaluati ſunt, & ſaluamus nos: ſed fides, qua ſaluamur nos, eſt explicita: ergo & illa.

10 Prob. 2. *ex 1. Cor. 15. Sicut enim in Adam omnes moriuntur; ſic & in Chriſto omnes viuificabũtur.* Super quod *Beatiſſ. P. de pecc. orig. c. 26.* referens *Pelagium* diſtinguentem tres ſtatus: primum na-

naturæ: ſcilicet *ab Adam* vſque *ad Moyſen*: in quo homines viuebant duce natura, quia ab illis *duce ratione cognoſcebatur Creator, & quemadmodum eſſet colendum, ſcriptum gerebant in cordibus, non ſed litera, ſed natura*; ſecundum ſub lege à *Moyſe* vſque ad Chriſtum: nam quia natura vitiata eſt, ideo data eſt lex, quæ naturam dirigeret: Tertium ſub gratia à Chriſto vſque in finem: quia enim legi præualuerat nimia conſuetudo peccandi, ideo Chriſtus adueniт *qui tanquam morbo deſperatiſſimo Medicus ipſe ſubuenit*, ait: *Hac diſputantes à gratia Mediatoris iuſtos excludere conantur antiquos, tanquam Dei, & illorum hominum non fuerit Mediator homo Chriſtus Ieſus, quia nondum ex vtero Virginis carne ſuſcepta homo nondum fuit, quando illi iuſti fuerunt. Quod ſi ita eſſet, nequaquam Apoſtolus diceret: Per hominem mors: & per hominem reſurrectio mortuorum. Sicut in Adam omnes moriuntur: ſic & in Chriſto omnes viuificabuntur*. Et paulò poſt. *Quis audeat dubitare Chriſtianus etiam illos iuſtos, qui recentioribus generis humani temporibus Deo placuerunt, ideo in reſurrectionem vitæ æternæ, non mortis æternæ, eſſe venturos: quia in Chriſto viuificabuntur, ideo autem viuificari in Chriſto, quoniam ad corpus pertinent Chriſti: & ideo pertinere ad corpus Chriſti, quia & ipſis Caput eſt Chriſtus: ideo & ipſis caput eſſe Chriſtum, quia vnus Mediator eſt Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, quod eis non fuiſſet, niſi in eius reſurrectionem per eius gratiam credidiſſent. Et hoc quomodo fieret; ſi eum in carne venturum neſciſſent: nec ex hac fide iuſtè, piéque vixiſſent.*

11 His verbis exploduntur tria *Aduerſariorum* reſponſa; dicunt enim 1. omnes viuificari in Chriſto, quia omnes ſaluantur per merita Chriſti, non autem per fidem, qua credunt in Chriſtum. 2. Hoc eſſe intelligendum de conſecutione gloriæ, non de iuſtificatione. 3. Intelligendum eſſe de fide implicita, non explicita. Exploditur 1. ait enim *Beat. P.* neminè viuificari in Chriſto, niſi illi Caput ſit Chriſtus: & nemini eſſe Caput, niſi pertinet ad corpus Chriſti: nõ inſerũtur autẽ Corpori Chriſti, niſi per fidem, qua credunt in Chriſtum, & ideo nõ poſſe participare merita Chriſti, niſi per fidem, qua credunt in Chriſtum. Exploditur 2. quia ſolùm per fidem, qua credunt in Chriſtum, poſſunt *iuſtè viuere*, idèſt iuſtificari; & ideo fides in Chriſtum eſt neceſſaria etiam ad iuſtificationem. Exploditur 3. quia fides Chriſti venturi eſt fides in ipſum Chriſtum, non in alio, vt patet; ergo nequit exponi de fide implicita.

12 Arguitur autem ſic. 1. Sine gratia habituali habita per Chriſtum nullus vnquam potuit ſaluari; ſed fides explicita in Chriſtum formata per charitatem eſt proprietas eſſentialis inſeparabilis à gratia habituali habita per Chriſtum; ergo ſine fide explicita in Chriſtum formata per charitatem nullus vnquam potuit ſaluari. Ma. eſt de fide, nam *Rom.* 5. habetur: *Iuſtificati in ſanguine ipſius ſalui erimus ab ira per ipſum*: nullus enim poteſt ſaluari, niſi iuſtificetur, & nullus iuſtificatur, niſi per gratiam habitam per Chriſtum; aliter Chriſtus non eſſet omnium redemptor, nec omnes in illo viuificarentur, nec eſſet *oſtium*, per quod omnes intrant ad ſalutem: vt habetur *Io.* 10. *& Io.* 14. *Nemo venit ad Patrem, niſi per me*, nec eſſet ſimpliciter *via* ad ſalutem, quia ſine illo poſſet aliquis ſaluari. Mi. traditur *ab Aduerſarijs in tract. de Gratia*, & prob. Charitas Chriſti, & in Chriſtum eſt proprietas inſeparabilis à gratia habituali Chriſti, vel enim eſt idem realiter cum illa, vt volunt *aliqui*, vel eſt diſpoſitio proxima ad illam, nequit autem ad illam proximè diſponere, niſi ſit eſſentialiter connexa cum illa, quia nequit proximè ad illam diſponere, niſi neceſſariò illam inducat in animã, & nequit illam neceſſariò inducere, niſi neceſſariò connectatur cum illa, vt calor, vt octo, diſponit proximè ad formam ignis, quia illam inducit in ſubiectum, & inducit, quia neceſſariò connectitur cum illa, hinc *Apoſt. Rom.* 8. ait: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti*; quia erat confirmatus in gratia Chriſti, & ideo inſeparabilis à charitate Chriſti, ſicut inſeparabilis à gratia illius, quod non poſſet verificari, ſi charitas Chriſti eſſet ſeparabilis à gratia Chriſti, ſed fides explicita Chriſti formata per charitatem eſt inſeparabilis à charitate Chriſti, aliter non eſſet formata per charitatem Chriſti, tum quia charitas Chriſti eſt, qua amatur Chriſtus, nullus autem poteſt Chriſtum amare, niſi Chriſtum explicitè noſcat, quia *incognita amari non poſſunt*, ergo fides explicita Chriſti eſt proprietas gratiæ habitualis Chriſti.

13 Conf. Gratia habita à Deo, vt exiſtens, & vt remunerator eſt, fuit originalis iuſtitia *Adæ* collata in ſtatu innocentiæ, quæ non fuit ex meritis Chriſti, ſed ex dono Dei remuneratoris, ſed nullus contrahens *Adæ* peccatum poterit iuſtificari, & ſaluari per gratiam originalem, ergo nullus potuit ſaluari per gratiam habitam à Deo, vt exiſtens, & vt remunerator eſt. Atqui gratia originalis habita à Deo, vt remunerator eſt, non potuit eſſe ſine fide in Deum, vt remunerator eſt, ergo gratia habita per Chriſtum, vt redemptor eſt, non poteſt eſſe ſine fide in Chriſtum, vt redemptor eſt, & ideo ſine fide explicita, quia eſt fides ſub propria notione ipſius Chriſti.

14 Arguitur 2. Nullus vnquam potuit ſaluari, niſi fuerit incorporatus corpori Chriſti, ſed ſolùm per fidem explicitam in Chriſtum incorporamur corpori Chriſti, ergo ſine fide explicita in Chriſtum nullus vnquam potuit ſaluari. Prob. ma. Nullus potuit ſaluari, niſi participando ſanguinem Chriſti, qui nobis meruit gratiam, per quam ſaluamur, ſed ſolùm membrum incorporatum participare poteſt ſanguinem corporis Chriſti; membrũ enim diſciſſum à corpore non participat ſanguinẽ ipſius, vt patet; ergo nullus poteſt ſaluari, niſi ſit incorporatus corpori Chriſti. Prob. mi. Si per fidem implicitam Chriſti aliquis incorporaretur corpori Chriſti, ſequeretur, quòd credens Deum remuneratorem rectè diceretur Chriſtianus, & eſſet intra Eccleſiam, quæ eſt corpus myſticum Chriſti, quia incorporatus Chriſto rectè dicitur chriſtianus, idèſt membrum Chriſti, & dicitur eſſe

intra

intra Eccleſiam, quæ eſt myſticum corpus Chriſti, ſed conſ. eſt falſum, quia nemo dicitur chriſtianus, niſi qui Chriſtum explicitè credit, nec eſt intra Eccleſiam, niſi qui Chriſtum in baptiſmo explicitè credit, ergo ſolùm per fidem explicitam Chriſti incorporamur corpori Chriſti.

15 Prob.3.*ex Io.3. Abraham Pater veſter exultauit, vt videret diem meum, & vidit, & gauiſus eſt*, Super quod *Beatiſs.P.vbiſ.c.27.* ait. *Si diem ſuum voluit ſuum tempus intelligi, teſtimonium profectò perhibuit, quòd fide fuerit Incarnationis imbutus.* Et paulò poſt ſuper illud *Gen.* 24. in illa verba, quæ dixit *Abraham* ſeruo: *Pone manum tuam ſuper femur meum, vt adiurem te per Dominum* Deum *cæli, & terræ*, ait: *Nunquid & illud, quod iubet Abraham ponere manum ſeruum ſuum ſub famore ſuo, & iurare per Deum Cæli, aliter quiſquam rectè intellecturus eſt, niſi Abraham ſciſſe, in qua venturus eſſet Deus Cæli, carnem de illo femore propagari?* Certum eſt itaque *per Aduerſarios Adam* habuiſſe fidẽ explicitam in Chriſtum, quam indubiè reuelauit filijs ſuis, vt concedit *Gibb hic dub.5.n.2.*, quia Pater tenetur filios ſuos inſtruere in fide, & in ijs, quę pertinent ad ſalutem: quod præcipuè verificatur *de Adam*, qui ſimul fuit Pater, & ſacerdos eorum. Inſuper certum eſt filios *Adæ*, non conſtituiſſe, niſi vnicam nationem vſq; *ad Abraham*; idcoque in illa manſiſſe *Adæ* traditionem, quia ſemper fuit vna fides, per quam conſtituebatur vnica natio; & Patres ſuccedentes non minori adſtringebantur debito erga filios proprios, quàm *Adam* erga ſuos. Præterea certum eſt *gentiles* non eepiſſe, niſi in *Abraham*, qui à Deo fuit conſtitutus *Pater multarũ gentium*; à duobus enim eius filiis orta eſt gentilitas, & Iudaiſmus, quia *ab Iſraele* orto *ex Agar* ancilla initium babuerunt *gentiles*, & ab *Iſaac* nato *ex Sara Iudæi*, *Abraham* autem docuit ſuam fidem, ſeu id, quod credebat, nedum *Iſaac*, ſed etiam *Iſmaelem*, vt docet *Scriptura*, quapropter Deus benedixit vtranq; natiooem, habetur enim *Gen.18. Cùm futurus ſit in gentem magnam, & benedicendæ ſint in illo omnes nationes terræ; ſcio enim, quòd præcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ, vt cuſtodiant viam Domini, & faciant iudicium, & iuſtitiam*, ſed *Abraham* credebat in Chriſtum de ſua carne venturum: ergo nedum *Iudæis*, ſed etiam *gentilibus* reuelatus eſt Chriſtus, per cuius fidem ſolùm poterant ſaluari.

16 Prob.4. *Ad Philipp.3.* habetur: *Non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt; ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti, quæ ex Deo eſt iuſtitia ad cognoſcendum illum.* Ex quo ſic. Illud, ſine quo ſalus haberi non poteſt, neceſſarium eſt ſimpliciter neceſſitate medij, ſed fides explicita in Chriſtum eſt huiuſmodi; ergo idem, quod ſupra. Ma. patet ex definitione neceſſarii. Prob.mi. Salus nequit haberi ex iuſtitia legali, ſeu ex obſeruantia legis; quia *littera occidit*, neque ex fide in Deum prouiſorem ſupeenaturalem, quia hæc eſt proprietas iuſtitiæ originalis, quæ non habebat ſanare, & mũdare à peccato, ſed habetur ex fide Chriſti, quæ eſt ex Deo ad cognoſcendum Chriſtum, hæc enim ſolùm habet mundare à peccato, & impium iuſtificare, quia ſola fides in Deum redemptorem à peccato habet mundare à peccato, ergo ſine fide explicita in Chriſtum nequit haberi ſalus hominis, nam ſicut fides in Deum remuneratorem habet ſanctificare hominem ereatum ſine peccato, vt dicitur *de Adã*, ita fides ſola Chriſti redemptoris à peccato habet mundare hominem à peccato, & ſaluare.

17 Prob.5. *ex Rom.10. Finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti.* Ex quo ſic. Finis legis, per quem iuſtificamur, debet eſſe explicitè cognitus; ſed Chriſtus eſt finis legis, ergo Chriſtus debet eſſe cognitus explicitè. Mi. eſt *Apoſt.* Prob.ma Finis legis debet eſſe per ſe intentus à viuente in lege, in hoc enim diſtinguitur finis à medijs, quòd finis per ſe, & ratione ſui intenditur; media verò eliguntur ratione finis, ſed per ſe intentum eſt per ſe cognitũ, quod eſt cognitũ ratione ſui, & ideo explicitè, quia quod cognoſcitur implicitè, cognoſcitur in alio, & ratione alterius, & ideo etiam ratione alterius, & in alio intenditur: ergo finis legis, per quam iuſtificamur, debet eſſe explicitè cognitus. Tum quia lex eſt regula dirigens in finem, ſed dirigere in finem eſt oſtendere finem, dirigere autẽ ad finem implicitè cognitum in alio nõ eſt oſtendere, ſed occultare finem, oſtendere autem finem eſt explicitè finem manifeſtare, ergo finis legis debet eſſe explicitè manifeſtus, & cognitus.

18 Prob.6. *Act.4. Non eſt in aliquo alio ſalus: neque enim eſt aliud nomen ſub Cælo datum, in quo oportet nos ſaluos fieri. Rom.3. Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum.* Ex quo ſic. Fides, qua creditur in nomen alicuius, eſt explicita, non implicita, nomen enim explicat perſonam in ſe ipſa, vt patet, ſed nullus ſaluatur, niſi per fidem, qua credit in nomen Chriſti, quia non eſt in aliquo alio nomine ſalus, & non eſt iuſtitia, niſi per fidem Chriſti, per quam creditur in Chriſtum, ergo nullus ſaluatur, niſi per fidem explicitam Chriſti.

19 Prob.7. *ex Io.14. Creditis in Deum, & in me credite. & inf. Nemo venit ad Patrem, niſi per me. Ego ſum via.* Ex quibus ſic. Fides, qua cognoſcitur Chriſtus, vt diſtinctus à Patre, eſt explicita, non implicita, ſed ad ſalutem neceſſaria eſt fides, qua cognoſcitur Chriſtus, vt diſtinctus à Patre: ergo ad ſalutẽ neceſſaria eſt fides explicita Chriſti. Ma. patet, quia fides, qua cognoſcitur Chriſtus in ſe ipſo, & in propria perſona, eſt explicita fides Chriſti, quia fides implicita eſt, qua cognoſcitur in Deo, vt Deus eſt, Chriſtus autẽ, vt Deus, eſt vnus, & idem cum Patre, dicitur enim: *Ego, & Pater vnum ſumus*: ſcilicet in Deitate. Prob. mi. Chriſtus diſtinguit fidem, qua creditur in Deum, à fide, qua creditur in ſemetipſum, & ait vltra fidem in Deum neceſſariam eſſe etiam fidem in ſeipſum: *Si creditis in Deum, & in me credite*, & rationem affert: Quia *nemo venit ad Patrem, niſi per me*, ipſe enim *eſt via*, qua itur ad Patrem: ſed fides, qua cognoſcitur Chriſtus, vt via ad Patrem, eſt fides, qua cognoſcitur per ordinem ad Patrem, & non cognoſcitur per ordinem ad Patrem, niſi cognoſcatur

ſcatur

factur, vt correlatiuus Patris, non eſt autem correlatiuus, niſi vt diſtinctus à Patre, cùm diſtinctio per relationem habeatur: ergo ad ſalutem neceſſaria eſt fides, qua cognoſcitur Chriſtus, vt diſtinctus à Patre.

20 Reſpondent *Aduerſarij* hæc teſtimonia tantùm velle omnes ſaluari per ſanguinem, & fidem Chriſti; non autem per fidem in Chriſtum; non enim aſſerunt nullum poſſe iuſtificari ſine fide explicita Chriſti, vnde poſſunt exponi de fide implicita; vel intelligenda eſſe de fide Chriſti in præparatione animi, vel de fide negatiua, qua quis nequit directè negare myſterium.

Sed cont. primum eſt; nam *Rom.* 3. habetur: *Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum*; fides autem, qua creditur in Chriſtum, eſt fides in Chriſtum, vt patet, & illa verba *Io.* 14. *In me credite*; idem ſignificant: ergo hæc reſponſio aliena eſt *à Scripturis*. Præterea *textus allati* procedunt de Chriſto, vt Mediator eſt, ſub eius nomine proprio, prout erat venturus; prout diſtinctus à Patre; hæc autem explicant Chriſtum in ſe ipſo; ergo procedunt de fide explicita, non implicita. Contra ſecundum eſt. Fides in preparatione animi non eſt fides formalis, ſed diſpoſitio, & præparatio ad fidem; hoc enim ſonat nomen *præparatio*, ſed *textus* allati docent eſſe neceſſariam ipſam fidem, non autem diſpoſitionem, aut præparationem animi ad fidem; ergo non niſi diſtortè interpretantur. Contra tertium eſt, nam *Scripturæ* loquuntur de actu poſitiuo credendi, quo actu creditur; non de actu, quo diſcreditur; vnde ſicut actus fidei in Deum prouiſorem nequit intelligi de fide negatiua; ita a pari.

21 Prob. 2. ſimul cum 2. part. concl. *Epheſ.* 3. habetur: *Myſterium Chriſti alijs generationibus non eſt agnitum filiis hominum, ſicut nunc reuelatum eſt Sanctis Apoſtolis*; ſed ſi fuiſſet neceſſaria omnibus, & ſingulis fides explicita nedum Chriſti, ſed etiam Incarnationis, paſſionis, & reſurrectionis pro omni tempore; myſterium Chriſti fuiſſet agnitum omnibus generationibus eodem modo, ſicut agnitum eſt Sanctis Apoſtolis; quia cognoſcentes mortem Chriſti cognouiſſent ſacramenta fluxiſſe de eius latere transfixo; ſicut cognoſcimus nos; ergo ante Chriſti aduentum non fuit omnibus neceſſaria fides explicita Incarnationis, paſſionis, & reſurrectionis. Idem habetur *ad Coloſs.* 1. *Myſteriũ, quod abſconditum fuit à ſæculis, & generationibus; nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis eius*; & *Rom.* 3. *Nunc autem iuſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtificata per legem, & Prophetas*. Super quod *Beatiſs. P. de pecc. orig. c.* 25. ait: *Si ergo nunc manifeſtata eſt; etiam tunc erat, ſed occulta. Cuius occultationem ſignificabat templi velum, quod eſt ad eius ſignificandam reuelationem Chriſto moriente conſciſſum. Et tunc ergo erat iſta gratia vnius Mediatoris Dei, & hominum hominis Chriſti Ieſu erat in populo Dei, ſed tanquam in vellere pluuia, quam non debitam, ſed voluntariam ſegregat Deus hæreditati ſuæ, inerat latens; nunc autem velut ſiccato vellere, hoc eſt Iudaico populo reprobato in omnibus gentibus tanquam in area cernitur patens*; ſed velum templi occultabat myſterium crucis, ſeu mortis; & vellus pluuiæ occultabat myſterium Incarnationis, quia in Incarnatione deſcendit, ſicut pluuia in vellus, quod ipſam occultabat; in morte autem velum ſciſſum eſt, quæ ſciſſura ſignificat reuelatam eſſe cognitionem ipſius mortis, quam occultabat velum integrum, & per conſequens manifeſtatam fuiſſe cognitionem reſurrectionis, quæ nequit cognoſci, niſi cognita morte; non enim reſurgit, niſi qui priùs mortuus fuit; & ſiccato vellere, idèſt reiecto populo Hebraico, manifeſtata eſt eius Incarnatio; ergo ante Chriſti aduentum myſteria Incarnationis, paſſionis, & reſurrectionis non erant explicitè, ſed tantùm implicitè credita, & ideo ſola fides implicita eorum fuit neceſſaria ad ſalutẽ; aliter nemo, qui illa caruit, ſaluatus fuiſſet.

22 Conſentit etiam *S. Bern. ep.* 77 *q* 2. vbi hâc quæſtionem fusè pertractans concludit: *Ita ergo multi ante Saluatoris aduentum Deum omnipotentem tenentes, & diligentes ſuæ ſalutis gratuitum promiſſorem, credentes in promiſſione fidelem, ſperantes certiſſimum redemptorem, in hac fide, & expectatione ſalui facti ſunt, licèt quando, & qualiter, & quo ordine ſalus repromiſſa fieret, ignorarent*. Et eius ratio eſt. Si myſteria Incarnationis, paſſionis, & reſurrectionis fuiſſent nota omnibus ante Chriſti Euangelium, omnes fuiſſent prophetæ, quia potuiſſent illa prædicere: ſed conſ. eſt falſum; nam *Num.* 11. dicitur: *Quis dabit, vt omnes prophetent?* *Et* 1. *Cor.* 12. *Nunquid omnes prophetæ?* Ergo falſum eſt ant. Item tempus gratiæ non haberet, quid ei reuelandum reſeruatum fuiſſet; omnia enim reuelata fuiſſent etiam tempore legis. Sic iuſti antiqui pares fuiſſent iuſtis in lege gratiæ. Item Chriſtus non eſſet lux illuminans omnem hominem, quia inueniſſet homines iam à ſe illuminatos. Item Paulus cum alijs Apoſtolis non accepiſſet primitias Spiritus. Item non accepiſſet reuelationem à Chriſto, ſed ab hominibus præcedentibus. Tandem *Luc.* 10. *Multi Reges, & prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt*; ſed ea, quæ viderunt, & audierunt Apoſtoli, fuerunt Incarnatio, mors, & reſurrectio Chriſti; ergo hæc myſteria non fuerunt multis iuſtis ante Chriſtum explicitè reuelata, prophetæ enim, de quibus loquitur Chriſtus, ſupponuntur iuſti.

23 Concinit etiam *S. Tho.* 2. 2 *q.* 2. *art.* 7. *ad* 3., quem locum adducunt *Aduerſarii* nolentes: *Si qui tamen ſaluati fuerunt, quibus reuelatio non fuit facta, non fuerunt ſaluati abſque fide Mediatoris, quia & ſi non habuerunt fidem explicitam* (ſcilicet quoad myſteria Incarnationis, de qua inquirit *in hoc art.*) *habuerunt tamen fidem implicitam in Diuina prouidentia credentes Deum eſſe liberatorem hominum ſecundùm modos ſibi placitos*: explicans autem, quomodò habuerint fidem in Diuina prouidentia ait habuiſſe credendo Deum eſſe liberatorem hominum, eſſe autem liberatorem, & redemptorem idem eſt, eſſe verò redemptorem eſt

pro-

Google

propria notio Chriſti; propter quod habentes fidem implicitam in Diuina prouidentia crediderunt explicitè Chriſtum; & implicitè tantùm eius myſteria; quod ſignificatur illis verbis *ſecundùm modos ſibi placitos*, ſcilicet per incarnationem, mortem &c.

24 Tandem deducitur *ex Beatiſſ.P.vbiſ.n.*10; aſſerens enim antiquos iuſtos non potuiſſe ſaluari, *niſi in eius incarnationem per eius gratiam credidiſſent*; ſubdit modum, quo crediderunt in eius incarnationem, ſcilicet quia *in eum venturũ crediderunt*, quod eſt implicitè incarnationem credere.

26 Quòd autem Maiores explicitè crediderint etiam hæc myſteria, prob. ex eo; quòd illa debuerunt præfigurare varijs ſacrificiis, prædicere &c., vt concordantia *vtriuſque Teſtamenti*, quæ facit ad credibilitatem noſtræ fidei, haberetur. Tum quia tenebantur explicare difficultates, quæ inſurgere poterant de Chriſto venturo.

26 Prob.2.pars concl. *ex Rom.*10. *Si confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo crederis, quòd Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris*; *& in Symb.D.Athan.Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, vt Incarnationem Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter credat* &c; *& in Symb.Apoſtolorum* expreſsè traditur omnibus credenda paſſio, & reſurrectio, & alia myſteria. Tum quia in lege gratiæ omnia manifeſtata ſunt; & ideo ſicut ante Chriſti aduentum erat neceſſarium ad ſalutem illa credere implicitè, quia erant velata; ita poſt Chriſti aduentum, quia ſunt reuelata, neceſſarium eſt illa credere explicitè. Tum quia non credens explicitè hæc myſteria non eſt fidelis: vt docet de *catechumenis* incipientibus *Beatiſſ.P.*, ſed non fidelem non poſſe ſaluari compertum eſt; vt patet de *catechumenis*; ergo ſine fide explicita horum myſteriorum nullus poteſt ſaluari; & ideo poſt Chriſti aduentum eſt neceſſaria ad ſalutem *Vid.art ſeq.* Hoc tamen intelligendum eſt ſecundùm ſubſtantiam myſteriorum; nam ſecundùm veritates ſubtiliores debent cognoſci ab illis, quibus incumbit ex ſtatu, & officio alios inſtruere; vt P*arochis, DD., Prælatis &c.*, vt habet *D.Tho.hic.*

26 Obiic.1. cont.1. part. concl. *Textus allati n.*21. concludunt myſterium Chriſti fuiſſe abſconditum ante tempus eius aduentus, & per eius aduentum fuiſſe manifeſtatum. Hinc *Beatiſſ.P. ep.*89. *q.*3. vocat fidem antiquorum *velatam, & occultam*; noſtram verò *manifeſtam, & reuelatam*; ergo ante Chriſti aduentum nullus obligabatur explicitè credere in Chriſtum. 2. *Hebr.*11. habetur: *Oportet enim accedentem ad Deum credere, quia eſt, & quia remunerator eſt*; ergo ſola fides in Deum exiſtentem, & remuneratorem ſufficit ad acceſſum ad Deum, in quo conſiſtit noſtra ſalus. 3. In lege antiqua omnia contingebant in figuris; ergo omnia credibilia erant tantùm in figuris, & ideo implicitè, ſcilicet in alio.

Reſp, ad 1. Chriſtum fuiſſe abſconditum quoad eius myſteria incarnationis, paſſionis &c., non quoad myſterium liberationis, & redemptionis; omnibus enim manifeſtè reuelatum fuit Deum debere liberare, & redimere homines à peccatis; vt *ſup.* oſtenſum eſt; vnde diſt. ant. Myſterium redemptionis Chriſti fuit abſconditum, neg., incarnationis &c., conc., & in hoc ſenſu intelligitur *Sanctiſſ.P.* Vel dicitur *cum eodem Beatiſſ.P.tract.*2. *in Io.*, vbi quærens, quomodò *Ioannes*, qui videns Ieſum uenientem ad ſe ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi*; deſcendens poſtea in Iordanum, ut ipſum baptizaret, dixit ſe eum neſcire: *Et ego neſciebam eum*; reſpondit: *Quem videras in veritate, ipſe te miſit, vt agnoſceretur in carne*. Dicitur ergo Chriſtum ante aduentum fuiſſe abſconditum oculis carnis, non oculis mentis. Vel dicitur fuiſſe abſconditum, idèſt obſcurè uiſum; non tamen tantùm implicitè, ſed explicitè; ſicut idiotæ magis obſcurè cognoſcunt myſteria fidei, quàm Doctores; non tamen ea cognoſcunt tantùm implicitè, ſed explicitè. Ad 2. uel dicitur *cum D. Tho.vbiſ.art.*8. *ad* 1. Apoſtolum docere, quòd neceſſarium eſt credere Deum exiſtentem, & remuneratorem; non tamen ait hoc ſufficere, ſed *alibi* docere requiri etiam credere ipſum mediatorem eſse; ut *ex eodem* oſtendimus. Vel diſt. *Quia remunerator eſt* naturæ innocentis, neg., ſic enim falſum crederetur: quia natura poſt *Adæ* peccatum non eſt innocens, ſed peccatrix: & Deus non eſt remunerator fidei falſæ, ſed ueræ. *Quia remunerator eſt* naturæ reparatæ per Chriſti gratiam, conc., ſic autem debet credi in reparatorem: & huius fidei, quæ uera eſt, & Diuina, remunerator eſt Deus. Ad 3. dicitur omnia contigiſſe in figuris quoad myſteria, non quoad perſonam Chriſti liberatoris, qui licet aliquando figuraretur *in Iſaac* immolando, uel *in Ioſeph* uendito; figurabatur tamen eius mors, eius uenditio, quæ fuerunt Chriſti myſteria: perſona autem explicitè cognoſcebatur.

28 Obiic 2. Ad ſalutem ſufficit credere, quidquid credit Eccleſia, ſed hoc eſt tantùm credere implicitè Chriſtum: ergo idem. 2. Baptiſmus collatus ab Hæreticis, & paganis eſt ualidus: *vt c. ab antiqua: & c.oſtenditur: & c.ſatis, & c.Romanus: & c.à quodam ac conſecr. diſt.*4., ſed *Ariani*, & pagani non credunt in Chriſtum; ergo ad iuſtificationem non requiritur fides explicita in Chriſtum. 3. Chriſtus ante legem Euangelicam non fuit ſufficienter omnibus reuelatus; nam multi *Hæretici* credebant Meſſiam fore purum hominem: *alij* fore largitorem bonorum temporalium, non ſaluatorem animarum; ergo idem. 4. Fides explicita Chriſti ſupponit cognitionem peccati originalis, cuius Chriſtus fuit reparator, ſed hæc nõ fuit ante Abraham, qui primus recepit circunciſionem in remedium illius; ergo idem.

Reſp. ad 1. *diſt.ma.* Sufficit credere explicitè, quicquid credit Eccleſia, conc., implicitè tantùm, neg. Ad 2. dicitur baptiſmum iuſtificare ex opere operato, non ex fide operantis: & ualidum eſſe, ſi conferatur intentione faciendi, quod facit Eccleſia: ut docet *Trid.ſeſſ.*7.*c.*4. Igitur diſt. mi. *Ariani*, & pagani non credunt in Chriſtum, & iuſtificantur, neg., conferunt baptiſmum, qui ſecundùm ſe iuſtificat illos, quibus confertur, in fide parentum,

vel

Digitized by Google

vel Eccleſiæ explicitè credentis in Chriſtum,conc. Ad prob. diſt.Multi *Iudæi* credebant Meſſiam eſſe purum hominem, & largitorem temporalium, & iuſtificati ſunt, neg; & non iuſtificati ſunt, conc Licet ergo in pęnam peccatorum aliqui excęcati ſint, ne Chriſtum explicitè agnoſcerent; hoc tamen nõ probat fidem explicitam Chriſti non eſſe neceſſariam ad ſalutem. Ad 4. neg. mi.,nam notitia peccati originalis ſẽper fuit, ut colligitur *ex Gen.*,&ſi non fuerit ſemper ſcripta,fuit tamen in traditione, & remedium peccati originalis fuit etiã *ante Abraham*, quia ſemper fuit, vt dicemus; quanuis fuerit variatum tempore *Abrahæ* in circuncißionem.

29 Obijc.3. *Cornelius Act.*10. erat iuſtus, religioſus, ac timens Deum, antequam mitteretur *Petrus* ad eum inſtruendum in fide, *& D.Tho. q.* 10. *art* 4. *ad* 3. ait fuiſſe iuſtificatum cum fide implicita Chriſti nondũ ei manifeſtata fide explicita per *Apoſt.Petrum*, imò ſupponit ipſum fuiſſe iuſtificatum; nemo enim, niſi iuſtus poteſt placere Deo, ergo ad iuſtificationem ſufficit fides implicita. 2.Si cathecumenus credens in Deum remuneratorem moriatur, antequam Chriſti fidem recipiat, ſaluatur, ergo idem.

Reſp.*Cornelium* explicitè credidiſſe in Chriſtum: vt docet *Sanctiſſ.P.de præd.SS.c.*7.,non enim potuiſſet inuocare,in quem non credebat,& Chriſtum vidit in ſe ipſo, & non alio; & de eo audiuit, quæ faciebat per ſe ipſum; *Petrus* autem miſſus fuit ad ei explicanda myſteria fidei, quæ credebat tantùm implicitè credendo explicitè Chriſtum. Nec *D.Tho.* ait *Cornelium* fuiſſe iuſtificatum, antequam inſtrueretur *à Petro*, ſed ſolùm non fuiſſe *infidelem*; ſicut *Beatiſs.*P. ait de cathecumenis credentibus in Chriſtum, quòd non ſunt infideles, quia credunt: nec tamen adhuc ſunt iuſtificati: nam vt docet *Beatiſs.*P. *lib.*1. *ad Simpl. q.*2. ad iuſtificationem non ſufficit quæcunque fides; non enim ſufficit fides actualis imperfecta, quæ eſt quædam inchoatio fidei ſimilis conceptioni; ſicut autem ad vitam corporalem non ſufficit concipi, ſed requiritur naſci, ita ad vitam ſpiritualem, quæ habetur in via per iuſtificationem,vel in patria per glorificationem,non ſufficit inchoatio,ſeu conceptio fidei, ſed requiritur natiuitas iuxta illud *Io.*3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. &c. Fiunt ergo*,inquit,*inchoationes quædam fidei conceptionibus ſimiles,non tamen ſolùm concipi,ſed etiam naſci opus eſt,vt ad vitam perueniatur æternam*. Idem habet *lib.*1.*de bapt.cont.Donatiſt.c.*7 *& alibi.* Neque officit, quòd *in Scriptura* dicatur *iuſtus*;nã iuſtus dicitur nedum à gratia iuſtificante,ſed etiam à virtute iuſtitiæ, quæ implet opera legis exercendo actus virtutum præceptos à lege; poteſt dici *iuſtus* legaliter, quatenus obſeruabat præcepta legis naturæ exercendo virtutes; quapropter ſubdit *Scriptura: Ac religioſus*, vt innuat eius iuſtitiam ſumi à virtute religionis &c. Tandem placere Deo poteſt eſſe vel in perſona, vel in operibus ita, vt opera placeant Deo;primum habetur per gratiam iuſtificantem, quæ reddit hominem charum, & placentem Deo; ſecundum haberi poteſt per gratiam actualem ſine gratia iuſtificante, & in hoc ſecũdo ſenſu poteſt dici Deo placuiſſe *Cornelium*. Vel ſi dicatur *Cornelium* fuiſſe iuſtificatum, antequam mitteretur *Petrus*: potuit enim eius fides fuiſſe tam intenſa, & tanta charitate informata,vt ſecum traxerit gratiam iuſtificantem iuxta illud: *Remittuntur ei peccata multa,quoniam dilexit multùm*: quapropter ſubdit *B.P.ibid.In quibuſdam verò*(ſupple *fides*) *tanta eſt; vt iam corpori Chriſti, & Sancto Dei templo deputentur*, quod *alibi* repetit, *de catechumenis*. Miſſus fuit autem *Petrus* ad eum, quanuis iuſtificatum per fidem in Chriſtum explicitè creditum, vt inſtrueretur etiam in eius myſterijs, quæ poſt legis promulgationem neceſſariò credi debebant. Quomodocunq; autem dicatur, ſemper certum eſt *Cornelium* explicitè credidiſſe in Chriſtum ſiue per fidem actualem non iuſtificantem, ſiue per fidem habitualem informatam charitate habituali iuſtificantem. Ad 2 diſt eodem modo. Si catechumenus habeat fidem habitualem informatam tanta charitate, vt trahat gratiam iuſtificantem, conc., ſecus,neg. *Vid. Beatiſs.P.lib.*1.*ad catechum.c.*6.,*lib.*2. *ad Simpl. vbiſ.*,*& ſerm.*22.*de Verb.Apoſt.*

30 Obijc.4. Puer perueniens ad vſum rationis conuertens ſe in Deum,ſi ſtatim moriatur,vel ſi ponatur in ſiluis, vbi nequit inſtrui, ibi moriatur, ſaluatur; ergo non eſt neceſſaria fides Chriſti explicita. 2.Reperiuntur aliqui ita rudes, vt non poſſint inſtrui in fidei myſterijs: ergo idem: aliter in hac vita eſſent extra viam ſalutis.

Reſp.ad 1.,quòd caſus eſt purè metaphyſicus, puer enim antequam perueniat ad vſum rationis, inſtruitur à parentibus, & ſignat ſe ſigno crucis, uocat Ieſum, quanuis perfectè liberè non cognoſcat,& operetur,& ſi poneretur in ſiluis, antequam eſſet capax harum operationum, cùm peruenit ad uſum rationis, teneretur Deus illum inſtruere, uel interiùs illuminando, uel exteriùs per aliquem illuc adductum: Deus enim non deſerit, niſi deſeratur. Ad 2.neg.ant.,nullus enim eſt incapax myſteriorũ fidei,quia nullus caret auxilijs ſufficiẽtibus.

31 Obijc. 5. Si fides explicita fuiſſet neceſſaria, vel ex parte rei, vel ex Diuina ordinatione? Non primum, quia ſola fides Dei remuneratoris ſufficit ad excitandum actum dilectionis Dei vſque ad mortem, & ad perſeuerandum ſemper in innocentia. Non 2; quia non habetur *in Scripturis*.

Reſp. eſſe neceſſariam vtroque modo: nam ex natura gratiæ Chriſti exigitur fides in Chriſtũ, ſicut gratia Dei promiſoris,& remuneratoris in ſtatu innocentiæ ex ſua natura exigebat fidem in Deum remuneratorem. Inſuper ex Diuina ordinatione, vt patet *ex allatis Scripturis*.

32 Obiic 6.cont.2.p.concl. *Rom.*10.*Si confiteoris in ore tuo Dominum Ieſum,et in corde tuo credideris, quòd Deus ſuſcitauit illum à mortuis,ſaluus eris*:ergo ad ſalutem neceſſaria eſt fides incarnationis, paſſionis,et reſurrectionis.2.B.*P.vbiſ.*ait *Abraham* fuiſſe fide incarnationis imbutũ:& quòd neceſſaria eſt fides mediatoris: ſed hoc nequit cognoſci, niſi cognoſcatur incarnatio:ergo idem.

Reſp, quòd *Apoſt.* manifeſtè loquitur de hominubus poſt Chriſti aduẽtum, non autem omni tempore. Ad 2. dicitur quòd licèt *Abraham*, & maiores habuerint fidem incarnationis, non tamẽ fuit neceſſaria minoribus. Ad aliud dicitur quòd incarnatio vtpotè myſterium ſupernaturale abſconditum, potuit credi implicitè, & obſcurè in Chriſto cognito, vt mediator eſt. Quanuis autem nequeat cognoſci clarè Chriſtus, vt mediator, quin cognoſcatur incarnatio explicitè, attamen obſcurè poteſt, & confusè cognoſci cognoſcendo Deum liberatorem ſecundũ modos ſibi placitos, non cognoſcendo ipſam incarnationem, quæ eſt modus redẽptionis. Cognoſcebant ergo Deum in carne, non tamen cognoſcebant circunſtantias incarnationis, & ideo illam implicitè tantùm agnoſcebant.

33 Collig. ex dictis fidem explicitam in Chriſtum, quæ fuit omni tempore neceſſaria ad ſalutem, fuiſſe fidem mediatoris, idèſt non Dei tãtùm, aut hominis tantùm, ſed hominis Dei, nam vt docet *Beatiſſ. P. de pecc. orig. c. 28. in Adam quippe inuenientibus mortem, per hoc prodeſt Chriſtus, quia eſt mediator ad vitam; non autem per hoc mediator eſt, quia æqualis eſt Patri; per hoc enim quantùm Pater, tantùm & ipſe diſtat à nobis. Et quomodò erit medietas, vbi eadem ipſa diſtantia eſt?* Ideo Apoſtolus non ait: *Vnus mediator Dei, & hominum Chriſtus; ſed homo Chriſtus Ieſus. Per hoc ergo mediator, per quod homo inferior Patre, per quod nobis propinquior; ſuperior nobis, per quod Patri propinquior.* Debuit ergo cognoſci, non vt purus homo, quia ſic eſt extremum, non medium, neque vt Deus tantùm, quia ſic eſt aliud extremum, ſed vt homo Deus, qui eſt mediator diſtans à Deo, prout homo; & ab homine, prout Deus; de ratione enim medij eſt diſtare ab extremis.

34 Quæres; an fides explicita Trinitatis fuerit ſemper neceſſaria ad ſalutem?

Reſp. *D. Tho. hic art.* 8. ante Chriſti aduentum fuiſſe in maioribus, quibus notus erat ſenſus *Scripturarum*, in quibus expreſſa eſt Trinitas perſonarum; vt *Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram; & in Principio*, idèſt in Verbo *creauit Deus*, idèſt Pater; *Et Spiritus Domini*; idèſt Spiritus S., non tamen fuiſſe in minoribus, quibus non erat notus ſenſus *Scripturarum*. Poſt aduentum autem ipſius fuit ſimpliciter neceſſaria, vt habetur in *Symb. D. Athan., & in alijs Symbolis* traditur expreſsè omnibus credenda.

35 Dices. Non poteſt cognoſci Chriſtus, niſi cognoſcatur Filius Dei; & ideo niſi cognoſcatur Pater; & Pater, & Filius ſummè boni, niſi cognoſcatur amor vtriuſque, qui eſt Spiritus S., ſed fides explicita in Chriſtum fuit omnibus neceſſaria; ergo & fides explicita Trinitatis.

Reſp. diſt. ma. Non poteſt cognoſci Chriſtus, niſi cognoſcatur Filius Dei, ſi cognoſcatur præcisè ſecundùm puram rationem mediatoris, liberatoris, redemptoris, & reſtauratoris, neg., ſi cognoſcatur adæquatè etiam ſecundùm rationem miſſi procedentis à Patre, conc., Chriſtus autem debuit cognoſci ſecundùm puram rationem mediatoris, liberatoris &c., non ſecundùm rationem Filij procedentis à Patre, & ſic nequit dari cognitio Trinitatis.

§. I.

An, & quæ ſint credenda ex neceſſitate præcepti?

Fidem explicitam Trinitatis, Incarnationis &c. poſt Chriſti aduentum eſſe neceſſariam neceſſitate medii ad ſalutem iam diximus; quærimus, an etiam ſit neceſſaria neceſſitate præcepti?

36 Vnica concl. Fides explicita eſt etiam neceſſaria ad ſalutem neceſſitate præcepti.

Prob. *ex 1. Io. 3. Hoc eſt mandatum eius, vt credamus in nomine Filij eius Ieſu Chriſti.*, hinc *Beatiſſ. P tract. 83. in Io.* docet: *De fide quàm multa ſunt mandata nobis*; mandatum autem, & præceptum idem ſonat, & credere in nomine Ieſu Chriſti eſt credere explicitè: vt *ſup.* diximus; ergo præceptum Dei eſt, vt explicitè credamus; & ideo fides explicita eſt etiam neceſſaria ad ſalutem neceſſitate pręcepti, ſine quo ſalutem conſequi non poſſumus, cùm poſſumus illud implere.

37 Quæres 1. an hoc pręceptũ ſit de iure naturę?

Reſp. eſſe de iure naturæ, & de iure poſitiuo Diuino, quia naturaliter obligamur obedire Deo; tanquam ſupremo Domino; & hoc præceptum continetur etiam in lege Diuina poſitiua; ergo eſt de vtroque iure.

Sequitur ex hoc 1. decem præcepta Decalogi eſſe explicitè credenda ab omnibus ſiue ante, ſiue poſt aduentum Chriſti de præcepto naturali, & de præcepto poſitiuo iuris Diuini.

Dices. Præceptum naturę nequit obligare, niſi ad id, quod poteſt impleri viribus naturæ; ſed actus fidei Diuinæ nequit impleri viribus naturæ, quia eſt ſupernaturalis; ergo præcepta Decalogi non ſunt credenda fide Diuina, ſed naturali.

Reſp. neg. ſupp. conſ., nam præcepta Decalogi non poſsũt viribus naturæ ſeruari, quia ſine gratia non poſſumus legem implere. Dicuntur autem præcepta naturalia, non quia ſint ordinata ad actus naturales, ſed quia ſunt nobis data ſimul cũ natura.

Sequitur 2. exiſtentiam Dei, creationem, Trinitatem, remuneratione͂, Incarnationem, mortem, & reſurrectionem Chriſti Domini eſſe pariter credenda ab omnibus explicitè; habentur enim expreſsè *in nouo Teſtamento.*

Sequitur 3. peccatum originale eſſe credẽdũ quoq; explicitè ab omnibus, vt pariter dictũ eſt.

Sequitur 4. poſt ſufficientem legis Euangelicæ promulgationem teneri omnes de iure Diuino explicitè credere omnes articulos Symboli ſaltem quoad ſubſtantiam. *Eſt cont. Sua.* putantem de iure Diuino teneri ſolùm ad credendum Deum eſſe, & remuneratorem eſſe, necnon Trinitatem, & Incarnationem: ad ceteros uerò articulos teneri tantùm de iure Eccleſiaſtico. Eſt *cont: Arag. & Coninch* excipientes *communionem ſanctorum*, tanquã difficillimum. Prob. Symbolum eſt breuis ſumma Euangelij, ſed totum Euangelium eſt credendum *Marc. vlt.* ergo, & totum ſymbolum.

Digitized by Google

38 Diximus ſaltem *quoad ſubſtantiam*: quod intelligendum eſt quoad rudiores; nam Prælati, Epiſcopi, Doctores, Concionatores, Parochi, & alij habentes curam animarum, qui ſunt magiſtri fidei, tenentur ſcire etiam circunſtantias.

39 Adhuc tamen diſtinguendum eſt de circunſtantijs: nam aliæ ſunt, quæ nullo modo poſſunt variare ſubſtantiam; vt quòd Chriſtus paſſus ſit *ſub Pontio Pilato*; quamuis enim non eſſet paſſus *ſub Pontio Pilato*, ſed *ſub Herode*; attamen poſſet eſſe eadem paſſio. Aliæ autem aliquo modo poſſunt variare ſubſtantiam; vt eſſe natum *ex Maria Virgine*; qui enim crederet *Mariam Virginem* ſeruaſſe virginitatem in partu Chriſti; illam tamen poſtea amiſiſſe; variaretur aliquo modo ſubſtantia; quia abſolutè *Virgo* dici non poſſet, niſi quæ perpetuò manet virgo; quidquid dicant *Azor*; & *Sanch* contra quos tamen ſtant *Sua*; *Palao, Coninch, Lugo, & omnes alij.*

40 Petes, an omnes adulti teneantur ſcire memoriter ſymbolum?

Reſp. non teneri de iure Diuino, quia *nullibi* hoc habetur *in Scriptura*; teneri tamen ex praxi Eccleſiæ, quæ habet vim legis. Hæc autem obligatio eſt ſub veniali, non ſub mortali; dummodò tamen ſciant ſubſtantiam eorum; hanc enim notitiā ante, & poſt baptiſmum exigit ab omnibus *Conc. Agathen., Bracear. II. c. 20. de conſecr. diſt. 4. & c. Deus qui de pœnitentijs, & remiſſ., & ex Cathechiſmo*; vnde rudibus neſcientibus memoriter recitare ſymbolum non eſt deneganda abſolutio à Confeſſario.

41 Sequitur 5. omnes teneri credere ſeptem ſacramenta; quia de illis extat præceptum Diuinum. Item teneri ſcire, & credere quinque præcepta Eccleſiæ, quia auctoritas Eccleſiæ in rebus fidei recenſetur in ſymbolo. Item teneri ſcire orationem Dominicam, qua debemus Deum orare: continetur enim expreſsè in Euangelijs.

42 Quæres 2; quando obliget præceptū fidei? Reſp; quòd ſi ſumatur negatiuè, ſemper obligat, quia nunquam licet negare, aut practicè dubitare circa articulos fidei. Si verò ſumatur affirmatiuè, non ſemper obligat, ſed tantùm loco, & tempore, vt diximus. Optimum tamen eſt frequentare actus fidei, vt fortiores inueniamur in vltima tentatione circa fidem.

A R T. IV.

An confeſsio externa ſit actus elicitus à fide?

1 DEclaratis ijs, quæ ſpectant ad actum internum fidei, ſupereſt diſcurrere de āctu externo, qui conſiſtit in verbis, factis, aut ſignis, quibus fidem teſtamur. Quæritur ergo, an confeſſio externa ſit actus elicitus, vel tantùm imperatus à fide?

2 *Sua. 2. de Religione c. 3. Val. hic q. 3. punct. 1. Hurt. Lug. & Arrug.* volunt eſſe actum tantummodò imperatum. *Lorc.* verò *hic q. 3. art. 1. n. 1. Vuigers, Gonet., & Thomiſtæ communiter* volunt eſſe actum elicitum.

3 *Noſter Gibb hic diſp. 8. dub. 1.* ait hanc eſſe quæſtionem de nomine: ſi enim nomine elicitionis actus intelligatur productio actus immediata à ſolo habitu immediatè recepti in potentia, in qua eſt habitus, confeſſio externa non eſt actus elicitus à fide, quia producitur immediatè à potentia motiua oris, & linguæ, & recipitur in ore, non in intellectu, in quo eſt fides. Si autem intelligatur actus, qui producitur ſine conſortio alterius virtutis, quamuis producatur per aliam potentiam ſubordinatam potentiæ, in qua eſt habitus, in hoc ſenſu confeſſio externa eſt actus elicitus à fide. Sicut nedum actus, quo habitus picturæ format ideā in mente, ſed etiam actus externus, quo formatur imago in tabula, dicitur actio picturæ: & nedum volitio elargitionis eleemoſinæ, ſed etiam ipſa externa elargitio eleemoſinæ dicuntur actus miſericordiæ, quatenus ad formandam picturam in tabula, & ad elargiendam eleemoſinam non concurrunt aliæ virtutes, quamuis concurrat potentia externè motiua. Si autem concurrat alia virtus, vt cùm miſericordia præcipit abſtinentiæ, vt parcat cibis ob illos elargiendos pauperibus, actus abſtinentiæ dicitur elicitus, non imperatus à virtute miſericordiæ. Lis igitur eſt, an nomine actus eliciti intelligatur ſolus actus immediatè elicitus ab habitu, & immediatè receptus in potentia, in qua eſt habitus. Vel ſignificetur etiam actus productus ab aliquo habitu mediante potentia ſubordinata, abſque tamen alio habitu?

4 Noſtra tamen ſententia docet confeſsionē externam eſſe actum tranſeuntem productum ab habitu fidei in genere cauſæ efficientis externæ, non autem in genere cauſæ formalis immanenter agentis, & hoc etianſi ad confeſsionem externam concurrat alia virtus v.g. veracitatis, vel iuſtitiæ legalis. Deducitur manifeſtè *ex Fund D. in 3. diſt. 9. p. 1. q. 1. art. 2.* vbi docet, quòd vna virtus poteſt facere opera aliarum virtutum, vt magnanimitas poteſt facere opera fortitudinis ſub alia ratione formali, vt *ſup.* diximus *art. 2. n. 2.*, vbi etiam retulimus D. *Tho., & omnes antiquos*, quibus eſt hæc ſētentia communis.

5 Vnica concl. Confeſsio externa eſt actus tranſiens verè, & propriè productus ab habitu fidei, vt à principio *quo* in genere cauſæ efficientis extrinſecè, etianſi ad ipſam confeſſionem concurrat alia virtus, & potentia diſtincta ab ea, in qua ſubiectatur fides, non tamen in genere cauſę formalis immanenter agentis.

Prob. *ex Apoſt. Rom. 10. Corde creditur ad iuſtitiam, confeſsio autem fit ore ad ſalutem*. Super quod *Beatiſſ. P. lib de fide, & ſymb. c. 1. Fides officium à nobis exigit cordis, & linguæ*: & mox: *Ore profiteamur fidem, quam corde geſtamus, quæ fides ne fraudulentis calliditatibus hæreticorum poſſit in nobis aliqua ex parte violari, pia, cautaque diligētia prouidendum eſt.* Ex quo ſic 1. Officium fidei eſt actus formaliter productus à fide, ſed externa confeſsio eſt officium fidei, ergo eſt actus formaliter productus à fide. Ma. patet, quia ſicut officium charitatis eſt amare, quod eſt actus productus à charitate, ita officiū, quod dicitur *ab officere*, eſt actus facientis.

Mi. patet *ex Apoſt.*, qui explicans officia, quæ debet fides præſtare, ait, quòd debet *corde credere, & ore confiteri* ad hoc, vt fides ſalutem operetur. 2. Ille eſt actus productus à fide, cuius oppoſitum violat fidem, ſicut ille eſt actus miſericordiæ, cuius oppoſitum violat miſericordiam; oppoſita enim reſpiciunt eandem virtutem: nam intemperantia non violat miſericordiam, quia non opponitur eleemoſynæ: ſed oppoſitum confeſſionis externæ violat fidem, quia negatio externa ipſius fidei violat ipſam fidem, vt patet; ergo idem. 3. Ille eſt actus formaliter productus à fide, qui verſatur formaliter circa obiectum formale fidei: actus enim vnius virtutis nequit formaliter verſari circa obiectum formale alterius; ſicut nequit verſari ipſa virtus: ſed externa confeſſio formaliter verſatur circa obiectum formale fidei, quia verſatur circa primam veritatem reuelantem, cui verbis, & factis externis aſſentitur, & à qua nequit dimoueri, illi enim immobiliter adhæret, & aſſentitur; ergo idem. 4. Actus externus non ſuperaddit nouam ſpeciem malitiæ actui interno, vt diximus *to. 3. de Act. hum. q. 5. art.* 5. § 3., ergo nec bonitatis, ſicut nec in phyſicis actus externus picturæ ſuperaddit nouam ſpeciem actui interno, ſed pertinet ad eũdem ſpecie habitum, ita à pari; ſed plures actus conuenientes in ſpecie producuntur ab eodem habitu; actus enim vnius ſpeciei nequit produci ab habitu diuerſæ ſpeciei, aliter daretur confuſio habituum, & actuum: ergo idem.

6 Conf. *ex Fund. Doct. vbiſ.* Si externa confeſſio eſſet actus imperatus, maximè, quia producitur à potentia externa, vel quia producitur ab alia virtute, ſed ex neutro ſequitur; ergo idem. Ma. eſt ratio *Aduerſariorum.* Prob. 1. pars min. Ex eo, quòd productio externa artefacti producatur immediatè à potentia locomotiua: attamen non ſequitur, quòd non ſit ab habitu artis exiſtentis in intellectu: aliter pictura externa non eſſet effectus ipſius artis pictoriæ, quæ exiſtit in intellectu: & ſic voluntas, quæ, cùm ſit potentia immanens, non operatur ad extra, niſi mediante potentia tranſeunter agente, non eſſet cauſa productiua rerum: ergo à pari. Prob. 2. pars mi. Quamuis effectus productus à virtute *A*, ſub propria ratione formali ſpecificatiua ipſius virtutis *A*, dici poſſit imperatus à virtute *B*., ſi hæc imperet illi, vt operetur: nam virtus B nequit operari ſub ratione formali ſpecificatiua virtutis *A*., aliter hæ duæ virtutes non diſtinguerentur formaliter, quia haberent idem ſpecificatiuum formale: attamen idem effectus ſecundùm diuerſas rationes formales poteſt produci à diuerſis virtutibus: vt quando religio vult facere eleemoſinam, vt præſtet honorem, cultum, & reuerentiam Deo: tunc eleemoſina, quatenus ſubleuatiua pauperis à miſeria, eſt effectiuè à virtute miſericordiæ, & quatenus præſtat obſequium, cultum, & honorem Deo, eſt à virtute religionis: non enim ſub hac ratione poteſt elici à miſericordia, aliter confunderetur cum religione, quia tenderet in eius obiectum formale: neque implicat, quòd duæ cauſæ diuerſi generis, & ordinis producant eundẽ effectum: nam *ex Phil. Sol, & homo generant hominem*, ſed externa confeſſio refertur in Deum, ut eſt prima ueritas obſcurè reuelans, cui aſſentitur corde, & ore, ut dictum eſt *ex Apoſt.* Deus autem, ut prima ueritas obſcurè reuelans, eſt obiectum formale fidei., & ideo idem eſt obiectum formale confeſſionis internæ; & externæ., ergo quamuis confeſſio externa ſit etiam ab alia uirtute ſub alia ratione formali: attamen quia tendit etiam in obiectum formale fidei, eſt etiam actus productus à fide.

7 Collig. hinc differentia inter actum purè imperatum & productum, quòd actus purè imperatus ab aliqua virtute non producitur ſub ratione formali ſpecificatiua virtutis imperantis, aliter eſſet productus., actus verò elicitus, ſeu productus eſt ille, qui producitur ſub ratione formali illius virtutis, & ſic explicatur *D. Tho.*

8 Quòd tandem externa confeſſio ſit actus productus à fide in genere cauſæ efficientis extrinſecæ, non in genere cauſæ immanenter agentis, apertè monſtratur, quia externa confeſſio non recipitur in intellectu, in quo eſt fides, ſed in ore, quod diſtinguitur realiter ab intellectu: ergo eſt productus tranſeunter, non immanenter ab intellectu informato à fidei habitu.

9 Obijc. 1. Exterior negatio non eſt actus infidelitatis: nam plures Chriſtiani metu tormentorum negant ore eam fidem, quam retinent corde: ergo nec externa confeſſio eſt actus fidei: *oppoſitorum* enim *eſt eadem ratio.* 2. Poteſt quis fidem externè fateri abſque fide interna: at talis confeſſio non eſt actus fidei: ergo idem. 3. Confeſſio externa eſt actus ueracitatis: uult enim ſeruare honeſtam conformitatem cum uerbis loquentis: ergo non eſt actus fidei.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Exterior negatio fidei coniuncta cum negatione interiori non eſt actus infidelitatis, neg., coniuncta cùm fide interiori, ut in caſu, conc. Sic externa confeſſio ſeiuncta à fide interiori non eſt actus fidei, ſed ſimulationis, aut mendacij: coniuncta tamen cum fide interna eſt actus fidei, per quod patet ad 2. Ad 3. diſt. ant. Eſt actus ueracitatis tantùm, neg., etiam, conc. poteſt enim produci ſub pluribus rationibus, ut dictum eſt.

10 Inſt. Externa fide negatio coniuncta cum fide interna eſt actus infidelitatis: ergo nulla ſolutio.

Reſp. diſt. ant. Eſt actus uerè infidelitatis, neg. falſæ, & ementitæ, conc.

ART. V.

Quando obliget externa confeſſio?

1 Confeſſionem externam fidei non eſſe neceſſariam neceſſitate medij, ſed præcepti ad ſalutem conſtat ex eo, quòd ſi quis habens baptiſmum in voto nullo modo poſſit habere baptiſmum in re, decedat cum actu perfectæ contritionis, qui ſecum trahit gratiam iuſtificantem, ſalutem externam conſequitur ſine vlla conſeſ-

feſſione externa. Præceptum autem confeſſionis externæ habetur *Matth.* 10. *Omnis ergo, qui me confitebitur coram hominibus; confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cęlis eſt; qui autem negauerit me coram hominibus: negabo & ego eum coram Patre meo.* Confeſſio autem facta coram hominibus eſt externa, vt patet. Deducitur autem *ex prędicto textu* præceptum confeſſionis externæ aliud eſſe affirmatiuum, quod ſignificat illud verbum *confitebitur*; aliud negatiuum, quod importat verbum *negauerit*. Quæritur ergo in præſenti, an ſemper teneamur fidem externè fateri, & nunquam illam externè negare; vel aliquando liceat eam non fateri, aut negare?

2 Vnica concl. Præceptum negatiuum externæ confeſſionis obligat ſemper, & pro ſemper; affirmatiuum verò obligat ſemper, non pro ſēper, ſed loco, & tempore in quibuſdam ſcilicet caſibus, & circunſtantijs.

Prima pars concl. *cont. Adrian. in* 4. *q.* 1. *de bapt. art.* 1. docentem, quòd ad tuendam vitam, aut ad vitanda grauia mala, licet nedum ſimulare falſam religionem, ſed etiam negare fidem Chriſti, prob. 1. *ex Matth.* 10. *vbi ſ.*, vbi Chriſtus Dominus abſolutè ait ſe negaturum coram Patre, qui negat eum coram hominibus; ſed Chriſtus neminem poteſt negare coram Patre, niſi propter tem. illicitam; ergo nunquam licet ipſum externè negare. 2. *ex* 2. *Mac.* 6. habetur *Eleazarum* noluiſſe ſimulare comeſtionem cibi vetiti, ne ſuo exemplo peruerteret rudiores, qui putaſſent eum verè manducaſſe; ergo nec licet ſimulare. 3. *Ex Beatiſs. P. tract.* 6 *in Io.* ſuper illud: *Qui ſoluit Chriſtum, non eſt ex Deo*, prope finem: *Quomodò non negas Chriſtum in carne veniſſe, qui dirumpis Eccleſiam, quam ille congregauit? Contra Chriſtum ergo venis: antichriſtus es. Intus ſis, foris ſis, antichriſtus es. Sed quando intus es, lates: quando foris es, manifeſtaris.* Ex quibus ſic. Soluere Chriſtum non eſt licitum, quia non licet non eſſe ex Deo; ſicut nec eſſe antichriſtum, idèſt oppoſitum Chriſto, interiùs, vel exteriùs; ſed qui negat Chriſtum exteriùs, ſoluit Chriſtum exteriùs, & eſt exteriùs antichriſtus; ergo negare Chriſtũ exteriùs nunquã licet. Tandem omnia præcepta negatiua obligant ſemper, & pro ſemper; ergo & in caſu.

3 Obijc. 1. 4. *Reg.* 10. *Iehu* ſimulauit idolatriam, vt deſtrueret ſacerdotes, & cultum *Baal*, pro quo fuit à Deo remuneratus; ergo licet aliquando ob bonum finem ſimulare falſam religionem, & negare fidem. 2. *D. Petr. ad Gal.* 2. ſimulauit legalia ſeruare; abſtinuit enim à cibis vetitis; & *Act.* 16. *D. Paulus* circuncidit *Timotheum*; ergo idem.

Reſp. ad 1. ſimulationem *Iehu* fuiſſe peccatum, commendari tamen à Deo, quia deſtruxit cultum *Baal*; ſicut laudatur *villicus* de mammona iniquitatis. *Vid. Beatiſs. P. lib. cont. mend. c.* 2. Ad 2. legalia, & circuncifionem eo tempore fuiſſe mortua, non mortifera, ideo illa ſeruare non erat illicitum.

4 Collig. ex dictis Chriſtianum legitimè interrogatum ab habente poteſtatem publicam non poſſe fidem negare, nec vti verbis æquiuocis, quæ ſumerentur pro negatione: interrogatum tamen à perſona priuata poſſe reſpondere: *Quid tua intereſt?* & ſimilia. Poſſe tamen Chriſtianum captiuũ induere veſtes infidelium ad fugiendum, quia hoc eſt occultare, non negare fidem. Excipiuntur tamen veſtes inſtitutæ ad ſignificandam falſam ſectam, vt *pileus flauus Hebræorum*, quia hæc illam affirmant.

5 Prob. 2. pars concl. *ex Fund. Doct. in ep. ad Rom c.* 14. *lect.* 48 *dub.* 2. docente: *Illa, quæ ſunt determinata, per fidem tenemur manifeſtare loco, & tempore*: locus autem, & tempus ſunt circunſtantiæ, vt patet.

5 Quinque circunſtantiæ communiter aſſignantur, in quibus tenemur externè fidem fateri. 1. quando quis ſuſcipit baptiſmum, debet enim interrogatus reſpondere. *Credo.* 2. quando periclitatur honor Dei, & fides. 3. quando quis adminiſtrat ſacramenta, quæ nequeunt ritè peragi, niſi præmiſſa confeſſione fidei, vt in miſſa. 4. cùm quis admittitur ad Doctoratum, conciones, curas animarum, publicas lecturas in Vniuerſitatibus *iuxta Trid. ſeſſ.* 24 *c.* 12. *de reform. & ſeſſ.* 25. *c.* 2. *& Pium V. In ſacroſancta.* Ceteræ autem circunſtantiæ ad has reducuntur, vt cùm proximus vacillat in fide, tenetur eum confirmare. In his caſibus tenemur etiam cum periculo vitæ, quia, vt docet *B. P. lib.* 1. *de lib. arb.*, iure naturæ tenemur præponere meliora vilioribus, vita autem temporalis, vtpotè naturalis, eſt vilior fide.

7 Dices. Fuga eſt licita; ſed fuga eſt quædam negatio, quia negatio explicatur per modum fugę: ergo aliquando negatio fidei licet etiam in caſibus adductis.

Reſp. fugam eſſe licitam, vt colligitur *ex Matt.* 10 *cùm autem perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam.* Quando tamen talis fuga non eſt in præiudicium fidei, vel damnum ſpirituale aliorum; & in hoc ſenſu intelligendus eſt *Tertull.* aſſerens non eſſe licitum fugere à perſecutoribus. Fuga autem ſine his circunſtantiis licet; nec eſt negatio fidei, ſed potiùs confeſsio; quia fugiens eligit exilium, vt fidem ſeruet. Dicitur autem negatio reſiſtentiæ faciendę Tyranno, non verò negatio fidei.

8 Collig. non eſſe licitum celebrare ritus infidelium, vt adolere thus idolis, genuflectere, aut induere veſtem, in qua depictum, vel inſertum eſt idolum, quia hoc eſt fidem verbis, factis, vel ſignis negare, & falſam religionem profiteri: poſſe tamen catholicos comitari dominos infideles, genuflectere ad ſuſtinendum Dominum, modò non fiat gratia cultus erga idolum, vt habetur 4. *Reg.* 5. vbi *Naaman* petijt licentiam *ab Eliſæo* comitandi Regem ad templum *Remmon*, & genuflectendi, *Eliſæus* autem dixit: *Vade in pace.*

QVÆST.

QVAEST. III.

De obiecto fidei.

DE obiecto materiali, & formali fidei agimus. De quo non minùs eſt laborandum, quàm de actu, & habitu; *Recentiores* enim non aduertentes ad rationem habitus ſubalternati, cuius modum habet fides, & rationem formalem *qua, & ſub qua* confundentes, vel non benè explicantes in varias, ac diſparatas abierunt ſententias.

A R T. I.

Quodnam ſit obiectum materiale fidei?

1 OBiectum *quod* propriè importat aliquod complexum ex ratione materiali, & formali, vt diximus *to.1.q.2.proem.art.1.* §.1. *n.3.*, ſicut enim *in phyſicis* principium *quod* importat ſuppoſitum agens, quod eſt compoſitum ex materia, & forma, ita à pari. Vnde malè confunditur obiectum *quod* cum obiecto materiali. Igitur obiectum materiale alicuius habitus eſt ipſa res nudè conſiderata, quæ eſt indifferens, vt attingatur à pluribus habitibus, vt corpus reſpectu phyſicæ, & mathematicæ. Obiectum formale eſt ipſa ratio, quę attingitur ab hoc habitu, non ab alio; & per hanc vnus habitus ſpecificatur, & diſtinguitur ab alio. Quærimus in præſenti de obiecto materiali tantùm, non de formali, aut de obiecto *quod* conflato ex ratione materiali, & formali. Ad hoc non aduerterunt *noſter Gibb. & alij Recentiores* confundentes obiectum *quod* cum obiecto materiali. *Vid. plura* circa hanc rem *to.1.vbiſ.*

2 Quamuis autem ad rationem habitus ſimpliciter, & abſolutè ſumpti ſufficiat habere obiectum complexum ex ratione materiali, & formali; attamen ad rationem habitus ſubalternati requiritur, quòd eius obiectum vltra rationem materialem, & formalem importet etiam rationem accidentalem extraneam, per quam conſtituatur, & diſtinguatur ab habitu ſubalternante; quæ ratio dicitur accidentalis extranea ipſi obiecto, quia nec eſt ſpecies, nec pars, nec paſſio illius, ſed eſt aliquod ſpectans ad aliam potentiam ſpecie diſtinctam ab illa, in qua eſt habitus verſans circa tale obiectum; non tamen dicitur accidentalis extranea reſpectu ipſius habitus ſubalternati, ſed eſſentialis conſtitutiua illius, quia illum ſpecificat, conſtituit, & diſtinguit. Hoc patet *de Perſpectiua*, quæ *ſecundùm omnes* ſubalternatur *Geometriæ*; obiectum enim geometriæ eſt linea, idèſt quantitas, prout extenſa ſecundùm longitudinem ita, vt quātitas ſit obiectum materiale, quod conſideratur ab omnibus ſpeciebus mathematicæ; longitudo ſit ratio formalis ſpecificatiua; *viſualitas* autem, quæ eſt extra genus quantitatis, cùm non ſit ſpecies, nec pars, nec paſſio illius, adeoq; dicitur accidentalis extranea ipſi lineæ, eſt ſpecificatiua, conſtitutiua, & diſtinctiua Perſpectiuę, quæ eſt ſcientia ſubalternata geometriæ, & ideo eſſentialis *Perſpectiuæ*. Idem dicitur de muſica, quæ ſubalternatur aritmeticæ, & conſiderat numerum, quatenùs *ſonorū*; ſonus autem accidit numero, qui eſt obiectum *quod* aritmeticæ, & tamen eſt eſſentialis muſicæ, quia illam ſpecificat, & diſtinguit ab aritmetica. *Vid.* quæ diximus *to.1.q.3. proem. art.*8. Habitus itaque ſubalternans in hoc diſtinguitur à ſubalternato; quòd ille ſpecificatur ab aliquo intrinſeco ipſi obiecto materiali per modum ſpeciei, ſiue proprietatis, iſte verò ſpecificatur ab aliquo accidentali extraneo ipſi obiecto; quod ſuperadditur rationi formali obiectiuæ ſpecificanti ſubalternantem; quæ propterea poteſt veluti de materiali ſe habere reſpectu habitus ſubalternati; nam quantitas, quæ eſt ratio ſpecificans mathematicam, quaſi de materiali, ſe habet reſpectu ſonori, quod ſpecificat muſicam, quæ mathematicæ ſubalternatur, contrahitur enim quantitas per rationem ſonori, viſualis &c., & ideo ſe habet, vt genus, quod tenet locum materiæ. Diximus *quaſi de materiali*, quia ſcientia ſubalternans, & ſubalternata debent eſſe de eodem obiecto formali, vt diximus *to.1. vbiſ. n.*3. Et ratio eſt, quia obiectum habitus ſubalternantis non eſt indifferens ſimpliciter, cùm ſit actuatum per rationem formalem obiectiuam ſpecificantem ipſum habitum ſubalternantem, ſed eſt indifferens tantùm ſecundùm quid, ſcilicet per ordinem ad differentiam accidentalem extraneam ſpecificantem habitum ſubalternatum, & ideo non ſe habet ſimpliciter de materiali, ſed tantùm cum addito.

3 Cùm igitur fides, licèt non ſit habitus verè ſubalternatus viſioni beatæ, quia nequit coniungi cum illa, & propter alias rationes allatas *to.1. vbiſ.*, attamen habeat modum habitus ſubalternari, quia eſt de eodem obiecto, de quo eſt viſio beata iuxta *pſ.*47. *Sicut audiuimus, ſic vidimus*, ſuper quod *B.P.* ait: *Fidei ſuccedit viſio: & 1.Cor.13. Nunc per ſpeculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*; & viſio eſt euidens, fides verò obſcura, illa ſublimiori modo, quàm iſta, & quia fides addit obiecto viſionis beatæ reuelationem obſcuram propter ſolam auctoritatem dicentis, quæ eſt ratio extrinſeca Deo; proprium autem eſt habitus ſubalternati ſuperaddere rationem accidentalem extraneam obiecto, vt dictum eſt, & tandem quia Theologia habet modum habitus ſubalternati habitui fidei, & viſioni beatæ, vt oſtendimus *vbiſ.*, non poſſet autem ſubalternari fidei, & viſioni beatæ, niſi ipſa fides eidem viſioni ſubalternaretur; nam quia aritmetica non ſubalternatur Phyſicæ, ideo muſica, quæ ſubalternatur aritmeticæ, non ſubalternatur Phyſicæ, & ita à pari. Ideo de obiecto fidei diſcurrendum eſt, ſicut diſcurrimus de obiecto habitus ſubalternati; habet enim eundem modum eſſendi, & ſic eundem modum intelligendi.

4 Ex hac doctrina pendet diſcuſſio ferè totius huiuſce quæſtionis, quam adeo implicarunt *Iuniores*, vt *quidam Complut*i duos annos inſumpſerit ad eam explicandam.

5 Certum igitur eſt, quòd ſi loquamur de ob-

iecto

iecto fidei ſimpliciter materiali, prout eſt commune alijs duabus virtutibus Theologicis, ſcilicet ſpei, & charitati, eſt Deus, vt quid ſupernaturale præſcindendo à veritate, & bonitate, quæ ſunt rationes ſpecificantes, & diſtinguentes has tres virtutes ſupernaturales: ſicut enim corpus, vt corpus præciſè, eſt obiectum purè materiale commune medicinæ, Phyſicæ, & mathematicæ, quia iſti habitus communiter versātur circa corpus; ita Deus, vt Deus præciſè, in ordine ſupernaturali eſt obiectum materiale ſimpliciter fidei, ſpei, & charitatis, quia iſtæ tres virtutes verſantur circa Deum, vt eſt quid ſupernaturale, cùm etiam ipſæ ſint ſupernaturales. Hoc *apud omnes* certum eſſe debet; non enim videmus poſſe rationabiliter contradici ſuppoſita ſupernaturalitate habituum, & obiecti; vti *hic* illam ſupponimus.

6 Reſtringitur ergo diſſidium ad obiectum formale, quod eſt commune viſioni beatæ, fidei, & Theologiæ; quod poteſt vocari materiale reſpectu fidei, & Theologiæ, quæ, tanquam habitus ſimilitudinariè ſubordinati, illud contrahunt per differentiam extraneam; dictum enim eſt habitum ſubalternantem, & ſubalternatum debere eſſe de eodem obiecto formali, cui poſtea ſuperadditur à ſubalternato differentia accidentalis extranea, de qua non agimus in præſenti, ſed *inf.* Quærimus autem, in quo conſiſtat?

7 *Caluinus lib.*2. *Inſtit. c.*6. voluit obiectum fidei eſſe Deum, vt eſt homo Chriſtus. *Kemnitius* verò *in Trid.* voluit eſſe promiſſionem de gratuita miſericordia Dei propter Filium Mediatorem peccata remittentis.

8 *Dur. q.* 5. *Prol.* voluit eſſe actum meritorium.

9 *Thomiſtæ* verò volunt eſſe Deum, vt Deus eſt, ſub abſoluta ratione Deitatis. Sed diuiſi ſunt; *aliqui* enim volunt eſſe obiectum adæquatum; alij verò tantùm inadæquatum, adæquatum verò eſſe omnem veritatem à Deo reuelatam ſiue increatam, ſiue creatam. *Ita noſter* Gibb. *hic diſp.*1.*dub.*2.*n.*9., apud quem *Sua., Gonet., Arriag., Phil. à SS. Trin.*

Noſtra ſententia docet obiectum formale adæquatum commune fidei, Theologiæ, & viſioni beatæ, eſſe Deum ſub ratione glorificatoris, idèſt ſub ratione, qua conſideratur Deitas, vt proportionata, adæquata, & accommodata noſtro intellectui. *Ita Fund.Doct. locis cit. vbiſ., & to.*1.*q.*2.*art.*1.§.2.*n.*7.*, & ſæpe alibi*; ſequuntur *noſtri Argent. in* 3.*diſt.*24.*q.*1.*art.*1.*concl.*1.*, Franc. à Chriſto in* 1.*q.*1.*concl.*2.*, Putean.*2.2.*q.*1.*art. art.*1.*dub.*2. *in fine*; *Greg., Tolevan., Ger., & omnes alÿ ex noſtra Schola.* Adhæret *Val.to.*3. *diſp.*1.*q.*1.*punct.*1. § 3.*, & alÿ.*

10 Vnica concl. Obiectum formale adæquatum, circa quod verſantur communiter fides, Theologia, & viſio beata, eſt Deus ſub ratione glorificatoris.

Prob.1. *ex textibus ſuperiùs adductis*, in quibus manifeſtè dicitur fidei ſuccedere viſionem beatam; arguitur autem ſic. Obiectum formale viſionis eſt idem, ac obiectū formale fidei, ſed Deus, vt glorificator, eſt obiectum formale viſionis beatæ; ergo & fidei. Prob.ma. Viſio beata ſuccedit fidei, vt docet *Beatiſs.P.*, & colligitur manifeſtè *ex Scripturis: Nunc videmus per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: Cùm venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt: Sicut audiuimus, ſic vidimus*; quibus dicitur cognitionē claram, perfectam, & intuitiuam Dei, quæ eſt viſio beata, ſucceſſuram eſſe cognitioni ænigmaticæ, imperfectæ, & obſcuræ, quæ eſt fides, ſed hæc ſucceſſio nequit explicari, niſi per ordinem ad idem obiectum formale; nam *ſupradicti textus* aſſerunt, quòd illud idem, quod videmus ænigmaticè, imperfectè, & obſcurè per fidem, videbimus clarè, perfectè, & intuitiuè per viſionem beatam; idèſt illæ eædem veritates ſupernaturales, quæ modo creduntur per fidem, videbuntur clarè per viſionē beatam; quia phyſica, & mathematica habent idē obiectum materiale, non formale, & tamen nullus diceret, quòd eædem veritates, quæ cognoſcuntur per phyſicam, cognoſcantur per mathematicam; tum quia nullum aliud aſsignatur diſcrimen inter viſionem, & fidem, niſi quòd illa eſt viſio perfecta, hæc imperfecta; *perfectum autem, & imperfectum non variant ſpeciem*, & ideo non habent diuerſum obiectum formale, à quo ſumitur diuerſitas ſpecifica; tum quia *D.Tho.* ſæpe aſſerit Theologiam beatorum, idèſt viſionem beatā, & Theologiam viatorum, quæ non ſuperaddit fidei, niſi diſcurſum, qui eſt ratio accidentalis extranea, eſſe eiuſdem rationis, ſeu ſpeciei; ergo obiectum formale viſionis beatæ eſt idem formaliter, ac obiectum formale fidei. Prob.mi. Illud eſt obiectum formale viſionis beatæ, quod ſpecificat, & denominat viſionem beatam, actus enim ab obiecto formali ſumit ſpecificationem, & denominationē formalem *ex Phil.*, ſed viſio ſpecificatur, & denominatur beata à Deo, quatenus beatificator eſt, quod eſt idem, ac glorificator; ergo obiectum formale viſionis beatæ eſt Deus, vt glorificator.

11 Conf. Habitus ſubalternatus, ſeu habens modum habitus ſubalternati debet eſſe de eodē obiecto formali: non enim ſufficit eſſe de eodem obiecto materiali; aliter phyſica, & mathematica eſſent ſubalternatæ, quia habent idem obiectum materiale, quod eſt corpus, ſed viſio beata, & fides habent modū habitus ſubalternantis, & ſubalternati; ergo habent idem obiectum formale. *Vid.to.*1.*q.*3.*proem.art.*8.

12 Prob.2. euertendo vnam ex rationibus *Aduerſariorum.* In tantùm Deus, vt glorificator, non eſt obiectum formale fidei: in quantùm *SS. PP., & Theologi* docent obiectum fidei adæquatum eſſe Deum, vt eſt prima veritas, ſed Deus, ut glorificator intellectus beati, eſt Deus, ut prima ueritas, quia non eſt obiectum intellectus, niſi ſub ratione ueritatis, quæ eſt ſpecificatiua intellectus: prima autem ueritas, ut infinito modo attingibilis non eſt adæquata, & proportionata intellectui creato, quia ſic ſpecificat intellectum Diuinum, & ei proportionatur in infinitate: prout autem habet rationem

nem glorificantis intellectum creatum, idèſt prout finito modo attingibilis, eſt illi proportionata: ergo Deus, vt prima veritas glorificans, eſt obiectum formale fidei.

13 Inſt. Obiectum formale fidei eſt prima veritas in dicendo, ſeu reuelando: ſed ſic non eſt glorificator: ergo obiectum fidei non eſt Deus, vt glorificator. Tum quia prima veritas eſt attributum: ſicut prima bonitas; glorificatiuum autem eſt eſſentia, non attributum.

Reſp. Deum non eſſe glorificatorem, niſi quatenus ſe manifeſtè reuelat, & manifeſtat intellectui beato, quòd autem ſe reuelet obſcurè, & extrinſecè, per dicere extrinſecum, hoc importat rationem accidentalem extraneam, à qua ſpecificatur fides, vt habens modum habitus ſubalternati: *de quo inf.* Ad aliud dicitur primam veritatem aliam eſſe tranſcendentalem, quæ conueoit etiam eſſentiæ; aliam attributalem, quæ concipitur fluere ab eſſeotia. Prima veritas tranſcendentalis, quæ idem eſt formaliter virtualiter cum eſſentia, eſt obiectum formale fidei, & viſionis. Deus ergo, vt prima veritas eſſentialis explicata per modum glorificantis, idèſt prout dicit accommodationem, proportionem, & adæquationem cum noſtro intellectu informato habitu fidei, eſt obiectum formale fidei.

14 Deinde prob. omnibus alijs rationibus allatis *to.1.q.2.proem.art.1., & q.3.art.8.*

15 Quòd autem ſit obiectum adæquatum, prob. *ex B.P.lib.11.de Ciu.Dei c.2.*, vbi loquens de fide, qua imbuenda, atque purganda erat mens, ſeu ratio vitijs declinandis inualida, ait: *In qua* (ſcilicet fide) *vt fidentiùs ambularet ad veritatem, ipſa Veritas Deus Dei filius homine aſſumpto, non tamen Deo conſumpto, eandem conſtituit, atque fũdauit fidem, vt ad* Deum *iter eſſet homini per hominem Deum.* Ex quo ſic. Obiectum formale adequatum cuiuſuis habitus eſt vnum per attributionem aliorum ad ipſum; aliter habitus ab illo ſpecificatus non eſſet vnus, ſed veritates reuelatę non ſunt vnum, niſi per attributionem ad primam veritatem; per quam omnia ſunt vera; ergo Deus, vt prima veritas, eſt obiectum adæquatum fidei, quæ habet pro obiecto veritates reuelatas.

16 Conf. Veritates creatæ, & increatæ non ſunt vnum, niſi per ordinem ad ens, ſeu verum, *vt ſic*, quod eſt obiectum metaphyſicæ, ergo nequeunt eſſe obiectum adæquatum fidei; aliter fides eſſet metaphyſica; quia vnum eſſet vtriuſque obiectum attributionis. *Vid. vbi ſ. q.2. art.1. n.13.* Veritates ergo reuelatę ſunt obiecta partialia reducta ad vnum obiectum totale adæquatum, quod eſt Deus.

17 Tum quia virtutes Theologicæ habent pro obiecto immediato Deum: in hoc enim diſtinguuntur à virtutibus moralibus; ergo non habent pro obiecto aliquod commuoe Deo, & creaturis. Tum quia veritates creatæ ſunt obiectum ſecundarium, ergo malè conſtituuntur in obiecto primario adæquato, de quo tantùm *hic* loquimur.

18 Obijc. 1. Obiectum, & finis fidei idem ſunt, nam vt docet *Fund.D.*, in hoc diſtinguuntur virtutes Theologicæ à moralibus, quòd illæ habent pro obiecto, & fine Deum; iſtæ verò habent pro obiecto creaturas, ſed finis fidei eſt Chriſtus iuxta illud *Rom.10. Finis legis Chriſtus*, ergo obiectum fidei eſt Chriſtus. 2. *Scriptura* ſępiſſimè vocat *fidem Chriſti, & in Chriſto*; ergo idem. 3. *Trid. ſeſſ.6.c.6.* ait neceſſarium eſſe ad iuſtificationem credere in Chriſtum, & impium iuſtificari per gratiam Chriſti, ergo idem. 4. Illud eſt obiectum adæquatum fidei, quod nobis proponitur credendum pro conſecutione ſalutis: ſed Chriſtus eſt huiuſmodi: ergo idem.

Reſp. ad 1. diſt. mi. Finis *quo*, ſeu medius inter hominem, & Deum eſt Chriſtus, qui dicitur *mediator Dei, & hominum*, conc; finis *qui*, ſeu vltimus, neg. Ad 2. dicitur vocari fidem Chriſti, & in Chriſto, quia nobis data eſt per Chtiſtum, & Chriſtus extra Deum eſt principale myſterium fidei. Ad 3. dicitur eodem modo: nam debemus credere in Chriſtum, vt in principale myſterium, & cauſam noſtræ ſalutis. Ad 4. diſt. ma. Quod proponitur nobis credendum per ſe primò, & per omnem modum, idèſt præcisè, & adæquatè, conc., ſed in hoc ſenſu neg. mi., non enim proponitur nobis ſolus chriſtus credendus. Secus, ueg. Tum quia Chriſtus reducitur in Deum, cùm ſit homo Deus, & ideo nequit eſſe vltimum, & primum ſimpliciter, niſi conſideretur tantùm, vt Deus.

19 Obiic. 2. *Beatiſs. P. lib.1. de Doctr. Chriſt. c.3.* docet fidem eſſe de bonis, ac malis præſentibus, præteritis, & futuris, ergo res ipſæ ſunt obiectum adæquatum fidei.

Reſp. hunc, & alios ſimiles *textus* intelligendos eſſe de obiectis partialibus ſecundariis, nam *idem Beatiſs. P. lib.4. de Ciu. Dei c.29.* ait: *Fidei primum, & maximum officium eſt, vt in vnum credatur Deum*: quibus verbis apertè docet Deum eſſe obiectum primarium fidei.

20 Obiic. 3. Fides, Theologia, & viſio beata differunt inter ſe: ergo nequeunt eſſe de eodem obiecto formali, de quo nequeunt eſſe plures habitus diſtincti.

Reſp. diſt. ant. Differunt inter ſe, tanquam ſubalternans, & ſubalternatus, qui poſſunt eſſe de eodem obiecto formali cum ſola additione rationis extraneæ, conc., tanquam non ſubalternati: neg.

21 Obiic. 4. *SS.* PP., *& DD.* docent obiectum fidei eſſe Deum, quatenus eſt prima veritas obſcurè reuelans, ſeu in dicendo, ergo non eſt Deus, vt glorificator. 2. Reſolutio fidei non fit in Deum glorificatorem, ſed in primam veritatem reuelantem, ergo idem.

Reſp. ad 1. *SS.* PP., *& DD.* loqui de obiecto fidei conſiderato ſecundùm rationem accidentalem extraneam, per quam diſtinguitur ab obiecto Theologiæ, & viſionis beatæ, de quo *hic* non loquimur. Ad 2. diſt. ant. Reſolutio facta in rationē aſſentiendi, conc., in rationem exiſtendi, neg., quãuis enim concluſio Theologica reſoluatur in diſcurſum, tanquam in rationem aſſentiendi: attamē nullus diceret diſcurſum eſſe obiectum Theologię.

22 Obijc.

22 Obijc.5. Non omnia, quæ traduntur *in Scriptura*, reducuntur ad Deum, vt glorificator eſt; vt quòd *Tobias habuerit canem*; & ſimilia; ergo idē.

Reſp. neg. ant; canis enim *Tobiæ* reducitur in Deum reuelantem; & figuratè conducere poteſt ad ſalutem.

23 Obiic.6. *ex Gibb.* Obiectum adæquatum debet eſſe aliquod vnum continens ſub ſe omnia, circa quæ verſatur talis habitus, tanquam partes ſubiectiuas; ſicut color, *vt ſic*, continet ſub ſe omnes ſpecies coloris; ſed Deus nequit eſſe totum potentiale continens ſub ſe omnia reuelata; ergo idem. 2. Omnia, circa quæ verſatur fides, debent cadere ſub ratione formali *ſub qua* fidei; ſed non ſolus Deus, verumetiam creaturæ cadunt ſub Diuina reuelatione, quæ eſt ratio formalis *ſub qua* ipſius fidei; ergo idem.

Reſp. ad 1. probare Deitatem non eſſe obiectum adæquatum Diuini intellectus, ſed aliquid præſcindens à Deo, & creaturis; quod nullus dixit. Retorq. autem. Res reuelatæ non ſunt, niſi in ente; ſed ens eſt obiectum metaphyſicæ; ergo obiectum metaphyſicæ eſt obiectum fidei; & ſic fides eſſet metaphyſica. Igitur diſt. ma. Obiectum debet eſſe vnum continens in ſe ipſo, vel per identitatem puriſſimam omnia, quæ conſiderantur primariò; & conſiderata ſecundariò per attributionem ad ipſum; vel continens potentialiter omnia, quæ ſpectant ad ipſum primariò, conc; continens tantùm potentialiter, neg. Deus ergo omnia continet per identitatem puriſſimam, & creaturæ dicuntur per attributionem ad ipſum Ad 2. diſt. eodem modo ma. Debent cadere vel primariò, vt Deus; vel ſecundariò, vt creaturæ, conc; tantùm primariò, neg. Cæteras obiectiones *Vid.q.2.vbiſ.*

A R T. II.

Quænam ſit ratio extranea obiecto ſpecificãs fidem?

1 PRima ſententia vult rationem formalem conſtitutiuam, & diſtinctiuam fidei eſſe veritatem primam in dicendo: *Ita communiter Recentiores.*

2 Noſtra tamen docet rationem conſtitutiuã, & diſtinctiuam fidei à Theologia, & viſione beata eſſe aliquod merè extrinſecum Deo, vt eſt prima veritas, ſcilicet ratio obſcurè reuelantis ad extra res propoſitas ad credendum. *Ita Fund. Doct.*, *& alÿs noſtris DD.* relatis *to.1.q.3 proem.art.1.*, *& 3.*, & ex dictis *ibid.* oſtenditur hæc noſtra ſententia.

3 Not., quòd quando *SS. PP.*, *& DD.*, inter quos *Fund. Doct. in ep. ad Rom. c.4 lect.13. dub.3.* aſſerunt proprium obiectum fidei eſſe *primam veritatem in dicendo*: loquuntur de obiecto complexè ſumpto, prout dicit ſimul rationem materialem, & formalem, vt rationem accidentalem extraneã conſtituentem, & diſtinguentem fidem à Theologia, & viſione beata. Vnde cùm iam ſtatutum ſit *in ſup. art.* rationem materialem, & formalem intrinſecam eſſe Deum, vt eſt prima veritas eſſentialis proportionata noſtro intellectu, quæ explicatur per rationem glorificatoris, ſupereſt, quòd illa particula *in dicendo* importet rationem accidentalem extraneam, quo oſtenditur nos ſentire cum *SS. PP.*

4 Item not. *Fund. D in 2. diſt.23. q.2. art.3*; quòd Deus tripliciter reuelauit. 1. Prophetis per inſpirationem internam iuxta *pſ.84. Audiam, quid loquatur in me Deus.* 2 Doctoribus per lectionem Prophetarum. 3. Idiotis per auditum Doctorum.

5 Vnica concl. Ratio accidentalis extranea conſtituens, & diſtinguens fidem à Theologia, & viſione beata eſt ratio obſcurè reuelantis ad extra.

Prob. 1. *ex Matt. 17. Beatus es Simon Bariona, quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in Cælis.* Ex quo ſic. Quod mouet ad credendum, conſtituit, & diſtinguit fidem; ſed ratio obſcurè reuelantis eſt huiuſmodi: ergo conſtituit, & diſtinguit fidem. Ma. patet, quia ſicut quod mouet voluntatem ad amandum Deum, conſtituit charitatem, ita à pari. Prob. mi. Per rationem primæ veritatis clarè reuelantis Deum mouetur intellectus ad viſionem beatam; ergo per rationem obſcurè reuelantis mouetur ad credendũ. 2. Quod inducit ad aſſentiendum dicenti, mouet ad credendum; ſed reuelatio obſcura eſt huiuſmodi, nam *Petrus* credidit, quia Pater reuelauit; particula autem *quia* importat cauſalitatem, vt patet, ergo idē. Prob. 2. *ex B.P. lib. 2. qq Euang. q.39. Fide verborum, quibus nunc credimus, quod nondum videmus.* Ex quo ſic. Verba eſſentialiter important reuelationem externam conceptus interni: ſed conſtitutiuum fidei ſunt verba, ergo idem. 2 Circunſcripta reuelatione obſcura fides nec eſſe, nec intelligi poteſt: nam ſi quis loquendo non reuelet, fides ei haberi non poteſt: ergo idem.

7 Prob. 3. Habitus ſubalternatus conſtituitur, & diſtinguitur a ſubalternante ſolùm per rationē extraneam obiecto, vt diximus de Perſpectiua, quę per ſolam viſualitatem diſtinguitur à Geometria; ſed fides reſpectu viſionis beatæ habet modum habitus ſubalternati: quia fides tendit obſcurè, & imperfectiori modo in idem obiectum formale, in quod tendit viſio beata; ergo fides conſtituitur, & diſtinguitur ſolùm per rationem extraneam; nam habens modum ſubalternati eodem modo conſtituitur, ac ſubalternatus, quia res habens modum alterius eodem modo dicitur, ac altera, vt patet de relatiuo ſecundùm dici; quòd quia habet modum relatiui, eodem modo conſtituitur per ordinem ad alterum, ſicut conſtituitur relatiuum ſecũdùm eſſe, atqui ſola ratio reuelantis extrinſecè eſt ratio extranea obiecto fidei: ergo ſola ratio reuelantis extrinſecè conſtituit, & diſtinguit formaliter fidem.

8 Tandem per rationem reuelantis externè fides diſtinguitur à uiſione beata, in qua Deus reuelatur immediatè in ſeipſo; ergo per illam conſtituitur, quia *idem eſt conſtitutiuũ, & diſtinctiuũ*: Prob. ant. In hoc diſtinguitur ſcientia à fide, quòd ſcientia eſt per medium intrinſecum obiecto, quo obiectum videtur in ſe, fides verò eſt per medium extrinſecum, ſcilicet per atteſtationem dicentis: propter hoc in diſcipulo dicitur generari fidem,

non ſcientiam, quia non aſſentitur concluſionibus per medium intrinſecum obiecto, ſed per atteſtationem extrinſecam magiſtri loquentis; quando autem aſſentitur per medium intrinſecum obiecto, tunc dicitur habere ſcientiam, non fidem; ſed viſio beata eſt ſcientia beatorum, quia cognoſcit euidenter res per ſuas cauſas: ergo fides diſtinguitur à viſione beata per rationem reuelantis extrinſecè. Præterea fides diſtinguitur à Theologia per rationem reuelantis modo ſimplici, non illatiuo, ſeu per modum habitus primorum principiorum ſupernaturalium, non per modum illationis, qui conuenit Theologiæ; ergo per rationem reuelantis extrinſecè per modum ſimplicis intuitus fides conſtituitur, & diſtinguitur. *Vid. vbiſ. q. 3. art. 2.*

9 Obijc. 1. *ex Aureol. apud Capr. in 3. diſt. 24. art. 2.* Illa eſt ratio formalis conſtitutiua, & diſtinctiua fidei, quæ non eſt reſoluibilis in aliam priorem, debet enim eſſe ratio cæterarum; ſed reuelatio obſcura non eſt huiuſmodi, nam ſi quæratur: *Quare credimus Deo reuelanti*; reſp. *quia Deus eſt ſumma veritas*: & ſi quæratur: *Quare eſt ſumma veritas?* reſp. *quia eſt Deus*: ergo Deitas, non reuelatio obſcura, eſt ratio formalis conſtituens fidem. 2. Quamuis Deus per ſuam ſapientiam mundum gubernet, attamen Deus, vt Deus, dicitur mundum gubernare; ergo quamuis Deus, vt reuelans moueat ad credendum, attamen Deus, vt Deus, eſt ratio formalis conſtituens fidem.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Quæ non eſt reſoluibilis in aliam priorem per illum habitum, qui ab illa ſpecificatur, conc., & neg. mi., fides enim non quærit ampliùs, ſed pro certo habens Deum reuelaſſe quieſcit, nec vltra progreditur ad inquirendum. Per alium habitum non ſpecificatum ab illa ratione, neg., nam mobilitas, quæ eſt ratio conſtituens philoſophiam naturalem, licèt non ſit reſolnibilis per ipſam philoſophiam in aliam paſſionẽ ſuperiorem, ſecus non eſſet prima; attamen eſt reſoluibilis per metaphyſicam. Ad 2. diſt. ant. Deus, vt Deus, dicitur mundum gubernare, vt *quod*, conc; vt *quo*, neg. Sic Deus, vt *quod*, reuelat; vt prima veritas, vt *quo*.

10 Obijc. 2. Ratio formalis conſtitutiua virtutis Theologicæ debet eſſe aliquod prædicatum formaliter in Deo exiſtens; in hoc enim diſtinguitur virtus Theologica à virtute morali, quòd illa habet pro obiecto immediato Deum, hæc verò creatorem, quæ eſt aliquod extrinſecum Deo; ſed ratio reuelantis extrinſecè non eſt aliquod formaliter in Deo exiſtens; ergo non conſtituit fidem. Tum quia reuelatio externa eſt actus potentiæ executiuæ, ergo nõ eſt effectus Diuinæ veracitatis.

Reſp. diſt. ma. Ratio formalis eſſentialis conſtitutiua communis habitui ſubalternanti, & ſubalternato, conc., accidentalis extranea propria habitus ſubalternati, neg. Ratio autem eſſentialis ſpecificatiua virtutum moralium eſt honeſtas creata. Ad aliud dicitur etiam externam locutionem in nobis eſſe effectum potentiæ motiuæ, & tamen eſt actus intellectus illam dirigentis. Imò ex hoc arguitur noſtra ſententia, quia ratio formalis conſtituens fidem debet eſſe extranea.

11 Obijc. 3. Diſtinctorum habituum nequit eſſe idem ſpecificatiuum, & conſtitutiuum formale; ſed reuelatio ad extra eſt ſpecificatiuum, & conſtitutiuum prophetiæ, quæ ſpecie differt à fide; ergo nequit eſſe ſpecificatiuum fidei. 2. Reuelatio obſcura eſt ſpecificatiuum Theologiæ noſtræ; ergo idem.

Reſp. ad 1. diſt. mi. Reuelatio formaliter obſcura conſtituit prophetiam, neg; præſcindens à claritate, & obſcuritate, conc., nam in Chriſto fuit prophetia, in quo fuit reuelatio clara. Ad 2. diſt. ant. Reuelatio obſcura per modum illationis, conc. per modum ſimplicis intuitus, neg.

12 Obiic. 4. Multi crediderunt in Chriſtum propter miracula, non propter Diuinam reuelationem; ergo idem.

Reſp. euidentiam miraculorum cauſaſſe iudicium prudens credibilitatis: ipſum autem aſſenſum fidei cauſatum fuiſſe, quia Deus reuelauit Chriſtum eſſe Deum, quod miraculis comprobauit. Miracula ergo induxerunt tantùm ad prudenter iudicandum credibilem eſſe Chriſti Diuinitatem; Diuina autem reuelatio induxit ad aſſenſum.

13 Obiic. 5. Vel nomine *reuelationis* intelligitur res reuelata: vel id, quo res reuelatur? Non primũ, quia res reuelata eſt obiectum materiale, non formale; nec ſecundum, quia id, quo res reuelatur, eſt lumen, quod eſt ratio *ſub qua*, non *qua*. 2. Vel aſſentimur Diuinæ reuelationi per aliam reuelationem, vel per ſe ipſam? Non primum aliter iretur in infinitum: nec ſecundum: quia non aſſentimur reuelationi, niſi cognoſcamus Deitatẽ, quæ ſola eſt infallibilis, quæ nequit cognoſci, niſi per reuelationem.

Reſp. ad 1; quòd ſicut viſualitas eſt ratio *ſub qua*, & tamen conſtituit perſpectiuã; ita à pari. Ad 2. dicitur, quòd aſſentimur reuelationi per ſeipſam, quam per iudicium practicum cognoſcimus coniungi cum Deitate.

14 Collig. reuelationem actualem nec eſſe tantum conditionem *ſine qua nõ* applicantẽm Diuinam veracitatem, quæ eſt obiectum adæquatum fidei, vt volunt *noſter Arag. hic q. 1. art. 1. Staplet, lib. 3. auctorit. Eccleſ. c. 13. ſect. vlt. Eſparza hic q. 16. art. 19, & alÿ*; nec intrare rationem formalẽ obiecti fidei, tanquam aliquid inadæquatũ, vt putant *Sua. Val. Turrian. Tanner. Coninch. Arriag. Lorc. Lug. Gonet, & alÿ*, quia reuelatio ſe habet, ſicut viſualitas in linea, quæ adæquatè conſtituit perſpectiuam, vt à geometria diſtinguitur, viſualitas autem non ſe habet, vt pura conditio, vt patet. Neque eſt inadæquata, quia nullus poteſt dari actus fidei, qui non ſit ex Diuina reuelatione, ſed eſt ratio adæquata proximè illam conſtituens.

15 Collig. 3. reuelationes priuatas factas alicui perſonæ priuatæ ſpectantes ad ſtatum propriũ illius perſonæ de aliqua re priuata non ſpectante ad totam Eccleſiam, ſi illa perſona ſciat certò, & infallibiliter tales reuelationes eſſe à Deo, eſſe credendas ab illa tantùm perſona, non ab alÿs per fidem Diuinam. Deducitur *ex Fund. Doct. in 1. diſt. 41. princ. 1. q. 2. art. 1., Arag., Gibb., & ex alÿs Scat.,*

Vcg.

Veg., *Sua.*, *Salmer.*, Bellarm., *Gran.*, *Lug.*, *& alij cont. Caiet.*, *Can.*, *Sot.*. *Ban.*, *Lorc.*, *Val.*, *& alios.* Probari ſolet *ex Trid. ſeſs. 6. c. 9.*, vbi ait: *Cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum; &c.* Deinde excipit: *Nā niſi ex ſpeciali reuelatione ſciri non poteſt, quod Deus ſibi elegerit*; ergo *ex Conc.* habetur poſse circa ſpecialem reuelationem haberi actum fidei, ſine quo nequit eſſe actualis certitudo cognitionis per fidem. Tum quia *Gen. 15. Abrahæ fuit* facta reuelatio ſpecialis de ſuſceptione filii ex *Sara* Iam ſene, & credidit, & hic actus reputatus eſt ei ad iuſtitiam, vt habet *Apoſt. Rom. 4.* actus autem fidei iuſtificans eſse actus fidei Diuinæ. Idem dicitur *de Zacharia Luc. 1.*, qui arguitur infidelitatis, quia nō credidit Angelo promittenti ipſi filium *Io. Baptiſtam*. Ratio eſt. Circa illa, quibus competit ratio conſtitutiua fidei, poteſt dari actus fidei, vt circa illa, quibus competit mobilitas, poteſt dari actus, ſeu demonſtratio philoſophica: ſed rei priuatim reuelatæ competit ratio conſtitutiua fidei, quia competit reuelatio Diuina: ergo circa rem priuatè reuelatam poteſt dari actus fidei Diuinæ. Tum quia quòd res priuatim, & publicè reueletur, de materiali ſe habet: nam quòd vna concluſio ſciatur tantùm ab vno, vel ab omnibus, de materiali tantùm ſe habet reſpectu ſcientiæ; ab obiecto autem materiali non ſumitur ſpecificatio. Tum quia non minoris auctoritatis eſt Deus priuatè reuelans, quàm publicè: cùm nec publicè, nec priuatè poſſit mentiri.

16 Dices 1. *Beatiſs. P. cont. ep. Fund. c. 5.* ait: *Ego Euangelio non crederem, niſi Eccleſiæ me commoneret auctoritas*; quibus verbis apertè recurrit ad reuelationem vniuerſalem: *& 12. ſup. Gen. ad lit. c. 18. Mallem aliorum hac de re opiniones audire, quàm propriam ferre ſententiam*; ergo in hac re alienæ ſe ſubſcribit ſententiæ. 2. Nil cadit ſub fide, quod non ordinetur in Deum: ſed aliquæ reuelationes priuatæ circa bona temporalia non ordinantur in Deum: ergo non cadunt ſub fide. 3. Diſcredens reuelationi priuatæ nō eſt hæreticus: non enim incurrit pænas hæreticorum ſtatutas in iure. 4. Reuelatio priuata non connectitur cum ſpe ſupernaturali. 5. Reuelatio myſterij Trinitatis, & filij *ab Abraham* ſuſcipiendi ſpecie diſtinguuntur: quia ſpecie differunt obiecta reuelata: ergo idem.

Reſp. ad 1. *Beatiſs. Patrem* loqui de reuelationibus publicis, non de priuatis: loquitur enim *de Euangelio*, quod eſt publicè credendum ab omnibus: in his ergo recurrit ad Eccleſiam, tanquam ad regulam viuam credendorum, vt *inf.*, in priuatis autem regula viua eſt Deus certificans perſonam, cui ſit reuelatio, talem reuelationem eſſe à ſe ipſo. Ad aliam dicitur in illo loco non loqui de reuelationibus, ſed de viſionibus, ſomnijs, diuinationibus, quas non conſtat eſſe à Deo, & de his *hic* non loquimur. Ad 2. neg. mi., nam bona temporalia, vt ordinata, conducunt in Deum. Ad 3. diſt. ant. Non eſt hæreticus internus, & priuatus, neg., publicus, conc., pœnæ autem ſunt ſtatutæ ſolùm contra hæreticos publicos, quia ſtatutæ ſunt ab Eccleſia, quæ, cùm ſit vniuerſalis, leges fert pro omnibus. Ad 4. neg. ant., nam bona temporalia, vt ordinata in Deum, ſunt obiectum ſpei. Ad 5. neg. ant., nam actus fidei non diſtinguuntur pœnes obiecta materialia, quia ab illis non ſpecificantur.

17 Reuelationes autem virtuales non ſpectāt ad fidem, quia illis non aſſentimur ex vi dicentis, ſed ex vi diſcurſus.

18 Dices 1. *cum Veg.* Multa creduntur fide Diuina, quæ non ſunt formaliter reuelata, vt Deus infinitus, incorporeus &c., ergo reuelationes virtuales ſpectant ad fidem. 2. *Cum Vaſq.* Negans propoſitionem deductam eſſet hæreticus, quia negaret præmiſſam de fide: quoniam in bona forma concluſio nequit eſſe falſa, ſi præmiſſa eſt vera: ergo idem. 3. Reuelatio mediata ſpectat ad fidem, vt dictum eſt *de Dauide*, cui Deus mediante *Nathan* reuelauit mortem, reuelatio autem virtualis eſt mediata. 4. Plura definiuntur *in Conciliis*, quę non ſunt expreſsè reuelata *in Scripturis*, vt quòd Chriſtus conſtet ex anima, & corpore, quòd habeat duas voluntates.

Reſp. ad 1. neg. ant., nam *pſ. 144. magnitudinis eius non eſt finis, & Io. 4. Spiritus eſt Deus.* Ad 2. neg. ant. negaret enim tantummodò deductionem concluſionis ex præmiſſa, Ad 3. diſt. ma. Reuelatio mediata explicita, & formalis, conc., & in hoc ſenſu neg. mi., implicita, & virtualis, neg. Ad 4. neg. ant., nam *Matt. 26.* habetur: *Triſtis eſt anima mea, & Luc. 22. Non mea voluntas, ſed tua fiat.* Præterea dicitur propoſitiones, cùm definiuntur, fieri reuelatas formaliter.

ART. III.

In quòd vltimò reſoluatur aſſenſus fidei?

1 QVæritur, an ſicut aſſenſus concluſionis reſoluitur in propoſitiones per ſe notas, in quibus ſiſtitur, & vlteriùs procedi non poteſt: quia in cauſis per ſe ſubordinatis, vt ſunt præmiſſæ, iri nequit in infinitum: ita aſſenſus fidei reſolui debeat in aliquod vltimum, vltra quod nequeat procedi.

2 *LutheroCaluiniſtarum* delirium eſt aſſenſū fidei reſolui in quendam priuatum, & internum ſpiritum, quo illuminantur homines, & diriguntur in articulis fidei à Spiritu S. debitè inuocato. Delirium, inquam eſt: quia id, in quod reſoluitur aſſenſus fidei debet eſſe aliquod commune omnibus fidelibus, quibus fides communis eſt, ſicut .n. eſt vna omnium fides: ita vnicum omnium debet eſſe, in quod reſoluitur: ſpiritus autem priuatus non eſt communis. tum quia ſpiritus priuatus vnius eſt contrarius ſpiritui alterius, ideoque tot hæreſes, quot hæretici.

3 Prima ſententia vult reſoluendum eſſe in auctoritatem humanam Eccleſiæ. *Cit. Scot. in 3. diſt. 23. q. 1.*, *Gabr. ibid. q. 2. art. 1.*, *OKam. in 3. q. 8.*, *Dur. diſt. 24. q. 1. num. 8., & 9., & diſt. 25. quæſt. 3.*, *Med. de recta in Deum fide lib. 5. cap. 11.*

nam duplex auctoritas eſt in Eccleſia; alia humana, quæ coaleſcit ex pluribus motiuis euidentibus extrinſecis inducentibus ad aſſenſum, quæ motiua reddũt Eccleſiã fide digniſſimã in iis, quæ credẽda proponit. Alia Diuina, quę conſiſtit in infallibili aſſiſtentia Spiritus S. inſpirantis ea, quæ ſunt definienda, & credenda. *Maſtr.* tamen *hic diſp.6.q.1. art.3. n.37. ex Caſpen. vindicat Scot.* dicens nihil aliud docuiſſe, quam quod reſoluitur in auctoritatem humanam, tanquam in puram conditionẽ, non vt in rationem formalem.

4 Verùm ſi intelligatur, quòd tam Diuina reuelatio, quàm auctoritas humana Eccleſiæ integrent vnum motiuum formale conſtitutiuum fidei, falſa eſt; & *à Ban.* vocatur periculoſa, & erronea. Quia *ex 1. ad Teſſ. 2.* habetur: *Gratias agimus Deo ſine intermiſſione, quoniam cùm accepiſſetis à nobis verbum Dei, non accepiſtis illud, vt verbum hominum, ſed ſicut verè eſt, verbum Dei, qui operatur in nobis*: quibus verbis expreſsè docet fidem Diuinam generari in nobis ex reuelatione Diuina, non humana; *& ex 1. Cor. 2. Prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & veritatis, vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei.* Auctoritas autem humana fundatur in ſapientia humana, quæ prudenter iudicat ob motiua euidenter viſa eſſe credendum; & ideo *Apoſt.* excludens ſapientiam humanam excludit humanam auctoritatem. Idem habet *ad Gal. 1.* docens, quòd euangelium *non eſt ſecundùm hominum* (idèſt ſecundùm auctoritatem humanam) *ſed per reuelationem Ieſu Chriſti*. Ratio eſt. Fides Diuina in hoc differt ab humana, quòd illa habet pro obiecto motiuo auctoritatem Diuinam; hæc autem auctoritatem humanam. 2. Fides Diuina eſt ſimpliciter infallibilis, humana autem fallibilis; ergo ratio formalis conſtitutiua illius nequit eſſe auctoritas humana.

5 Dices. 1. *Io. 3.* habetur: *Si mihi non vultis credere, operibus credite*; *& 4. Multi crediderunt in eum propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia, quæcunque feci*; & alia ſimilia. 2. Reuelatio, locutio, & teſtificatio Dei ingrediuntur motiuum intrinſecum fidei; ſed miracula, & alia motiua ſunt locutiones, reuelationes, & teſtificationes Dei; ergo ingrediuntur motiuum formale fidei. 3. Aſſenſus fidei innititur reuelationi Diuinæ, vt nobis propoſitæ ab Eccleſia, prout eſt munita miraculis, aliiſq; motiuis. 4 Motiua credibilitatis reddunt propoſitionem credibilem fide Diuina. 5. Non ſunt pura conditio; quia pura conditio non attingitur à potentia; oculus enim non videt applicationem ſui ipſius ad coloratum; motiua autem attinguntur ab intellectu.

Reſp. ad 1. *hos, & ſimiles textus* intelligi de motiuis extrinſecis inducentibus voluntatem ad volendum credere; non de motiuo intrinſeco, & formali. Ad 2. diſt. mi. Sunt locutiones formales, & proponuntur nobis, vt de fide credendæ, neg., & non proponuntur, conc; ſola autem reuelatio propoſita nobis ad credendum ſpectat ad fidem formaliter. Ad 3. diſt. ant. Si *ly vt* reduplicet rationem formalem obiectiuam, neg., ſi conditionẽ præſuppoſitam, conc. Ad 4. neg. conſ., nam ratio formalis reddit propoſitionem actu creditam, non potentialiter credibilem. Ad 5. neg. ant. Ad prob. inſert. diſt. Conditio non attingitur á potentia per eandem rationem, qua attingitur forma, ad quam eſt conditio, conc, ſic motiua credibiſitatis non attinguntur actu fidei; per aliam actionem præſuppoſitam, neg., ſic apprehenſio boni eſt cõditio ad actionem voluntatis, & tamen attingitur actione præuia illam imperante.

6 Secunda vult aſſenſum fidei eſſe vltimò reſoluendum in auctoritatem Diuinam Eccleſiæ, quam aſſerit pertinere ad obiectum formale fidei. *Ita Dur. in 3. diſt. 24. q. 1. n. 8., Med. vbi ſ. Val. hic diſp. 1. q. 1. punct. 1., & alÿ.*

Hæc ſententia communiter reiicitur *teſte Gibb. hic diſp. 1 dub. 8. n. 2.* aſſerente, quòd communis ſententia vult Diuinam auctoritatem Eccleſiæ non ingredi rationem obiecti formalis fidei, & eius definitiones non eſſe proprias Dei reuelationes, aut locutiones. 1. *Ex D. Tho. hic q. 1. art. 1.* docente rationem formalem obiecti fidei eſſe primam veritatem: ergo auctoritas Diuina Eccleſiæ non ſpectat ad obiectum formale fidei: ſecus aliquid aliud præter primam veritatem eſſet obiectum formale fidei: & ſic prima veritas non eſſet obiectum formale fidei: & ſic prima veritas non eſſet obiectum adæquatum. 2. Prima veritas non ſubordinatur Diuinæ auctoritati Eccleſiæ, ſed è contra: ergo idem. 3. Definitiones Eccleſiæ non ſunt nouæ reuelationes, aut nouæ locutiones Dei: quia Eccleſia nequit condere *nouam Scripturam*, aut formare nouum articulum fidei: tum quia illi, quibus Deus immediatè loquitur, debent certò ſcire Deum eſſe, qui loquitur, vt de Prophetis, & Apoſtolis patet; Papa autem, & *Concilia* non ſentiunt Deum ſibi loqui: quia priùs examinãt *Scripturas*: ergo idem. 4. Spiritus S. ſolùm aſſiſtit Papæ dirigendo mentem illius, ne erret; non autem verba dictando: aliter definitiones Eccleſiæ numerarentur inter *Scripturas canonicas*, quod tamen nõ præſtat *Trid. ſeſſ. 4.*, & eorum verba, ſyllabæ, apices, & ordo eſſent de fide, ergo Diuina auctoritas Eccleſiæ euoluit ſolùm reuelationes antiquas, nõ autem nouas promulgat. Addunt *Ban. Mol. Turrian. Lorc., & Gran.* definitiones Eccleſiæ, quando non declarat illas eſse à Deo reuelatas, non eſse de fide, ſed ſpectare ad concluſiones Theologicas.

7 Sed hæc reiectio multas continet falſitates. 1. Auctoritas Diuina Eccleſiæ eſt auctoritas Dei loquentis per os Pontificis; dicitur .n. Diuina, quia eſt Dei, ſicut dicitur auctoritas humana, quia eſt auctoritas hominis; ſed auctoritas Dei ſpectat ad obiectum primarium; ergo & auctoritas Diuina Eccleſiæ. 2. Quamuis Papa non poſſit proferre nouas reuelationes ſpectantes ad noua myſteria, & ad nouam legem diuerſam à noſtra lege; attamen poteſt proferre nouam reuelationem manifeſtantem nouam veritatem circa myſteria noſtræ legis; nam veritas in confuſo, & implicitè reuelata eſt diſtinctè,

ſtinctè, & explicitè occulta; ergo dum Papa illam declarat, illam reuelat explicitè, & manifeſtat: ſi enim ante declarationem Papæ illa veritas eſſet explicitè manifeſta, eſſet hæreticus illam negans; & ſi non eſt explicitè manifeſta, aliquo modo eſt occulta; & ideo Papa illam explicitè manifeſtans dicitur propriè reuelare ſenſum explicitum illius, qui antea latebat. 3. Papa loquens ſecundùm ſenſum proprium, qui humanus eſt, loqueretur ſecundùm auctoritatem humanam, non Diuinam, quia loqueretur, vt homo, non vt Deus; & ſic non eſſet regula fidei, quia auctoritas humana nequit regulare fidem Diuinam; ſed loqui ſecundùm ſenſum inſpiratum à Spiritu S. eſt proferre reuelationes Dei; & Deum inſpirare ſenſum loquenti eſt Deum loqui per os hominis; ergo Papa profert reuelationes Dei, & Deus loquitur in illo. 4. Papa eſt oraculum Spiritus S; per quod Deus reuelat Euangelium, & fidem; eſt enim ſucceſſor *Petri*, qui *Act.* 15. ait: *Quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbũ Euangelij, & credere*; verbum autem Euangelij; & fides eſt reuelatio Dei, vt conſtat; ſed oraculum loquitur locutionem, & reuelationem Spiritus ei aſſiſtentis, & loquentis; ergo definitiones Papæ de Sede ſunt veræ locutiones, & reuelationes Dei, & ideo ſpectant ad obiectum formale fidei. 5. Negans definitionem Papæ eſt hæreticus formalis: ergo definitio Papæ ſpectat ad obiectum formale conſtitutiuum fidei, aliter ſine ipſa haberetur fides, & illam negans adhuc eſſet fidelis, quia ſaluato obiecto formali fidei ſaluatur habitus fidei, qui ab illo ſpecificatur.

8 Nec rationes in contrarium allatæ aliquid probant. Ad 1. dicitur *D. Tho.* aſſerere obiectum formale fidei eſſe primam veritatem ſenſibiliter loquentem per creaturam. Ad 2. neg. conſ. Diuina enim auctoritas Eccleſiæ eſt auctoritas Dei, & os Eccleſiæ ſe haber, vt viuum organum illius, cauſa autem principalis non ſubordinatur inſtrumentali, & organicæ; & ſi fiat reſolutio, reſoluitur, vt in viuum organum illius, *vt inf.*, quod non eſt illi ſubordinari, ſed illam ſibi ſubordinare; quia inſtrumentum ſubordinatur principali agenti. Ad 3. diſt. ant. Non ſunt nouæ reuelationes circa nouum myſterium, conc; circa dubium ortum circa myſterium iam reuelatum, neg. Ad 1. prob. inſert. dicitur, quòd licèt Papa non poſſit condere *nouam Scripturam*, & nouam legem; poteſt tamen condere nouam definitionem *circa Scripturam* nobis traditam. Ad aliam dicitur Papam ſentire ſe moueri à Spiritu S; quapropter in definitione Conceptionis *Beatiſs. Virginis Greg. XV. Breui dato* 4. *Iulii* 1622. *ad Margaritam Auſtria* Regis Catholici Amitam ait: *Spiritus S. accuratiſſimis precibus exoratus nondum tanti myſterii arcanum Eccleſia ſua patefecit. Nos autem non niſi eo praeunte æternitatis volumen in Chriſtiana Sapientia cathedra legere debemus.* Quæ verba non potuiſſet proferre, niſi cognoſceret impulſum Spiritus S. Examinat autẽ *Scripturas*, vt oſtendat vniformitatem doctrinæ, quæ eſt vnum ex motiuis credibilitatis. Hinc *Petrus in Conc. Hieroſolimitano*, quamuis haberet Spiritum S. inſpirantem, dixit enim: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis*; attamen præmiſit magnam conſultationem: habetur nanque *Act.* 15. *Cùm magna conquiſitio fieret; & Apoſt. Iacobus* ſubiunxit: *Et huic concordant verba Prophetarum*; oſtendens illam perquiſitionem factam fuiſſe ad oſtendendam concordantiam *Scripturarum*; qua redditur definitio euidenter credibilior. Ratio autem eſt, quia licet definitio ſit infallibilis; dictatur enim à Spiritu S; attamen quia profertur ab homine, tanquam ab organo, cuius propria eſt inquiſitio; ideo præmittenda eſt conſultatio; ut ab iſta etiam motiuum euidens credibilitatis extrinſecæ accipiat. Ad 4. neg. ant. Ad prob. inſert. dicitur Spiritum S. reuelare tantùm ſenſum verborum, non verba: & ideo non verba, ſed ſignificatio eorum eſt tantùm de fide, at in propheris reuelauit & ſenſum, & verba; quia verba etiam figurabant Chriſtum venturum, ceſſarunt autem figuræ: & ſic ceſſare debuit reuelatio verborum. Vel quia in lege veteri erant omnia obſcura, & velata, propter quod etiam verba reuelari debuerunt, quibus ſignificarentur: verba enim ſignificantia res obſcuras ab intellectu noſtro inueniri non poſſunt: ſicut inueniuntur ſignificantia res manifeſtas. Ad vlt. neg. ant., negans enim quamlibet definitionem Eccleſiæ eſt hæreticus, & vt talis punitur iuxta praxim Eccleſiæ, adeoq; quælibet definitio eſt de fide, quia ſola negatio propoſitionis de fide facit hæreticum.

9 Tertia vult reſolui in habitum fidei. *Ita Canus, noſter Arag., Bau., & Gran.*, & probant *ex* 1. *Io* 5. *Qui credit in Filium, habet teſtimonium Dei in ſe; & Beatiſſ. P. lib.* 15. *de Ciu. Dei c* 6. *Qui credunt prædicatore forinſecus ſonante, intus à Patre audiunt, atq; diſcunt*; quod repetit *lib.* 11. *c.* 3.

9 Sed hæc ſententia reijci ſolet: quia *hic* quærimus de ratione formali obiectiua, in quam vltimò reſoluitur actus fidei, non autem de principio elicitiuo illius, de quo loquuntur *textus* allati: certum enim eſt actum fidei reſolui in ipſum habitũ, & in lumen ſupernaturale obſcurum, tanquam in principium elicitiuum illius; ſicut quærimus de concluſione: hæc enim reſoluitur in habitum ſcientiæ, & lumen naturale, tanquam in principium elicitiuum, in propoſitionem autem per ſe notam, tanquam in rationem formalem obiectiuam, in qua ſiſtit.

10 Quarta vult reſolui in Diuinam reuelationem, & veracitatem, quæ falli non poteſt; veracitatem autem eſſe notam euidenter ex terminis: nõ concurrere tamen ad aſſenſum fidei, niſi vt ſupernaturaliter cognitam per habitum fidei; reuelationem verò eſſe quidem notam ex terminis, ſed obſcurè: ſicut enim quando audimus vocem *Petri* præſentis, quem ſcimus eſſe veracem, aſſentimur immediatè teſtimonio illius euidenter cognito: & quando audimus vocem *Petri* abſentis, comparãdo illam cum idæa *Petri* aſſentimur immediatè, ſed obſcurè illi voci nobis notæ ex terminis: ſic à pati. *Ita Lug. hic diſp.* 1. *ſect.* 6., *&* 7., qui adeo pro-

lixè

lixè ſuam mentem declarat, vt *multorum* iudicio vix colligi poſſint omnia, quæ dicit. Hoc videntur tenere *Coninch*, *& alii*.

Sed refellitur 1. quia licèt Diuina veracitas cognita *quoad an eſt* per medium extraneum, quod eſt creatura, euidenter appareat in lumine naturæ: attamen cognita *quoad quid eſt* per lumen ſupernaturale fidei obſcurè attingitur, quia obiectum ſupernaturale *quoad quid eſt* nequit euidenter cognoſci, niſi per lumen gloriæ, quod eſt eſſentialiter clarum, ſicut lumen fidei eſt eſſentialiter obſcurum: ergo aſſenſus fidei nequit reſolui in Diuinam veracitatem, vt euidenter notam. Si autem reſoluatur in veracitatem, vt obſcurè cognitam per lumen fidei, quod eſt obſcurum: ergo reſoluitur in veracitatem, vt reuelatam *in Scripturis*, & ſic non veracitas, ſed reuelatio eſt id, in quod reſoluitur fides; vnde hæc ſententia nomine veracitatis nihil dicit vltra reuelationem. 2. In hoc diſtinguitur fides à ſcientia, quòd hæc reſoluitur in per ſe nota, illa verò in obſcurè credita propter auctoritatem dicentis.

11 Quinta vult reſolui in Diuinam reuelationem, vt in motiuum formale; & in auctoritatem Diuinam Eccleſiæ, vt in regulam infallibilem, ſeu conditionem proponentem, & applicantem reuelationem Diuinam. *Ita Ban; Med, Gonet, & plures alij*.

Noſter Gibb. cum Capr., Can., Arriag., & aliis aſſerunt aſſenſum fidei non reſolui in auctoritatem Eccleſiæ ex natura ſua, & ſecundùm ſe conſideratum, quia in Apoſtolis, Prophetis, & in Papa eſt aſſenſus fidei, & tamen non reſoluitur in auctoritatem Eccleſiæ. Tum quia ad generandã fidem in aliquo non requiritur auctoritas Eccleſiæ, quia quilibet homo priuatus ſine comiſſione Eccleſiæ poteſt id efficere; ergo non reſoluitur in auctoritatem Eccleſiæ; nam reſolutio non fit, niſi in id, à quo generatur. Tum quia hic articulus: *Eccleſia habet Diuinam auctoritatem*: eſt æquè obſcurus, ac alii articuli: ergo non eſt maior ratio, cur alii reſoluantur in iſtum, quàm è contra.

12 Aſſerit ergo *Gibb.*, quòd quoties occurrunt dubia circa *ſacram Scripturam*, & circa alia credibilia particularia, tunc aſſenſus fidelium, qui iam ſuſceperunt fidem, reſoluitur in auctoritatem Eccleſiæ, vt in infallibilem regulam.

13 Sed hæc doctrina non concludit; quanuis enim primum ex ſua natura non ſit reſoluibile in aliquod prius, quia primum non habet aliud prius ſe ipſo, ſecus non eſſet primum, attamen non deducitur, quòd poſterius ex ſua natura non reſoluatur in prius, vnde quanuis aſſenſus fidei, prout fuit *in D. Petro*, vel in Prophetis, qui in lege veteri tenebant locum ſummi Pontificis, quia *Petrus*, & prophetæ erant primum oraculum, & organum Spiritus S; quo aliis loquebatur, & loquitur, & alios in fide confirmat iuxta illud: *Confirma fratres tuos* attamen non infertur fidem in alijs non reſolui ex ſua natura in auctoritatem Diuinam Eccleſiæ exiſtentem in illis, vt in oraculum, organum, & cauſam inſtrumentalem ſenſibiliter infallibiliter proponentem aliis Diuinas reuelationes, quæ in aliis ſolùm fallibiliter reperiuntur. Et quanuis Apoſtoli *in Conc. Hieroſol.* non potuerint contra fidem lætaliter errare, quia ex ſpeciali priuilegio erant confirmati in gratia, & ideo non poterant peccare; attamen locutionem Spiritus S. per os *Petri* debebant attendere, tanquam per primum oraculum, & organum ipſius ſimpliciter infallibile, quo confirmabantur in fide; & ideo etiam fides illorum reſolui poterat in auctoritatem Diuinam Eccleſiæ exiſtentem *in D. Petro*, tanquam in organo Dei loquentis.

14 Nec rationes oppoſitæ aliquid probant. Ad 1. enim dicitur, quòd licèt fides, vt exiſtit in prima cauſa organica non ſit reducibilis in aliam cauſam priorem in linea cauſarum organicarum; attamen exiſtens in alijs, qui non ſunt primi in linea cauſæ organicæ, ex ſua natura reducibilis eſt in primam cauſam organicam. Ad 2. diſt. ant. Non requiritur auctoritas Diuina Eccleſiæ in generante proximo, conc., proximo, vel remoto, neg. homo enim priuatus, quanuis non habeat auctoritatem Diuinam; attamen accepit fidem *à Petro*, qui illam, tanquam caput viſibile Eccleſiæ, organicè transfudit in omnes fideles; & licèt alij Apoſtoli etiam fidem genuerint: hoc tamen fecerunt, vt *vocati in partem ſollicitudinis Eccleſiarum*; & ideo vt comminiſtri partiales *ipſius Petri*; & conſequenter ex vi auctoritatis Diuinæ ipſius Eccleſiæ *ſoli Petro* commiſſæ. Ad 3. neg. conſ., nam ad reſolutionem fidei non requiritur, vt id, in quod reſoluitur, ſit clarum, fides enim eſſentialiter eſt de non viſis; aliter nec in Diuinam reuelationem, quæ obſcura eſt, poſſet reſolui: quod tamen docet *Gibb. cum aliis*; ſed ſufficit, quòd ſit primum in illo genere, in quo fit reſolutio.

15 Not. pro noſtræ ſent. declarat., quòd licèt reſolutio compoſiti propriè non fiat, niſi in partes componentes; quapropter compoſitum phyſicum dicitur reſolui in materiam, & formam, attamen effectus reſoluitur in principia, à quibus producitur, & quia principia alia ſunt intrinſeca, alia extrinſeca, ideo in vtraque dicitur reſolui. Hinc concluſiò, quæ eſt effectus præmiſſarum, reſoluitur nedum in præmiſſas, ſed etiam in principia, quæ non ingrediuntur formaliter ſillogiſmũ, ſed tantùm virtualiter. Imò dicitur etiam reſolui in ea, quæ ſunt nota ſenſibus, tanquam in aliquod extra genus illius. Itaque cùm ad actum fidei concurrat Deus, vt principium efficiens extrinſecum producens habitum fidei, mouens, & tangens cor, ac illuminans mentem; & concurrat ipſe habitus fidei, vt principium elicitiuum, & Diuina reuelatio extrinſeca, vt ratio formalis obiectiua conſtitutiua fidei; & auctoritas diuina Eccleſiæ, vt viuum organum Spiritus S. reuelantis; & auctoritas humana eiuſdem Eccleſiæ præbens motiua extrinſecę credibilitatis, ideo in omnia iſta poteſt ſecundũ diuerſas rationes reſolui, & hoc modo conciliantur *Scripturæ*, & *DD.* ſententiæ, quæ hanc rem inadæquatè declarant.

16 Vnica concl. Aſſenſus fidei reſoluitur

in Deum, vt in cauſam efficientem inſpirantem habitum fidei; in ipſum habitum fidei, vt in principium elicitiuum, in Diuinam reuelationem extrinſecam, vt in rationem formalem obiectiuam conſtitutiuam; in Diuinam auctoritatem Eccleſiæ; vt in viuum organum Spiritus S. aſſiſtentis, & reuelantis; & in auctoritatem humanam Eccleſiæ, vt in motiua extrinſeca credibilitatis.

Prob. Quotieſcunque plura concurrunt ad productionem vnius effectus in diuerſo genere cauſæ, tunc ille effectus vltimò reſoluitur in illa plura ſecundùm diuerſam rationem cauſandi; ſed ad aſſenſum fidei concurrunt Deus in genere cauſæ efficientis extrinſecæ inſpirantis habitum, & actum fidei; & ipſe habitus in genere principij formalis elicitiui immanenter; & reuelatio extrinſeca in genere cauſæ formalis motiuæ obiectiuæ; & auctoritas Diuina Eccleſiæ in genere cauſæ inſtrumentalis organicæ; & auctoritas humana Eccleſiæ in genere diſpoſitionum ad ipſum aſſenſum; ergo aſſenſus fidei vltimò reſoluitur in Deum, vt in cauſam efficientem extrinſecam; in habitum, vt in principium elicitiuum immanens; in reuelationem extrinſecam, vt in rationem formalem motiuam obiectiuam: in auctoritatem Diuinam Eccleſiæ, vt in viuum organum Spiritus S. reuelantis: & in auctoritatem humanam, vt in motiua credibilitatis extrinſecę. Prob ma. Quia ad conſtitutionem compoſiti phyſici concurrunt materia, & forma in diuerſo genere cauſæ, ideo compoſitum non reſoluitur in ſolam materiam, vel formam, ſed in materiam, & formam: & ratio eſt. Quotieſcunque plura concurrunt in diuerſo genere ad producendum eundem effectum, tunc vnunquodque illorum habet rationem primi in illo genere, in quo concurrit: vt materia habet rationem primi in genere cauſæ receptiui, & forma in genere cauſæ formalis, alitèr ſi daretur aliquod ex illis, quod haberet rationem ſecundi in illo genere, daretur aliud prius in eodem genere: & ſic illa duo non concurrerent in diuerſo genere: ſed primum eſt illud, in quod vltimò reſoluitur effectus: quod enim eſt primum via compoſitionis, eſt vltimum via reſolutionis; vltimum nanque, & primum ſunt correlatiua: ergo quotieſcunque plura concurrunt ad eundem effectum in diuerſo genere cauſæ, tunc ille effectus vltimò reſoluitur in illa ſecundùm diuerſam rationem cauſandi. Prob. mi. Fides in genere cauſæ efficientis à ſolo Deo producitur, & infunditur, eſt *ſuperiùs* diximus: & colligitur *ex 1. ad Teſſ.2. Non accepiſtis illud, vt verbum hominum, ſed ſicut verè eſt verbum Dei, qui in nobis operatur; & ex 1.Cor.2. Vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei: & Beatiſs.P. lib.15. de Ciu.Dei c.6. Qui credunt prędicatore forinſecus ſonante, intus à Patre audiunt, atque diſcunt, & de Præd.SS.c.3., & 7. ſeq.* fusè probat fidem eſſe donũ Dei miſericorditer à Deo nobis donantem: quod ſæpe repetit *in aliis libris contra Pelagianos, & Semipelagianos. & Fund. Doct. de laud. Diuina Sap. c.5.* ait: *Fides à Deo eſt efficienter.* 2. Aſſenſus fidei in genere cauſæ formaliter elicitiuæ, *ut quo*, à ſolo habitu fidei producitur: habitus enim eſt primum, & immediatum principium formale *quo* agendi: hinc 1.*Io.*5. dicitur: *Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe*: idèſt habitum infuſum à Deo, quo credit, *& Beatiſs.P. lib.11. conf.c.3. Vnde ſcirem, an vera diceret? Intus vtique mihi, intus in domicilio cogitationis veritas ſine ſtrepitu ſyllabarum diceret: Verum dicit*: quibus *textibus* reſoluitur fidei aſſenſus in habitum, vt in principium elicitiuum. 3. Aſſenſus fidei conſtituitur à ratione formali obiectiua, ſicut aſſenſus ſcientiæ, ſed hæc eſt reuelatio extrinſeca, ergo aſſenſus fidei producitur à reuelatione extrinſeca in genere cauſæ formalis motiuæ. 4. Auctoritas Diuina Eccleſię eſt primum organum, quo nobis inſonat Diuina reuelatio: licèt .n. omnes Apoſtoli habuerint virtutem promulgandi fidem, attamen fuit cum ſubordinatione *ad Petrum*, qui erat caput Eccleſiæ, & ideo organum capitale Diuinæ reuelationis. Tum quia quoties aliqua ratio obiectiua eſt obſcura, & recipitur in aliquo fallibili, ad cuius variationem poteſt variari, tunc neceſſe eſt ad conſeruationem habitus verſantis circa talem rationem obiectiuam dari viuum oraculum illius ſimpliciter infallibile, per quod veritas illius habitus infallibiliter innoteſcat, in tantùm .n. non eſt neceſſariũ ſimpliciter viuum organum ſcientiæ, in quantùm eius obiectum formale eſt per ſe notum, imò quamuis ſit per ſe notum, attamen neceſſaria eſt diſcentibus vox viua, vel ſcripta Magiſtri, ſed ratio obiectiua fidei eſt obſcura, & recipitur *in libris*, quæ poſſunt adulterari, vel in voce hominum, qui poſſunt mentiri, ergo ne deperdatur habitus fidei, neceſſe eſt dari uiuum organum infallibile Diuinæ reuelationis, quod eſt aucturitas Diuina Eccleſiæ. Et quanuis auctoritas Diuina ſimpliciter ſit Diuina reuelatio: attamen auctoritas Diuina Eccleſiæ, prout Eccleſiæ eſt, eſt ipſa Dei reuelatio, prout promulgata per os Papæ, tanquam per uiuũ organum, & oraculum Spiritus S. reuelantis. 5. Auctoritas humana Eccleſiæ coaleſcit ex motiuis credibilitatis: ſed hæc concurrunt ad aſſenſum fidei in genere cauſæ diſpoſitiuæ merè extrinſecæ eo modo, quo cognitio ſenſitiua concurrit ad intellectiuam: ergo auctoritas humana Eccleſiæ concurrit diſpoſitiuè extrinſecè ad aſſenſum fidei. Tũ quia Chriſtus Dominus *Matt.*18. reſoluit ultimò aſſenſum fidei in auctoritatem humanam Eccleſię dicens. *Dic Eccleſiæ: Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi, ſicut Ethnicus, & publicanus*: quibus uerbis clarè oſtendit ſiſtendum eſſe in auctoritate humana Eccleſiæ in reſolutione fidei in amittente illam; *& Io.3. Si mihi non vultis credere, operibus credite: & Beatiſs.P. cont.ep.Fundam. c.5. Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoueret auctoritas*, quibus reſoluit ſuum credere in auctoritatem humanam Eccleſiæ, de qua manifeſtè loquitur, ut *ſup.* dictum eſt: ergo auctoritas humana Eccleſiæ concurrit in genere cauſæ diſpoſitiuæ extrinſecæ, mouentis ſcilicet ad uolendum credere.

17. Conf. *Scriptura* modò reſoluit aſſenſum fidei in Deum, vt 1. *ad Teſſ. vbi ſ.*, modò in habitum

à Deo

à Deo inſuſum; *Io.5. abiſ.*: modò in Diuinam reuelationem; vt *Matth.19. Quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt*: modò in auctoritatem Diuinam Eccleſiæ, ut *Matth. 18., & Io.3. ubſ.*, ergo *ex Scriptura* colligitur in hæc omnia aſſenſum fidei reſolui: atqui nequit reſolui, niſi quia concurrunt in diuerſo genere cauſæ, vt diximus, reſoluitur in hæc omnia ſecundùm diuerſam rationem conſiderata.

18 Obijc. 1. Reſolutio actuum intellectus debet fieri in per ſe nota, ſed ſola auctoritas humana Eccleſię eſt per ſe nota; ergo fides reſoluitur ſolùm in auctoritatem humanam Eccleſiæ. Prob. ma. Actus intellectus reſoluuntur ſolùm in id, in quo intellectus quieſcit: ſed non quieſcit, niſi in per ſe notis: ergo reſoluuntur ſolùm in per ſe nota; 2. nam *Io 4* habetur: *Iam non propter ſuam loquelam credimus; ipſi enim audiuimus, & ſcimus, quia hic eſt verè Saluator Mundi*; ſed ſcire eſt ſolùm reſpectu auctoritatis humana, quæ ſola euidens eſt, ideo ſolùm circa illam eſt ſcientia.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Reſolutio actuum, qui ſunt eſſentialiter obſcuri, vt eſt aſſenſus fidei, neg; qui ſunt clari, conc., ſicut enim actus ſcientificus, quia eſt ex per ſe notis, reſoluitur in per ſe nota: ita actus fidei, quia eſt ex obſcurè reuelatis, reſoluitur in obſcurè reuelata. Vel diſt. Reſoluitur in per ſe nota, vt in motiua extrinſeca credibilitatis, conc; vt in motiua formalia, & intrinſeca, neg. Ad prob. eodem modo intellectum credentem quieſcere in obſcurè reuelatis propter ſolam auctoritatem dicentis, & in hoc conſiſtit meritum fidei, quod euacuaretur, ſi tranſiret ad euidentiam, ſicut euacuatur in patria; vbi videt, quod credebat. Ad 2. dicitur, quòd *in Scripturis* aliquando ſumitur *ſcire* pro obſcurè cognoſcere; vt *Io.9. Nos ſcimus, quia Moyſi locutus eſt Deus*; certum autem eſt *Phariſæos* hoc ſciuiſſe ſolùm ex traditione, & teſtimonio *Scriptura*, quod eſt obſcurè cognoſcere.

Obijc. 2. Si aſſenſus fidei reſolueretur in auctoritatem Diuinam Eccleſiæ, daretur circulus vitioſus; quærenti enim: *Quare credis Eccleſiam?* Reſpondetur: *Quia Deus reuelauit*. Reponenti autem: *Vnde ſcis Deum reuelaſſe?* Reſpondetur: *Quia id aſſerit Eccleſia.*

Reſp non comitti circulum vitioſum, quia procediturà diuerſo genere cauſæ, idèſt ab organica ad principalē; nā in genere cauſæ organicæ ſiſtitur in Eccleſia, quia non eſt aliud organum, in quod reſoluatur. Si autem ab hac velimus procedere ad cauſam principalem, patet eſſe diuerſas cauſalitates; & ideo nullum eſt vitium, quod committitur ſolùm, quando probatur idē per idē.

Contra inſtat *Gsbb. ex Cur.* Quanuis proceſſus ab vna cauſa ad aliam ſecundùm diuerſā cauſalitatem non ſit vitioſus, vt v.g. materia eſt cauſa formę recipiendo, non informando; forma verò eſt cauſa materiæ informando, non recipiendo; proceſſus tamen ſecundùm eandem cauſalitatem eſt vitioſus, vt forma nequit eſſe cauſa materiæ recipiendo, quia ſic etiam materia eſſet cauſa formę, ſed Diuina auctoritas Eccleſiæ habet cauſalitatē, quæ eſt proponere, quod oritur à Diuina reuelatione; ergo committitur circulus uitioſus.

Reſp. cauſalitatem auctoritatis Eccleſiæ eſſe proponere ſenſibiliter, vt viuum organum, & inſtrumentum Spiritus S., cauſalitatem verò Diuinæ reuelationis eſſe manifeſtare inſenſibiliter, vt cauſa principalis; patet autem, quòd diuerſa eſt cauſalitas inſtrumenti, & cauſæ principalis. Nec officit, quòd Eccleſia recipiat auctoritatem à Diuina reuelatione; hoc enim non obſtante adhuc eſt diuerſa cauſalitas, quia licèt creatura recipiat virtutem agendi à Deo, vt inſtrumentum illius; attamen eſt diuerſus modus cauſandi Dei, & creaturæ. Vnde ſi materia vim receptiuam haberet à forma, dummodò tamen forma non cauſaret recipiendo, ſed informando tantùm, non eſſet circulus vitioſus; quia eſſet ſecundùm diuerſam cauſalitatem propriam vtrique.

Obijc. 3. In id ſolùm reſoluitur ultimò aſſenſus fidei, quod eſt primum gignens illum in nobis, ſed hoc eſt auctoritas Eccleſiæ iuxta illud *Rom. 10. Quomodò credent ei, quem non audierunt &c. Fides ergo ex auditu*; ergo reſoluitur ſolùm in auctoritatem Eccleſiæ.

Reſp. diſt. ma. Quod eſt primum vel in genere cauſæ efficientis, vel in genere cauſæ formalis elicitiuæ, vel formalis motiuæ, vel organicæ, vel diſpoſitiuæ, conc., tantùm in vno genere, neg. Ad mi. dicitur, quòd auctoritas Diuina Eccleſiæ eſt primum gignens organicè; humana verò eſt primum gignens diſpoſitiuè, & de hoc loquitur *Apoſt*; non autem loquitur de primo cauſante efficaciter, qui eſt ſolus Deus, vt dictum eſt.

A R T. IV.

Soluuntur aliquot quæſita.

QVæres 1., an obiectum materiale fidei ſit complexum?

Reſp., quòd loquendo de obiecto primario, quod eſt Deus, qui eſt ſimpliciſſimus, eſt incomplexum ſecundùm ſe; prout autem cognoſcitur à nobis cognoſcentibus per compoſitionem prædicati cum ſubiecto, eſt quid complexum; quia res ſunt in cognoſcente ad modum cognoſcentis, ſed noſter proprius modus cognoſcendi eſt per enunciationem, quæ importat complexionem ex ſubiecto, & prædicato: ergo Deus, prout cognoſcitur à nobis, eſt quid complexum. Tum quia ſicut Deus cognoſcit enunciabilia inenunciabiliter, quia eius modus cognoſcendi eſt per ſimpliciſſimum intuitum, ita nos cognoſcimus Deum, qui eſt ſimpliciſſimus, enunciabiliter, & ideo vt quid complexum. Loquendo autem de obiecto ſecundario, quod ſunt creaturæ, quæ ſunt compoſitæ, eſt quid complexum.

Quæres 2., an in obiecto fidei dentur quædam veritates præcipuæ, quæ conuenienter vocantur articuli fidei?

Reſp. affirmatiuè: ſicut enim in ſcientijs dantur quædam veritates obiectiuæ, quæ uocantur principia, quæ ſunt ueritates præcipuæ continentes

tes

tes ſub ſe alias veritates, ita à pari de veritatibus fidei.

3 Articulus autem, ut docet *Fund.D.Opuſc.de art.Fidei,& de laud.Diuina Sap.c.5.* dicitur *ab arcto, arctas,* quod duo ſignificat, idèſt *indiuiſibiliter nectere*, ſicut enim in corpore humano nodus connectens duas partes principales corporis vocatur articulus ita, vt non quicunque nexus (non enim cõnexio duarum medietatũ vnius partis dicitur articulus) ſed nexus, quo vniũtur duæ partes principales, dicitur articulus, ita non quæcunque veritas fidei, ſed ſolùm principalis dicitur articulus fidei eo prorſus modo, quo non omnis veritas ſcientifica dicitur principium, ſed illa ſola, in quam reſoluuntur plures veritates, & ſicut *principia dicuntur minima in quantitate, & maxima in virtute*, ita articuli fidei ſunt minimi in quantitate, & ideo indiuiſibiles, indiuiſibile enim eſt minimum in quantitate: & ſunt maximi in virtute, quia regulant, ſicut principia, plures veritates ad illum pertinentes. Præterea hoc verbum *arcto* ſignificat conſtringere, & cogere, & ſic rectè dicitur articulus fidei, quia talis veritas cogit noſtrum intellectum in obſequium Chriſti.

4 Ex hoc colligit *Fund.D.* quòd articulus definitur *indiuiſibilis veritas credendorum*. Dicitur *indiuiſibilis*, quia eſt veritas principalis regulans plures veritates. Dicitur *credendorum*, quia non omnis veritas indiuiſibilis eſt articulus fidei, principia enim ſcientiæ ſunt veritates indiuiſibiles, & tamen non ſunt articuli fidei, & ideo ſola veritas, quæ creditur, eſt articulus fidei. Dicuntur ergo articuli fidei præcipua capita noſtræ religionis, ad quæ reducuntur aliæ veritates, quæ dependent ex illis.

5 Quæres 3; an articuli fidei rectè ordinentur in ſymbolo?

Reſp. affirmatiuè; nam ſymbolum nihil aliud eſt, quàm breuis ſumma, ſeu collectio eorum, quę fusè traduntur *in Scripturis*; vt docet *Beatiſs. P. ſerm. de Symb. ad Catech. c. 1., & ſerm. 133. de Temp*; rectiſſimum autem fuit colligi ea, quæ traduntur fusè *in Scriptura*, in vnàm ſummam, vt faciliùs mãdarentur memoriæ; & etiam rudes idiotæ plenitudinem fidei perciperent. Tum quia ſymbolum ſignificat *ſignum datum in verbis militibus*, vt ſe diſcernant ab hoſtibus, dum præliantur, ſed fideles ſunt militantes in terris; ergo rectè ordinati ſunt articuli fidei in ſymbolo, vt hoc, tanqam ſigno, fideles pro æterna vita pugnantes diſtinguantur ab infidelibus inter filios perditionis iam reprobatis.

6 Symbolum autem triplex eſt; aliud *Apoſtolorum*, quod omnibus addiſcendum proponitur: Apoſtoli enim, antequam diuiderentur in omnes mundi plagas, breuem ſummam credendorum compoſuerunt; vt doctrinę vnitas haberetur. Aliud *Nicænum*, quod compoſuerunt *PP. illius Conc.*, & aliud *D. Athanaſij*. Non tamen diuerſi articuli continentur in illis; ſed quædam explicationes fuerunt additæ; cùm enim *Ariani* negarent Diuinitatem Filii, ideo in *Conc. Nicæno*, in quo damnata fuit hæreſis *Arij*, addita fuit parricula: *Deum verum de Deo vero*: & aliæ explicantes generationem Filii: Hinc quia *Macedoniani* negarunt Diuinitatem Spiritus S; *in Conc. Conſtantinop. I.*, quod eſt *II Syn. gen*; expreſſa fuit Diuinitas illius. Tandem quia *Græci* negarunt proceſſionem illius à Filio, ideo *in Conc. Tolet. ſub Vuamba* addita fuit particula: *Filioque*. Symbolum autem *D. Athanaſij* fuit compoſitum ab ipſo, vt ſuam fidem eo profiteretur, quod poſtea acceptatum eſt ab vniuerſa Eccleſia.

7 Quæres 4., quinam ſit numerus articulorum fidei?

Reſp. *cum Fund. Doct. vbiſ.* ſecundùm communiorem ſententiam eſſe duodecim iuxta numerum duodecim Apoſtolorum, quorum quilibet in componendo ſymbolum vnum articulum condidit. Vnus ergo pertinet ad Patrem, ſex ad Filium, & quinque ad Spiritum S. Primus continetur in illis verbis: *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli, & terræ.* Secundus ſpectat ad conceptionem Chriſti: *Conceptus de Spiritu S.* Tertius ad natiuitatem. *Natus ex Maria Virgine*. Quartus ad eius paſſionem mortem, & ſepulturam. *Paſſus ſub Pontio Pilato, mortuus, & ſepultus*. Quintus ad eius deſcenſum ad inferos, & reſurrectionem: *Deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis.* Sextus ad eius aſcenſionem. *Aſcendit ad Cælos, ſedet ad dexteram Patris*. Septimus ad eius aduentũ in iudicio finali. *Venturus eſt iudicare viuos, & mortuos.* Octauus ſpectat ad perſonam Spiritus S. *Credo in Spiritum S.* Nonus ad opus eiuſdem Spiritus S; prout habet ſanctificare Eccleſiam: *Credo Eccleſiam Sanctam Catholicam*; & prout habet illam vnire: *Communionem Sanctorum*. Decimus; prout habet remitrere peccata: *Remiſſionem peccatorum.* Vndecimus: prout habet mortuos reſuſcitare. *Reſurrectionem mortuorum*; Duodecimus; prout habet vitam æternam retribuere: *Vitam æternam*; ergo articuli fidei ſunt tantùm duodecim aſſignati.

8 Secundùm *alios* tamen, inter quos eſt *D. Thomas*, articuli fidei ſunt quatuordecim, quorum ſeptem ſumuntur ſecundùm Diuinitatem: & ſeptem ſecundùm humanitatem; quorum diſtributio ſic oſtenditur.

9 Septem articuli ſecundùm Diuinitatem accipiuntur dupliciter. 1. Vel conſideratur Deus, vt eſt vnus in eſſentia, vel vt eſt trinus in perſonis, vel conſiderantur prædicata appropriata perſonis? Si conſideretur Deus, vt eſt vnus, habetur primus articulus: *Credo in Deum*. Si ſecundum: habentur tres articuli de tribus perſonis Diuinis, ſcilicet *Patrem omnipotentem*; *& IESVM Chriſtum*; *& credo in Spiritum S.* Si tertium, habentur tres articuli: quorum primus de omnipotentia, quæ appropriatur Patri, & quæ creat mundum: *omnipotentem creatorem cæli, & terræ*. Secundus eſt de bonitate, quæ appropriatur Spiritu S., & ad quam ſpectat *remiſſio peccatorum, communio ſanctorum, & ſanctitas Eccleſiæ*. Tertius eſt *de reſurrectione mortuorum, & de vita æterna*; quæ appropriantur Filio;

2. Accipiuntur de Deo, vt eſt vnus in eſſentia: & vt eſt trinus in perſonis: & ſic habentur quatuor articuli: & vt eſt operans ad extra; & ſic habentur alii tres articuli; quorum primus eſt *remiſſio peccatorum*; ſecundus eſt *mortuorum Reſurrectio*: tertius præmiorum retributio, quæ eſt *vita æterna*. Hæc autem ſecunda acceptio differt à prima; quòd prima diuidit illum articulum *Patrem omnipotentem creatorem cæli, & terræ* in duos articulos: & ex duobus articulis ſcilicet *carnis reſurrectione, & vita æterna* conſtituit vnum articulum. Secunda verò acceptio è contra ex duobus articulis, ſcilicet *Patre omnipotente creatore* conſtituit vnum tantùm articulum; & ex ultimo articulo conſtituit duos: vt dictum eſt: & ideo tam prima, quam ſecunda bene diſtribuit ſeptem tantùm articulos circa Diuinitatem.

10 Septem articuli ſecundùm humanitatem ita ſumuntur, vt primus ſit de conceptione, ſeu incarnatione Chriſti Domini: cùm dicimus: *Conceptus eſt de Spiritu S.*, ſecundus de natiuitate. *Natus ex Maria Virgine*. Tertius de morte, paſſione, & ſepultura: *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus*. Quartus de deſcenſu ad inferos. *Deſcendit ad inferos*. Quintus de reſurrectione illius à mortuis: *Tertia die reſurrexit à mortuis*. Sextus de aſcenſione: *Aſcendit in Cælum*. Septimus de eius aduentu ad iudicium: *Inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos*: ergo quatuordecim ſunt articuli fidei. Addit *Fund. D.* hanc ſecundam diſtributionem, quæ ſumitur ſecundùm res contentas in Symbolo, eſſe eligibiliorem, quàm illa, quæ ſumitur ſecundùm numerum Apoſtolorum: quia ſi vnus tantùm Apoſtolus ſymbolum condidiſſet, eſſet vnus tantùm articulus, quod non eſt dicendum.

11 Dices. 1. Omnes articuli fidei continentur in illis duobus ſcilicet: *Deum eſſe, & remuneratorem eſſe*: ergo duo tantùm articuli ſunt aſſignandi, qui ſunt capita, ad quę alii reducuntur. 2. Fides ęxiſtentiæ, & remunerationis eſt neceſſaria ad ſalutem: ſed hæc non continetur in Symbolo: ergo inſufficiens eſt diſtributio. 3. Noſcens Patrem noſcit Filium, & Spiritum S., quia *relatiua ſunt ſimul natura, & cognitione*: ergo tres perſonæ non conſtituunt tres articulos. 4. In Symbolo *Apoſtolorum* non fit mentio baptiſmi, & aliorum ſacramentorum: ergo diuiſio non eſt adæquata.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Continentur implicitè, conc. explicitè, neg., vt *ſup.* diximus, & ideo explicitè ponendi fuerunt in Symbolo, quia explicitè credi debent. Ad 2. neg. mi: nam exiſtentia explicatur illis verbis: *Vnum Deum*, qui non poteſt non eſſe, & remuneratio illis: *Vitam æternam*. Ad 3. dicitur, quòd licèt noſcens Patrem noſcat Filium, non tamen noſcit eſſe eiuſdem naturæ cum Patre, ideo ponendus erat alius articulus *cont. Arianos*. Ad 4. dicitur ſacramenta reduci *ad remiſſionem peccatorum*, in quorum remedium ſunt inſtituta.

12 Quæres 5., an veritates credendæ ſucceſſione temporis creuerint?

Reſp., quòd non creuerunt ſecundùm ſubſtantiam, & quoad cognitionem implicitam: ſed tantùm ſecundùm circunſtantias, & quoad cognitionem explicitam eo modo, quo dictum eſt *vbiſ.* Hinc *B.P. tract. 45 in Io.* ait: *Tempora variata ſunt, non fides. Mutatus eſt ſonus verbi: Veniet, aut venit; eadem tamen fides vtrunque coniungit*. Idem habet *Fund. D. vbiſ. q. 2. art. 3.*

13 Difficultas autem eſt: an Apoſtoli in die *Pentecoſtes* receperint cognitionem explicitam omnium credibilium, quæ determinanda erant etiam poſt ipſos *in Conciliis*, & à Summo Pontifice?

Reſp. recepiſſe cognitionem explicitam veritatum directè pertinentium ad fidem, non autem dubiorum, & quæſtionum, quæ ſucceſſiuè ſuboriri debebant. Ratio primi eſt. *Io. 14.* habetur *Paraclitus autem Spiritus vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia*; & iterum: *Docebit vos omnem veritatem*. Ex quo ſic. Apoſtoli debuerunt docere omnē veritatem pertinentem ad fidem credendam explicitè iuxta illud: *Matt. vlt. Docete omnes gentes*: ergo fuerunt eis reuelatæ, aliàs non potuiſſent eas docere. Ratio ſecundi eſt *Act. 15.* orta eſt quæſtio de circunciſione, quæ poſtea definita fuit *in Conc. Hieroſol.* & *D. Io. in Pathmos* fuerunt plura reuelata.

14 Quæres 6. An ad Papam ſpectet ſymbolum ordinare?

Reſp. affirmatiuè, eſt enim Dei Vicarius, & ſucceſſor *D. Petri* eandem habens poteſtatem cum illo, vt *in ſeq. q.*

Digitized by Google

QVAEST. IV.

De Hierarchia Eccleſiæ militantis.

ECcleſiam Ciuitatis *Ieruſalem* nomine expreſſam deſcendere à Deo vidit *Io. Apoc.* 21., & mortaliter peregrinari in terris à Domino, antequam immortaliter quieſcat in Cœlis, inquit *B.P. Aug. 12. de Ciu. Dei c. 9.* Præliari ſiquidem cum proſcriptis è Cœlo Spiritibus debent homines in Cęlis deſcripti, & in eorũ ſortem vocati, priuſquam in Cœlum triumphaturi conſcendant, vt certaminibus viam ſibi parent trimpho. Vna itaque, eademq; ſocietas ſtatum ſortita diuerſum terrena, & cœleſtis Eccleſia eſt, quæ licèt militantis, & triumphantis diſtinguatur vocabulis, æquali tamen ordinatione diſponitur. Etenim quemadmodum illa in tres diſtincta hierarchias, quæ ternos multiplicantur in ordines, in vnum, ſummumque Pontificem Ieſum Chriſtum reducitur totius illius beatæ ſocietatis Monarcham ſupremum, & Caput; ita iſta in tres hierarchias diſpoſita, quæ ternis variantur ordinibus, in vnum refertur Pontificem Summi, æterniq; illius Pontificis Vicarium, ceu in Supremum peregrinantis huiuſce, quæ videtur, militiæ viſibilem Hierarcham, & Caput. *Sponſa* nanque *ornata Viro ſuo eodem* referente *Io.* ſimilitudinem aſſumpſit Eccleſia Filio Dei æternis nuptijs iungenda nullam habens rugam, vel maculam in membris, nullumq; in forma defectum. Si igitur abſq; aliquo viſibili membro viſibilis huius Sponſæ pulcherrimæ ſpecies appareret deformis; an ſine viſibili Capite, in quo ſedem tenet venuſtas, inuenuſtus non eſſet eius aſpectus viſibilis retenta ſola venuſtate inuiſibili? Si Regno ſæculari Rex viſibilis Dei locum tenens præficitur, vt condendo leges, quæ naturalem ſpectant ad vitam; vel cogendo, vt leges latæ obſeruentur, ſeruet ſibi Regnum à Deo commiſſum; an non eo magis ſpirituali Hierarchiæ deſtinandum fuit Caput viſibile, vt iura, quæ ad æternam dirigunt vitam, decernat, vel à Deo ſancita cogat ſeruari creaturas ſenſibiles ſenſibili magiſterio gubernans? Sine capite profectò oſtendit ſe eſſe, qui huic corpori myſtico, ſed ſenſibili negat Caput viſibile, oculis enim, menteq; ad videndum, quæ capiti inſident, ſe captum eſſe demonſtrat. Si à membris illius beatè exultantibus viſibiliter Chriſtus Caput aſpicitur; an membris iſtius patienter pugnantibus Caput viſibile abſconditur, cùm ordo, quem à Capite ſumi compertum eſt, idem ſit illius, & huius? Nam ſicuti ex Seraphim, qui Deo ſemper aſſiſtunt; Cherubim, qui deferunt eius ſecreta; & Thronis, qui illius iudicia promulgant, prima hierarchia formatur in Cęlis; ita primi huius Eccleſiæ Cardines alij Epiſcopi, qui ſummo ſemper aſſiſtunt Pontifici; alij præsbiteri, qui illius excipiunt ſecreta; alij Diaconi, qui ſacros colligunt, & publicant ſaſtos, primam hierarchiam componunt in terris. Sicuti ex Dominationibus, quæ Dei ferunt imperia; Virtutibus, quæ auferunt impedimenta ſalutis; & Poteſtatibus, quæ inimicas ſuperant vires, ſecunda illic hierarchia ſtatuitur: ita *hic* Patriarchæ, qui Archiepiſcopis imperant; Archiepiſcopi, qui Epiſcoporum ſententias ſalutem impedientes reſcindunt; & Epiſcopi, qui lupos electo Gregi inſidiantes exenterant, ſecundam hierarchiam conſtituunt. Quemadmodum tandem tertiam hierarchiam efficiunt in Cęlis Principatus, qui Regnis, & Regibus præſunt; Archangeli, qui maxima obeunt munera; & Angeli, qui minima adimplent; ſic tertiam hierarchiam in Eccleſia terrena diſtribuunt Archidiaconi, & Priores, qui poteſtatem externo exercent in foro; Præsbiteri, qui maxima in foro conſcientiæ expediunt negotia; & Clerici, qui minimis deputantur officiis. Quo totum Eccleſiæ peregrinantis mirabilem ordinem, & cum Regnante concordiam acutè deſcribit *Fund. Doct. Aegidius lib. de Poteſt. Pontificia p. 2. c. 13.* Vlteriùs ſicut in illa nullum manifeſtatur myſterium, niſi recurratur ad Chriſtum, qui ſolus infallibilis eſt per eſſentiam; ita nulla veritas de fide credenda in Eccleſia ſancitur, niſi reueletur à Summo Pontifice Chriſti Vicario, cuius fides dumtaxat per Chriſti gratiam nequit deficere. Eadem ergo vtriuſque proportio; quapropter rectè inſcribitur vna alterius exemplar *Exod. 25. Fac tibi ſecundum exemplar.* Nec aliud intereſſe poſſet diſcrimen, niſi quòd illa ſolos continet bonos, qui eam exornant; hæc congregat etiam malos, qui illam diſcerpunt; illa horreum eſt, in quo ſegregatur triticum mundum; hæc area, in qua triticum commiſcetur zizanijs ſeparandis in ignem; illa imperturbabili fruitur quiete, hæc laborioſo fatigatur motu; illa hæreditatis Paternæ beata poſſeſſione potitur, hæc hæreditatem contentioſo in hoc litigat foro; illa refert Patriæ ſortem, hæc ſuſtinet exilij infortunium, donec illi beanda vniatur. De hac igitur ſermonem ordimur, non quidem de omnibus, quæ dici queunt, quia maius exigerent tempus, & commodum, ſed tantùm de ijs, quæ ad illius ſupremum pertinent Caput, contra quod pugnax non ſemel inſurrexit aduerſitas; & licèt ſemper contuſa remanſerit; attamen nouis in dies confictis hiſtoriis, Catholicorum Scriptorum fide reiecta, hæreticorumq; tantummodo teſtimoniis adhibitis vetera argumenta toties reſciſſa conatur refuere; quibus valet quidem pugnare, non expugnare; ſed toties vinci, quoties viſa eſt altercari. Nec turbare nos debet, cùm eam impugnari videmus; nam non cladem, ſed ſemper ei parat pugna triumphum; *mille* etenim *clypei pendent ex ea*, quibus ita munitur, vt nec leuiter lædi poſſit, vel tangi. Nec militantis nomẽ referret, nec triumphanti ſe copulandã fore ſperaret, ſi non eſſent, contra quos militaret. Ea autem eſt pugna glorioſior, quæ pro Capitis defenſione ſuſcipitur; quemadmodum enim Ducis percuſſio ſecum affert diſperſionem exercitus, vt *Zach. 7.* habetur: *Percute Paſtorem, & diſpergentur oues*: ſic valida illius defenſio eſt huius propugnata ſecuritas. Decertare itaque pro Summo Eccleſiæ Paſtore eſt militare Ec-

cleſiæ militantis tutelæ, gloriæq; emereri ſtipendium. Nec pugnandi imperitia, aut virium imbecillitas ſubducere nos debet certamini, quod ſtrenuè geſſerunt, & gerunt grauiorum Doctorum robuſtiſſimæ menteſnam & grauis, & leuis armaturę milites compertum eſt plurimùm conferre victoriæ. *Dauid* belliandi inexpertus paruis, paucilque lapidibus Gigantem electiſſimis armis inſtructum deiecit; vt *Iſraelem* Eccleſiæ typum defenderet innuens & paruulos Eccleſiæ filios poſſe ſuos modicos lapides in hoſtes proiicere, iiſque illos reiicere. Quod breui ſtylo contra prægrandes haſtas non veremur præſtare, vt immediatiùs, & magis cominus pugnemus: & ne Aduerſarii multa lectione deterriti legere negligant, quæ ad lumen veritatis eos valent adducere.

A R T. I.

An ſolus Pontifex Romanus habeat primatum, ſeu ſupremam poteſtatem in Eccleſia?

1 CONtumax *recentium hæreticorum* perfidia nihil magis conatur inuadere, quã primatum, ſeu poteſtatem ſupremam *D. Petro* à Chriſto Domino traditam, ac *ab eodem Petro* inuiolabili teſtamento eius morte firmato Succeſſoribus ſuę Eccleſiæ Romanæ perpetuò legatam. Etenim ab hac ſola proſcribi poſſe impia eorum dogmata, ſtatuiq; doctrinam catholicam, qua hæretici antiqui euerſi, eorumq; hæreſes extinctæ, ac ab hominum memoria prorſus expunctæ fuere, manifeſtè cognoſcens, fatalem ſibi quoque ruinam à poteſtate Eccleſiæ Romanæ clarè videt pẽdere; qua ſublata nihil ſibi timendum proſpiceret, quia non eſſet, quo exterminari poſſet, ac deſtrui. Quamobrem ad hanc abolendam, quæ non concepit figmenta; quæ non euomuit mendacia; quas non eructauit blaſphœmias? *Scripturas* vnanimi *SS.PP.* conſenſu receptas adulterare, & in erroneos ſenſus diſtrahere, traditiones omnium ſæculorum fide ſtatutas refellere, grauiſſima Hiſtoricorum teſtimonia perfricta fronte negare, catholicos falſitatis arguere, & impiorum tantummodò vaniloquia non puduit laudare.

2 *Centuriarum Auctores teſte Surio Com.* anno 1560. fuere *Matthias Flaccus Illiricus*, *Nicolaus Amſdorffius*, *Nicolaus Gallus*, *& alij Lutherani*, qui inter alias, quas ſcripſere blaſphœmias, conati ſunt nedum ſacerdotum cœlibatum euertere, vitam oppugnare monaſticam, inuocationem Sanctorum proſcribere, reliquias proſcindere, irridere miracula, imaginum cultum damnare, *magam* vocarunt *S. Birgittam*, *necromantium S. Martinum*, *S. Benedictum*, *S. Patroclum*, *aliosque Sanctos Antichriſti notis* dixerunt *inſignes*; ſed etiam Eccleſię Romanæ primatum negarunt aſſerentes nullum eſſe Caput Eccleſię præter Chriſtum, & Spiritum S. in regimine Eccleſię eſſe Chriſti Vicarium, *Petrum* verò habere ſolùm *primatum ætatis, vocationis, & charitatis*, non autem poteſtatis, & iuriſdictionis; ac propterea Romanum Pontificem non eſſe Caput Eccleſiæ, nec Chriſti Vicarium, nec primatum tenere ſemper alios Epiſcopos. His additur *Marcus Antonius de Dominis epiſcopus Spalatenſis, & alij eorum diſcipuli.*

3 Catholici tamen omnes communiter oppoſitum fatentur eſſe fidei dogma *in Scripturis* cõtentum explicitè, *à Concilijs* ſancitum, perpetuo uſu firmatum, *& SS.PP.*, *ac totius Orbis* conſenſu probatum: quamuis *aliqui*, ut *in ſeq. art.*, Papæ primatum perperam auſi ſint explicare.

4 Not. *noſter Guilelmus Cremonen. lib. cont. 6. quæſt. q.* 1., quòd Eccleſia dupliciter ſumitur. 1. Pro ſola vniuerſitate Clericorum, qui ſunt potior, ac nobilior Eccleſiæ pars. Cùm etenim, vt docet *Fund. D. Aegid. in ep. ad Rom. c. 7. lect.* 23. ſuper ea verba: *Non enim, quod volo bonum &c.*, ad conſtituendum aliquod totum plura conueniunt, quorũ unum eſt perfectius altero, tunc totum denominatur à perfectiori; *denominatio* namque *iuxta Phil. habetur à nobiliori*; hinc *Apoſt. Rom.* 13. docet: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubiecta ſit*; dicitur autem *omnis anima*, ideſt *omnis homo*, qui *anima* nuncupatur eo, quòd hominis anima eſt portio nobilior. Itaque cùm clerici ratione ſtatus longè perfectiores ſint laicis, & Eccleſia principaliter ſignificet ſtatum magis perfectum, qui eſt ſtatus totaliter Deo dicatus; ideo rectè Eccleſia pro ſola vniuerſitate clericorum accipitur. Eadem ratione deducitur Eccleſiam aliquando ſumi pro ſolis Prælatis, qui ſunt in Eccleſia maiores, præſunt enim clericis, aliiſque ſibi ſubiectis; propter quod *in Concilijs* Prelati vocari ſolent Eccleſia, non quod ex illis ſolis ædificetur Eccleſia, ſed quia ſunt pars principalior totam repræſentans Eccleſiam. 2. Vſurpatur Eccleſia pro tota uniuerſitate clericorum, & laicorum fidelium, ex quibus tanquam membris compaginatur corpus Eccleſiæ, ut docet *B. P. Aug. ep.* 163 *Tota enim Eccleſia conſtans ex omnibus fidelibus, quia fideles omnes membra ſunt Chriſti.* Eccleſia enim, ut diximus *to. 1. quæſt. 5. proem. art. 4. n. 2.*, *græcum* nomen eſt, quod latinè uertitur *concio*, quod ſignificat conuocare plures in unum; ideo nomen *Eccleſia* multitudinẽm conuocatam in unum propriè ſignificat. Quamuis autem etiam pro multitudine malorum in malum coeunte aliquando uſurpetur, ut *pſ. 25. Odiui Eccleſiam malignantium*; *hic* tamen pro ſola multitudine hominum uocatorum per fidem ad Chriſtum accipitur; hinc infideles, qui Chriſti fidem non habent, extra Eccleſiam eſſe dicuntur 1. *Cor.* 5. *Quid mihi de ijs, qui foris ſunt, iudicare? Dominus iudicabit.* Ideo Eccleſia pro uniuerſitate clericorum, & laicorum rectiſſimè ſumitur.

5 Ex clericis ergo, laicisque fidelibus myſticum Eccleſiæ, corpus adæquatè conflatur ita tamen, ut clerici ſpiritualia tractantes, quæ pertinent ad uitam æternam, quæ, ut docet *D. Greg. hom. 21. in Marc. per dextram* ſignificatur, dextrum latus efforment; laici verò terrenis addicti, quæ neceſſaria ſunt vitæ temporali figuratæ *per læuam*, ſiniſtrum latus edificent.

6 Iuxta hoc duplex Eccleſiæ latus accipitur in

in Eccleſia poteſtas: terrena ſcilicet, ſeu materialis, & cœleſtis, ſeu ſpiritualis præfigurata io duplici gladio, de quibus dixit *Petrus Luc.22. Ecce duo gladii hic*. Hoc autem non eſt ita intelligendum, vt laici non pertineant ad vitam æternam; ſic enim nullus ſaluaretur illorum; & clerici ſolùm ad illam eandem pertineant; ita nanque nemo eorum poſſet damnari. Sed intelligendum eſt, quòd poteſtas laicalis reſpicit ea, quibus alitur hæc naturalis corporis vita; ſpiritualis verò circa illa verſatur, quibus vita ſupernaturalis alitur animæ. Quapropter *B.D.Aegid. lib. de poteſtat. Pontific.p.1.c.6.* inquit, quòd quia homo conſtruitur ex anima, & corpore; idcirco indiget cibo corporali, quo nutritur corpus, & viuit; & cibo ſpiritali, quo alitur anima, & vitam ſibi acquirit perenuem; adeoque ſicut datur ſæcularis poteſtas, quæ verſatur circa hæc temporalia, quibus corporis vita ſeruatur; ita datur poteſtas ſpiritalis, quæ verſatur circa ſupernaturalia, quibus acquiritur animæ vita.

7 Poteſtas ſpiritualis ſubdiuiditur in poteſtatem ordinis, ſeu ſacerdotalem, & in poteſtatem iuriſdictionis. *Ita Fund.D.cont. Exemp.c.25., & communiter omnes.* Poteſtas ordinis eſt, qua poſſumus ſpiritualia miniſtrare circa corpus reale, & myſticum Chriſti Domioi, vt conficere, & offerre ſacrificium, eſſe mediatorem inter Deum, & hominem, interpellare pro populo &c. Poteſtas iuriſdictionis eſt, qua poſſumus ſpiritualia iudicare, vt ſoluere, & punire peccata, cenſuris in foro interno, externoq; ligare.

8 Poteſtas ordinis alia eſt ſimplex, & parua, quæ competit cuilibet ſacerdoti. Alia magoa, quæ habet etiam generare ſibi ſimiles ordinando alios ſacerdotes; & hæc conuenit ſolis epiſcopis, qui *ſacerdotes magni* vocantur; epiſcopus enim, & ſimplex ſacerdos (ait *Fund.D.de Renūc.Papæ c.10.p.1.*) ſe habent, ſicut puer, & vir; ſicut enim puer, licèt habeat naturam hominis, attamen nequit generare alium hominem, quia eſt adhuc paruus, & non habet ætatem perfectam; vir autem poteſt, quia eſt magnus, & ætatis perfectæ; ita ſimplex ſacerdos dicitur paruus, quia licèt habeat caracterem ſacerdotalem, attamen non eſt perfectus per dignitatem epiſcopalem, adeoque nequit generare ordioando ſacerdotes ſibi ſimiles. Epiſcopus verò, quia habet perfectionem caracteris ſacerdotalis, ideo poteſt producere ſibi ſimiles, & *ſacerdos magnus* vocatur.

9 Ex hoc cólligit *Fund.Doct.* epiſcopatum non imprimere oouum caracterem diſtinctum a caractere ſacerdotali, ſed ſolùm ſuperaddere perfectionem caracteris. Si nanque imprimeret diuerſum caracterem, poſſet quis ordinari in epiſcopum abſq; eo, quòd eſſet ſacerdos, quod nullus dixit; ſicut quia ordines diuerſum imprimunt caracterem, poteſt laicus initiari ordine ſacro, vt docet *Gloſ.* ſuper *diſt.40. c. ſicut.* Archiepiſcopatus autem, Patriarchatus, & Papatus nec caracterem imprimunt, nec illius perfectionem, ſed tantummodò poteſtatem iuriſdictionis ſuperaddunt. Vnde ſi quis non ſacerdos eligeretur in Papam, ſolam poteſtatem iuriſdictionis haberet, & deberet ſacerdos, & epiſcopus fieri ad recipiendam ordinis poteſtatem, ut habet *Fund Doct ibid., & p 5.* Quoniam autem communitas prouinciæ maior eſt, quàm Ciuitatis, & communitas Regni, quàm prouinciæ, & communitas Imperij, quàm Regni; & tandem communitas totius Orbis, quàm Imperii; ideo epiſcopo, qui præeſt Ciuitati, maior eſt Archiepiſcopus, qui præeſt prouinciæ; Archiepiſcopo maior eſt Primas, qui præeſt Regno, & Primate maior eſt Patriarcha, qui præeſt Imperio, & omnium maximus Papa, qui toti præſidet Orbi. Hinc *c.ſolus Romanus Pontifex* dicitur, quòd Papa poteſtatem habet ſuper omnes Eccleſias, Patriarchæ verò, Primates &c. *in partem ſollicitudinis Eccleſiarum, non in plenitudinem poteſtatis*, dicuntur vocati. Siquidem cùm per ſe ipſum omnia nequeat videre, & regere; plures idcirco miniſtros cum ſubordinatione vnius ad alterum, & omnium ad ſemetipſum debuit aſſumere; ordo enim miniſtrãtium exornat, rectificatq; gubernium: hinc Regina *Saba 3.Reg.10* intuens domum *Salomonis*, ordineſque ei miniſtrantium ſtupore defixa mirata eſt illius ſapientiam: ergo à fortiori in Eccleſiæ regimine ab Incarnata Sapientia ſupernaturali prouidentia inſtituto admittendus eſt ordo miniſtrantium in vnum Summum Pontificem reductus. Hoc eodem ordine creaturæ reducuntur in Deum: nam poteſtates terrenæ ſunt *Dei Miniſtri Rom.13.*, ergo eodem modo reduci debent & in eius Vicarium; unus enim, & idem eſt ordo Vicarii, & Dei, cuius eſt Vicarius. Addit *noſter Iacobus de Viterbio li.de Regim.Chriſtiano tract.2.c.5.*, quòd etiam ante datam legem, ut referi *Innoc.*, erant ſacerdotes minores, quos *Canonios*, & Summus Sacerdos, quem *Anabarcum* vocabant, & poſt legem datam *Aaron* fuit Summus Sacerdos, & eius filii ſacerdotes minores. Imò & *apud Gentiles flamines* dicebantur ſacerdotes minores, & *Archiflamines* maiores.

10 Ex his deducitur poteſtatem iuriſdictionis aliam eſſe in partem ſollicitudinis Eccleſiarum, qua regitur particularis Eccleſia, eæque tantùm perſonæ ad illam ſpectantes: alteram verò in plenitudinem poteſtatis ſuper omnes Eccleſias, omneſque fideles, & hæc vniuerſaliſſima eſt, cui ſubiiciuntur omnes aliæ poteſtates particulares, quoniam cauſæ particulares ſubduntur cauſis vniuerſalibus, à quibus in ſuis actionibus mouentur, & diriguntur, vt in naturalibus conſtat.

11 Quanuis autem ſit in Papa plenitudo poteſtatis, oon tamen æqualis eſt plenitudini poteſtatis Chriſti Domini. 1. Quia, vt ait *Fund.D*; Chriſtus non ita virtutem ſuam alligauit ſacramẽtis, vt gratiam extra ſacramenta conferre non poſſit: Papa autem ſolùm virtute ſacramentorum à peccatis poteſt abſoluere. 2. Chriſti poteſtas, vt docet *noſter Viterb. vbiſ. c.9*; extenditur ad Angelos, & ad homines nedum fideles, ſed etiam infideles, nedum viatores, ſed ètiam beatos: Chriſtus enim eſt *Caput hominum, & Angelorum*: poteſtas autem Papæ extenditur ſolùm ad homines fideles, oon-

in-

infideles, viatores, non comprehenſores. 3. Poteſtas conuenit Chriſto ex vi vnionis naturæ humanæ ad Diuinam: Papæ verò ex commiſſione tantùm ipſius Chriſti. 4. Chriſtus agit virtute, & auctoritate propria, in quantùm Deus; & in quantùm homo, agit virtute Diuinitatis excellenter; Papa verò agit, vt Chriſti Vicarius, non quidem excellenter, ſed miniſteri aliter, tãquam Chriſti miniſter. Quod quomodò ſit intelligendum, dicemus *in ſeq. art.* 5. Chriſtus manet Pontifex in æternum: Papæ verò Pontificatus ceſſat, cùm hac mortali migrat è vita. 6. Chriſtus plura poteſt, quàm Papa, quia poteſt ſubijcere ſibi homines etiam inuitos, compellendo ad bonum, iudicare de ſecretis cordium: quæ non poteſt Papa. 7. Chriſtus regit per influxum internum gratiam ſecretò inſpirando, qua ex nolentibus facit volentes, ex impijs pios: Papa gubernat ſolùm per influxum externum ſenſibilibus ſignis, & regulis dirigendo ad pietatem, iiſque excitando ad religionem internam. His tamen non obſtantibus rectè dicitur Papa habere plenitudinem poteſtatis: tum quia omnis poteſtas, quæ à Chriſto cõmunicata fuit hominibus, reperitur in Papa: tum quia Papa haber omnem poteſtatem ſufficientem ad Eccleſiæ regimen: ſicut quanuis *Beatiſſima Virgo* non habuerit gratiam æqualem gratiæ Chriſti Domini: attamen dicitur *plena gratia*, quia habet omnem gratiam, quam Deus puræ creaturæ cõmunicauit, & omnem gratiam ſufficientem ad Dei maternitatem.

12 Ex his quoq; infertur poteſtatem, qua inuiſibiliter Eccleſia regitur, eſſe tantùm in Chriſto Domino, & de hac *hic* non loquimur. Quæritur ergo in præſenti, an ſuprema poteſtas, qua viſibiliter gubernatur Eccleſia, fuerit collata ſoli *Petro*, & eius ſucceſſori Romano Pontifici?

13. Vnica concl. Eccleſiæ primatus, qui eſt Chriſti Domini Vicariatus, ſeu plenitudo poteſtatis ſuper omnes Eccleſias ſoli *Petro*, & ſucceſſiuè Romano Pontifici eius Succeſſori fuit collatus.

Prob. 1. pars concl., quæ eſt fidei dogma, *Fund. Doct. de poteſt. Pontif. p. 1. c. 7. ex illo Exod.* 18., vbi cùm *Iethro* videret ſuum cognatum *Moyſen* non poſſe per ſe ſolùm iudicare populum, quia populus ab vno Iudice citò expediri non poterat, ſed cogebatur à mane ad veſperam præſtolari ſententiam, dixit: *Quid eſt hoc, quod facis in plebe? Cur ſolus ſedes, & omnis populus præſtolatur de mane vſque ad veſperam?* Cui reſpondit *Moyſes*: *Venit ad me populus quærens ſententiam Dei; cùmq. acciderit eis aliqua diſceptatio, veniunt ad me, vt iudicem inter eos, & oſtendam præcepta Dei, & leges eius.* Subiunxit *Iethro*: *Vltra vires tuas eſt negotiũ, ſolus illud non poteris ſuſtinere. Sed audi verba mea, atque conſilia, & erit Deus tecum: Eſto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt referas, quæ dicuntur ad Deum, oſtendaſq. populo ceremonias, & ritum colendi, viamq. per quam ingredi debeant, & opus, quod facere debeant. Prouide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui iudicent populum omni tempore: Quidquid autem maius fuerit, referant ad te & ipſi minora tantummodò iudicent, leuiuſq; ſit tibi partito in alios onere.* Conſtituit itaque *Moyſes* ſibi ſubordinatos: *Qui iudicabant plebem omni tempore, quidquid autem grauius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodò iudicantes.* Ex quo ſic. In lege veteri fuit vnus Summus Sacerdos, cui vni, & ſoli collatus fuit à Deo primatus ſuper omnes alios ſacerdotes, & laicos, ſeu poteſtas plenæ iuriſdictionis: ergo à fortiori in lege noua datur vnus Summus Sacerdos, cui vni, & ſoli collatus fuit primatus Eccleſiæ, ſeu poteſtas plenæ iuriſdictionis ſuper omnes alios Sacerdotes, & fideles, atqui hic fuit *D. Petrus*, qui fuit Princeps omnium Apoſtolorum, vt credidit ſemper Eccleſia: ergo *D. Petro* fuit collatus primatus, ſeu plena poteſtas iuriſdictionis ſuper totam Eccleſiam. Ant. patet *ex textu*, nam *Moyſes* habuit plenam poteſtatem ſuper omnes iudicandi ea, quæ ſpectabant ad legem, ad cultum Dei, & ad mores: quia autem ipſe ſolus non ſufficiebat ad hæc omnia præſtanda, ſubſtituit ſibi Tribunos, qui iudicarent gentes vnius Tribus: & quoniam nec iſti commodè ſuum officium valebant implere, ſubſtituit illis Centuriones, & iſtis Quinquagenarios, ac his Decanos: omnes tamen *Moyſi* ſubordinabantur: maiora etenim negotia controuerſiaſq. grauiores, quæ circa legem excitabantur, ad ipſum tenebantur referre: quod erat ſubiectionis omnium ad vnum *Moyſen*, ac in vno, & ſolo *Moyſe* plenæ, & ſupremæ poteſtatis in omnes irrefragabile argumentum. Prob. conſ. Ideo in lege veteri fuit vnus Summus Sacerdos habens plenitudinem poteſtatis ſuper omnem populum Iudaicum, quia debebat eſſe vnus Supremus Iudex, qui definiret magiſterio ſenſibili controuerſias circa legem, & mores exortas, vt habet *textus allatus*: ſed plures in lege Euangelica exortæ ſunt hæreſes, vt liquet: & Chriſtus ſuperabundanter prouidit Eccleſiæ, quam *acquiſiuit ſanguine ſuo*: quia illam muniuit ſacramentis longè perfectioribus; nam ſacramenta veteris legis erant uaſa egena, & uacua, ſacramenta uerò nouæ legis ſunt uaſa gratia, & diuitiis ſpiritualibus plena: ergo à fortiori inſtituit Summum Pontificem habentem plenitudinem poteſtatis ſuper omnes fideles. Quia tamen ipſe ſolus regimini Eccleſiæ non ſufficiebat, ſicut ſatis non erat *Moyſes*, ideo ordinati ſunt Patriarchæ, ceu Tribuni, Primates, ceu Centuriones, Archiepiſcopi, ceu Quinquagenarii, et Epiſcopi, ceu Decani, quibus totum Eccleſiæ regimen fuit perfectè, commodèque ordinatum. Atqui illi erant tantùm *in partem ſollicitudinis Eccleſiæ*, quia *partitus in illos* tantùm erat *ordo* iudicandorum: non enim omnes, ſed tantùm aliquos poterant iudicare, in uno autem, et ſolo *Moyſe* non erat partita, ſed plena in omnes poteſtas, quia omnium cauſæ maiores ad unum *Moyſen* debebant referri: ergo in uno, et ſolo *D. Petro* fuit plena poteſtas iuriſdictionis in omnes, in aliis autem Apoſtolis, Diſcipuliſque fuit partita tantùm in aliquos.

14 Conſ. In lege veteri ad veterem regendam Eccleſiam non fuit ſufficiens lex *à Moyſe* ſcriptis mandata; cùm enim *Scriptura* plurimos, difficileſque ſenſus contineat, circa quos dubia, hæreſeſque exortæ ſunt, nam populus quærebat *à Moyſe* ſententiam Dei circa ea, quæ legis erant; quod confirmant hæreſes *Sadducæorum, & Phariſæorum*; nec ad hæc dubia enodanda ſufficiebat *Scriptura*, quæ eſt regula fidei muta, & ideo nequit, quinam ſint veri ſenſus, pronunciare; nec priuata, ac interna cuiuſque inſpiratio; aliter nemo acceſſiſſet *ad Moyſen*, quilibet enim potuiſſet interno ductu Spiritus S. dubitationes diſſoluere. Nec fuit ſufficiens, quòd *Moyſes* reſoluerit dubia ſuo tempore exorta; non enim omnes hæreſes vno partu, eademq; ætate, vt conſtat, enatæ ſunt; ideo *Moyſes Exod. 29. Aaron* in Summum Sacerdotem elegit, vnxit, & conſecrauit; vt poſt eius mortem populum iudicaret, & legis iudicia proferret; & vna cum *Aarone* eius filios ſacerdotes minores inſtituit, vt in partem ſollicitudinis eſſent; ergo in lege noua ad nouam regendam Eccleſiam non fuit ſufficiens Chriſtum Dominum, cuius *Moyſes* fuit figura; vt docet *Beatiſs. P. Aug. lib. 83. qq. q. 61., de Verb. Domini in Euang. Io. ſerm 49., & ſæpe alibi*, tradidiſſe legem Euangelicam, diſſoluiſſe dubia ſuo tempore exorta, ſed neceſſe fuit inſtituere Summum Sacerdotem, vt poſt eius aſcenſionem in Cœlum Eccleſiam viſibiliter regeret, iudicia proferret, hæreſeſque poteſtate ſuprema ſibi vni, & ſoli collata dirimeret; ſecus ſuæ Eccleſiæ indemnitati nõ prouidiſſet, vt *Sinagogæ* fuit prouiſum; ſicque gratia non ſuperabundaſſet per Chriſtum. Quia tamen vnus tanto oneri non valet ſufficere; idcirco debuit ordinare cum eo plures ſacerdotes coepiſcopos in partem ſollicitudinis; figuratum enim correſpondere debet figuræ, cùm debeat repræſẽtari à figura, & ideo figuræ ſimile eſſe debet, aliter repræſentari non poſſet. Atqui Summus Sacerdos à Chriſto inſtiturus fuit *Petrus*, vt *inf.* patebit; ergo *D. Petro* collata fuit plena, & ſuprema poteſtas ſuper totam Eccleſiam; alijs autem Apoſtolis tradita fuit partialis, & limitata, ac *D. Petro* ſubordinata.

15 Prob. 2. *ex Matth. 16. Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Ex quo ſic. Hoc nomen *petra*, ſupra quam primò ædificata eſt Eccleſia, ſignificat id, quod primò poſitum eſt in ædificatione Eccleſiæ, quod ſuſtentat, & regit totum Eccleſiæ ædificium, ideo ſignificat primam, plenamque poteſtatem ſuper totam Eccleſiam, ſed ſolo *Petro* impoſitum eſt nomen *petra*, non omnibus Apoſtolis; ergo ſoli *Petro* collata eſt plena poteſtas ſuper totam Eccleſiam. Ma. patet; nam hoc nomen *petra* primò ſignificat Chriſtum *iuxta Apoſt.* docentem: *Petra autem erat Chriſtus*: qui procul dubio habet omnem poteſtatem in Eccleſiam, cùm ipſe dicat *Matt. vlt. Data eſt mihi omnis poteſtas*; ergo nomine *petra*, ſupra quam primò ædificata eſt Eccleſia, intelligitur ſuprema poteſtas, per quam regitur, & ſuſtentatur totum Eccleſiæ ædificium. Prob. mi. Allatus *textus*, vt docet *Beatiſſ. P. Aug. lib. 1. Retract. c. 21.* poteſt dupliciter intelligi 1. Tu es *Petrus*, & ſuper hanc *petram*, idèſt *ſuper me*, qui ſum *petra*, ædificabo Eccleſiam meam. 2. Tu es *Petrus*, & ſuper te, quem conſtitui *petram*; propterea non ampliùs *Simonem*, ſed *Petrum* appello, ædificabo Eccleſiam meam; ſed vtroque modo ſignificatur ſoli *Petro* collatum fuiſſe primatum, ſeu plenam poteſtatem ſupra totam Eccleſiam; nam ſi primo modo ſumatur; ſequitur, quòd ſolus *Simon*, qui ſolus dictus eſt *Petrus à petra* accipiendo hoc nomen acceperit quoque ſignificatum huius nominis *petra*; nomen enim ex natura rei indicat rem ſignificatam per tale nomen: neque imponitur alicui, niſi illi res ſignificata conueniat; vt hoc nomen *Leo* non imponitur homini, niſi ei competat fortitudo, quam hoc nomen *Leo* ſignificat; ergo ſi ſoli *Simoni* a Chriſto Domino imponitur nomen *Petrus*, qui dicitur *à petra* fundamentali Eccleſiæ, quæ eſt Chriſtus, & hoc nomen *petra* in Chriſto ſignificat plenam poteſtatem ſupra totum Eccleſiæ ædificium, manifeſtè ſequitur ſoli *Petro* communicatum fuiſſe à Chriſto primatum, ſeu plenam poteſtatem ſupra totam Eccleſiam Si ſecundo modo accipiatur, cõpertum eſt *Petro* collatam fuiſſe poteſtatem primariam, cùm à Chriſto conſtitutus eſt *petra*, quæ talem poteſtatem ſignificat.

16 *Io. 1.* habetur: *Tu vocaberis Cephas*; ſed hoc nomen *Cephas* ſecundùm vnam linguam interpretatur *Petrus*; & ſecundùm aliam *Caput*; teſte *noſtro Iacobo vbiſ. c. 5.*, ergo *Petrus* ſolus fuit caput omnium, quod propriè ſignificat ſupremam poteſtatem ſupra totam Eccleſiam.

17 *Ibid.* ſequitur: *Tibi dabo claues Regni Cælorum*; nomine autem *clauium* ſignificatur poteſtas iuriſdictionis, & ordinis, ſeu ſcientiæ, qua ſciens diſtinguere lepram à lepra poteſt ſoluere, vel ligare peccata; & de hac claui habetur *Luc. 11. Væ vobis legiſperitis, qui tuliſtis clauem ſcientiæ.* Ex quo ſic. Soli *Petro* traditæ ſunt claues Regni Cœlorũ à Chriſto Domino; nuſquam enim legitur claues alijs Apoſtolis fuiſſe conceſſas; ergo ſoli *Petro* collata eſt plena, & ſuprema poteſtas ſuper totam Eccleſiam. Prob. ant. Quamuis *Io. 20.* collata fuerit omnibus Apoſtolis poteſtas ligandi, & ſoluendi à peccatis; hæc tamen eſt poteſtas ſpecialis; quia eſt poteſtas ordinis, ſeu ſacerdotalis, in qua omnes ſacerdotes ſunt pares; vel ad ſummum differunt, ſicut puer, & vir; vt *ſuperiùs* diximus; & quamuis ad abſoluendum, & ligandum requiratur etiam aliqua poteſtas iuriſdictionis, ſacerdos enim ſimplex nullam habens poteſtatem iuriſdictionis nullum poteſt ligare, vel ſoluere: non tamen requiritur plena poteſtas iuriſdictionis ſuper omnes fideles; epiſcopus nanque poteſt ſuas, non alienas oues, ordinare, ligare, vel ſoluere, quia in illas iuriſdictionem non habet: nomine autem *clauium* in plurali ſignificatur omnis poteſtas indefinitè; ſed nulli alteri legitur conceſſas fuiſſe claues in plurali: ergo claues ſoli *Petro* fuerunt conceſſæ; atque adeo alijs Apoſtolis non omnis, ſed aliqua tantùm, & ſpecialis clauis fuit tradita.

18 Cùm

18 Cùm Chriſtus tradidit poteſtatẽ *Petro*, nedũ eam nominauit in plurali, ſed etiam in plurali addidit: *Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis &c*: cùm autem illam dedit alijs Apoſtolis, dixit in ſingulari: *& in Cœlo*; quo ſignificatur, ut ait *D.Chriſoſt.apud noſtum Viterb.vbiſ. ſoli Petro* conceſſam fuiſſe poteſtatem ſuper omnem Eccleſiam, quæ *Cœlorum* nomine ſignificatur, ut docet *D.Greg.hom.* 12. *in Matt*: ceteris autem ſolùm ſuper vnam Eccleſiam particularem; ergo ſũma, & plena poteſtas ſuper totam Eccleſiam ſoli *Petro* fuit conceſſa.

19 *Io.* 21. Soli amori, quo *Petrus* Chriſtum amauit præ alijs Diſcipulis, collata eſt plena poteſtas ſuper totam Eccleſiam: ergo ſoli *Petro* &c. Ant. patet *ex textu*: *Simon Ioannis, diligis me plus his? Dixit ei. Etiam Domine. Tu ſcis, quia amo te. Dixit ei: Paſce agnos meos. Dicit ei iterum. Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine. Tu ſcis, quia amo te. Dixit ei: Paſce agnos meos. Dixit ei tertiò: Simon Ioannis, amas me? Contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertiò: Amas me? Et dixit ei: Domine, tu omnia noſti. Tu ſcis, quia amo te. Dixit ei: Paſce oues meas*. Contriſtatus autem eſt *Petrus*, quia timebat, ne Chriſtum amaret, ſicut debebat, & ſicut petebat, nempe *plus his*, ſeu plus aliis Diſcipulis; ſed poteſtas ſuper agnos, & oues eſt ſuper totam Eccleſiam, nam Eccleſia adæquatè componitur ex fidelibus ſimplicibus nomine *agnorum* ſignificatis, qui fidei pabulo nutriuntur à Prælatis; & ex Paſtoribus nomine *ouium* ſignificatis, vt *Matth.*27. *Percute Paſtorem, & diſpergentur oues*; quapropter *de maiorit., & obed. c. ſolita* dicitur cõmiſſam fuiſſe *Petro* vniuerſalem poteſtatem ſuper ouile Chriſti, quia Chriſtus non diſtinxit inter has, vel illas oues. Conſ. etiam liquet, quia amor *Petri* fuit ſuperior amore aliorum Diſcipulorum: ergo & ſuperiorem poteſtatem habuit ſuper alios Diſcipulos.

20 *Luc.*22. *Ego rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*. Ex quo ſic. Ei competit plena poteſtas ſuper totam Eccleſiam, cuius fides eſt indefectibilis, & habet confirmare fidem aliorum Prælatorum Eccleſiæ: ſed ſolus *Petrus* fuit huiuſmodi: ergo idem. Prob.ma., nam Eccleſia eſt indefectibilis, quia *portæ inferi non praualebunt aduerſus eam*, & ideo debet regi fide indefectibili; & tunc fides regens eſt ſupra totam Eccleſiam, quando confirmat fidem omnium Prælatorum Eccleſiæ, quia confirmans eſt ſupra confirmatum. Prob.mi. Sola fides *Petri* fuit indefectibilis, & firma, alias fides aliorum Apoſtolorum non eguiſſet confirmari à fide *Petri*, firmum enim non firmatur, ſed infirmũ: & Apoſtoli, qui erant fratres confirmandi à *Petro*, erant Eccleſiæ Prælati, vt conſtat: ergo ſolus *Petrus* fuit huiuſmodi.

21 *Ibid. Facta eſt autem, & contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior?* Dixit autem eis. *Qui maior eſt inter vos fiat, ſicut minor: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator*. Quod confirmauit exẽpio, nam quamuis ipſe eſſet maior inter eos, Dominus enim, & magiſter eorum erat, attamen eis lauit pedes, tanquam eorum miniſter, & ſeruus. Primùm autem lauit pedes *Petro* docens eum facere ſimiliter cum aliis: ergo *Petrus* fuit primus, & magiſter poteſtatem habens ſuper alios, aliter hoc facto non docuiſſet maiorem fieri minorem miniſtrum, ſi *Petrus* non fuiſſet maior omnibus aliis, & alii non fuiſſent *Petro* minores.

22 *Matth.*8. *Petrus* dixit: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei: vſque ſepties? Dixit illi Ieſus: Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties*. Quo numero ſignificatur *D. Petro*, tanquam ſuo Vicario, fuiſſe collatam plenam poteſtatem Chriſti Domini, qui per ſeptuaginta ſeptem generationes *Luc.*3. enumeratas carnem ſumere dignatus eſt, & carnem ſumendo poteſtatem pontificiam acquirere, vt loquit *B.P. Aug. lib. 2.qq.Euang. q.6.*, ſed Chriſtus, vt Pontifex, habuit plenam poteſtatem ſuper totam Eccleſiam: ergo & *Petrus*.

23 *Matt.* 17. Petrus *exactoribus didracmę* ſoluit æquale tributum pro Chriſto, & pro ſe: ex quo ait *Gloſ.* cognouerunt Apoſtoli *Petrum* fuiſſe ſibi Prælatum.

24 *Io.*21. cùm *Petrus* ſimul cum alijs Diſcipulis piſcaretur, admonitus *à Ioanne*, quòd Dominus eſſet in littore, præcinctis veſtibus miſit ſe in mare, quod *teſte D.Bern.de conſid c.*8. totum mundum deſignat, cæteri autem Apoſtoli reduxerunt ad terram nauigio, quod ſignificat particularem Eccleſiam: ſicut enim plura nauigia in vno mari vniuntur, ita plures particulares Eccleſiæ in vna vniuntur Eccleſia per totum orbem diffuſa: ergo ſolus *Petrus*, qui ſolus miſit ſe in mare, totius Eccleſiæ habuit gubernium.

25 *Luc.*22. Solus *Petrus* exemit gladiom, qui *iuxta omnes* ſignificat poteſtatem, *& percuſſit ſeruũ Principis Sacerdotum*: ſed percutere ſeruos Principis Sacerdotum eſt habere poteſtatem ſupra ipſũ Principem Sacerdotum, quia ſerui ſubduntur Principi, & nullus alter poteſt in illos, niſi qui habet poteſtatem in Principem, & habere poteſtatem in Principes eſt habere ſupremam poteſtatem in omnes: ergo idem. *Vid.B.P.Aug.ſerm.de Temp.*117.

26 Hanc poteſtatem exercuit *Petrus* afficiendo morte *Ananiam, & Saphiram* illius vxorem ob mendacium prolatum in Spiritum S., necnon *Simonem magum* ob ſimoniæ delictum.

27 *Act.*10. Solus *Petrus* in mentis exceſſu vidit linteum magnum, *in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli, & facta eſt vox ad eum: Surge, Petre, occide, & manduca*: quã viſionem ipſemet expoſuit dicens: nomine illorum *animaliũ diuerſi generis ſignificari omnem gentem*, quæ à Domino tradita eſt ſoli *Petro* occidenda, idèſt iudicanda: occidere enim eſt actus iuſtitiæ, qui nequit competere, niſi iudici ex poteſtate publica: & manducanda, idèſt incorporanda corpori Eccleſiæ, cibus enim manducando incorporatur corpori manducantis, & ideo ſtatim incorporauit *Cornelium*, & omnes gentes, quæ cum eo erant: ergo ſoli *Petro* data eſt poteſtas ſuper totã Eccleſiã.

28 *Act.* 15. *in Conc. Apoſtolorum, ac Diſcipulorum* congregato ſuper queſtione orta circa circunciſionẽ corã alios Apoſtolos, & Diſcipulos *ſurgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes Euangelium, & credere.* Ex quo ſic. Solùm per os *Petri*, non aliorum Apoſtolorum, elegit Deus omnes gentes audire verba Euangelij, & credere, non quidem per prædicationem, quia prædicare euangeliũ omni creaturæ iniunxit omnibus *Matt.ult.*, ſed per definitionem, ſententiam, & iudiciũ ſuper quæſtiones ortas circa legem, vt in caſu, de quo *Petrus* loquebatur; ergo ſolùs *Petrus* etiam præſente *Concilio* habuit plenam poteſtatem ſuper totam Eccleſiam. Ant. paret *ex textu*, præſentibus enim Apoſtolis, & Diſcipulis ait *Petrus* elegiſſe Deum, vt *per os ſuum, audirent gentes euangelium, & crederent*, & huius rei teſtimonium ab illis petit: *Vos ſcitis*; non autem dixit *per os noſtrum*, quod non omiſiſſet, ſi hanc poteſtatem habuiſſent omnes *in Concilio*; potuiſſet enim ab illis redargui eo, quia ſibi appropriaret, quod omnibus eſſet commune; ergo proponere res credendas de fide, eaſque definire eſt propria poteſtas ſolius *Petri*: ſed res de fide credendæ obligant totam Eccleſiam, & poteſtas obligandi totam Eccleſiam eſt ſuper totam Eccleſiam; ergo ſolus *Petrus* habuit poteſtatem ſuper totam Eccleſiam.

29 Item *Petrus* ſemper ex perſona omnium reſpondet Domino; vt *Tu es Chriſtus filius Dei viui*; quia ſuperior loqui debet pro omnibus, cùm ipſe vnus ſit, quaſi omnes, cùm omnium gerat perſonam. Inſuper ex perſona omniũ arguitur: *Simon, ecce Sathan expetiuit vos*; quia Prælatus debet rationem pro omnibus reddere; & ideo vigilare ſuper omnes docetur: ergo *in Petro* fuit poteſtas ſuper omnes Apoſtolos; aliter fruſtra admoneretur, obiurgareturq; pro omnibus.

30 Hæc, & alia teſtimonia tam clara ſunt, & aperta; vt ſolùm qui oculos peruicaciter claudunt, vel ij, in quibus lumen fidei eſt prorſus extinctum, videre non poſſint.

31 Prob.3. ex conſtantiſſima Eccleſiæ traditione, quæ citra hæreſim negari non poteſt; vt diximus *to.1. vbiſ. D.Dion*; qui floruit anno Chriſti 78. *D.Pauli diſcipulus lib. de Diuinis Nominib. c 3.* vocat *Petrum excelſum decus, & antiquiſſimum Theologorum culmen. Anacletus D. Petri alumnus* anno 84. *ep.*1. & 3. idem docuit. *Euariſt.* anno 96. *Alex.* anno 109. *ep. ad omnes Orthodoxos Pius* anno 150. *Irenæus lib.3. aduerſus hær. c.3.* anno 170. *Tertull.* anno 200. *lib. de præſcript., & lib. de pudicitia. Orig.* anno 250. *in Matt. c.16. & lib.5. in ep. ad Rom. c.6. & hom.2. in diuerſos: & in Luc. hom.17., & Cypr.* eodem anno *ep.3., & 9., & lib. de vnit. Eccl. Arnob.* anno 300. *in pſ.138. Hil. Pictau.* anno 350. *in Matth. can.14, & 16., & in pſ.52., & 131., Baſil. Cæſar.* eodem anno *lib.2. cont. Eunom Cirill. Hieroſol. Catech.* 11., & 17. *Ambr.* eodem anno *ſerm. 47. de Petri Apoſt. fide, & ſerm.11. de mirabilib., & in c.1., & 2. in ep. ad Gal., & in c.12. ep.2. ad Cor. Greg. Naz.* anno 375. *ſerm. de moderandis diſputationib. Greg. Niſſ.* anno 380. *in Opuſc. Vt petra vita Maxim. Conſtantinop. in ep. ad Oriental. Optatus Apher* anno 380. *lib.2. cont. Donatiſt. Io. Chriſoſt. hom.9. de pœnit. hom.26. in Matt. hom.2. in pſ.50., hom.33., & 55. in Matt. Hier.* anno 390. *lib.1. cont. Iouin; & lib.1. cont. Pelagian., & in Matth. c.10., & in pſ.13., & ſerm. de Vinculis S.* Petri, *Aug.* eodem tempore *lib.1. Retract. c.21. tract.56. 118., & vlt. in Io., & ſerm.15. 26. 27., & 28. de Sanctis, & ſerm. 124. de Temp., & in qq. noui Teſtam. q.75. & de Agone Chriſtiano c.30., & ſæpe alibi; Epiphan. lib.2. cont. hær. hær.59. Cirill. Alex.* anno 420. *lib.2. ſup. Io. c.12. & lib.9 c.25., & 35., & lib.12. c.64. Leo* anno 440. *ep.89., & ſerm.3. de anniuerſario die aſſũptionis ſuæ. Maxim. Taurin.* anno 450. *ſerm.1. de nat. Apoſt.* Petri, *& Pauli, Proſper Aquitanicus lib.2. de Vocat. gentium c.9. Gelaſ.* anno 494. *ep.4. ad epiſcopos Dardaniæ, Greg Magn.* anno 590. *ep.33. lib.3. ad Theodolindam, & lib.4. ep.32. ad Mauritium, & hom. 24. in c. vlt. Io. Martin* I. *in ſyn. Lat. act.2.* anno 647. *Beda* anno 720. *hom. in feſto Apoſt. Petri, & Pauli c.16. Matth. Alcuin Caroli Magni præceptor, & Vniuerſitatis Pariſien. fundator in Io.* anno 790. *Nicolaus* Papa *ep. ad Mediolanen. Eccleſ.* anno 850. *Theophylact.* anno 880. *in c.22. Luc., & in Io. c.ult.*, *Ignatius Conſtantinop.* anno 898. *ep. ad Adrianum* II. *Leo* IX. anno 1049 *lib. cont. Michael. Conſtantinop., & Leonem Acridanum epiſcopos c.7., Bern.* anno 1120. *lib.2. de conſid. ad Eug., & ep.190, 237; 242., Innoc.* III. anno 1198. *lib.1. myſteriorum miſſæ c.8.* anno 1274. *Tho. Aquinas, Aegid. Triumph.*, & ab illis ad noſtra tempora tam ingens eſt *Doctorum* multitudo doctrina, & ſanctitate præditorum, vt nullo poſſit numero comprehendi.

32 Prob.4. *ex Concilijs. Epheſin. c.16. Nulli dubium, imò ſæculis omnibus notum eſt ſanctum, beatiſſimumque* Petrum *Apoſtolorum* Principem, *& Caput, fideique columnam, Eccleſiæ catholicæ fundamentum à Domino* Ieſu *Chriſto Saluatore noſtro, humanique generis Redemptore cœleſtis Regni claues accepiſſe, ſoluendique, atque ligandi poteſtate, quam acceperat, vſum fuiſſe, necnon per ſucceſſores ſuos hucuſque ſemper viuere, cauſaſque decernere, ſemperque victurum eſſe. Chalcedonen.* in fine *in exemplari ep.* Paſ*chaſin. Sanctiſsimus, ac Beatiſſimus Papa Caput vniuerſalis Eccleſiæ. Leo per nos, vt legatos ſuos, S. Synodo conſentiente, Petri Apoſtoli prædirus dignitate, qui Eccleſiæ fundamentum, & petra fidei, & cœleſtis Regni ianitor nuncupatur. V. Synod. Conſtantinop. act.1. Imò ille, qui vertex eſt omnium poſtoralium Sedium in ſanctis laudibus florens Apoſtolorũ verè optimus Petrus.* VI. *Syn. art.4.* loquẽs de *Petro* ait: *Cuius auctoritatem, vtpotè Apoſtolorum omnium Principis, ſemper omnis Chriſti Eccleſia, & vniuerſales Synodi fideliter amplectentes.* VII. *Syn.* quæ eſt *Nicæna* II *act* 2. loquens de *Petro* ait: *Cuius etiam ſedes in omnem terrarum Orbem primatum tenens refulget, & Caput omnium Eccleſiarum Dei conſiſtit; vnde & ipſe B. Petrus Apoſtolus Dominò Eccleſiam paſcens nihil diſſolutum dimiſit, ſed tenuit ſemper, & retinet principatum, cui ſi adhærere cupit veſtra ſanctitas, & noſtra Apoſtolica Sedis,*

quæ eſt omnium Eccleſiarum Dei Caput &c Syn Lat. ſub Martino I. *art.2.* loquens *de Petro Apoſtolorum Principe: ſolus, atque præ omnibus creditus eſt, atque accipere meruit à Rege Regum Chriſto Deo claues Regni cælorum ad aperiendum rectè credentibus in eundem Dominum noſtrum, & claudendum infidelibus hæreticis.* VIII. *Syn.*, *quæ eſt Conſtantinop.* IV. *act.1. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam Hæc, quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apoſtolica ſemper eſt obſeruata Religio. Syn. Romana ſub Symmacho fatetur Romana Sedis Præſulem merito B Petri Apoſtoli per vniuerſum Orbem primatum obtinere ſacerdotij, & ſtatutis ſynodalibus ſolere tribuere firmitatẽ. Conc. Lugd ſub Greg ſtatuit Romanũ* Pontificem *eſſe Vicarium Ieſu Chriſti, ſucceſſorem Petri, Rectorem Eccleſiæ vniuerſal.s. Conc. Flor. Definimus S. Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in vniuerſum Orbem tenere primatum; & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe B Petri, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput & omnium chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere: & ipſi in B. Petro paſcendi, & gubernandi Eccleſiam vniuerſalem a Domino N.* Ieſu *Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, ſicut in geſtis Oecumenicorum Conciliorum continetur*: ergo *ex Concilijs vniuerſalibus* totius Orbis conſenſione celebratis euidenter conuincitur primatum ſuper totam Eccleſiam vniuerſalem ſoli *Petro* fuiſſe collatum.

33 Altera pars concl., quæ etiam de fide eſt, ſcilicet Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem *Petri* ſucceſſorem legitimum in eius Eccleſia Romana, quam fundauit, vſque ad mortem retinuit, ac ſucceſſori perpetuò, & immobiliter legauit, prob. *ijſdem textibus*, & rationibus. 1. *Aaron*, & alii Summi Pontifices *Moyſis* ſucceſſores habuerunt eandem poteſtatem, quam habuit *Moyſes*, aliter non fuiſſent ſummi Pontifices, quia non habuiſſent plenam poteſtatem ſuper omnem Sinagogã, quæ erat Eccleſia *Iudæorum*; tum quia neceſſitas ponẽdi ſupremam poteſtatem *in Moyſe* fuit ob dirimendas controuerſias, quæ circa legem oriebantur, vt diximus; ſumma enim Dei prouidentia debuit, vt legis vnitatem ſeruaret, vnum omnium magiſtrum, & iudicem deputare, qui hæreſes, quæ illam ſcindunt, dirimeret, ſecus defeciſſet in neceſſarijs; hæc autem neceſſitas durauit toto tempore legis, non enim ſimul omnes exortæ ſunt hæreſes, vt conſtat; ergo Romani Pontifices *Petri* ſucceſſores ob eandem rationem eandem poteſtatem habuerunt, quam habuit *B. Petrus*; ſed iſte ſolus habuit plenam poteſtatem ſuper omnem Eccleſiam; ergo & iſti; aliter Deus minùs prouidiſſet Eccleſiæ, quàm Sinagogæ. 2. SS. *PP.*, *& Conc. ſup.* relata manifeſtè ſtatuunt Pontificem Romanum nedum in Cathedra, ſed etiam in poteſtate ſuprema, ſeu primatu ſuccedere. 3. Ideo collata fuit *Petro* plena poteſtas, quia Deus Eccleſiam duplici magiſterio gubernat: inuiſibili nempe, quo dona ſuæ gratiæ per internum influxum inſpirat; & viſibili, ſeu viua, & ſenſibili voce ea, quæ ſpectant ad legem, declarat, atque definit; ſicut enim ſacramentis ſenſibilibus illam inſtituit; ita ſenſibili magiſterio eam regere neceſſe fuit, cùm Chriſtus æternus Pontifex poſt ſuam aſcenſionem in Cœlum ſuam viſibilem præſentiam ſubtraxerit, oportuit, vt *Petrum* ſibi Vicarium elegerit; & ob eandem rationem poſt *Petri* obitum Romanum Pontificem *Petri* ſucceſſorem ſtatueret. 4. Diabolus impugnat Eccleſiam conflictu viſibili, & inuiſibili; ergo debuit Deus illam munire inuiſibili, & viſibili influxu, *ne deficiat, & aduerſus eam portæ inferi non præualeant*, ſicut *Petro* promiſit; at ſi poſt *Petri* obitum nullus relinqueretur inter viuos, qui viſibiles ſunt, habens poteſtatem illius, deficeret influxus viſibilis; ergo remanet in Pontifice Romano, vt in eius ſucceſſore.

34 Obijciunt 1. *apud Echium*. Chriſtus non dedit claues *Petro*, niſi prout gerebat perſonam Eccleſiæ; ergo ſuprema poteſtas eſt in Eccleſia, non *in Petro*. 2 Eccleſia non fuit ædificata ſupra *Petrũ*, nam Eccleſia ita ſtabilis eſt, vt portæ inferi aduerſus eam præualere non poſſint; *Petrus* autem ita infirmus fuit, vt contra eum in voce unius ancillæ præualuerit; & quotidie præualeat contra eius ſucceſſores. 3. Eccleſia fuit fabricata ſupra Chriſtũ, qui eſt *petra*, vt habetur 1. *Cor.* 10; ergo non *Petrus*, ſed Chriſtus fuit fundamentum Eccleſiæ; *& fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitum eſt*. 4. Primis decem, & octo annis à morte Chriſti non fuiſſet in terris Eccleſia; quia *Petrus* non niſi poſt decem, & octo annos venit Hieruſalem, vbi factus fuit Pontifex, & vbi mortuus eſt; ſed hoc eſt abſurdum, ergo, & id, vnde ſequitur. 5. *Petrus* nunquam fuit Romæ, vt colligitur ex variis hiſtoriis; ergo in Eccleſia Romana non eſt primatus *Petri*. 6. *Petrus* erat membrum Eccleſiæ: ergo non fuit ſuper totam Eccleſiam, quia non fuit ſuper ſe ipſum. 7. Chriſtus *Matth.* 16. *Petrum* vocauit *Sathanam*: ſed ſupra *Sathanam* non eſt fundata Eccleſia: ergo nec ſupra *Petrum*.

Reſp. ad 1. *Petrum* geſſiſſe perſonam Eccleſiæ, ſicut Rex gerit perſonam Regni; Rex enim repræſentat omnes ſuos ſubditos, & ſicut hoc non obſtat, quin Rex teneat poteſtatem, non ſubditi, ita à pari. Ad 2. vel dicitur, quòd pro eo tunc claues erant *Petro* tantùm promiſſæ, datæ verò fuerunt poſt reſurrectionem. Vel quod *Petrus* peccauit, vt perſona priuata, non vt vniuerſalis Iudex Eccleſiæ: ſicut enim Iudex poteſt iuſtè adminiſtrare rem publicam, & peccatis perſonalibus fœdari, ita à pari. Ad 3. dicitur Chriſtum eſſe fundamẽtum principale, præter quod nullum aliud principale eſt ponendum: *Petrum* verò eſſe fundamentum vice Chriſti, qui propterea non principalem, ſed Vicariam poteſtatem dicitur tenere. Ad 4. dicitur *Petrum*, vbicunque fuerit, fuiſſe Vicarium; Vicariatum tamen Romæ fixit, cùm Romæ deceſſit. Ad 5. dicitur *Dion. Corinthior. Epiſc.* qui vixit illis temporibus, alloquens Romanos, inter quos commorabatur anno 50. à Chriſti morte, ait: *Vos habentes commonitionem à* Petro. *D. Dion. Areopag, ep. ad Tim. Egeſipp. lib. 3. de excidio Hieruſalem*, Irenæus *lib. 3. c. 1. cont. hæreticos, Euſeb. Cæſar. lib. 2. hiſt. Hier.*

de

Digitized by Google

de Viris illuſtribus, S. Ambr. ſerm.67., Paul. Oroſius lib.6.hiſt.c.6.,& plurimi alij grauiſſimi,& antiquiſſimi *Scriptores* apud *noſtrum Panuinium p 3. c.1.,* nec refert, quòd hiſtorici non concordent in tempore, quo Romam venit, ſicut enim quamuis hiſtorici non concordent in numero annorum ab Orbe condito, Ioſeph enim vſque ad diluuium enumerat annos 1781., Hebraicæ bibliæ annos 1656. Interpretes annos 2262; & tamen ex hoc non ſequitur Orbem verè non fuiſſe conditum, ita quamuis hiſtorici non conueniant circa tempus, quo *Petrus* Romam aduenit, inſulsè infertur Romam nõ veniſſe. Ad 6. dicitur *Petrum* fuiſſe membrum Eccleſiæ, vt erat perſona priuata, non vt Chriſti Vicarius. Ad 7. dicitur, vt ad 2, quòd ſcilicet *Petrus* pro eo tunc adhuc poteſtatem non acceperat. Vel erat *Sathan*, ut perſona priuata, non ut publica.

Obiic.2. *ijdem apud eundem.* 1. Apoſtoli *Act.* 2. miſerunt *Petrum,& Ioannem in Samariam*; ſed miſſio importat auctoritatem in mittente, & ſubiectionem in miſſo; ergo *Petrus* non habuit poteſtatem ſuper Apoſtolos, ſed ſuper ipſum Apoſtoli. 2. *Petrus* nunquam exercuit primatum; quia nunquam confirmauit epiſcopos. 3. Apoſtoli *Luc.22.* contendentes de primatu reprehẽſi fuerunt à Chriſto, qui dixit poteſtatem manere apud Principes, non apud Pontifices, qui debẽnt eſſe ſimplices miniſtri. 4. Filiis *Zebedęi Marc.10.* aſpirantibus ad primatum reſpondit Chriſtus: *Poteſtis bibere calicem, quem ego biburus ſum.* 5. *Luc.9., & Matt.18.* Chriſtus docuit ſuperioritatem eſſe fugiendam. 6. *Paulus* reſtitit *Petro.* 7. Victor Papa uolens excommunicare Orientales fuit prohibitus ab *Irenęo Lugdunen.* 8. *Anicetus* ceſſit *Policarpo Smyrneorum Epiſcopo.* 9. Orientales epiſcopi non obedierunt *Iulio Papę.* 10. *Conſtantinus* cõceſſit Papæ primatum. 11. Tot millia Martyrum Orientalis Eccleſiæ; & tot Sancti *Eccleſia Aſiana, & Aphricana*, ſuper quas non fuit Papa, eſſent damnati. 12. Papa non inſtituit *Concilium Antiochenum, Conſtantinop. Alexandrin., aut Indicum.* 13. *Theophilus Alexandrin., & Epiphan.* depoſuerunt *Chriſoſtomum.* 14. *Conc. Nicęnum* ſtatuit epiſcopos habere curam ſuburbanarum Eccleſiarum. 15. Idem ſtatuit epiſcopos ordinari ab epiſcopis, non à Papa. 16. Idem *Conc.* tribuit primatum epiſcopo *Hieroſolimit.*, non Papæ. 17. *Conc. Aphric.* IV. ſtatuit, ne primæ Sedis epiſcopus appelletur Princeps Sacerdotum, aut uniuerſalis epiſcopus. 18. *Pelagius, & Greg.* renuerunt *nomen vniuerſalis Epiſcopi.* 19. Papæ primatus probatur tantùm ex decretis, & decretalibus, qui non niſi intra quadringentos annos à morte Chriſti conditi ſunt; ergo nec *Petrus*, nec Papa habet primatum.

Reſp. ad 1. fuiſſe argumentum *Arianorum*, qui volebant Filium eſſe Patre minorẽ, quia fuit miſſus à Patre. Miſſio ergo alia eſt ex poteſtate, ſeu ex auctoritate, quæ importat ſuperioritatem in mittente, quomodò Diſcipuli miſſi fuerunt à Chriſto; alia ex amore, & charitate, quomodò miſſus fuit *Petrus.* Ad 2. dicitur, quòd *Petrus* primatum exercuit, cùm Apoſtolis contendentibus circa *Matthiã*, & *Ioſephum* venit ad electionem; quando *Ananiã*, & *Saphiram* damnauit; quando pronunciauit ſententiam *cont. Simonem magum.* Ad 3. dicitur Chriſtum prohibuiſſe tyrannidem, non autem poteſtatem, quam voluit eſſe humilem, non ſuperbam, & ſic ad 4; & 5. Ad 6. dicitur, quòd *Paulus* reprehendit *Petrum* ex officio prædicationis, non autem ex poteſtate. Ad 7; & 8. dicitur, quòd *Anicetus, Pius, & Victor* ſtatuerunt Paſcha celebrandum eſſe die Dominico. Reſtiterunt *Orientales*, qui illud celebrabant 14. luna ex inſtitutione *Io. Apoſt.*; propter quod *Policarpus* venit Romam *ad Anicetum*, tanquam ad Caput Eccleſiæ. *Irenæus* autem ſuaſit cõſilio, non poteſtate prohibuit, ne eos excõmunicaret. Ad 9. dicitur *Athanaſium, & Paulum* expulſos *ab Orientalibus* confugiſſe *ad Iuliũ Papam*, qui illos reſtituit excommunicatis hæreticis, quo exercuit primatum. Ad 10. dicitur *Conſtantinum*, alioſq; imperatores recognouiſſe primatum. Ad 11. dicitur non ſe ſubtraxiſſe obedientiæ Papæ, & epiſcopus *Aphrica, & Aſia* ad illum recurrerunt, vt in cauſa *Athanaſij, Chriſoſtomi, Flauiani, & Appiarij.* Ad 12. iam diximus *Conc. Nicænum* recognouiſſe Papæ primatum. Ad 13. dicitur *Chriſoſtomum Eudoxia* iniquè imperante eiectum fuiſſe. Ad 14. dicitur *Conc. Nicænum* loqui de Papa, vt eſt Patriarcha Romanus, ſic enim par eſt *Patriarchæ Antiocheno, & Alexandrino*, non autem, vt eſt Caput totius Eccleſiæ. Ad 15. dicitur non eſſe proprium ſolius Papæ ordinare epiſcopos, ſed poſſe id etiam fieri à tribus epiſcopis. Ad 16. dicitur loqui de reuerentia epiſcopi, non de primatu. Ad 17., & 18. dicitur Papam nõ eſſe dicendum vniuerſalem epiſcopum, ita, vt alii non ſint epiſcopi, vt patet *ex ep. eiuſdem Greg. ad Mauritium*, non autem, quòd Papa non habeat primatum ſuper vniuerſalem Eccleſiam. Ad ult. dicitur *canones* hanc doctrinam ſumpſiſſe ex Euangelio, *& aliis Scripturis.*

36 Obiic.3. *Marcus A. de Dominis Io.14.* habetur: *Paracletus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*: ergo non *Petrus*, ſed Spiritus S. eſt loco Chriſti, & eius Vicarius. 2. Omnibus Apoſtolis æquè commendauit Eccleſiam: *Euntes docete omnes gentes*: æquè omnes inſtruxit die Pentecoſtes: ergo fuerunt æquales. 3. *Petrus* nunquam exercuit primatum, quia omnes Apoſtoli miſerunt *Petrum, & Io. in Samariã*: *& Paulus, ac Barnabas* detulerunt ad omnes Apoſtolos quæſtionem de circumciſione. 4. Luciferianum eſt velle ſe extollere ſuper omnes Apoſtolos, qui ſunt Cœli aſtra. 5. Solus Chriſtus eſt Caput, cæteri verò ſunt membra. 6. *Petrus* nunquam ſe vocauit Paſtorem vniuerſalem; ergo nec Papa tali nomine ſe debet vocare.

Reſp. ad 1. Spiritum S. non eſſe Vicarium, qui Pontifice minor eſt. Miſſus igitur fuit ad illuminandos Apoſtolos in nomine Chriſti, idèſt rogante Chriſto. Ad 2. dist. Æquè commendauit quoad munus Apoſtolatus, ſeu prædicationis, cõc., quoad poteſtatem iuriſdictionis, neg. Ad 3. dicitur ordinationem Diaconorum eſſe omnibus Epiſcopis communem: *Petrum* fuiſſe miſſum ex conſi-

lio, non ex poteſtate: & quæſtiones deferri etiam ad miniſtros. Ad 4. diſt. Se extollere ex ſuperbia, conc., extolli à Deo, neg. Ad 5. dicitur ſolũ Chriſtum eſſe Caput principale, quod admittit Vicariũ quoad influxum externum, non quoad internum. Ad 6. neg. conſ., licèt enim non ſe vocauerit vniuerſalem Paſtorem, attamen talem ſe præbuit exercendo primatum.

37 Collig. ex dictis, quòd licèt Chriſtus Dominus, cùm præſens eſſet corporaliter, dederit poteſtatem iuriſdictionis Apoſtolis, & Diſcipulis, cùm *Io.20.* dixit: *Accipite Spiritum S. &c.*, quo intelligitur collatio poteſtatis, vt docet *B.P.Aug.lib. qq.noui, & vet.Teſtam.q.93.*, attamen epiſcopis, & Prælatis ſucceſſoribus Apoſtolorum, & Diſcipulorum non confertur, niſi per Papam. 1. In tantùm Apoſtolis fuit collata ſolùm à Chriſto, quia Chriſtus erat corporaliter præſens, Pontifex enim præſentialiter agens non operatur per ſuum Vicariũ; nunc autem non eſt corporaliter preſens, ideo per ſuum operatur Vicarium. 2. In creatione omnia per ſe ipſum operatus eſt Deus, & in propagatione operatur mediantibus creaturis; ergo à ſimili. 3. Primum in quolibet genere eſt cauſa cæterorum, ſed Papa eſt primus, & ſupremus in ordine habẽtium poteſtatem ſpiritualẽ; ergo eſt cauſa poteſtatis exiſtentis in alijs. 4. In tantùm Papa recipit immediatè poteſtatem à Chriſto, in quantùm eius poteſtas eſt ſuprema, ideo non habet ſuperiorem, per quem ei poſſit illa conferri; at epiſcopi habent poteſtatem poteſtati Papæ ſubiectã; ergo illis confertur per Papam. 5. Si poteſtas iuriſdictionis in epiſcopis non eſſet per Papam, non poſſet tolli à Papa, & ſic Papa non haberet poteſtatẽ in omnes, quia quæ ſunt immediatè à Chriſto, cùm ſint de iure Diuino, nequeunt à Papa tolli, aut mutari. 6. Apoſtoli receperunt poteſtatem vbique prædicandi, & miniſtrandi ſacramenta, epiſcopi verò poteſtatem habent ſolùm in ſua diœceſi; ergo non habent eandem poteſtatem, quam habuerunt Apoſtoli. Tandem ſequeretur, quòd Epiſcopi ſtatim electi poſſent exercere epiſcopalia, ſicut poteſt Papa; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. *Vid. Alex. de S. Elpidio tract. 1. de triplici Sacerdotio c.7.*

A R T. II.

In quo conſiſtat Eccleſię primatus?

1 EDmundus Richerius Romano Pontifici irreuerenter infeſtus clarè videns ſe non poſſe, niſi cum fidei iactura, ei primatum *contra Conciliorum* ſtatuta negare, adeo diſſonis, falſiſque explicationibus conatus eſt illum deſcribere, vt ſolis verbis, non re ipſa ipſum ei concedere videatur. Nam *lib. de Eccl., & Polit. poteſt. n.1.* inquit: *Tota iuriſdictio Eccleſiaſtica primariò, propriè, & eſſentialiter Eccleſia conuenit; Romano autem Pontifici, atque alijs epiſcopis inſtrumentaliter, miniſterialiter, & quoad ad executionem tantùm.* Deinde ſe ipſum explicans inquit claues *D. Petro* fuiſſe collatas, quatenus gerebat perſonam Eccleſiæ, vt docet *B. P. Aug.* licèt perperam à *Richerio* intellectus, vt *inf.*, non autem *Petro* tantùm traditas fuiſſe, vt talis perſona erat; ſicuti enim cùm Deus inſpirauit in faciem *Adæ* ſpiraculum vitæ, anima ſolã faciem non informauit, ſed ad totum corpus pertranſijt, quod occupauit; ita cùm *Petro* tradidit claues, ſpiritualis poteſtàs non remanſit in ſolo *Petro*, ſed ad totam Eccleſiam peruenit; atque adeo totam Eccleſiam *in Conc. vniuerſali* congregatam eſſe ſupra Romanum Pontificem *D. Petri* ſucceſſorem; Romanũ tamen Pontificem eſſe Caput Eccleſiæ, & tenere primatum, quatenus eſt ſuper omnes Eccleſias particulares, non ſupra totam Eccleſiam vniuerſalem; & quatenus ad ipſum ſpectat, tanquam inſtrumentum, miniſtrum, & executorem Eccleſiæ vniuerſalis, promulgare decreta totius Orbis Chriſtiani conſenſu ſtatuta *in Conciliis*, & curare, vt ſeruentur ab omnibus; quapropter Eccleſiæ regimen eſſe quidem monarchicum, ſed ariſtocratia temperatum, quatenus refertur ad vnum Chriſtum, qui ſolus eſt Caput Eccleſiæ, & ad Eccleſiam, quæ ex omnibus fidelibus conſtat. Hanc *Richerii* doctrinam ſtatim damnarunt *Conc. Prouincialt Senonen., & Aquen.*, quorum decreta refert *Labbaus to.vlt Concilior:* & ob hoc à *Facultate Pariſienſi* auctoritate Regia *Richerius* à Sindicatu *eiuſdem Facultatis*, quem gerebat, fuit depoſitus, & à *Facultate* expulſus, vt refert *Spondanus* anno 1612. *n.3.* Hoc tamen non obſtante hanc eandem ſententiam inuariatam prorſus ſecuti ſunt *Launoius, Vigorius, Queſuell., Maimburg., Natalis Alex.*, *& alii pauci* eiuſdem nationis.

2 *Omnes autem alii Theologi, & DD.* omnium aliarum totius Orbis nationum catholica ingenuitate fatentur Eccleſiæ primatum *D.Petro*, eiuſque ſucceſſoribus à Chriſto Domino collatum non conſiſtere in ſola promulgatione, & executione decretorum, ſed in poteſtate iudiciaria in cauſis fidei, & morum, vt docent *Concilia, & SS. Patres*, & hanc eſſe in Eccleſia, quia eſt in ſolo Capite, non autem in omnibus membris Eccleſiæ; & ideo Papam eſſe ſuper totam Eccleſiam vniuerſalem. *Ita Fund. D. lib. de poteſt. Pontif. p.1.c.1., & in c. firmiter de ſumma Trin., & lib. cont. exempt.*, quẽ ſecuti ſunt *noſtri B. Aug. Triumph. Alex. de S. Elpidio lib. de Eccl. poteſt. tract. 1.c.4., & tract. 2.c.3. Guilelm. Cremon. q.3., Viterb. lib. de Regim. Chriſtiano c.5., Bartholomæus Vrbinas, Naſcilus, Panninius, Coronel., & omnes alii cæteri* communiſſimè.

Vnica concl. Eccleſiæ primatus *D.Petro* collatus formaliter non conſiſtit in ſola promulgatione, & executione decretorum, quæ fiunt *in Cõciliis*, vel vſu, & conſuetudine recipiuntur in Orbe Chriſtiano, ſed in poteſtate iudiciaria definiendi cauſas fidei, & morum, & hæc poteſtas exiſtit in Eccleſia, quia exiſtit in ſolo Capite, qui eſt Summus Pontifex, non eſt autem in omnibus membris Eccleſiæ.

3 Prob. 1. pars concl. quòd ſcilicet primatus non conſiſtat in ſola promulgatione, & executione &c. ſed in poteſtate iudiciaria &c. *Scripturis*, & rationibus allatis *in ſup. art.* 1. Primatus Summo

Sa-

Sacerdoti a Deo conceſſus in lege veteri non conſiſtebat in ſola promulgatione, & executione decretorum, & iudiciorum, quæ vel facta erant *in Conciliis*, vel vſu, & conſuetudine inducebantur *inter Hebræos*, ſed in poteſtate iudicatiua, ſententiatiua, & definitiua diſceptationum, quæ oriebantur circa legem Dei, cui poteſtati ſubdebantur omnes poteſtates Sacerdotum minorum,& Iudicũ, quia debebant ad illam cauſas maiores referre, ut manifeſtè habetur *Exod.* 18., poteſtas autem, ad quam referuntur cauſæ maiores aliarum poteſtatum, procul dubio maior eſt,& ſuperior aliis poteſtatibus: ergo & primatus in lege Euangelica conceſſus Summo Pontifici non conſiſtit in ſola promulgatione, & executione decretorum, quæ fiunt *in Conciliis*, uel uſu recipiuntur, & firmantur in Orbe Chriſtiano, ſed in poteſtate iudiciaria definiendi fidei cauſas, & morum; non enim minor, ſed maior eſt poteſtas Eccleſiæ Catholicæ, quàm Sinagogæ, nedum extenſiuè, quia hæc ad omnes gentes totius Orbis extenditur,& tenet claues Regni Cœlorum ita, ut nemo queat extra ipſam ſaluari; illa uerò tantùm ad populum reſtringebatur *Iudaicum*, & extra eam ſaluabantur *Gentiles* præcepta legis naturæ obſeruantes; ſed etiam intenſiuè, quia hæc ui ſacramentorum confert gratiam, qua a peccatis mundamur; illa uirtute ſuorum ſacramentorum, quæ gratiam non continebant, ſed merè ſignificabant, non habebat uim iuſtificandi à peccatis, & per conſequens aperiendi Regnum Cœlorum,ut diximus *in tract. de legib. q. 2. art.*

4 Prob. 2. ex illo: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo &c.* Ex quo arguitur ſic. Cauſa inſtrumentalis ſuſtentatur à principali, vt in phyſicis calor ſuſtentatur à forma ignis, & in moralibus Prorex ſuſtentatur à Rege in officio; ſed *Petrus* non fuit ſubſtentatus ab Eccleſia, & è contra ſuſtentauit Eccleſiam: quia vel fuit fundamentum, ſupra quod ædificata eſt Eccleſia, de ratione autẽ fundamenti eſt ſubſtentare ædificium, vt claret, vel geſſit vices Chriſti, qui eſt fundamentum, ſupra quod fundata fuit Eccleſia, vt magis placet *Aduerſario*: quapropter dictus eſt *petra* à Chriſto, qui eſt *petra*, quia nimirum vices Chriſti debuit obire: ideoque dicitur *Chriſti Vicarius à gerendo vices Chriſti*: quis autem neget Chriſti munus eſſe ſubſtentare Eccleſiam, cùm ſint fundamentum illius? Ita quis neget *Petrum* Eccleſiam ſuſtentare, cùm gerat Chriſti vices, niſi cum *Marco Antonio de Dominis* aſſerat *Petrum* non eſſe Chriſti Vicarium; *gerere* namque *vices* alicuius conſtat idem eſſe, ac *munus* illius *obire*; ergo *Petrus* non habuit poteſtatem inſtrumentalem,& principalem Eccleſia.

5 Sequitur: *Tibi dabo claues* &c: *& Quodcunque ligaueris &c.* Arguitur autem. Merus promulgator, & executor decretorum poteſtatis principalis non habet poteſtatem ſoluendi, ligandiue, quẽ poteſtas principalis ligauit, vel ſoluit; ſeu aperiendi, aut claudendi Cœlum his, quibus poteſtas principalis illud aperuit, vel clauſit, non enim executor Regis habet poteſtatem aperiendi carcerem ei, quem clauſit Rex, vel claudendi, quem Rex aperuit; ſecus non eſſet executor, quia non impleret eius decreta, ſed ſolueret: ſed *Petrus* habuit poteſtatem ſoluendi leges latas in Eccleſia, vel *in Conciliis*, vel uſu receptas,& ligandi nouis legibus Eccleſiã, vox enim Chriſti Domini eſt. *Quodcũque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*: ſi nanque non poſſet ligare, vel ſoluere leges *Conciliorum*, vel uſus, iam non poſſet ligare, vel ſoluere: *Quodcunque ſuper terram*, cùm iſtæ leges in terris latæ ſint ab hominibus, in tantùm ſiquidẽ nequit *Petrus* ſoluere leges ad doctrinam fidei pertinentes, in quantùm latæ ſunt in Cœlis à Deo, adeoque ſunt de iure Diuino, non humano; quapropter ad oſtendendum collatam fuiſſe *Petro* tantummodò poteſtatem ſoluendi ius humanum, non Diuinum, inquit Chriſtus: *Quodcunque ſolueris ſuper terram &c.*, nimirum quemcunque ſolueris à lege lata ab hominibus in terra exiſtentibus: non autem ait: *Quodcunque ſolueris ſuper Cælum*, erit ſolutum & in terra, quia neminem poteſt ſoluere, quem lege ligauit Deus in Cœlis; ergo *Petrus* non fuit merus promulgator, & ſimplex executor Eccleſiæ.

6 Prob. 3. ex illo *Io. Tu es Cephas*, quod interpretatur *Caput*, aliiſque omnibus *Diuinarum Scripturarum textibus*, quibus *in ſup. art.* oſtenſum eſt *Petro* collatum fuiſſe Eccleſiæ primatum, qui poſſunt videri, cùm parum diſtent. Nomine primatus intelligitur viſibilis poteſtas ſuprema, cui ſubiicitur omnis alia poteſtas, primum enim definitur, *quod eſt ſuper omnia, & ſupra quod nihil eſt*; hinc *Adam* fuit primus homo, quia omnes homines ſunt infra ipſum, & ſupra ipſum nemo eſt, ſecus ſi ſupra primum eſſet aliud, illud aliud eſſet primum, & primum ſecundum; ſed de fide eſt *Petro* collatũ fuiſſe Eccleſiæ primatum; quod ſolus hæreticus, qui fidem non habet, poteſt negare; hoc nanque credit Eccleſia, ideoque ſolus Eccleſiæ diſcredens poteſt non credere; ergo de fide eſt *Petrum* habere poteſtatem ſupremam in Eccleſia. Ergo de fide eſt Eccleſiam non habere poteſtatem ſupra *Petrũ*, quia ſupra primam, ſupremamque poteſtatem nulla datur poteſtas, ſecus prima, & ſuprema non eſſet. Ex hoc euincitur *Richerium* reapſe negare *Petro* primatum, meritòque proſcriptum fuiſſe, & expulſum *ab Vniuerſitate Pariſienſi*, deinde *Romæ* damnatam eius ſententiam, vt *infra* videbimus, vtpotè *Magdeburgenſibus concordem*.

7 Conf. Cauſa miniſterialis, ſeu inſtrumentalis agit in virtute cauſæ principalis, qua inferior eſt; ſed poteſtas *Petri* non agit in virtute poteſtatis Eccleſiæ; *Petrus* enim non accepit poteſtatem ab Eccleſia, ſed à Chriſto, vt docent *Scriptura*; cauſa autem inſtrumentalis vim agendi à cauſa principali recipit, vt notum eſt; ergo poteſtas *Petri* non eſt miniſterialis, ſeu inſtrumentalis reſpectu Eccleſiæ.

8 Explicatur, & prob. magis. Quamuis *Petri* poteſtas rectè dicatur miniſterialis reſpectu Chriſti Domini æterni Pontificis, quia Chriſti Vicarius, & miniſter eſt; à Chriſto recipit poteſtatem, imò

agit

agit per poteſtatem Chriſti; attamen falsò dicitur eſſe miniſterialem, & inſtrumentalem reſpectu poteſtatis Eccleſiæ, quod ſic monſtratur. Nulli putæ creaturæ ſiue ſingillatim, ſiue collectiuè ſumptæ ex natura ſua poteſt competere poteſtas ſimpliciter principalis regendi Eccleſiam; illi enim competit principaliter ex natua ſua, cui competit iudicare, & non iudicari, nam cui competit iudicari, ſupponit ſupra ſe poteſtatem, à qua habet iudicari, quia nemo niſi a Superiore iudicatur, & poteſtas, quæ ſupponit aliam poteſtatem, non eſt principalis, quia nō eſt prima; nulli autem creaturæ ſiue ſingillatim, ſiue collectiuè ſumptæ poteſt competere iudicare, & non iudicari, quoniam nulli creaturæ poteſt competere iuſtitia ſine iniuſtitia, iuſtitia nanque eſt ratio formalis actiuè iudicandi, & iniuſtitia eſt ratio, ob quam paſſiuè poteſt iudicari; at nulla creatura ſiue ſingillatim, ſiue collectiuè ſumpta eſt ſine iniuſtitia, quia nulla eſt ſine peccato, quod eſt iniuſtitia, per quam ſubditur iudicio Dei; adeoque *B.P. Aug. in pſ.70.* docet ſoli Chriſto Domino competere poteſtatem principaliter, quia ſolus ſine peccato inuentus eſt, aſſerens: *Tu ſolus iuſtè iudicas iudicatus iniuſtè*; ac propterea ſolus habet poteſtatem iuriſdictionis ſimpliciter in Eccleſia, quã *acquiſiuit ſanguine ſuo*; ſed Eccleſia viſibilis, prout *hic* ſumitur, dicit congregationem purarum creaturarum viſibiliter conuocatarum: ergo Eccleſiæ ex natura ſua nequit cõuenire poteſtas principalis, & conſequenter *Petro* nequit conuenire poteſtas miniſterialis reſpectu Eccleſiæ.

9 Dices. Ex hoc ſequeretur neque Regibus conuenire poſſe poteſtatem principalem regendi Regnum; creaturæ enim ſunt, ac peccatis obnoxiæ; & tamen rectè dicitur, quòd Prorex habeat poteſtatem miniſterialem reſpectu Regis.

Reſp., quòd nec etiam Regibus reſpectu Dei conſideratis, qui *eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium*, competit poteſtas principalis; nam *Rom.* 13. habetur: *Miniſtri Dei ſunt*; adeoque dicuntur Reges locum Dei tenere, eius vices obire. Sicut autem Rex, licèt Dei miniſter, attamen habet ſub ſe Regnum, quia à nullo ſui Regni poteſt iudicari; ita *Petrus*, vtpotè Chriſti Vicarius, eminet Eccleſiæ, aliiſque miniſtris, quia ab Eccleſia nequit iudicari, vt videbimus *in ſeq art.*, & quemadmodum in Regno non eſt poteſtas principalis reſpectu Regis, quia Regnum non eſt Dei miniſtrum; ſicut Dei miniſtra dicitur Reſpublica, ita in Eccleſia non eſt poteſtas principalis, ſed in *Petro*, quia Eccleſia non eſt Dei Vicaria, cùm Dei Vicarium ſuper Eccleſiam conſtitutum fuiſſe *Petrum* doceat fides.

10 Declaratur magis. Si Eccleſiæ competeret poteſtas principalis, vel ex iure naturæ, vel ex iure poſitiuo? (vtrunque videtur aſſeri *à Richerio*) Non primum; quia illi ex natura ſua competit poteſtas, cui ex natura ſua competit iuſtitia, quæ eſt ratio formalis poteſtatis iudicantis; creaturæ autem non competit eſſentialiter iuſtitia, quia iniuſta eſſe non poſſet, ideo nec poteſtas ei conuenit ex iure naturæ. Nec ſecundum: quia in *Scripturis Diuinis* non legitur poteſtatem principalem traditam eſſe Eccleſiæ, ſed *Petro*; ergo ſecundùm vtrunque ius poteſtas principalis competit *Petro*, non Eccleſiæ.

11 Prob.9. *Concilia* aſſerunt primatum conſiſtere in poteſtate iudiciaria decernendi cauſas fidei, & morum; vt *Epheſinum c.16. vt in ſup. art., & Sardicenſe c.3. & 4. edit.1.* vel 4. *& 5. edit.2.*, quod fuiſſe generale teſtatur *Sulpitius lib. 2. hiſt. & Socrat. lib.2. c.16.*, necnon conſiſtere in poteſtate confirmandi, & reſcindendi *Conciliorum* decreta, vt uidebimus *in ſeq. art.*, ergo non conſiſtit in mera promulgatione.

12 Prob.10. *ex SS.PP. Cypr ep.3. ad Cornel.* ait: *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut natæ ſunt ſciſmata, quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur, cui ſi ſecundùm magiſteria Diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa &c. Optatus Afer lib.2. cont. Parmenian. Igitur Ieſu Chriſto ad Patrem, & ad cæleſtem Eccleſiam ex terrena reuerſuro neceſſe omnino fuit aliquem Eccleſiæ ab ſe in terris conſtitutæ Præſidem relinquere, qui eius Vicariam poteſtatem, ad quem tanquam Iudicem, & Paſtorem omnes Chriſti ouiculæ in terrena Eccleſia commorantes confluerent. Orig. tract.1. in Matth. c.16. Vide, quantam poteſtatem habet petra, ſuper quam ædificatur Eccleſia, vt etiã iudicia eius maneant firma, quaſi Deo iudicante per illam. Ambr. lib. com. 10 in c.22. Luc. Tollit ergo Petrus aurem, quare Petrus? Quia ipſe eſt, qui accepit claues Regni Cælorum, ille enim condemnat, qui & abſoluit. Aug. ſerm.29. de ſanctis: Interpres legis, aſſertor gratiæ, deſtructor Sinagogæ, Eccleſiæ reparator. Hil. in pſ.131. Cæleſtis Regni ianitorem, & in terreno iudicio Iudicem Cæli. Epiphan. lib. Anchorati. Qui accepit clauem* Cælorum, *& ſoluit in terra, & ligat in Cælo; in hoc enim omnes quæſtiones, & ſubtilitates fidei inueniuntur*. Idem habent *D. Tho. in 4 diſt.24. q.3 art.2. ad 3. & Fund. D. Aegid. in c. Firmiter de ſumma Trin., & omnes Theologi communiter.* Ex quibus ſic arguitur. Munus proprium Iudicis eſt ferre ſententiam ſuper quæſtiones ſibi delatas pertinentes ad legem, & abſoluere, ac damnare reos in iudicium deductos, ut conſtat cuicunque, qui nolit pertinaciter negare proprias ſignificationes uerborum, ut ſuum defendat errorem; ſed Papa eſt ſupremus Iudex in Eccleſia Dei, ad quem habent confluere omnes fideles, cuius iudicia manent firma, qui abſoluit, & condemnat, interpretatur legem, ſoluit omnes quæſtiones legis, & ligat in Cœlo conformiter ad ſuam ſententiam latam in terris; ergo primatus conſiſtit in poteſtate iudiciaria omnium cauſarum fidei, & morum.

13 Conf. *ex Aug. qq. ex nouo Teſtam. q.75. Sicut in Saluatore erant omnes cauſæ magiſterii, ita & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur, ipſũ enim conſtituit eſſe Caput eorum, vt eſſet Paſtor Dominici gregis*. Ex quo ſic. Primatus in Chriſto Domino fuit plena, & ſuprema poteſtas iudiciaria cauſarum fidei, & morum, non autem fuit poteſtas

mi-

Digitized by Google

miniſterialis reſpectu Eccleſiæ, aliter Chriſtus ſubderetur Eccleſiæ, quod nonniſi blaſphœmè dici poſſet; ſed *in Petro* fuit primatus, ſicut fuit in Chriſto, imò primatus *Petri* eſt eadem poteſtas Chriſti, ſicut poteſtas Vicarii eſt eadem, ac poteſtas Epiſcopi, & poteſtas Proregis eſt eadem, ac Regis; ergo primatus *Petri* formaliter conſiſtit in plena, & ſuprema poteſtate cauſarum fidei, & morum, non autem in ſimplici facultate promulgatiua, & coactiua decretorum.

14 Tandem *Aug.lib.de Agone Chriſt.c.*30. *Non ſine cauſa inter omnes Apoſtolos catholicæ Eccleſiæ perſonam ſuſtinet Petrus, huic enim Eccleſiæ claues Regni Cælorum data ſunt, cùm Petro data ſunt*; & *Tertull.lib.Scorpiaco aduerſus Gnoſticos*: *Memento claues eius hic Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe*. Ex quibus ſic. Si poteſtas ſuprema eſſet principaliter in Eccleſia, & miniſterialiter *in Petro*, ſequeretur, quod eſſet in Petro per Eccleſiam, non è contra, ſicut in Vicario eſt per epiſcopum, non è contra; ſed conſ. eſt cont. *textus allatos*; ergo & ant.

15 Prob.2.pars concl. quòd ſcilicet Papa habeat poteſtatem nedum ſuper omnes Eccleſias particulares diuiſiuè, ſed etiam ſuper totam Eccleſiam uniuerſalem collectiuè, idèſt congregatam in unum. 1. *Concil.Chalced.vbiſ.* aſſerit Papam eſſe, *Caput vniuerſalis Eccleſiæ*. VI.*Syn.*docet, quòd *auctoritatem Petri, vtpotè omnium Apoſtolorum Principis, ſemper omnis Chriſti Eccleſia, & vniuerſales Synodi*(quæ ſunt Eccleſia in vnum coacta) *amplectentes &c. Syn. Rom. ſub Symacho fatetur Papam tribuere firmitatem*,(ſeu confirmare)*ſtatutis Synodalibus*. Ex quo infertur habere poteſtatem ſuper Eccleſiam vniuerſalem congregatam in vnum; confirmans enim ſuperior eſt confirmato. *Conc. Lugd.ſub Greg.* ſtatuit Romanum Pontificem *eſſe Vicarium Ieſu Chriſti, ſucceſſorem Petri, Rectorem Eccleſiæ vniuerſalis.Flor.* habet Pontifici Romano *in B.Petro paſcendi, & gubernandi Eccleſiam vniuerſalem à Domino N. Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, ſicut in geſtis œcumenicorum continetur.* Quibus hoc *Conc.* quod procul dubio fuit generale, definit nedum Papam eſſe ſuper Eccleſiam vniuerſalem, ſed etiam hoc ſtatutum fuiſſe *à Conciliis generalibus*. Idem docent *SS.PP.* ſuperiùs laudant; ergo hæc ſententia, quæ Eccleſiæ poteſtatem propugnat, ab ipſa Eccleſia impugnatur rectè ſentiente hanc poteſtatem eſſe in ſolo Summo Pontifice vero Ieſu Chriſti Vicario, ſuoſque maleſuados laudatores redarguente, ac eorum cõmentitia vaniloquia reſpuente; ſiquidem Eccleſia collectiuè ſumpta *hic* accipienda eſt pro ſolis *Conciliis, SS.PP., & DD.*, compertum enim eſt hanc poteſtatem non eſſe in ſæcularibus idiotis; quia in illis non eſt *clauis ſcientiæ*; tum quia impoſſibile eſt omnes Chriſti fideles per totum Orbem diſperſos in vnum congregari: vel ſaltem cùm certum ſit nunquam vſque ad hæc tempora fuiſſe cõgregatos, ſequeretur hanc poteſtatem nunquam vſque nunc fuiſſe in actuali exercitio; & ſic nihil eſſet obſeruandum de fide, nil promulgandum à Papa &c., quæ deſtruunt ipſam Eccleſiam, dum illius auctoritatem ædificare moliuntur. 2. Poteſtas Chriſti eſt ſuper omnem Eccleſiam diuiſiuè, & collectiuè, ſed Papæ poteſtas eſt poteſtas Chriſti à Chriſto accepta, quia eſt Chriſti Vicarius; Vicarii autem poteſtas eſt poteſtas epiſcopi ab illo recepta: ergo Papæ poteſtas eſt ſuper omnes Eccleſias diuiſiuè, & collectiuè. 3. Si Papæ poteſtas non eſſet ſuper totam Eccleſiam collectiuè, non eſſet poteſtas plenaria; ſed conſ. eſt falſum ex dictis: ergo & ant. 4. Quod eſt ſupra omnes partes alicuius totius etiam diuiſiuè acceptas, eſt ſupra illud totũ etiam collectiuè ſumptum: vt Angelus, quia eſt ſupra hominem, & ſupra bruta animalia, quæ ſunt partes diuidentes animal, *vt ſic*; eſt etiam ſupra ipſum animal, quod eſt totum collectiuè continens hominem, & bruta; ſic Dux, qui eſt ſuper omnes milites diuiſiuè, eſt etiam ſupra totum exercitum collectiuè: & Rex, qui eſt ſupra quemlibet ſibi ſubditum diuiſiuè, eſt ſupra totum Regnum collectiuè: & Caput, quod eſt ſupra ſingula membra diuiſiuè conſiderata, eſt ſupra omnia illa etiam collectiuè ſumpta: *à ſingularibus enim diuiſis ſufficienter ennumeratis valere ad vniuerſale* eſt conſtans regula *apud Logicos*: ſed Papa eſt ſupra omnes Eccleſias particulares diuiſiuè ſumptas, vt concedunt *Aduerſarii*: ergo & ſupra illas in vnum collectas. Tum quia in tantùm Papa eſſet ſuper omnes Eccleſias particulares, non ſuper vniuerſalem: inquantùm eſſet purus Miniſter Eccleſiæ vniuerſalis; ideo enim Dux electus ab aliqua Republica eſt ſupra quamlibet perſonam priuatam diuiſiuè, non tamen ſupra omnes collectiuè: quia eſt purus miniſter non habens ſupremam poteſtatem, quæ reſidet in Republica: ſed Papa non eſt purus miniſter Eccleſiæ, nec in Eccleſia reſidet ſuprema poteſtas: vt *ſuperiùs* probatum eſt: ergo Papa eſt ſuper omnes Eccleſias diuiſiuè, & collectiuè. *Sed de hoc in ſeq. art.*, vbi ſoluemus obiectiones contrarias. 5. Si Papa non haberet poteſtatem ſuper totam Eccleſiam congregatam in vnum, vel in Papa non eſſet primatus, ſeu ſuprema poteſtas: vel hæc poteſtas eſſet in duplici ſubiecto; primum eſt contra fidem, vt diximus: & ſecundum reddit monſtruoſam Eccleſiam: ei nanque duplex Caput conſtituit: ergo Papa habet poteſtatem ſupremam ſuper totam Eccleſiam etiam congregatam in vnum. Tãdem hæc ſententia, quam impugnamus, aſſeritur *à Lutheranis apud Echium inter primas obiectiones* 17., & 18.

16 Obijc. 1. Claues à Chriſto fuerunt collatæ *Petro* nomine Eccleſiæ, quatenus Eccleſiæ gerebat figuram, vt docet *Aug.ſerm.*108.*de diuerſ.* & *Cypr.* relati 24.*q.*1.*c.quodcunque,c.loquitur,* & *c.alienus*; & prob. *Matt.*18 *Dic Eccleſiæ*: & *Quæcunque alligaueritis ſuper terrã &c.* quæ verba dicta ſunt Eccleſiæ; vetat autem *Trid.* explicari *Scripturas* contra ſenſum *SS.*, & ratio eſt. *Petrus* frater noſter erat circundatus infirmitate, & peccatis obnoxius, ideo fuit correctus *à Paulo*, ideo nobiſcum dicere debet: *Dimitte nobis debita noſtra*; ergo poteſtas iuriſdictionis primariò cõuenit Eccleſiæ, *Petro* autem ſo-

ſùm

ſum miniſterialiter tanquam miniſtro. Tum quia Deus, & natura immediatiùs ſe habent ad aliquod ſuppoſitum, quàm ad partem etiam nobiliſſimam illius ſuppoſiti, vt facultas videndi primariò data eſt toti homini, vt per oculum, tanquam per organum, & miniſtrũ exerceatur, at *Petrus* fuit pars Eccleſiæ, quæ poteſt reſcindi, & repudiari: ergo poteſtas iuriſdictionis primariò data eſt Eccleſiæ, & miniſterialiter *Petro*. 2. *Act.* 8. *Miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem; & Io.* 17. *Sicut me miſit in mundũ; ita & ego eos miſi in mundum &c; vt & ipſi in nobis vnum ſint*; ex quibus verbis deducitur poteſtatem clauium datam eſſe, non vni, & ſoli *Petro*, ſed vnitati Eccleſiæ, quæ conflatur ex pluribus; *& Act.* 20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit epiſcopos regere Eccleſiam Dei: & in præfat. Apoſtolorum: Quos operis tui Vicarios eidem contuliſti praeſſe paſtores*: ergo poteſtas regendi Eccleſiam data eſt omnibus.

Reſp. ad 1. fuiſſe argum. *Lutheri*, vt videre eſt *apud Echium in Enchir. c.* 3. *à Centuriatoribus* reaſſumptum, vt habet *Panuinius p.* 1. *c.* 5. Dicitur ergo claues fuiſſe datas Eccleſiæ *per Petrum*, vt ſe ipſum exponit *Beatiſſ. P. de Agone c.* 30., quia *Petrus* eſt in Eccleſia, tanquam Caput, modo, quo explicatum eſt *iuxta SS DD.*, non autem modo, quo interpretatum fuit perperam ab Hæreticis. Sic *Petrus* geſſit figuram Eccleſiæ, ſicut Rex gerit perſonam Regni; *ideo* enim (inquit B *P. q.* 75. *vbi ſ.* ſe ipſum explicans) *corripitur, vel laudatur Præpoſitus pro populo, quia gerit figuram, & perſonam populi*: non autem ex hoc deducitur poteſtatem eſſe in populo, non in Præpoſito, ſed potiùs è contra, vt manifeſtum eſt. Ex quo apparet diſtorqueri *ab Aduerſariis Scripturas, & SS. DD.* doctrinas. Ad *Trid.* dicitur non vetare plures explicationes *eiuſdem Scripturæ*, quia *eadem Scriptura* habet plures ſenſus, & ideo plures explicationes. Non eſt autem contra, ſed iuxta *SS. DD.* afferre plures explicationes eorum. Ad *textum Matth.* dicitur poteſtatem collatam fuiſſe Apoſtolis, & Diſcipulis in partem ſollicitudinis, *Petro* autem in plenitudinem poteſtatis. Ad 1. rationem dicitur duplicẽ operationem diſtinguendam eſse *in Petro*; vnam, quæ erat ab ipſo, vt à perſona priuata, alteram, quæ erat ab ipſo, vt Caput, & Iudex Eccleſiæ; vnde alia eſt operatio perſonæ, altera Sedis; patet enim, quòd manducare, ambulare &c. non erant ab ipſo, vt erat Caput Eccleſiæ, ſed vt perſona particularis; & hoc modo frater noſter fuit circundatus infirmitate, quia potuit deficere in illis actionibus, quæ ad propriam ſpectabant perſonam, quòd & ideo pro iſtis debet nobiſcum dicere: *Dimitte nobis &c.* At verò in actionibus, quæ ſpectant ad Sedem, & gubernium Eccleſiæ, nec grauiter, nec leuiter potuit deficere; quapropter Chriſtus Dominus ſpecialiter rogauit *pro Petro*, vt non deficeret eius fides; vt ſcilicet in ijs, quæ ſpectant ad fidem, & fidelium gubernium, peccare non poſset; non autem dicitur oraſse, vt non deficeret eius charitas, ſpes, vel alia virtus ſpectans ad priuatam illius perſonam. Reprehenditur ergo *à Paulo*, non quia aliquod dogma contra fidem protulerit; ſed quia permittendo circunciſionem diſſimulabat definire legem *Moyſis* non eſſe imponendam fidelibus; diſſimulare autem erat propriũ ipſius, vt perſona priuata erat; ſicut ei conueniebat, vt Caput erat, definire, vt poſtea definiuit. Ad aliã dicitur, quòd ſicut facultas videndi data eſt homini per oculum, in quo tantummodo reſidet; ita plenitudo poteſtatis data eſt Eccleſię *per Petrum*, in quo ſolùm exiſtit; & ſicuti non corpus, ſed anima propriè dicitur videre per oculum, tanquam per organum; ita non Eccleſia, quæ eſt corpus myſticum, ſed ſpiritus Chriſti, qui eſt anima viuificans hoc corpus, dicitur iudicare *per Petrum*, tanquam per organum, & miniſtrum. Fuit autem *Petrus* pars Eccleſiæ, inquit *Echius vbi ſ. ad* 6., quæ eſt Caput, non quæ eſt ſub Capite. Vel fuit pars, quatenus perſona priuata, non vt publica. Ad 2. reſp. *Echius* ad 1. ex 2. obiectionibus hoc fuiſſe argumentum *Arianorum*, qui colligebant Filium eſſe Patre minorem, quia fuit miſſus à Patre. Miſſio ergo alia eſt ex conſilio, quomodò miſſus fuit *Petrus*; alia ex poteſtate, & auctoritate, quomodò miſſi fuerunt Diſcipuli à Chriſto; ex quo apparet inter has duas miſſiones diſcrimen. Ad aliud iam dictum eſt epiſcopos, & Apoſtolos poſitos fuiſſe in partem ſollicitudinis ad regendam Eccleſiam Dei; *Petrum* autem in plenitudinem poteſtatis.

17 Inſtant *Richer. n.* 4; *& Natalis* §. 3. Solus Chriſtus eſt Dominus Eccleſiæ, & Paſtor ouium, non *Petrus*, quia illi dictum non eſt: *Paſce oues tuas*, ſed *meas*; ergo *Petrus* eſt ſolùm miniſter. 2. Si Papa eſſet Caput Eccleſiæ, Eccleſia eſſet biceps, & ideo monſtruoſa; haberet enim duo capita, nempe Chriſtum, & Papam.

Reſp. hoc arg. eſſe *Centuriatorum apud Panuinium p.* 2. *c.* 3 *arg.* 3. Dicitur ergo *Petrum* eſſe miniſtrum reſpectu Chriſti, cuius eſt Vicarius, quia ab illo poteſtatem accepit, non autem eſſe miniſtrum reſpectu Eccleſiæ, cùm poteſtatem ab illa non deriuauerit. Ad 2; quod eſt arg. *M. Antonij de Dominis in Manuali c.* 4. dicitur vnum tantùm eſſe caput viſibile, quod eſt Papa, Chriſtus autem eſſe Caput inuiſibile. Præterea Vicarius, & epiſcopus, ſicut Rex, & Prorex non ſunt duo capita, vnus enim ſtat loco alterius, & alterum repræſentat.

ART. III.

An Papa ſit ſuper Concilium?

1 QVæſtio eſt de Papa legitimo, & vero, nõ de ſchiſmatico, & dubio, ſchiſmaticus enim non eſt Papa, & dubius non eſt verus, quia vertias certitudine afficitur, dubietas autem incertitudine. Item ſermo eſt *de Concilio generali*, nullus enim vſquenunc *de prouinciali* dubitare auſus eſt. *Concilium* autem *generale* poteſt conſiderari, vel prout Papam includit, & in hoc ſenſu non loquimur, eſſet enim quærere, an Papa ſit ſupra ſeipſum: ſicut ſi quis inquireret, an caput ſit ſupra corpus, prout corpus complectitur etiam caput, quæreret, an caput nedum ſit ſupra alias partes à

ca-

capite, ſed etiam ſupra ſeipſum. Vel poteſt conſiderari *Concilium*, vt eſt corpus myſticum plurium membrorum diſtinctum à capite: & in hoc ſenſu procedit quæſtio, an Papa nedum ſit ſupra omnes fideles. qui Eccleſiæ ſunt membra ſingillatim ſũpta extra *Concilium*, ſed etiam collectiuè ſumpta, & repræſentatas *per generale Concilium*.

2 Fraudulens *Lutheranorum* inuentum fuit recurrere *ad Concilium* plenariſſimum conſtans nedum ex Eccleſię Prælatis poteſtatem iuriſdictionis habentibus in Eccleſia, ac propterea ſuffragium *in Concilys* ferentibus, ſed etiam ex laicis quibuſcunque Rethorica, Grãmatica, Hiſtorica, aut quauis alia ſcientia pollentibus in Spiritu S. legitimè congregatis: propter quod *Cõcilium Tridentinum*, quoniam ab eo damnati fuere, nec verum, nec legitimum, nec vniuerſale dixerunt. Sed quorſum hoc, niſi ad quærendas latebras ſuæ perfidiæ vndique excuſſæ? Cùm enim clarè noſcant congregatu impoſſibile eſſe *Concilium* huiuſmodi, ideo ſic ſuæ cenſent pertinaciæ conſulere.

3 *Rucherius* verò *cum alys in ſup. art.* recenſitis, qui, vt diximus, volunt poteſtatem iuriſdictionis primariò, & principaliter competere Eccleſiæ, & Papæ tantùm inſtrumentaliter, tanquam miniſtro executori *Conciliorum generalium* à Chriſto Domino deputato, dicunt conſequenter *Concilium generale* eſſe ſupra Papam, ac propterea à Papa *ad Conciliũ* poſſe appellari, ac Papam poſſe *à Concilio* iudicari &c. Illis nouiter acceſſit *Clerus Gallicanus* propoſit. 2.

4 Communis tamen, & vera ſententia fatetur Papam eſſe ſupra *Concilium*, adeoque non poſſe à Papa *ad Concilium* appellari, ſed è contra. *Ita Fund.D.lib.de poteſt.Pontifi.p.1.c.1. & p.3.c.1., & in c.firmiter*; vbi ait Papam eſſe ſupremum Iudicẽ Eccleſiæ in cauſis fidei; *& cont.Exempt.*, vbi probat Papam à nullo poſſe iudicari, quia ſuperior eſt omnibus; & ideo ab ipſo non poſſe appellari. Idem docent *omnes noſtri, & exteri communiſſimè.*

5 Vnica concl. Papa eſt ſupra *Concilium*, tanquam ſupremus Iudex omnium controuerſiarum, quæ in Eccleſia excitãtur; adeoque non poteſt iudicari *à Concilio*, nec ab ipſo appellari *ad Concilium*, ſed è contra.

Prob.1. *ex Deut.*17; vbi dicitur, quòd in cauſis difficilibus recurrendum erat *ad Concilium* Sacerdotum, quod *Sanedrim* vocabant, in quo erant 70. Iudices *ex Leuitico genere*, & vnus ſummus Sacerdos, qui omnibus præſidebat, & iudicia, ac imperia proferebat; ergo Papa, qui eſt ſummus Sacerdos in lege noua, præeſt *omnibus Concilys*, & imperat: ei nãque collata eſt maior poteſtas, quàm ſummo Sacerdoti veteris legis, cùm illi traditæ fuerint claues Regni cœlorũ ita, vt nullus ingredi queat locum ſalutis, niſi ab illo aperiatur, & a nullo, niſi ab illo excludi. Tanta autem plenitudo poteſtatis ſummo Sacerdoti veteris legis non fuit cõceſſa, quia multi gentiles ſaluati ſunt, qui tamen illius poteſtati non ſubdebantur, vt diximus *art.1.*

6 Prob.2. *ex Scripturis*, & rationibus allatis *art.1; & 2.* ſic. Primatus Eccleſiæ eſt ſupra poteſtatem cuiuſcunque *Concilij*; ſed poteſtas Papæ eſt primatus Eccleſiæ; ergo eſt ſupra poteſtatem cuiuſcunque *Concilij*. Mi. eſt de fide definita contra *Lutheranos*, vt diximus *art.1.* Prob.ma. Illud, quod eſt ſupra omnem poteſtatem exiſtentem in Eccleſia, eſt ſupra poteſtatem cuiuſcunque *Concily*; ſed primatus Eccleſiæ eſt huiuſmodi; ergo eſt ſupra poteſtatem cuiuſcunque *Concilii*. Hęc etiam mi. probata eſt *art.2.*, nomine ſiquidem primatus ſignificatur ſuprema poteſtas iudiciaria cauſarum fidei, & morum communicata Eccleſiæ à Chriſto Domino ſupra omnem poteſtatem exiſtentem in Eccleſia, aliter non eſſet poteſtas ſuprema, quia ſupremum eſt ſuper omnia, & omnia infra illud. Prob.ma. Poteſtas cuiuſcunque *Concilii* eſt poteſtas exiſtens in Eccleſia, vt conſtat, ergo illud quod eſt ſupra omnem poteſtatem exiſtentem in Eccleſia, eſt ſupra poteſtatem cuiuſcunque *Concilii*.

7 Conf. Poteſtas, quæ eſt in Eccleſia, & non eſt primatus, eſt infra poteſtatem exiſtentem in Eccleſia, quæ eſt primatus: quod enim eſt in aliquo genere, & non eſt primum illius generis, neceſſariò eſt infra primum, vt poteſtas, quæ eſt in Regno, & non eſt Regia, neceſſariò eſt infra poteſtatem, & ſub poteſtate Regis; ſed poteſtas *Concilii* eſt in Eccleſia, & non eſt primatus; nam docet fides primatum eſſe in Papa; & ratio conuincit non eſſe *in Concilio*, implicat enim dari duo hæc prima in eodem ordine, illa nanque ita ſe haberẽt, vt vnum non dependeret ab alio, ſecus non eſſet primum, quia quod dependet, ſupponit id, à quo dependet, cùm ſit illo poſterius origine; & primũ nihil ſupponit ſupra ſe, vt eſt manifeſtum. Si autem vnum non dependeret ab alio, non diceret ordinem ad illud; & ideo non haberet rationem primi, aut ſecundi reſpectu illius, quia primum dicit ordinem ad ſecundum, & ſecundum ad primum, vt liquet; & ſic nec Papa ſubiiceretur *Concilio*, nec *Concilium* Papæ, ſed omnino diſparatè ſe haberent, quia reſpicerent res diſparatas, quod eſt euidenter falſum, reſpiciunt enim cauſas fidei, & morum. Neque dici poteſt primatum æquè eſſe in Papa, & *in Concilio*, quia in neutro eſſet primatus, nam in neutro eſſet ſupra omnem poteſtatem exiſtentem in Eccleſia, poteſtas enim Papæ non eſſet ſupra poteſtatem *Concilii*, aut è contra; de ratione autem primatus eſt eſſe ſupra omnem poteſtatem exiſtentẽ in Eccleſia, vt diximus. Vel ſi eſſet æquè in duobus, vt eſt poteſtas Reipublicæ, quæ æqualiter eſt in pluribus, vnum illorum non ſubderetur alteri; & ſic *Concilium* non eſſet ſupra Papam, vt aiunt *Aduerſarii*: poteſtas ſiquidem, quæ eſt in vno Reipublicæ membro, non eſt ſupra poteſtatẽ alterius membri eiuſdem Reipublicæ, ſed eſt in illis, tanquam in pluribus membris partialibus æqualiter participantibus, & ſimultaneè integrantibus vnam, & eandem poteſtatem totalem, & ſic in neutro haberet rationem primatus, quia neuter alteri ſubiiceretur; ergo poteſtas *Concilii*, quæ eſt in Eccleſia, eſt Papæ poteſtati ſubiecta.

8 Vlteriùs. In tantùm in Regimine ariſtocratico poteſtas eſt principaliter in optimatibus, & in de-

democratico principaliter in populo, miniſterialiter verò in miniſtro eiuſdem Regiminis; in quantùm ille miniſter poteſtatem accipit ab optimatibus, vel à populo, quia de ratione inſtrumenti eſt agere in virtute principalis agentis ab illo recepta: ſecus ſi miniſter poteſtatem non haberet à Republica, omnino independens eſſet, & poſſet agere independenter ab illa; nec in Republica eſſet plena poteſtas ſuper omnes, quia non poſſet auferre poteſtatem à ſuo miniſtro, ſicut non poſſet illam ei conferre; ſed Papa non recipit poteſtatem à *Concilio*, *ex Scripturis* enim conſtat illam recepiſſe à Chriſto Domino, qui aſſeruit: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues Regni Cœlorum*. Non autem dixit: *Eccleſia tibi dabit claues Regni Cœlorum*; ergo poteſtas non eſt principaliter *in Concilio*, & miniſterialiter in Papa; & per conſequens *Concilium* non eſt ſupra Papam, ſed è contra. *Vid.* alias rationes allatas *in ſup. art.*

9 Nec dici poteſt; quòd Papa receperit poteſtatem à Chriſto hac conditione, vt ſubiaceret *Concilio*; nam ſequeretur Chriſtum tradidiſſe Papam paſcendum, idèſt regendum *à Concilio*, ſeu ab Eccleſia, quam repræſentat *Concilium*: non autem tradidiſſe Eccleſiam, & per conſequens *Concilium* paſcendum, ſeu regendum à Papa: nam ille traditur regendus ab alio, qui ſubiicitur dominio, & poteſtati alterius: ſed conſ. eſt *contra Scripturas*: *Petro* nanque dictum fuit: *Paſce oues meas*: quæ Chriſti Eccleſiam componunt: ergo & id, ex quo ſequitur, eſt *contra Scripturas*.

10 Demum Papa eſt ſupra totam Eccleſiam, vt diximus *art.* 1., Paſtor enim eſt ſupra totum ouile, & caput ſuper totum corpus: ergo à fortiori eſt ſupra *Concilium*, nam *Concilium* non habet, niſi poteſtatem Eccleſiæ, quam repræſentat, ſicut Prorex non habet, niſi poteſtatem Regis, cuius perſonam repræſentat, & quemadmodum habens poteſtatē ſupra Regem habet quoque poteſtatem ſupra Proregem: ita habens poteſtatem ſupra totam Eccleſiam illam pariter habet ſupra *Concilium*. *Vid.* alios *textus*, & rationes *ibid.*

11 Prob. 3. *ex Fund. Doct. p.* 1. *vbiſ.* Papa habet poteſtatem iudicandi *Concilia*, & nequit iudicari à *Conciliis*: ergo eſt ſupra *Concilia*: nam poteſtas iudicandi ſuperioritatem importat, vt conſtat. Prob. ant. 1. *ex* 1. *Cor.* 2. *Spiritualis autem iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur*; ſed Papa ratione ſtatus, & dignitatis eſt ſpiritualiſſimus omnium: quia eſt in ſublimiſſimo ſtatu, & perfectiſſima dignitate, quæ ſit in Eccleſia, quo autem aliquo ſublimior, & perfectior eſt, eo ſpiritualior eſt: nam ſpiritus eſt ſublimior, & perfectior carne, quia carni dominatur, & præeſt, caro autem ſpiritui, tanquam inferior ſuperiori, ſubiicitur: ideo perfectiſſimus, ac ſublimiſſimus ſtatu, & dignitate idem eſt, ac ſpiritualiſſimus omnium: quapropter ſolus Papa nuncupatur *Beatiſſimus, & Sanctiſſimus*, quòd idem eſt, ac perfectiſſimus, quia *Sanctitas* ſonat idem, ac *perfectionis exceſſus*: quamuis enim aliqui perfectione perſonali, quæ in conſcientiæ puritate conſiſtit, poſſint eſſe Papa ſanctiores: attamen perfectione ſtatus, ac dignitatis ſolus Papa Sanctiſſimus, & Beatiſſimus dicitur: quia in ſuprema Eccleſiæ dignitate, quæ eſt primatus, & ſedes *Petri*, collocatur: propter quod dicitur: *Sedes Apoſtolica aut ſanctos recipit*, idèſt ſanctitate perſonali fulgentes: *aut ſanctos facit*: idèſt ad ſupremum dignitatis eleuat ſtatum, ſicut licèt multi ſint laici perfectiores religioſis perfectione perſonali; attamen ſunt imperfectiores perfectione ſtatus, religioſi etenim ſunt in ſtatu maioris perfectionis; ſic epiſcopi ſunt in ſtatu perfectiori, quàm clerici, Archiepiſcopi, quàm epiſcopi; Primates, quàm Archiepiſcopi: Patriarchæ, quàm Primates: Papa autem eſt in ſupremo perfectionis faſtigio, quia habet maiorem poteſtatem iuriſdictionis, quæ ſit in Eccleſia: ergo Papa omnia iudicat, & à nemine iudicatur: & ideo habet poteſtatem iudicandi *Concilia*, à quibus nequit iudicari.

12 Prob. 2. idem ant. *à B. D. vbiſ. p.* 3. *c.* 12. ſic. Poteſtas, quæ eſt ſine numero, pondere, & menſura excedit omnem aliam poteſtatem habentem numerum, pondus, & menſuram, ac propterea iudicat omnem aliam poteſtatem, & à nulla iudicatur, poteſtas enim, vt docet *B. P.* 4. *de Gen. ad lit. c.* 3; ſine numero, pondere, & menſura eſt illa; quæ præfigit aliis poteſtatibus menſuram, pondus, & numerum eorum, quæ ab eis ſunt adminiſtranda, & regenda, poteſtas autem præfigēs alteri poteſtati numerum, pondus, & modum agendi eſt ſuperior poteſtate, cui præfigitur, & ideo habet illam iudicare, & non ab illa iudicari, quia iudicare ſuperioritatem, & iudicari inferioritatem importat: ſed poteſtas Papæ eſt ſine numero, pondere, & menſura, nam Papa cuilibet Prælato aſſignat certum numerum ouium, non omnes oues regendas; ipſe autem regit omnes, indefinitè nanque ei dictum eſt, *Paſce oues meas*, idèſt non has, vel illas, ſed omnes, adeoque eius poteſtas eſt ſine numero determinato: & cuilibet aſſignat determinatum pondus peccatorum abſoluendum, vel ligandum, non omnium, aliqua enim ſibi ſoli abſoluenda, vel liganda reſeruat, peccatum autem pondus dicitur, quia trahit ad interna, de ratione enim ponderis eſt trahere deorſum; Papa verò omnia peccata poteſt abſoluere, vel ligare, idcirco illius poteſtas eſt ſine pondere, idèſt non coarctatur ad determinatum numerum peccatorum: tandem Papa præfigit aliis modum agendi, quem præterire non queunt; ipſe autem poteſt agere omni modo, quo ſibi videtur expedire, & propterea habet poteſtatem ſine menſura, quia habet omnem modum agendi, & per conſequens habet plenitudinem poteſtatis: ergo habet poteſtatem iudicandi *Concilia*, & *à Conciliis* nequit iudicari.

13 Prob. 3. idem ant. *ex Conciliis*. Anno 303. *Concilium Sinueſſ.* ſtatuit: *Prima Sedes non iudicatur à quoquam*. Anno 324. *Concilium Romanum ſub Sylueſtro* præſente *Conſtantino, & Helena eius matre* 284. epiſcoporum *can.* 20. habet hæc verba: *Nemo enim iudicabit primam Sedem, quoniam omnes Sedes à prima Sede iuſtitiam temperari deſiderant*.

derant, neque ab Auguſto, neque ab omni Clero (idèſt *Concilio*) *neque à Regibus, neque à populo* (idèſt Eccleſia) *Index* (idèſt Papa, qui eſt Iudex Imperatoris, *Conciliorum*, Regum, & Eccleſiæ) *iudicabitur*. *Anno* 433. *Conc. Rom. ſub Sixto* III. ſtatuit: *Non licere aduerſus Pontificem dare ſententiam. Anno* 503; vt vult *Longus*, vel 502., vt putant *alij*, *Conc. Rom. ſub Symacho* ſtatuit: *Præſulem Romanæ Sedis Deum ſuo ſine quæſtione reſeruaſſe arbitrio. Anno* 800. *Syn. Rom. ſub Leone* III. iubente *Carolo Magno*, vt inquireret crimina obiecta *ipſi Leoni*, reſpondit *ſe nõ audere Apoſtolicam Sedem iudicare*: quod confirmat *Syn. Rom. ſub Hadrian. II. in cauſa Photij*. *Conc. gen. Lat. ſub Iulio II. anno* 1512. *Cùm enim Romanus Pontifex legitimè conſtitutus nulli Iudici, præterquã Deo ſubiectus ſit, & à nemine vt PP. Sueſſionenſis Cõcilii profitentur, iudicari poſſit*, & habetur *c. Apoſtolicæ 3. q. 9., & c. Nemo 9. q. 3. c. ſi Papa diſt.* 40; *c. ipſi ſunt, c. cuncta 9. q. 3.*, ergo *ex ipſiſmet Conciliis* probatur Papam habere poteſtatem iudicandi *Concilia*, non è contra.

14 In hunc locum diſtulimus reſoluere de veritate *Concilii Sinueſſani*, quam *Natalis cum Magdeburgenſibus* negat, & de qua egimus *tom. 1. q 5. proem. art.* 15. Dicimus ergo verè extitiſſe tale *Concilium*, nedum quia *Platina*, omnes Auctores catholici, Eccleſiæ traditio, antiquiſſima martyrologia, & *Conc. Lat.* id aſſerũt, ſed etiã quia *Sinueſta* adhuc ſeruatur memoria illius cryptæ, in qua fuit celebratum. Ad B. *Patrem* dicitur nihil aliud velle, quàm non probatum fuiſſe *à Donatiſtis Marcellinum* ſimul *cum Melchiade, Marcello, & Syluestro* tradidiſſe codices, & Diis thurificaſſe, non autem negat fuiſſe *Sinueſſa* celebratum *Concilium*; poterat nanque celebratum fuiſſe *Concilium*, & *Marcellinum* non ſacrificaſſe, ſed ſacrificare ſimulaſſe; & ob id culpabilem fuiſſe; ſiquidem narrat *Euſeb. lib. 8. hiſt. c.* 3. de illa immaniſſima *Diocletiani* perſecutione: *Ex ipſis autem perſecutoribus quidam tanquam miſeratione vſi adhibebant nonnullos noſtrorum ad inceſta ſacrificia, & quaſi ſacrificaſſent, conclamabant, cùm non ſacrificaſſent. De aliis verò cùm ne appropriaſſent quidem immundis hoſtiis, acclamabant ipſi, quòd immolaſſent, & abſcedebant in eo tantùm culpabiles, quòd crimen ſibi obiectum cum ſilentio paterentur*. Ad hanc autem culpam abluendam potuit cogi *Concilium*, ne catholici ipſum à fide alienum putarent. Igitur poterat *Beatiſs. P.* de thurificatione dubitare abſq; eo, quòd in dubium verteret *Concilium*, quod potuit cogi nedum ad expungendam idololatriam, ſed etiam ad expurgandum ſimulationis delictum. Inſuper poterat haberi *Concilii* notitia abſque eo, quòd notum eſſet, quid fuerit in eo ſtatutum præſertim tunc temporis; quo omnia exemplaria *Notariorum* manu exarata raritatẽ neceſſariò inuehebant: nã Eccleſia tunc pauperrima nõ poterat tales ſumptus facere, vt multiplicati *codices* ad omnes tranſmitterentur regiones: vt patet *de canonib Nicænis*, qui nõ erant *in Aphrica* tempore S. *Patris*, & tamen notitia *Concilii* habebatur; ergo dubitare *de Marcellini* delicto non fuit formaliter idem, ac dubitare *de ipſo Concilio*, ut arguunt *Magdeburgenſes*. Tandem ex eo, quòd quis de aliquo dubitet, non arguitur, quòd illud neget, imò quòd non neget; dubitans enim æquè ſuſpendit à negatione, & affirmatione iudicium; ſed B. P. dubitauit *de Marcellini* delicto, ſubdit enim: *Qualeſcunq; fuerint Marcellinus, Marcellus, Sylueſter, Melchiades &c; nihil præiudicat Eccleſiæ.*, ergo nõ arguitur hiſtoriam *huius Concilii* commentitiam fuiſſe, & licèt aliquando eam *Donatiſtarum commentum* appellet: attamen de ea loquitur, vt comprehendit illorum quatuor Pontificum thurificationem; in quo ſenſu omnino commentitia eſt, ſaltem quoad *Marcellum, Sylueſtrum, & Melchiadem*, de quibus nullius teſtimonium afferebatur *à Donatiſtis*, nec aliunde hæc notitia habebatur, quemadmodum euulgatum erat *de Marcellino*: non autem loquitur de ea, quatenus *Concilii* exiſtentiam teſtatur. Duo igitur ſunt diſtinguenda, ſcilicet thurificatio, & celebratio *Concilii*: illam dicit *Donatiſtarum* inuentum, & de veritate iſtius totale ſeruat ſilentium. Nec inuerisimile eſt, quòd tempore perſecutionis tam ſæuæ trecentorum epiſcoporum numerus conuenerit; ſicut enim annos ante circiter 50. in interregno *Cornelii* potuit *à Clero Romano* conuocari *Romæ Conciliũ* contra immolantes Dijs, vel thurificantes, cui plurimi epiſcopi mutato habitu interfuerunt, ita dicendum in caſu.

15 Prob. 4. idem ant. Papa habet auctoritatem confirmandi, & reſcindendi *Concilia*; nam *PP. Conc. Nicæni* referentes *canonem Apoſtolicum*, quo prohibetur, ne decreta in Eccleſia ſanciantur abſque Romani Epiſcopi ſententia, vt refert *Socrat. lib. 2. c. 13.*, *à Sylueſtro* confirmationem petunt, & obtinent. *Conc. Sardic.*, quod fuit appendix *Conc. Nicæni anno* 347. *c. 3. Scribatur ab eis, qui cauſam examinarunt, Iulio Romano Epiſcopo; & ſi iudicauerit renouandum eſſe iudicium, renouetur, & det Iudices. Si autem probauerit talem cauſam eſſe, vt non refricentur ea, quæ acta ſunt, quæ decreuerit, confirmata erunt*. *Conc. Conſtantinop* I. *gen. iuſſu Damaſi* fuit coactum, & ab ipſo confirmatum; vt refert *Photius lib de ſeptem Synodis*. *Conc Carthag. epiſtola Synodica*, quæ eſt 90. *Beatiſs. P. Aug.*, qui primas egit *in hoc Concilio*, petijt confirmari *ab Innoc. I.*, qui illud confirmat *ep. 91. inter Auguſtinianas*. *Conc. Milenit. inter eaſdem epiſtolas* 92. petit confirmationem *ab eodem Innoc.*, qui confirmat *ep. 93. Syn. Conſtantinop.* III. *act. 4. Nos Apoſtolicam Sedem ſequimur, & obedimus*; & hanc confirmauit *Leo* II., qui *canonem*, in quo decernebatur locus *in Concilio* Archiepiſcopo *Conſtantinop.* debitus *Alexandrino*, iuſſit expungi. VII. *Syn. epiſt. Diuali Conſtantini, & Irenæ* rogat confirmari ab Adriano, vt ſtabilitatem recipiat. *Conc. Lat. II. gen.* confirmatur *ab Innoc.* II. *Tridentinum*, quod fuiſſe generale à nullo Catholico poteſt negari, in fine petit confirmari à Summo Pontifice. Tandem *Concilium Conſtantienſe, & Baſileenſe*, in quibus decernitur Papã ſubjci *Concilio*, cui decreto, quod poſtea *per Conc. Florentin; & Lateranen.* ſublatum fuit, *Aduerſarii* nituntur, à sũmis Pontificibus ijſdẽ

Aduerſarÿs teſtibus confirmata fuere; & hoc ex verbis Chriſti Domini expreſsè colligitur: *Tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*. E contra verò à Papa fuit reprobatum, & reſciſſum *Concilium Antiochenum I., Sardicenſe II., Arelatenſe ſub Liberio, Ariminenſe, Epheſinum II*; quod procul dubio fuit vniuerſale, vt apertè oſtendit *Summa Coriolani à Leone* II reprobatum *ep.22., 24., & 25., Syn. Trullana, ſeu Quiniſexta itidē gen. à Io.* VIII; *Conſtantinopol. generale* VIII. 395. *Epiſc. in cauſa Photii* ab eodem Pontifice, *Piſanum, Conſtantienſe* ex parte, *& Baſileenſe*; ſed habens poteſtatem confirmandi, & reſcindendi leges *Concilii* habet poteſtatem iudicandi *Concilium*, & ideo nequit ab illo iudicari, quia Iudex à iudicato iudicari non poteſt; aliter ſuperior poſſet ab inferiori iudicari, quod Regiminis rationem euerteret; ergo idem.

16 Prob. 5. idem ant. *A Concilio* ad Papam, nō à Papa *ad Concilium* licet appellare; nam in lege veteri licebat in cauſis grauioribus à Iudicibus, & *à Concilio ad Moyſem* appellare; vt *ſup.* diximus; ergo a fortiori in lege noua; appellatio enim eſt in fauorem rei; & in lege noua maior eſt indulgentia pro reis. Præterea *Conc. Sardicenſe c.4. editionis 2., vel 3. alterius editionis* habet: *Quòd ſi aliquis epiſcopus iudicatus fuerit in aliqua cauſa, & putat ſe bonam cauſam habere, vt iterum iudiciū renouetur, ſi vobis placet, S. Petri Apoſtoli memoriam honoremus, vt ſcribatur vel ab his, qui cauſam examinauerunt, vel etiam ab aliis epiſcopis, qui in propinquo morantur, Romano Epiſcopo: & ſi iudicauerit iudicium eſſe renouandum, renouetur, & det Iudices; & c.4., vel 5. Cùm aliquis epiſcopus depoſitus fuerit eorum epiſcoporum iudicio, qui in viciniis commorantur locis, & proclamauerit agendum ſibi negotium in Vrbe Roma, alter epiſcopus in eadem cathedra poſt appellationem eius, qui videtur eſſe poſitus, omnino non ordinetur, niſi cauſa fuerit in iudicio epiſcopi Romani determinata.* De his canonibus ſcribit *Gelaſius ep. ad Fauſtum. Ipſi ſunt canones, qui appellationem totius Eccleſiæ ad huius Sedis examen deferri voluerunt; & ep. ad epiſcopos Dardaniæ: Ad illam de quolibet mundi parte canones appellari voluerunt; ab illa autem nemo eſt appellare permiſſus.* Idē docet *Nican. can. 18., & in Epheſ.* II. *S. Flauianus Patriarcha Conſtantinop., & Theodoretus* appellarunt ad S. Sedem. Habetur *c. cuncta 9. q. 3., & c. ipſi, & c. patet ibid., & c. ſi* Papa *diſt. 40., & c. ſi quis 2. q. 6 c. Ad Romanum 6. c. 2 q. 6. c. Ad Romanam* 8 *c. 2. q. 6. c. ideo 2 q 6., c. qui ſe ſcit 2. q 6., c. arguta 2. q. 6.*, ſed appellatio definitur *ab inferiori ad ſuperiorem Iudicem prouocatio*: ſuperior autem iudicat inferiorem, non è contra; ergo Papa habet poteſtatem iudicandi *Concilia* etiam generalia, non autem è contra.

17 Ex quibus ſic euidenter arguitur. Quod ſtatutum eſt *in Conciliis generalibus* eſt ita infallibiliter certum, vt illud negare ſit contra fidem: ſed Papam eſſe ſupra omnem poteſtatem exiſtentem in Eccleſia, eſſe Iudicem ſupremum *Conciliorum generalium*, & ab illis iudicari non poſſe; habere poteſtatem confirmandi, & reſcindendi *Concilia* etiā generalia, & poſſe ad ipſum *à Conciliis generalibus*, non ab ipſo *ad Concilia* appellari ſtatutum eſt *in Conciliis generalibus*; ergo Papam eſſe ſupra omnem poteſtatem exiſtentem in Eccleſia, eſſe Iudicem ſupremum *Conciliorum generalium*, & ab illis iudicari non poſſe; habere poteſtatem confirmandi, & reſcindendi *Concilia generalia*; & poſſe ad ipſum *à Conciliis*, non ab ipſo *ad Concilia* appellari eſt ita infallibiliter certum, vt illud negare ſit contra fidem. Ma. eſt doctrina *Aduerſariorum* aſſerentium infallibilitatem eſſe tantùm in *Conciliis generalibus*, vt *in ſeq. art.* Mi. conſtat ex allatis textibus *Conciliorum generalium*: vt ſunt *Nicæn., Sardicen., Romanum ſub Syluestro præſente* Conſtantino, *Synueſſan., Lat. &c.* Atqui habere poteſtatem ſupremam, eſſe Iudicem *Conciliorum generalium*, poſſe illa confirmare, & reſcindere, poſſe *à Conciliis* ad ipſum, non ab ipſo *ad Concilia* appellari eſt idem formaliſſimè, ac eſſe ſupra *Concilia*: ergo Papam eſſe ſupra *Concilia* eſt ita infallibiliter certū, vt illud negare ſit contra fidem.

18 Præterea ita ſe habet Papa reſpectu totius Eccleſiæ; ſicut epiſcopus reſpectu Eccleſiæ particularis: ſed epiſcopus eſt ſupra ſuas oues determinatas etiam in vnum collectas: ergo & Papa eſt ſupra omnes fideles etiam *in Concilium* collectos. Ma. conc. *à Richerio*; aliter minor poteſtas eſſet in Papa, quàm in Epiſcopo, quod eſt contra fidem. Mi. etiam patet: nam epiſcopus nequit à populo etiam *in Synodum* collecto iudicari, deponi &c., & ideo illius poteſtati non ſubditur, ſed eſt ſupra illum, quia poteſt ipſum iudicare, corrigere, punire &c., non è contra: ergo à pari.

19 Denique *Beatiſs. P. de Verb. Apoſt. ſerm. 2.* loquens *de Pelagianorum* cauſa iam damnatorum in duobus *Conciliis* ad Summum Pontificem delata concludit: *Iam de hac cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam; inde etiam reſcripta venerunt:* CAVSA FINITA EST; *error vtinam finiatur; & lib. 2 cont. duas epiſt. Pelagian. c. 3 Literis b. m. Papæ* Innocentii, *quibus de hac re dubitatio tota ſublata eſt; & ep. 157. In his enim verbis Apoſtolicæ Sedis tam antiqua, atque fundata, certa, & clara eſt catholica fides, vt nefas ſit de illa dubitare Chriſtiano.* Ex quibus ſic. 1. Ille Iudex, qui poteſt vltimò finire, & determinare cauſas fidei, eſt ſupra quancunque poteſtatem exiſtentem in Eccleſia; ſed Papa eſt huiuſmodi, & poteſtas *Conciliorum generalium* eſt poteſtas exiſtens in Eccleſia; ergo Papa eſt ſupra *Concilia*. Ma. patet: quia vltimum iudicans eſt ſupremus in iudicando: vt conſtat de Rege in Regno. Mi. traditur *à B. P.*, nam cauſam finire eſt illam vltimò determinare: quotieſcunque enim adhuc eſt determinabilis ab aliquo Iudice, non eſt finita, vt liquet. 2. Ille Iudex, qui habet tollere omnem dubitationem in cauſis fidei ita, vt non liceat ampliùs, ſed nefandum ſit Chriſtianos dubitare, habet auctoritatem infallibilem, quæ nulli poteſtati ſubditur, ſed eſt ſuper omnem poteſtatem; poteſtas enim iudiciaria, cui nequit error, aut dubium ſubeſſe, eſt poteſtas Dei, quæ eſt ſuper omnem poteſtatem, & non eſt am-

pliùs

pliùs diſputabilis apud aliquem Iudicem; ſed Papa eſt huiuſmodi, vt clarè loquitur *textus allatus*: ergo habet poteſtatem, quæ nulli ſubditur, & ſibi ſubiicit omnem aliam poteſtatem, & ideò non eſt ſub, ſed ſupra *Concilia*.

20 Inſtat *Natalis ibid.* §.5. *B.P.* nihil aliud velle, niſi quòd cauſa *Romæ* fuit finita.

Verùm ſi *Natalis* eadem attentione, qua *Magdeburgenſes*, *B.P* euoluiſſet *epiſtolam*, indignã viro etiam mediocri ſuam reſponſionem nouiſſet: ſiquidem *in cit. ep.* vidiſſet, quòd *Pelagius*, *& Cæleſtius à duobus Venerabilibus Antiſtitibus Apoſtolicæ Sedis Papa Innocentio, & Zoſimo, niſi correcti etiã egerint pænitentiam, toto Chriſtiano Orbe damnati ſint*: ergo nedum Romæ, ſed in tota Eccleſia eorũ *cauſa finita eſt*: quia finis illius fuit damnatio *in toto Orbe chriſtiano*, quod eſt tota Eccleſia. Hinc ex eo, quòd *Carthagine, & Chalcedone* ea lis diſcuſſa fuerat, non ait *finitam eſſe*: quia adhuc *Roma* diſcutienda manebat; ergo dicens *eſſe finitam* ſignificat nullibi diſcutiendam manere.

21 Obiic. 1. *Natalis vbiſ.* §.1. *Concilium Conſtant.*, quod confirmarunt *Martinus* V. *Eug.* IV., *& Pius* II. indefinitè loquentes, *ſeſſ* 4; *&* 5. ſtatuit Papam ſubiacere *Concilio*. 2. *Matt.* 18. *Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum*: ſuper quod *Cæleſtin.* 1. *ep. ad Syn. Epheſ. act* 11. *Spiritus Sancti teſtatur præſentiam congregatio ſacerdotum. Io.* 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis. Act.* 15. *Viſum eſt Spiritui S., & nobis*: ſuper quæ S. *Leo ep.* 78., *ſeu* 132. *ad Leonem Auguſtum*: *De rebus & apud Nicæam, & apud Chalcedonem, ſicut Deo placuit, definitis nullum audemus inire tractatum, tanquam dubia, vel infirma ſint, quę tanta per Spiritum S. fixit auctoritas.* Quod repetit *ep.* 73., *ſeu* 105., *& ep.* 55. *ſeu* 79. ſemper docens Spiritum S. *Conciliis* aſſiſtere. 3 *Matt. ibid. Dic Eccleſię. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi, ſicut ethnicus, & publicanus*: ergo vltimò recurrendum eſt *ad Concilium*.

Reſp. hæc fuiſſe argumenta *Richerii ab ipſa Vniuerſitate Pariſienſi* anno 1612., vt narrat *Spondanus*; & poſteą *Romę* anno 1622. damnata. Ad 1. dicitur, quòd *Turrecremata de Eccleſia lib.* 2. *c.* 99; qui fuit præſens *illi Concilio*, diſtinguit tres ſtatus illius; primus fuit, in quo ſola obediẽtia *Io.* XXIII. conuenerat; & pro eo tunc non erat vniuerſale, vt conſtat, & tunc conditæ fuerunt *illæ duæ ſeſſiones*. Secundus, in quo etiam factio *Greg.* XII. ſe adiunxerat; & tertius, in quo conſluxerant omnes; & tunc ſolùm fuit vniuerſale. Vel dicitur ad minus non poſſe negari *illas ſeſſiones* eſſe dubias, & ſuſpectas, quia multa exemplaria *M.S.* id non continẽt: quamuis enim *Aduerſarii* illas teneant, vt inconcuſſas, nulla tamen ratione id poſſunt conuincere; & quis rem quamlibet dubiam, vt indubiam, pertinaciter credere non valeat? Hæc tamen pertinacia nihil officit veritati. Vel dicitur *illas ſeſſiones loqui* tantùm in caſu ſchiſmatis; aiunt enim *pro extirpatione ſchiſmatis*; ideo non ſunt ampliandæ ad extra ſchiſma; quia in ſchiſmate eſt incertus Pontifex, certus verò extra ſchiſma. Vel dicitur, quòd ſi auctoritati *Conciliorum*, vt potè infallibili, *per Aduerſarios* derogari non poteſt; quomodò potuit *Conc. Conſtan.*, irritare *Conc. Nicanum, Sardicen.*, *& Conſtantinop.* III., *&* VII. *Syn.*, in quibus decreta fuit appellatio à *Concilio* ad Papam, & confirmatio eiuſdem per Papam; ex quibus liquidò infertur Papæ poteſtas ſupra *Concilium*, *& Concilii* ad Papam ſubiectio? Imò quomodò *Conc. Lat.*, cui *Antiſtites Galli* conſenſerunt vna cum Rege; *& Florent.* potuiſſent illud decretum euertere? Nam vel iſta duo poſteriora *Concilia* habuerunt poteſtatem expungendi decretum *Conc. Conſtant.*, vel non? Si primum: ergo illud decretum vim modò non habet, quia fuit deletum: nam vt loquitur *B. P. Concilia priora emendantur poſterioribus*: quod quomodò ſit accipiendum, *inf.* dicemus: & ſic inaniter iactant *Aduerſarii* Papam ſubijci *Conc.*, & à Papa ad *Conc.* appellationem tenere. Si ſecundum, ergo nec *Conſtant.* potuit derogare prioribus *Conciliis*, in quibus ſtatuta fuit *Concilii* ſubiectio, & obediẽtia Papæ præſtanda, ac inconcuſsè ſeruanda. Si autem *cum Natale* hanc cauſam non fuiſſe *in his Conciliis* maturè diſcuſſam, cur hoc potiùs *de Conſtant.* non dicitur, in quo *pleriſque* reluctantibus, & dilationem *ad aliam ſeſſionem* diligentiori examine maturandam quærentibus decretum illud fuit extortum, cùm nec tertia pars Vocalium peruenerat, quàm *de Later.*, quod fuit ſtudiosè coactum ad emendandos *Conſtantienſes*, *Baſileenſeſque* tumultus, & actiones tumultu potiùs, quàm cõſilij maturitate concluſas? Quoad confirmationem verò dicitur *Martinum* confirmaſſe dumtaxat *Conciliariter facta*, idèſt *in pleno Concilio*, & pacata deliberatione, non tumultuaria altercatione indigeſtè propoſita, ſed illud decretum fuit excuſſum, cùm nec ſemiplenum erat *Concilium*, nec materia diſcuſſa: ergo ſuper illud confirmatio non cadit. Sed ſi *Concilium* eſt ſupra Pontificem, vt inquiunt *Aduerſarii*: iam *per Concilium Lateranenſe*, *& Florentinum* talis fuit confirmatio dirempta. Sic *Eug.*, *& Pius* eodem modo confirmarunt, quo eorum præceſſor *Martinus*. Sed quomodò indefinitè confirmarũt, idèſt quoad omnia, quæ in illis continentur, ſi *idem Natalis* conatur omni vi demonſtrare *Baſileen.* ſolùm vſque *ad ſeſſ.* 25. fuiſſe legitimum: ergo & illegitimum cõfirmaſſent. Quid abſurdiùs?

22 Ad 2. dicitur, quòd illi congregantur *in nomine Chriſti* ad finiendas res credendas per fidem, qui Chriſti Vicarij voce cientur in vnum: ait enim *Petrus Act* 15. *Deus in nobis elegit per os meũ audire gentes verbum Euangelij, & credere.* Qui autem conuocantur contra, vel ſine eius Vicario, non in nomine eius, ſed nomine proprio congregantur; conſtat enim, quòd Vicarius nomine epiſcopi, & miniſter nomine Regis, qui illum elegit, vt populus per os ipſius audiat verbum Regium, poteſt conuocare populum, vt ſciat, quid ſit ſibi agendum: populus autem non niſi ſeditiosè poteſt ſe congregare, nec dicitur ſe congregare in nomine Regis, ſed potiùs contra, vel præter Regem. Atqui ſolus *Petrus*, & eius pro tempore ſucceſſor electus

fuit

uit, vt gentes per os ipſius audirent Euangelium, & crederent; ergo illi ſuli congregautur in nomine Chriſti, ad ſtabiliendas fidei cauſas, qui conuocantur à Papa, & his ſolis aſſiſtit Spiritus S. Hinc *Conc. Arimin. cum Ario* ſexcentorum epiſcoporũ, *Ephesin.* II. etiam frequentiſſimum *cum Dioſcoro*, *Conſtantinop. ſub Leone Imp.* trecentorum epiſcoporum, *Syn. Trull.*, quanuis generaliter indicta, turpiter errarunt, ideoque Spiritum S. non habuerunt in medio non ob aliud, niſi quia vel præter Papæ auctoritatem fuerunt coacta; vel Papam ſecum non habuerunt, per cuius os tantummodo ſtatutum eſt à Chriſto Domino nos *audire Euangelium, & credere*; & ideo in ſolo Papa fixa infallibilitas remanet. Præterea ſi arg. valeret, ſequeretur nedum *Concilium generale*, ſed etiam prouinciale, & epiſcopale infallibilitatem habere, cùm & in ipſis ſit plurium frequentia Sacerdotum; vt *Carthaginen. ſub Cypr.*, cui octnginta epiſcopi interfuerunt, & tamen contra doctrinam de vnico baptiſmo errauere. Dicitur ergo, quòd ſi ille *textus: Vbi fuerint duo &c.* intelligendus ſit *de Concilijs* propter auctoritatem *Cœleſtini*; *& propter VI. Syn. act.* 17., *& propter Syn. Chalcedonen. in ep. ad Leonem, & propter Innoc.* 20. *diſt. c. De quibus*, eſt explicandus, vt diximus. Quanuis alium ſenſum videatur habere, ſcilicet *Deum eſſe in medio* internè inſpirando, adiuuando, & exaudiendo, non tamen mouendo ad ſenſibilem promulgationem decretorum fidei, aliter magna in Eccleſia Dei orirctur confuſio, ſi non vnus, ſed plures, inter quos, vt plurimùm, eſt altercatio, & diſſenſio, vt conſtat *ex Conciliorum hiſtorijs*, cauſarum fidei eſſent Iudices.

23 Ad aliud: *Ego rogabo Patrem &c*; ex quo *A. de Dominis* intulit Spritum S. eſſe Chriſti Vicarium, dicitur Spiritum S. miſſum fuiſſe, vt Apoſtolos doceret, & ſuggereret omnem veritatem, prout ſubdit idem Euangelium, & aſſiſteret in omnibus, quæ ad Apoſtolatus pertinent munus, quod cùm nunquam ſit defuturum, ſemper enim erunt in Eccleſia, qui mittentur ad prædicandam Chriſti fidem, ideo Spiritus S. manebit in æternum in Eccleſia prædicatores ſucceſſores Apoſtolorum docendo, & ſuggerendo omnem veritatem; non autem illos mouendo ad ſenſibiliter decernendas ex cathedra fidei cauſas, hoc enim ad ſolam *Petri* fidem, & ſucceſſorum illius ſpectare iam dixerat.

24 Ad illud: *Viſum eſt*: quod maximè vrgent *Aduerſarii*, & quidem non ſine denſiſſima, & palpabili mentis cœcitate, nam quis non videat, quid intersit inter videre cauſam, & ſententiam proferre? Videre ſemper ſupponitur ad decernere, cùm decretum, quod eſt actus voluntatis, ſupponat actum intellectus, qui eſt viſio; quapropter Iudices non niſi *viſa cauſa* ſententiam proferunt, aliter cęcum eſſet eorum iudicium; at cum hoc diſcrimine, quòd videre cauſam commune eſt omnibus conſiliarijs, & Doctoribus aſſiſtentibus Iudici, ſententiã autem proferre proprium ſolius eſt Iudicis: hinc *Viſum eſt omnibus Apoſtolis* iugum circumciſionis gentibus non eſſe imponendum, ſed ſolu. *Petrus* decreuit, & iudicium protulit credẽdum ab omnibus, ait enim: *Per os meum* (non inquit autem: *Per os noſtrum*) *elegit Deus audire gẽtes Euanglium, & credere.* Itaque Spiritus S. aſſiſtit Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, vt inquirant, videant & cõſulant, *Petro* autem, & ſucceſſoribus, vt decernat, quid ſit de fide credendum.

25 Ad 3. *Dic Eccleſia* dicitur nomine *Eccleſiæ* ſignificari *Prępoſitum*, qui repræſentat, & gerit perſonã Eccleſiæ, vt *B. P. noſtra* explicat *in Reg.* Cùm ſolus *Petrus*, & eius ad tempus ſucceſſor ſit ſupremus Præpoſitus totius Eccleſiæ, eſt enim in eo ſolo primatus, ideo de ſolo *Petro*, eiuſque ſucceſſore eſt intelligendum. Vel ſi contendatur extendẽdum eſſe ad omnes Eccleſiæ Prælatos, conformiter ad iam dicta accipiendũ eſt; ſcilicet vt Prælati illud examinent, videant, referant, ac deinde ſupremus Eccleſiæ Iudex ſententiam proferat, cui ſi delatus non obedierit, habeatur, tanquam èthnicus, & publicanus. Hoc quoque argumento vſus eſt *M. Antonius de Dominis* ad probandũ *in Petro*, & in alijs Apoſtolis fuiſſe æqualem poteſtatem; nam *Act.* 8. *Paulus, & Barnabas* quæſtionem *de circũciſione* detuleruni ad omnes Apoſtolos, nõ ad ſolum *Petrũ*, cui tantùm debebant referre, ſi tantùm Rector fuiſſet. Reſp. autem, quòd ſicuti ex eo, quòd delatio fiat Regum miniſtris, nõ ſequitur, quòd in illis auctoritas ſuprema reſideat, non autem in Regibus; ita à pari. Apparet ex hoc hanc quoque rationem redarguere Eccleſiæ primatum.

26 Obijc 2. *Victor* excommunicauit *epiſcopos Aſiæ* celebrantes Paſcha *die* 14. *martii*, ut refert *Euſeb. lib* 5. *hiſt. c.* 24; & tamen habiti non fuerunt hæretici, niſi poſt *Conc. Nicænum*. Sic *Stephaanus*. I. damnauit doctrinam *Conc. Carth. de rebaptizandis* & tamen *nec Cypr.*, nec alij epiſcopi hæretici habiti ſunt. *Donatiſtæ* appellarunt *ad Conc. gen.* contra *Cæcilianum* abſolutum *à Papa Melchiade*, de quo *S. P. Aug. ep.* 162. ait: *Putemus illos epiſcopos, qui Romæ iudicarunt, non bonos Iudices fuiſſe, reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ vniuerſalis Cõcilium.* Item cùm *Appiarius* præsbiter gradu, & communione priuatus *ab Aphricanis* epiſcopis, inter quos erat S. *P. Aug.*, obtinuiſſet a *Zoſimo*, *vt Fauſtinus* legatus mitteretur in Aphricam cauſam recogniturus, reſcripſerunt *Cæleſtino Zoſimi* ſucceſſori *epiſtolam*, in qua aſſerunt Papam *iuxta canones* debere ſe moderare, *canon. Nicænis* teneri, *Conc. gen.* eſſe ſupra Papam, & ne alia vice mitteret legatum. Item *Siricius* Papa *ep. ad Anyſium in cauſa Bonoſi* ait: *Sibi non licere, quaſi ex* Synodi *auctoritate, iudicare. Neſtorius* damnatus *à Cæleſtino* I. non eſt habitus hæreticus, niſi poſt *Syn. Alex. gen.* Idem habetur de *Eutichete* damnato *à* S. *Leone*, & poſtea *à Syn.* *Calcedon.* Sic Conc. *Conſtantinop* V. examinauit, & damnauit doctrinam trium capitulorum editam *à Vigilio* Papa primùm reluctante, deinde cedente. *Innoc.* I., cùm *à Io. Chriſoſt.* ad ipſum appellaretur, remiſit *ad Conc Oecumenicum* dicens *ſibi vires non eſſe.* S. *Greg. lib* 1. *ep.* 24. *ad Io. Conſtantinop.* ait: *Omnes teneri decretis* Conc. *gen.* VI. *Syn.* examinauit *epiſtolam Agathonis*, *& Leo* III. *in col-*

lat.

ſat. de Symb. loquens *de Syn. Nicena, & Conſtantinop.* ait: *Ego me illis, non dico, præferam, ſed etiam illud abjit mihi, vt coæquare præſumam*: *& Innoc. III ep. ad Philipp. Ang.* 106. *lib* 15. fatetur ſe eſſe ſubditum *Conc. gen.*, Agapitus noluit, quanuis rogatus, alienare prædium Eccleſiæ ſubleuandæ cauſa pauperum neceſſitatis; quia in *Conc. Rom.* fuit vetitum: & *Sılueſter II. ep. ad Segunum Archiep. Senonen.* ait: quòd ſi Papa peccauerit in fratrem, ſæpiuſque admonitus Eccleſiam non audiuerit, habendus ſit, *tanquam ethnicus, & publicanus*, & ideo *Honorius in VI. Syn.*, vt Monothelita, fuit damnatus. Tandem *Conc. Piſan., Conſtantien., & Baſileen.* definierunt *Conc.* eſſe ſupra Papam.

Reſp. ad 1. quod eſt arg. *Lutheranorum*, vt diximus art. 1. obiect. 2. ad 7. Dicitur ergo non fuiſſe habitos hæreticos, quia inſtante *Irenæo* excommunicatio fuit ſuſpenſa. Vel ſi non fuit ſuſpenſa, neg. non fuiſſe habitos hæreticos, nec hoc *à Natali* probatur. Ad *Cypr.* dicitur non fuiſſe hæreticum, quia Papæ conſenſit obediens: vt docet *B. P. Aug.* afferens talem obedientiam fuiſſe fortè ab hæreticis ſuppreſſam, ne tantùm patrocinium deperderent. Ad *Caſilianum* dicitur, quòd *Donatiſtæ* appellarunt *ad Conſtantinum Imp.*, non *ad Conc gen.*, vt patet *ex epiſt.*, & *ep.* 68., nullus tamen diceret talem appellationem valere. Præterea B. P. illo verbo: *Putemus*: ſignificat ſe loqui ex ſuppoſitione, vnde idem eſt dicere *putemus*, ac *ſupponamus*: ſuppoſitio autem eſt etiam de impoſſibili, & falſo. Sed *in eadem ep.* ait *tale Concilium* non fuiſſe neceſſarium, vt definiretur res, ſed vt *Donatiſtarum* peruerſitati fieret ſatis; ſubdit enim loquens *de Conſtantino*: *Dedit ille aliud Arelatenſe iudicium, aliorum ſcilicet epiſcoporum non quia iam* NECESSE ERAT, *ſed eorum peruerſitatibus cedens, & omni modo cupiens tantam impudentiam cohibere*. Dato autem, quòd *Donatiſtæ ad Concilium* prouocauerint, quid inde? Forſan hæreticorum actiones poſſunt eſſe exempla fidelibus ad probandum eas licere? Ad *Appiarium* dicitur ex *ep. B. P. Aug.* 261. patere falſa eſſe, quæ obijciuntur. Igitur PP. *Aphricani* rogarunt humiliter *Zoſimum*, ne mitteret legatos cum militibus, qui violenter exequerentur ſententiam contra inobedientes, ne Chriſtiani catholici grauiora paterentur ab Epiſcopo catholico, quam cùm eſſent hæretici, paſſi erant ab Imperatore. *Iudicia quippe illis, & publicas poteſtates, & militares impetus, tanquam executores Apoſtolicæ Sedis ſiue ipſa, ſiue rumores crebérrimi comminantur; vt miſeri homines chriſtiani catholici grauiora formident à catholico epiſcopo, quàm, cùm eſſent hæretici, à catholicorum Imperatorum legibus formidabant. Non ſinas iſta fieri, obſecro te per Chriſti ſanguinem, per Apoſtoli Petri memoriam, qui chriſtianorum Præpoſitos populorum monuit, ne violenter dominentur inter fratres.* Non impugnarunt ergo ius appellandi ad S. Sedem, ſed tantùm conqueſti ſunt de modo exequendi appellationes. Imò *in eadem ep.* dicitur multos tum *Aphricanos*, tum *Orientales* recurriſſe ad S. Sedem, ad quam ſpectat iudicare, vel confirmare aliorum iudicia: *Exiſtat exemplo ipſa Sede Apoſtolica iudicante, vel aliorum iudicia firmante quoſdam pro culpis quibuſdam nec epiſcopali prinatos honore, nec relictos omnimodà impunitos. Clamet Priſcus & cæteri quibus mitiùs actum fuit.* Cùm autem *Bonifacius* citaret *canones Nicænos* circa modum appellationis (qui tamen ſunt *Sardicenſes*) PP. *Aphricani* miſerunt ad *Atticum Conſtantinop. in Orientem, & ad Cirillum Alex*; vt eorum canonum fidele tranſmitteretur exemplar; interea tamen Pontifex moritur, & ſufficitur ei *Zoſimus*, quem rogaſt, vt mitiùs agat, cùm ad eum appellatur. Nihil ergo *ibi* agitur de ſubiectione Papæ *ad Concilium*; ſed potiùs oppoſitum ſtatuitur. *Ad Siricium* dicitur eam epiſtolam eſſe *D. Ambroſij*, qui præcipuus fuit *in Conc. Capuano*, & hoc patet *ex lib.* 10. *ep.* 79. Inſuper illud *Concilium* fuit prouinciale, non vniuerſale; ideo ſequeretur Papam ſubijci etiam *Concilio* prouinciali, quod *Aduerſarij* non audent aſſerere. Ad *Conc. Conſtantinop.* dicitur *Concilium Chalcedon. & Vigilium* abſoluiſſe *Ie. Antiochenum, Theodoretum, & Ibam* ab hæreſi *Neſtoris*, quam ſecuti erant, quia illam abiurarunt, *Conſtantinop.* autem damnaſſe, non perſonas, ſed eorum ſcripta, ſcilicet epiſtolam *Iba ad Marim Perſam, & librum Theodoreti contra duodecim articulos Cirilli, & Conc. Nicæni*; patet autem non eſſe idem damnare libros, & perſonam; quia perſona poteſt abiurare doctrinam, quam tenuerat; ideo hic nulla eſt contradictio. Ad *Caleſtinum, & Leonem* dicitur ex mandato ipſorum fuiſſe celebrata illa *duo Concilia*; damnaroſque illos hæreticos; ex quo infertur fuiſſe ſupra *Concilia*, quia mandans auctoritatem habet ſuper eos, quibus mandat: non tamen pro hæreticis habiti ſunt, niſi poſtquam promulgata ſolemniter ſententia pertinaces ſe oſtenderunt; ante ſententiam autem, non præceſſerunt, niſi monitiones, & hortamenta, vt hæreſim execrarentur. Ad *Chriſoſt.* dicitur remiſſum fuiſſe *ad Concilium*, in quo erat auctoritas Papæ, vt conſultiorem *in Concilio* referret ſententiam. Præterea non eſt quæſtio *de Concilio* cum Papa, ſed ſine Papa: in illo autem *Concilio* erat auctoritas Papæ. Ad *D. Greg.* dicitur loqui *de Conciliis gen.* auctoritate Papæ celebratis. Ad VI. *Syn.* dicitur examinaſſe *epiſtolam Agathonis*, vt edoceretur, quid ſibi eſſet agendum. Ad *Leonem* dicitur loqui de ſe ipſo, vt Doctor priuatus, comparatiuè *ad PP. Synod Nicæna, & Coſtantinop.* Ad *Innoc. & Agapitum*, quòd ſemper loquuntur *de Concilio* cum Papæ coniuncto, de quo non eſt præſens quæſtio; nam Papa tenetur ſuas leges ſeruare, vt *inf.* Ad *Syluestrum* dicitur ſcripſiſſe eam epiſtolam, cum Papa non erat; quam poſtea factus Papa retractauit. Ad *Honorium* diximus *to.* 1. *vbiſ.* Ad *Conc. Piſanum, & Baſileen.* (nam *de Conſtantien.* iam dictum eſt) *S. Antoninus*, qui vixit illis temporibus, ait fuiſſe conciliabula &c; & de illis dicitur, ſicut *de Conſtan.*

27 Obijc. 3. *Maimburg.* Anima *Conc. gen.* eſt Spiritus S., ſed Papa ſubditur Spiritui S., ergo ſubditur *Concilio gen.* 2. Totum eſt maius ſua parte; ſed *Concilium generale* eſt totum, quia repræſentat totam Ec-

Eccleſiam; & Papa eſt pars Eccleſiæ; ergo *Concilium gen.* eſt maius Papa; & ideo ſupra Papam. 3. *Vniuerſitas Pariſienſis, Senonienſis, & Florentina* docuerunt *Concilium* eſſe ſupra Papam; ergo idem.

Reſp. ad 1. retorq. Anima corporis humani eſt ſpiritus hominis, ſed caput ſubditur ſpiritui; ergo caput ſubditur corpori. Sicut ergo caput, licèt ſubdatur animæ, attamen eſt ſupra omnes alias partes corporis etiam collectiuè ſumptas, prout contradiſtinctas a capite, & non loquitur, niſi in capite: ita licèt Papa ſubdatur Spiritui S., qui eſt anima *Concilii gen.*, quod eſt corpus Eccleſiæ, attamen eſt ſupra *Concilium*, prout contradiſtinctū à Papa, & Spiritus S. non loquitur ſenſibiliter, niſi per os Papæ. Ad 2. diſt. mi. *Concilium*, prout dicit vnionem Spiritus S. cum Eccleſia, eſt totum, conc. prout dicit ſolam Eccleſiam excludentem Papam, ſubdiſt. Eſt quoddam totum, quia conſtat ex pluribus partibus, quod tamen eſt ſubtus caput, conc. quod eſt ſupra caput, neg. Ad 3. dicitur *illas Vniuerſitates* docuiſſe ſolùm *Concilium* eſſe ſupra Papam ſchiſmaticum. Præterea illis opponimus *Concilium Lateranēſ. Florent., & Trid.*, quod quoties loquitur de reformatione ſemper reſeruat Papæ auctoritatem; vt *ſeſſ. 9. & 14. c. 4. ſeſſ. 16. & 21. c. 2. ſeſſ. 7. de reform., & ſeſſ. 21. de reform. c. 1. & ſeſſ. 25. de reform. c. 21.* Inſuper *Vniuerſitas Pariſienſis* hanc doctrinam *in Richerio* damnauit; & conſequenter *in eius diſcipulis Lamoio, Maimburg, Natali; & aliis*. Ex his autem non formatur *celeberrima illa Vniuerſitas*; quæ eorum reprobando doctrinam, eos à ſe abdicauit: Magna illius Luminaria inſpicienda ſunt, *S. Tho., & ex noſtris Fund. Doct. Aegid. B. Auguſtinus Triumphus. Iacobus Viterb. Bartholomæus Vrbinas. Puteanus Doctor Toloſanus* V ii adeo infeſtus hæreticis, vt ſemel captus vinculis, & verberibus fuerit ſubiectus; vt tradit *Sammartinus in eius vita, Leonardus* Coquæus, *Doctores Sorbonici*, quibus adduntur B. *Albertus magnus, Alliacen., Almain., Celaia, Duallius, Hernaut, Mauclerus, & Baili* quos refert *eruditiſſimus Auctor tract. de libert. Eccleſia Gallicanæ lib. 7. c. 11.* Item *Bliat Archiep. Thuronen. ſuper concordatum inter Leonem X., & Franciſcum I. circa pragmaticam Gallorum ſanctionem, & alii plurimi*; qui ſapientiæ, vitæque ſplendore *Vniuerſitatem Pariſienſem* reddiderunt illuſtrem, paruifaciendæ autem *noctiluca*, quæ obſcuritatem inueſtere, & per errorum tenebras ſtudioſè volitare videntur.

28 Obiic. 4. Poteſtas data eſt propter Eccleſiam, vt 2. *Cor. 13. Poteſtas mihi data eſt in ædificationem, non in deſtructionem Eccleſiæ*; ergo poteſtas Eccleſiæ, quæ eſt *in Concilio*, eſt ſupra Papam, quia finis eſt perfectior medio. 2. *can. 9. c. legimus 24. diſt. 23. Si auctoritas quæritur, Orbis maior eſt Vrbe. & c. confidimus 25. q. 1., & c. contra, & c. prima, & c. ideò* decernitur Papam teneri *canonibus Synodorum; & c. ſicut diſt. 15.* dicitur quinque *Concilia œcumenica* non poſſe ſolui a Papa; & *S. Antoninus p. 3 tit. 23. c. 2. §. 6.* ait maiorem auctoritatem *Concilii* eſſe, quàm Papæ. 3. Si Papa malus non poſſet à *Concilio* puniri, Deus non ſufficienter prouidiſſet Eccleſiæ. 4. Mortuo Papa, vel amente, aut in hæreſim lapſo, tunc auctoritas eſt in Eccleſia: ergo etiam dum viuit. 5. Eccleſia poteſt cōgregare *Concilium*; ergo idem. 6. Si Papa haberet totam poteſtatem Eccleſiæ, ſequeretur eſſe fruſtra *Concilium*.

Reſp. ad 1. neg. conſ.; nam poteſtas patris eſt propter educationem filiorum, & tamen filij non ſunt ſupra Patrem. Ad 2. dicitur, quòd *D. Hier.*, cuius eſt illa ſententia, loquitur de Doctoribus Vrbis, non de Papa. Ad aliud dicitur teneri canonibus continentibus quid iuris Diuini, vt *inf.*, & ſic *de Conciliis œcumenicis*. Ad *S. Antoninum* loqui *de Conciliis* ſimul cum Papa, non ſeiunctis à Papa. Ad 3 dicitur Papam poſſe deponi. 1. in caſu hæreſis. VIII. *Syn. act. 7., c. audiuimus 24. q. 1., c. ſi Papa diſt. 40., c. Nouatianus 7. q. 1. c. didicimus, c. Achatius 24 q. 1., c. oues 2. q. 7.*, nam vt docet *Fund. Doct. de Renunc. c. 9.*, Papa, cuius anima eſt fides, ſine fide eſſet mortuus. 2. Papa poteſt deponi in caſu ſchiſmatis, quia tunc eſt dubius. 3. Si renunciet. 4. Si inualidè ſit electus, vt ſi eligatur præter formam præſcriptam à *Conc. Lat. can. 1., & cont. Bullā Greg. 15. Æterni Patris c. licèt 6. de elect.*, vel ſi eligatur infans, non conſentiens, ſimoniacè, coactè, vel ſi electio facta ſit a non electoribus; ideo ſufficienter prouiſum eſt Eccleſiæ, & fidei firmitati; extra tamen iſtos caſus a nullo poteſt deponi: docet enim *Fund. Doct. vbi ſ. c. 15.*, quod electio fit à Cardinalibus: electio autem ſoli Deo eſt reſeruata, & habetur *diſt. 79. c. ſi tranſitus, & c. electionem, & in ep. 2. Anacleti ad epiſcopos Italiæ*. Ad 4. reſp. *Fund. Doct. vbi ſ. c. 10. p. 5. & c. 24.* poteſtatem Papalem remanere in Collegio Cardinalium: ſicut poteſtas Imperatoris mortui manet in electoribus. Ad 5. dicitur poſſe Sede vacante dumtaxat. Ad 6. neg. ſeq; quamuis enim poteſtas Regni ſit in Rege, non tamen ſuperfluum eſt eius conſilium.

29 Obiic. 5. Cardinales eligunt, & confirmāt Papam: ergo ſunt ſupra Papam, ſed *Concilia* ſunt ſupra Cardinales: ergo ſunt ſupra Papam.

Reſp. *Fund. Doct. vbi ſ. c. 16. p. 2.* Papam confirmari duplici confirmatione, vna inuiſibili, qua confirmatur à Deo: altera viſibili, qua confirmatur a ſeipſo per ſuum aſſenſum.

A R T. IV.

An ſola Papæ poteſtas ſit infallibilis?

Diſcuſſa fuit hæc quæſtio *to. 1. q. 5. proœm. art. 6.* ſatis quidem inquirentibus veritatem, ſed non impugnantibus, quibus nunquam ſatis; quia ſemper tergiuerſando vim *Scripturarum*, rationumq; diffugiunt.

2 Poteſtas Papæ verſatur circa quæſtiones facti, quæ ſpectant ad regimen morum puniendorū, vel abſoluendorum, vel reformandorum, & circa quæſtiones iuris, ſeu legis Diuinæ, quæ controuertuntur circa articulos fidei. Non quæritur, an ſit infallibilis in decidendis quæſtionibus facti; ſalua nanque lex poteſt conſiſtere, etiamſi facta ab illa diſcordent: quæritur itaque, an ſit infallibilis, & irreformabilis in quæſtionibus, cauſis, ſeu contro-

uerſiis

uerſijs iuris, ſeu fidei Diuinæ; periret nanque fides in Papa, ſi aliquod falſum, per quod fides deſtrueretur, credendum proponeret. Inſuper Papam habere poteſtatem infallibilem decidendi cauſas circa fidem exortas poteſt intelligi, vt eſt Doctor priuatus, idèſt vt proferens, quid ipſe ſentiat, vt homo particularis, non enim ex eo, quòd eligitur ad Eccleſiæ vniuerſalis gubernium, deſinit eſſe particularis perſona proprium habens lumen rationis, naturalemque vim iudicãdi, quæ illi conuenit, vt homo eſt, & per conſequens propriam ſententiam, quam poteſt, vt talis homo, proferre, hominis nanque non exuit naturam, cùm Papa creatur, ideoq; non amittit, quæ naturaliter homini competunt. In hoc ſenſu quoque nõ procedit quæſtio; hominẽ enim, vt homo eſt, poſſe falli docent *Scriptura*, vt *Rom.3. Omnis autem homo mendax*. Vel poteſt intelligi, vt eſt Dei Vicarius de Sede iudicia proferens, & in hac acceptione loquimur.

3 Certum eſt neceſſariò admittendum eſſe in Eccleſia infallibilem Iudicem, qui, ne fides pereat, quæſtiones circa fidem in dies obiectas conuellat; hoc nanque ſtatutum eſt *contra Lutheranos* aſſerẽtes Iudicem cauſarum fidei eſſe *ſolam Scripturam*; ſicut enim vltra leges ciuiles neceſſariò admittendus eſt Iudex temporalis, qui leges explanet, quando obſcurè loquuntur, & litigia dirimat, quæ circa leges naſcuntur, nec ad illa dirimenda unquam leges ipſæ ſufficerent; ita à fortiori vltra legem Diuinam, quæ non vnum, ſicut lex ciuilis, ſed multiplices, ac myſterijs arcaniſſimis plenos continet ſenſus, debet admitti infallibilis Iudex, qui illam explanet, verum ſenſum pronunciet, & falſos, qui fidem valent euertere, ineluctabili auctoritate condemnet. Quæritur ergo, quiſnam ſit iſte infallibilis Iudex, ſeu in quo ſita ſit hæc poteſtas iudiciaria iudicandi iudicia Dei, & declarandi fidem Diuinam.

4 *Edmundus*, *& Launoius cum aſſeclis* relatis *in ſuperioribus art.* putant ſolum *Conciliũ generale* eſſe Iudicem infallibilem controuerſiarum fidei, ac proinde ſolum illius iudicium irreformabile eſſe; Papæ verò fallibile, & reformabile, ſi conſideretur extra *Concilium*, & nõ iudicare de Sede, ſeu ex Cathedra, niſi *in Concilio* ita, vt ſolum *Concilium*, non Eccleſia Romana, ſit Apoſtolica Sedes, de qua infallibiliter iudicat Papa; & ſic non *in Concilium* per Papam, ſed in Papam *per Concilium* hanc poteſtatem transfundi;

5 *Omnes* tamen *alij DD. catholici* omnium nationum, & partium Orbis oppoſitum fatentur, & probant; Papam nempe eſſe ſupremum Iudicem Eccleſiæ, extra *Concilia* generalia poſſe infallibiliter iudicare, & proponere credenda de fide; ab ipſo *in Concilia*, non è contra hanc poteſtatem deriuari; eius Sedem non eſſe *Concilium*, ſed Eccleſiam S; & Apoſtolicam Romanam, quæ eſt apex omnium Eccleſiarum.

6 Vnica concl. Papa habet poteſtatem infallibilem iudicandi cauſas fidei etiam extra *Concilium generale*; in quo non eſt poteſtas infallibilis, niſi per Papam, ac propterea Papam iudicare de Sede, ſeu loqui ex cathedra non eſt iudicare ex auctoritate *Conc. generalis*, ſed ex poteſtate Sedis Apoſtolicæ Romanæ, in qua eſt Chriſti Vicariatus, & primatus ſuper totam Eccleſiam.

Prob. 1. *textibus*, & rationibus allatis *in ſuperioribus articulis*; vna etenim, eademque res eſt primatus, poteſtas ſuper omnem Eccleſiam, & ſuper *Concilia*; ac poteſtas infallibilis, & irreformabilis ſimpliciter adeo, vt qui vnum aſſerit, aſſerere cogi poſſit & reliqua, & qui alterum negat, ad alia quoque neganda deduci. Vnde ſic 1. arguitur. Negare primatum Eccleſiæ eſſe in ſummo Pontifice etiam *extra Concilium* eſt contra fidem; ſed aſſerere poteſtatem Papæ *extra Concilium* eſſe fallibilẽ, & reformabilẽ eſt negare primatum Eccleſiæ eſſe in ſummo Pontifice: ergo aſſerere poteſtatem Papæ *extra Concilium* eſſe fallibilem, & reformabilem eſt contra fidem. Ma. oſtenſa eſt *art.* 1. Probmi. Aſſerere poteſtatem Papæ poſſe ab alia poteſtate exiſtente in Eccleſia viſibili firmari, ac reformari eſt negare primatum Eccleſiæ eſſe in ſummo Pontifice; eſt enim aſſerere dari aliquam poteſtatem ſuperiorem, cui ſubijciatur, & à qua Papæ poteſtas firmetur, ac reformetur, poteſtas autem, quæ ſubijcitur poteſtati ſuperiori, non eſt primatus: nomine nanque primatus ſignificatur poteſtas, quæ non habet ſupra ſe poteſtatem, & infra quam eſt omnis alia poteſtas: ſed aſſerere Papæ poteſtatem eſſe fallibilem, ac reformabilem eſt aſſerere dari in Eccleſia aliam poteſtatem potẽtem ſtatuere, & reformare poteſtatem Papæ: aliter Eccleſia non eſſet ſtabilis, & firma adeo, vt *portę inferi aduerſus eam praualere* non poſſint; quia nulla poteſtate viſibili firma, & irreformabili regeretur: ergo aſſerere Papæ poteſtatem eſſe fallibilem, ac reformabilem eſt negare primatum Eccleſiæ eſſe in ſummo Pontifice.

7 Deinde poteſtas, quæ profert ſententiam Dei eſt ſimpliciter Infallibilis, ac irreformabilis: in tantùm enim eſſet fallibilis, & reformabilis, in quantùm ſententiam falſam poſſet proferre: ſententia autem Dei falſa eſſe non poteſt, quia Deus nec falli poteſt, nec fallere: ſed poteſtas Papæ etiã *extra Concilium generale* profert ſententiam Dei: nam ſummus Pontifex in lege veteri etiam *extra Concilium* Dei proferebat ſententiam, vt dicitur *de Moyſe Exod.* 18. *Venit ad me populus quærens ſententiam Dei*; patet autem *ex Scriptura*, quòd non proferebat *Moyſes* ſententiam *in Concilio*; & ideo à fortiori etiam ſummus Pontifex in lege noua, qui per ſummum Pòntificem legis veteris figurabatur, etiam *extra Concilium* profert Dei ſententiam: ergo Papæ poteſtas eſt ſimpliciter infallibilis, & irreformabilis.

8 Inſuper *petra*, ſupra quã fundata eſt Eccleſia, eſt ſimpliciter immobilis, & irreformabilis; aliter Eccleſia ruere poſſet, quia eius fundamentum ſtabile, & firmum non eſſet; ſed poteſtas Papæ eſt poteſtas *Petri*, qui dictus eſt *petra*, vel quia ſuper ipſum, tanquam ſupra *petram*, fundata eſt Eccleſia, vel quia ab oratione Chriſti, qui eſt *petra* ſubſten-

ſtans Eccleſiæ ædificium, firmitatem accepit: vt docent *SS.PP.*, *& Concilia*; ergo Papæ poteſtas eſt ſimpliciter immobilis, & irreformabilis, ac propterea infallibilis, quæ à veritate nequit moueri.

9 Præterea poteſtas, qua aperitur Cœlum, & clauditur, non eſt fallibilis, & reformabilis; aliter cùm falleretur, poſſet inducendo in errorem contra fidem aperire infidelibus Cęlum, qui ſine fide poſſent ſaluari; ſed Papa etiam *extra Concilium* habet poteſtatem clauium, qua aperit Cęlum, & claudit, eſt enim in eo poteſtas *Petri*; cui dictum eſt; *Tibi dabo claues Regni* Cælorum *&c.* ergo Papæ poteſtas etiam *extra Concilium* non eſt fallibilis, aut reformabilis.

10 Item fides ſimpliciter indefectibilis nequit falli etiam *extra Concilium* in decidendis controuerſiis fidei; aliter ipſa fides deficeret, cùm falleretur inducendo in errores contra fidem; ſed Papæ poteſtas firmatur fide indefectibili, quia firmatur fide *Petri*, quæ fuit oratione Chriſti firmata, ne vnquam deficeret; ergo Papæ poteſtas etiam *extra Concilium* nequit falli.

11 Vrgetur. Poteſtas, quæ firmat omnes alias poteſtates, eſt infallibilis, & irreformabilis ſimpliciter; & omnes aliæ poteſtates, quæ firmantur, ſunt fallibiles, & reformabiles; quod enim fallibile eſt, infirmum eſt, idèſt non firmum in veritate; infirmum autem firmare, ſicut firmum nequit infirmare; & ita quod firmatur, infirmum eſt, quia firmum firmari non eget; ſed Papæ poteſtas firmat omnem aliam poteſtatem, quia eſt poteſtas *Petri*, quæ fuit firmata per Chriſti Domini preces; & debet confirmare fratres; dictum enim eſt ei; *Confirma fratres tuos*; alij autem Prælati ſiue extra, ſeu *intra Concilium* ſunt fratres; ergo Papæ poteſtas eſt infallibilis, & irreformabilis ſimpliciter; & omnis alia poteſtas etiam *in Concilijs* indiget à Papæ poteſtate firmari.

12 Vlteriùs poteſtas, cui tenemur ſimpliciter credere, eſt infallibilis, & irreformabilis ſimpliciter; quia tenemur tantùm credere ei, cui falſitas, aut error ſubeſſe non poteſt; ſed Papæ poteſtas etiam *extra Concilium generale* eſt huiuſmodi; eſt enim poteſtas *Petri*, qui *Act.* 15. dixit: *Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere*; & hoc non *in Concilio generali*, ſed prouinciali, concedunt enim *Aduerſarij Concilium* Apoſtolorum non fuiſſe generale, vt *ſuperiùs* diximus; ergo Papæ poteſtas etiam *extra Conciliũ generale* eſt infallibilis, & irreformabilis ſimpliciter.

13 Demum poteſtas Chriſti Domini eſt ſimpliciter infallibilis; ſed Papæ poteſtas eſt poteſtas Chriſti Domini; quia poteſtas Vicarii eſt poteſtas Pontificis recepta à Pontifice; ergo eſt ſimpliciter infallibilis, & irreformabilis.

14 Prob. 2. euertendo fundamenta *Aduerſariorum*. Si Papæ poteſtas eſſet fallibilis, maximè, quia in ipſo eſſet tantùm poteſtas miniſterialis, quæ poſſet corrigi, & reformari per poteſtatem principalem, quam dicunt reſidere in Eccleſia, & per conſequens *in Concilio*, quod repræſentat Eccleſiam; ſed hoc fundamentum iam fuit euulſum *art.* 2., ergo & in eo fundatum ſimul fuit dirutum.

15 Prob. 4. excutiendo aliud. Si Papæ poteſtas eſſet fallibilis, maximè, quia ſubiiceretur *Concilio generali*, à quo poſſet iudicari, reformari, confirmari, & ad quod poſſet à Papa appellari; ſed hoc eſt *contra Scripturas, Concilia, &* SS.PP. aſſerentes Papam eſſe *ſupra Concilia*, & ea iudicare, & confirmare, atque adeo ab illis non iudicari, & confirmari, neque ad illa poſſe appellari, vt fusè probatum eſt in *ſup. art.* ergo & conſequens eadem contrarietate laborat.

16 Præterea ita ſe habet poteſtas Papæ reſpectu totius Eccleſiæ, cuius eſt Paſtor; ſicut poteſtas Epiſcopi reſpectu Eccleſiæ particularis, cuius eſt Rector; ſed poteſtas epiſcopi non eſt reformabilis à populo, vel à Capitulo; ergo nec poteſtas Papæ eſt reformabilis à tota Eccleſia, vel à *Concilio generali* repræſentante totam Eccleſiam. Atqui poteſtas epiſcopi non eſt irreformabilis ſimpliciter, quia licèt non ſit reformabilis à populo, vel à Clero, cùm illi non ſubiiciatur; eſt tamen reformabilis a Papa, cui ſubiicitur: ergo Papæ poteſtas, quæ nulli ſubiecta eſt, cùm ſit ſuper omnem poteſtatem exiſtentem in terris, eſt ſimpliciter irreformabilis, atque adeo ſimpliciter infallibilis.

17 Similiter. Illud, de quo non licet chriſtiano, vt chriſtianus eſt, dubitare, eſt ſimpliciter infallibile in fide; ſed Papæ poteſtas eſt talis, vt de illa etiam *extra Concilium* non liceat chriſtiano, vt chriſtianus eſt, dubitare; ergo eſt ſimpliciter infallibilis in fide. Ma. probata eſt *ſuperiùs q.* 1. *art.* 5; vbi dictum eſt, quòd voluntariè, & pertinaciter dubitans in fide, infidelis eſt, & ideo deſinit eſſe chriſtianus, qui propterea nequit, vt talis, dubitare de rebus infallibilibus reuelatis per fidem. Prob. mi. *ex B.P. Aug. lib.* 2. *cont. duas ep. Pelagian. c.* 3. *Literis b. memoriæ Papæ Innocentij, quibus de hac dubitatio tota ſublata eſt*; *& ep.* 157. *In his enim verbis Apoſtolicæ Sedis tam antiqua, atque fundata, certa, & clara eſt catholica fides, vt nefas ſit de illa dubitare chriſtiano.* Atqui illa verba *Innocentij*, de quibus non licebat chriſtiano dubitare, non fuerunt *ab Innocentio* prolata *in Concilio generali*, vt conſtat, ſed in ſua Sede Apoſtolica Romana: ergo Papæ poteſtas etiam *extra Concilium generale* eſt infallibilis, ſeu indubitabilis, quod idem eſt, & per conſequens Sedes, ſeu Cathedra, de qua infallibiliter loquitur, ſeu iudicat Papa, non eſt *Concilium generale*, ſed Sacroſancta, & Apoſtolica Eccleſia Romana, quæ antonomaſticè *Apoſtolica* dicitur, quia à Principe Apoſtolorum, in quo erat plenitudo poteſtatis, fuit fundata.

18 Ampliùs. In illo ſolùm ſita eſt poteſtas infallibilis, quo poſito ponitur, & quo ablato aufertur, quotieſcunque enim plura ſimul in vnum conueniunt, tunc aliqua ratio illi vni conueniens eſt formaliter in illo, quo poſito ponitur illa ratio, & quo ablato aufertur, v.g. animalitas, & rationalitas conueniunt ad conſtituendum hominem, cui conuenit ratio diſcurrendi, & quia poſita rationalitate in homine ponitur ratio diſcurrendi, & abla-

ta

ta aufertur; ideo ratio diſcurrendi formaliter ſita eſt in rationalitate, non in animalitate,& ſic à pari; ſed poſito Papa *in Concilio generali* habetur poteſtas infallibilis, & ablato aufertur: *Concilia* nanque coacta ſine Papa,& à Papa reprobata erronea, & ſchiſmatica fuere, vt *in ſup.art.* diximus *de Antiocheno,Sardicen.II.,Arelaten.,Arimin., Epheſ.II., Syn.Trull. Conſtantinop.VIII. &c.*. Concilia verò congregata, approbata, & confirmata per Papam credenda ſunt fide infallibili; vt *Nicanum, Sardicenſe, Conſtantinop; Epheſinum, Tridentinum &c;* ergo in ſolo Papa ſita eſt formaliter poteſtas infallibilis.

19 Prob.4. à poſteriori argumento, quo B.P. *Aug. pſ. cont. partem Donati* vtitur: *Numerate Sacerdotes vel ab ipſa Petri Sede, & in ordine illo Patrum,quis cui ſucceſſit, videte.Ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperba inferorum porta; & quo cont. ep. Fundam.c.4.* fatetur ſe in Eccleſia teneri. In illo eſt poteſtas infallibilis, & indefectibilis, in quo fides nunquam defecit, nec contra fidei veritatem vllus vnquam fuit error; ſed ſolus Papa eſt huiuſmodi; ergo ſolus Papa habet poteſtatem infallibilem, & indefectibilem ſimpliciter. Ma. patet; eſt enim modus arguēdi à poſteriori admiſſus ab omnibus. Prob.mi.In Eccleſia Romana, quæ eſt Sedes *Petri*, nunquam fuit error contra fidem, nunquam defecit à fide, nunquam fuit ſchiſmatica; Eccleſiæ autem, quæ fuerunt Sedes omnium aliorum Apoſtolorum, defecerunt à fide, vt conſtat *de Achaia*, quæ fuit Sedes *Andreę*; *Aſiana Ioannis*; *Æthiopica Matthai*; *Indica maior Thoma*; *Indica minor Bartholomai*; & ſic de alijs;in tantùm autem defecerunt Eccleſiæ,in quantùm errauerunt earum Paſtores inſtructores earum: nam *mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus*, ergo ſolus Papa nunquam defecit, aut aberrauit à fide, ſicuti enim ex errore Eccleſiarum rectè arguitur error Paſtorum, ita ex perpetua ſtabilitate in fide Eccleſiæ Romanæ, quæ nunquam defecit, argumentum ſumitur efficax fidei indefectibilis, & infallibilis ſui Paſtoris, qui eſt Summus Pontifex. Euertitur per hoc *Aduerſariorum* obiectio, qua dicitur plures Papas erraſſe, vt *inf.*

20 Prob.5.*ad hominem*.Quod ſtatuunt *Concilia gen.*, eſt de fide credendum, nam *Concila generalia* habent infallibilitatem,vt docēt *Aduerſary*; ſed Papam eſſe infallibilem ſtatuunt *Cōcilia generalia*; nam *Chalcedon.ſub Leone act.29.in Proſph.ad Marcianum Imp.* loquēs de Papa ait: *Propugnator impenetrabilis ab omni errore*; eſſe autem impenetrabilem ab omni errore,eſt non poſſe errare,& infallibilem eſſe.VI.*Syn.in Proſph. ad Conſtantinum Imp.* vocat Papam *Adamantem fidei, cuius ſolida mens aggreſſionibus,atque conflictibus aliena à fide opinionis non eſt vulnerabilis*; ergo Papam eſſe infallibilem eſt de fide credendum;atqui hanc infallibilitatem non habet *à Concilio*,quia Papa non vocaretur *à Concilio* infallibilis;tunc enim *Concilium* loquitur de Papa, vt diſtincto *à Concilio*, aliter nugaretur, *Concilium* nanque loqueretur *cum Concilio*, quia Papa *in Concilio* eſt *ipſum Concilium*, ſicut pars in toto eſt totum; ergo Papa etiam *extra Concilium* eſt infallibilis.

Mag.Frideric.Nic.Gauardi.To.4.

21 Præterea ante primum *Concilium generale*, quod fuit *Nicanum* celebratum anno 325; multæ hæreſes fuerunt damnatæ, vt hæreſis *Nouatiani, & Feliciſſimi ſub Cornelio, Cataphrigarum ſub Stephano, Sabellianorum, & Pauli Samoſateni ſub Dionyſio &c.*,& certè qui poſt *Concilium* Apoſtolorum docuiſſet circunciſionem eſſe neceſſariam ad ſalutem, fuiſſet manifeſtus hæreticus;& poſt *Concilia generalia* multæ fuerunt damnatæ extra *Concilia*, vt hæreſis *Apollinaris, Timothei, & Vitalis à Damaſo, Ruffini Origeniſta ab Anaſtaſia, Pelagianorum ab Innocentio; Monothelitarum à Theodoro; Gracorum à Chriſtophoro &c.*, noſtris autem temporibus *propoſitiones Ianſeny ab* Innoc. *X.*, quam dannationem approbauit *Clerus Gallicanus in Comitiis gen.ep. ad eundem* Innoc., ergo Papa etiam extra *Concilium generale* habet poteſtatem infallibilem.

22 Prob.6. Ex eo, quòd tota *Vniuerſitas Pariſienſis* hodierna ſentiat, non ſicut ſenſit antiquitus, Papam eſſe fallibilem,ſubiicique *Concilio*,deducitur argumentum non leue, quo falſitas huius ſententiæ monſtratur. Nam quòd ſententia iſtiuſce Vniuerſitatis celeberrimæ nec vnius Doctoris in toto Orbe catholico fidem meruerit,& conſenſum inuenerit, euidens eſt falſitatis indicium; etenim ſi maior eſt, vt arguunt *Aduerſary*, *Conciliorum generalium* auctoritas, quàm Papæ, *quia plus vident oculi, quàm oculus*; profectò tantò maior eſt auctoritas Vniuerſi Orbis catholici auctoritate *Vniuerſitatis Pariſienſis*, quantò maior totus Orbis eſt Gallia, ſed hodierna ſententia totius Orbis catholici docet Papam *extra Concilium* eſſe infallibilē, eſſe *ſupra Concilia*; reprobatque tanquam falſam, & repugnantem *Scripturarum*, *Conciliorum*, *Sanctorumque Patrem* doctrinæ, ſententiam *Vniuerſitatis Pariſienſis hodierna*; quoquot enim Auctores *prater Gallos* ſcripſere, *hodiernos Gallos* aperto Marte oppugnarunt; ergo hodierna ſententia *Pariſienſis Vniuerſitatis* Vniuerſi Orbis chriſtiani ſuffragijs falſitatis conuincitur.

23 Sed abſit de illo ſapientiſſimo, ac celeberrimo cœtu hoc credere;ſatis enim & verbis, & literis *grauiores, ſapientioreſque Doctores* ſuam mētem monuerunt, quam apertè non pandunt, quia nunc bene loqui eſt malè audiri, ſibique pœnam maledicentibus infligendam benedicendo comparare. Supereſt ergo non Vniuerſitatem, ſed eos, quos Vniuerſitas eorum doctrinam reprobando *in Richerio*, tanquam membra reprobauit abſciſſa, id ſentire, & docere; & fortè fictè docent, quod verè non ſentiunt; apertiſſimis enim *Scripturarum textibus* contraire animus refugit, licèt lingua non metuat, quando præmium ſperatur, non pœna timetur.

24 Tandem ita ſe habet Eccleſia terreſtris per ordinem ad viatores, ſicut Eccleſia cœleſtis per ordinem ad comprehenſores; eſt enim illius imago, & exemplar; vt diximus *in proemio*; ſed dum fit inquiſitio in Eccleſia cœleſti circa aliquod fidei myſterium, non habetur infallibilis notitia illius,

niſi cùm reuelatur à Chriſto ſummo Pontifice: ergo & in Eccleſia terreſtri, dum ſit inquiſitio *in Concilio*, alicui veritatis ſpectantis ad fidem, non habetur infallibilis reuelatio, niſi cùm profertur à Pontifice ſummo Chriſti Vicario.

25 Obijc. 1. Si Papa haberet poteſtatem infallibilem decernendi fidei cauſas *extra Concilium*, ſequeretur fruſtraneum eſſe *Concilium*; poſsēt enim ſine ipſo omnes fidei cauſæ decerni, & terminari; ſed conſ. eſt abſurdum; ergo & ant. 2. *Concilium* habet aſſiſtentiam Spiritus S., & cōgregatur in Spiritu S. non ob aliud, niſi ad dirimendas controuerſias fidei; ergo ſolum *Concilium* habet poteſtatem infallibilem.

Ad 1. iam fuit reſponſum *in ſup. art.* ad 6. obiectionis. 4. Additur decretum, quod eſt actus voluntatis, ſuapte natura præſupponere conſilium, quod eſt actus intellectus, & quo frequentius eſt conſilium, eo ſolemniùs profertur ſententia; ideo quanuis Papa ad dicendas fidei ſententias nō egeat *Conciliorum* conſilio; quia à Spiritu S; qui nequit falli, conſulitur; attamen ad damnandas ſolemniùs hæreſes generale indicit *Concilium*, à quo examinātur Papæ decreta, ſicut *à DD.* examinantur *Scriptura*, non, vt reformentur, ſed vt edoceantur *à ſummo fidei Magiſtro*, & in illis inſtructi per ſingulas Orbis partes, ad quas *illi PP.* ſunt reuerſuri, ea promulgent. Vel *cum B.P. Aug. in ſup. art. ad* 2. dicitur *Concilia* non eſſe neceſſaria ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid ad confundendam ſcilicet pertinacium hæreticorum perfidiam, vt nedum Diuino, ſed etiam humano damnetur iudicio. Vel dicitur, quòd licèt propoſitio de Sede prolata à Pontifice ſit de fide credenda; attamen vt credatur, neceſſaria ſunt euidentia credibilitatis motiua eo modo, quo diximus *q. 1. art.* 5. § 2., inter quæ numeratur *populorum, & gentium conſenſio*, vt *ibid.* §. 3. *n.* 63., quæ conſenſio *per Concilia generalia* præſtatur, vtpotè ex omnibus gentibus conuocata, Examinantur autem Papæ propoſitiones *in Conciliis*, vt appareat *ſumma* earum *cum Diuinis Scripturis concordia*, quæ eſt aliud manifeſtum credendi motiuum. Igitur quamuis *Concilia* non ſint neceſſaria, vt Papæ definitiones infallibilitatem recipiant; ſunt tamen neceſſaria ad euidentiam credibilitatis, quæ ad credendum requiritur, Et ſicut ipſa fides Diuina, quamuis ſecūdùm ſe ſit infallibilis, ac irreformabilis ſimpliciter, petit tamen, vt credatur, ſenſibilia credibilitatis motiua, quibus, tanquam ſignis euidentibus, ad credendum, quæ non videmus, inducimur; non autem, vt ab his ſignis infallibilitatem recipiat; ita ſummus Pontifex, licèt habeat in ſe poteſtatem infallibilem, tāquam Vicarius totius Eccleſiæ, communicatam à Chriſto ſummo, æternoque Pontifice; attamen neceſſaria ſunt *Concilia*, non vt eius definitiones ab illis reformentur, reddanturq; infallibiles, ſed vt habeantur motiua, quibus ad eis aſſentiendum inducantur fideles. *Vid. q.* 3. *art.* 3. §. 1. *Concilia* tamen neceſſaria non ſunt, niſi quando periculum maximum imminet fidei, nec aliter poteſt vitari, & aliunde *Concilium* poteſt ſine graui chriſtianæ Reipublicæ damno vocari. Ad 2. dicitur verum eſse *de Concilio* ſimul cum Papa; tunc enim congregatur in Spiritu S., quando conuocatur per Papam, qui eſt organum, quo ſenſibiliter loquitur Spiritus S., & dicitur à Spiritu S. moueri, quia internè inſpiratur ad conſentiendum reuelationibus externis promulgatis, vel promulgandis per Papam.

26 Obiic. 2. Nedum S. *Cypr.*, ſed etiam *S. Stephanus* Papa errauit circa baptiſmum; nam ille aſſerebat nullum baptiſma collatum ab hæreticis valere, & ideo ſemper eſſe iterandum; iſte verò baptiſma etiam non collatum in nomine Trinitatis valere: ait nanque *S. P. Aug. lib. de vn. bapt. c.* 14 *Stephanus baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe cenſebat.* At *lib. 3. cont. Donatiſt. c.* 15. inquit: *Quòd ſi Euangelicis verbis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Marcion baptiſmum conſecrabat, integrum erat ſacramentum.* S. *Cyprianus* verò *ep. ad Iubaian.* aſſerit *Marcionem* non baptizaſſe in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Ob hoc S. *Aug.* nunquam priuilegium Iudicis indefectibilis Papę adſcripſit. 2. *Honorius* probauit hæreſim *Monothelitarum*. 3. *Paulus* IV, petiit à Conſiſtorio, an matrimonium poſſit diſſolui; falſus eſt enim Pontifices in hoc errore potuiſſe. 4. *Liberius, & plures alii* Pontifices errarunt; ſicut errauit & ipſe *Petrus* Chriſtum negando.

Reſp. ad 1. omnia eſſe figmenta; conſtat enim quæſtionem inter *S. Stephanum, & S. Cyprianum* fuiſſe, an baptiſma ritu Eccleſiæ collatum ab hæreticis eſſet reiterandum, quod negabat S. *Stephanus*: non autem quæſtio erat, an baptiſmus collatus in nomine Chriſti ſine expreſſa inuocatione Trinitatis ſit validus, de quo *ſuo loco* dicemus; ergo falſum eſt *S. Stephanum* probaſſe omnium hæreticorum baptiſma, ſed ſolum illud, quod ritè iuxta ritum Eccleſiæ erat collatum. Falſum quoque eſt S. *Cyprianum* aſſeruiſſe *Marcionis* baptiſma collatum fuiſſe ſolùm in nomine Chriſti, non in nomine trium perſonarum Diuinarum: baptiſma nanque collatum in nomine Chriſti eſt cum inuocatione Trinitatis, cùm Chriſtus iuſſerit ſic conferri *baptizantes in nomine Patris &c.* Item falſiſſimum eſt *B. P. Auguſtinum* nunquam tribuiſse Papæ priuilegium Iudicis indeficientis: vt claret *ex duobus textibus ſuperiùs* allatis: & ex aliis *in ſup. art.*, in quibus docet cauſam per Papæ definitionem vltimatè finiri. Imò falſum eſt hoc priuilegium non tribuiſse *eidem S. Stephano ep.* enim 48. *ad Vincent.*, poſtquam dixit, quòd *S. Cypr.* poſt Papæ definitionem correxerit ſententiam, hæc verba ſubtexuit: *Correxiſſe autem ſuam ſententiam non inuenitur, non incongruenter tamen de tali Viro exiſtimandum eſt, quòd correxit: & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimium delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.* Deinde referens, quòd licèt *aliqui* ſenſerint hanc ſententiam fuiſse S. *Cypriano* inuſtam mendaciter, re vera tamen illam non docuiſse: aſserit, quòd ſtylus epiſtolæ *ad Iubaianum* eam eſse illius oſtendit concludens: *Porrò Cyprianus aut non ſenſit omnino, quod eum ſenſiſſe recitatis; aut hoc poſtea correxit in* REGV-

LA VERITATIS: idèſt in ſummo Pontifice, quem regulam veritatis appellat, & ideo indefectibilem, quia regula veritatis nequit à veritate deficere, ſecus à ſe ipſa deficeret: ergo falſiſſimum eſt *S. Patrem Aug.* errorem *S. Stephano* impegiſſe, & ob hoc priuilegium Iudicis indeficientis non adſcripſiſſe. Quòd autem S. *Cypr.* correxerit, colligitur ex eius *lib.2.c.3., & ſerm 3.de ablut.pedum* aſſerens: *Baptiſmum repeti Eccleſiaſtica prohibens regula: ſemel ſanctificatis nulla deinceps manus iterum conſecrans præſumit accedere.* Ad 2. dicitur *Io.*IV., qui fuerat à ſecretis *Honorii*, & ſcripſerat literas *Sergio*, ediſſe apologiam, in qua oſtendit *Honorium* diuersè *à Monothelitis* ſenſiſſe, & verum ſenſum earum literarum explicuit. *Vid. to.1.q.5.proem.art.6.*, vbi exactè hæc res *à noſtro M. Lupo* explicatur. Ad 3. dicitur eſſe figmentum *D. De la Haye* Papæ infeſti eo, quòd ei matrimonii diſpenſationem negauerit. Vlteriùs dicitur hoc non fuiſſe definire ex cathedra, ſed ad conſulendum proponere. Ad alios Pontifices ab Hæreticis obiectos iam dictum eſt *to.1 vbiſ.*, errarunt ſiquidem, vt priuati *DD.*, non vt Chriſti Vicarii de Sede loquentes. Ad *D. Petrum* ſimul *cum Cerintho, Porphyrio, Gnoſticis, & Magdeburgenſibus* obiectum dicitur, quòd negauit, cùm adhuc Papa non erat; & ſi iam fuiſſet, non negauit de Sede docendo, & proponendo ſuam negationẽ à tota Eccleſia credendam, vt conſtat: ſed vt perſona priuata.

27 Obiic. 3. *Sophronius Prato ſpirit. 147. ex D. Greg.* narrat *Leonem*, cùm *epiſtolam dogmaticam cõtra Eutichetem, Neſtoriumque* ſcripſiſſet, eam tumulo Apoſtolorum impoſuiſſe emendatãdam, ſiquid emendandum haberet; & poſt quatuor dies *D. Petrum* apparuiſſe, ac epiſtolam reddidiſſe propria manu correctam. Item *epiſtola Leonis* fuit à multis impugnata, examinique ſubiecta.

Reſp. talem hiſtoriam non eſse certam de fide, & quamuis talis eſset, dicitur fuiſse emendatam non quoad fidei ſententiam, ſed quoad explicationem, verborumque expreſſionẽ. Ad aliud dicitur ex illo ſequi, quòd admiſsa correctione *D. Petri* adhuc errores continuiſset, quod eſt abſurdiſſimum. Illa igitur epiſtola corrupta fuerat, cùm verteretur *in græcum idioma, à Neſtorianis, & Euthichianis*: propterea S. *Leo* rogauit *Marcianum*, vt curaret fideliter verti.

28 Obiic. 4. *Maimburg.* Sententia aſserens Papæ infallibilitatem *paucorum* eſt *Italorum*: negans verò eſt innumerabiliũ *Polonorum, Gallorum, Belgarum, Germanorum; & Italorum*: ergo hæc eſt admittenda.

Reſp. *Maimburg.* aſserendo noſtram ſententiam eſse *Italorum paucorum* oſtendit ſe eſse lectorem, aut intellectorem paucorum librorum: nam præter *PP. Conciliorum, ac* SS. *DD. ſuperiùs, & art. 1.* laudatos, *PP. Syn. Aurelianen. Turronen. Ratiſbonen. Pariſien. Trecen. Pontigonen. Meledunen. Iraneus lib. 3. cont. hær. c. 3. S. Auitus ep. 87.* S. *Bonifacius martyr Germaniæ Apoſtolus, Iuſſe Ambianen. Alcuin. Lupus, Rhegino, Hincmarus,* Iuo *Carnot. Petrus* Cluniacen. S. *Bern. Petrus Cellen. Alliacen. apud ſapientiſſimum Auctorem Galliæ Vindicatæ differt. 4. §. 2. Card. Vitriaco, Stephan. Archiep. Pariſien. Franc. Archiep. Rotomagen. Albert. magn.* S. *Tho. Cellata, Duallius, Hermans, Mauclerus, Baſil.*, *& alii apud eruditiſſimũ Auctorem tract. de libert. Gallican. lib. 7. c. 6., & ſeq.* præter quos *Helias Archiep. Thuronen. in cõcordat. inter Leonem X., & Franciſcum* I. *cont. pragm. Gallorum ſanctionem*, quibus adduntur *noſtri Auctores ſuperiùs allati, & ex aliis Roffen. Echius, Becc. Maldonat. Albert. Pigh. Can., Brixian. Delphin.* vno verbo *omnes* exceptis *Richerio, Launoio, Maimburg., Natali, Almain. Gerſon., & aliis paucis*, qui quales ſint, & quanti faciendi, Sapientum iudicio relinquimus. Falſò autem referuntur *Dion. Carth. Toſtat. Illiricus, Alliacen., Syluius, & Adr.* VI. hi enim vel ſe retractarunt, vel nunquam docuerunt Papam de Sede loquentem falli poſse, vel fallere.

29 Colliġ. Papam de Sede loqui, cùm pronunciat aliquod de fide credendum à tota Eccleſia, damnans incredulos, ſegregansque à communione totius corporis Eccleſiæ.

A R T. V.

An Papa ſit ſupra canones?

1 ADuerſarii *in ſup. art.* citati, vt imminuant, quantùm poſsunt, poteſtatem ſummi Pontificis, aſserunt moderandam eſse per canones *Conciliorum generalium.* Hinc *Clerus Gallicanus propoſ. 3.* ſtatuit: *Apoſtolicæ poteſtatis vſum moderandum per canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos. Valere etiam regulas, & mores, & inſtituta à Regno, & Eccleſia Gallicana recepta: Patrumque terminos manere inconcuſſos: atque id pertinere ad amplitudinem Apoſtolicæ Sedis, vt ſtatuta, & conſuetudines tantæ Sedis, & Eccleſiarum conſenſione firmata propriam ſtabilitatem obtineant.* Quibus innuunt admittendos eſse ſolos canones editos *à Conciliis generalibus*, non à Pontifice, & cùm premuntur, ad canones *Concilii Baſileen., & Conſtant.*, imò ad illos ſolos, in quibus ſtatuitur *Concilium* eſse ſupra Papam, ſe ſe recipiunt, reiectis, vel perperam explicatis canonibus tot *Conciliorum generalium*, qui Papam ſtatuunt ſupra *Concilia*, vt diximus in *ſup. art.* Addunt regulas, mores, & inſtituta à *Regno Gallicano*, atque recepta ab eadem Eccleſia valere ad moderandum vſum Apoſtolicæ poteſtatis.

2 Ad reiiciendam hanc ſententiam ſatis eſset ſimpliciter ipſam videndam proponere; ſuis nanque ſe terminis ſtatim talem ſe prodit, vt ab illa primo intuitu ſtatim omnes abhorreant. Et quamuis funditus euertatur ex dictis *art. 1., & 2.*, vbi oſtendimus in Papa eſse totius Eccleſiæ primatũ, qui formaliter conſiſtit in poteſtate iudiciaria decernendi cauſas fidei, & morum, regendique totam Eccleſiam, quæ non regitur, niſi quibuſdam regulis ad Diuinæ legis obſeruantiam, ac morum ſanctitatem ducentibus: canones autem ſonant idem, ac regulæ: vt habetur *diſt. 3. 1. canon.*, quamuis inſuper refelli poſset etiam ex dictis *art. 3.*, vbi oſtenſum eſt Papam eſse ſupra *Concilia*, & per conſequens

ſup

ſuper *canones Conciliorum*; Iudex enim ſuperior nedum eſt ſupra Iudices ſibi inferiores, ſed etiã ſupra leges, aliter non eſſet ſuperior, quia eorum legibus obtemperare deberet, ſubiectus autẽ, & obtemperans eſſentialiter inferior eſt: attamen deouo eſt impetenda.

3 Etenim quid deeſt ad aſtruendũ in Eccleſia, imò in *Regno Gallicano* Eccleſiæ primatum? De Eccleſia arguitur. In illa Eccleſia eſt primatus, in qua eſt poteſtas moderandi omnes Eccleſias particulares, vt dicunt *Aduerſarii*: ſed in Eccleſia Gallicana eſt poteſtas moderãdi omnes Eccleſias particulares, quia eſt poteſtas recipiendi *regulas, mores, & inſtituta*, quæ valẽt moderari Eccleſiam Romanam, & conſequenter omnes alias particulares Eccleſias, ſupra quas aſſerũt eſſe Eccleſiam Romanam, quod enim poteſt moderari ſuperiorem, poteſt & inferiorem illi ſubiectum, vt claret: ergo in Eccleſia Gallicana eſt Eccleſiæ primatus.

4 De Regno eodem modo. Poteſtas inſtituẽdi leges, quæ valeant ad moderandum vſum poteſtatis Eccleſiæ Romanæ eſt Eccleſiæ primatus, quia poteſtas, quæ valet ſuis inſtitutis regulare Eccleſiam Romanam, eſt ſuperior ad illam, & per conſequens ad omnes alias Eccleſias particulares, ſupra quas eſt Eccleſia Romana: ſed poteſtas *Regni Gallicani* eſt huiuſmodi: ergo in *Regno Gallicano* eſt poteſtas primaria. Atqui poteſtas *Regni Gallicani* eſt laicalis, ſumitur enim *hic*, prout eſt poteſtas diſtincta à poteſtate *Eccleſia Galicana*: quia dicitur: *Inſtituta à Regno, & ab Eccleſia Gallicana recepta*: ſi autẽ nomine Regni ſignificaretur Eccleſia, propoſitio eſſet nedum falſa, ſed fatua: ergo poteſtas laicalis eſſet ſupra poteſtatẽ totius Eccleſiæ. Quomodò autem inconcuſſi maneant *termini Patrum*, imò *Scripturarum*, qui *Petro*, & ſucceſſoribus eius concedunt primatum, vt vidimus *art.* 1. qui primatus importat formaliter poteſtatem iudiciariam condendi leges ſpectaotes ad fidem, ac mores, ſi aſſerere, quòd Papa teneat primatum eo, quòd poteſtatem habet promulgandi decreta, eorumque obſeruantiam curare eſt voce tenus primatum concedere, reapſe tamen ipſum negare; vt oſtendimus *art.* 2., ſicque vocibus illudere, & recidere terminos *Patrum*? Imò nec inconcuſſi manent *termini ipſorum Aduerſariorum*, qui ſimul cum *Patrum* doctrina ſuam quoque concutiunt. Etenim, vt non negent terminos *Patrum*, aſſerunt Eccleſiam Romanam poteſtatem habere ſuper omnes Eccleſias particulares, non autem ſupra vniuerſalem Eccleſiam, & ideo nec ſupra *gener. Concilium*, quod totam repræſentat Eccleſiam; ſed dicere, quòd *Eccleſia Gallicana* habet poteſtatem inſtituendi leges, vel recipiendi inſtitutas à Regno, quæ valent moderari vſum poteſtatis Eccleſiæ Romanæ, eſt dicere, quòd Eccleſia particularis habet poteſtatem ſupra Eccleſiam Romanam; Eccleſia nanque *Gallicana* procul dubio eſt particularis Eccleſia; quis enim ita deſiperet, vt illam vniuerſalem vocaret? Dicere autem vnam Eccleſiã particularem eſſe ſupra Eccleſiam Romanam immediatè conuellit aliud dictum, ſcilicet Eccleſiam Romanam eſſe ſupra omnes Eccleſias particulares; contradictoriè nanque opponuntur; ergo vna cum terminis *Patrum* proprios quoque conuellunt; & ſic falſo contradictionis ſpiritu decipi manifeſtè monſtrantur. At cur potiùs regulæ, mores, Regnique inſtituta ab *Eccleſia Gallicana* recepta valent moderari vſum poteſtatis Apoſtolicæ Eccleſiæ Romanæ, & non etiam regulæ, mores, Regnorumque inſtituta recepta ab Hiſpanica Eccleſia valebunt ad moderandam Romanam Eccleſiam? Forſitan *in Gallijs* purior eſt fides, quæ eſt ratio dictans regulas ad moderandos fideles, quàm in Hiſpaniis, vbi *pyentiſſimi Reges* poſt celeberrimam illam expulſionem *Maurorum* nullum infidelem permittunt palam morari? Itaque ſi potiori, vel ſaltem æquo iure idem etiam dicatur *de Hiſpanica Eccleſia*, nonne hoc idem probari poterit de alijs quoque particularibus Eccleſiis, in quibus etiam hæretici permiſcentur catholicis, & ſic *à ſufficienter enumeratis* oſtendere omnem Eccleſiam particularem poſſe moderari Eccleſiã Romanam, & ideo Eccleſiam Romanam non eſſe ſupra totam Eccleſiam vniuerſaliter ſumptam, nec ſupra particulares Eccleſias, ſed omnes Eccleſias particulares eſſe ſupra Eccleſiam Romanam? Hoc autem eſſe adimere primatum ab Eccleſia Romana, quem SS. *Patres* concedunt *in terminis*, eamque deiicere infra omnem Eccleſiam, quo conuelluntur termini *Patrum*, quis non videat?

5 Nec refert, quòd præfata propoſitio aſſerat *vſum poteſtatis*, non autem *ipſam poteſtatem*, moderandum eſſe per *canones, regulas, mores &c.*; quaſi ſic dicendo poſſit in Papa ſaluari primatus. Nam contra eſt. Ille ſolùm poteſt moderari vſum alicuius poteſtatis, qui poteſt ipſam poteſtatem moderari; poteſtas enim moderatur ſolùm per ordinem ad vſum, vt patet; ſcilicet per ordinem ad actiones, quas poteſt ponere illa poteſtas, quæ actiones ſunt vſus, ſeu exercitia poteſtatis, ſed aſſerere dari poteſtatem in terris, quæ poſſit moderari poteſtatem Pontificis, eſt tollere ab ipſo primatum, qui eſſentialiter ſuperiorẽ nõ admittit; aliter eſſet *ſecũdatus*, non *primatus*; ergo aſſerere dari poteſtatem in terris, quæ poſſit moderari poteſtatem Pontificis, eſt tollere à Pontifice primatum. Ma. ampliùs prob. Moderari vſum alicuius poteſtatis propriè eſt imponere, & præſcribere ei modum agẽdi, hinc Deus dicitur *moderator omnium rerum*, quia omnibus rebus modum impoſuit, cùm *fecit omnia in numero, pondere, & menſura. Sap.* 11; menſura autem eſt modus rei; vt docet *B.P. lib. de nat. boni*; ſed præſcribens alicui modum agendi habet poteſtatem ſuper illum, Deus enim in tantùm præſcribit rebus omnibus modum, in quantùm eſt ſuper omnia; ergo ille ſolùm poteſt moderari vſum poteſtatis Apoſtolicæ, qui poteſt ipſam poteſtatem moderari. Reiecta ergo hac falſa opinione ad rem redeamus.

9 *Omnes DD. communiter* diſtinguunt *canones* in illos, qui continent ius naturale, aut Diuinum, in quibus nempe præcipitur aliquod, quod ſpectat ad legem naturæ, aut ad Chriſti Domini fidem eo,

quia

quia continent propoſitiones de fide credendas; & in illos, qui ſpectant ad eius humanum merè Eccleſiaſticum eo, quòd continent regulas morum. Primi continent quid iuris naturalis, & Diuini, quod eſt ſimpliciter infallibile, & immutabile, Deus enim, qui talis iuris eſt conditor, non mutatur. Secundi continent quid iuris humani, quod pro temporum varietate mutatur in melius, vt docet *B.P.lib.1.de lib.arb.c.6. Hoc ſupp.*

7 Vnica concl. Papa non eſt ſupra *canones* cõtinentes quid iuris naturalis, & Diuini; bene tamen ſupra *canones* continentes quid iuris humani, ſiue *illi canones* editi ſint *à Conciliis prouincialibus, & generalibus*; & multò magis à quolibet Regno, Republica, & Vniuerſitate laicali, ſiue à Papa, qui ſolus poteſt tribuere ius, & auctoritatem *canonibus quorumcunque Conciliorum*, & cætuum, ſicut illos poteſt reſcindere, & in illis aliquando diſpenſare, licèt ſemper non debeat: regulariter enim obligatur quoad vim directiuam ſuis legibus, ſuorumque prædeceſſorum, & poteſt condere *canones*, quibus, adhoc, vt obligent, non eſt neceſſaria acceptatio, & conſenſus.

Prima pars concl. indubia eſt *apud omnes*; Pontifex enim non eſt ſupra Deum; ergo nec ſupra leges à Deo ſancitas, vt ſunt *canones* continentes quid iuris Diuini. Habetur *Deut.4. Et nunc Iſrael audi præcepta, & iudicia, quæ ergo doceo te &c. Non addetis ad verbum, quod ego vobis loquor, nec auferetis ex eo. Cuſtodite mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis, & Leuit. 27. Hæc ſunt præcepta, quæ mandauit Dominus Moyſi ad filios Iſrael in Monte Sinai.* Vnde Papa, qui eſt ſummus Iudex in Eccleſia, ſicut *Moyſes* fuit ſummus Iudex in veteri lege, nequit ſoluere, mutare, abrogare, irritare, aut diſpenſare in his, quæ continent ius Diuinum poſitiuum, ſiue ius naturale, quod pariter eſt *lex Dei ſcripta in cordibus noſtris*, vt docet *Apoſtolus*. Habetur *c.ſunt quidam 25. q.1., & c. literas de reſtitut., & c.ſpoliator; & c. ſuper eo de vſuris.* Tum quia vt *ſup.* dicebamus, lex Dei eſt immutabilis, quia Deus non mutatur; vt habetur *c.non debet 8. de conſanguinit., & c.fin. de conſuetud.* Tum quia vel id ageret Papa poteſtate Diuina; & hoc non, quia poteſtas Dei Deo non reſiſtit. Vel poteſtate humana, & hoc neque, poteſtas enim humana eſt ſub poteſtate Dei, ideoque illi nequit opponere. Remanet ergo Papam poſſe ſolùm *canones* iuris Diuini poſſe declarare, explicare, & interpretari, quãdo dubium aliquod circa ipſos exoritur, quia eſt Iudex Eccleſiæ.

8 Prob.2. pars ex illo *Matth.16. Quocunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Quicunque *canones* ſpectantes ad ius humanum ſunt conditi ſuper terram; ſed Papa, vt *D.Petri* ſucceſſor, habet poteſtatem ſoluendi quodcunque ſuper terram; ergo habet poteſtatem ſoluendi quoſcunque *canones ſancitos* ab homine. 2. Poteſtas, quæ eſt ſuper omnem poteſtatem terrenam, poteſt reſcindere, mutare, & diſpenſare in quacunque lege lata à quauis poteſtate terrena; Rex enim poteſt tollere, vel diſpenſare in lege lata a Prorege, vel à Principe ſibi ſubiecto; ſicut enim Iudex inferior eſt ſub poteſtate Iudicis ſuperioris, ita lex inferior eſt ſub poteſtate legis ſuperioris: ſed Papa habet poteſtatem ſuper omnem poteſtatem terrenam, quia in illo eſt primatus, & Chriſti Vicariatus, qui formaliter importat poteſtatem ſuper omnem poteſtatem terrenam, vt diximus: ergo poteſt reſcindere, mutare, & diſpenſare in qualibet lege, ſeu *canone* lato à quauis poteſtate terrena: atqui poteſtas *Conciliorum, Regnorum, ac cætuum* eſt poteſtas terrena; ergo poteſt reſcindere, mutare, & diſpenſare in quauis lege, ſeu *canone* lato *à Concilijs*, Regno, aut cætu. 3. *PP. Concilii Nicæni* conformiter ad *canonem Apoſtolicum vetantem*, ne ſanciatur aliquid in Eccleſia abſque ſententia Romani epiſcopi, petierunt *à Syluestro* confirmationem *canonum* editorum *in illo Concilio*: confirmans autem *canones* eſt ſupra *canones*, quia ſicut confirmat, ſic poteſt reſcindere: ergo illud *Concilium generale* fatetur explicitè poteſtatem Papæ eſſe ſupra *canones Conciliorum generalium*, & multò magis prouincialium, Regnorum, ac cætuum. Similiter *Sardicenſe* catholicum ſtatuit Papam poſſe reſcindere acta, & *canones Conciliorum generalium*; *& Leo* II. reſcidit *canonem*, in quo *Syn. Conſtantinop.* III. decreuerat locum *Archiepiſcopo Conſtantinop.*, qui debebatur *Archiepiſcopo Alexand.*, Propter hoc *Concilia* petunt confirmari à Pontifice, vt eius *canones* firmitatem recipiant: ergo Papam fatentur ſupra *canones* eſſe: fatuè enim Iudex ſuperior confirmationem *ſuorum actorum* rogaret ab inferiori. 4. Solus Papa habet poteſtatem condendi *canones* ſpectaotes ad fidem: ergo & *canones* ſpectantes ad mores: nã fides eſt regula morũ: & quod poteſt in regulã, poteſt & in regulatũ, quod ſubditur regulę. Ant. probatũ eſt *art.4.* At ideo nequit reſcindere, vel mutare *canones* fidei, quia ipſa fides eſt ſimpliciter indefectibilis, & inuariabilis, mores autem temporum varietate mutantur, & eunt ab extremo ad extremum, ſunt enim actiones liberæ humanæ, quæ mutabilitati ſubduntur; ergo poteſt reſcindere mutare, abrogare &c., *canones* ſpectantes ad mores. 5. Solus Papa dicitur *cuſtos, vindex, & interpres canonum*: ergo ſolus habet poteſtatem ſupremam in canones, quia cuſtodire, vindicare, & interpretari ſunt actus poteſtatis, vt conſtat. 6. Habetur *c. Concilia diſt. 17. & c ſi Romanorum diſt. 18. & c.nec licuit diſt. 17. & c cuncta* poſſe Papam abſoluere damnatum *à Cõcilio, & c.fratres 9.q.3. & 26.q.1.§.his, & c.exiguus q.7. c.literas 13. de reſtitut, ſpoliat. c.innotuit 20. de elect. c.inter 2. de translat. epiſc. c.nonnulli 28. de reſcript.* 7. Chriſtus Dominus habet poteſtatem ſuper *canones* latos *à Concilys*: ergo & Papa, qui eſt eius Vicarius, qui non agit, niſi per poteſtatem Chriſti. 8. Quando dicitur vsũ poteſtatis Apoſtolicæ poſſe moderari per *canones Spiritu Dei conditos*, vel intelligitur, quòd illi *canones* conditi ſint *à Concilio* ſeparatim à Papa, vel ſimul cum illo? Si primũ: ergo illi *canones* non ſunt conditi Spiritu Dei, qui nõ aſſiſtit *Conciliis*, niſi per Papam, qui eſt organum viuum illius. Tum quia *Concilium* ſeparatè ſumptũ, non eſt *Concilium*, ſed *Conciliabulum*. Si ſecundũ;

er-

Digitized by Google

ergo dicere, quod vſus poteſtatis Apoſtolicæ poſſit moderari per *canones Conciliorum* eſt dicere, quòd Papa poſſit ſuam moderari potentiam, anima namque *Conciliorum* eſt Papa, ſicut Rex *in Conſilio* eſt *Conſilii* anima. Sicut autem in anima ſola etiã, vt vnita corpori, eſt formaliter dominiũ, ac poteſtas libera actionum, quæ fiunt ab ipſo corpore in formato ab anima, in corpore autem non eſt dominium, niſi participaliter ab anima, quæ ſola eſt formaliter domina ſuarum actionum, ſiue fiant in corpore, ſiue extra corpus; ita ex eo, quòd *Concilia* coniunctim, non ſeparatim à Papa, poſſint moderari vſum poteſtatis Papalis, arguitur, quòd ſolùm in Papa ſit poteſtas ſupra *canones à Conciliis* conditos, quia *in Conciliis* non conduntur formaliter, niſi per Papam; & conditor legis non eſt infra, ſed ſupra legem, nam qui eſt infra legem, eſt ſubditus legi, qui nequit condere legem, ſecus eſſet ſimul ſubditus, & ſuperior, quod repugnat.

9 Quòd autem Papa ſit ſupra poteſtatem laicalem, prob. Gladius, ſeu poteſtas ſpiritualis eſt ſupra gladium, ſeu poteſtatem materialem, quia illa poteſt in animam, quæ eſt ſupra corpus; iſta verò tantùm in corpus, quod eſt infra animam; ſed poteſtas laicalis eſt gladius materialis, & poteſtas Papæ eſt gladius ſpiritualis, de quibus gladiis Chriſtus Dominus *Matt.* 10, dixit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potiùs timete eum, qui poteſt animam perdere in gehennam*; Papa autem poteſt occidere animam, eamque perdere in gehennã, quia cùm habeat claues Regni Cœlorum, poteſt illam excludere à Cœlo, excluſa autem à Cœlo ei non ſupereſt, niſi gehenna; ergo Papæ poteſtas eſt ſupra omnem poteſtatem laicalem. Sed de hoc *in ſeq. art.*

10 Præterea quòd Papa non debeat ſemper, & regulariter diſpenſare *in canonib.*, ſed regulariter teneatur illos vindicare, & cuſtodire, atque adeo directiuè (regulariter loquendo) obligetur ad obſeruantiam *earum*, prob. *cum Fund. Doct. de poteſt. Pontificia p.* 3. *c.* 2. *ex B. P. Aug.* 9. *de Gen. ad lit. c.* 17. Deus ſecundùm legem communem ſinit naturam rerum agere motus, curſuſque ſuos, & raro agit ſecundùm legem ſpecialem patrando miracula, quæ ſunt ſupra poteſtatem naturæ; ſed Papa eſt Vicarius Dei, Vicarius autem tenetur ſequi modum agendi illius, cuius vices gerit; ergo regulariter loquendo ſecundùm legem communem tenetur ſinere, vt *Conciliorum* decreta executioni mandentur, quanuis ſecundùm legem ſpecialem poſſit diſpenſare, ſemper tamen in bonum Eccleſiæ. 2. Si ſemper diſpenſare deberet, & reſcindere *canones Conciliorum*, eſſent fruſtranei illi *canones*, quia ſtatim caſſarentur, & ſemper priuarentur ſuo fine; ſed hoc non eſt dicendum; ergo neque primum. 3. Legiſlator tenetur quoad vim directiuam ad ſuarum legum obſeruantiam; nam ſuo exemplo magis inducit ad earum obedientiam, quàm præcepto; quapropter dicitur; *Regis ad exemplum totus componitur Orbis*; ergo Papa non debet ſemper diſpenſare, ſed tantùm in quibuſdam caſibus, in quibus malum aliquod ingruit, vel bonum obuenit vniuerſæ Eccleſiæ. Tandem hoc habetur *c. confidimus* 25. *q.* 1., *c. contra ſtatuta ibid., c. iuſtitia, & c. ideo ibid., c. ſi ea* 25. *q.* 2., *c. inſtitutionis, c. quòd verò, c. deceſſorum, & c. poſtquam ibid., & ſæpe alibi*,

11 Cauſæ autem, ob quas Papa diſpenſare poteſt, & debet, ſunt vtilitas, & neceſſitas, mutatio temporum, & perſonarum, virtus eminens, & humilitas ſupplicantis, multitudo delinquentium, hominum malignitas duriora aſpernaotium &c. *Vid. de leg. q.* 2. *art.* 7. §. 4.

12 Tandem vlt. pars concl., quòd nempe neceſſaria non ſit acceptatio, & conſenſus, vt Papæ *canones* obligent, prob., nam vt dicebamus *ſup. de leg. q.* 2. *art.* 2. §. 2., ſi ad hoc, vt obliget, ſeu liget lex, quæ etiam *à ligando* dicitur, requireretur acceptatio populi, iam poteſtas obligandi penes populum eſſet, non penes Legiſlatorem, præciſo enim conſenſu populi nulla eſſet obligatio; ergo ſi ad hoc, vt *canones* Papæ obligent, requireretur acceptatio, & conſenſus omnium fidelium præſtitus *in Conciliis generalibus* per maiores omnium Eccleſiarum nomine, poteſtas obligandi eſſet in omnibus ſubditis Papæ, non in Papa; atqui poteſtas obligandi ad obſeruantiam *canonum* eſt Eccleſiæ primatus, & Chriſti Vicariatus; ergo primatus Eccleſiæ, & Chriſti Vicariatus eſſet in omnibus fidelibus, nec in ſolo Papa, quod eſt damnatum. *Vide ibid.* Inſuper Papa habet ius paternum ſpirituale in omnes fideles, & vxorium in totam Eccleſiam; dicitur enim *Beatiſſimus Pater omnium fidelium*, & totius Eccleſiæ ſponſus, ſicut epiſcopus eſt ſponſus Eccleſiæ particularis; ſed præcepta Patris, & ſponſi, vt obligent, non exigunt acceptationem, & conſenſum filiorum; præcipit enim abſolutè Deus *honorare parentes*, qui honor maximè obedientia præſtatur; & vxori 1. *Petri* 3. *Mulieres ſubditæ ſint viris*; ergo lex Papæ non exigit acceptationem, & conſenſum fidelium.

13 Præterea quanuis admittatur aliquas leges ciuiles requirere acceptationem, quando populus tranſmittit poteſtatem in Principem, tunc enim intelligi poteſt, quòd illam trãſmiſerit taxatiuè, idèſt non ad illam legem ferendam, attamen falſiſſimũ eſt de lege Eccleſiaſtica, quæ eſt lex Dei, cùm ſit lex ſui Vicarii; ſed lex Dei non requirit conſenſum, vt obliget; nam etianſi *Hebræi, Turcæ, & Gentiles* non conſentiant legi Chriſti: attamen nullus diceret ad eam amplectendam non obligari: ergo neque lex Papæ.

14 Collig. ex dictis Papam habere poteſtatem ſupremam abſoluendi à peccatis, & cẽſuris à quocunque epiſcopo reſeruatis; & reſeruandi ſibi peccata, & cenſuras ſubditorum cuiuſuis epiſcopi, nec non iudicandi iudicia, & ſententias iam latas à quolibet; ideoque habere poteſtatem ſupremam in foro interno, ac externo: aliter non poſſet ſoluere, & ligare quodcunque ſuper terram &c.

15 Obiicit 1. *Richerius*: *Quod omnes tangit, neceſſum eſt ab omnibus quoque comprobari*: ſed *canones* omnes tangunt: ergo neceſſe eſt ab omnibus approbari: atqui hoc nequit fieri, niſi *in Conciliis gen.*; ergo ſola *Concilia gen.* habent poteſtatem condendi

di *canones* obligantes in conſcientia. 2. *Io.* 14. promittitur Spiritus S. omnibus Apoſtolis, non *ſoli Petro*; ergo epiſcopi ſucceſſores Apoſtolorum *in Cõcilijs* habent per aſſiſtentiam Spiritus S. poteſtatem condendi *canones* obligantes in conſcientia. 3. *Zoſimus* habet: *Contra ſtatuta Patrum &c. concedere, vel mutare ne huius quidem Sedis poſſit auctoritas; apud nos enim inconuulſis radicibus viuit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxere reuerentiam.*

Reſp. ad 1; quòd etiam lex naturæ, & lex Dei poſitiua omnes tangunt, & tamen certum eſt neutram ex libero omnium conſenſu pendere ad hoc, vt obliget. Ad 2., quod eſt arg. *M. Antonij de Dominis*, iã diximus *art.* 1. ad 1. tertiæ obiect. *& art.* 3. ad 2. primæ obiect. Ad 3. dicitur nomine *Patrum* ſignificari *Zoſimi* prædeceſſores, quorum decretis etſi *Zoſimus* derogare potuiſſet, attamen ob reuerentiã ea voluit ſeruare. Vel ſi ſignificantur *Patres Conciliorum*, dicitur hoc intelligi *de Patribus in Concilijs* exiſtentibus ſimul cum Papa, à quo decreta firmitatem accipiunt, & ideo ſemper *Zoſimus* loquitur per ordinem ad Papam. Alia ſoluuntur *ex dictis.*

16 Inſt. Si Papa eſſet ſupra *canones*, poſſet totũ ius canonicum deſtruere, & aliud nouum condere; ſed hoc eſt falſum, quia deſtrueret normam totius vitæ chriſtianæ, & ideo tutam vitam chriſtianam; ergo falſum eſt ant.

Reſp. neg. ſeq., nam diſpenſando *canones* agit iuxta leges ſpeciales, vt diximus; lex autem ſpecialis toti derogare non poteſt; ſicut enim Deus agens ſupra leges vniuerſales naturæ agit ſecundùm legẽ ſpecialem, quæ non euertit totum ordinem ipſius naturæ, ſed in aliquo tantùm diſpenſat; ita dicendum de Papa, qui eſt Dei Vicarius, & vt Dei Vicarius operatur.

A R T. VI.

An Papa habet poteſtatem in temporalia?

1 *AN quæro placere hominibus? Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem*; inquit *Apoſt. ad Galat.* 1. Qui ſæculares Principes à poteſtate Papæ quoad temporalia conantur eximere ſerui Chriſti incipiunt non eſſe, hominum enim euadunt mancipia; amor autem placendi hominibus diſplicet Deo, cui diſplicere ſeruus non poteſt, cùm ſeruos dixerit amicos *Io.* 15. *Iam non dicam vos ſeruos &c. Vos autem dixi amicos.* Imò nec Principibus ipſis placere debent, ſeruique eorum vocari, eis ſiquidem machinantur, ne in hoc, & futuro ſæculo regnẽt. Conquerebatur *Samuel* ſummus Sacerdos 1. *Reg.* 8. quòd populus Regem, qui temporalia iudicaret, petiiſſet, cui reſpondit Dominus: *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Quid igitur moliuntur hi ſubducendo Reges, & populos à poteſtate ſummi Pontificis quoad temporalium regimen rerum, niſi in Dei Vicario Deũ abiicere, ne regnet ſuper Reges, & Regna, qui ſolus hæc poteſt ſtatuere, & ſolidare, ne ruant, eoſq; firmare, ne cadant; abiecto autem Deo, *à quo eſt omnis poteſtas in Cælo, & in terra*, poteſtatem in terris regnandi abiicere à Regibus, ac in Cœlis à Regibus ſimul, & populis? Gratiam igitur, non inuidiam Principum iuſtè, ſanctèque mereri ſperamus, ſi compreſſis lenocinantium vocibus eos, eorumque ditiones Deo ſubiiciendo in illius Vicario, qui Dei vices gerit in terris; firmabimus eorum, ac ab ipſis deſcendentium Imperia; dum *in Petra, tanquam in petra ſtabili* collocanda eſſe probabimus.

2 Papæ poteſtas in temporalia cepit priùs, quàm negari, contemni. Anno 1076. *Greg. VII. Henricum IV. Germaniæ Regem*, vt à ſimonia abſtineret, ſæpius admonitum, à communione Eccleſiæ tandẽ remouit, Regijs exuit inſignibus, Regnumque *Rodulpho Teutonicorum Regi in Conc. Rom. III.* conceſſit. *Henricus, eiuſque fautores epiſcopi* diris percuſſi *Conciliabulum Moguntiæ* inchoatum, deinde *Brixiã* translatum celebrarunt, in quo non quidem *Gregorij* poteſtatem in temporalia auſi ſunt inficiari, ſed ipſum, tanquam *Romanæ Sedis* inuaſorem peſtiferum, ac periurum, deponere, & *Vuigbertum, ſeu Guibertum Archiepiſcopum Rauennatem* Antipapam crearunt. Quos tamen *Gregorius in Conc. Rom. VIII.* anno 1081., & X. anno 1084. iterum anathemate ferit. Narrat *Natalis hiſt. Eccl. ſæculo* 11., *&* 12. *diſſert.* 2. *art.* 5. *ex Lamberto Scafnaburgenſi*, quòd *Vuilelmus Traiectenſis epiſcopus* Regi nimis addictus miſſarum inter ſolemnia *contra Gregorium* rabidè declamabat periurum, adulterum, pſeudoapoſtolum impudentiſſima fronte compellans. At poſt feſta Paſchalia, cùm Rex iam diſceſſiſſet, ſubita, grauique ægritudine oppreſſus, cùm acerrimis animæ, & corporis torqueretur cruciatibus, coram adſtantes miſerabili eiulatu clamabat iuſto ſe Dei iudicio & præſentem vitam amiſiſſe, & æternam eo, quòd Regi ad omnia, quæ perperam intendiſſet, operam ſuam ſummo auſu præbuiſſet, atque in ſpem gratię eius Romano Pontifici Sanctiſſimo, & Apoſtolicarum virtutum Viro innocenti ſciens, & prudens irrogaſſet; & in hanc vocem expiraſſe, animamque illius poſt mortem *Abbati Cluniacenſi* apparuiſſe, cui ſuam damnationem nunciauit; ſicque alios *Henrici* fautores miſerè obijſſe ita, vt (inquit *Natalis*) *nulli dubium ſit ipſos inobedientia erga Romanum Pontificem, adulatione erga Regem, & ſchiſmatis pœnas Deo vindice dare.* Item *in Conc. Quintilineburg.* anno 1085. cùm prolata eſsẽt *SS. PP.* decreta de primatu Apoſtolicæ Sedis, quæ à nullo iudicari, omneſque ſuo iudicio poteſt ſubijcere, *quidam Cunibertus Bambergẽſis clericus* perfrictæ frontis reſpõdit Romanos Epiſcopos hunc ſibimetipſis primatũ arrogaſſe, non eis conceſſum fuiſſe, quem tamen *à quodam laico* conuictum illis verbis *Matt.* 10. *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum* (cùm enim in omnibus eccleſiaſticis ordinibus cautum ſit, ne maior à minori iudicetur, nefas eſt Papam, quem tota ſemper Eccleſia confeſſa eſt magiſtrum, Patrẽ, ac Dominum, à quoquam iudicari, & quenquam ab illius iudicijs ſubduci) tota Synodus ſtatim damnauit. *Henricus* iterum coacto *Mogũtiæ Conciliabulo* egit, vt *Gregorij* depoſitio, *&* *Guiberti* electio approbaretur *apud Sigebertum* eodem anno, *Vrbanus* autem II. *in Con. Rom.* decreta *contra Henricum, & Guiber-*

tum Apoſtolica auctoritare confirmat, quod factũ fuiſſe etiam *in Conc. Beneuentano* anno 1190. teſtatur *Bertoldus Conſtant.* Idē præſtitit *Paſchalis II. in Lat.*, in quo totius Eccleſiæ iudicio *idem Henricus* anathemati fuit ſubiectus teſte *Abbate Vſpergenſe* anno 1102. Poſthæc *Henricus Imp.* anno 1122. *Calixto II. in Conc. Lat.* ſe ſubmittit, inueſtituras epiſcoporum per anulum, & baculum renunciat, & cũ Eccleſia pacem init. Sed anno 1139. *Fridericus II. à Greg.* rebellat, qui illum anathemate ferit. Tunc *quidam Petrus de Vinea Friderici* cauſam ſuſcipiēs ſcripſit contra auctoritatem Papæ aſſerens omnia ſubdi Imperatori, vt refert *Platina in vita Innoc*; qui edidit *librum apologeticum de poteſtate Imperatoria, & Pontificia.* Re delata *ad Conc. gen. Lugd. II. ſub Greg. X.* anno 1274. definitum fuit Papam obtinere ſummum, ac plenum primatum ſuper vniuerſam Eccleſiam. Huic *Conc.* interfuit *noſter B. Auguſtinus Triumphus Anconitanus Doctor Sorbonicus S. Thomæ diſcipulus, ac in eiuſdem apud Foſſam nouam* defuncti, dum pergeret *ad idem Conc.* locũ ſuffectus, qui complero *Concilio* edidit *librum de poteſtate Eccleſiaſtica* diſertiſſimè probans Papæ poteſtatē ſuper Reges, & Regna. Annũ circiter 1300. *Philippus Pulcher* grauiſſimum *in Bonifacium VIII.* conceperat odiũ eo, quòd de transferendo *à Germanis ad Gallos* imperio *in Carolum fratrem* fregiſſet, vt refert *Vecerius in vita Henrici* VII. *Imp.* Quapropter iræ ōceptæ executionem quærēs *ſacerdotales Galliarum titulos* à ſummis Pontificibus vſque tunc cōponi ſolitos Rex ordinauit. Id grauiter ferens *Bonifacius* maiores *Galliarum Prælatos ad Conc. gen. Romam* accerſit; at ne Regno exeant, prohibentur à Rege. Cuius rei admonitus *Bonifacius* Regē primùm literis increpat, deinde anno 1302. *in Conc. Rom.* ab Eccleſia remouet. Tunc Rex coacto Clero aliquibusque Patritijs, *Bonifacium* fuiſſe dolis ad Pontificatum euectum, *S. Cæleſtinum* ſe abdicare non potuiſſe, nullamque habere ſuper Reges, Regumque temporalia poteſtatem declarari curauit. Mox *Fund. Doct. B. Aegidius Columnius* eiuſdem Regis magiſter, fulgentiſſimum V*niuerſitatis Sorbonica* decus toto Orbe clariſſimum, quanuis Regi intimè charus, attamen catholicæ potiùs veritatis profeſſor ingenuus, quàm falſus amoris Regii aliàs beneficentiſſimi adulator Clero, & Regi intrepidè, ac potenter ſe oppoſuit *edito libro de Renunciat. Papæ*, in quo probat *S. Cæleſtinum* ſe abdicare potuiſſe, & *Bonifacium* ritè electum fuiſſe; & altero *de poteſtate Pontificia*, in quo perſpicuè, ſolidèque demonſtrat eam eſſe ſuper Reges, & Regna diſſoluens leuia argumenta obiecta à deſertoribus filiis, qui, vt Regem temporalem ſequerentur, ſpiritualem omnium Patrem reliquerant. Eodem tempore *noſter Iacobus* Viterbienſis *Archiepiſcopus Neapolitanus Doctor* itidem *Sorbonicus* ab acri, terſoque ingenio *Doctor ſpeculatiuus* nuncupatus edidit librum *de Regimine Chriſtiano* in duos tractatus diuiſum, in quorum primo *de Eccleſia*, in ſecundo *de potentia Chriſti Regis, & eius Vicarii* ſubtiliſſimè tractat. Circa annum 1347. cùm *Io. XXII.* à communione fidelium *Ludouicum Bauarum* ſegregaſſet, repullulauit hæc quæſtio; *quidam* enim ſex protulit quæſtiones contra Eccleſiaſticam poteſtatem; quas tamen retuderunt editis libris *noſter Bartholomæus epiſcopus Vrbinas Doctor Sorbonicus* B. *Auguſtini Triumphi diſcipulus*, *Guilelmus* Cre*monen*, *& Alex. à S. Elpidio*. Exinde ſæculo elapſo *Lutherus*, eiuſque diſcipuli ſe oppoſuerunt, quos tamen euerterunt *noſtri Io. Hoffmeiſterus Sueuus* Colmarienſis dictus *Antilutherus*, vt teſtatur *Pamphilus*; *Peregrinus Naſellus Patauinus*, *Onuphrius Panuinius*, *Nunnius Coronel Luſitanus*, *Io. Coquæus*. Quod præſtiterunt etiam innumeri *exteri*.

3 *Richerius cum aliis ſuperiùs relatis*, quibus adhæſerunt *alij* aſſerentes *B. Petro, eiuſque ſucceſſoribus Dei Vicariis, ipſique Eccleſia rerum ſpiritualiũ, & ad æternam ſalutem pertinentium, non autem ciuilium, & temporalium à Deo traditam poteſtatem dicente Domino: Regnum meum non eſt de hoc mundo; & iterum: Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo; ac proinde ſtare Apoſtolicum illud: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas, niſi à Deo, quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt. Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Reges ergo, & Principes in temporalibus nulli Eccleſiaſtica poteſtati Dei ordinatione ſubiici, neque auctoritate clauium Eccleſia directè, vel indirectè deponi, aut illorum ſubditos eximi à fide, atque obedientia, ac præſtito fidelitatis ſacramento ſolui poſſe; eamq; ſententiam publica tranquillitati neceſſariam, nec minùs Eccleſia, quàm Imperio vtilem, & verbo Dei, Patrum traditioni, & ſanctorum exemplis conſonam omnino retinendam.* Hanc ſententiam *Natalis Alex. ſæc. 14. p. 1. c. 5. art.* 2. affingit *Fund. Doctori Aegidio in tract. edito à Goldaſto to. 2. Monarchia.*

4 Sed compertiſſimæ hoc conuincitur falſitatis. 1. Quia certiſſimum eſt *Fund. Doct.* edidiſſe *librũ de Poteſtate Pontificia* in tres partes diuiſum, qui in plurimis *Noſtri Ordinis Bibliothecis*, & in Romana duplicatus habetur; & ob ſtili congruitatem, & cōſonantiam ad ea, quæ aliis dixit in libris, ipſius eſſe non niſi ſupinè poſſet negari. In hoc fuſiſſimè probat Papam habere gladium ſpiritualem *ad vſum*, & materialem *ad nutum*: habere iura cœleſtis, & terreſtris imperii; omnem poteſtatem ſæcularem ſubijci poteſtati ſpirituali ita, vt nō ſolùm Reges quoad perſonam, tanquam fideles, ſubiiciantur Papæ, ſed etiam eorum poteſtas Papæ poteſtati ſubdatur, & gladius ſit ſub gladio; *& p. 3.* ſoluit rationes illius libri *à Goldaſto* editi. 2. Stilus libri, quem refert *Goldaſtus*, eſt toto cœlo diuerſus à ſtilo *Fund. Doct.* 3. Liber ille *art. 5* §. *Primò* verſus finem Regē Galliæ vocat *Dominum, ac Regem noſtrum*: *Dicamus ergo, quòd Dominus noſter Rex &c.*, quo conuincitur eum librum *à quodam Gallo* fuiſſe compoſitum, qui tamen proteſtatur in fine ſe ſcripſiſſe non ſententiando, ſed *ſine præiudicio melius opinandi*; *Fund.* autem *Doctor* non *Gallus*, ſed fuit Romanus; & quoties in aliis libris, præſertim *de Regimine Principum* quem in gratiam *Ludouici Pulcri*, excuſſit, occurrit *Regum Galliarum* mentionem facere nũquam Do-

mi-

minum, ac Regem ſuum vocauit. 4. Quia liberculus à *Goldaſto editus in noſtra Bibliotheca Romana* manu ſcriptus antiquiſſima aſſeruatur, nec eius titulus *Aegidio*, ſed *incerto Auctori* inſcribitur. 5. Quia contradicit iis, quæ ſcripſerat *de Renunc. Papa, lib. cont. exemptos in epiſt. ad Romanos, & pluribus alijs libris*; vnde prorſus inueriſimile eſt voluiſſe *tantum Auctorem* tot ſuos libros mutata repente ſententia ſubuertere. Tandem quia quod *Goldaſtus* dubitanter, *Natalis* aſſeueranter attribuit; vnde ſi cæteri Auctores, quos illa in ſua refert hiſtoria, eodem modo referantur, quænam fides ei eſt adhibenda?

5 Vera ergo, & communiſſima ſententia, quam *cum Fund. Doct. Aeg.*, ſequuntur *omnes noſtri DD. Auguſtinus de Roma Archiep. Nazaraus lib. de Principatu Papa dicato Carolo Malateſta, Alex. de S. Elpidio lib. de Triplici Sacerdotio tract. 2., Gulielmus Cremonen. q. 1. Iacob. Viterb Archiep. Neapolit. lib. de Regim. Chriſtiano tract. 2. M. Chriſtianus Lupus de Appellat. cont. Queſnell., & Launoium; M. Sequeiros Epiſcopus Caſſanen., & alij*, docet in Papa eſſe potentiam Archiregalem, ſeu gladium materialem ad nutum, aut eminenter, quatenus poteſtas ſæcularis eſt formaliter ſub Papæ poteſtate, tanquam inferior ſub ſuperiori, adeoque Papam habere poteſtatem indirectè in omnia hæc temporalia.

6 Hæc vox *indirectè* poteſt *hic* dupliciter accipi. 1. ita, vt Papæ poteſtas ſit ſupra poteſtatem Regum, quæ circa temporalia verſatur, adeoque Papa poteſtatem habeat indirectam, & mediatam in eorum temporalia, quatenus poteſt Regibus imperare, vt taliter, vel taliter ea adminiſtrent. 2. ita, vt Papa poſſit in temporalia Regum, quia ordinantur ad ſpiritualia, circa quæ verſatur Papæ poteſtas: ſiue ſpiritualitas conſideretur in Regibus, quibus poteſt præcipere, vt reddant bona iniuſtè vſurpata; ſiue in ſubditis, quos poteſt abſoluere à iuramento fidelitatis, & ſic à ſubiectione redimere; ablata autem ſubiectione aufertur poteſtas, quæ ad ſubiectionem refertur; deſtructo nanque correlatiuo deſtruitur relatiuum; quia *relatiua ſunt ſimul.* Primus modus eſt principalior, & à priori; ac in eo ſenſu accipiunt *indirectè DD. antiqui* docentes Papam habere poteſtatem in temporalia indirectè, quia habet gladium materialem ad nutum, non ad vſū; vt videre eſt *apud Fund. Doct. lib. de poteſt. Pontif. p. 1. c. 7. & 8.*, quia Papa poteſt Regibus præcipere modum adminiſtrandi res temporales, & Reges eius nutibus obedire tenentur. Secundus modus loquendi eſt minùs principalis, à poſteriori, & à cōiuncto; & hunc frequentiùs vſurpant *Doctores recentes*, qui hac tempeſtate ſcripſere. Vterque tamen vtilis eſt ad probandum intentum; quia modus arguendi à poſteriori etiam eſt rectus, quanuis principalior ſit à priori.

7 Vnica concl. Summus Pontifex habet poteſtatem indirectè ſuper temporalia, ideoq; gladium ſpiritualem habet ad vſum, & materialem ad nutum.

Prob. 1. *à Fund. Doct. vbiſ.* Summus Sacerdos in lege veteri habebat vtranque poteſtatem, vt *Exod.* 18. patet *de Moyſe*, qui quia nimio labore angebatur, Iudices inſtituit, qui cauſas minores deciderent; cauſæ autem circa res temporales ſunt minores; maiores verò, quæ ſcilicet ad legem pertinent, ſibi ſeruauit, & conſtat etiam *de Samuele vbiſ.*, antequam vngeret *Saulem* in Regem; ergo idē dicendum de Summo Pontifice in lege noua, qui maiorem poteſtatem accepit, cùm Chriſti, in quo eſt omnis poteſtas, Vicariatum ſuſceperit.

8 Conf. *ex eod. vbiſ. c. 3.* Poteſtas ſummi Sacerdotis in lege veteri habuit inſtituere, & iudicare poteſtatem Regalem; vt *Samuel* vnxit *Saulem* in Regem, & abiecto *Saule* elegit *David*; & *2. Par. 26. Azarias* Pontifex Regno priuauit *Oziam*; & *4. Reg. 11. Ioada* ſummus Sacerdos Regnum abſtulit *Athalia*, & *Ioas* Rex ex præcepto *Ioada* conſtituitur; & *Hierem.* 1. ait Deus: *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & regna, vt euellas, & deſtruas, & diſſipes, & diſperdas, & ædifices*; quibus verbis apertè probatur poteſtas ſummis Sacerdotibus à Deo collata inſtituendi, & deiiciendi Reges; ergo multò magis competit hæc poteſtas ſummo Pontifici in lege noua, qui figuratus fuit in ſummo Pontifice veteris legis. Atqui hoc eſt habere poteſtatem indirectam ſuper temporalia, quæ miniſtrantur à Regibus, vt *ſup.* diximus; ergo idem.

9 Prob. 2. *ex Rom.* 13. retorq. *Apoſtolicum dictum. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas, niſi à Deo; quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt. Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Ex quo ſic. 1. Ordinatio eorum, quæ ſunt à Deo, *ex D. Dion. de Aug. Hier.*, eſt, vt inferiora reducantur in Deum per ſuperiora; ſed poteſtas ſæcularis eſt inferior poteſtate Papæ, quæ eſt ſpiritualis; quia poteſtas ſæcularis verſatur circa res corporales, quæ ſunt inferiores rebus ſpiritualibus; ſpiritus enim eſt corpore ſuperior; ergo poteſtas ſæcularis reducitur in Deum per poteſtatem Pontificis. Atqui nequit in Deum reduci à Papæ poteſtate, niſi ſit illi ſubiecta, & inferior, nā ſolū inferius reducitur ꝑ ſuperius; ergo habet poteſtatē in poteſtatē Regis, & per cōſequens in tēporalia, circa quę verſatur Regum poteſtas. 2. Ordinatio cauſarū ſpecie differentium eſt, vt vna ſit ſub alia, quæ agit in illam ſuo influxu illam mouente, vt patet in phyſicis de cauſa particulari, quæ ſubordinatur vniuerſali, à qua per influxum mouetur ad agendum; ſed poteſtates ſublimiores, vt ſunt poteſtates Papæ, & Regis *ex Apoſt.* ſunt ordinatæ, & differūt ſpecie, quia habent obiecta ſpecie, imò genere diuerſa; ergo ita ſe habēt, vt vna ſit ſub alia, quæ agit illam mouendo, & dirigendo in debitum finem; atqui poteſtas Regis nequit mouere, & dirigere poteſtatem Papæ, quia eſt illa inferior, cū circa humana verſetur, ſicut illa habet pro obiecto Diuina; ergo poteſtas Regis eſt ſub poteſtate Papæ, à qua in Deum dirigitur, qui eſt vltimus omnium finis.

10 Conf. Quæ ſunt ordinata ſimpliciter, nedū ad Deum, ſed etiam inter ſe ordinantur, nam eſſe ordinatum ſimpliciter eſt eſſe ordinatum ſecundū omnes rationes, ſecūdùm quas ordinabile eſt; patet autem, quòd omnes res creatæ, quæ ſunt partes Vniuerſi, ordinabiles ſūt nedum ad Deum, ſed etiā in-

inter ſe; atqui poteſtates ſublimiores ſunt ordinatæ ſimpliciter, quia ſunt perfectè ordinatæ, cū ſint ordinatæ à Deo, cuius perfecta ſunt opera; ſi autem non eſſent ordinatæ ſimpliciter, ex ea parte, qua nō eſſent ordinatæ, admitterent confuſionem, quæ eſt carentia ordinationis ordinationem imperficiens, ergo poteſtates ſublimiores nedum ad Deum, ſed etiam inter ſe ordinantur. Atqui non poſſunt ordinari inter ſe, niſi vna alteri ſubordinetur, quia res ſpecie diſtinctæ differunt perfectione, & illa quæ differunt perfectione; ita ordinantur inter ſe, vt vnum illorum ſit altero inferius, vt compertum eſt; in tantùm enim duo Reges, duo epiſcopi &c. non ſubordinantur inter ſe, quia habent dignitates eiuſdem rationis, & ſpeciei; ſicut duo homines, duo equi &c; at verò quia homo, & equus differunt ſpecie, ideo vnus eſt alij ſubordinatus. Tum quia ita ordinantur inter ſe poteſtates ſublimiores, ſicut ordinantur inter ſe earum obiecta, à quibus ſpecificantur; ſed obiecta ordinantur inter ſe tanquam ſuperius, & inferius; quia terrena, circa quæ verſatur Regum poteſtas, ſunt inferiora cœleſtibus, quæ reſpicit Papæ poteſtas: ergo poteſtas Papæ ſibi ſubordinat poteſtatem Regalem tanquam ſibi inferiorem. Sed omnis poteſtas ſuperior agit in inferiorem ſibi ſubordinatam; quia poteſtas non ſubordinatur poteſtati, niſi in agendo; idèſt in recipiendo motū ab illa; poteſtas enim formaliter in eo, quod poteſtas, reſpicit agere; ergo poteſtas Papæ agit mouendo poteſtatem Regum, & hoc mediante dicitur agere in eorum temporalia. Præterea arguit *Fund. Doct. vbiſ. p. 2. c. 4.* Qui poteſt attingere finem, poteſt attingere media ad finem ordinata; ſed corporalia ſunt media ordinata ad ſpiritualia; ergo qui poteſt attingere ſpiritualia, poteſt etiam attingere corporalia. Atqui Papæ poteſtas attingit ſpiritualia, circa quæ verſatur; ergo poteſt etiam attingere corporalia, quæ miniſtrantur à Regibus. Ma. patet; quia, cùm finis non attingatur, niſi per media, ſi attingēs finem non poſſet attingere media, vel nunquam finem contingeret, vel attingeret, & non attingeret; tum quia finis eſt maior, & nobilior mediis, quæ ad ipſum ordinantur; quoties autem poteſt ab aliquo attingi nobilius, & maius, poteſt etiam attingi ignobilius, & minus ad illud ordinatum, & in eodem ordine contentum. Mi, traditur *à Beatiſs. P. Aug. lib. 1. de Doctr. Chriſt. c. 32.*, & ratio eſt, quia corporalia ordinantur ad corpus, corpus autem ordinatur ad animam; ergo corporalia ordinantur ad ſpiritualia. Ex quibus patet *Apoſtolicum dictum* improbare *Aduerſariorum ſententiam*.

11 Dices ex hoc ſequi ſolùm Reges ſubdi poteſtati Pontificis ſpiritualiter; non temporaliter, idèſt quoad ſpiritualia, non quoad corporalia.

Reſp. *Fund. Doct. c. 3.* vim rationis non percipi; nam ſi Reges reducerentur in Papā ſolùm quoad ſpiritualia, gladius non eſſet ſub gladio, ſeu poteſtas corporalis ſub poteſtate ſpirituali; in tantùm enim poteſtas corporalis eſt ſub ſpirituali, in quantùm ſpiritualis dominatur in corporalia; nā in quantùm dominatur in ſpiritualia, habetur præcisè poteſtas ſpiritualis, quæ circa ſpiritualia immediatè per ſe ipſam, non mediante poteſtate corporali, verſatur.

12 Præterea retorq. alter *textus ab Aduerſariis aſſumptus. Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo:* ſed ea, quæ redduntur Regibus, ita ſunt ſub poteſtate Regum, vt etiam ſint ſub poteſtate Dei, qui aliquando in certis caſibus Reges iis priuauit, vt diximus *de Saule, Ozia &c.*, ergo temporalia ita ſubiacent Regibus, vt etiam ſubdantur Pontifici vero Dei Vicario, qui in certis caſibus poteſt Reges iis priuare: vnde claret hæc fundamenta non ſubſtinere *Aduerſarios*, ſed potiùs excutere.

13 Prob. 3. *à Fund. Doct. p. 1. c. 4.*, *& Iac. Viterb. tract. 2. c. 7.* Omnia temporalia ex Diuino imperio tenentur ad decimas Sacerdoti ſoluendas; vt *Deut. c. 2. Par. 31.*, ſed ſolutio decimarum eſt effectus ſubiectionis: ergo temporalia ſubiiciuntur poteſtati Sacerdotali; atqui omnis poteſtas ſacerdotalis reducitur in ſummum Pontificem, qui eſt ſummus ſacerdos: ergo ſummus Pontifex habet poteſtatem in omnia temporalia. Tum quia ſi ſæculares decimas non ſoluant, aut fraudent, poteſt ſummus Pōtifex in eos animaduertere, at nō poſſet animaduertere, niſi in eos poteſtatem haberet, ergo habet poteſtatem in temporalia.

14 Præterea *ibid. Hebr. 7.* dicitur; *Qui benedicit, maior eſt: qui benedicitur, minor:* ſed Pontifex benedicit Reges; ergo eſt illis maior; atqui maior poteſtatem habet in minores: ergo Pontifex poteſtatem habet in Reges. Tum quia Pontifex non benedicit Regem, quatenus homo eſt, ſed quatenus Rex, imò ipſam dignitatem Regiam benedicit: ergo Rex, nedum quatenus homo, ſed quatenus Rex, imò ipſamet dignitas Regia Papæ ſubiicitur; ſed ſubiectio ſupponit poteſtatem in eo, cui ſubiicitur; eſt enim correlatiuum illius; ergo Pontifex habet poteſtatem in Reges, quatenus Reges, ſeu in Regiam dignitatem. Tum quia Regia poteſtas formaliter eſt regulanda per Chriſti Domini legē; quapropter *Deut. 17.* Regibus mandatur à Deo, vt ſecum habeant legem, ſecundùm quam iudicent: ſed Papa eſt ſupra omne regulatum per legem, totius enim Iudex eſt legis, & iudicantium per legē: ergo habet poteſtatem in Reges.

15 Item omnipotentia Dei in naturalibus per ſpiritualia mouet corporalia ad ſuas actiones: Angeli enim mouent corpora cœleſtia &c., ſed ita ſe habet prouidentia in moralibus, ſicut omnipotentia in naturalibus, Deus enim in omnibus ſibi ſemper vniformis exiſtit in operando, & regendo naturas iuxta modum, quo illas produxit: ergo prouidentia per poteſtatem ſpiritualem mouet, & regit poteſtatem verſantem circa corporalia; at poteſtas Papæ eſt ſpiritualis, & Regia corporalis: ergo Papa habet poteſtatem indirectam in corporalia, mouendo ſcilicet Reges ad gubernandum.

16 Prob. 4. *ex pſ. 144. Gloriam Regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur, vt notam faciant filiis hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ Regni tui.* Quanuis autem Regnum Dei aliquando ſumatur pro Eccleſia triumphante, vt in *hunc locum* ſumitur *à B. P. Aug.*, attamen aliquando

etiam

etiam ſumitur pro Eccleſia militante: vt à D.Greg. *hom.12.in Matth.*, vbi ſuper illud: *Colligent de Regno eius omnia ſcandala*; ait: *Regnum Cælorum præſentis temporis Eccleſia dicitur*: idcirco B.P. *lib.*18., *&* 19.*de Ciu.* Dei docet Regnum Chriſti in duas diuidi ſocietates, quia vna pars ex fide viuens peregrinatur in terris, & Eccleſia militans nuncupatur: altera iam regnat in Cœlis beata. Ex quo ſic. In Eccleſia militante eſt poteſtas Chriſti viſibiliter ſenſibiliter gubernans omnes fideles: ſed Chriſti poteſtas eſt ſuper Reges, & Regna; dicitur enim *Rex Regum*, *Dominus Dominantium*, quod verificari non poſſet, niſi poteſtatem ſuper Reges, & Dominantes haberet: ergo in Eccleſia eſt poteſtas viſibiliter ſẽſibiliter gubernans omnes fideles, quæ eſt ſuper Reges, & Regna; atqui hæc poteſtas non eſt, niſi in Papa, qui eſt eius Vicarius, & tenet primatum, qui non eſt, niſi Chriſti poteſtas ab eodem Papæ collata: vt diximus *art.*1., ergo in Papa eſt poteſtas ſuper Reges, & Regna. Mi. eſt euidens. Ma. etiam probata eſt *art.*1., quia Eccleſia gubernatur magiſterio ſenſibili; ideo in illa eſt poteſtas viſibiliter ſenſibiliter illam gubernans. Tum quia in regno eſt poteſtas Regis, qua regitur Regnum modo, quo regi poteſt: ſed Eccleſia militans eſt Regnum Chriſti, quod nequit regi, niſi poteſtate ſenſibili: ergo in ipſa eſt Chriſti poteſtas ſenſibiliter illam gubernans.

17 Conf. *In Concilijs generalibus* eſt poteſtas exauthorandi Reges, & transferẽdi eorũ Regna, & ditiones; ſed Concilia repræſentant Eccleſiam; ergo in Eccleſia eſt poteſtas exauthorandi Reges, & transferendi eorũ Regna, & ditiones; atqui Papa eſt *ſupra Concilia*, quę non habent hanc auctoritatem, niſi per Papam, vt *ſup.* oſtenſum eſt; ergo in Papa eſt hæc poteſtas ſimpliciter. Ant. prob. *Conc. Conſtantienſe*, *ſeſſ.*17; quod fuiſſe legitimũ, & eius decreta *in Gallijs* recepta immota conſiſtere, *ac totius Eccleſiæ uſu confirmata, atque ab Eccleſia Gallicana perpetua religione conſeruata*, aſſerit propoſit. 2. *Cleri Gallicani*, ſtatuit pęnam depoſitionis, ac priuationis *dignitatis, etiamſi Regalis exiſtat*, *& beneficii Eccleſiaſtici*, *vel ſęcularis his*, *qui Sigiſmundo Romanorum*, *& Hungariæ Regi Aragoniam* petenti vim, aut iniuriam inferrent; *& ſeſſ.*37. decernit priuationem *omnium beneficiorum, dignitatum, & honorum Eccleſiaſticorum, & mundanorum &c. etiamſi Epiſcopalis, Patriarchalis, Cardinalatus, Regalis ſit dignitatis, aut Imperialis, quibus fiat ipſo facto priuati*; ſi *Petro de Luna* obedientiã præſtant, vel opẽ. Item *Baſileenſe* in ſaluocõductu Legatis Pontificiis dato *in congregatione gen. die* 18.*Iulii* anno 1435. in virtute S. obedientiæ mandat omnibus Chriſtifidelibus *cuiuſcunque dignitatis ſpiritualis, & tẽporalis, etiamſi Regalis, Ducalis &c. ſub pęnis, ſententiis, cẽſuris in Conſtãt. & Senon. Syn. contẽtis, præfatos Legatos lædant, impediant &c.*, hoc autem *Concilium* fuiſſe legitimum vſque *ad ſeſſ.*26., quia legati Pontificis ſolùm *poſt ſeſſ.*25. diſceſſerunt, acriter contendit *Natalis ſęc.*14. *diſſert.*8.*art.*3; ſed prædictus ſaluuſconductus datus fuit die 18. Iulij 1432., *ſeſſio* autem 26. peracta fuit pridie Kal. Auguſti 1437; igitur ſi vſque ad hoc tempus *Concilium* fuit legitimum omnia præcedentia rata eſſe debent, & firma, & ideo etiam ſententia lata in præfato ſaluoconductu. Ex quibus ſic arguitur. Decreta *horum Conciliorum perpetua religione conſeruantur ab Eccleſia Gallicana*, quia continent Papam ſubdi *Concilia* ita, vt irreligioſus ab ipſa habeatur, qui illa non recipit; ſed etiam continent Reges poſſe *à Concilijs* ſuis dignitatibus exui, & bonis temporalibus priuari: & hoc non ſeruat, ſed reiicit Eccleſia Gallicana: ergo religionem ſeruat ſolùm contra Papam, non contra Regem: quænam autem ſit religio contra Papam religioſa ſolùm erga Regem ipſa conſideret. Ergo *in Conciliis generalibus ex Aduerſariorum* ſententia admittenda eſt poteſtas ſuper Reges, & Regna: ni fortè auctoritatem ſibi ineſſe præſumerent approbandi, quod libet, & reprobandi, quod diſplicet, ex illis, quæ ſtatuta ſunt *à Conciliis*.

18 Sed quia *hæc Concilia* ab omnibus alijs tanquam illegitima habentur, idcirco à legitimis eſt arguendum. *In Conc. Rom.* III. *ſub Greg.* VII. *Henricus* IV. *Germaniæ Rex* fuit depoſitus, eius ſubditi à iuramento fidelitatis abſoluti, & Regnum traditum *Rodulpho Teutonico* occupandum; quod fuit confirmatum *in Concilio Rom.* VII., VIII., *&* X., *& ſub* Vrb. II *in Conc. Rom.* I., *& in Lat. ſub Paſchalo* II. Nec eſt audiendus *Natalis*, qui aſſerit hoc *à Greg.* nimis audacter factum fuiſſe: præiudicat enim, nedum integritatis huius Sancti Pontificis, ſed etiã probitati tot Prælatorum, qui *hiſce quinque Conciliis* affuerunt, & qui id ſua auctoritate approbantes conuincunt non eſſe audiendos, qui illud reprobare conantur. Præterea *Lat. ſub Alex.* III. *Fridericum I.* Imperatorẽ priuat imperio anno 1168., quæ priuatio repetita fuit *in Conc. gen. Lat.* III., *&* IV. anno 1215. celebratum *ſub Innoc.* III. ſtatuit, quòd ſi Reges contempſerint purgare terram ſuã ab hæretica prauitate, excommunicantur: & ſi per annum excommunicationem neglexerint, certior fiat ſummus Pontifex, vt vaſſallos eximat à fidelitatis iuramento, & terram illam catholicis occupandam exponat. *Et in Conc. Lugd.* I., quod fuit *generale* XIII. *teſte Summa Cortilani ab* Innoc. IV. *Fridericus* II. *Imp.* fuit depoſitus, & ſubditi à iuramento fidelitatis abſoluti: Ergone etiam iſtud nimis audacter factum dicent *Aduerſaris*, qui Spiritus S. aſſiſtentiam *ſolis Conciliis generalibus* tribuunt, cùm Spiritus S. non ad temerè audendum, ſed ad iuſtè ſanciendum aſſiſtat?

19 Vel ergo dicendum eſt *Aduerſariis* nullam ineſſe *Conciliis generalibus* poteſtatem ſubiiciendi ſibi Reges, & Regna: & ex hoc deducentur ad aſſerendum à fortiori nullam in illis eſſe poteſtatem ſibi ſubiiciendi Romanum Pontificem, cuius poteſtas procul dubio poteſtate Regum temporalium maior eſt, & ſuperior: & poteſtas, quæ non poteſt in inferiorem, à fortiori non poteſt in ſuperiorem: quod contradicit tertiæ, & quartæ propoſitioni, vel dicendum *canones Conciliorum generalium* non eſſe ſpiritu Dei conditos, quod repugnat tertiæ propoſitioni: vel tandem, quòd licet Con-

ci-

cilium generale hac gaudet poteſtate, non tamen illam Pontifex habet; quod contradicit primæ propoſitioni aſſerenti *ipſi Eccleſiæ* (quam repræſentat *Concilium generale*) *rerum ſpiritualium, & ad æternam ſalutem pertinentium, non autem ciuilium, ac temporalium à Deo traditam poteſtatem*. Ex quibus liquet omnia eorum dicta eſſe contradictionibus plena.

20 Prob. 5. *ex canon. c. Venerabilem de elect., & electi poteſt.* habetur à Papa fuiſſe translatum Imperium *ad Germanos à* Græcis. *diſt. 22. c. omnes*, quòd poteſtas Papæ habet inſtituere dignitatem cuiuslibet ordinis, ipſa verò à ſolo Chriſto inſtituitur; & quòd Chriſtus tradidit *Petro* clauigero *iura terreni, & cæleſtis imperij*; quod habetur etiã *extra unica c. ſi fratrem*; ex quo *Glaſ.* arguit Papã vtrunque gladium tenere, ſcilicet *ſpiritualem*, & *materialem*, aliter non duas claues, ſed vnam tantùm geſtaret. Idem colligitur *diſt. 63. c. tibi Domino; 17. q. 6. c. alias; c. nos ſanctorum, & c. iuratus 15. q. 4. c. quia Præſulatus, & diſt. 96. c. duo; & c. ad apoſtolica de ſentent., & re iudicata in 6.* Innoc. IV. *præſente Concilio* priuat Imperio *Othonem* IV., quia Eccleſiæ bona vſurpauerat, *extra unica. Si fratrem* Io. XXII; excommunicat, & priuat Imperio *Ludouicum Bauarum; extra unam ſanctam inter communes de maiorit., & obed., & extra meruit de priuilegiis* habetur *Petro* datum fuiſſe vtrunque gladium; poteſtatem Regiam ſubiacere ſpirituali, à qua habet corripi, & iudicari, illa autem à ſolo Deo iudicatur; *& c. alius; & 15. q. 6. Zacharias* depoſuit *Childericum Regem Francorum*, tanquam inutilem, & inhabilem Regno, ac in eius locum *Pipinum* patrẽ *Caroli Magni* ſubſtituit.

21 *Maimburg* ait Papã conſuluiſſe. Sed reiicitur, quia *Eginhardus Caroli Magni* à ſecretis ait: *Hildericus Rex iuſſu Stephani Pontificis Romani depoſitus, ac detonſus, & in monaſterium detruſus eſt*; & *Rhegino in Chronico*: *Iuſſit Papa per auctoritatem Apoſtolicam Pipinum Regem creari*; idem habent *Annales Francici à Pythao* editi.

Natalis conatur oſtendere hanc hiſtoriam fabulam eſſe; in primis autem ait *Eginhardum* fateri ſe nihil ſcripſiſſe de natiuitate, infãtia, & pueritia *Caroli Magni*, quia tunc nullus viuebat, qui illorum temporum notitiam haberet, adeoq; multò minùs ſciuit res geſtas *ante Carolum Magnum*. Idẽ dicit *de Theophane, & Cedreno. Annales autem Laureſhamenſes, Pythaani, ſiue Fuldenſes, Loiſeliani, Tilsani, & Bertiniani, & Metenſes* accepiſſe hanc fabulam *ab Eginhardo*; à quo eam acceperunt *Amoini*, Rhegino, *Ado Vien., Marian. Scot., Herman; Scafnaburgen., & Sigebert. Otho* autem *Friſingen., & Abbas Vſpergen., & Egiluuardus, Naugius, Trithemius, &* Gaguinus *ex eodem Eginhardo*; *Blondum* verò, & *Paulum Æmilium* nimis diſtare ab illis tẽporibus. Probat autem fabulam eſſe. 1. quia *Anaſtaſius Bibliothecarius, & Flodoardus in vita Zachariæ* de hac re mentionem nõ faciunt. 2. quia *Zacharias* mortuus eſt ante electionem *Pipini*. 3. quia *Childericus* quindecim tunc erat annorum, & ideo agnoſci non poterat, an eſſet inhabilis Regno. 4. quia *alii* ſcribunt *Zachariam, alii Stephanum* III. ipſum depoſuiſſe &c.

Reſp., quòd ſi *Eginhardus* ignorauit res geſtas ante *Carolum Magnum*, quia tunc nullus viuebat, qui eas calleret; ſi *Blondus*, & *alii*, quia nimis diſtarunt; quomodò potuit illas ſcire *Natalis*, qui magis diſtat, quàm *Blondus*, & *alii poſt Eginhardum*, qui certè eos ſcire non poterant, niſi ex traditione, ſi fortè aliqua reuelatio facta non fuerit; traditio enim haberi non poterat, quia nullus viuebat conſcius huius rei. Mirum eſt, quòd neget tot hiſtoricorum fidem, qui fidem omnium ſæculorum, omniumque gentium meriti ſunt. Ad 1. autem, quod eſt arg. à negatiuo, nihil concluditur; ex eo enim, quòd aliquis omiſerit ſcribere aliquod factum, non colligitur illud factum non fuiſſe. Ad 2, dicitur *Zachariam* rem incepiſſe, quã terminauit *Stephanus* III., adeoque vtrique tribuitur. Ad 3. dicitur, quòd licèt inhabilitas, quæ ex malitia deſcendit, in parua ætate cognoſci non queat, attamen quæ ex naturali hebetudine oritur, poteſt apprehendi, viuacitas enim maximè in iuuentute obſeruatur. Ad 4. dicitur, vt ad 2., & ad alia, quæ congeruntur, hæc ſolutione obiectorum patebit reſponſio.

22 Prob. 6. Nequit eſſe plena poteſtas per ordinem ad aliquem finem, niſi extendatur ad promouenda media, quæ ad illum conducunt; & ad reſcindenda, quæ auertunt ab illo; ſed Papa habet plenam poteſtatem per ordinem ad vltimum finẽ hominis, qui eſt ſalus æterna, vt fatentur *Aduerſarii*; quia habet *Claues Regni Cœlorum*, quod eſt locus æternæ ſalutis; ergo habet poteſtatem per ordinem ad ea, quæ conducunt, & auertunt ab æterna ſalute. Atqui temporalia conducunt, ſi in pios vſus conuertantur; & abducunt, ſi prauum dirigantur in finem: ergo habet poteſtatem concedendi, & reſcindendi temporalia.

23 Tandem ius defenſiuum habet pro obiecto euerſionem cuiuſuis deſtructiui; ſed Papa habet ius defenſiuum Eccleſiæ, quia nedum habet ius paſcendi oues, ſed etiam euertendi lupos, qui eas quærunt in perditionem; ergo habet ius euertendi quodlibet deſtructiuum Eccleſiæ. At Rex in hæreſim lapſus poteſt Eccleſiæ deſtructionem moliri: ergo poteſt eum auertere à Regno: non enim dicimus poſſe ſine cauſa, quæ in grauiſſimum Eccleſiæ non redundet præiudicium, vt *inf.*

24 Obiic. 1. *Num. 18.* vetitum fuit *Aaron*, *eiuſque filiis* habere partem hæreditatis *in populo Hebraico*; & præceptum fuit, vt viuerent de decimis, primitiis, & oblationibus; ſed Papa tenet locum *Aaron*: ergo ei vetitum eſt, ne ſe immiſceat his temporalibus. 2. *Luc. 10. Nolite portare ſacculum, neque peram*; quæ ſunt res temporale: ergo ex præcepto Chriſti nequit Papa ſe immiſcere temporalibus. 3. *Matt. 22. Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo*: quibus verbis innuitur poteſtatem ſæcularẽ nõ eſſe reducendam in Eccleſiaſticã. 4. *Rom. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubiecta ſit*; ſed ſi poteſtas Regia reduceretur in Papam, ſufficeret ſubiici Papæ: ergo idem.

5. 2. *Ad Tim.2. Nemo militans Deo temporalibus ſe immiſcet*: ſed Papa militat Deo, cùm ſit militantiũ Caput, ergo idem. 6. 1. *Pet.2. Obedite Præpoſitis etiam dyſcolis*: ergo quanuis Reges ſint mali, obedientia de iure Diuino eſt eis præſtanda, & ideo nec etiam à Papa, qui non poteſt ius Diuinum immutare, ab obedientia poſſunt abſolui. 7. Christus non expulit Regno *Herodem*, quanuis impium, aſſerens Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo: ergo idem dicendum de Papa, qui debet eſſe Chriſti imitator, cùm ſit eius Vicarius. 8. *Omnis poteſtas eſt à Deo*: ergo idem.

Reſp. ad 1. *cum Fund. Doct. vbiſ. p.2. c.1., & 2.*, quòd primò vetuit Deus filiis *Aaron, & Leui* poſſidere temporalia: deinde *Num.35.* conceſſit eis vrbes, & ſuburbana: vt eos edoceret clericos, vt potè Diuinis dicatos, non debere ſollicitudinem principaliter ponere in his temporalibus, vt liberiùs Diuinis rebus vacarent. Non tamen ſimpliciter prohibuit illa poſſidere, quia ea illis conceſſit: aliter nec etiam laici poſſent poſſidere: habetur enim *Luc.14. Niſi quis renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*: quod intelligendum eſt de omni chriſtiano, qui eſt Chriſti diſcipulus, cùm legem Chriſti diſcere debeat. Explicatur autem de renunciatione ſecundùm principalem ſollicitudinem, hæc enim temporalia ſollicitanda ſunt, tanquam neceſſaria, non tanquam principalia: vt dicitur *Matt.6. Quærite primùm Regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis*. Ad 2. ait eodem modo Chriſtum priùs mandaſſe Apoſtolis, vt non haberent ſacculum, neque peram: & poſtea *Luc.22.* iuſſiſſe, vt ſacculum, & peram haberent. Prohibuit autem primò, vt gentes videntes vitam mirabilem Apoſtolorum conuerterentur faciliùs ad fidem: & vt gentes conuerſæ, non in temporalibus, ſed in Deo, qui nulli deeſt, ſperarent. Ad 3. iam diximus reddi Deo, cùm redduntur *Cæſari*. Vel dicitur nihil concludi: ſi enim Papa deſignet alium altero in hæreſim lapſo, ſemper redduntur *Cæſari*: non enim dicimus poſſe Papam per ſe ipſum immediatè exercere imperiũ, & ſibi aſſumere imperii tributa. Ad 4. pariter diximus poteſtates ſublimiores *ex eod. Apoſt.* eſſe ſubordinatas: & ideo temporalem in ſpiritualem reduci: & licèt Papa reducatur in Deum, non ſufficit eſſe ſubiectũ Deo, non Papæ; ſicut licèt parentes reducantur in Deum: attamen non ſufficit filiis ſubiici Deo, non parentibus, ita licèt Reges reducantur in Papam, non ſufficit ſubiici Papæ. Ad 5. dicitur, vt ad 1., & 2. Ad 6., quòd licèt obedientia ſit ſuperioribus præſtanda de iure Diuino: attamen non eſt de iure Diuino tales perſonas eſſe ſuperiores, ſed de iure humano: & ideo per hominem ſuperioritas adimi poteſt, cùm toti Eccleſiæ præiudicat. Ad 7., quòd licèt Chriſtus non expulerit *Herodem*, quia non poterat cauſas ſuæ paſſionis euertere: attamen non arguitur, quòd non fuerit eo ſuperior; ergo à pari. Dixit autem Regnum ſuum *non eſſe de hoc mundo*, non quia non eſſet *Rex vniuerſæ terræ, & Rex Regum*, vt docent *Scripturæ*: ſed quia illud non accepit à mundo, ſed à Deo. Vel quia Regnum terrenum comparatiuè ad Regnum Cœleſte, non eſt Regnum, ſed exilium: ideo quanuis Deus ſit Rex Regum terræ; attamen quando dicitur *Regnum Dei*, antonomaſticè intelligitur ſolùm Regnum Cœlorum: vt *Io.3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S., non introibit in Regnum Dei*. Ad 8. dicitur, quòd omnis poteſtas eſt à Deo vel immediatè, vel mediante creatura; ſicut enim licèt omnis poteſtas ſit à Deo, non tollitur, quin aliquis Rex eligatur à populo; ita in caſu.

25 Obiic. 2. 1. *diſt. 10. c. quoniam* habetur, quòd Chriſtus officia poteſtatis vtriuſque propria diſcreuit; vbi *Gloſ.* ait, quòd hoc egit, ne vna, & eadem perſona vtranque exerceret. 2. Imperium habetur à Deo, non à *Papa*, qui non habet vtrunque gladium: vt *23.q.4 c. quæſitum*. 3. Papa ſoluit tributum Imperatori pro Eccleſiæ pace, quam tenetur tueri: vt *11.q.1.c. magnum, & 23 q 8. c. tributum*. 4. Iure Diuino omnia ſunt communia, iure autem humano, ſcilicet Imperatoris, eſſe propria; vt *diſt.8. c. quo iure*. 5. Imperator habuit ius eligendi Papam, cui renunciauit, vt *63. diſt. 11. c. Adrianus, & c. Antipapa*. 6. Papa non intendit iudicare de fœudo, ne minuat, aut turbet iuriſdictionem Regis Franciæ; *extra de Iudic. c. nouit*. 7. Non licet in temporalibus appellare ad Papam: *de appellat. c. ſi duobus* §. *Denique*. 8. Ad Regem, non ad Eccleſiam ſpectat iudicare de poſſeſſionibus: *extra qui filii ſint legitimi c. cauſa, & ibid. c. per venerabilem* dicitur Rex Francorum in temporalibus non recognoſcere ſuperiorem. 9. Imperator nequit accipere iura Pontificatus, nec Pontifex Imperatoris. *c. quoniam diſt. 10., & c.9. diſt. 96., & c.7. de appellat. & c.7. qui filii ſint legitimi* dicitur; quòd ſicut Pontifex non habet ius introſpiciendi in palatium, ac Regias veſtes deferendi; ſic nec Imperator in Eccleſiam introſpiciendi, & electiones in Clero peragendi.

Reſp. ferè omnia hæc vna dilui reſponſione: dicitur enim vera eſſe de poteſtate quoad vſum, non quoad nutum. Ad 1. igitur noluit Chriſtus eandem perſonam exercere vtranque poteſtatem, & ideo habere ad vſum, exercitium enim, & vſus idem eſt: & hoc ne Papa diſtrahatur à Diuinis, vt diximus: non tamen ſequitur Papam illam nõ habere ad nutum; ſicut enim quanuis Chriſtus noluerit vti poteſtate regali, non ſequitur illam non habuiſſe ad nutum, ita à pari. Ad 2. dicitur haberi principaliter à Deo, non à *Papa*, qui illud non habet ad vſum. Ad 3. dicitur *cum noſtro Viterb.* ſolui tributum pro ſtipendio defenſionis Eccleſiæ, non pro ſubiectione; hoc tamen ſtipendium ſoluitur tantùm pro iis rebus, quæ poſſidet *Papa* iure humano, vt ſunt ciuitates, non pro iis, quæ poſſidet iure Diuino, vt ſunt decimæ. Ad 4. dicitur diſtributionem prædiorum fieri per vſum poteſtatis, ideoque pertinere ad Imperatorem, quanuis diuiſio generaliter ſumpta ſit de iure Diuino poſitiuo, vt diximus *de Leg. q.1. art.3.* §.1. *n.40.*, de iure autẽ Imperiali eſt, quod *hæc villa* in particulari *ſit mea*. Ad 5. dicitur tale ius ei fuiſſe collatum ad tempus

ab

Digitized by Google

ab Electoribus ad ſeruandam Eccleſiæ vnitatem. Ad 6. dicitur Papam non iudicare de fœudo, quia hoc importat vſum poteſtatis, Ad 7. reſp. *Fund. Doct. vbi ſ. p. 3. ſ. 1. 4. & 5.*, vbi dat plures reſponſiones, non licere appellare ad Papam, tanquam ad habentem poteſtatem ad vſum, licere tamen, tanquam ad habentem poteſtatem ad nutũ; propter quod non licet, niſi in cauſis grauiſſimis inuehentibus aliquod fidei periculum; ad ſuperiorem enim maiores cauſæ tantùm ſunt deferendæ; maiores autem cauſæ ſunt, quæ tangunt fidem, quam Papa poteſt, & debet tueri. Vel non licere ſecundùm legem communem, & ordinem agendi, conc; ſecundùm legem ſpecialem, neg. Ad 8. dicitur pariter iudicare de poſſeſsionibus importare vſum poteſtatis terrenæ, & ideo non ſpectare ad Papam; non tamen per hoc euincitur Papam non habere terrenum gladium ad nutum; & ſic tantùm Papa eſt ſuperior omnibus. Idem dicitur ad 9.

26 Obijc. 3. *Hug. de ſacram.* ait, quòd ſpiritualis poteſtas nequit præiudicare temporali; & *D. Bern.* ait, quòd Papa in inſignijs temporalibus ſuccedit *Conſtantino*, non Chriſto; ergo idem. 2. Nulla poteſtas poteſt ſe extendere extra ſuum obiectum; ergo idem: nam obiectum poteſtatis Papæ ſunt ſpiritualia; & obiectum poteſtatis Regiæ ſunt corporalia.

Reſp. ad 1. neg. conſ. ant. enim verum eſt de poteſtate quoad vſum; Papa nanque nequit per ſe ipſum exercere poteſtatem Regis in eius Regno, ſic ſiquidem ei præiudicaret; & inſignia temporalia important quoque poteſtatem quoad vſum; & ideo conſ. procedens de poteſtate quoad nutum non infertur. Ad 2. diſt. ant. Nulla poteſtas poteſt ſe extendere extra ſuum obiectum, vel principale, formale, & directum, vel ſecundarium, reducibile, & indirectum, conc; tantùm principale, neg; corporalia autem ſunt obiectum ſecundarium, reducibile, & indirectum.

27 Obiic. 4. Chriſtus, vt homo, non habuit poteſtatem in Reges; ſed Papa habet poteſtatem à Chriſto, vt homo; ergo idem. 2. Arma ſacerdotum ſunt lacrimæ, & preces; vt habetur *diſt. 36. c. vltimo*: ergo idem. 3. In primitiua Eccleſia Papæ non ſe oppoſuerunt tyrannis, nec ipſos depoſuerunt. 4. Sequeretur Papam poſſe armata manu aggredi Principes, omnia implere ſanguine; ſed hoc eſt abſurdum: ergo idem.

Reſp. ad 1. neg. ma., nam ex vi vnionis hipoſtaticæ communicata eſt naturæ humanæ Diuina poteſtas, ſicut ei communicata fuit Diuina natura. Præterea Papa eſt Vicarius Chriſti, vt homo, & vt Deus eſt. Ad 2., quòd quando lacrimæ, & preces non obtinent, poſſunt aliis committere, vt vim faciant, quod eſt habere poteſtatem ad nutũ. Ad 3. dicitur, quòd in primitiua Eccleſia non expediebat, debebat enim decorari ſanguine martyrum. Ad 4. neg. ſeq; Papa enim nequit exercere vſum poteſtatis terrenæ per ſe ipſum, ſed iubere, vt alter exerceat.

28 Caſus autem, in quibus Papa poteſt euaginare gladium materialem, quem ſemper tenet in vagina, quia illum ſolùm habet ad nutum, decem aſſignantur à *Fund. Doct.*, qui tamen reducuntur ad vnum, ſcilicet ad periculum grauiſſimum euerſionis fidei.

ART. VII.

Quid ſit Regalia?

1 POſtquam vidimus Papam in temporalia Regum poſſe indirectè: ſequitur videndum è contra de poteſtate Regum in ſpiritualia, vel ſpiritualibus annexa; quæ poteſtas ſolet appellari ſingulari nomine *Regalia*. Quoniam autem quæſtiones circa hanc materiam nunc temporis reſumptæ peregregiè tractantur *à duobus celeberrimis anonimis Auctoribus* librorum *qui cauſa Regalia, & Regale ſacerdotium* inſcribuntur: ideo ſolam tradere *Regalia* nationem ſtatuimus: ex qua tamen faciliter deduci poterit reſolutio dubiorum.

2 Quoniam autem plures definitiones circunferuntur, quæ quia potiùs formatæ ſunt ad reſcindenda, aut eludenda dubia, quàm ad quiditatem declarandam, vt eſt illa, quam tradit *Natalis*, definitio autem debet eſſe certa *apud omnes*, quia debet eſſe per partes eſſentiales, quæ aliter ſe habere non poſſunt; ideo definitur *ius quoddam cuſtodia, & depoſiti, vel etiam perceptionis fructuum alicuius beneficii Eccleſiaſtici vacantis ſine cura animarum, & nominandi promouendum*. In hoc omnes conueniunt. Dicitur *cuſtodia, & depoſiti*: quia aliqui habent ſolùm ſeruare fructus tradendos poſtea electo beneficiato. Dicitur *vel etiam perceptionis*: quod dupliciter debet intelligi. 1. Quando a fundatoribus illius beneficii tempore fundationis fructus illi reſeruati fuerunt. 2. Quando Papa perceptionem illorum conceſsit: vt Regibus *Galliarum* conceſſum fuit ob beneficia Eccleſiæ præſtita *ab Innoc.* III., *Clem.* IV., & *Greg. X.* ita, vt tertia pars diſtribuatur pauperibus, & reliquum contra hæreticos inſumatur.

3 Dixerunt *aliqui* hoc ius eſſe inſitum coronæ ex natura ſua; ſed reijciuntur, quia ius erga res Diuinas, vel Diuinis coniunctas directè competit poteſtati ſpirituali, quæ inſidet Papæ, non temporali, quæ competit Regibus: quamuis enim poſſit dici coronæ inſitum, quatenus filij Regum acquirentes coronam acquirunt hoc ius, quando Pontifex illud etiam ad deſcendentes in conceſſione diſtendit: attamen non eſt ex natura ſua; quia præciſa tali conceſſione nulla poteſtas in ſpiritualia, vel ſpiritualibus coniuncta cuilibet laico poteſt cõpetere. Præterea ſi eſſet ſic innatum hoc ius, illud Summi Pontifices non conceſſiſſent, vt diximus.

4 *Alij* putarunt, vt *Natalis*, hoc ius extendi etiam ad decimas; poſtquam decimæ computatæ ſunt à Regibus inter bona nobilia; quia tunc decimæ conſiderantur, vt quid acceſſorium, quod *naturam ſequi congruit principalis*. Sed hoc reijcitur, quia decimæ iure Diuino debentur ſolis ſacerdotibus, & clericis, alij verò fructus iure humano; ſed

Digitized by Google

quod debetur iure Diuino, principaliùs debetur, quàm id, quod debetur iure humano; nam ius Diuinum eſt potius, & principalius humano; ergo decimæ nequeunt ad hoc ius pertinere.

5 Triplex lis circa Epiſcopatus erupit. Prima circa inueſtituras. Secunda circa homagia, pedagia, & tributa. Circa Eccleſias ab immemorabili à iure Regaliæ exemptas. Etenim poſtquam Epiſcopi ceperunt feuda poſſidere, ceperunt Reges inueſtituras eis tradere feudorum; quapropter Epiſcopi à Rege accipiebant crucem, & anulum. Has inueſtituras prohibuere *Greg.* VII; *Vrban. II; Victor.* III; *& alij*. Poſtea ceperunt Reges exigere ab Epiſcopis pedagia, homagia, & tributa; quæ etiam abolita fuerunt à *Caliſto* II. Tandem orta fuit lis de perceptione fructuum; quamuis enim à Pontifice fuerit conceſſa, vt diximus; attamen ſubortum fuit dubium, an hoc ius extendi deberet etiam ad Eccleſias ab immemorabili exemptas; & licèt *Concilium Lugdunenſe* præſente Pontifice negatiuè reſoluerit; adhuc tamen viget lis aſſerentibus *Aduerſarijs à Concilio* non fuiſſe hoc maturè diſcuſſum, quod prorſus incredibile eſt; quia talis quæſtio tunc temporis ardentiſſimè bulliebat; & contradictores reclamaſſent, ſi non fuiſſet maturo examine excuſſa. Sed quis non poteſt tergiuerſari, euaſiones, & latibula ſuæ ſententiæ quærendo, quando vult apertam veritatem impetere? verborum phaleræ non deſunt, quibus ſe contegant, apparentia argumenta, quibus ſe muniant, ne veritatis vi impetantur, non deficiunt. Circa hoc videantur *Auctores* ſuperiùs nunquam ſatis laudati. Reſolutio tamen colligi poteſt ex dictis *in ſuperioribus articulis*; ſi nanque plena poteſtas eſt in Papa, à quo tale ius fuit conceſſum; & *Greg.* X. *in Conc. Lugdun.* declarauit non eſſe extendendum, optimè, quid ſit dicendum, conſequitur.

ART. VIII.

An de fide ſit quenlibet Pontificem in particulari ritè electum eſſe verum Pontificem?

1 NOn loquimur de Pontifice ſchiſmaticè, vel dubiè electo, nam ſchiſmaticus non eſt verus Pontifex, nec dubius ſpectat ad fidem, quæ cum dubietate nequit conſiſtere.

2 *Aliqui* negatiuè opinantur. *Turrecremata, Canus,* Bannes, *Caſtro lib.* 1. *aduerſus hær. c.* 9. *apud Gonet.* Sed iſte loquitur tantùm de eo, quem non conſtat ritè, & canonicè electum fuiſſe; vnde pro hac ſententia citatur immeritò.

3 Noſtra ſententia affirmatiuè reſpondet. *Ita Fund. Doct. Æg. de poteſt. Pontificia p.* 2. *c.* 4; *& communiter omnes Theologi*; *aliqui* tamen putant tunc ſolùm de fide credendum eſſe verum Pontificem, quando proponit aliquod de fide credendum, quia tunc proponit ſe ipſum tanquam regulam fidei, quæ de fide eſt credenda. *Alij* verò cenſent de fide credendum eſſe verum Pontificem ſtatim, ac conſtat ritè electum, & declaratum fuiſſe.

4 Vnica concl. De fide eſt quenlibet Pontificẽ in particulari eſſe verum Pontificem, & Caput totius Eccleſiæ ſtatim, ac conſtat ipſum fuiſſe canonicè electum.

Prob. 1. *ex Matth.* 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam*. Ex quo ſic. De fide eſt habentem Pontificatum *D. Petri* eſſe verũ Pontificem, & Caput totius Eccleſiæ; ſed quilibet *Pontifex Romanus* in particulari canonicè electus habet Pontificatum *D. Petri*; ergo de fide eſt quenlibet *Pontificem Romanum* in particulari eſſe verum Pontificem, & Caput totius Eccleſiæ. Ma. patet; habetur enim expreſsè in verbis Chriſti Domini, & probata eſt *art.* 1. Min. prob. Succeſſor *D. Petri* habet Pontificatum illius; ſuccedens enim alicui in aliqua dignitate illius habet dignitatem; ſecus ei in illa non ſuccederet, vt conſtat; ſed quilibet *Pontifex Romanus* eſt ſucceſſor *D. Petri*; ergo habet Pontificatum illius.

5 Conf. *ex Conc. Epheſ. c.* 16. decernente *D. Petrum per ſucceſſores ſuos hucuſque ſemper viuere, cauſaſque decernere, ſemperque victurum eſſe*, ſic. De fide eſt *D. Petrum* ſemper victurum eſſe in ſuis ſucceſſoribus; quia *aduerſus eum portæ inferi non prævalebunt*; ſed *D. Petrus* eſt verus Pontifex, & eius ſucceſſores ſunt *Pontifices Romani* canonicè electi; ergo de fide eſt quenlibet *Pontificem Romanum* canonicè electum eſſe verum Pontificem.

6 Explic. magis *à Fund. Doct.* De fide eſt *D. Petrum* fuiſſe verum Pontificem; ſed idem eſt Papa, nunc, ac erat *Petrus*, quamuis non ſit idem homo; ſicut eadem eſt *Roma*, quamuis homines non ſint ijdem; idem *Tyber*, licèt non eadem aqua; nam quoties aliquod permanens in pluribus ſucceſſiuis durat; tunc eodem modo dicitur de vno, ac de alio ſucceſſore; quia permanens de formali ſe habet, ſucceſſiuum de materiali; ergo de fide eſt Papam eſſe verum Pontificem.

7 Prob. 2. *ex B. Patre Aug. ep.* 48., vbi vocat *Pontificem Romanum Regulam veritatis catholicæ*; *& epiſt.* 157., vbi *Sedem Apoſtolicam Romanam* appellat *indubitabilem*; ex quibus ſic. De fide eſt eum, qui eſt Regula infallibilis fidei, & qui tenet Apoſtolicam Sedem, eſſe verum Pontificem, qui ſolus eſt infallibilis, & regula veritatis, vt diximus; ſed *Pontifex Romanus* eſt huiuſmodi; ergo de fide eſt eſſe verum Pontificem.

8 Conf. Si non eſſet de fide Papam exiſtentẽ pro tempore eſſe verum Pontificem, poſſemus citra fidei iacturam dubitare, an eius propoſitiones ſint de fide credendæ: certum etenim eſt illas ſolas eſſe credendas de fide, quæ proponuntur à vero Pontifice: ſed conſ. eſt abſurdum: nullam enim certitudinis ſtabilitatem haberet Eccleſia, quia poſſet dubitari de ſingulis proponentibus fidei ſententias, quæ non proponuntur, niſi à Pontificibus in particulari pro tempore exiſtentibus: & ſic Eccleſia non eſſet fundata *ſupra petram*, idèſt non haberet ſtabilitatem, ſed per incerta nutaret: ergo abſurdum eſt ant.

9 Prob. 2. pars concl. Pontifex ſtatim, ac eſt ele-

electus, accipit à Deo poteſtatem ſuper totam Eccleſiam: ſicut epiſcopus, & ſacerdos ſtatim, ac ſunt electi, accipiunt poteſtatem vnuſquiſque ſuam: ergo ſtatim eſt verus Pontifex. 2. Pluñmi fuerunt Pontifices, qui vel morte præuenti, vel nulla vrgente occaſione nihil definierunt de fide: ſed fuerunt veri Pontifices, & pro talibus tenentur communiter: ergo etiam, antequam quid de fide definiant, ſunt veri Pontifices. 3. Ad hoc, vt quis ſit verus Pontifex, ſufficit, vt ſit epiſcopus *S. Sedis Apoſtolicæ Romanæ*, ſed ſtatim, ac quis eligitur in Pontificem, eſt epiſcopus S. Sedis Apoſtolicæ Romanæ: ergo ſtatim eſt verus Pontifex. 4. Secus ſequeretur nullum fidelem teneri ante definitionem ei præſtare obedientiam debitam vero Pontifici: ſed hoc eſt hæreticum: ergo ante definitionem eſt verus Pontifex.

10 Obiic. 1. Vt aliquod ſit de fide formaliter, neceſſe eſt eſſe reuelatum explicitè à Deo: ſed talem hominem eſſe verum Pontificem non eſt explicitè reuelatum à Deo, nullibi enim reperitur hæc reuelatio, ergo talem hominem eſſe verum Pontificem non eſt de fide credendum. 2. Vt ſit certum aliquem in particulari eſſe verum Pontificem, debet conſtare tali certitudine, cui non poſſit falſum ſubeſſe, quòd ſit capax Pontificatus: ſed hoc non conſtat, quia non conſtat eſſe validè baptizatum: non enim infallibiliter conſtat de intentione miniſtri: ergo idem. 3. Si quis non epiſcopus eligeretur in Papam, deberet poſt electionem conſecrari in epiſcopum: non eſſet autem magis certum ipſum ſuſcipere perfectionem caracteris ſacerdotalis, quàm ceteri epiſcopi: ergo à pari.

Reſp. ad 1. omiſſa reſponſione *aliquorum* aſſerentium talem reuelationem eſſe factam in genere, idèſt *omnes ſucceſſores D. Petri ſunt veri Pontifices*: quod enim reuelatur in genere, non reuelatur in ſe ipſo formaliter, ſed in alio, & virtualiter, adeoque tantùm credi debet virtualiter implicitè in alio, non formaliter explicitè in ſe ipſo; nam eo modo credi debet, quo eſt reuelatum. Neg. igitur mi., nam reuelatum eſt explicitè quenlibet ſucceſſorem *D. Petri* in indiuiduo eſſe verum Pontificem: licèt illius nomen non ſit expreſſum, quod non obſtat, cùm terminus indiuiduus vagus æquiualeat termino ſingulari: vnde *hic homo* deſignando v. g. *Petrum* idem ſignificat, ac *Petrus*: ſic *quilibet ſucceſſor Petri* deſignando talem perſonam idem ſignificat, ac nomen proprium illius perſonæ. Ad 2. neg. ma., nam ad hoc, vt conſtet de fide aliqua veritas, non eſt neceſſe, vt de fide conſtent omnes veritates cum illa connexæ: v. g. ad hoc, vt conſtet de fide Chriſtum eſſe hominem, non eſt neceſſe, quòd conſtet eſſe riſibilem: ergo à pari. Ad 3. dicitur diſparitatem eſſe, quia electio aliorum epiſcoporum non eſt eſſentialiter connexa cum regula fidei, cui nequit falſitas ſubeſſe, ſicut eſt annexa electio Papæ. Sic poteſt etiam ſolui 2., quia aliquem eſſe baptizatum non coniungitur cum regula fidei, non enim omnis baptizatus eſt regula fidei, ſicut cum ipſa neceſſariò coniungitur electio Pontificis.

11 Obiic. 2. Negans hunc Pontificem eſſe verum Pontificem non eſſet hæreticus, ſed ſchiſmaticus, quia ſolùm ſcinderet Eccleſiam; modò non negaret eſſe *Petri* ſucceſſorem; ergo idem. Prob. ant. Negans hanc hoſtiam numero eſſe conſecratam, hunc baptiſmum numero eſſe validè collatū non eſt hæreticus, dummodo fateatur baptiſmum ritè collatum validum eſſe; ergo à pari. 2. Non minùs neceſſaria eſt ad Eccleſiæ regimen electio aliorum epiſcoporum, quàm electio ſummi Pontificis, ſed ad regimen Eccleſiæ ſufficit moralis certitudo, qua tenemus alios epiſcopos eſſe ritè ordinatos; ergo idem de Papa. 3. Non eſt de fide hos electores eſſe legitimos; ergo neque hunc Papam electum fuiſſe.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Si negaret ſciens, & prudens cum pertinacia, neg., negaret enim verum *Petri* ſucceſſorem eſſe verum Pontificem, quod eſt contra fidem. Secus, conc; catholicorum autem *aliqui* hoc tantùm non prudenter, & ſine pertinacia negant. Ad prob. neg. paritas; quia hæc numero hoſtia, vel baptiſmus non eſt regula fidei, cui nequit falſum ſubeſſe, ſicut eſt ſummus Pontifex. Ad 2. neg. ma., nam electio aliorum epiſcoporum eſt tantùm neceſſaria ſecũdùm quid, idèſt ad comodius; at verò electio Pontificis eſt neceſſaria ſimpliciter: quia ſine ipſo Eccleſia periret, non tamen ſine aliis epiſcopis. Ad 3. neg. conſ., nam veracitas Pontificis connectitur cum veracitate electorum: ideo non eſt neceſſe, quòd iſta ſit de fide, ſicut illa, vt *ſupra* diximus.

12 Quæres, an Papa poſſit ſedem mutare?

Reſp. neg., eſt enim de iure Diuino: narrat ſiquidem *D. Ambr. orat. in Auxent. poſt ep. 32.*, quò à *Petro*, vt ſe perſecutioni ſubduceret, nocte mænia Vrbis Romæ egredi tentanti occurrit Chriſtus, cui *Petrus*, *Domine*, inquit, *quò vadis?* Reſpondit Chriſtus: *Venio Romam iterum crucifigi*. Significans ſe velle *Petrum Romæ*, non alibi crucifigi. Quo accepto reſponſo *Petrus* regreſſus *Romæ* crucifixus fuit: & ibi ex præcepto Chriſti Eccleſiam ſibi, & ſuis ſucceſſoribus fixit; cui hæc, & alia ſcripta, ac ſcribenda humili, ac ſincera reſignatione ſubmittimus.

DE

DE SPE.

DE ſpe Theologica tantùm ſermo inſtituitur; quia de ſpe naturali, quæ eſt paſſio iraſcibilis, iam egimus. Quanuis autem charitas, vt diximus *in ſup. tract.*, ſpem dignitate præcedat, & fidem, attamen ordine generationis ad illam ſubſequitur, quia generatio procedit ab imperfecto ad perfectum; tum quia natura cùm *teste Phil.* ad ſe ſit recurua, ideo priùs amat bonum ſibi per amorem concupiſcentiæ, quem importat ſpes, quàm amet illud in ſe ipſo amore beneuolentiæ, quem dicit charitas, De ſpe igitur antequam de charitate eſt agendum.

QVAEST. I.

De Spe.

PAuca de ſpe occurrunt dicenda, quæ ex dictis de fide non poſſint reſolui: ideo ne eadem repetamus, compendioſè, quæ communia ſunt fidei, explanatis declarabimus ea, quæ ſpei ſunt propria.

ART. I.

De habitu Spei.

1 SPes aliquando ſumitur pro re ſperata, quæ eſt obiectum ſpei, vt *pſ.90. Quoniam tu es Domine, ſpes mea*, aliquando verò pro habitu, quo tendimus in rem, quam ſperamus, vt *1.Cor.13. Tria hæc manent fides, ſpes, charitas*; & ita ſumitur à nobis in præſenti.

2 Definitionem ſpei generaliter ſumptæ iam tradidimus *de paſs.art.5. n.2.*, ſpes autem Theologica poteſt definiri *habitus ſupernaturalis à Deo infuſus habens pro obiecto* Deum, *quatenus ſummum bonum futurum, arduum quidem, ſed poſſibile conſecutu*. Per primas particulas differt ſpes à virtutibus moralibus, quæ licèt habeant pro fine Deum, habent tamen pro obiecto bonitatem creatam: per reliquas verò differt à fide, quæ tendit in Deum, quatenus ſummè verum; & à charitate, quæ tendit in bonum præciſè, non quatenus arduum, quia nihil difficile amanti,

3 Diuiditur in informem, quæ per peccatum ſeparatur à charitate; & formatam, quę coniungitur cum charitate. De ſpe informi eadem omnino dicenda ſunt, quæ diximus *de fide in ſup. tract. q. 1. art.6.* Solutio autem argumentorum, quæ obijciuntur, habebitur ex dicendis de obiecto fidei.

4 Ex his deducitur ſpem eſſe habitum realiter diſtinctum à fide, & charitate, quia realiter ſeparatur; nam fides poteſt eſſe ſine ſpe, vt patet de fideli deſperante, vel præſumente ſuam ſalutem, & ſpes ſeparatur à charitate, quia charitas deperditur per quodlibet peccatum, ſpes verò non deperditur, niſi per deſperationem, vt ait *Fund.Doct.in tract. de laud. Diuina Sap. c.8, & communiter omnes*. Per hoc reiiciuntur *quidam ſectarij apud noſtrum* Gibb. *hic diſp.14. dub 2. n.8.* aſſerentes ſpem nihil aliud eſſe, quàm certam, & firmam perſuaſionem æternæ ſalutis, adeoque cum fide confundi, *& cont. Ocham Quodl.8.q.1.* dicentem ſpem eſſe aggregatum ex fide, & charitate.

5 Spem eſſe ſimpliciter neceſſariam ad ſalutem neceſſitate medij, & præcepti eſt dogma fidei, habetur enim *pſ 16. Saluos facis ſperantes in te; & pſ.130. Speret Iſrael in* Domino, *&* Dan.13. *Qui ſaluat ſperantes in ſe, & 1. Par.10.* dicitur, quòd *mortuus eſt Saul propter iniquitates ſuas eo, quòd præuaricatus ſit mandatum* Domini *&c; nec ſperauerit in Domino, propter quod interfecit eum, & Rom.8. Spe enim ſalui facti ſumus*; ſuper quod *B.P. Aug. lib.11. cont. Fauſt.c.7.* inquirit, quomodò ſpe, quæ eſt tantùm de obiecto futuro, & abſente, ſalui facti ſint ita, vt ſalus quaſi non danda, ſed iam data ſit, reſpondet: *Quis autem non intelligat in lauacro regenerationis ſpem nobis datam ſalutis futuræ, non tamen ſalutem ipſam: quæ promittitur, & tamen quia certa ſpes eſt, tanquam iam data eſſet eadem ſalus; ſaluos, inquit, nos fecit*. Rationem affert *Fund.Doct.vbi ſ.c.6.* Illud eſt neceſſarium ſimpliciter neceſſitate medij, & præcepti, ſine quo nullo modo poſſumus conſequi Deum in ratione vltimi finis beatificantis: illud enim eſt medium ad conſequendum Deum, & nobis à Deo *in Scripturis* præcipitur quærenda media conducentia ad ſalutem: ſed ſpes Theologica eſt huiuſmodi; quia per ſpē Theologicam tendimus in Deum, quatenus bonum futurum, arduum, poſſibile: abſque eo autem, quòd ſic tendamus in Deum, non poſſumus conſequi Deum, quia Deus acquiritur ſolùm per tendentiam in ipſum: ſicut amittitur per auerſionē ab illo: ergo ſpes eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medii, & præcepti. Præceptum autem habetur frequentiſsimè *in pſalmis*, vt *pſ.16. Speret Iſrael in Domino. & 4. Sperate in Domino. Vid. de Fide q.2. art.3.*

6 Sed quæres; an ſit neceſſaria ſpes habitualis, vel ſufficiat actualis?

Reſp. requiri habitualem: *Apoſt.* enim *1.Cor. 13. Nunc autem tria manent ſpes, fides, charitas*: ſed illud, quod manet, eſt habitus, quia actus ſtatim tranſit: ergo neceſſarius eſt habitus ſpei. *Vid. vbi ſ. q.1. art.2. & de grat q.4. art.2.*, vbi oſtendimus ad iuſtificationem neceſſariam eſſe gratiam habitualem, virtutes autem Theologicæ, prout habitus ſunt, ſunt proprietates gratiæ habitualis: ergo idem.

7 Subiectum ſpei Theologicæ eſſe voluntatem colligitur ex dictis *de paſſ. art.1. n.2. & 6.*, & traditur *à Fund.Doct. in 2. diſt. 26. q.2. art.1.*, vbi ait: *Spes, & charitas ſunt in ipſa voluntate, & Argent. in 3. diſt.26. q.1. art.2.*, nam cum certum ſit in dæmoni-

bus, qui ſenſu carent, eſſe deſperationem, timorem, & triſtitiam, quæ habent pro obiecto malum, à quo fugere vellent, conſequenter deducitur in ſpiritibus eſſe ſpem, quæ cùm ſit erga bonum, quatenus arduum, in ſola voluntate ſubiectatur, quæ habet bonum pro obiecto. Præterea ſpes Theologica habet pro obiecto immediato Deum, in quem tendit per amorem concupiſcentiæ; ſed appetitus ſenſitiuus nequit tendere immediatè in Deum, qui non eſt ſenſibilis, ſed ſummè ſpiritualis; ergo ſpes Theologica non eſt in appetitu ſenſitiuo, ſed in voluntate, quæ ſolùm habet formaliter tendere in bona ſpiritualia.

8 Spem Theologicam ſecundùm ſe ipſam eſſe certiſſimam, quanuis à prauè operantibus poſſit fruſtrari, habetur *pſ.30. In te, Domine, ſperaui, non confundar in æternum; & Apoſt. ad Hebr. 6. Firmiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam*; ſuper quod *Beatiſs. P. in pſ.64.* ait: *Iam ſpem in illam terram, quaſi anchoram præmiſimus, ne in iſto mari turbati naufragemus. Quemadmodum ergo de naui, quæ in anchoris eſt rectè dicimus, quòd iam in terra ſit, adhuc tamen fluctuat, ſed in terra quodammodo educta eſt contra ventos, & tempeſtates: ſic contra tentationes huius peregrinationis noſtra ſpes noſtra fundata in illa ciuitate Hieruſalem facit nos non abripi per ſaxa: & Trid. ſeſſ.6. c.13.* ait: *Vnumquenque in Dei auxilio firmiſſimam ſpem reponere debere.* Ratio eſt, quia ſpes Theologica innititur promiſſioni Diuinæ; ſed hæc eſt certa, & infallibilis ſimpliciter, vt diximus *de fide q.1. art.3.*, ergo & iſta. Diximus *ſecundùm ſe eſſe certiſſimam, quanuis à prauè operantibus poſſit fruſtrari*; ſicut enim ſcientia ſecundùm ſe certa eſt, quanuis ſciens veritates illius aſſequi nolit; ita ſpes ſecundùm ſe certiſſima eſt, quanuis ſperans illius obiectũ ex defectu propriæ voluntatis nõ aſſequatur; quia ſcilicet nõ vult implere legem, quam ſolummodo implendo vitam æternã, quam ſperamus, valet acquirere.

9 Spem non manere in beatis habetur *Rom.8. Quod videt quis, quid ſperat*; nam ſpes eſſentialiter eſt de Deo non poſſeſſo, & obſcurè viſo; dicitur enim *Eccl.9. Spes eſt in tenebris*; à beatis autem poſſidetur, & clarè conſpicitur; ideo in illis non eſt ſpes. *Vid. to.1. q.4. proem. art.2.*

10 An autem beati habeant ſpem beatitudinis à viatoribus poſſidẽdæ, vel glorificationis ſuorum corporum, quam actu non habent; reſp. non eſſe propriè ſpem Theologicam, quæ formaliter eſt tantùm de Deo à ſe ipſo poſſidendo; nam vt ait *Fund. Doct. in ep. ad Rom. c. 8. lect. 17. dub.2. ſpes propriè eſt de pertinentibus ad ſe, & non propriè de pertinentibus ad alios*; reſpectu autem aliorum eſt deſiderium, ſicut enim fides, quia eſt immediatè de Deo reuelante, non poteſt extendi ad credendum, quòd alii quoque credent in Deum reuelantem; ſic ſpes, quia eſt immediatè de Deo, ideo nequit extendi ad ſperandum, quòd alii quoque per ſpem Deum aſſequantur. Idem à fortiori dicendũ eſt de corpore, quod eſt quid creatum. De iſtis ergo eſt deſiderium, non ſpes, quod deſiderium eſt ſine anxietate: tãta eſt enim gaudii eſſentialis plenitudo, qua perfunduntur, vt nullius ſint capaces triſtitiæ: & voluntati Dei ſic conformantur, vt nolint corpus glorificari, niſi eo tempore, quo id Deus decreuit.

11 Nec manet ſpes reſpectu continuationis beatitudinis propter eandem rationem; quia continuatio non eſt Deus, ſed modus actus, quo Deus poſſidetur; tum quia continuatio non eſt quid futurum, nam actus, quo poſſidetur Deus, eſt æternus, & æternitas non habet futurum, cùm ſit *tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*; ſpes autem eſſentialiter eſt de bono futuro. Tum quia haberent ſollicitudinem continuationis, ſollicitudo autem, cùm anxietatem importet, pugnat cum beatitudine. Tum quia beati vident omnia decreta Dei ſpectantia ad ſuam beatitudinem, vt diximus *to.1. de Inuiſib. q.2. art.3.*, ergo vident Deum non decreuiſſe per ſuam potentiam abſolutam auferre ab illis beatitudinem; quod autem ab æterno non decreuit, nec etiam de potentia abſoluta poteſt decernere in tempore, quia vel mutaretur, vel eius voluntas manſiſſet ſuſpenſa, quod repugnat. Vnde cùm arguit *Val.*, qui contrariè opinatur, quòd beati neſciunt, quid poſſit, aut velit facere de ſua potentia abſoluta circa eorum beatitudinem, & ideo circa continuationem illius habere ſpem: negandum eſt, quia beati, quæ pertinent ad ſuum ſtatum, clarè cognoſcunt.

12 An autem maneat ſaltem quantùm ad ornatum, iam diximus *q.4. cit. n.1.*

13 De damnatis idem ex oppoſito eſt dicendum: idèſt non habere ſpem Theologicam, non quia iam conſecuti ſint æternam beatitudinem, ſed quia ſunt illa æternaliter priuati: quapropter *Prou. 11.* habetur: *Mortuo homine impio, non erit vltra ſpes.* Tum quia priuantur omni dono ſupernaturali, cùm omni gratia, tanquam inimici, ſpoliantur.

14 Vtrum autem habeant ſpem naturalem, reſp. neg., nam habent deſperationem, quæ eſt actus naturalis, quæ per illam tollitur. Tum quia ex ſpe aliquod ſolamen perciperent, & ſic non eſſet ſumma eorum miſeria.

15 Remanet ergo, quòd ſpes Theologica ſit ſolùm in viatoribus, non hæreticis, quia in his non manet fides, quæ eſt fundamentum ſpei, ſed fidelibus ſiue iuſtis, ſiue peccatoribus non habentibus tamen peccatum deſperationis, vel præſumptionis, per quod ſolùm tollitur ſpes, ſicut in peccatoribus remanet fides, quæ ſolùm per peccatum infidelitatis auffertur. Item remanet in animabus Purgatorii, quia in illis remanet gratia habitualis, charitas, fides, & ſpes, quæ ſunt gratię proprietates: nec euacuantur fides, & ſpes, niſi cùm gloriam adipiſcuntur, cum qua ſtare nequeunt, ait enim *1. Cor. 13. Cùm venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt.*

ART.

A R T. II.

De actibus Spei.

1 ACtus primarius elicitus ſpei Theologicæ eſt, quo tendimus in Deum, quatenus ſummum bonum futurum, arduum, poſſibile adeptu, vt *ſup.* diximus. Actus verò ſecundarius eſt timor, quo timemus, ne hoc ſummum bonum aſſequamur: cùm enim acceſſus, ſeu tendentia ad vnum extremum dicat receſſum, ſeu fugam ab alio extremo, vt conſtat; ideo actus ſpei, quo accedimus, & tendimus in Deum, quatenus ſummum bonum. dicit receſſum, ſeu fugam à ſummo malo, quod incurritur ex non adeptione Dei; at cum hoc diſcrimine, quòd actus tendentiæ in Deum eſt actus principalis ſpei; actus verò *fuga* à malo quod conſequimur ex non adeptione Dei, eſt ex conſequenti, & ſecundarius. Actus autem, quo fugimus à malo, eſt actus timoris, qui eſt de malo imminenti futuro, arduo, poſſibili, vt diximus *de paſſ. art. 6.*

2 De actu primario dubitatur ab hæreticis, an operationes factæ intuitu æternæ retributionis ſit actus honeſtus?

Reſp. affirmatiuè. *Ita Trid. ſeſſ. 6. c. 11., &* *can. 31.* habetur nanque *Hebr. 11 de Moyſe: Fide Moyſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, aſpiciebat enim ad æternam remunerationem: & pſ. 118. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem*; & aliunde iſtæ actiones ordinatur in Deum, vt ſummum bonum, arduum, poſſibile adeptu; ergo à ſpe ſunt imperatæ, & ideo ſunt bonæ; an autem ſint etiam productæ ab habitu ſpei, dicimus eſſe efficienter, non immanenter productas eo modo, quo diſcurrimus *de fide q. 2 art. 4.*

3 Dicunt heretici. 1. Operari propter mercedem non eſt honeſtum, quia in tali actu includitur virtualiter voluntas non operandi, ſi non eſſet talis merces. 2. Lex ſeruanda eſt, etianſi nulla ſit merces: ergo operans propter mercedem operatur contra legem. 3. Mercenarius eſt execrabilis: ergo idem. 4. Non licèt ordinare rem ſuperiorem ad inferiorem.

4 Reſp. ad 1. diſt. ant. Operari propter mercedem tantùm, conc; etiam, neg; ſic enim operans operaretur etiam, ſi nulla eſſet merces propoſita, vt patet de militante ex præcepto Regis, ſpes autem ita intendit retributionem, & amat Deum ſibi, vt amet Deum in ſe, quia habet adiunctam charitatem, qua amatur Deus in ſe; & quia charitas eſt principalior inter virtutes, ideo Deus in ſe principaliter intenditur; & per conſequens etianſi non eſſet merces, adhuc amaretur. Ad 2. neg. conſ., nã lex de facto pręcipit, & ſpondet mercedem facienti. Ad 3. diſt. Mercenarius operans ex pura intentione mercedis, conc; ex amore ſimul, & intentione mercedis, neg. Ad 4. diſt. Tanquam ad finem, qui, conc; cui, neg.

§. I.

Quotuplex, & quid ſit actus timoris?

5 F*Und. Doct. Ægid. in ep. ad Rom. c. 8. lect. 25. §. Adducit. tertiam rationem* docet, quòd timor quadruplex eſt; alius mundanus, *quo quis ad euitandum aliquod damnum temporale paratus eſt offendere Deum*; & hic actus malus eſt, adeoque non eſt à Deo; qui *Luc. 12.* præcipit abiiciendum eſſe hunc timorem: *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus*. Hic timor enaſcitur ex amore concupiſcentiæ huius Mundi, quia enim nimis amamus res temporales, quas habemus, & concupiſcimus, quas non habemus, ideo timemus illas amittere, vel non adipiſci, vt docet *Beatiſs. P. lib. 83. qq q. 33.* inquiens: *Non eſt alia metuendi cauſa, niſi ne id, quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiſcamur ſperatum.* Mundi autem amor, moraliter malus eſt; dicitur enim *1. Io. 2. Si quis diligit Mundum, non eſt charitas Patris in eo*, quia eſt amor inordinatus ponens vltimum finem in creaturis; & ideo etiam timor, qui ſequitur ad hunc amorem, malus eſt. Alius ſeruilis, *quo ex timore pęnæ fugimus malum morale, quod eſt peccatum, per quod incurrimus talem pęnam*; pęna autem, quam incurrimus per peccatum, duplex eſt, ſcilicet priuatio æternæ beatitudinis, quæ dicitur *pæna damni*; & inflictio tormentorum ſenſibilium, quæ *pęna ſenſus* vocatur. Dicitur autem *ſeruilis* ducta ſimilitudine à ſeruo, qui operatur, vel ne priuetur mercede, vel ne puniatur à Domino, non autem ex amore, quo Dominum proſequatur. Ait *Fund. Doct.* hunc timorem eſſe bonum, & à Deo nubis inſpiratum, ſed non vndequaque perfectum, quia non ordinatur in Deum per charitatem, quæ eſt forma perficiens omnes actus bonos. Alius initialis, *quo incipimus diligere Deum, & ex hoc amore timemus peccata.* Eſt autem amor imperfectus, quia habet adiunctum aliquid de timore ſeruili, quem expellit perfecta charitas; vt dicitur *2. Io. 4. Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem*; differt tamen ab amore ſeruili, quia eſt ex motiuo Dei ſummè boni, & non differt ab amore filiali, niſi vt imperfectum à perfecto. Alius tandem filialis, quo timemus malum culpæ non tantùm propter pœnam, aut præmium, ſed ob amorem, & reuerentiam, quo Deo, tanquam Patri, placere volumus. Hic eſt timor perfectus, qui manet cum charitate perfecta, ſeu habituali, quæ, vt diximus *Io; foras mittit timorem*, mundanũ ſcilicet, & ſeruilem, de qua loquebatur *Apoſt. Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? An anguſtia, an fames, an perſecutio, an gladius?* Charitas ſiquidem perfecta eijcit timorem harum preſſurarum temporalium, circa quæ verſatur timor mundanus, & per conſequens expellit timorem mundanum. Inſuper quia operatur, vt filius, qui certus eſt hęreditatis paternæ, ideo non timet ea priuari, vel puniri à Patre, & conſequenter timorem ſeruilem depellit, non enim operatur, vt ſeruus, ſed vt filius reuerenter obſequens Patri.

6 Di-

Digitized by Google

6 Diximus *cum Fund. Doct.* timorem ſeruilem eſſe bonum ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſed non vndequaque perfectum. Primum tradit etiã *Trid. ſeſſ.6.can.8.cont.hæreticos huius temporis* aſſerentes *gehennæ metum eſſe peccatum, & peccatores priores facere.* Secundum habet *idem Trid ſeſſ.14 c.4.*, vbi vocat *attritionem imperfectam*, quæ oritur ex metu pęnarum. Vnde concludunt DD. ipſum timorem eſſe bonum, & vtilem ad conſequendam remiſſionem peccatorum: hinc *Trid ſeſſ.6.c.6.*, ait, quòd timore gehennæ *peccatores vtiliter concutiuntur*: ipſam verò ſeruilitatem eſſe malam, quia talis timor non refertur in Deum per amorem, à quo omnes actus morales perficiuntur; ſed ita diſpoſitus eſt peccator, vt non deſiſteret à peccato, ſi pęnis non terreſieret, ex quo infertur hunc timorem cũ affectu ad peccatum aliqualiter necti, ſicut proiiciens merces in mare metu mortis, quia eas non proiiceret, ſi mors ſecutura non eſſet, dicitur habere affectum ad merces, quas nollet proiicere, & ex hoc probatur purum gehennæ metum excludentem amorem Dei ſaltem imperfectum non ſufficere ad ſuſceptionem ſacramenti pœnitentiæ, ad quod compertiſſimum eſt non ſufficere actum includentem affectum virtualem ad peccatum. *Sed de hoc ſuo loco.*

7 Quæres 1. an quilibet timor ſit actus ſpei Theologicæ?

Reſp. timorem mundanum non eſſe actum huius virtutis, quia timor mundanus eſt malus, virtus autem Theologica nequit actum malũ formaliter elicere, cùm virtus eſſentialiter ordinetur ad actum bonum, in quo differt à vitio, quod ordinatur ad actum malum, ſic enim definitur virtus *à Beatiſſ. P. qua nemo malè vtitur*. Nec timor purè ſeruilis pœnæ ſẽſus eſt actus ſpei Theologicæ, quia ſpes Theologica habet pro obiecto immediato ipſum Deum, & ideo eius actus ordinatur in Deum, quia actus in ſuum obiectum eſſentialiter refertur; timor autem pœnę ſenſus non ordinatur in Deum, in quem non ordinatur, niſi per amorem ſiue perfectum, ſiue imperfectum; nam hæc ordinatio debet eſſe in Deum, vt ſummum bonum, conſequibile; ſic enim ſolùm eſt obiectum ſpei Theologicæ. Diximus timorem *purè ſeruilem pœnæ ſenſus*; nam timor, quo metuimus pœnam damni, ſcilicet amiſſionem Dei, eſt effectus ſecundarius ſpei Theologicæ, quia aliquo modo inuoluit amorem Dei, cùm omnis priuatio ſupra poſitiuum fundetur; in tantùm enim fugimus à malo, in quantùm amamus bonum illi malo oppoſitum; vt in tantùm fugimus mortem, in quantùm amamus vitam; oppoſitum autem amiſſionis Dei eſt adeptio Dei; ergo in tantùm per timorem fugimus amiſſionem Dei, in quantùm amamus adeptionem ipſius Dei, & per conſequens ipſum Deum. At verò timor purè ſeruilis pęnarum ſenſibilium non opponitur directè adeptioni Dei, ſed ſolùm felicitati, & voluptati naturali: ideo non includit, niſi amorem felicitatis naturalis; & per conſequens non eſt actus ſpei Theologicæ, quæ eſſentialiter inuoluit amorem ſupernaturalem ipſius Dei.

8 Quæres 2., an hic quadruplex timor ſit donum Spiritus Sancti?

Sua. hic diſp.1. ſect.4 n.13., & 14. negatiuè reſpondet, aſſerens donum timoris verſari ſolùm circa materiam temperantiæ ex ſpeciali inſtinctu Spiritus S. refrœnando inordinatam concupiſcentiam delectabilium guſtus, & tactus iuxta *pſ.118. Confige timore tuo carnes meas.*

9 Sed hoc reiicitur ex dictis *q. de Donis art.1.*, vbi oſtendimus dona Spiritus S. extendi ad plures virtutes, quia extenduntur ad omnes actus heroicos, qui fiunt ex impulſu Spiritus S. ſine conſultatione, & examine; vnde donum timoris nedum verſatur circa materiam temperantiæ coercendo delectationes malas, ſed etiam circa materiam pęnitentiæ, & ſpei fugiendo malum illis oppoſitum. Verùm ſolus timor filialis, qui eſt perfectus, eſt donum Spiritus S., cuius opera ſunt perfecta.

10 Quæres 3., an timor maneat in patria?

Reſp. timorem pœnę non manere: quia malum non eſt ampliùs imminens, cùm beati ſuæ beatitudinis æternæ ſint ſecuri: manere tamen timorem reuerentialem Dei eo modo, quo filius sũmè dilectus, & ſummè obediens dicitur timere patrem, non quòd pœnas timeat, aut malum aliquid imminens ei ob inobedientiam, quam ſcit ſe nunquam habiturum, ſed ob ſuperioritatem, & dominium ſolo amore exercitum, non poteſtate.

§. 2.

De præſumptione, & deſperatione.

11 PRæſumptio, quæ opponitur actui ſpei per exceſſum, nõ quidem ex parte obiecti, ſed ex parte ſubiecti ſperantis eſt *actus, quo quis inordinatè ſperat conſequi ſalutem à Deo*; ideo *Pelagiani*, qui aſſerebant poſse viribus naturæ acquiri vita æterna, *à Beatiſs. P. præſumptores* vocantur. Deſperatio verò, quæ opponitur per defectum, *eſt receſſus à bono aſſequibili propter ingentes difficultates, quæ in eius conſecutione apprehenduntur*: & differt à præſumptione: quia præſumptio tendit in bonum arduum, deſperatio verò recedit. Præter iſtos actus oppoſitos datur etiam timor diffidentialis, qui opponitur timori filiali: & *eſt receſſus à bono arduo eo, quia non confidit, ſed timet illud aſſequi.*

12 Circa deſperationem duo dubia agitantur. 1. In quo formaliter conſiſtat? 2. An ſuppoſita certitudine damnationis liceat deſperare?

13 Quoad 1. *Almain. tract.1. mor. c. de ſpe; Torres diſp.64. dub.10.* aiunt deſperationem conſiſtere in actu intellectus, quo quis culpabiliter iudicat ſe non futurum eſſe ſaluandum, aut ſaluari non poſse.

14 Noſtra tamen ſententia docet præſupponere quidem tale iudicium falſum, ſed formaliter conſiſtere in actu voluntatis contrariè oppoſito actui ſpei, qui actus phyſicè importat entitatem poſitiuam priuatione actus ſpei affectam, per quam tollitur ſpes eo modo, quo diximus *quæſt. 1. de pecc. art. 1. Ita Fund. Doct. de laud. Diuina Sapientia c.8., & ſæpe alibi, & communiter omnes alii.*

Prob.

Prob. 1. Deſperatio formaliter conſiſtit in actu, quo receditur ab obiecto ſummè bono, arduo, iudicato, vt impoſsibile adeptu; ſed hic formaliter eſt actus voluntatis præſupponens iudicium; nam ſola volũtas habet formaliter proſequi, & recedere à bono, ſicut intellectus habet proſequi, & recedere à vero, & aliunde actus voluntatis præſupponit actum intellectus; ergo deſperatio eſt actus volũtatis ſupponens iudicium falſum intellectus. 2. Deſperatio eſt actus oppoſitus ſpei, per quem tollitur directè ſpes, id enim ſignificat *deſperatio*; ſed iudicium non opponitur directè actui volũtatis, quia diſparatè ſe habent, ſicut ſunt diſparata intellectus, & voluntas; ergo deſperatio non conſiſtit formaliter in iudicio, ſed in actu voluntatis. 3. Poteſt quis falsò iudicare, & tamen non deſperare, quia voluntas eſt libera, & ideo propoſito ei tali iudicio poteſt præcipere intellectui, vt meliùs conſulat; ergo idem.

15 Dices. Per illud iudicium redditur obiectũ ſpei impoſſibile, & poſito illo abſque vllo alio habetur deſperatio: ergò hæc in illo conſiſtit.

Reſp. diſt ant. Redditur impoſſibile in ratione boni, neg; in ratione veri, conc. Ad aliud diſt. Habetur deſperatio ſubſecutiuè ad illud iudicium, conc; formaliter, neg.

16 Quoad 2. Docet *D Tho. q. 23. de Verit. art. 8. ad 2.*, quòd Deus iuxta potentiam ordinariã nequit alicui reuelare ſuam damnationẽ, quia cogeret deſperare. Ob hoc *Io. à S. Tho.* Gonet, *Sua. & alij* volunt hominẽ in hoc caſu non teneri ſperare, imò *aliqui* putãt poſſe licitè deſperare, & ideo deſperationem non eſſe intrinſecè malam.

17 *Alij* aiunt caſum eſſe impoſſibilem, quia talis reuelatio pugnat cum ſtatu viæ; ſed reijci ſolẽt, quia nulla eſt contradictio, & quia Deus reuelauit Antichriſtum eſſe damnatum.

18 Noſtra ſententia oppoſitum docet. Collig. *ex Fund. Doct.* docẽte nulli in hac vita claudi viam ſalutis, & ideo debere quenlibet ſperare. *Ita* etiam *Greg., Cordub., Gran., & plures ex noſtris eam docẽt in M.S.* Nec D. *Tho.* intelligendus eſt, quemadmodum exponunt *Aduerſarii*; nam per illud verbum *cogeret*, profectò non ſignificat idem, quod *neceſſitaret*; nam ſcientia Dei, cuius actus eſt reuelatio, non infert rebus neceſſitatem, nec adimit liberum arbitrium, vt docet *idem* D. *Tho. cont. Stoicos*: ſed ſumendum eſt, prout idem eſt, ac *tentaret*, ſeu vehementer alliceret ad deſperandum. Ex hoc autem non infertur non teneri ad ſperandum, aut poſſe deſperare: ſicuti enim ex eo, quòd quis vehementer tentetur ad blaſphæmandum, non infertur, non teneri ad fugiendam blaſphæmiam, ſed poſſe licitè blaſphæmare: ita à pari.

19 Prob. igitur 1. *ex Beatiſs. P. ſerm. 15. de verb. Dom. in Matth.* circa medium docente: *De nullo eſt deſperandum, quandiu patientia Dei ad pœnitentiam adducit, nec de hac vita rapit impium, qui non mortem vult impii, quantùm vt reuertatur, & viuat: & lib. 9. de Gen. ad lit. c. 17. Neque enim deſperandi ſunt homines in illa ſententia, in qua ſcriptum eſt: Omnes, qui ambulant in ea, non reuertentur; dictum eſt enim ſecundùm pondus iniquitatis ſuæ.* Ex quibus ſic. Quouſque poſſibilis eſt acquiſitio æternæ ſalutis, tenetur homo ſperare, & nunquam ei licet deſperare: quia obiectum ſpei eſt Deus, qui eſt noſtra ſalus obiectiua, futura, & poſſibilis obtineri, vt diximus: ſed homini quandiu eſt in hac vita, poſsibilis eſt acquiſitio æternæ ſalutis, etianſi reueletur ei ſua damnatio, quia in hac vita nulli clauditur porta ſalutis: ergo tenetur ſperare, & nunquam deſperare, etianſi reueletur ei ſua damnatio.

20 Conf. Damnatio fit dependenter à cognitione peccatorum, vt docent *Aduerſarii in tract. de Præd.*, ſed quilibet in hac vita poteſt vitare ſuam iniquitatem, nunquam enim hominem cogi ad peccandum certum eſt; & poſsibilitas non peccandi infert poſsibilitatem conſequendi Deum; ergo facta reuelatione damnationis adhuc remanet poſsibilis ex parte hominis ſalus æterna, & ideo tenetur eam ſperare; quanuis eſſet impoſſibilis ex parte Diuinæ reuelationis, quæ nequit falli.

21 Præterea reuelatio Diuina non reddit impoſſibile obiectum liberi arbitrii eleuati per gratiam, quia non infert impoſſibilitatem eidem libero arbitrio; ex eo enim, quòd *D. Petro* fuerit reuelatum ſe peccaturum, non fuit illata eius arbitrio impoſſibilitas non peccandi: ergo non reddit impoſſibile obiectum ſpei, quæ eſt habitus exiſtens in libero arbitrio; atqui manente poſſibili obiecto ſpei tenetur quilibet ſperare: ergo idem.

22 Item cum tali reuelatione componeretur alia reuelatio æqualiter certa: *In quacunque hora ingemuerit peccator, iniquitatum ampliùs non recordabor*: ſed hæc facit poſsibile obiectum ſpei: ergo illa non redderet illud ſimpliciter impoſſibile ſecundùm quancunque rationem: & ideo ſecundùm eam rationem, ſecundùm quam eſſet poſſibile, teneretur ſperare.

23 Ampliùs certitudo reuelationis haberetur à ſcientia, qua Deus cognoſcit talem hominem moriturum eſſe in peccato, vt patet: ſed talis cognitio non redderet impoſſibilem actum oppoſitũ, quo poteſt conſequi Deum, aliter ſcientia Dei inferret neceſſitatem rebus, vt *Stoici* putabant: ergo nec redderet impoſsibile obiectum actus conſecutionis, obiectum enim, & actus ſunt relatiua, quæ dicuntur ad inuicem.

24 Vlteriùs *ex Fund. Doct.* Quandiu homo eſt in via, poteſt ad ſuum terminum moueri, via enim refertur ad terminum: & ideo damnati nequeunt ad Deum moueri, quia ſunt in termino; ſed ille, cui facta fuiſſet talis reuelatio, adhuc eſſet in via, vt ſupponitur, quia non eſſet actu damnatus: ergo poſſet moueri ad ſuum terminum, qui eſt Deus, & ideo deberet ſperare.

25 Inſuper ex eo, quòd aliquis non ſit actu cõſecuturus gloriam, non infertur, quòd non debeat ſperare, quia ſufficit ipſum habere potentiam ad eam conſequendam, vt obligetur ad ſperandum, aliter omnes reprobi, quibus eorũ reprobatio reuelata non fuit, non tenerentur præcepto ſperandi, nec peccarent non ſperando, nec peccatum deſperationis plecti poſſet in illis; ergo ex eo, quòd quis

ſcrat

ſciat ſe non conſecuturum gloriam, non inferre non debere ſperare.

26 Tandem ex eo, quòd alicui reueletur prædeſtinatio, non ſequitur non debere ſuam damnationem timere; *Apoſt.* enim *1. Cor. 3.* certus erat ſuæ ſalutis, & tamen damnari timebat; ergo à pari.

27 Reſp. *Gib. Apoſtolum* illis verbis non expreſſiſſe timorem, ſed connexionem operum cum executione prædeſtinationis. *Alij* dicunt caſtigaſſe corpus, vt vitaret venialia.

Sed vtrunque repugnat verbis *Apoſt.*; nam ibi ait ſe caſtigaſſe ſuum corpus; *ne reprobus efficiatur*; quis autem nõ videat particulam *ne* eſſe expreſſiuã timoris, & per venialia non incurri reprobationem? Item ſpes ſemper cum timore amiſſionis illius, quod ſperatur, coniungitur, quia recedit à malo, quod illud valet auertere; malum autem valens Deũ auertere eſt peccatum mortale; ſed *in Apoſt.* manſit ſpes; ergo & timor peccatorum mortalium.

28 Obijc. 1. Obiectum ſpei eſt, quod prudenter iudicatur futurum; ſed facta reuelatione gloria eſt non futura; ergo non manet obiectum ſpei, & ideo impoſſibilis eſt actus, quia *ad impoſſibile nemo tenetur.* 2. Damnati nequeunt ſperare beatitudinem, licèt de potentia abſoluta eam conſequi poſſint, quia certò ſciunt per decretum efficax ſe eſſe damnatos; ergo idem. 3. In tali caſu teneretur quis ſe conformare Diuinæ voluntati; ſed hæc vellet ipſum damnatum; ergo teneretur velle ſuam damnationem. 4. Si poſſet ſperare, poſſemus orare pro illius ſalute; ſed conſ. eſt falſum docet enim *B. P. lib. 21. de Ciu. c. 15. Si certò ſciremus, qui eſſent reprobi, pro eorum ſalute orare non poſſemus*; ergo idem.

Reſp. ad 1. neg. mi; prudentiſſimè enim iudicaret ſe vitando peccata poſſe cõſequi æternam ſalutem; & etiam ſuppoſita tali reuelatione adhuc perditionem ſuam eſſe ex ſe ipſo, ſeu ex ſuis malis operibus noſſet, quæ quia poſſet vitare, ideo eſſet poſſibile, & apprehenderetur, vt futurum, obiectum ſpei. Ad 2. diſt. ant. Et ſunt in via ad damnationem, neg. & ſunt in termino, conc. Nequeunt ergo damnati ſperare ſe peruenturos ad gloriam, quia ſunt in termino, non in via; at in caſu eſſet in via, non in termino, ideo oppoſitum eſt dicendum. Ad 3. dicitur, quòd ex eo, quòd quiſque obligetur ad ſe conformandum Diuinæ voluntati, tenetur cauere peccata, & ſperare in Dei miſericordia; & ideo teneretur ſperare; ſi autem non ſperaret, peccaret, & ſi vellet peccando dãnari, non conformaretur, ſed diſcordaret à Diuina voluntate, quæ prohibet omne peccatum. Ad 4. neg. ma; quamuis enim non poſſemus orare pro illo, quia eius ſalus nõ poſſet apud Deum noſtris precibus iuuari; attamen ille deberet orare, & ſperare; quia deberet peccata vitare.

29 Collig. in caſu non tolli præceptum ſperandi, & deſperationem eſſe eſſentialiter malam; ſicut nunquam tollitur præceptum credendi, & amandi Deum, & infidelitas, ac odium Dei ſunt actus eſſentialiter mali; idem enim omnino dicendum eſt de actibus harum trium Diuinarum virtutum; quia cùm ſint immediatè erga Deum, ideo actus oppoſiti eſſẽtialiter auertũt à Deo, adeoq; sũt eſſentialiter mali.

ART. III.

De obiecto ſpei.

1 HÆc quoque quæſtio reſoluenda eſt ex dictis *de fide q. 3. art. 1., & 2.*, ſicut enim fides, quia habet modum ſubalternatæ viſioni beatæ, ideo habet pro obiecto formali adæquato Deum ſub ratione glorificatoris, & ſuperaddit rationem extraneam, quæ eſt ratio obſcurè reuelantis; ita ſpes, quæ habet eſſe ſubalternata ſecundùm dici poſſeſſioni, tentioni, ſeu actuali delectationi, quæ percipitur ex poſſeſſione Dei, habet pro obiecto formali ipſum Deum, vt ſummum bonum, quod eſt obiectum delectationis beatæ, de bono enim tantummodo formaliter delectamur; & ſuperaddit ſummo bono rationem poſſibilis, futuri, & ardui, quæ eſt ratio extrinſeca Deo. Igitur ſolùm reijciendæ ſuperſunt aliorum ſententiæ, cùm noſtra ſatis probari poſſit ex dictis *vbiſ.*

2 Prima ſententia vult obiectum formale *quod* ſpei eſſe ſolam beatitudinem formalem, quæ eſt actus à nobis elicitus, quo poſſidemus Deum in ratione vltimi finis nos beantis. *Ita Dur. in 3. 23. q. 2.*

3 Secunda vult eſſe omne id, quod eſt in poteſtate Dei, & à Deo poſſumus ſperare ſiue ſit naturale, ſiue ſupernaturale, ſiue creatum, ſiue increatum. *Ita Vaſq. 1. p. diſ. 84: & 3. p. diſp. 43. c. 2; Turri; Meras; & alij.*

4 Tertia vult eſſe beatitudinem, prout includit beatitudinem obiectiuam, & formalem; alia autem bona creata eſſe obiectum materiale, & ſecundarium; rationem autem *ſub qua* eſſe omnipotentiam auxiliantem. *Ita Io. à S. Tho; Gonet, & communiter Thomiſtæ*, quibus accedunt *Gibb., Lugi Malder., & alij.*

5 Quarta vult eſſe beatitudinem amatam amore concupiſcentiæ, vt ſummum bonum noſtrũ cedens in commodum amantis. *Ita Scot. in 3. diſt. 26. q. 1. §. Ad quæſt., Gabr., Sua., Gran., Val., Coninch, Ariag., & alii apud* Gibb.

6 Vnica concl. Obiectum formale primarium ſpecificans ſpem Theologicam eſt tantùm noſtra beatitudo obiectiua, ſcilicet Deus ſub ratione ſummi boni nos beatificantis; ratio autem extranea diſtinguens ſpem à beatitudine formali, cui ſubalternatur, eſt arduitas poſſibilis, futura, quæ habetur ratione altitudinis; & excellentiæ ipſius Dei. *Ita Fund. Doct. de laud. Diuina Sap. c. 6., de Regim. Princ. lib. 1. p. 3. c. 5., & in 3. ſent. diſt 26. q. 1. art. 1; Argent. in 3.* Greg., quos ſequitur *noſtra Schola.*

7 Prob. 1, ex *pſ. 90. Tu es, Domine, ſpes mea; & 142. Spes mea es tu; & 145. Spes mea in Domino Deo ipſius*; ſed ſperare in Deum, & Deum eſſe ſpẽ nihil aliud eſt, quàm ſpem habere pro obiecto formali Deum; quia obiectum formale eſt terminus, in quem formaliter tendit habitus, & in obliquo denominatur habitus; ergo Deus eſt obiectum primarium formale ſpecificans ſpem.

8 Explic. magis *ex Beatiſſ. P. in pſ. 145. vbiſ.* Illud eſt obiectum formale ſpecificans ſpem viæ, quod

quod in re poſſidetur in patria, & ſatiat ſpei deſiderium; illud enim idem, quod in via concupiſcimus per ſpem, in patria poſſidebimus in re, & plenè ſatiabit concupiſcentię affectum, aliter ſperaretur, quod non obtineretur, & ſpes fruſtraretur; ſed Deus ſub ratione ſummi boni nos beatificantis eſt illud, quod in patria poſſidetur in re ſatians omne deſiderium; quia de ratione boni ſolius eſt ſatiare deſiderium; cùm deſiderium formaliter ſit circa bonum; quapropter dicitur *pſ.64. Beatus, quem elegiſti, & aſſumpſiſti, inhabitabit in atrijs tuis, replebimur in bonis domus tuæ*; repleri autem idem eſt, ac ſatiari; ergo Deus ſub ratione ſummi boni nos beatificantis eſt obiectum ſpei.

9 Prob.2. Obiectum ſpei generaliter ſumptę, vt præſcindit à ſupernaturali, & naturali, eſt bonũ, vt ſic poſſibile, futurum, arduum, præſcindens à bono ſupernaturali, & naturali; ergo obiectum formale ſpei ſupernaturalis eſt bonum ſupernaturale; ita enim ſe habet ſpes, *vt ſic*, ad bonum, *vt ſic*, ſicut talis ſpes ad tale bonum; atqui bonum ſupernaturale, quod eſt obiectum formale ſpecificatiuum ſpei, nequit eſſe bonum ſupernaturale creatum; quia obiectum formale ſpecificatiuum eſt primarium, non ſecundarium, bonum autem creatum eſt ſecundarium, non primarium: ergo obiectum formale ſpei eſt bonum increatum, quod eſt Deus; & ideo Deus ſub ratione ſummi boni eſt obiectum formale primarium ſpei.

10 Conf. Bonum eſt obiectum formale adæquatum ſpecificans voluntatem; ſed ſpes eſt habitus voluntatis, vt diximus *art.1.*, ergo eius obiectum formale eſt ratio boni; aliter voluntas non adæquaretur à ratione boni, quia poſſet tendere formaliter in aliam rationem diuerſam à ratione boni; potentia enim tendit per ſuos habitus in ſuum obiectum. Atqui bonitas, in quam tendit ſpes Theologica, eſt Deus, qui eſt ſummum bonũ; ergo Deus ſub ratione ſummi boni eſt obiectum formale ſpei.

11 Prob.2.pars. Arduitas eſt de ratione conſtitutiua ſpei, *vt ſic*, vt diximus *de paſſ.art.5.*, ergo eſt de ratione conſtitutiua etiam talis ſpei ſpecificè ſumptæ; quia quæ eſſentialiter competunt generi, eſſentialiter competunt ſpeciei. 2. Spes ſpectat ad iraſcibilem; ſed iraſcibilis habet pro conſtitutiuo extrinſeco arduitatem, quia erga facilia non iraſcimur, ſed tantùm contra difficilia; ergo idem. *Vid. de fide vbiſ.*

12 Prob.3. reiiciendo ſententiam aſſerentem obiectum formale primarium ſpecificatiuum ſpei eſſe, vel includere etiam beatitudinem formalem. 1. Illud eſt obiectum primarium alicuius habitus, quod eſt cauſa, & radix cæterorum, quæ attinguntur ab illo; ſed ſolus Deus reſpectu ſpei eſt huiuſmodi, quia ipſe eſt cauſa efficiens beatitudinis formalis; ergo ſolus Deus, non beatitudo formalis, primarium ſpei. Ma. patet; quia obiectum formale eſt primarium, & *primum eſt cauſa ceterorum.* Mi. eſt de fide, quia ſolus Deus eſt cauſa omnium entium creatorum. 2. Ita ſe habet fides reſpectu viſionis beatæ, cui ſuccedit, ſicut ſpes reſpectu beatitudinis formalis, cui pariter ſuccedit; ſed fides non habet pro obiecto formali viſionem beatam, ſed tantùm ipſum Deum: ergo idem dicendum de ſpe. Tum quia Philoſophia ex eo, quòd conſideret ſuas demonſtrationes, quæ ſunt actus ipſius, non dicitur habere pro obiecto ſuas demonſtrationes, ſed tantùm corpus mobile; in tantùm enim conſiderat etiam ſuas demonſtrationes, in quantùm eſt habitus reflexiuus tendens nedum in ſuum obiectum, ſed etiam in ſuos actus elicitos circa obiectum: ſed etiam ſpes eſt habitus reflexiuus, quia eſt habitus voluntatis, quæ eſt reflexiua, cùm ſit ſpiritualis, ſicut intellectus; voluntas enim amat ſe amare, ſicut intellectus cognoſcit ſe cognoſcere; ergo ſpes ex eo, quòd tendat in ſuos actus, & in actus, qui ſuccedent ſuis actibus, vt eſt beatitudo formalis, non habet illos pro obiecto, ſed tantùm ipſum Deum. Idem dicendum de charitate viæ reſpectu actus charitatis patriæ. Tum quia id, quo conſequimur obiectum, non eſt obiectum, ſed via ad obiectum, via autem non eſt terminus; ſed beatitudo formalis eſt id, quo conſequimur Deum, qui eſt obiectum ſpei: ergo non eſt obiectum ſpei. 3. Si ſpes haberet pro obiecto beatitudinem formalem, non haberet pro obiecto immediato Deũ: nam religio, quæ habet pro obiecto cultum Dei, qui eſt actus immediatè verſans erga Deum, non eſt Theologica: ergo non eſſet virtus Theologica.

13 Per hoc euertitur reſponſio *Gibb.* dicentis beatitudinem formalem mediare tantùm, vt finis *quo*, inter ſpem, & Deum: finis autem *quo* non tollere immediationem, ſicut virtus, & eius actus non tollunt immediationem inter cauſam, ſeu principium *quod*, & effectum. Contra enim eſt, nam vel beatitudo formalis eſt actus elicitus ab ipſa ſpe, vel ſe habet tantùm, vt obiectum ab ipſa ſperatum? Non primum, quia ſpes non manet in patria, & ideo nequit in illa cauſare actum proprium illius ſtatus, implicat enim, quòd cauſa agat, quãdo non eſt. Imò ſi eſſet actus ipſius, manifeſtè inferretur non eſſe obiectum illius: aliter actus confunderetur cum obiecto. Si ſecundum; ergo inter Deum, & ſpem mediaret obiectum *quod*, non *quo*: nec refert, quòd ſit actus reſpectu alterius virtutis propriæ ipſius gratiæ: ſicut enim cultus Dei, qui quouis ſit actus erga Deum, attamen quia reſpicitur à religione, vt purum obiectum, ideo reſpectu illius eſt obiectum *quod*, non *quo*, & hoc ſufficit ad tollendam immediationem inter religionem, & Deũ: ergo idem dicendum de ſpe.

14 Refellitur 2. ſententia. 1. *ex D. Tho. hic q.17.* docente: *Bonum autem, quod aliquis ſperat obtinendum, habet rationem cauſę finalis, auxilium verò, per quod aliquis ſperat illud bonum obtinere, habet rationem cauſę efficientis*: ſed finis virtutum Theologicarum eſt obiectum formale illarum, vt docet *idẽ D. Tho.*, ergo eſt obiectũ formale ſpei. Nec valet, quod reſp. *Gibb.*, bonũ eſſe obiectum *quod*; omnipotentiam verò eſſe *rationem ſub qua*. Non valet inquam: nam ratio *ſub qua* non ſpecificat, vt diximus *ex eodem D. Thom. tom. 2. quæſt. 3. proem. art. 1. n. 2. & inferius* magis patebit. 2. ratione.

Obiectum formale ſpecificatiuum ſpei debet eſſe ſpecies obiecti formalis ſpecificatiui voluntatis, in qua reſidet ſpes; quia habitus cuiuſcunque potentiæ eſt ratio, ſeu virtus ſpecialis, per quam illa potentia tendit in ſuum obiectum formale reſtrictum ad aliquam ſpeciem; v. g. ſcientia eſt habitus, quo intellectus tendit in verum, quod eſt obiectum formale intellectus, *cognoſcibile per cauſam proximam*, per quod reſtringitur obiectum intellectus ad determinatam ſpeciem cognoſcibilis; ſic ſapientia eſt habitus, quo intellectus tendit in verum *cognoſcibile per altiſſimas cauſas &c*; ſed omnipotentia auxilians non eſt obiectum formale voluntatis, quod eſt bonum, *vt ſic*, vt concedunt *Aduerſarij*; ergo idem. 3. Omnipotentia auxilians eſt quid commune ſpei, fidei, charitati, & omni habitui ſupernaturali; nulla enim potentia per ſuas vires naturales poteſt credere, amare, & tendere in Deum, vt obiectum ſupernaturale; & ideo indiget omnipotentia auxiliante, idèſt tribuente auxilium ſupernaturale ad tendendum in Deum, quapropter ſicut ſpes innititur Deo auxilianti, quo confirmatur voluntas contra deſperationem; ita fides innititur Deo auxilianti, quo confirmatur intellectus contra infidelitatem, vt credat Deo atteſtanti, & ſic de reliquis; ergo nequit omnipotentia eſſe obiectum formale ſpei, quod nequit eſſe quid commune. 4. Idem eſt obiectum formale ſpecificans ſpem in via, & in patria, ſecus vnum ſperaretur in via, & aliud obtineretur in patria; ſed obiectum formaliter beatificans in patria non eſt omnipotentia auxilians, ſed ſummum bonum, vt conſtat; ergo idem. 5. Potentia Dei auxilians ſpem naturalem contra deſperationem naturalem erga res naturales per concurſum naturalem tribuendo illi vires naturales non eſt obiectum formale ſpei naturalis; ergo neque omnipotentia auxilians per concurſum, & vires ſupernaturales ſpẽ ſupernaturalem contra deſperationem de rebus ſupernaturalibus eſt obiectum formale ſpei Theologicæ: ita enim hæc ſe habet ad omnipotentiam ſupernaturaliter auxiliantem, ſicut illa ad potentiam auxiliantem naturaliter. 5. Actus ſpei formaliter eſt actus voluntatis, quia eſt actus elicitus ab habitu exiſtente in voluntate: ſicut actus ſcientiæ eſt actus intellectus, quia elicitur ab habitu ſcientiæ, qui exiſtit in intellectu: ſed nullus actus voluntatis poteſt formaliter ſpecificari ab omnipotentia auxiliante: aliter obiectum formale adæquatum ſpecificans voluntatem non eſſe ratio bonitatis, quæ virtualiter diſtinguitur à ratione omnipotentiæ: vt diximus *to. 1. de omnipot. art. 6*; quia bonitas in tantùm dicitur obiectum formale adæquatum voluntatis, in quantùm ſpecificat omnes actus voluntatis, & voluntas dicitur non poſſe tẽdere extra ſuum ſpecificatiuum adæquatum, quia omnis illius actus, qui eſt tendentia, per quam ipſa tendit, verſatur circa ſuum ſpecificatiuum adæquatum: ergo idem. 6. Actus, quo quis ſperat ſanitatem à medico auxiliante ad illam acquirendam, non ſpecificatur formaliter à medico auxiliante, cui æger innititur, ne deſperet ſalutẽ: ergo à pari,

15 Prob. 2. pars concl. ex dictis *de fide obiſ. art. 2.*, quod enim diximus de obſcuritate reſpectu fidei, dicendum eſt de arduitate reſpectu ſpei: ita nanque ſe habet obſcuritas ad fidem, ſicut arduitas ad ſpem, quia ſicut fides per obſcuritatem diſtinguitur à reuelatione clara, quæ competit viſioni beatæ: ita ſpes per arduitatem diſtinguitur à poſſeſſione ſuaui, quæ habetur in patria per delectationem beatam; ergo idem dicendum eſt ſeruata proportione de vtraque.

16 Obiic. 1. *Gibb.* cont. 1. part. concl. Poſſeſſio rei non eſt tantùm conditio, ſed eſt res partialiter deſiderata conſtituens una cum re poſſidenda obiectum, aut finem totalem conflatum ex fine *qui, & quo*: auarus enim non ſolùm appetit pecuniam, ſed etiam poſſeſſionem pecuniæ: ergo beatitudo formalis etiam eſt obiectum ſpei. 2. Deus nos beat per beatitudinem formalem, tanquam per formã cauſantem in nobis beatitudinem: ergo beatitudo formalis ingreditur rationem obiecti per modum cauſalitatis, non pure conditionis.

Reſp. ad 1. neg. ant., ſicut enim actus, quo acquiritur ſcientia non conſtituit partialiter obiectum ſcientiæ, quanuis acquiſitio ſcientiæ intendatur à ſciente eo, quia ſcientia eſt reflexiua, vt diximus, ita à pari. Ad prob. dicitur, quòd auarus appetit poſſeſſionem pecuniæ propter bonitatem apprehenſam in ipſa pecunia; ſi enim cognoſceret pecuniam non eſſe bonam, non appeteret poſſeſſionem illius; ergo ſola bonitas pecuniæ eſt ratio formalis obiectiua, per quam appetitur poſſeſſio ita à pari. Ad 2. dicitur, quòd ſi valeret, probaret Deum eſſe tantùm obiectum materiale, & ipſam beatitudinem eſſe rationem formalem, quod non admittit *Gibb.* Diſt. ergo ant. Tanquam per rationem formalem obiectiuam cauſantem actum, quo ſatiatur ſpes, neg; nam ratio formalis obiectiua cauſans ipſam beatitudinem, quæ eſt actus ſatians ſpem, eſt ſola ſumma bonitas Dei, vt patet. Tanquam per rationem formalem, quæ eſt ipſe actus ſatians ſpem, conc; patet autem, quòd ipſe actus non eſt obiectum, & licèt poſſit reflexiuè attingi ab habitu, attamen non eſt obiectum primarium, quod eſt ſolùm obiectum directè attactum, vt conſtat.

17 Obijc. 2. *Dur.* Obiectum ſpei eſt futurum; ſed Deus non eſt futurus: ergo non eſt obiectum ſpei. 2. Amare Deum, vt bonum nobis, eſt amare illud bonum, quod Deus nobis communicat, ſed per ſpem amamus Deum, vt bonum nobis; ergo idem. 3. Spes inuoluit amorem concupiſcentiæ; ſed hic habet pro obiecto bonum nobis communicatum; ergo idem. 4. Amare bonum ſibi eſt amare illud bonum, non eſt in ſe, ſed in ordine ad nos; ſed bonitas Dei non poteſt amari, vt bona nobis, & non vt bona in ſe; quia ſic inordinatè amaretur; ergo bonitas Dei non eſt obiectum ſpei.

Reſp. ad 1. fuiſſe ſolutum *de paſſ. art. 5. n. 3.* Ad 2. neg. ma; nam amare aliquod bonum nobis eſt illud amare, quatenus poteſt cauſare bonitatem in nobis, vt amans bonitatem pecuniæ, quatenus ſibi vtilem, amat verè illam

bo-

bon itatem,quæ eſt in pecunia,pront poteſt cauſare in nobis bonum vtile;& ſic ad 3.neg.mi; nam ratio primaria ſpecificans amorẽ concupiſcentiæ eſt bonitas obiecti, quatenus poteſt cauſare bonitatem in nobis, quæ, cùm ſit cauſata à bonitate obiecti, eſt ſecundaria, quia primaria eſt bonitas obiecti, vt liquet;& ſic ad 4. diſt.ma. Non eſt amare bonum in ſe præcisè,& abſolutè,conc: relatiuè ad nos,neg. Amatur ergo per ſpem bonitas, quæ eſt in Deo,nõ quidem præcisè,& abſolutè,ſed relatiuè, quatenus nobis communicabilis, & ideo eſt amor ordinatiſſimus;bonitas enim,quæ eſt in Deo,amatur,vt finis *qui*,prout autem nobis communicabilis,amatur,vt finis *cui.Vid.to.2.de Præd.q.1.art.2.* §.1. *Alias obiectiones vid.vbiſ.*

18 Obijc.3.*Gibb.*cont.2.p.concl. Arduitas potiùs retrahit à ſperando,ſicut obſcuritas retrahit fidem à credendo;ergo nõ eſt ratio *ſub qua*.2.Arduitas eſt mala;ergo idem.

Reſp.ex dictis *de fide q.1.art.5.n.4.*Ad 2.diſt. ant. Arduitas, quæ prouenit ex dignitate obiecti, neg; quæ prouenit ex incertitudine mediorum, conc.

19 Collig.1. auxilia gratiæ, & alia dona ſupernaturalia eſſe obiecta ſecundaria,quæ per habitum ſpei ſperamus. Ratio eſt ;nam ad eandem virtutem ſpectat attingere finem,& media;ſed gratia, & alia dona ſunt media ad cõſecutionem Dei,qui eſt obiectum ſpei. Tũ quia ſicut fides verſatur circa veritates creatas, tanquam circa obiectum ſecundarium; ita à pari. Idem dicendũ de reſurrectione, & glorificatione corporis ſperata à viatore, nam de beatis iam diximus.

20 Collig.2.virtute ſpei nos poſſe ſperare beatitudinem alterius,quatenus ſpectat ad noſtrã beatitudinem: quatenus ſcilicet ex conſortio amicorum in patria augebitur gaudium accidentale; ait enim *Apoſt.2.Cor.1. Spes noſtra firma eſt pro nobis, ſcientes,quòd ſicut ſocij paſſionum eſtis,ſic & reſurrectionis eritis*; amor nanque eſt uirtus faciens unũ, & idem. Si uerò conſideretur,ut bonum alienum, tunc non poſſumus eam ſperare uirtute ſpei;docet enim *B.P.in Enchir.c.8.,& Fund.Doct.de laud.Diuinæ Sap.art.1.n.10. Spes non niſi bonarum rerum eſt, nec niſi futurarum,& ad eum pertinentium,qui earũ ſpem gerere perhibetur.*

21 Collig.3. nos non poſſe ſpem noſtram ponere in creatura, tanquam in cauſa principali noſtræ beatitudinis,quæ habetur ſolùm à Deo *iuxta pſ.145. Nolite ſperare in Principibus, in quibus non eſt ſalus*; poſſe tamen ſperare in ſanctis, ac præcipuè *in Beatiſſima Virgine Maria*, tanquam in adiuuante ſuis meritis, & precibus noſtram beatitudinem; unde B.*P.ſerm.18.de Sanctis* cum ea loquens ait: *Tu es ſpes unica peccatorum; per te ſperamus veniam delictorum,& in te;beatiſſima,noſtrorum eſt expectatio præmiorum.*

22 Quæres, an per actus ſpei ſupernaturalis generetur habitus ſpei naturalis erga obiecta ſupernaturalia?

Reſp. hoc fuiſſe diſcuſſum *de Habitib. art.5.*

23 Petes iterum: an per ſpem naturalem acquiſitam poſſimus ſperare obiecta ſupernaturalia nobis ſufficienter propoſita?

Reſp. negatiuè; quia actus, & habitus naturalis eſt ſimpliciter improportionatus obiecto ſupernaturali, & ideo per illum hoc nequit attingi.

DE CHARITATE.

DE charitate, quæ eſt ſupremum Diuinæ miſericordiæ munus, tandem eſt diſcurrendum. Quia tamen plura diximus *in tract. de Inuiſib., de Beatitud., de Angelis, de Gratia, & alibi*; ideo illis omiſſis, ad agendum de illis, quæ diſcutienda ſuperſunt, procedemus; vt quantùm poſſumus, breuitati, quæ non modicum confert claritati, ſtudeamus.

QVAEST. I.

De habitu charitatis.

QVæ de habitu charitatis diſputantur à *DD.*, ferè omnia *alibi* diſcuſſa ſunt, ideo in vnum articulum ſunt colligenda paucis additis, quæ *ibid.* omiſimus, quia tunc non erat neceſſitas hæc ſuperaddendi.

ART. I.

Reſoluuntur quædam de habitu charitatis.

1 QVanuis charitas *in Scripturis, & à SS. PP.* pro actu dilectionis Dei frequenter ſumatur, dari tamen etiam habitũ, quãdo actu non diligimus, oſtenſum *q. 1. de fide art. 3.*

2 Charitatem eſſe aliquod accidens ſupernaturale creatum, & donatum nobis à Deo intrinſecè nobis inhærens, ſi ſermo ſit de charitate actuali, diximus *to. 3. de Beat. q. 2.* cùm enim beati non ſimus, niſi per viſionem, & amorem beatum, qui eſt charitas, ſeu amor Dei clarè viſi, ſequitur, quòd ſi beati eſſe non poſſumus, niſi per actum charitatis nobis intrinſecè inhærentem, nec poſſumus Deum in via diligere, niſi per actũ charitatis in nobis formaliter exiſtentem. Tum quia dicitur *1. Io. 4. Nos diligamus Deum, quoniam ipſe prior dilexit nos*; quibus verbis diſtinguitur amor, quo Deus nos diligit, ab amore, quo eum diligimus; ſed amor diſtinctus ab amore exiſtente in Deo nequit eſſe, niſi amor exiſtens in nobis, non enim poteſt eſſe in Deo, quia non diſtingueretur ab amore, quo diligit nos; ergo actus charitatis in nobis eſt aliquod formaliter inhærens. Tũ quia amor eſt in amante, cùm ſit actus vitalis, de cuius ratione eſt eſſe in principio, à quo elicitur; ergo amor, quo diligimus Deum, eſt intrinſecè in nobis; & licèt nobis donetur à Deo, attamen etiam elicitur à nobis. Tum quia ita ſe habet actus, quo in Deũ credimus, ſicut iſte, quo Deũ amamus, ſed ille eſt in nobis, quia eſt obſcurus, & ideo nequit eſſe in Deo, qui eſt lux per eſſentiam; ergo à pari.

3 Si autem loquamur de charitate habituali, ſufficienter diſcurrimus *vbiſ de Beat. & de Fide*, vbi fusè probauimus virtutes Theologicas dari per modũ habitus, & ideo dari charitatem viæ, ſeu patriæ, quæ eſt eadem, quia charitas viæ manet in patria, per modum habitus.

4 Dices. *Io. 14* habetur: *Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*; ergo charitas nõ eſt, niſi Spiritus S. nobis aſſiſtens. 2. Vita, qua anima viuit Deo, eſt charitas: ſed Deus eſt vita, qua anima viuit Deo: ergo eſt charitas. 3. *B. P. lib. 15. de Trin. c. 19.* ait: *Sicut corpus carnis nihil aliud eſt, quàm caro; ſic donum Spiritus S. nihil aliud eſt, quàm Spiritus S.*

Reſp. ad 1. Deũ eſſe charitatẽ, qua diligit nos, & hæc eſt charitas increata, non autem, qua nos diligimus Deum. Igitur qui manet in charitate, qua diligit Deum, manet etiã in charitate, qua diligitur à Deo, quia qui diligit, diligitur; & manet in Deo, nam charitas, qua diligitur à Deo, Deus eſt: ex quo magis prob. concl. Ad 2. dicitur Deum eſſe vitã animæ efficienter, quia cauſat gratiam, per quam viuit Deo. Ad 3. dicitur B. P. quærere, quomodò Spiritus S. ſit donum nobis datum, datur enim per gratiã, & charitatem, & cũ eo nobis dantur cetera dona creata; non autem, quòd ipſe ſit charitas; habet enim *Apoſt. Rom. 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis*, quod ſæpe repetit B. P., ſi autem charitas eſſet Spiritus S, faceret ſenſum ineptum, quod Spiritus S. datus eſt nobis per Spiritum S.

5 Petes, an ſaltem de potentia abſoluta poſſit actus charitatis infundi à Spiritu S. ſine habitu charitatis?

6 *Ban. Lorc. & alij* negant. *Noſtri DD.* affirmant. *Aragon. 2. 2. q. 23. art. 2. Putean. Luſit., & communiter omnes.*

7 Diſtiugnendum eſt eo modo, quo diximus *to. 3. de Beat. art. 6.*, quòd vel loquimur de actu imperfecto, qui præcedit gratiam habitualem; vel de perfecto, qui eſt effectus illius? Primo modo Deus de facto producit ſine habitu; ſecundo modo nequit ſine habitu eum producere, quia actus intenſus eſt effectus formalis habitus eſſentialiter cum eo connexus: ſicut calor remiſſus habetur ſine forma ignis, at calor intenſus nequit eſſe ſine illa propter connexionem eſſentialem. *Vid. vbiſ.*

8 An autem charitas habitualis ſit habitus, vel potentia, diximus *to. 1. de Inuiſib. q. 2. art. 1.*, nam charitas eſt ſimpliciter neceſſaria ad eliciendos actus perfectos, habitus autem formaliter, vt talis, eſt tantùm ad facilius, vt diximus *q. de Habitib*, & aliũde facilitat potentiam, quia *ardua neſcit amor*; ergo charitas habet rationem potentiæ, & modum habitus.

9 Charitatem habitualem eſſe veram virtutẽ diximus *q. 1. de Virt*; & præcipuè *art. 7.*; vbi oſtendimus

dimus virtutes morales non eſſe veras virtutes, niſi informentur à charitate, quæ eſt forma omnium virtutum. Si ergo per charitatem virtutes morales denominantur veræ virtutes, multò magis ipſa charitas eſt vera virtus, imò prima, & maxima omnium virtutum: quia *propter quod vnumquodq; tale, & illud magis.* Quod vlteriùs ſuadetur; nam ſi vera virtus eſt, *qua rectè viuitur, & nemo malè vtitur*, vt definitur *à Beatiſs. P. loc. cit. vbiſ. art.* 1., quanuis aliæ virtutes poſſint eſſe nõ perfectæ, quia poſſunt eſſe informes, vt diximus *de fide q.* 1., attamen habitus charitatis nequit eſſe non perfectus, & informis, quia nequit eſſe ſine ipſo, cùm ipſe ſit forma veræ virtutis; ergo habitus charitatis eſt maximè, principaliter, & perfectiſſimè vera virtus. Tum quia in tantùm gratia habitualis non eſt virtus, vt habet *Fund. Doct. in* 2. *diſt.* 26. *q.* 2. *art.* 1; in quantùm dat eſſe ſupernaturale animæ, quod eſſe præſupponitur ad operari; ait enim *Apoſt.* 1. *Cor.* 15. *Gratia Dei ſum id, quod ſum*; virtus autem ordinatur ad operari; quia ordinatur ad rectè viuendum, vt dicitur in eius definitione, rectè autem viuere eſt rectè operari, vt conſtat; ſed habitus charitatis ordinatur ad rectè operari, quia ordinatur ad amorem Dei, qui eſt operatio voluntatis; ergo eſt vera virtus. *Vid. vbiſ.*

10 Dices. Amicitia non eſt virtus. 1, quia vera amicitia fundatur in virtutibus, a quibus oritur. 2. quia virtus auferri nequit inuitò; amicitia autem tollitur etiam à nolentibus. 3. virtus à nullo dependet, cùm ſit propter ſe ipſam; amicitia verò dependet à bonitate amici. 4. virtus reddit bonum habentem, amicitia verò bonum præſupponit; ſed charitas eſt amicitia, vt *inf.*, ergo non eſt propriè virtus.

Reſp. neg. ma., vt enim diximus *q.* 4. *de Virt. art.* 2. *n.* 12., amicitia reducitur ad gratiam, quæ eſt virtus potentialis iuſtitiæ. Ad 1. prob. dicitur non eſſe contra rationem virtutis in alia fundari, & firmari; quia fides eſt fundamentum omnium virtutum, & tamen propter hoc virtutes fundatæ non deſinunt eſſe veræ virtutes. Ad 2. neg. amicitiam poſſe tolli à nolentibus, quia licèt quis ab amico offendatur, attamen offenſus poteſt, imò debet iuxta Euangelicam fidem eum amare. Ad 3. diſt. Virtus, quæ eſt ad alterum, vt eſt amicitia, quæ ad iuſtitiam reducitur, neg., quæ eſt ad ſe, conc. Ad 4. diſt. Amicitia ſupponit bonum bonitate virtutis, quæ ad illam ſupponitur, conc; bonitate, quæ habetur formaliter ab ipſa amicitia, neg.

11 Sed quæres; an habitus charitatis etiam in gradu remiſſo ſit virtus?

Reſp; quòd licèt *Phil. lib. magn. mor. c.* 6. appellet temperantiam remiſſam, non virtutem, ſed inchoationem virtutis, quia de ratione virtutis eſt difficultatem tollere à potentia, & efficere opus delectabiliter; temperantia autem in gradu remiſſo hoc non præſtat. Attamen dicendum eſt habitum charitatis, quantumuis remiſſum, eſſe veram virtutem: quia *Concilia. & SS. PP.*, quoties loquuntur de virtutibus Theologicis eas ſimpliciter virtutes appellant, & nunquam excipiunt, cùm ſunt remiſſæ; vt habetur *in Clem. de Sum. Trin., & in Trid. decreto de iuſtific. c.* 10. Præterea in tantùm temperantia in remiſſo non eſt virtus, ſed inchoatio virtutis, in quantùm eſt per modum diſpoſitionis, non per modum habites, cuius ſolùm eſt proprium facilitare potentiam, vt dicitur in eius definitione; ſed charitas habitualis, quantumuis remiſſa, infunditur per modum habitus, hoc enim ſignificatur nomine charitatis habitualis, idèſt charitatis habentis modum habitus; ergo charitas habitualis, quantumuis remiſſa, habet rationem veræ virtutis. Tum quia quanuis habitus non facilitet potentiam per ordinem ad aliquos actus egregios, ſed ſolùm per ordinem ad actus paruos, vt fortitudo per ordinẽ ad vincendam moderatam tentationem, non per ordinem ad martyrium; attamen non ſequitur, quòd non ſit vera virtus, ſed tantùm quòd non ſit virtus heroica; ergo licèt charitas non facilitet voluntatem ad elicìendos actus intenſos, attamen non ſequitur, quòd non ſit vera virtus, quia facilitat ad eliciendos actus remiſſos, perfectos tamen, quia tendunt in Deum ſuper omnia; nam charitas expellit timorem, vt habetur 1. *Io.* 4. *Timor non eſt in charitate*; expellere autem timorem eſt facilitare voluntatem, quam præpedit timor, ne bonum operetur.

12 Dices. 1. Vitia non ſunt compoſſibilia cum vera virtute, quia illi opponuntur, ſed cum charitate cõponuntur vitia, vt patet in recenter iuſtificato; ergo charitas non eſt vera virtus. 2. Continentia *ex Phil.* non eſt vera virtus, quia non habet vim compeſcendi paſſiones; ſed habitus charitatis in remiſſo eſt huiuſmodi; ergo idem.

Reſp. ad 1. neg. ma; & mi; vt ſæpiùs diximus. Ad 2. dicitur continentiam eſſe diſpoſitionem ad virtutem, quia ad nullum facilitat actum; charitas autem habitualis facilitat ſaltem ad actus paruos.

13 Charitatem diſtingui à fide, & ſpe iam diximus *q. de ſpe art.* 1. *n.* 4., quia habet diuerſum obiectum formale; ergo ſpecie diſtinguitur.

14 Præterea charitatem eſſe ſupernaturalem ſecundùm ſubſtantiam, ſeu entitatem conuincitur ex dictis *to.* 1. *q.* 3. *procm. art.* 4. *& de Inuiſib. q.* 1. *art.* 4. *& to.* 3 *de Ang. q.* 4. *art.* 10. *& de fide q.* 2. *art.* 2. Nam charitas habitualis habet pro obiecto immediato Deum, vt eſt Auctor gratiæ largiens vitam æternam; eſt enim virtus Theologica; ergo eſt ſupernaturalis ſimpliciter, quia quale eſt ſpecificatiuum, tale eſt ſpecificatum. 2. Charitas manet in patria, & in actu ipſius conſiſtit vita æterna; ſed hæc eſt ſupernaturalis ſimpliciter: ergo & illa. 3. Fides, quæ eſt minor charitate, eſt ſupernaturalis ſimpliciter; ergo & charitas, quæ eſt maior fide. 4. Gratia habitualis ſanctificans, & eleuans animam ad ordinem Diuinum eſt ſupernaturalis ſimpliciter; ergo & charitas habitualis, quæ eſt proprietas eſſentialis illius; proprietas enim eſt in eodem ordine cum eſſentia.

15 De perfectione charitatis diximus *q.* 1. *de fide art.* 7., vbi oſtendimus habitum charitatis ordine dignitatis perfectiorem eſſe fide, & ſpe: nam 1. *Cor.* 13. dicitur: *Maior autem horum eſt charitas, &*

ad

ad Coloſſ.3.Super omnia charitatem habete, quæ eſt vinculum perfectionis: tum quia ſola charitas manet in patria, fides, & ſpes euacuatur, vt docet *idem Apoſt.* Hinc *Beatiſs. P. Aug. lib.15. de Trin. c.19.* ait: *In donis nullum maius charitate, nec illi æquale.* Tum quia charitas eſt forma omnium virtutum, vt diximus *q.3.de Virt.art.6.n.13.,& alibi*, ſola enim charitas mouet alias virtutes in Deum, vt in vltimum finem ſummè bonum, in quo vltimò debent quieſcere, vltimus enim finis ſolius charitatis eſt obiectum, & per conſequens in illud ſola charitas formaliter tendit, & aliæ virtutes ſolùm per charitatem; quia vna virtus nequit per ſe tendere in obiectum alterius, aliter confunderentur; & ideo non tendit, niſi ratione illius, quæ ex ſe ipſa habet tendere; & quanuis non ſit forma intrinſeca, quia intrinſecè illas non afficit, eſt tamen forma extrinſeca, quatenus extrinſecè illas mouet in Deum; ſicut lux dicitur forma omnium colorum, quatenus illos extrinſecè mouet ad agendum in potentiam viſiuam; hinc opera facta ſine charitate dicuntur mortua, quia charitas eſt forma dans illis motum, quod propriũ eſt animæ; & virtutes ſine charitate dicuntur informes, idèſt ſine forma; ſed forma eſt perfectior materia formabili, eſt enim actus, qui eſt perfectior potentia paſſiua; ergo charitas eſt perfectior qualibet alia virtute. Tum quia ſola charitas eſt illud, quo vltimò coniungimur Deo ſummè bono, & ſummè perfecto, ac inſeparabiliter ei vnimur; ergo ſola charitas eſt omni alia virtute perfectior.

16 Dicunt *Lutherani*, qui charitati prætulerunt fidem. 1.Fides *Rom.3.*habet iuſtificare; & ad *Gal.5.* operatur per dilectionem, tanquam per inſtrumẽtum: cauſa autem principalis nobilior eſt inſtrumento. 2. Regula eſt nobilior regulato; ſed fides eſt regula charitatis; ergo idem. 3. Martyriũ, quod eſt actus fortitudinis, habet conferre gratiam ex opere operato, & facere de attrito contritũ, quod nõ habet charitas; ergo idem. 4 Intellectus eſt perfectior charitate, quæ eſt habitus voluntatis.

Reſp. ad 1; quòd fides non iuſtificat, niſi per charitatem, vt diximus *de grat.q.4.art.1.§.1.n.9; & pluries alibi*; operatur autem per dilectionem, tanquam per formam, ſicut corpus operatur per animam: anima autem eſt perfectior corpore, vt patet: ergo ex hoc deducitur potiùs, quàm conuellatur noſtrum aſſertum. Ad 2. diſt. Regula, quę ſubiicitur imperio regulati, neg., quis enim diceret, quòd regula lignea domus faciendæ ſit nobilior artifice? Regula, quæ ſibi ſubiicit regulatum, conc. Charitas autem omnia imperat, omnia ordinat: & ideo omnia ſubiiciuntur charitati; atque adeo etiã per hoc probatur noſtra doctrina. Ad 3. dicitur martyrium eſſe actum imperatum à charitate: docet enim *Apoſt.1.Cor.13. Si tradidero corpus meum ita, vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt*. Præterea etiam charitas ratione gratiæ ſanctificantis, quam ſecum trahit, iuſtificat: hinc *Trid.* ſtatuit per actum contritionis perfectæ, qui eſt actus charitatis homines iuſtificari ante actualem ſuſceptionem ſacramenti. Ad 4. *cum Fund. Doct.* neg. ant., quanuis enim intellectus ſecundùm quid ſit nobilior voluntate, attamen voluntas ſimpliciter perfectior eſt intellectu. *Sed de hoc in libris de anima.*

17 Sed petes 1., an charitas non ſolùm in genere moris, ſed etiam phyſicè ſit perfectior fide, & ſpe? 2. An ſit perfectior ſubſtantia creata? 3. An poſſit imperari à virtute inferiori?

Reſp. ad 1. affirmatiuè: nam rationes allatæ id probant nedum in genere moris, ſed etiã phyſico: perfectius enim eſt eſſe, quod acquirimus in Deo, quàm id, quod habemus in nobis: at per charitatẽ acquirimus eſſe in Deo; & ſic perfectius eſt eſſe formæ, quàm ſubiecti &c. Ad 2. *vid. to.1. de Inuiſib.Dei,q.2.art.1.n.* . Præterea *Fund.Doct. in 2.diſt.26.q.1.art.2.ad 2.* ait, quòd entitas ſimpliciter ſumitur à ſubſtantia, & ſecundùm quid ab accidente, quia ſubſtantia eſt ens per ſe; accidens verò ſecundùm quid: at verò perfectio, & bonitas è contra ſumitur ſimpliciter ab accidente, & ſecũdùm quid à ſubſtantia: vnde homo malus, quanuis dicatur ſimpliciter ens, non dicitur tamen ſimpliciter bonus, & perfectus: & ratio eſt: quia accidentia ſunt perfectiones ſubſtantiæ: ergo charitas, licèt ſit ens ſecundùm quid, attamen eſt perfectior ſimpliciter ſubſtantia naturali, quæ per illam perficitur: imò perfectior perfectione ordinis, quia illam conſtituit in ordine Diuino. Ad 3. reſp. affirmatiuè, vt diximus *de fide q.2.art.2.n.9.*, id enim agit virtus inferior, non ſecundùm ſe ipſam, ſed per voluntatem, in qua eſt, & quam mouet, vt imperet.

18 Dices. 1. *cum noſtro Pat., Capr. Caiet., Ferr., Vaſq., & aliis* ſentientibus charitatem viæ eſſe ſecundùm quid perfectiorem fide, & ſimpliciter imperfectiorem. Virtutes intellectuales ſunt perfectiores virtutibus voluntatis *ex Phil. 6. Eth. c.9.*, quia intellectus eſt perfectior voluntate. 2. Charitas habet pro obiecto ſolam bonitatem Diuinam, fides verò veritatem Diuinam, & omnes veritates creatas.

Reſp. auctoritatem *Phil.* non præponderare auctoritati *Apoſt.* qui docet charitatem eſſe maiorem fide. Igitur *Phil.* loquitur tantùm de virtutibus intellectualibus comparatiuè ad virtutes morales, non enim uirtutes Theologales agnouit. Ad 2. dicitur, quòd ſicut charitas habet pro obiecto primario Deum, & ſecundariò creaturas; ita Fides.

19 Dices 2. cont. 2. Charitas eſt accidens, ſed accidens eſt imperfectior ſubſtantia: ergo charitas eſt imperfectior ſubſtantia naturali.

Reſp. diſt. ma. Eſt accidens ordinis ſupernaturalis, conc., & in hoc ſenſu neg. mi. Ordinis naturalis, neg.

20 Dices. 3. cont. 3. Charitas eſt uirtutum ſuprema: ergo nequit imperari ab inferiori, quia imperium ſuperioritatem importat.

Reſp. diſt. conſ. Nequit imperari ab inferiori ſecundùm ſe, conc. Ratione uoluntatis, quæ eſt domina, & ratione cuius omnes uirtutes imperant, neg.

21 Subie-

21 Subiectum Charitatis eſſe voluntatē dictū eſt *de ſpe art.1.n.7.*

22 Charitatem eſſe habitum ſupernaturalem infuſum certum eſt ſecundùm fidem, habetur enim *Rom.5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S.*; ſuper quod *Trid.de iuſtificat.c.7.* ait: *Simul infuſa accipit homo fidem, ſpem, & charitatem.* Ratio eſt. Supernaturale ſecundùm ſubſtantiam refert modū proprium, quo eſt in Deo, vt diximus *to.1.de inuiſib.q.1.art.4.* §.1; ergo à ſolo Deo poteſt produci, quia ipſe ſolus continet eſſe ſecundùm modum proprium, quo eſt in illo, & ideo ſolus poteſt illud communicare. *Vid.de Habit.art.5.*

A R T. II.

An charitas ſit amicitia hominis cum Deo?

1 Difficultatē facit *Phil.8 phyſ.c.4*; vbi inter conditiones requiſitas ad amicitiā aſſignat æqualitatē, ait.n.c.15. hanc non reperiri inter ſeruū, & Dñum, inter quos eſt inæqualitas. Ex alia parte *in Scripturis* homines iuſti dicūtur Dei *amici.* Hinc *Dur.in 3.diſt.43.q.3.* ait inter Deum, & homines eſſe amicitiam largè ſumptam.

2 Sententia tamen communis docet dari veram amicitiam, non æqualitatis in natura, ſed ſupereminetiæ, vt loquitur *Phil.c.7.*

3 Plures *ex Phil.* aſſignantur conditiones ad veram amicitiam, ſed prçcipuæ ſunt tres, ad quas aliæ reducūtur. 1. Debet eſſe amor beneuolentiæ, quo volumus bonum amico, & delectamur de bono illius, hinc amantes amore concupiſcentiæ non ſunt veri amici, quia ceſſante ſpe aſſequēdi bonum, quod amatur, ceſſat amicitia, de cuius ratione eſt ſemper durare, vſque diſſoluatur per odium. 2. Debet eſſe amor mutuus duorum; nam amicitia eſt ad alterum, & ideo inter duos. 3. Amor debet eſſe cognitus ab vtroque, vt poſſint iucundè conuiuere, ſua corda inuicem aperire, accidentia communicare, & in perfecta ſocietate iucundari.

4 Vnica concl. Charitas habitualis eſt formaliter amicitia ſupereminentiæ inter Deum, & homines.

Prob.1. *Sap.7.* dicitur: *Participes facti ſūt amicitia Dei; & Iudith 8. Abraham Dei amicus effectus eſt; & Io.15. Vos autem amici mei eritis; & Trid ſeſſ.6.c.7.* habet, quòd homo per gratiam fit *ex inimico amicus.* Super quod *B.P.de ſalut.docum.c.7.* ait: *Intima amicitiarum charitate, quantū poſſumus, Chriſto Domino coniungamur, quia ipſe dixit; Vos amici mei eſtis.* Ex quo ſic. 1. Amicitia fomaliter eſt habitus, qui reperitur inter mutuò ſe amantes amore beneuolentię; ſed habitus charitatis eſt huiuſmodi, habetur enim *1.Io.4. Diligamus, quoniam ipſe prior dilexit nos*; quo explicatur amor mutuus Deum inter, & homines; ergo eſt formalis amicitia. 2. Homo per peccatū eſt formaliter inimicus; ergo per charitatem, quæ pellit peccatum, eſt formaliter amicus. 3. Si non eſſet propriè amicitia, maximè, quia homo eſt ſeruus, & Deus eſt Dominus; ſed homo licèt per naturam ſit ſeruus, attamen per gratiam nō eſt ſeruus, ſed filius, inter filium autem, & patrem datur vera amicitia; ergo idem. Atqui amicitia, quæ eſt inter patrem, & filium, eſt ſupereminentiæ, quia pater ſupereminet filio, cùm habeat poteſtatem in illum; ergo eſt vera amicitia ſupereminentiæ. 4. Gratia perficit, & eleuat naturam inferiorem ad gradū naturæ ſuperioris: ergo aliquo modo æquat naturam hominis cum Deo; quapropter homines per gratiam *Dij* vocantur, ſed vbi eſt æqualitas, eſt vera amicitia: ergo idem. Tādem habet omnes conditiones ad veram amicitiam exactas, quas *ſuperiùs* aſſignauimus: ergo idem.

5 Obijc.1. Amicitia dicit æqualitatem *ex Phil*; ſed inter Deum, & creaturas non datur æqualitas, quia creatura eſt ſerua, & Deus Dominus; inter ſeruum autem, & Dominum non eſt æqualitas; ergo non eſt vera amicitia. 2. *SS.PP., & Conc.*, *vt Trid.ſeſſ.6.de Iuſtific.c.9.* aſſerunt per gratiam habitualem nos fieri amicos Dei; ergo non per charitatem, quæ in noſtra ſententia diſtinguitur realiter à charitate.

Reſp. ad 1. diſt. ma. Amicitia ſupereminentiæ, neg., æqualitatis, conc. Ad mi. dicitur, quòd licèt creatura ſit ſerua Dei per naturam; attamen per gratiam adoptatur in filiam, quia fit conſors Diuinæ naturæ; propterquod datur quædam proportio analogica inter Deum, & creaturam. Ad 2. dicitur *SS.PP., & Conc.* nihil aliud velle, quàm quòd per gratiam ſanctificantem, quæ ſemper eſt coniuncta cum gratia habituali, homo fit amicus Dei; non autem prout ſeparata à charitate habituali, cuius actus formaliter eſt amor Dei, qui conſtituit formaliter amantem; & in ipſa formaliter conſiſtit amicitia; gratia autem concurrit ad illam tantùm radicaliter; quia reddit creaturam à Deo amabilem conſtituendo pulcram in oculis Dei.

6 Inſt. Per formam, per quam homo fit iuſtus, fit amicus Dei, & per quam tollitur inimicitia, ſed gratia habitualis eſt huiuſmodi, ergo idem.

Reſp. per gratiam habitualem tolli inimicitiam radicaliter, quia tollitur peccatum, quod eſt radix inimicitiæ; per charitatem autem tollitur formaliter.

7 Obijc.2. Ad rationem amicitiæ requiritur velle bonum amico propter ipſum; ſed Deus non vult creaturæ bonum propter ipſam, ſed propter ſeipſum, cùm ipſe ſit finis vltimus omnium; ergo idem. 2. Creatura nequit amare Deum amore beneuolentiæ, quia nequit illi deſiderare bona, niſi extrinſeca, quæ non ſunt bona Deo ſimpliciter: ergo idem. 3. Nequit Deus velle bonum creaturis, tanquam creaturarum: ſed amicitia vult bonum amici, quatenus eius eſt: ergo idem. Prob. ma. Omnia vult Deus propter ſuam bonitatem, quæ eſt obiectum adæquatum ſuæ voluntatis.

Reſp. ad 1. diſt. mi. Deus nequit velle bonū creaturę, tanquam propter finem *cui* intermedium, neg., tanquam propter finem *qui* vltimum ſimpliciter, conc. Illa ergo particula *propter* nedum dicit finē vltimū, ſed etiam intermediū, vt cùm quis ſumit medicinam propter ſanitatem, quā ordinat ad ſtudium; nedum dicit finem *qui*, ſed etiam finem, *cui*; & cùm quis vult ſanitatem, vt inſeruiat

ami-

amico. Ad 2. neg. ant. Ad prob. inſeri., dicitur, quòd creatura poteſt amare ipſi Deo perfectiones intrinſecas, & de illis gaudere, quanuis ad amorem amicitię ſit ſufficiens velle amico bona extrinſeca. Ad 3. diſt. ma. Tanquam creaturarum, & non ſuū, conc., & ſuum, neg., amicus enim vult bona ſua eſſe amicis communia.

8 Quæres, an Deus ſit amicus peccatoris?

Reſp. negatiuè; habetur enim *pſ. 118. Iniquos odio habui*; odium autem diſſoluit amicitiam.

9 Quæres 2. an amor naturalis hominis ad Deum ſit vera amicitia?

Reſp. negatiuè eſt contra *Gibb. Lorc. Turrian. Io. à S. Tho., & alijs.* Prob. In tantùm ſeruus poteſt fieri amicus Regis, inquantùm per gratiam eleuatur ab ipſo Rege ad communicandum cum ipſo, vt docet *Phil.*; ergo præciſa gratia creatura non habet amicitiam cum Deo; tum quia amicitia creaturæ ad Deum conſiſtit in filiatione, quę non habetur præciſa gratia; tum quia ſupponit ſententia contraria poſſe creaturā naturaliter amare Deum ſuper omnia, quod eſt falſum.

A R T. III.

An, & quomodò habitus charitatis augeatur, & minuatur?

1 SVpp. tanquam certum ab omnibus habitum charitatis augeri, prout augmentum diſtinguitur ab intenſione; docet enim *Beatiſſ. P. lib. 83. qq. q. 36. Augetur charitas, vbi diminuitur cupiditas*. Dubitatur ſolùm de modo, quo augetur. *Aliqui apud Fund. Doct. in 1. diſt. 17. p. 2. princ. 1. q. 1. §. Quidam* aiunt augeri, ſicut augentur dies; nam diei minori ſucceuit dies maior. Sed hoc improb., nam dies maior ſuccedit minori per deſitionem minoris; maior autem charitas non aduenit per deſtructionem minoris, quia vnumquodq; per ſe deſtruitur à ſuo contrario, & contraria ſunt diuerſæ ſpeciei; charitas autem maior nec eſt contraria charitati minori, nec eſt diuerſæ ſpeciei. Vel deſtruitur per accidens ratione ſubiecti; & ſic pariter non deſtruitur charitas. *Alij* dicunt augeri ſecundùm feruorem. Hoc ſic reijcit *Fund. Doct.* Vel feruor accipitur ſecundùm vires inferiores, quæ accenduntur ab aliquo obiecto delectabili apprehenſo, & ſic non augetur charitas, quæ non habet eſſe in parte inferiori. Vel feruor ſumitur ſecundū appetitum ſuperiorem, qui eſt voluntas, in qua ſubiectatur, & hoc non, quia per eundem habitū poſſumus magis, & minùs feruidè tendere in obiectū; ergo nō reddit habitum maiorem, vel minorē. *Alij* dicunt charitatem augeri ſecundùm gradus in eſſētia. Sed contra; nam *eſſentia rerum ſunt, ſicuti numeri*, quibus ſi addatur aliqua vnitas, variatur eorū eſſentia ſpecie. Sic ſi charitati adderetur gradus eſſentialis, nō eſſet ampliùs charitas, ſed alia qualitas ſpecie diſtincta.

2 Dicendum igitur *cum Fund. Doct.* habitū poſſe comparari vel ad ſubiectum, cui inhæret, & ſecundùm quòd ſubiectum eſt magis, vel minùs diſpoſitum, ſumitur intenſio, & remiſſio. Vel ad obiectum, circa quod verſatur, & ſic habitus induit modum quantitatis, nam habet adæquari cum obiecto, extendi ad latitudinem illius, quod eſt propriū quantitatis, ſicut per ordinem ad ſubiectum, cui inhæret, habet rationem qualitatis, cuius proprium eſt inhærere. Ex eo ergo, quòd habitus charitatis habeat magis de eſſe in ſubiecto, dicitur phyſicè augeri, quia magis adæquatur, & vnitur cum Deo, qui eſt eius obiectum.

3 Quæritur modò, an habitus charitatis poſſit augeri in infinitum?

4 Prima ſententia vult charitatem ex ſua natura augeri poſſe in infinitum. *Ita Ban; Lorc; Sua. Vaſq. Conet, Gibb*; apud quem *alij*.

5 Secunda negat. Tribuitur *Scot; Dur; Henr; & Caiet. & alijs.*

6 Noſtra docet charitatem viæ non poſſe augeri in infinitum ſimpliciter ita, vt poſſit excedere omnem terminum, bene tamē ſecundùm quid ita, vt nunquam poſſit peruenire ad terminū ſibi præfixum, qui eſt charitas patriæ, nam charitas viæ, quantumcunque aucta, nunquā ſit charitas patriæ, quæ nequit augeri, non quòd Deus non potuerit cuilibet beato maiorem charitatem concedere, ſed quia beatus ſemel habita charitate patriæ, quia eſt in termino, non poteſt illam augere ſecundùm potentiam Dei ordinatiam: minui autem non poteſt nec charitas patriæ, nec viæ. *Ita Fund. D. vbiſ. p. 2. princ. 1. q. 4. & Quodl. 1. q. 18., & omnes eius Diſcipuli*: Hoc idem ſentire putamus *Auctores* pro 2. ſent. relatos.

7 Vnica concl. Habitus charitatis nequit ſimpliciter in infinitum augeri, bene tamen ſecūdùm quid; nullo modo tamen poteſt diminui.

Prob. 1. pars concl. *ex B. P. lib. 1. de doctr. chriſt. c. 39.* docente: *Quibus tamen quaſi machinis tanta fidei, ſpei, & charitatis ineſt inſtructio, vt perfectum aliquid tenentes ea, quæ ſunt ex parte non quærant. Perfectum ſanè, quantùm in hac vita poteſt: nam in comparatione futuræ vitæ nullius iuſti, & ſancti eſt vita iſta perfectior*. Quo docet charitatem viæ, quantumuis auctam, non poſſe peruenire ad charitatis patrię perfectionem, ideo poſſe in infinitum augeri, quia nunquam poteſt peruenire ad terminum, vltra quem procedere non poſſit. Mox ſubdit: *Cùm quiſque ad æterna peruenerit, duobus iſtis decedentibus charitas auctior, & certior permanebit*. Non diceretur autem permanere, ſi poſſet moueri ad maiorem perfectionem, & augeri; *& in Enchir. c. 121.* loquens de charitate patriæ ait: *Minuetur autem cupiditas charitate creſcente, donec veniatur hic ad tantam magnitudinem, qua maior eſſe non poſſit*. Auctior ergo erit charitas in ſummo, quia erit in termino, vltra quem augeri non poterit. Ex quo ſic. Quod habet terminum, vltra quem procedere non poteſt, nequit in infinitum moueri: ſed charitas eſt huiuſmodi; ergo nequit ſimpliciter in infinitum augeri. Ma. patet, & mi. liquet ex dictis, quia charitas in patria eſt in termino, vltra quem implicat dari motum.

8 Prob. 2. *à Fund. D.* tripliciter. 1. In tantùm quantitas poteſt in infinitum augeri, in quantùm

ſc-

Digitized by Google

ſequitur materiam, de cuius ratione eſt eſſe in potentia paſſiua ad formam, quam non habet; qualitas autem nequit in infinitum intendi, in quãtùm ſequitur formam, de cuius ratione eſt actu eſſe, cùm ſit ipſemet actus, & ideo ſi eſſet infinitè intendibilis, aliquando daretur infinitum in actu, præſertim cùm ſubiectum eſt perfectè diſpoſitum; nam quòd qualitas non ſit intenſa, prouenit ex indiſpoſitione ſubiecti; nam per primum gradum introducitur tota eſſentia qualitatis, quæ non acquirit totum ſuum eſſe, quia eſt diſpoſitio contraria, vt patet de ligno calefacto; ſed charitas eſt qualitas, & in patria ſubiectum erit perfectè diſpoſitum, quia tunc nulla erit reſiſtentia, aut contrarietas ad illam, & tamen non erit actu infinita; ergo nequit ſimpliciter in infinitum intendi. 2. Charitas habet ſuam eſſentiam diſtinctam ab exiſtentia, exiſtit enim per exiſtentiam ſubiecti; ſed habens eſſentiam diſtinctam ab exiſtentia componitur ex genere, quod ſumitur à potentialitate, & differentia, quæ ſumitur ab actu; genus autem, & differentia ſunt termini finientes rem; ergo charitas eſt compoſita ex genere, & differentia, & ideo ſecundùm ſe eſt finita, & per conſequens nequit ſecundùm ſuam naturam in infinitum intendi. 3. Omne receptum finitur ex finitate recipientis, quod eſt eius correlatiuum; ſed charitas recipitur in voluntate finita, cui repugnat infinitas; ergo charitas non eſt infinitè intendibilis.

9 Prob. 2. pars concl; quæ eſt *cont. Beguardos, & Beguinas* relatos *in Clem. Ad noſtrum de hæret.* aſſerẽtes hominem ad talem ſtatum poſſe peruenire, vt non poſſit ampliùs mereri. Illud dicitur ſecũdùm quid infinitè intendibile, quod licèt habeat terminum ſuæ intẽſionis, attamen nunquam poteſt ad illum peruenire, quantumcunque intendatur; ſed charitas viæ eſt huiuſmodi, vt *ſup.* diximus ex B. P; habetur enim *Luc. 7. Maior inter natos mulierum propheta Io. Baptiſta nemo eſt; qui autem minor eſt in Regno Dei, maior eſt illo*; quia charitas viæ, prout viæ, nunquam eſt in termino; ergo eſt ſecundùm quid infinitè intendibilis, & ideo ſecundùm quid infinitè poteſt augeri, cùm augmentum ab intenſione ſumatur.

10 Prob. 3. pars concl. Ex his res minuitur, ex quibus corrumpitur; vt docet *Phil. 2. Eth. c. 2*; & experientia conſtat; quia calor minuitur frigore &c; ſed charitas corrũpitur per peccatum mortale, per quod tamen nequit minui, quia per illud totaliter tollitur; ergo nequit minui. 2. Si minueretur, maximè per peccatum veniale, per quod dicitur remitti, tolli feruor charitatis; ſed per hoc non minuitur; ergo idem. *Prob.* mi. Ita ſe habent venialia ad charitatem, ſicut in ſpeculatiuis concluſiones ad principia; venialia enim ſunt circa media, vt diximus *de pecc. q. 3. art. 1*: & concluſiones quoque ſunt circa media, vt ait *Phil. 6. & 7. Eth*; ſed concluſiones, quantumuis falſæ, & obliquæ, non minuunt veritatem principiorum: ergo à pari. Dicitur autem per venialia remitti, & tolli feruor charitatis exiſtens in parte inferiori, quia charitas inflammat potentias inferiores ad agendum, non autem feruor exiſtens in parte ſuperiori.

11 Obijc. 1. Nulla eſt creatura, qua Deus non poſſit producere perfectiorem; ergo data qualibet charitate Deus poteſt producere intenſiorem, & ideo eſt intendibilis in infinitum. 2. Semper in hac vita poſſumus bene operari; ſed per bona opera intenditur charitas; ergo idem.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Qua non poſſit producere perfectiorem diſtinctam, conc; eandem, neg; charitas autem magis intenſa eſſet eadem numero, ac remiſſa. Ad 2. diſt. mi. Augetur ſimpliciter ſine vllo præfixo termino, neg; cum præfixione termini, conc.

12 Obijc. 2. cont. 2. p. concl. Si homines poſſent in infinitum creſcere in gratia, & charitate, ſequeretur purum hominem poſſe adæquare, & excedere charitatem Chriſti; conſ. eſt abſurdum; ergo & ant. 2. *S. P. de mor. Eccl. c. 21*. ait in hac vita poſſe diligi Deum plena charitate; ergo idem.

Reſp. neg. ſeq; ſicut enim charitas viatoris, quantumuis aucta, nequit æquare charitatem beati, ita nequit æquare charitatem Chriſti, quæ ſuperat charitatem beatorum. Ad 2. dicitur ſe explicare *lib. 1. Retract.* de plena, non pleniſſima, idèſt de perfecta, qua tamen poteſt dari perfectior. Vel plena ſecundùm operis dignitatem, non ſecundùm intenſionem, vt dicitur *Io. 15. Maiorem charitatem nemo habet &c.*

13 Obijc. 3. cont. 3. p. concl. Per actus remiſſos minuitur habtus: ſed poſſumus habere actus remiſſos: ergo poteſt minui. 2. Veniale non tollit charitatem, ſed minuit eius feruorem: ergo idem. 3. Poteſt homo diſponi ad mortale: ſed diſpoſitio ad oppoſitum minuit habitum; ergo idem.

Reſp. ad 1. *Fund. Doct.* diſt. ma. Per actus remiſſos, ex quibus generatur habitus, conc; charitas autem non generatur ex actibus: quibus non generatur habitus, neg. Ad 2. iam diximus venialia minuere feruorem exiſtentem in potentijs inferioribus, vt ait *Fund. Doct. hic ad* 4. Sic ad 3. dicitur *cum eod. ad* 5., quòd diſpoſitio ad peccatum eſt tantùm reſpectu feruoris exiſtentis in viribus inferioribus, non autem reſpectu ipſius appetitus rationalis, reſpectu cuius illa diſpoſitio eſt extrinſeca, non intrinſeca, ideo non minuit charitatem.

14 Inſt. Dictum eſt *q. 3. de pecc, art. 1. §. 1. nu.* 40. peccatum veniale remittere, & tollere gradum charitatis, & tamen ex hoc non probari poſſe penitus eam extinguere: ergo *hic* contradicitur.

Reſp., quòd *loco cit.* locuti ſumus de charitate quoad ſuum effectus, qui aliquando dicitur charitas, hinc externa datio eleemoſinæ vocatur charitas pauperi exhibita: nunc autem loquimur de charitate ſecundùm ſuam quiditatem formalẽ, quam dicimus non poſſe minui, ſicut minuitur eius effectus. Nec ex eo, quòd venialia minuant effectum charitatis, ſequitur poſſe deſtruere charitatem, quia effectus externus non connectitur eſſentialiter cum charitate, vt patet. Nec ex eo, quòd plura venialia facerent vnum mortale, rectè infertur poſſe partialiter minuere gratiam, & charitatẽ quoad ſuam quiditatem intrinſecè, quia non efficerent vnum intranſitiuè, ſed tranſitiuè, tranſeun-

to ſcilicet ad ſpeciem grauem, in qua non eſſent diſtinctum ſumpta, v.g. licèt decem pugilli aeris tranſeuntes in aquam queant hominem ſuffocare: attamen manentes in ſpecie aeris nec partialiter poſſunt ſuffocare; ſic plura venialia tranſeuntia in peccatum mortale deſtruerent totaliter gratiam, venialia verò non tranſeuntia nec partialiter minuerent. Ideo illa ratio efficax non videtur.

Quæres: an charitas augeatur etiam per actus remiſſos?

Reſp. *Fund. Doct. vbiſ. ad* 1, affirmatiuè: nam ideo habitus acquiſitus minuitur, quia producitur ex illis: charitas autem à Deo infunditur, ideo à Deo etiam augetur intuitu illorum actuum bonorum, qui ſunt meritorij ipſius augmenti, etiamſi ſint remiſſi: vt docet *Trid. ſeſs.* 6. *c.* 1., *& can.* 32., *& ex illa Matth.* 10. apertè deducitur: *Quicunque dederit calicem aquæ frigidæ vni ex illis in nomine meo, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Igitur ſi actus minimus charitatis eſt meritorius, et omni actui meritorio debeatur augmentum charitatis, vt ſtatuit *Trid.*, manifeſtè infertur per actum remiſſum charitatē augeri. eſt *cont. Bau., Dur. Alex. apud Gibb. Vid. de habitib. art.* 7., *& de grat. q.* 5. *art.* 5.

15 Quæres 2., an habitus charitatis augeatur etiam per actus virtutum moralium?

Reſp. affirmatiuè: ſunt enim meritorij vitæ æternæ, cùm ſint informati charitate: ideo ad augmentum illorum augetur charitas, qua vitam æternam conſequimur.

Quæres 3., an ſtatim augeatur poſitis actibus?

Reſp. affirmatiuè: nam *Leuit.* 19. *Non morabitur opus mercenarij ſui apud te vſque mane*: quibus declaratur mercedem ſtatim reddi operibus bonis: augmentum autem charitatis eſt merces, vt diximus; et ideo ſtatim efficitur à Deo poſitis actibus. *Item Trid. ſeſſ.* 6. *c.* 10., *& can.* 24. ait iuſtificatos de die in diem renouari, & magis creſcere in iuſtitia. Eſt *cont. Caiet; Conr., Scot. Io. à S. Tho., Gonet, & alios* putantes non ſtatim conferri: ſine fundamento tamen, aut ratione etiam apparenter valida.

16 Dices. Si charitas augeretur actibus remiſſis, ſequeretur gloriam non correſpondere meritis: quia habens habitum intenſiorem cum actibus remiſſis haberet maiorem gloriam, quàm ſint illi actus remiſſi.

Reſp. Deum præmiari vltra condignum: ideo reſpondet meritis per exceſſum, non per adæquationem, vt habetur *Luc.* 6. *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum.*

(.s.) (.s.) (.s.)

QVAEST. II.

De actu charitatis.

Loquimur in præſenti tantùm de actu perfecto charitatis, qui ſcilicet procedit ab actu, non de imperfecto, qui præcedit habitum, & ad illum diſponit: certum enim eſt, quòd cathecumenus amat Deum, ſed non ex habitu charitatis, quem non habet, niſi ſit formaliter iuſtificatus, vt ſæpius diximus.

ART. I.

Quomodò teneamur diligere Deum ſuper omnia?

1 Præceptum amandi Deum non obligare pro ſemper, cùm ſit affirmatiuum, ſed tantùm pro loco, & tempore, idèſt cùm ſe offert occaſio illum amandi, ſuperiùs diximus. Quærimus modò; quomodò teneamur amare Deum ſuper omnia?

2 Theologi triplicem modum amandi vnam rem magis, quàm alteram adinuenerunt. 1. Obiectiuè, vt cùm quis vult *Petro* bonum maius, & *Paulo* bonum minus; quamuis minùs appretiatiuè æſtimet amicitiam *Pauli*, quàm *Petri*; & minùs intensè velit bonum *Petro*, quàm *Paulo*. 2. appretiatiuè, quando ſcilicet in maiori æſtimatione habet amicitiam vnius, quàm alterius, ita, vt ſi occaſio ſe offerret, potiùs vellet priuari amicitia iſtius, quàm illius. 3. intenſiuè ita, actu feruentiori magis diligat vnum, quàm alterum. Quæritur, quonam ex iſtis modis teneamur diligere Deum magis, quàm omnes creaturas?

3 Supponimus autem actum charitatis habere pro obiecto primario Deum, & pro obiecto ſecundario creaturas, vt *in ſeq. q.* dicemus.

Certum eſt *apud omnes* nos teneri amare Deum ſuper omnia obiectiuè, quia Deus eſt bonum infinitè amabile, bona verò creata ſunt finitè amabilia, & appretiatiuè, quia tenemur ita Deū amare, vt ſimus parati ad relinquenda omnia bona creata, quæ nos poſſunt auertere ab eius amore ſiue ſimpliciter eo, quia nos in peccatum mortale inducant, ſiue ſecundum quid, quia ad veniale nos trahant. Non tamen tenemur amare Deum ſuper omnia appretiatiuè ita, vt nihil velimus, quod in illius maiorem gloriam, & in noſtrum maius bonum non cedat: hoc enim eſt de conſilio tantùm, non de præcepto, vt conſtat. Difficultas igitur eſt de amore intenſiuè.

4 Pri-

4 Prima ſententia vult, quòd licèt Deus ſit dignior dilectione intenſiori, quia eſt infinitè bonus, attamen poſſe aliquod bonum creatum honeſtum abſque peccato amari intenſiùs, quàm Deum. *Ita noſter Gibb. hic diſp. 24. dub. 1.*, vbi refert *Maior, Med. Gabr. Almain. Sot. Victor. Veg. Nauarr.* Bellarm. *Lorc. Val. Sua.*, *&* *Turrian*,

Noſtra tamen docet nos teneri etiam intenſiùs amare Deum, quàm cetera bona creata. *Ita Fund. Doct. Quodl.4. quaſt. 14.*, cuius ratio eſt, quia in Deo reſeruatur omnis ratio boni per eſſentiam creans, & conſeruans omnem bonitatem, & intenſionem bonitatis. Sequitur *Argent.*, *& ex alijs Dur.*, *Petrus Sot.*, *Scot.*, *Adrian.*, *& alij*.

5 Not., quòd aliud eſt loqui de actu amoris Dei abſolutè, & ſecundùm ſe; aliud comparatiuè ad amorem, quo diligitur creatura. Primo modo non tenemur amare Deum intenſiori affectu, quē poſſumus habere, hoc enim tantùm eſt de conſilio, vt habetur *Luc.7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm, cui autem minus remittitur, minùs diligit*; quibus monſtratur amorem Dei minùs intenſum ſtare ſimul cum gratia, quia ſtat cum remiſſione peccatorum, quæ habetur per gratiam; & ideo non teneri ſub præcepto elicere actum amoris intenſiorem, aliter mioùr intenſus eſſet cum peccato, non cum gratia, quæ nequit ſtare cum peccato. Loquimur ergo in ſecundo ſenſu.

6 Vnica concl. Quotieſcunque fit comparatio inter Deum, & bona creata etiam honeſta, tenemur intenſiùs amare Deum.

7 Prob.1.*ex Matt.22. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Hoc eſt primùm, & maximum mandatum*. Ex quo ſic. Ex præcepto tenemur præferre amorem, quo diligimus Deum, amori, quo diligimus nos ipſos, & proximum; ergo eodem præcepto obligamur intenſiùs amare Deū, quàm creaturas; amor enim intenſior eſt excellentior, & prælatior minùs intenſo.

Reſp. *Gibb. hunc textum* explicari *à B. P. lib. 1. de doctr. chriſt. c. 22.*, quòd ſcilicet debemus amare Deum omnibus noſtris potentijs, non autem intenſiùs.

8 Sed contra eſt, & firmatur magis concl. Sic debemus amare Deum omnibus noſtris potentijs, vt Deo omnia ſubijciamus, vt explicat *ibid. Beatiſs. P.*, nam omnia diligenda ſunt propter Deum, tanquam propter vltimum finem; ergo ita debemus diligere bona honeſta creata, vt illa referamus in Deum, tanquam in finem; ſed finis magis diligi debet, quàm medium, quod diligitur propter finē, nam *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*; ergo ita debent diligi bona creata, vt magis diligatur Deus. Atqui per dilectionem intenſiorem magis diligitur; ergo intenſiùs diligendus eſt Deus.

9 Conf. 1. *ex eod. ibid. c. 27.*, vbi aſſignans ordinem dilectionis Dei, & proximi ait: *Ille autem iuſtè, & ſanctè viuit, qui rerum integer aſtimator eſt: Ipſe eſt autem, qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat, quod non eſt diligendum, aut non diligat, quod eſt diligendum; aut ampliùs diligat, quod minus eſt diligendum; aut æquè diligat, quod vel minùs, vel ampliùs eſt diligendum; aut minùs, vel ampliùs, quod æquè eſt diligendum*. Ex quibus ſic. Ordinata dilectio eſt intenſiùs diligere id, quod eſt intenſiùr diligibile; ſed Deus eſt intenſiùs diligibilir, quia eſt magir bonus: ergo Deus eſt intenſiùs diligendus. Ma. patet, quia præferre minùs intenſè amabile intenſiùs amabili eſt inordinatus amor, quia præfertur minùs dignum magis digno. Mi. etiam liquet, quia intenſiùs bonum ex ſua natura eſt intenſiùs amabile.

10 Conf. Tenemur præferre Deum creaturæ nedum obiectiuè, & appretiatiuè, ſed etiam intenſiuè, quia ipſum tenemur præferre in omnibus, & ideo nedum in perfectione, & æſtimatione, ſed etiam in intenſione; inordinatum eſt enim præferre ignobilius nobiliori, vt docet *idem Beatiſs. P. lib. 1. de lib. arb. c. 9.*, ergo tenemur etiam intenſiùs ipſum amare.

11 Prob. 2. ratione *Fund. Doct. ſup.* allata, quæ ſumpta eſt *ex Beatiſs. P. in pſ. 77.* docente: *Quia Deus rebus omnibus maior, & melior inuenitur, plus omnibus diligendus eſt, vt colatur*. Ex quo ſic. Lex naturæ præcipit, vt in maius bonum intenſiùs feramur, quam in minùs bonum; ſicut enim ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita ſecundùm quid ad ſecundùm quid, & ideo ſicut natura præcipit, vt ſimpliciter feramur in bonum ſimpliciter: ita præcipit, vt in bonum maius feramur intenſiùs, ſi tamen cognoſcatur, vt maius: ſed Deus eſt bonum maius, & melius omni bono creato, quia in illo reſeruatur, & ab illo participatur omnis bonitas, & hoc à nobis cognoſcitur, ergo lex naturæ præcipit, vt Deus magis intenſè ametur, quàm bona creata. Tum quia ita Deus debet à nobis amari, vt tali amore colatur; ſed ſi amaretur intenſiùs creatura, quàm Deus, Deus non coleretur, ſed contemneretur: tunc enim voluntas deſpicit vnum bonum præ alio, quando aliud intenſiùs amat: ergo idem.

12 Obiic. 1. Si teneremur amare Deum intenſiùs, quàm bona creata, ſequeretur, quòd peccator amans Deum, ſed cum affectu ad peccatum mortale peccaret, & ſic amor Dei in peccatore eſſet peccatum, quod fuit damnatum *in propoſitionibus Baij*. 2. Deus nullum alium amorem exigit à nobis, niſi quo omnia mandata eius ſeruemus: vt *Io. 15. Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea*: ſed quilibet actus amoris, quantumuis remiſſus, ſufficit ad ſeruanda Dei præcepta: nam per illum amorem præfertur Deus omnibus bonis incompoſſibilibus cum Dei amicitia, licèt non præferatur omnibus bonis honeſtir compoſſibilibus: ergo nullum adeſt præceptum de amore intenſiori. 3. Non eſt credibile extare aliquod præceptum Dei, cuius nullam habeamus notitiam, ſed de diligendo intenſiùs Deo, nec coniecturam habemus: ergo idem. 4. Sequeretur peccare eum, qui amat Deum, vt octo, & ſuam ſalutem, vt nouem; ſed hoc eſt abſurdum: ergò idem.

Reſp. ad 1. *cum Fund. Doct.*, quòd peccator amans Deum non comparat Deum cum creaturis, nec illis Deum actu poſtponit, ſed præſcindit, & ideo non peccat, incipit autem ſe conuertere in Deum. At ſi faceret actu hanc comparationem, & Deum actu poſtponeret creaturæ, peccaret, quia talis poſtpoſitio eſt moraliter inordinata, & mala. Ad 2, neg. mi. Ad prob. infert. neg., quòd bona creata honeſta ſint compoſſibilia cum Dei amicitia, ſi Deo præferantur, tunc enim ſunt inordinata, ſicut bona honeſta, vt eleemoſina inordinatè erogata, ſunt incompoſſibilia cum Dei amicitia. Ad 3, neg. mi., nam præceptum de diligendo Deum ſuper omnia hoc expreſsè continet. Ad 4. diſt. ma. Si amans Deum, vt octo, illum comparet cum ſua ſalute amata, vt nouem, & eligat potiùs ſuam ſalutem ipſam intenſiùs amando, quàm Deum, conc., ſi præſcindat à tali comparatione, neg., vt diximus ad 1.

A R T. II.

An actus charitatis viæ, & patriæ ſint eiuſdem ſpeciei?

1 CErtum videtur *apud omnes teſte Gibb. hic diſp.22.dub.5.* habitum charitatis viæ eſſe eiuſdem rationis cum habitu charitate patriæ; quia idem, quem habemus in via, manet in patria docente *Apoſt.1. Cor.13. Charitas nunquam excidit*, Solùm igitur dubium eſt de actu.

2 Ratio dubitandi eſt; quia idem bonum formale, vt poſſeſſum, & non poſſeſſum, ſufficit ad diuerſificandum ſpecie actum gaudij, & deſiderij: ergo idem ſummum bonum, quod eſt obiectum charitatis viæ, & patriæ, vt poſſeſſum in patria, & vt non poſſeſſum in via, ſufficit ad diuerſificandum actum charitatis viæ, & patriæ. 2. Viſio beatifica ingreditur formaliter obiectum charitatis patriæ; ergo obiectum charitatis patriæ eſt formaliter diuerſum ob obiecto charitatis viæ. Propter hæc.

Prima ſententia negat. Tribuitur *Scot. in 4. diſt.49.q.5., Paludan. in 3.diſt.31.q.1.art.2., Gabr. Capr., Caiet., Almain., & alij apud Gibb. vbi ſ.*

3 Noſtra docet nedum habitus, ſed & actus eſſe eiuſdem ſpeciei. *Ita Fund.* Doct. *in 1. diſt.17.p.1.princ.1.q.2.§.His viſis*, vbi ait: *Actus charitatis remanebit in patria, quia ſiue ſcientia deſtruetur, ſiue prophetia ceſſabit, charitas nunquam excidit.* Rationem reddit inferiùs; quia nempe in ſuo conceptu eſſentiali nullam inuoluit imperfectionem, ſicut illam inuoluit actus fidei, & ſpei, *Idem communiter omnes noſtri* DD, *& Thomiſtæ cum* D. *Tho. &* D. *Bon., & omnes alij.*

4 Vnica concl. Habitus, & actus charitatis viæ, cum quo iuſtus decedit, eſt idem ſpecie, & numero cum habitu, & actu charitatis patriæ, ſed auctior, & perfectior.

5 Prob. 1. *ex textu ſuperiùs allato: Siue ſcientia deſtruetur, ſiue prophetia ceſſabunt: charitas nunquam excidit*; quod *Fund.* Doct. ſimul *cum Beatiſs. P. lib.1. de doctr. chriſt. c.3.* explicant nedum de habitu, ſed etiam de actu; inquit enim *Beatiſs. P. Charitas autem etiam iſtis decedentibus* (ſcilicet fide, & ſpe) *augebitur potiùs. Si enim credendo diligimus, quod nondum videmus, quantò magis cùm videre cœperimus? Et ſi ſperando diligimus, quò nondum peruenimus, quantò magis cùm peruenerimus? et c.39. Ideo manent, inquit fides, ſpes, charitas tria hæc; quia & cùm quiſque ad æterna peruenerit, duobus iſtis decedentibus charitas auctior, & perfectior permanebit.* Dicere autem, quòd manet auctius, & perfectius in patria, importat actum, vt conſtat, qui procedit ab habitu charitatis. Ergo habitus, & actus charitatis viæ eſt idem ſpecie, & numero cum habitu, & actu charitatis patriæ auctior tamen, & perfectior, aliter non diceretur manere, ſed tranſiret, eique ſuccederet alter habitus, & actus diuerſus ſpecie, vel numero: Ratio autem eſt. Actus charitatis viæ nullam dicit imperfectionem in ſuo conceptu formali oppoſitam actui charitatis patriæ; ergo manet idem; quodlibet enim tollitur per ſuum oppoſitum, quod eſt cum illo incompoſſibile. Prob. ant. Actus charitatis viæ importat actum amoris Dei, vt ſummum bonum in ſe præſcindendo ab obſcuritate, & abſentia, quæ ſolùm pugnant cum actu amoris patriæ; nam Chriſtus Dominus, & *Beatiſſima Virgo Maria* habuerunt in via actum charitatis, ſeu amoris Dei, ſupponentem viſionem claram, & tendentem in Deum præſentem, & actu poſſeſſum; & in nobis ſupponit cognitionem obſcuram, & abſentiam obiecti in re, quia illud ſolùm poſſidet in ſpe; illud autem, quod ita eſt cum aliquo, vt etiam ſit ſine illo, non importatur eſſentialiter, ſed tantùm accidentaliter ab illo, quia eſſentiale eſt immutabile: ergo actus charitatis viæ nullam inuoluit in ſuo conceptu formali imperfectionem oppoſitam actui charitatis patriæ, & ideo manet idem numero in patria.

6 Conf. Actus amoris, quo Angeli ſancti amauerunt Deum in via, permanſit in patria, quia per illum Deo immobiliter adhæſerunt, & ideo ille fuit immobilis; impoſſibile enim eſt, quòd immobiliter adhæreatur per aliquod mobile, vt diximus *to.3 de Ang.q.8.art.4*, ſicut enim in Angelis malis manſit amor propriæ excellentiæ, cui immobiliter adhæſerunt, vt diximus *ibid.q.9.*, ita à pari de Angelis ſanctis; ergo amor patriæ, & viæ eſt idem ſpecie, & numero.

7 Prob. 2. Implicat, quòd idem habitus ſpecie eliciat plures actus ſpecie diuerſos; cùm enim habitus ſpecificetur per actus, & actus per obiecta; ideo implicat, quòd idem habitus ſpecie eliciat plures actus ſpecie diuerſos, aliter non vnus, & idem habitus eſſet, ſed multiplex, quia multiplex eſſet ſpecificatiuum adæquatum illius; ſed habitus charitatis viæ, & patriæ eſt idem *ex Apòſt*; ergo & actus.

8 Prob. 3. Obſcuritas, & claritas non ſpectat ad obiectum formale charitatis formaliter, præſuppoſitiuè enim ſe habent, cùm ſpectent tantùm ad potentiam intellectiuam, quæ voluntati præſupponitur; ergo non ſufficiunt ad diuerſificandos ſpecie actus charitatis, quia diuerſitas ſpecifica actus ſumitur à diuerſitate ſpecifica obiectorũ formalium,

à

Google

à quibus ſolùm ſumitur vnitas. Imò quanuis ſpectarent intrinſecè formaliter ad lineam voluntatis, attamen non ſufficerent: quia quanuis formaliter ſpectent ad lineam intellectus, ad quam ſpectat ſcientia, attamen non ſufficiunt ad diuerſificandam ſpecie ſcientiam, quæ in diſcipulo eſt obſcura, & clara in magiſtro,& tamen nullus diceret ſcientiam in diſcipulo, & magiſtro eſſe diuerſæ ſpeciei; ergo à fortiori idem dicendum eſt de actibus charitatis, qui ſpectant ad voluntatem, ad quam non pertinent, niſi præſuppoſitiuè obſcuritas, & claritas.

9 Ad 1. rationem dubitandi neg. conſ., nam ſpes habet pro obiecto formali bonum, quatenus arduum, & futurum, quia habet modum habitus ſubalternati, vt diximus *in ſup. tract.*, & gaudium habet pro obiecto formali idem bonum, quatenus poſſeſſum; ideo futuritio, & poſſeſſio valent ſpecie diſtinguere, quia ſunt rationes formales conſtituentes, & diſtinguentes; at charitas viæ habet pro obiecto formali bonum præſcindendo à futuritione, & poſſeſſione, quia ſecundùm ſuum conceptum formalem non includit imperfectionem, ſed præſcindit, aliter non maneret in patria; ideo ſecundum ſuum conceptum formalem non habet tendere in futuritionem,tanquam in obiectum formale ſpecificatiuum, aliter deperdita futuritione euacuaretur, quod eſt *contra Apoſt.*, quia ſublato conſtitutiuo aufertur res. Ad 2.neg., quòd viſio ingrediatur conſtitutiuum formale charitatis, quia illius conſtitutiuum eſt ſolùm ſummum bonum increatum. Sed dato etiam ant. neg. conſ., nam etiam charitas viæ amat, & anhelat viſionem beatam; vnde eodem modo ſe habet ad vtranque cum hac ſola differentia, quòd ad illam ſe habet in re, ad hanc in ſpe.

QVAEST. III.

De obiecto charitatis.

TAndem ſupereſt agendum de obiecto, quod ſicuti eſt terminus charitatis, ita erit huius voluminis, vt eis, quos apud mentis tribunal *Aduerſarios* habuimus contradicentes eorum ſententijs, dilectionis vinculo in ſocietatem iungamur finaliter.

ART. I.

Quid, & quotuplex ſit obiectum charitatis?

1 OBiectum primarium ſpecificatiuum charitatis eſſe Deum, quatenus ſummè bonus eſt in ſe ipſo,pluries diximus. An autē ſumma bonitas accipienda ſit, prout importat rationem attributalem aduenientem Diuinæ eſſentiæ, vel vt dicit bonitatem ipſius eſſentiæ tranſcendentaliter imbibitam præſcindentem à bonitate attributali, & relatiua, iam diximus *to. 1. de Inuiſib. Dei q.4. art.1.*, ita enim ſeruata proportione debemus loqui de Deo, vt eſt obiectum intellectus ſub ratione formali veritatis, ſicut loquimur de ipſo, prout eſt obiectum voluntatis ſub ratione formali bonitatis, quæ eſt illius ſpecificatiua, & per conſequens omnium habituum in illa exiſtentium. Cùm igitur habitus tendens in Deum, quatenus ſummè bonus eſt in ſe ipſo, & ſummè amabilis, ſit charitas; ideo charitatis obiectum formale ſpecificatiuum primarium eſt ſumma bonitas eſſentiæ Dei, prout includit, ſeu tranſcendit ad bonitatem omnium prædicatorum Diuinorum formaliter in Deo exiſtentium. *Vid. ibiſ., & de obiecto fidei, & ſpei.*

2 Diximus proportionem ſeruandam eſſe intellectum inter, & voluntatem; ideo ſicuti obiectum fidei, & viſionis, quæ ſpectant ad intellectum, duplex eſt, ſcilicet primarium, quod eſt Deus, vt diximus, & ſecundarium,quod ſunt creaturæ; ita loquendum eſt de obiecto charitatis; de quo *Matth.22.* habetur: *Diliges Dominum Deum tuum,& proximum tuum,ſicut te ipſum.* Deum quidem ſupra te ipſum; & te, ac proximum infra Deum, quod eſt diligere proximum, ſicut ſeipſum.

3 Ex hoc deducitur non dari duos habitus charitatis,vnum erga Deum,alterum erga res creatas etiam ſupernaturales, vt putarunt *noſter Put., Sua.,& alij*; nam vnus, & idem habitus verſatur circa obiectum primarium, & ſecundarium; ideo non per duas viſiones beatas, ſed per vnicam, videntur Deus, & creaturæ; aliter ſi daretur habitus circa obiectum ſecundarium, illud obiectum non eſſet ſecundarium, ſed primarium, quia ille habitus immediatè, & primò verſaretur circa illud; & alter habitus illud non attingeret, nam ſi attingeret, ſuperflueret alter habitus: ergo vna, & eadem charitas verſatur circa Deum propter ſe, & circa creaturas propter Deum. Tum quia *vbi vnum propter aliud, vtrobique vnum tantùm*; hinc quia media eliguntur propter finem, ideo vnus habitus, verſatur circa finem,& media: ergo idē.*Vid.Fund. Doct. in 3. diſt.6. q.4. art.1. ad 2.*, & eſt doctrina *Beatiſſ.Patris in pſ.120.* dicentis: *In Deo proximus diligitur,Deus autem proper Deum.* Nequit enim Deus adæquatè diligi, niſi diligatur, & creatura, quæ eſt Dei effectus.

4 Infertur etiam ordo diligendorum, qui traditur *à Beatiſſ.P.lib.1.de doctr.chriſt.c.26.27.& 28; & a Fund. Doct.in 3. diſt.29. p.2.princ.1.q.1.art.1.* ſcilicet primò,& principaliter, ac ſuper omnia diligendum eſſe Deum; quia, vt diximus, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*: tum quia Deus eſt ſummum bonum ſuper omne bonum creatum: ergo eſt ſummè amandus ſuper omnia bona ab ipſo producta, & producibilia. Deinde diligendum eſſe ſeipſum, quia charitas inter omnia bona creata, & creabilia incipit à ſeipſa:tum quia maior vnitas maiorem cauſat amorem, ſed idem eſt magis vnum cum ſeipſo, quàm cum proximo: ergo magis amare debet ſeipſum, quàm proximum. Quoniam autem homo diuiditur in animam, & corpus, ex quibus componitur, & anima eſt nobilior corpore,ideo anima diligenda eſt magis,quàm cor-

corpus. Tandem amandus eſt proximus, & ille magis eſt diligendus, qui magis eſt nobis coniunctus propter allatam rationem. Ex bonis autem ipſius proximi debet illud magis amari, quod eſt magis perfectum, quia deterioribus anteponenda ſunt meliora. Hac doctrina reſolui poſſunt omnia dubia *Moraliſtarum*, quæ omittimus, quia faciliter decidi poſſunt ex dictis, quæ omnia ad Dei amorem, honoremque referimus ſperantes, quæ nunc per fidem in ſpeculo inquirimus, viſuros ad faciem, vbi ſententiarum varietas in vnitatem beatæ contemplationis pertranſiet. Amen.

FINIS.

SYLLABVS

SYLLABVS RERVM.

AAron ſummus ſacerdos.471.14. Viuit de decimis 502.24.
Abominationis definitio.11.10.
Abraham Pater multarum gentium.130.20. Docuit filios fidem Chriſti.446.15.
Abſtinentiæ definitio,& vitia oppoſita.97.à 8.
Accuſator non tenetur teſtituere. 250.22.
Actio voluntaria,& inuoluntaria.184.4.
Actus indeliberatus.304.9. Naturalis, & ſupernaturalis.305.14. Moraliter bonus ſimpliciter nequit haberi ſine gratia. 310. Proficuus ad ſalutem.Ibid.& 318.6.
Actus ſupernaturalis imperfectus poteſt haberi ſine habitu. 21.17; & 333.10; & 948.11; & 428.17;& 20. Nequit producere habitum.34.
Actus contritionis diſpoſitiuè iuſtificat.360.
Adam transfudit peccatum, vt caput naturale. 134. Eius pœnitentia. 138.20. Si nõ peccaſſet, non fuiſſet peccatum originale. 144.47. Non potuit prius venialiter peccare.173.
Adiuratio Dei quid,& quotuplex.92.27.
Adoptare in filium.341.13.
Adoratio quid,& quotuplex.91.22.
Adulterij definitio.97.14.
B.Aegidius Columnius.498.2;& 4.
Aeterna præferenda temporalibus.172.41.
Agnorum,& ouium ſignificatio.472.19.
Allidere paruulos ad petram. 8.14.
Ambitionis definitio.96.23.
S.Ambroſius in Concilio Capuano.487.26.
Amicitiæ conditiones, & ſpecies.519. à 1.
Amor concupiſcentiæ non eſt actus amicitiæ. 519.3.
Amoris definitio,cauſæ effectus,& remedia.7.
Anania punitus .472.26.
Anima ſpiritualis quomodò in materia? 84.33.
Anni ab Orbe condito.474.34.
Apoſtaſia.435.à 26; & 436.à 33.
Apoſtolis collata eſt poteſtas à Chriſto. 476.37. In partem ſollicitudinis.470.à 13; & 480.16. Iuſſi ſunt non poſſidere, poſtea poſſidere.503.24. Poſt confirmationem potuerunt peccare venialiter. 323.à 3. Inſtructi die Pentecoſtes. 466.13.
Appetitus ſenſitiuus duplex.2.à 2. Differt ab inclinatione.Ibid. Subditur imperio politico rationis. 56.2. Coniunctus cum appetitu rationali eleuatur ad tendendum in Deum.111.6.
Ariſtocratia, & democratia. 481.8.
Articulorum fidei definitio.465.à 3. Ordinatio, & numerus.Ibid. An creuerint?466.12.
Aſſueti conuerſio.81.16.
Auctor naturæ quid ſignificet.315.11.
Audaciæ definitio,cauſæ,effectus &c.15.à 11.
Auerſio, & conuerſio.151.36.162.23; & 122.6.
S.P.Auguſtinus,146.10;& 414.2.
B.Auguſtinus Triumphus.498.2.
BAij propoſitiones.310.à 1;& 316. 10.
Baptiſmus reſtituit gratiam. 155. 58. Non debet conferri indiſpoſito.428.15. In re,& in voto.ibid.19. Differt à pœnitentia.186.6.
Beatitudinis Definitio,numerus,& ratio.103.
Beatitudinis amiſſio maxima pœna.162.27.
Bellum iniuſtum.183.12;& 254.58.
Beneficium impediens.252.39.
Beſtialitas opponitur virtuti heroicæ.223.11.
Blaſphœmia 436.à 35.
Bonum quotuplex? 13. 17; & 51. 37. Bona caſtrenſia,aduentitia &c.243.29.
CAluini errores.306.1.319.1.346.2.356.11 & 352.à 3.
Canones.260.12;& 494.6; & 496.12.
Caput naturale,& morale.140.à 28.
Caſtitatis definitio,& ſpecies.97.11.
Cathecumeni.432.17.
Catilinæ fortitudo. 69.8.
Cauſa inſtrumentalis nequit operari oppoſitè ad principalem.409.55. Suſtentatur à principali. 477. à 4.
Cauſam videre,& decernere.486.24.
Centuriarum Auctores. 468. 2. Blaſphœmiæ. ibidem.
Charitas perfecta dupliciter.521.12. Quomodo minuatur? Ibid. 13.
Charitas viæ nequit peruenire ad perfectionem patriæ. ibid. 7.
Charitas Chriſti perfectior charitate beatorum. ibid. 12. Augetur etiam per actus virtutum moralium. ibid. 15. Statim poſitis actibus ibid. 16.
Charitas viæ,& patriæ eſt eiuſdem rationis.524.
Charitas viæ manet in patria. ibidem à 5. Eius obiectum primarium eſt Deus, ſecundarium creatura.525. Ordo diligendorum.ibid.4.
Charitas forma omnium virtutum.71.23, & 80. 13. Eſt omnis virtus 216. 27. Diſtinguit inter filios Dei, & perditionis 361.à 4. Diſponit ad iuſtificationem. ibid. Eſt forma fidei. 426. 2. Eſt accidens nobis inhærens; habet rationem potentiæ,& modum habitus; eſt vera virtus diſtincta à fide,& ſpe,quibus eſt perfectior.516. Eſt amicitia cum Deo.519. Augeri poteſt in infinitum ſecundùm quid. 529. Nequit minui. ibid.
Childericus Regno deponitur.502.à 20.
S.Chriſoſtomi appellatio.487.26.
Chriſtianis licet iudicare.237.10.
Chriſtus quomodò in lumbis Adæ? 139.23. Extra ſacramenta confert gratiam. 469.11. Caput hominum, & Angelorum. Ibid. Duplici influxu regit Eccleſiam. Ibid. Eius poteſtas iudiciaria. 477.à 8. Vicariatus.468.9. Etiam vt homo habet poteſtatem in Reges. 504.27. Habuit paſſiones naturales.3.12. Mortuus eſt

pro

pro omnibus. 130.19.& 132.7.
Cibus ſpiritualis, & corporalis. 140.à 28.
Circulus perfectus inter figuras planas. 65.7.
Clauium ſignificatio, & numerus. 471.17.
Clementiæ definitio, & vitia oppoſita. 98.16.
Clerici perfectiores laicis. 468.4. Formant dextrùm latus Eccleſiæ. Ibid. 5. An ſubdantur legibus? 289.30.
Clerus Gallicanus. 481.3. 489.4. 493.1. & 498.3.
Concilia ſtatuentia primatum Eccleſiæ. 473.32. Subduntur Papæ. 480. Sine Papa ſunt fallibilia. 488. Concilia ſine Papa fuerũt Schiſmatica. 490.18. Confirmantur, & reſcinduntur à Papa. 483.15. Sunt ſupra Papam tempore Schiſmatis. 485.11. Habent poteſtatem exauthorandi Reges. 501.17. Eorum neceſſitas. 492.25.
Concilium Hebræorum. 481.5. Sueſſanum. 483.14. Conſtantienſe, & Baſileenſe. 485.21. Chalcedonenſe, & Conſtantinopol. 487.26. Primum gen. fuit Nicænum. 491.21. Apoſtolorum. 495.8.
Concupiſcentiæ definitio, cauſæ, & effectus, 10. Obediens rationi non eſt mala. 3.14. Concupiſcentia carnis non fuit in Paradiſo. 112.14. Effectus peccati originalis. 157.à 70.
Confeſſio externa eſt actus fidei. 451. Eſt neceſſaria loco, & tempore. 453.
Conflictus membrorum. 112.12.
Congregari in nomine Dei. 485.22.
Conſcientia erronea ſequenda. 401.21.
Conſiliarij. 255.59. Opera conſilij. 274.57. Conſilium non obligat ad pœnam. 169.22.
Conſuetudo. 160.11. Differt à lege. 291.1. Eius vis. 292.1.
Conuerſio hominis. 196.10.
Continentia. 97.6.56.16.61.18.
Contritio diſpoſitio ad iuſtificationem. 360.
Cornelius. 449.29.
Corpus mortuum ſeruatur ſuper terrã. 282.24.
Creatura nequit odiſſe ſuum eſſe. 9.13.
Cylindrus. 66.7.
Cynicorum doctrina. 58.10.
S. Cyprianus non reſtitit Papæ. 487.26. Eius cõtrouerſia. Ibid.
DAuid electio. 140.28.
Decimari. 133.12. Decimę de iure Diuino. 500.13.
Delectatio quid, & quotuplex. 182.à 4. Interna habet diuerſam malitiam. 184.18. Sine delectatione nemo viuit. 23.19. Differt à gaudio. ibid. 20. Eius cauſa, & effectus. ibid. Moderatio. ibid. 27.
Denominatio extrinſeca. 357.20.
Deſiderij definitio, & differentia. 10.à 1.
Deſperatio, & eius moderatio. 15.7.& 510.12. Nunquam licet. 512.29.
Detractorem audiens peccat, & tenetur reddere famam, etiam cum periculo vitæ. 251. à 33.
Deus nequit mentiri. 398.à 7. Neque amphibologicè, aut æquiuocè loqui cum intentione fallendi. 401.23. Neque infundere habitum erroris. 404. Indurat, & excęcat permiſſiuè. ibid. & 400.18. Nequit patrare miraculum in atteſtationem falſæ ſectæ. 407. Loquitur verbis, & factis. 408.52. Raro agit ſecundùm leges ſpeciales. 496.10. Nequit odio haberi. 9.22. Eſt vita animæ 334.15. Deus amandus eſt intenſiùs, quàm quodlibet bonum creatum. 522.
Dilectio Dei in quo conſiſtat? 315.9.& 321.15.
Diſpoſitio duplex. 347.7.& 349.16.
Diuiſio rerum. 243.à 34.
Dolor quomodo cauſetur. 189.à 22.
Dominium quid, & quotuplex? 240.à 1. Differt à titulo. 241.7. Tranſlatio. 244.à 42.
Donum dupliciter ſumitur. 98.1. Donorum Spiritus S. definitiõ, numerus, & ordo. ibid. Reſpiciunt vitam actiuam, & contemplatiuam. 103.11.
Dubius in fide infidelis. 412.8. Dubium ſpeculatiuum, & practicum. ibid. à 12. Dubia in meliorem partem interpetranda. 239.23.
Dulia. 91.22.
ECcleſiæ acceptio. 468.à 4. Primatus. 470. Poteſtas. 471.17. Significat Prælatum. 486.25. Terreſtris, & Cœleſtis. 491.24. Non iudicat de internis. 286.9. Romana Sedes Petri. 474.34. Nunquam defecit à Fide. 491.19.
Edmundi Richerij opiniones. 476.1. 481.3. 489.4. 498.3. Damnatio. 485.21.
Emptor rei alienæ tenetur reddere. 253.45.
Entitas phyſica indifferens. 110.à 22.
Epicheia non datur in lege naturæ. 270.33.
Epiſcopatus non imprimit characterem. 469.9. Triplex lis inter Epiſcopos, & Reges. 505.5.
Epiſcopi Sacerdotes magni. 469.8. Sunt in partem ſollicitudinis. ibid. 9. Recipiunt poteſtatem à Papa. 476.37. Sunt perfectiores alijs à 482.11.
Error dicit deformitatem moralem. 405.36.
Eubulia, & ſyneſis. 56.11.
Euæ peccatum non infecit naturam. 144.à 49.
Expenſæ funerum præferendæ. 257.91.
Extaſis cauſæ, & effectus. 7.à 9.
FAmæ leſio. 250.21.
Fauor Dei extrinſecus. 357.à 21.
Fidei ſignificatio, & definitio. 393. Non eſt diſcurſiua. 295.à 14. & 430.6. Habitualis. 396. Falſitas ei nequit ſubeſſe. 398. Neque dubietas. 410. Neque formido. 413.16. Neque claritas. 414. Includit obſcuritatem. ibid. 4. Firmam adhæſionem. 412.8. Poteſt ſtare cum euidentia atteſtantis. 418. Requirit motiua credibilitatis. 421. Aſſignantur motiua. 424. Fuit in Angelis. 430.7. Subiectum. 431.14. Requirit piam affectionem. 436. Pia affectio eſt actus charitatis. 440. Eſt neceſſaria ad ſalutem. 450. Fides explicita in Chriſto. 445. Quomodo velata? 448. Fides Trinitatis. 456.

34.01.

34. Ordo credendorum.ibid. Obiectum.454. & 464.à 1. Differt à Theologia. 456.20. Ratio ſpecificans. 457. Eius reſolutio. 459. Eſt initium iuſtificationis.423.57. Informis. 426. Operationes.427.3. Informis eſt vera virtus. ibid. 8. Eſt affectiua. 429. 2. Eſt vna ſpecie. ibid.3. Eſt prior origine. ibid.4. Deperditur diſcredendo vni.430 9. Infallibilis fuit in ſolo Petro, & eius ſucceſſoribus.472.20.

Filiatio dicit ius hæreditatis. 339. 7. Filius non punitur pro Patre.131.24. Emancipatus.258. 9. Quarum rerum habeat dominiū?243.28.

Forma introducitur per proprietatem. 371.à 4.

Fornicatio quid ſit? 97.14. Non licet ad ſaluandam vitam. 273.50.

Fortitudo, partes, & vitia oppoſita. 92.

Fridericus Secundus excommunicatur. 498. 21 & 501.18.

Fructus Spiritus Sancti. 104.

Furtum rei paruæ. 235. 23. In loco Sacro. 254. 57. Continuatio.172.45.

GLadius ſignificat poteſtatem. 469.6.

Gratia moralis quid? 92.30.

Gratiæ Chriſti, & iuſtitiæ originalis ſimilitudo. 143.12,& 149. à 30. Multiplex acceptio, & diuiſio. 293.à 1. Operans,& cooperans.297. 12. Sufficiens, & efficax. ibid. à 16. Actualis. 298. Eius vis. 303. Nequit fruſtrari. ibid. 3. Poteſt ei reſiſti. ibid.4. Neceſſaria ad cognoſcendas veritates.306. Ad diligendum Deum ſuper omnia.314. Ad vincendas tentationes. 317. Ad implendam legem.319. Ad vitanda venialia. 322. Habituali debetur actualis. 325. Gratia pro gratia.326.6. Quomodò reddatur meritis? ibid. Eſt amiſſibilis. 329. à 9. Gratia perſeuerantiæ. 328. Habitualis ſubiectum. 331. Eſt ſemen Dei. ibidem. 5. Supernaturalis. 335.19. In quo conſiſtat? ibid. Fundamentum filiationis Dei.338.1. Eſt eiuſdem ſpeciei. 340.10. Differt à charitate.341.à 15. Eius cauſa.342. Non educitur. 345.15. Eius diſpoſitiones. 346. Nequit eſſe ſimul cum peccato. 368. Nequit introduci ſine actibus pœnitentis.371.

Gregorij VII. defenſio. 501.18.

Guillelmi Traiectenſis mors.497.2.

HAbitatio. 241.12.

Habitus exiſtentia, acceptio, definitio, & differentia. 18. à 1. Habitus opinionis eſt verus habitus.20.12. In quo conſiſtat? 21. Triplex difficultas vincenda per habitum. 22. 6. Habitus non differt à diſpoſitione. 23. à 16. Eſt vna ſimplex qualitas. 26. 34. Concurrit ad modum actus.26. Quomodo producatur? 29. Supernaturalis non producitur per actus. 33.25. Naturalis corruptio.35. Augmentum, & diminutio. 38. Subiectum. 41. Subalternatus.454.à 2.& 457.7. Vitioſus nequit à Deo produci. 217.

Hæreſes damnatæ extra Concilia.491.21. Hæreſis conditiones.402.24. Pœnæ.433.à 15. Abſolutio 434.à 21.

Henricus Quartus Germanię Rex.497.2.& 501 18. Henricus Imper. renunciat inueſtituris. 498.2.

Homicidæ ad quid teneantur? 249.à 12.

Homo quomodo concurrat ad generationem. 345. à 13. Eſt cuſtos, non dominus ſuæ vitæ. 243. 33. Nequit naturaliter ſanari à vulnere peccati.307.10.

Honorij defenſio.492. 26.

Honoris amatiua.97.4.

Humanitas Chriſti Domini.344.12.

Humilitas eſt in volūntate.60.15; & 98.18. Eſt fundamentum poteſtatis.472. 21.

IGnorantia iuris nequit eſſe inuincibilis. 119. 12.

Inanis gloriæ definitio,& effectus. 96.24.

Imperator habuit ius eligendi Papam. 503.25. Imperium tranſlatum à Græcis ad Germanos.502.20.

Incarnationis myſterium idem quoad ſubſtantiam,non quoad circunſtantias temporis.403. 28.

Inceſtus quid ſit. 97.14.

Inclinatio naturæ duplex. 111. 5. Inclinatio naturalis.316. 16. Triplex.416.22.

Infamator tenetur petere veniam. 251. 32; & 252.37.

In Inferno nulla eſt redemptio.178.85. Exiſtentia. 187.

Infidelitas negatiua 180.7. Definitio, & diuiſio. 431.à 2. Non licet diſputare cum infidelibus. 432.12. Nec communicare. 433. 13. Nec eorum ritus celebrare.453. 8. Nequunt cogi ad fidem.433. 14.

Iniuſtitia,& iniuria.235.à 27. Eſt vitium ſpeciale.234. 20. Omnis peccans iniuſtus.235 25.

Innocentius IV. priuat Othonem IV.502.20.

Inueſtituræ Epiſcoporum. Vid. Epiſcopatus.

Inſtrumentum habet actionem propriam. 344.9. Vid. cauſa inſtrumentalis.

Ioada priuat Regno Athaliam.499.8.

Iræ definitio, differentiæ, ſpecies, cauſæ, & effectus 16.à 1.

Iudices vendentes iudicia. 255. 59. & 62. Non iudicantes ex motiuo iuſtitiæ. 238. 14. Sine iuriſdictione.ibid.16. Non ſeruantes ordinem iuris.ibid.17. Iudicantes in peccato.ibid.à 18. Ex ſuſpicione. 239. 22. Debent iudicare ſecundùm legem ſcriptam.ibid.24. Iudicium eſt actus iuſtitiæ.236. Eius conditiones. 237. 13. Per vſurpationem.240.27. Per errorem communem. ibid.29. Latum à Prælato excommunicato, & à Tyranno à 30.

Iudicium euidens præcedit fidem. 423. à 56.

Iuramentum quid, & quotuplex.92.36.

Iuſtificatus recenter. 108.18. Iuſtificatio quotuplex.352.à 1. In quo conſiſtat? 355.

Iuris ethimologia 257. 1. Eſt obiectum iuſtitiæ. ibid.

ibid.2.Eius conditiones. 258.4. Species. ibid. à 5. Diſtributio. 260. à 7. Negatiuum,& poſitiuum.ibid.13. Ius gentium.284. Diuinum, & humanum.494.6. Defenſiuum.502.23.
Iuſtitiæ definitio, diuiſio, actus, partes, & vitio oppoſita.87. Legalis,& æqualis.66.à.15. Eſt ratio formalis iudicandi.477.8. Duplex.342. 22. Legalis eſt perfectior particulari.231.à 5; & alijs virtutibus moralibus. 232.à 8. Particularis perfectior alijs virtutibus moralibus. 234.à 17. Diſtributiua.252.40. Inter patrem, & filium non eſt vera iuſtitia. 258. à 9. Legalis quomodo communis? 227. Eius obiectum. ibid. Concurrit ad actus omnium virtutum. 230. 13. Exiſtens in Principe non differt formaliter ab exiſtente in ſubdito. 231.1.
Iuſtitia originalis an ſit debita.132.2. Comparatur cum gratia Chriſti.143.42;& 149.30.Eius effectus 155. 57;& 157.65;& 174.à 58.
LAici imperfectiores clericis. 468.4; & 482. 11. Formant ſiniſtrum latus Eccleſiæ. 468.5.
Laudatio Dei.92.28.
S.Leonis epiſtola examinata.493.27.
Lex eſt actus intellectus. 260: Conditiones. 263. 31. Promulgatio.ibid.38.Acceptatio.264.44; &496.12.Officia,finis,& effectus.265.45.Abrogatio, diſpenſatio, & interpetratio. 291. à 39. Contemptus.171.42. Impedit translationem dominij. 245.54. Irritat contractus; ibid.55. Eius definitio,& diuiſio.259.à 2.
Lex naturalis 265.à 1. In quo conſiſtat? 267.14. Circa quod verſetur? 268. 20. Immutabilis. 269 à 25.Emendatur quoad modum.270.31. Nequit naturaliter impleri.308.11. Dupliciter impletur. 320. à 6.
Lex æterna nequit ignorari.116.15:Iubet æterna præferenda eſſe temporalibus. 272.41.
Lex vetus 277. Eius neceſſitas ibid. 3. Iuſta, & ſancta.278.5. Occidit.ibid.6. Vtilitas. 279. 8. ibid,82. Ceſſauit per impletionem.ibid.Mortua eſt in morte Chriſti, ſed non fuit mortifera, niſi poſt Euangelij promulgationem. ibid.
Lex noua 282. Differt à vetere.283.à 6.
Lex poſitiua non vetat omnia mala.271.38.Quare neceſſaria? 259.5; & 262. 30. An poſſit in actus internos? 285. Obligat ad culpam.287. Non obligat cum vitæ diſcrimine.289.25.
Lex pœnalis.290.1. Non obligat ante ſententiã. 290.35.
Legislator nequit diſpenſare in lege naturæ. 116.15.
Libertas,& neceſſitas. 304.10.
Locus medius inter electos, & reprobos. 159 8.
Locutio Dei.406.40; & 410. 57.
Ludi prohibiti 245.à 51.
Ludouicus Bauarus.498.2;& 502.20.
Lutheri errores.306.1. 319.1. 346.2. 350.2; & 427.5.
Luxuriæ ſpecies. 97.à 13.
MAgnanimitas, virtutes annexæ, & vitia oppoſita.96.à 9.
Magnificentia. 67.20. Magnificus Chaunus vocatur. ibid.
Malum alteri. 212.37. Duplex.115.11.
Manſuetudo, vt paſſio.4.à 19. Vt virtus.18. 18.
Marci Antonij de Dominis blaſphemiæ.475.36; & 486.25.
B.V.Maria Martyr. 94.7.
Maurorum expulſio.494.4.
Martyrium.93.à 5.
Medicus omittens remedia homicida.204.5.
Medium rei, & rationis. 65.2.
Meritum in ſomnis.203. 11. Conditiones. 375. Differt ab impetratione,& ſatisfactione.376. Mereri poſſumus gloriam ex condignitate ſecundùm quid quantùm ad rem, non quantùm ad quantitatem rei 378. Poſſumus tamen augumentum gratiæ, & gloriæ. 389. Non poſſumus autem perſeuerantiam finalem.390. Bona temporalia. 392.7.
Mentiri.399.14. Mendacium 400.à 17.
Miracula.407.à 46.Conditiones.ibid. Sunt conteſtatiua veræ fidei. 408.à 58;& 410.à 56.
PP.Minores priuantur dominio. 242.14.
Miſſio duplex. 475.35;480.16.
Miſeriæ temporales. 158 .à 72. Pugnant cum beatitudine 174.57.
Mobilitas duplex. 26.33.
Modeſtia. 98.à 17.
Monſtra ſpectant ad pulchritudinem.116.13.
Motiua credibilitatis. 424.
Multi ſignificant omnes. 130.20.
Moyſes. 470.13;& 484.16.
NAturæ ſanæ, & infirmæ diſcrimen.175.62. Sine gratia peccaret, & peccatum refunderetur in Deum. 216.28; & 318.10. Ei debetur auxilium ad operandum. 325.4.
OBiectum duplex 454.1.
Oblatio quid, & quotuplex.91.24.
Obſeruantia, & obedientia. 92.32.
Occiſio inuaſoris. 270.
Odij definitio, & diuiſio. 8. à 15. Quoad rem ſignificatam eſt actus poſitiuus.ibid. 17. Cauſæ,effectus,moderatio. 9.à 18.An ſit in Deo? 10. 29.
Omiſſio culpabilis ſine omni actu. 192. Eſt motus priuatiuus. 95.14. Conſequens, & diſparata non vitiat opus.196. Transfundit diuerſam malitiam. 198. à 2. Actus, qui eſt cauſa omiſſionis, eſt peccatum omiſſionis.200. à 2. Quando imputetur ad peccatũ? ibid.1.Omiſſio, & commiſſio ex eodem motiuo eiuſdem ſpeciei. 204. Duplex. 205.11. Omiſſio pura nequit eſſe meritoria.377.à 15.
Omnipotẽtia nequit compercre creaturę.343.3.
Opera infidelium bona, ſed malè facta. 76. 81 & 310.Opera ob retributionem ſunt honeſta. 509.à 2. Operatio duplex in Papa.480.16.

Oppoſitio,& relatiua in quo conſiſtant? 108.21; 208. à 17.

Oratio actus Religionis. 89.17. Duplex.ibid.Eſt de præcepto.ibid. Oratio quietis. 90.à 18.

Ordinum Eccleſiæ neceſſitas. 470. 13. Suſcipi queunt per ſaltus. 469.9.

Ordinario Epiſcopi. 475.35.

Ordo diligendorum. 271.39.

Otho IV. priuatur imperio. 502.20.

Ouium, & Agnorum ſignificatio. 472.19.

PActum quid ſit? 137.13.

Paganiſmus.432.11.

Papa habet plenitudinem poteſtatis. 469.11; & Eccleſiæ primatum, qui eſt Chriſti Vicariatus. ibid. Habet maiorem poteſtatem, quàm ſummus Sacerdos veteris legis. 470. 13; 476.3; & 481.5. Eſt ſucceſſor D.Petri. 474. 33. Senſibili magiſterio regit Eccleſiam.ibid. Vniuerſalis Epiſcopus.475.35. Schiſmaticus, aut dubius non eſt verus Papa.480.1. Eſt ſupra Concilia. ibid. Habet iudicare Concilia. 482.11. Solus dicitur Beatiſſimus, & Sanctiſſimus. ibid. Poteſt reſcindere, & confirmare Concilia. 483.15. A Papa ad Concilium nequit appellari. 484.16. Papæ anima eſt fides. 488.28. Quando poſſit deponi? ibid. Electio fit à Cardinalibus, electio ſoli Deo reſeruatur.ibid. Mortuo Papa eius poteſtas manet in Collegio Cardinalium.ibid. Eius confirmatio duplex. ibid. 29. Solus eſt infallibilis. 489; & 402.à 23. De Sede loqui quid ſit? 493.29. Eſt ſupra canones. ibid. Poteſt illos reſcindere, ſed non ſemper. ibid. 10. Tenetur ad obſeruantiam eorum quoad vim directiuam. ibid. Caſus, in quibus poteſt diſpenſare,496. 31. Habet ius paternum, & vxorium in Eccleſiam. 496.12. Poteſt abſoluere à reſeruatis cuilibet Epiſcopo.ibid.14. Habet poteſtatem in temporalia Regum.497.Benedicit Reges. 500. 14. Soluit ſtipendium Imperatori. 503. 25. Ad Papam quomodò non liceat appellare? ibid. De fide eſt quemlibet canonicè electum eſſe verum Papam. 505.4. Eius electio, & aliorum Epiſcoporum in quo differant? 506. 11; Nequit ſedem mutare. ibid. 12. Ad ipſum ſpectat ordinare Symbolum. 466.14.

Papæ poteſtas miniſterialis reſpectu Chriſti.477. 7. Eſt ſupra totam Eccleſiam. ibid. Eſt ſine numero, pondere, & menſura.482.12. A nullo poteſt iudicari. ibid. Eſt poteſtas Chriſti. 490.13.

Papatus non imprimit caracterem, ſed importat ſolam poteſtatem iuriſdictionis.469.9. Poteſtatis Papæ, & Chriſti Domini diſcrimina. ibid.11.

Paruuli naſcuntur ſub poteſtate Diaboli. 160. à 12. Nequeunt cum ſolo originali. & veniali decedere. 178. 86. In illos infunduntur habitus. 397.6. Naſcuntur filij iræ. 130. 15. Peccauerunt in Adam, vt erant in lumbis eius. 134. An contrahant peccata proximorum parentum? 137. à 17. Puniuntur pœna ſenſus.158. Credunt per alios. 160.11. Exufflantur, & exorcizantur.ibid.12.

Paraſiti deſiderium. 97.2.

Paſſio duplex. 1.1. Definitio, ſubiectum, & organum. 2.à 7. Moderatio. 3.11. Non eſt naturaliter mala. ibid. Numerus paſſionum. 4. à 15. Reductio.5.22. Minùs principales. ibid. 24. Ordo. 6.à 26.

Patientia, & vitia oppoſita. 95.11.

D.Paulus in raptu. 416.20.

Peccans intendit malum, vt delectabile. 124.16; & 172.43.

Peccatum priuatiuè opponitur virtutibus infuſis, & acquiſitis. 105. Eſt contra naturam, quatenus rationalis, & ſenſitiua. 110. Eſt eſſentialiter contra legem Dei. 114. Eſt eſſentialiter offenſa, & iniuria Dei. 116.17. Definitiones. 117. Requirit cognitionem iuris, & facti. 119. 8. Sufficit cognitio interpretatiua. ibid. à 9. Aduertentia requiſita. ibid. à 13. Species peccatorum. 120. Importat formaliter auerſionem à Deo, & materialiter conuerſionem ad creaturas. 121. Sumit diſtinctionem ſpecificam per ordinem ad virtutes oppoſitas. ibid. Vnitas numerica. 125.23. Subiectum. 126. Non eſt in potentijs ſenſitiuis, niſi ſit etiam in voluntate.ibid. Eſt actus liber. ibid.5. Triplex. 132.1. Nequit remitti per puram condonationem extrinſecam. 364.

Peccati originalis nomina. 149.29. Conſiſtit in priuatiuo. 149.à 28. De lege ordinaria contrahitur ab omnibus.128. Non tranſit per imitationem, & exemplum.129.10; & 11. Traductionis triplex ſimilitudo. 131. 23. Habet rationem culpæ,& voluntarij.132. Eſt voluntarium in alio. 133.11. Differt à peccato habituali. ibid. 14. Primariò inficit naturam, ſecundariò perſonam. ibid.16. Fuit contra præceptum, non contra pactum.137.à 11. Solum primum peccatum potuit inficere naturam. 139. à 21. Fuit capitale. 141. 37. Eius traductio 142.à 39. Cauſæ.144. 46. In quo conſiſtat? 145. Subiectum. 155.60. Effectus. 157: à 66:

Peccatum veniale quotupliciter dicitur? 166. 1. Eius exiſtentia. ibid.à 7. Definitio. 168. 14. Differentiæ.ibid.à 15. Eſt contra præceptum, non conſilium. ibid. 22. Non reducitur in Deum, vt in cauſam. 169.24. Eius cognitio difficillima. ibid. 25. An poſſit fieri mortale? 170. 29. Ex pluribus venialibus nequit fieri vnum mortale. ibidem à 32. Non remiſſum in damnato punitur pœna æterna; remiſſum verò pœna temporali. 176. Remittitur etiam extra ſacramenta. 177.77.

Peccatum mortale remiſſum fit veniale. 166. 3.

Non habet malitiam ſimpliciter infinitã.180. Non eſt irremiſſibile. 181.6. Tribus actibus completur.181. Conſtituitur per conſenſum, & delectationem moroſam. ibid. Poteſt eſſe pœna. 184. Minùs graue ſecundùm ſpeciem cconiunctum cum circunſtantia grauiſſima fit grauius ſecundùm quid, non ſimpliciter peccato grauiori ſecundùm ſpeciem.224.Nequit ſtare ſimul cum gratia.368;& 358.27. Dupliciter tegitur. ibid.30.
Peccarum omiſſionis. Vid.omiſſio:
Peccatum commiſſionis conſiſtit in priuatiuo. 206.
Peccatum habituale in quo conſiſtat? 212.
Peccatum in Spiritum S; quid, & quotuplex? 220.
Peccata contra primam tabulam.269.30.
Pelagiani, & Semipelagiani.299.319.11;& 321. 18.
Peregrini an teneatur legibus locorum, per quę tranſeunt? 289. 31. Peregrinus Hiericho. 366.14.
Perſeuerantia, & vitia oppoſita. 95. à 13. Dei donum. 327. 11. Effectus prædeſtinationis. 330.14.
Pertinacia. 414.18;& 434.23.
S. Petrus à petra dictus dupliciter. 471. 15; & 489.8. Eius viſio. 472. 27. Ad ipſum ſpectat proferre ſententiam in cauſis fidei. 473. 28. Negauit, vt perſona priuata.474.34; & 493. 26. Mortuus eſt Romæ.474.34. Reprehenſus à Paulo. 475.35. 280.à 16. Viuit in Succeſſoribus. 473. 32; & 505.5. Fugienti Roma occurrit Chriſtus.506.12.
Petrus de Vinea ſcripſit contra Papam.498.2.
Philippus Pulcher. 498.2.
Pietatis definitio. 92.29.
Pœna debet eſſe nolita.185.8. Purgatiua,& vindicatiua. 290. 34. Eſſentialiter ſupponit culpam. 129.9. Damni,& ſenſus. 151.36. Damni eſt maior. 162.22.
Pœnitentiæ, & baptiſmi diſcrimen. 186.6. Potentia peccandi an ſit à Deo? 219. Potentia ſpiritualis poteſt recipere plures formas ſimul.62.20.
Poteſtates terrenæ Dei miniſtræ.469.9.
Poteſtas dupliciter dicitur indirecta.499.8.
Poteſtas Eccleſiæ quotuplex? 469.6.ad 10.
Præcepta non multiplicant peccara.124.19.
Præceptum de diligendo Deo.312.à 14.
Prædeſtinationis effectus. 328.7.
Prælati in Concilijs repræſentant Eccleſiam. 468.4.
Præſcriptio quid, & quotuplex? 246.à 58.
Præſumptio.510.11;& 96.à 20.
Principes an teneantur legibus? 289.27.
Priuatio quomodò ſit à Deo.154.54.
Priuilegium. 260.11;& 292.à 4.
Promiſſio ante acceptationem non obligat.245. 47. Acceptata obligat ſub mortali. ibid. 48.
Ficta. ibid.46.
Prophetæ quomodò Deum noſcant? 419. 32.
Propoſitio hæretica, erronea &c.434.25.
Propoſitiones Baij reiectæ.74.à 7.
Proprietas prior, & poſterior eſſentia.372.4.
Prudentia præſcribit medium virtutibus. 66.14. Definitio, partes, & vitia oppoſita.85.
Pudicitia quid ſit? 98.15.
Pueri in primo vſu rationis. 82.26. Tenentur ſe conuertere in Deum. 178. Priuantur adminiſtratione, non dominio.243.27.
Pupilli habent ius ſuorum bonorum, non adminiſtrationem. 236. 29. Ludentibus reſtituendum. ibid.
Purgatorij exiſtentia, locus, & duratio.186.
Puſillanimitas quid ſit? 96. 20.
QValitatis ſupernaturalis ſubiectum. 82. 24; & 84.à 32. Nequit infinitè intendi. 520.
Qualitas morbida. 142.à 40;& 150.à 32.
Quantitas poteſt in infinitum augeri.520.
RAptus quid ſit? 97.14.
Ratio inferior, & ſuperior. 266.à 11.
Reatus acceptio. 147.15;& 19.213.à 3.
Rebellio ſenſuum non tollitur. 154.56
Rectum index ſui, & obliqui. 28.7.
Regaliæ definitio. 504. Non eſt corona infira, ſed gratis donata. ibid.3. Non extenditur ad decimas. ibid.4.
Reges miniſtri Dei. 478.9.
Regibus Galliarum conceditur Regalla. 504.2.
Regnum Dei dupliciter dicitur.500.16.
Regulæ bonitatis. 115.9.
Religionis ethimologia, definitio, actus, & vitia oppoſita. 88. à 13. Religionis ingreſſum impedientes. 249.11.
Religioſi perfectiores laicis. 482. 12. Bis Deo obligati.88. 13. Tenentur ad maiorem perfectionem. 171. 42. An poſſint habere dominium, & vſum? 242.à 22.
Reſtitutio.247.à 2.Eſt neceſſaria ad ſalutem.ibid. 5.Reſtitutio pretij pro re.250.18. Duplex.ib. 20. Modus reſtituẽdi famam.ibid.à 23.Statim facienda eſt.252.42.Eiuſdem rei 253.43.Rei, & fructus ibid.44.Et lucrum.ibid.46.Non tamen fructus induſtriales. ibid. Mutuatarius, non commodatarius,tenetur reddere rem caſu deperditam. ibid. 48. Vendens, vel emens rem plus iuſto pretio tenetur reddere.ibid.49 Etiamſi rem non receperint. 254. à 50. Recipiens partem tenetur ad totum. ibid.54. Exigens fructus ex mutuo.255.60. Locans rem vitioſam,vel malè tractans rem locatam. ibid. 61. Acceptum pro opere turpi non eſt reddendum.255.64.Reſtitutio facienda vero Domino. ibid.65. Pauperibus,vel Eccleſiæ, cùm Dominus ignoratur.256. 68. Cauſæ excuſantes reſtitutionem. ibid. Ordo reſtitutionis. 257. 87.
Reus tenetur ſubire pœnam.291.36.
Richerij Vid.Edmundi.

Rodul:

Rodulphus Teutonicorum Rex. 497. 2. & 501. 18.

SAbæ admiratio. 469. 9.
Sacerdotes maiores, & minores apud Hæbreos, & Gentiles. ibid. Sacerdotum arma ſunt lacrimæ, & preces. 504. 27. Summus ſacerdos veteris legis habebat poteſtatem in Reges 499. à 7.
Sacramentorum veteris, & nouæ legis diſcrimen. 470. 13.
Sacrificij definitio. 91. 23. Species. ibid.
Salomonis petitio in ſomnis 203. 11.
Samuel elegit, & abiecit Saulem. 499. 8.
Sanguis Chriſti abluit peccata. 353. 3.
Sardicenſe Concilium appendix Nicæni. 483. 15.
Sauli conuerſio. 81. 16.
Scandalum quid, & quotuplex? 226.
Schiſmatis, & infidelitatis diſcrimen. 223. 9.
Scriptura non ſufficit ad enodanda dubia legis. 471. 14; & 489. 3.
Sedes Apoſtolica, aut ſanctos recipit, aut ſanctos facit. 482. 11.
Sententia iniuſta quando obliget? 239. 26.
Sentire eſt purè pati. 12. 10.
Septem oculi Zachariæ; ſeptem ſtellæ, & ſeptem lampades Apoc; ac ſeptem panes quid ſignificent? 99. 2.
Septuaginta ſeptem generationes enumeratæ ad generationem Chriſti. 472. 22.
Seruitus quid, & quotuplex? 242. 13.
Serui capti in bello fugere poſſunt. 243. 30. Domino acquirunt. ibid. 31. Nequeunt occidi à Domino. ibid. 32.
Signum ad placitum, & naturale. 409. 53.
Simon Magus punitus. 472. 26.
Simulatio Iehu, Petri, & Pauli. 453. 3.
Sobrietatis definitio, & vitia oppoſita. 97. 10.
Solutio didracmæ pro Chriſto, & Petro. 472. 23.
Spei cauſæ, effectus, & moderatio. 14.
Spei Diuinæ definitio, diuiſio, diſtinctio, neceſſitas, duratio, ſubiectum &c. Actus. 508. Obiectum. 512.
Spiritus S. non eſt Chriſti Vicarius. 475. 36. Eſt anima Concilij. 487. 27. Eius impulſus. 100. 3, & 7.
Spiritus damnati cruciantur ab igne. 188.
Status hominis. 295.
Status puræ naturæ. 365. 16.
Stoicorum opiniones. 60. 6. 216. 26; & 308. 11.
Studioſitas. 60. 15; & 98. 18.
Stupri definitio. 97. 14
Subditi à iuramento fidelitatis abſoluti. 501. 18.
Superbia inſidiatur bonis operibus. 50. 34. Includitur in omni peccato. 234. 21.
Superflua ſunt ſub dominio pauperum. 277. 63.
Symbolum triplex. 465. à 6.
Syneſis virtutum ancilla. 56. 16.

TEmperantia, & vitia oppoſita. 96. à 1.
Temporalia tenentur ad decimas. 500. 13.
Cooducunt ad Deum. 502. 22.
Tentatio quid, & quotuplex? 181. à 2.
Timoris cauſæ, effectus, & moderatio. 16. 6. Quadruplex. 509. à 5. An ſit donum Spiritus S.? 510. 8. Qui ſit actus ſpei? ibid. 7. Qui maneat in patria? ibid. 10.
D. Thomas aliud vidit, aliud credidit. 411. 6. 415. 14; & 421. 49.
Traiani liberatio. 188. 14.
Tridentinum non vetat pluralitatem ſenſuum Scripturæ. 480. 16.
Triſtitiæ cauſæ, effectus, & moderatio. 13. à 28.

VEnationes, & piſcationes licitæ. 250. 19.
Venialium obligatio. 324. 6.
Verecundia, & vitia oppoſita. 97. 4.
Veritas, & vitia illi oppoſita. 92. 33.
Vicarij poteſtas eſt poteſtas Epiſcopi. 479. 15.
Victor excommunicauit Orientales celebrantes Paſcha die 14. Martij. 487. 26; & 475. 35.
Viduæ an liceat delectari de copula? 184. à 14.
Vindicatiua, & vitia oppoſita. 92. 31.
Vir principaliter generat. 130. 12. Potuit habere plures vxores. 244. 34.
Virginis deflorator ad quid teneatur? 249. à 15.
Virginitatis dignitas. 97. 12.
Virtutis definitio. 45. Eſt qualitas, & habitus. 47. Eſt relatiua ſecundùm dici. ibid. Nequit influere in actus malos. 49. Diuiſio. 53. Numerus. 54. 7. Cardinales 55. à 10. Subiectum. 56. Officia. 58. 10. Dantur ad vincendam difficultatem potentiæ, & ad delectabiliter operandum. 59. 13. Actiuè concurrant ad actum. 63. Conſiſtunt in medio. 64. Seruant æqualitatem. 65. à 3. Connectuntur per charitatem. 68. In animi diſpoſitione. 70. 13. Roborant infirmitatem potentiæ. 71. 22. Quieſcunt in Deo. 76. 20. Infunduntur ſimul cum charitate. 71. 23; & 81. 16. Sunt ordinariuè ſupernaturales. 79. 32. Infuſæ, et acquiſitæ diſcrimen. 79; et 108. 18. Non duplicantur. ibid. à 17. Dignitas. et duratio. 84. Sunt participationes attributorum Dei. 337. 10. Earum generalitates. 440. 5. Sine charitate nequeunt mereri vitam æternam. 383.
Virtutes infidelium dupliciter ſumuntur. 72. 2. An ſint veræ virtutes. ibid. Non ſunt meritoriæ nec formaliter, nec diſpoſitiuè. 73. 6. ſunt dona Dei. 75. 10; & 15. Illis redditur præmium temporale. 76. 17.
Virtutes Theologicæ habent medium. 66. à 10.
Virtus fornicaria quid ſit. 77. 21.
Virtus proxima ad agendum. 323. 5.
Viſio ſpiritualis duplex. 418. 31.
Vita actiua, & contemplatiua. 90. 19.
Vitiũ nequit ſtare ſimul cum virtute. 108. Illi opponitur priuatiuè. ibid. Eſt contra naturam hominis, quatenus rationalem, & ſenſitiuam. 110. Eſt ſimile virtuti. 69. 8. In ratione entitatis

ris phyſicæ conuenit cum illa. 106. 7. Importat deordinationem ab vltimo fine, & à lege æterna.ibid. 11.
Vniuerſitatis Pariſienſis DD. celebriores. 488. 27.
Voluntas eſt proportionata ad bonum proprij, & alieni ſuppoſiti. 60.15. & 62.20. Eius virtutes.60.15.
Voluntas committẽdi omnia venialia an ſit peccatum mortale? 171.à 42.
Votum quotuplex,& an ſit diſpenſabile? 91.25. Vitium ei oppoſitum.ibid.Eſt de iure Diuino ibid.Eſt de meliori bono. 169. 23. Secundum confirmat primum.125.21. An poſsit obligare ſub veniali. 288.20.
Vſucapio quid ſit, & quomodo differat à præſcriptione? 246.à 58.
Vſus quid,& quotuplex. 241.à 8. An ſit ſeparabile à dominio? 242.à 15.
Vſusfructus quid, & quotuplex, & quando finiatur? ibid. à 9.
Vxorum communitas.244 à 34.
ZElus duplex. 8.11.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

Google

Digitized by Google

Digitized by Google